Migne, Jacques Paul

PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS

SIVE

BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, ŒCONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM

QUI AB ÆVO APOSTOLICO AD USQUE INNOCENTII III TEMPORA FLORUERUNT;

RECUSIO CHRONOLOGICA OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER DUODECIM PRIORA ECCLESIÆ SÆCULA;

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA;

DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS LECTIONIBUSQUE VARIANTIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA;

OMNIBUS OPERIBUS NON NISI POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS, DETECTIS, AUCTA;

INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS, SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA;

CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA;

OPERIBUS CUM DUBIIS TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;

DUOBUS INDICIBUS GENERALIBUS LOCUPLETATA: ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID UNUSQUISQUE PATRUM IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM SCRIPTURÆ TEXTUS COMMENTATI SINT.

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR: CHARACTERUM NITIDITAS, CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO OPERIS DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

SERIES PRIMA,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A TERTULLIANO AD GREGORIUM MAGNUM.

ACCURANTE J.-P. MIGNE, Cursuum Completorum IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS, EDITORE.

PATROLOGIÆ TOMUS IV. — S. CYPRIANI TOMUS UNICUS.

PARISIIS, EXCUDEBAT SIROU,
IN VIA DICTA D'AMBOISE, PRÈS LA BARRIÈRE D'ENFER,
OU PETIT-MONTROUGE.

1844.

DITIONI SOCIETATIS JESU
Digitized by Google

BR
60
.M4
t. 4
Cop. 1

Succursale, au Petit-Montrouge, de l'imprimerie de Sirou,
rue des Noyers, 37, à Paris.

Digitized by Google

SANCTI THASCII CÆCILII

CYPRIANI

EPISCOPI CARTHAGINENSIS ET MARTYRIS

OPERA OMNIA,

AD INTEGRAM STEPHANI BALUZII EDITIONEM EXPRESSA,
ET PRÆCIPUIS FELLI, PAMELII, RIGALTII LECTIONIBUS ET NOTIS INSTRUCTA,
VARIISQUE AUCTA OPUSCULIS DUBIIS,
AUT NOVISSIME TROMBELLII ET MINGARELLI, DURANDI ET
MARTENII CURA EDITIS.
NEC NON ET ACCEDUNT IN QUOSDAM LIBROS TUM RECENTES JOSEPHI MARTINI
ROUTHII NOTÆ, TUM D. NICOLAI LE NOURRY DISSERTATIO.

TOMUS UNICUS.

PARISIIS
EXCUDEBAT SIROU,
IN VIA DICTA D'AMBOISE, PRÈS LA BARRIÈRE D'ENFER,
OU PETIT-MONTROUGE.
—
1844.

Digitized by Google

ELENCHUS RERUM

QUÆ IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

PRÆFATIO IN EDITIONEM BALUZIANAM. — VITA S. CYPRIANI EX EJUS SCRIPTIS EXPRESSA. — ORDO RERUM IN HAC ET CÆTERIS EDITIONIBUS COLLATUS.

S. THASCII CÆCILII CYPRIANI OPERUM

PARS PRIMA. — EPISTOLÆ.

EPISTOLÆ I LXXXIII.
EPISTOLÆ SUBLESTÆ FIDEI III.

PARS II. — OPUSCULA.

Liber de Habitu Virginis.
Liber de Lapsis.
Liber de Unitate Ecclesiæ.
Ad Demetrianum.
De idolorum Vanitate.
De Mortalitate.
De Opere et Eleemosynis.
De Bono Patientiæ.
De Zelo et Livore.
Ad Fortunatum, de Exhortatione Martyrii.
Ad Quirinum, Testimoniorum contra Judæos libri III.

APPENDICES.

APP. I. OPUSCULA DUBIA.
De Disciplina et bono pudicitiæ.
Exhortatio ad pœnitentiam.
(*Libellus iste novissime Bononiæ editus, serius enixa opera repertus, ad calcem appendicum reponendus fuit.*)

APP. II. OPUSCULA SUPPOSITA.
Liber de Aleatoribus.
De Singularitate clericorum.
De XII Abusionibus sæculi.
De duplici Martyrio.
Oratio Cypriani Antiochenî pro martyribus.
Ejusdem oratio quam sub die passionis suæ dixit.
De montibus Sina et Sion, adversus Judæos.
Tractatus adversus Judæos qui inscribuntur Dominum nostrum Jesum Christum, incerto auctore.
Cœna, Cypriano falso adscripta.
De revelatione capitis beati Johannis Baptistæ tractatus.
De Pascha computus.

APP. III. Dissertatio de Cypriani libris ad Demetrianum et de Idolorum vanitate, auctore D. Nic. Le Nourry, monacho O. S. B.
Carmen ad Felicem, e veterum scriptor. et monument. ampl. Collect. D. Ed. Martenii, mon. ejusd. ord.

APP. IV. Oxoniensis editionis selectæ in Cyprianum notæ.
Selectæ Jos. Mart. Routhii in quosdam Cypriani libros notæ.

SIGLIORUM EXPLICATIO.

Qui plura de singulis istis sigliis, de varia codicum librorumve indole, origine ac fortuna voluerit, retro abeat, si vacat, ad præfationem tertio tomo inscriptam, singula nimirum sive manuscripta, sive typis expressa, quantum licuit, sedulo descripta eo loci reperturus.

Ar. Cod. Bibl. Arundelianæ.
Becc. Cod. Beccensis.
Ben. Codices Beneventani.
Bod. Codd. Bodleiani.
Cant. Cod. Cantabrigiensis.
Carn. Cod. Carnotensis.
Cellar. Cellarii notæ.
Colb. Codd. Colbertini.
Comp. Cod. Compendiensis.
Corb. Codd. Corbeienses.
Cott. Cod. Bibl. Cottonianæ.
Drur. Cod. Drurianus.
Ebor. Cod. Eboracensis.
Er. Ed. Erasmii.
Fab. Cod. Nicol. Fabri.
Flor. Cod. Floriacensis.
Foss. Cod. S. Mauri Fossatensis.
Fux. Cod. Collegii Fuxensis.
Gold. Edit. Lipsiensis Goldborni.
Goul. Editio Goulartii.
Grat. Cod. Gratianopolitanus.
Grav. Edit. Gravio adscripta.
Gron. Correct. Gronovii.
Innom. Editio innominata.
Lam. Cod. Lamonianus.
Lamb. Cod. Bibl. Lambethanæ.
Lat. Correctiones Latini Latinii.
Linc. Cod. Collegii Lincolniensis.
Lindn. Ed. Lindneri.
Lips. Edit. Lipsiensis.
Lond. Cod. Londinensis.
Man. Edit. Manutii.
Meerm. Cod. Bibl. Meermanii.
Met. Cod. S. Arnulphi Metensis.
Mich. Cod. S. Michaelis in periculo maris.
Mor. Ed. Morelli.
Ms. Reg. Cod. Bibliloth. Regis.
NC. Cod. Novi Collegii Oxoniensis.
Oxon. Edit. Oxoniensis.
Pam. Edit. Pamelii.
Paris. Edit. Parisiensis 1666.
Pemb. Cod. Bibl. Pembrochianæ.
Pith. Codd. Pithœani.
Remb. Editio Rembolt.
Rem. Codd. Remigiani.
Rig. Editio Rigaltii.
Routh. Routhii notæ, lectiones.
Sar. Cod. Sarisburiensis.
Seg. Cod. Seguieranus.
Spir. Edit. Spirensis.
Tew. Codd. Tewerani.
Thu. Codd. Thuani.
Vat. Codd. Vaticani.
Ver. Cod. Veronensis.
Vict. Cod. S. Victoris Paris.
Voss. Codd. Vossii.
Wets. Cod. Wetsmonasteriensis.

1030 I. 20 1
Digitized by Google

Præfatio,

IN QUA, POST ENUMERATAS SANCTI CYPRIANI OPERUM EDITIONES, DE S. MARTYRIS DOCTRINA PLURIBUS DISSERITUR.

AUCTORE D. PRUDENTIO MARAN, O. S. B.

Ad hanc præfationem aggredienti nec S. Cypriani laudes persequi necessarium videtur, nec Baluzii laborem commendare. Conspirans omnium in Cypriani admiratione consensus, favoris aucupia non desiderat : editori suffragatur eruditionis fama et plurima in antiquis scriptoribus edendis et emendandis industria. Multa quidem exstant Baluzii laborum monumenta, nec cuiquam fere concedit, qui rem litterariam auctius ditaverit ; sed, præterquam quod ad hoc extremum opus longo usu exercitatus accessit, numquam alias videtur operæ et labori minus pepercisse in vetustis codicibus undique comportandis et evolvendis. Jussus hac urbe abscedere anno 1710, consilium edendi Cypriani non abjecit, nec intermisit laborem, quem tamen, redux sub finem anni 1713, novo conatu repetiit, ac tandem typis cœpit mandare anno 1717. Jam prelum absolverat genuina Cypriani opera ac maximam partem Baluzii annotationum, cum eum utiliter laborantem vita defecit die 28 mensis Julii, anno ætatis 88, Christi 1718. Mortuo Baluzio, non sine litteratorum omnium desiderio, novæ hujus editionis opus diu interruptum pependit, sed, anno 1724, rev. admodum pater domnus Dionysius de Sainte-Marthe, superior generalis congregationis Sancti-Mauri, pluribus rogante typographiæ regiæ præfecto, rem uni ex suis commisit, qui libenter oneri successit, et ab alio adjutus telam a doctissimo viro nondum absolutam pertexere conatus est, cum iis edendis et emendandis quæ Baluzius intacta reliquerat, tum vero, ut in pluribus aliis Patribus percommode factum est, uberius de rebus gestis Cypriani deque illius doctrina disserendo. Ut promissis satisfiat, nonnullæ S. Martyris sententiæ in hac præfatione, quam vita Cypriani proxime sequetur, æquis ponderibus examinandæ sunt : sed antea variæ illius operum editiones recensendæ videntur.

Variæ operum Cypriani editiones quæ in ipsis typographiæ incunabulis adornatæ ac postea pluribus in locis repetitæ sunt, quanta fuerint hujus scriptoris legendi studia declarant. Tres antiquissimæ memorantur : Romana, an. 1471, per Conradum Sweinheim et Arnoldum Pannartz; Veneta, an. 1471, per Vindelinum Spirensem ; tum quæ dicitur *innominata*, quia nec urbis nec typographi nomen adscriptum. Testatur editor Oxoniensis usum se esse tribus editionibus : « Ad manum habui, » inquit, « editiones vetustissimas, Spirensem anni 1471; innominatam, cui nec patria nec ætas affigitur, nec non illam Remboldi anni 1512. » Sed tamen editio illa quæ *Spirensis* vulgo dicitur, non Spiræ, sed Venetiis excusa, ut jam observarunt eruditorum nonnulli; et eorum errori, qui illam Spiræ attribuunt, locum dedit nomen Vindelini Spirensis, a quo perfecta fuit anno 1471. Nam Joannes Spirensis mortuus est Venetiis anno 1470, ejusque officio et laboribus in eadem urbe successit frater Vindelinus, cui proinde debetur hæc editio. Id patet ex his versibus, qui ad calcem editionis librorum *de Civitate Dei* ab eodem Vindelino adornatæ leguntur :

Qui docuit Venetos exscribi posse Joannes
Mense fere trino centena volumina Plini,
Et totidem magni Ciceronis Spira libellos,
Cœperat Aurelii; subita sed morte peremptus
Non potuit cœptum Venetis finire laborem.
Vindelinus adest ejusdem frater et arte
Non minor; Hadriacaque morabitur urbe.

M. CCCC. LXX.

Ex his maxime dubium videtur quod ait, post nonnullos alios, eruditus auctor *Annalium Typograph.* tom. I, Vindelinum in Germaniam abiisse et anno 1571 Bartholdi opera ibi edidisse. Recenset idem scriptor libros a Vindelino Venetiis ann. 1572 et 1577 editos.

Prodiit Parisiis, anno 1512, alia editio operum Cypriani ex typographia Bertoldi Rembolti et Joannis Waterloes. Accesserunt in hac editione *Cardinalia Christi Opera*, *Expositio in symbolum Apostolorum* et *Passio S. Cypriani;* libro sive epistola *de Aleatoribus*, et aliis nonnullis quæ ad Robertum Fortunatum missa fuerant,

Digitized by Google

in aliud tempus rejectis. Is enim Robertus Fortunatus provinciam recognoscendorum Cypriani operum suscepit; vel potius, ut ipse testatur in epistola nuncupatoria ad Ruricium Biterrensem, virum senatorium, eo aut lectionibus aut rebus familiaribus occupato, Guillelmus Poletus « opus insigne relegit, emaculavit, et annotationibus quibusdam non negligendis, locorumque Bibliæ et allorum citationibus, vel, ut aiunt, quotationibus ad marginem perpulchre multoque cum labore donavit: » post epistolam nuncupatoriam, alia ab eodem Fortunato apposita est, quæ de utilitate librorum Cypriani, ac de ejus eloquentia pertractat, cum hac inscriptione: C. DE P. JACOBO GRASOLARIO, CIVI VENETO, SALUTEM DICIT. Cæterum, hæc editio satis accurata est, ac in multis, quæ perperam in sequentibus editionibus mutata fuerant, cum codicibus mss. consentit. Dicit Erasmus usum se esse « præsidio trium editionum, Romanæ, qua nihil vidi, » inquit, « depravatius, et tamen hæc alicubi profuit; cujusdam alterius, cujus titulus excidit, et Badianæ. » Editio illa, quam Erasmus celeberrimo Badio attribuit, eadem videtur esse ac Rembolti; observat enim Erasmus librum *de cardinalibus Christi operibus* « in editione Badiana separatum haberi a reliquo volumine: » id quod videre est in Rembolti editione, qua jam absoluta hoc opus separatim additum fuit. Alia editio, cujus titulus exciderat, forte eadem fuit ac innominata. Quod spectat ad Romanam, testatur Fridericus Rheinartus usum se esse « ambabus illis ex inclytæ reipublicæ Noribergensis bibliotheca benevolentissime communicatis operum Cypriani editionibus, anno jam tum M. CCCC. LXXI, ante typographica vix adulta publici juris factis, Romana, haud dubie diversa ab illa qua Henr. Gravius in edit. Colon. anno 1544, præter Badianam quamdam et aliam, usum se esse, nihil autem depravatius vidisse scribit, et Spirensi, cujus artifex Vindelinus quidam laudatur. » Gravium cum Erasmo confundit Reinartus; nec cuiquam facile probabit Romanam editionem anni 1471, qua usum se esse dicit, diversam esse ab ea quam Erasmus commemorat.

Erasmus, qui tot sanctorum Patrum editionibus præclare de re ecclesiastica et litteraria meritus est, suam in Cypriano operam non passus est desiderari. Prodiit, eo curante, Cyprianus an. 1520, Basileæ, fol. ex officina Frobeniana, sed multo quam in superioribus editionibus locupletior. Primus enim in lucem edidit Erasmus litteras de hæreticis baptizandis *ad Quintum*, *ad Jubaianum* et *ad Pompeium*, lib. tertium *Testimoniorum*, ac sententias episcoporum in concilio Carthaginensi tertio: ejusdem diligentiæ debentur tres tractatus, *de Laude Martyrii*, *de Disciplina* et *Bono Pudicitiæ*, et *ad Novatianum* hæreticum, quos et si Cypriano abjudicant plerique critici, nemo tamen antiquissimos et Cypriano dignos negaverit. Iis adjunctæ fuerunt duæ orationes Cypriano affictæ. Sensit Erasmus, vir emunctæ naris, hæc opera non esse Cypriani; sed, quod satis mirari non possum, aliud opus, cujus auctor Diocletiani et belli adversus Turcas meminit, inter certissimos Cypriani fœtus ascribit; librum dico *de Duplici Martyrio ad Fortunatum*; quo invento visus est sibi, si ei credimus, magnum quemdam thesaurum invenisse: « Hunc in vetustissima, » inquit, « bibliotheca repertum adjecimus; utinam et liceat cætera hujus viri salutifera scripta pervestigare! » Sed hujus libri artificem esse Erasmum, ac ingenii sui opus Cypriano subdidisse pronuntiat Henricus Gravius, cui videtur hac in re Pamelius assentiri. Certe hactenus nec bibliotheca, ex qua hunc librum eruit Erasmus, cognita cuiquam fuit; nec codex quo se usum esse indicat, cujusquam in manus pervenit. Et res et verba stylum Erasmi redolent; et, quod suspicionem auget, nonnulla Scripturæ testimonia, ut observat Pamelius, ita prorsus in hoc libro, ut in aliis Erasmi elucubrationibus redduntur. Hæc editio sæpe repetita variis in locis, ut Basileæ apud eumdem Frobenium anno 1525, 1558, fol., addit Fabricius 1540, fol., ut Coloniæ 1525, 1544; ut Lugduni 1528, 1537, 1544, 1551, Parisiis 1541. Sed de his rebus tam parum convenit inter eos qui scriptores ecclesiasticos recensuere, aut librorum texuere catalogos, nihil ut certo statuere possit, nisi qui has omnes editiones oculis suis viderit, quod mihi fateor usu non venisse. Inter has autem editiones insignis illa est ac præcipue memoranda, quam Henricus Gravius doctissimus Dominicanus anno 1544 Coloniæ dicitur accurasse; sed monet Baluzius in notis (p. 281) hanc editionem non ab ipso Gravio adornatam fuisse, sed ab alio, qui usus est quodam exemplari edito, Gravii partim conjecturas, partim ex codice mss. varias lectiones ad marginem continente. Recenset Fabricius editiones Cypriani operum Coloniæ anno 1520, apud Henricum Alopecium; Venetiis anno 1547, Antuerpiæ anno 1541: addere potuisset 1542, apud Joannem Crinitum. Thomæ Jamesii Cyprianum redivivum Londini, 1600, numerat idem Fabricius, qui et de his rebus et de iis a quibus Cyprianus vernaculis linguis illustratus, aut nonnulla illius opera separatim edita sunt, consuli potest.

Quidquid ex Cypriani operibus adhuc in bibliothecis latebat, id Paulus Manutius et Guillelmus Morelius tam accurate collegerunt, ut nihil post eos repertum fuerit quod Cypriano posset adscribi: Pauli Manutii opera lucem viderunt liber *de Spectaculis* et *Epistolæ* in ordine Pamelii, 5, 17, 19, 23, 26, 27, 29, 30, 38, 39, 60, 78, 80, 82, 83. Adhibiti sunt codices vetustissimi ad hanc editionem, quæ Romæ prodiit apud Paulum Manutium anno 1563. Nuncupata est S. Carolo Borromeo qui, ut ibidem testatur Manutius, totus in eam curam incubuerat, « ut omnia Cypriani scripta, mendis antea deformata, in veterem illam integritatem ac speciem, accersito etiam Verona miræ vetustatis exemplari, accurata doctorum virorum industria restituerentur. » Transtulit Morelius in suam editionem quæcumque Paulus Manutius e tenebris eruerat; hisque addidit epistolas Firmiliani ad Cyprianum, Celerini ad Lucianum et Luciani responsionem, epistolam Celsi ad Vigilium, libros *de Aleatoribus adversus Judæos qui insecuti sunt Christum*, *de duodecim Abusionibus sæculi*, *Cœnam Cypriani*, et carmina S. Martyri adscripta. Prodiit editio anno 1564; sed, antequam absoluta esset, immortuus est huic labori doc-

Digitized by Google

tissimus typographus, de re ecclesiastica et litteraria optime meritus. Nuncupatoriam epistolam Carolo IX inscripsit Adrianus Turnebus. In ea regem christianissimum precatur ut liberos et uxorem Morelii, quos ille inopes reliquerat, beneficientia sua juvet, aliquidque elargiatur ad æs alienum, studio de republica benemerendi contractum, luendum atque dissolvendum, ac annua Morelio ab Henrico rege constituta, sed quibus perfrui temporum iniquitas ac ærarii angustiæ non permiserant, liberaliter restitui jubeat atque persolvi.

Cyprianum non auxit Pamelius, sed pluribus locis ope codicum mss. emendavit, novo Epistolarum et aliorum operum ordine, eruditis notis, vita ex ipsius operibus collecta, indicibus copiosis illustravit. Antequam Manutii et Morelii editiones prodirent, jam Pamelius statuerat hunc laborem suscipere; sed ejus consilium interpellarunt studia theologica ac profectio in Gallias. At ubi vidit duas illas editiones, sperans se illarum et aliarum vetustiorum et codicum mss. præsidio aliquid accuratius et suis numeris absolutius elaborare posse, tanto animi ardore in opus incubuit, ut omnia typis matura essent anno 1566; sed Belgici motus moram attulerunt. Prodiit tandem hæc editio Antuerpiæ anno 1568; ibidem repetita est anno 1589, Coloniæ 1617, Parisiis autem 1574, 1603, 1616, 1644. Addit bibliotheca Barberina Paris. 1607 et 1632, Fabricius Paris. 1633, et Colon. 1617, 1632; sed hæc, ut jam dixi, non valde certa. In catalogo librorum bibliothecæ Lugduni-Batavorum recensetur editio Colon. Agrip. 1575. Antevertit Pamelius Joannem Harrisium Anglum, Thomæ Moro quondam a secretis, qui idem consilium intendebat edendorum Cypriani operum. Is libenter Pamelium juvit variis sui exemplaris lectionibus; operam eidem navarunt Joannes Clemens, medicus, etiam Anglus, necnon Antonius et Valerius Cauchii, jureconsulti Ultrajectini fratres, communicatis patris sui castigationibus et conjecturis. Hæc discimus ex Pamelio in epistola nuncupatoria, quæ inscripta est Viglio Zuichemo Frisio, S. Bavonis apud Gandavenses præposito.

Simon Goulartius edidit Genevæ, anno 1593, opera Cypriani, ordinem Pamelii et contextum secutus, sed de suo addens longas et operosas ad legendum observationes, quibus Pamelium refellere et S. Cyprianum calvinistam facere conatus est. Prodiit Parisiis, anno 1648, editio Rigaltii, aucta libro *de Rebaptismate*, quam secuta est in eadem urbe, an. 1666, editio Priorii cum notis Rigaltii et aliorum, adjunctis Cypriano scriptis Minucii Felicis, Arnobii, Commodiani, necnon Julii Firmici *de Errore profanarum Religionum*. Nova editio epistolarum Cypriani, prætermissis aliis pertractationibus, prodiit anno 1681; cujus titulus sic habet: « S. Cæcilii Cypriani, Carthaginensis episcopi ac tandem martyris, ac aliorum quorumdam ad ipsum vel in simili causa scriptæ epistolæ LXXXIII, ordine Pameliano locatæ, ex editione Goulartiana in sectiones divisæ, et cum S. Augustini ad Cypriani argumenta de baptismo hæreticorum responsionibus suo loco subjunctis, variis etiam Pamelii, Rigaltii aliorumque lectionibus et conjecturis, ut et Gratiani in decreto Lombardi in libris Sententiarum, ac Thomæ Aquinatis in Summa theologiæ, allegationibus in margine notatis, et aliquot denique utilibus indicibus seorsum editæ, studio Friederici Reinharti theol. in universit. Altdorfina P. P. et ecclesiæ ibid. ministri. Altdorfi typis et impensis Henrici Meyeri, universitatis typographi. »

Proxime secuta est, anno 1682, Oxoniensis editio e theatro Seldoniano, cum codicibus mss. collata, notis Pamelii, Rigaltii ac ipsius etiam editoris illustrata, pluribus aucta pertractationibus Arnoldi Bonæ-Vallis abbatis, Cypriani Antiocheni Confessione, et antiquo paschali computo. In hac adornanda editione duorum protestantium episcoporum enituit industria, Joannis Felli, Oxoniensis episcopi, et Joannis Pearsonii Cestriensis; quorum primus editionis summam in se suscepit, alter annales Cyprianicos, qui sancti Martyris operibus præfiguntur, non sine multa eruditionis laude elucubravit. Hæc editio recusa est Bremæ anno 1690, Amstelodami 1699. Ita Fabricius; sed aliter visum Casimiro Oudino, qui tres editiones commemorat post primam Oxoniensem.

Nec tot Cypriani operum editiones, nec honorifica non paucorum hominum de novissima Oxoniensi judicia Baluzium deterruerunt, quominus novam susciperet. Nam, cum videret singulis editionibus sua inesse vitia, dum aut vitiosi codices mss. adhibentur, aut superiores editiones, ubi opus non erat, emendantur, ubi opus erat, incastigatæ relinquuntur, non desperavit S. Martyris contextum sic emendari posse, ut purus et intaminatus tandem aliquando prodiret. In hoc potissimum penso elaborandum sibi esse intelligens, præter codices mss. qui Pamelio, Rigaltio et Anglis usui fuerant, alios circiter triginta in subsidium sibi adhibuit. Horum notitiam infra subjiciam, qualem ex Baluzii notis colligere licuit: nam, cum varias lectiones vir eruditus, e codicibus mss. excerptas, in exemplaribus editis inseruisset, distracta sunt hæc exemplaria cum aliis bibliothecæ Baluzianæ libris, neque ex illis nisi perpauca reperire potui. Addidit etiam Baluzius observationes et notas, in quibus plerumque rationem eorum reddit, quæ in contextu immutanda judicaverat, interdum etiam, ut abundabat eruditione, in antiquis rebus illustrandis stylum exacuit. Perinique facerem, si, cum illius elucubratio præter paucissimas paginas ipso adhuc vivente excusa fuerit, ex debita illius labori laude aliquid in me derivarem; quin etiam cum mihi illius notas expendere, et cum ipso S. Cypriani contextu contendere per tempus non licuerit, judicium meum non interponam, sed publico assentiar. Non tamen dissimulare possim me sæpe animadvertisse contextum Cypriani, ut ab homine doctissimo in tanta codicum mss. copia fieri par erat, percommode emendari.

Quod spectat ad opera Cypriano adscripta, jam bona pars typis mandata fuerat, cum Baluzium nobis

Digitized by Google

mors abstulit. Præter tres illas pertractationes, *de Spectaculis*, *de Laude Martyrii*, et *de Rebaptismate*, quas Baluzius cum genuinis Cypriani operibus conjunxit, absoluti erant libri *de Bono Pudicitiæ*, *de Alcatoribus*, *ad Novatianum Hæreticum*, *de Montibus Sina et Sion*, *duæ Orationes* Cypriano affictæ, tractatus Arnoldi, Bonæ-Vallis abbatis, *de novissimis Verbis Domini in cruce*, ejusdem liber *de cardinalibus Christi Operibus*, duobus aut tribus foliis exceptis. In his quæ supererant emendandis et edendis elaborandum fuit. Atque equidem, si novam Cypriani operum editionem suscepissem, fateor me non pauca ex tam gravi sarcina deoneraturum fuisse. Sed, cum intelligerem vicariam me operam ad hanc editionem absolvendam afferre, cautius mihi agendum fuit. Itaque retinui quidquid habuit editio Pamelii, quia sic visum Baluzio fuerat. Sed ex iis quibus Angli Cyprianum onerarunt, necessarium esse duxi elucubrationes Arnoldi Bonæ-Vallis *de Operibus sex dierum*, et *de Laudibus beatæ Virginis*, ejusdemque *Meditationes* expungere; tum ne volumen nimiam in molem cresceret (auctum enim fuisset decem foliis), tum quia alia exstant in bibliothecis nostris ejusdem Arnoldi opera, quæ pari jure ac tres illæ elucubrationes, in hanc editionem recipi debuissent. Placuit eruditis viris, quos in consilium adhibuimus, ut neutris aditus daretur. Computum paschale, quod idem Angli ediderant, eliminare statuerat Baluzius; et cum opera Cypriano adscripta ex editione Oxoniensi excerpsisset, istud de industria omiserat. Eo libentius illius voluntati obsecuti sumus, quod hic libellus nec Cypriano tribui possit, nec cuiquam valde prodesse, ac præterea variarum lectionum sylva et longioribus notis luxuriet, quæ ad institutam hujus editionis rationem accommodari non poterant. Haud equidem numeraverim inter meliora antiquitatis monumenta Confessionem Cypriani, quam editor Oxoniensis latine vulgavit; sed tamen, quia eam Baluzius omittendam non esse judicavit, ac præterea in pretio fuit apud Gregorium Nazianzenum, Eudociam et Photium, non modo illam in hac editione desiderari non passus sum, sed etiam in locum latinæ interpretationis, quam pluribus locis hiulcam, innumeris aliis corruptam Angli dederant, græcum ipsum contextum ex bibliotheca illustrissimi comitis de Seignelay liberaliter suppeditatum, ac novam interpretationem substituere non dubitavi. Spuria opera sic edere instituerat Baluzius, ut habentur in Oxoniensi editione: id quod perspici potest ex his quæ typis, eo adhuc vivente, mandata diximus. Sed, cum viderem ex his monumentis nonnulla esse magni pretii, eaque quo sæpius cum Cypriano edita fuerant, eo plures nævos traxisse, vetustas editiones et antiquos codices mss. quotquot in hac urbe reperiri potuerunt, in subsidium vocavi, eorumque ope et præsidio plurima majorem in modum deformata, præsertim in libro *de Singularitate clericorum*, *Expositione symboli*, et Epistola Celsi *ad Vigilium* in pristinum nitorem restitui. In hoc etiam Baluzii vestigia premere non potui, quod cum suas ille notas post contextum rejecisset, ego varias lectiones margini apposuerim. Sed nec Baluzio notis interdum uberioribus indulgenti, nec mihi in sola contextus emendatione immoranti aliter facere integrum fuit. Ad hanc emendandi contextus operam alia accessit, quam pro facultatis mediocritate, in explananda S. Cypriani doctrina, in rebus illius gestis ad criticæ normam expendendis, navavimus.

I. — CYPRIANI SENTENTIA DE UNITATE ET INFALLIBILITATE ECCLESIÆ.

Quæ ex Cypriani scriptis ad veritatis defensionem eruere aggredimur, ea quo magis perspicua sunt et ad omnium captum accommodata, eo minus cavillando eludi possunt; et quo majorem tertio Ecclesiæ sæculo admirationem habuerunt, eo aptiora videntur ad eos permovendos qui tria Ecclesiæ priora sæcula rejicere non audent. Scribebat Cyprianus doctis pariter et indoctis, ejusque doctrina non tantum in Africæ luce versabatur, sed in Italiam navigabat et ad remotissimas Occidentis Orientisque ecclesias perferebatur. Itaque illius de Ecclesia, de sacramentis, excepta de baptismo hæreticorum quæstione, de Christi divinitate ejusque gratia testimonia, non unius episcopi, nec ecclesiæ unius, sed omnium illius ætatis Catholicorum testimonia existimari debent. Quemadmodum autem unitatis amor inter virtutes Cypriani præcipue enituit, sic in ejus scriptis nihil vehementius commendatur, nihil accuratius defenditur, quam unitas Ecclesiæ. Facile profecto ex ejus dictis tria potissimum perspiciet quisquis non omnem amorem veritatis animo ejecit: 1° Ecclesiam quæ a Christo per Apostolos fundata est, omnibus conspicuam ac visibilem esse; 2° nec perire, nec ullo errore aut schismate corrumpi posse; 3° ita unam esse, ut quæcumque ab ea sectæ discesserunt, ut a vera Ecclesia, ita ab æterna salute alienæ sint.

Nota non erant sancto Martyri invisibilis ecclesiæ commenta, quæ longe recentiore memoria excogitata sunt; sed eam Ecclesiam intelligit in qua zizania cum frumento, vasa fictilia cum aureis et argenteis usque ad diem judicii permista cernentur (*pp.* 65 *et* 74), quæ super Petrum Domini voce fundata « una est et in multitudinem latius incremento fecunditatis extenditur, ac Domini luce perfusa, per orbem totum radios suos porrigit; in qua episcopatus unus est, cujus a singulis in solidum pars tenetur (*de Unit. Eccles.*, *pag.* 195), in qua per temporum et successionum vices episcoporum ordinatio et Ecclesiæ ratio decurrit, ut Ecclesia super episcopos constituatur, et omnis actus Ecclesiæ per eosdem præpositos gubernetur (Epist. XXVII). » In his et aliis ejusmodi locis nulla residet suspicio ecclesiæ invisibilis; neque enim lapsos hortaretur Cyprianus ut Ecclesiæ invisibilis decretis obsequantur, aut confessores ut ad Ecclesiam invisibilem redeant; nec episcoporum successionem habet ecclesia invisibilis, nec per totum orbem radios suos diffundit.

Digitized by Google

Sed, ne quis dicat Ecclesiam primis sæculis hos titulos meruisse, at postea rerum faciem fuisse mutatam, occurrit his calumniis Cyprianus, ac visibilem illam Ecclesiam nullis hominum viribus everti, nullo errore superari, nullo schismate dividi posse contendit. Quid de persecutionibus imperatorum senserit, perspici potest ex libro *de Lapsis*, ubi horrendam illam persecutionem, quam Decius accendit, divino consilio permissam fuisse docet, ut pietatis studium, longa pace refrigeratum, exsuscitaretur; sic etiam persecutionem Galli et Volusiani Romæ prorupisse observat, « ut ad confundendos hæreticos et retundendos ostenderet Dominus quæ esset Ecclesia..., qui essent quos inimicus lacesseret, qui contra quibus diabolus ut suis parceret (*Epist.* LVIII). » Sic de perpetuitate Ecclesiæ sentientem nec hæreses nec schismata terrebant : prædicta hæc sciebat a Christo et Apostolis, nec quemquam mirari debere cum eveniunt (Epist. LV). Nullo autem errore Ecclesiam infici, nullo schismate corrumpi posse pluribus locis declarat, imprimis in libro *de Unitate Ecclesiæ*, ubi sic loquitur (*pag.* 195) : « Adulterari non potest sponsa Christi; incorrupta est et pudica; unam domum novit, unius cubiculi sanctitatem casto pudore custodit...; dicit Dominus : *Ego et Pater unum sumus* : et iterum de Patre et Filio et Spiritu sancto scriptum est : *Et hi tres unum sunt.* Et quisquam credit hanc unitatem de divina firmitate venientem, sacramentis cœlestibus cohærentem, scindi in Ecclesia posse, et voluntatum collidentium divortio separari! » Et paulo post : « Quia Christi populus non potest scindi, tunica ejus per totum textilis et cohærens divisa a possidentibus non est : individua, copulata, connexa, ostendit populi nostri, qui Christum induimus, concordiam cohærentem; sacramento vestis et signo declaravit Ecclesiæ unitatem. Quis ergo sic sceleratus et perfidus, quis sic discordiæ furore vesanus, ut aut credat scindi posse, aut audeat scindere unitatem Dei, vestem Domini, Ecclesiam Christi? » Erat ergo perspectum S. Martyri, quamvis hæreses Ecclesiam oppugnent, quamvis schismata nonnullas illius partes avellant, Ecclesiam tamen suo semper robore stare, nec veritatem, quam Christus illi commisit, ulla hæresi infuscari, aut unitatem schismate corrumpi posse. Hinc inter sectas quæ ab Ecclesia discedunt, et Ecclesiam ipsam tantum ponit discriminis, quantum inter hominum et Dei opus; ac Novatianum stultitiæ arguit, « quod cum sit a Christo una Ecclesia per totum mundum in multa membra divisa, item episcopatus unus multorum episcoporum concordi numerositate diffusus, ille post Dei traditionem, post connexam et ubique conjunctam catholicæ Ecclesiæ unitatem, humanam conetur facere Ecclesiam (Epist. LII). »

Quod ex his principiis necessario sequitur, numquam accidere posse ut justa sit causa ab Ecclesia discedendi, id etiam sæpe a Cypriano docetur : quoscumque enim videbat ab Ecclesia discedere, eos propria sententia damnatos dicebat, ita ut necesse non esset aliud de illis judicium institui. Sic ait (*Epist.* XLIX) Novatum, « qui ejici de Ecclesia et excludi habebat, judicium sacerdotum voluntaria discessione » præcessisse, « quasi evasisse sit pœnam, prævenisse sententiam : » et in libro *de Unit. Eccles.*, *p.* 200. « Aversandus est talis, » inquit, « atque fugiendus quisquis fuerit ab Ecclesia separatus. Perversus est hujusmodi, et peccat et est a semetipso damnatus (Vid. Epist. XL). » Ex his facile perspicitur unam prorsus et individuam esse Christi Ecclesiam, quamvis plures sectæ veram se Ecclesiam Christi esse intendant. Nam plus una esse non potest quæ errore et schismate non possit everti, et a qua sine scelere discedi non possit. Id autem mirifice confirmant omnes Cypriani sententiæ. Ecclesiam « quæ et vivit in æternum et vivificat Dei populum (*p.* 127), » ita unam esse contendit, ut, si apud Novatianum fuit, apud Cornelium non fuisse declaret (*p.* 152). Hinc toties Ecclesia hortus conclusus, fons signatus dicitur, ut in eadem pagina; sponsa Christi, quæ sola filios generare potest, quæque cum Christo individuis nexibus cohæret (*pp.* 63, 108, 140, 147, 195). « Hanc Ecclesiæ catholicæ unitatem de divinæ dispositionis dignatione venientem (*p.* 128), » comparare non dubitat Cyprianus cum unitate Christi (*p.* 132), cum unitate Dei (*p.* 202), cum unitate Trinitatis (*p.* 196).

Atque hic fuit cardo omnium controversiarum quæ sancto Cypriano supervenerunt. Cum Felicissimus et quinque presbyteri nonnullos ex lapsis a Cypriani communione abstraxissent, ac speciosis causis scelus suum prætexerent, quantus dolor exstitit Cypriani in hac animarum sibi creditarum pernicie! quanto charitatis studio hortatur ut vitent lupos qui salutem promittunt, « ne qui deliquit veniat ad salutem; » qui Ecclesiam spondent, dum id agunt, ut qui illis credit « in totum ab Ecclesia pereat (Epp. XXXVIII et XL). » Nihil autem aptius videbatur Cypriano ad eos qui decepti fuerant deterrendos, quam ut eos demonstraret in Ecclesia cum episcopis et plebe Christi communicare non posse, si schismatis duces sequantur. Revera sic impressa erat et insculpta etiam plebeculæ animis hæc doctrina, unam prorsus esse Ecclesiam, nec ab ea discedendi justam causam incidere posse, ut schismatis signiferi spe redeundi in Ecclesiam ducerent et lactarent quos deceperant; sed fraudem nudavit ordinatio Fortunati quem pseudoepiscopum Carthaginensem constituerunt. « Namque ii quibus in præteritum, » inquit Cyprianus (Ep. LV, *p.* 87), « præstigia obtendebantur et dabantur verba fallacia, quod simul ad Ecclesiam regressuri dicerentur, posteaquam viderunt illic pseudoepiscopum factum, frustratos et deceptos se esse didicerunt, et remeant quotidie atque ad Ecclesiam pulsant. » Novatiani factio, ut pietatis pelle nitidior erat quam Felicissimi, ita majorem perniciem traxit : ipsorum etiam confessorum oculos perstrinxit fucatus color; gravavit Cyprianum et contristavit, ut ejus verbis utar (Ep. XLIV), et intolerabilis perculsi pene prostrati pectoris mœstitia perstrinxit, quod semetipsi a Christi grege et ab ejus pace et concordia separassent; quod eos de carcere prodeuntes schismaticus et hæreticus error excepisset (Epist. LI). Non parum profuit his confessoribus Cypriani adhortatio, ut illatum unitati damnum felici reditu repara-

Digitized by Google

rent : nam « cognito suo errore, » ut ait sanctus Cornelius (Epist. XLVI), « ad Ecclesiam unde exierant, simplici voluntate venerunt. » Confessi sunt errorem coram Cornelio et quinque aliis episcopis, et Romano presbytero et ipsa plebe, cujus magnus concursus factus fuerat, declararunt sinceram suam mentem semper in Ecclesia fuisse; neque enim se ignorare « unum Deum esse, et unum Christum esse Dominum, unum Spiritum sanctum, unum episcopum in Ecclesia catholica esse debere. » Si qua tamen secta schismatis notam effugere, et veræ Ecclesiæ pars videri posset, id sibi in primis Novatiani secta vindicaret, ut quæ nec Ecclesiæ dogmata saltem in primordiis, nec exteriorem religionis formam violaret. Sed Cyprianus contendit parvi referre quid Novatianus doceat, « cum foris doceat. Quisquis ille est, » inquit (Epist. LII, *p.* 73), « qualiscumque est, Christianus non est qui in Ecclesia Christi non est. » Idem docet pluribus aliis in locis, præsertim in epistola *ad Magnum*, ubi sic loquitur (*p.* 151) : « Neque enim Dominus noster Jesus Christus, » inquit, « cum in Evangelio suo testaretur adversarios suos esse eos qui secum non essent, aliquam speciem hæreseos designavit, sed omnes omnino qui secum non essent, et secum non colligentes gregem suum spargerent, adversarios suos esse ostendit, dicens : *Qui non est mecum, adversum me est; et qui mecum non colligit, dispergit.* Item beatus Joannes apostolus, nec ipse ullam hæresim aut schisma discrevit, aut aliquos speciatim separes posuit, sed universos qui de Ecclesia exiissent, quique contra Ecclesiam facerent, antichristos appellavit, etc. » Quamobrem declarat S. Martyr ne martyrium quidem extra Ecclesiam a damnatione liberare. « Ardeant licet flammis, » inquit in libro *de Unit. Eccles.* *p.* 199, « et ignibus traditi vel objecti bestiis animas suas ponant, non erit illa fidei corona, sed pœna perfidiæ, nec religiosæ virtutis exitus gloriosus, sed desperationis interitus. Occidi talis potest, coronari non potest. » Eadem sententia sæpe alias occurrit, ut in eodem libro *de Unit.*, *p.* 198, et in Epist. LII, *p.* 71, et in LVII, *p.* 95.

Si quis autem suspicetur Cyprianum amore unitatis longius quam par est efferri, is admonendus est cæteras omnes ecclesias cum Cypriano de his principiis consensisse, quamvis non easdem ac ille consecutiones deducerent, nec baptisma rejicerent hæreticorum. Hoc enim argumento adversarios suos refellebat Cyprianus, quod Spiritum sanctum extra Ecclesiam nec haberi nec dari posse faterentur : « Qui quamquam pertinaces alias et indociles, » inquit (Epist. LXXVI, *p.* 155), « vel hoc tamen confitentur, quod universi sive schismatici sive hæretici, non habeant Spiritum sanctum; et ideo baptizare quidem possunt, dare autem Spiritum sanctum non possunt, in hoc ipso a nobis tenentur ut ostendamus nec baptizare eos omnino posse qui non habeant Spiritum sanctum. » Eodem argumento cum ipse Cyprianus passim utitur, tum etiam Firmilianus (*p.* 147). Perspicuum ergo est et Cypriani testimonio et omnium qui tunc erant Christianorum consensu, inter varias societates quæ sibi christianæ religionis professionem arrogant, unam aliquam esse extra quam salus æterna comparari non potest, sive leviter erretur, sive etiam schismati nullus error addatur; nedum ipsa cum sectis ab ea avulsis in unius communis Ecclesiæ compositionem venire possit. Si quæ enim sectæ ab Ecclesia abscissæ notas et jura veræ Ecclesiæ retineant; frustra veteribus sectis objecta fuit episcoporum successio, et episcopatus per totum orbem unitas; frustra vetus Ecclesia unicam se esse sponsam, numquam errare posse, numquam a se discedendi causam legitimam incidere posse, ac ne martyrium quidem discedentibus ad salutem prodesse contendit. Affingendus ergo impius et crudelis error toti antiquæ Ecclesiæ, vel potius Apostolis, a quibus solis conflari potuit mirificus ille consensus, quem de veræ Ecclesiæ notis inter omnes Christianos conspirasse cernimus.

Mira sunt quæ Dodwello S. Cypriani de unitate sententiam examinanti placuerunt. Statuit enim in his S. Martyris disputationibus « non agi de illius Ecclesiæ unitate quam catholicam hodie dicimus, quæ nimirum omnes ambitu suo per terrarum orbem ecclesias particulares complectitur, sed de ipsis duntaxat ecclesiis particularibus (*Dissert. Cypr.*, 7). » Verissimum quidem illud est quod probat Dodwellus unumquemque episcopum in sua ecclesia principium esse unitatis, eique ab omnibus obtemperari oportere, sed ita tamen, si cum aliis episcopis communicet; secus vero si ab universa Ecclesia discedat : tunc enim principium potius discordiæ et schismatis foret quam unitatis. Atque, ut in Cypriano immoremur, facile demonstratur sic Ecclesiæ unitatem in his disputationibus a S. Martyre defendi, ut Ecclesiæ universalis notio illius animo semper obversetur. Id perspicitur ex ipso testimonio quod Dodwellus ad causæ suæ defensionem ex libro *de Unitate Ecclesiæ* excerpsit : « Quomodo solis multi radii, sed lumen unum » inquit, pag. 195, « et rami arboris multi, sed robur unum tenaci radice fundatum, et cum de fonte uno rivi plurimi defluunt, numerositas licet diffusa videatur exundantis copiæ largitate, unitas tamen servatur in origine. Avelle radium solis a corpore, divisionem lucis unitas non capit. Ab arbore frange ramum, fractus germinare non poterit. A fonte præcide rivum, præcisus arescit. Sic et Ecclesia Domini luce perfusa per orbem totum radios suos porrigit. Unum tamen lumen est, quod ubique diffunditur, nec unitas corporis separatur. Ramos suos in universam terram copia ubertatis extendit, profluentes largiter rivos latius expandit. Unum tamen caput est, et origo una, et una mater fecunditatis successibus copiosa. » Iis verbis, « Ecclesia Domini luce perfusa per orbem totum radios suos porrigit, ramos suos in universam terram copia ubertatis extendit, » non ecclesiæ particularis, sed universalis, sive catholicæ, unitas describitur. Idem confirmant quæ præcedunt, quæque sequuntur. Ante allata verba sic loquebatur Cyprianus : « Quam unitatem firmiter tenere et vindicare debemus, maxime episcopi qui

Digitized by Google

in Ecclesia præsidemus, ut episcopatum quoque ipsum unum atque indivisum probemus. Nemo fraternitatem mendacio fallat, nemo fidei veritatem perfida prævaricatione corrumpat. Episcopatus unus est, cujus a singulis in solidum pars tenetur. Ecclesia quoque una est, quæ in multitudinem latius incremento fecunditatis extenditur. » Post testimonium a Dodwello prolatum, addit Cyprianus : « Illius fœtu nascimur, illius lacte nutrimur, spiritu ejus animamur. Adulterari non potest sponsa Christi; incorrupta est et pudica... Quisquis ab Ecclesia segregatus adulteræ jungitur, a promissis Ecclesiæ separatur : nec perveniet ad Christi præmia qui relinquit Ecclesiam Christi. Alienus est, profanus est, hostis est. Habere jam non potest Deum patrem qui Ecclesiam non habet matrem. Si potuit evadere quisquam qui extra arcam Noe fuit, et qui extra Ecclesiam foris fuerit evadit. » Lepidus ergo Cypriani interpres Dodwellus, qui sibi particularem ecclesiam fingit, ubi S. Martyr unum toto orbe episcopatum commendat. Quid, cum lapsis declarat in Epist. XL, si quis cum Felicissimo se conjunxerit, eum « postea ad Ecclesiam redire, et cum episcopis et plebe Christi communicare non posse; » cum confessores hortatur in Epist. XLIV, ut ad Ecclesiam redeant; eisque post reditum gratulatur in Epist. LI : « Quod Ecclesiæ veritas et evangelici sacramenti unitas, quæ a nobis tenebatur, » inquit, eorum « etiam consensu ac vinculo necteretur; » num de ecclesiis particularibus, nulla habita unitatis inter omnes ecclesias constitutæ ratione, videtur disseruisse?

Nihil magis adversarium Dodwello, quam Cypriani de episcopi singularitate principium, quod tamen sibi maxime favere, existimat. Numquam enim catholicæ Ecclesiæ unitatem accuratius defendit Cyprianus, quam cum unum in singulis ecclesiis episcopum esse debere contendit. Cum Novatianus Romæ episcopatum invasisset, ac per emissarios suos idem facinus in aliis civitatibus tentasset, hoc argumento illius fautores refellit Cyprianus, quod cum is solus episcopus sit, cujus episcopatus ab aliis collegis confirmatur et agnoscitur, si quis in ejus locum irruere audeat, nullam cum episcopis Ecclesiæ catholicæ communionem habere possit, ac proinde foris relictus pereat. « Factus est autem Cornelius, » inquit in Epist. LII, pag. 68, « episcopus de Dei et Christi ejus judicio, de clericorum pene omnium testimonio, de plebis quæ tunc affuit suffragio, et de sacerdotum antiquorum et bonorum virorum collegio, cum nemo ante se factus esset, cum Fabiani locus, id est, cum locus Petri et gradus cathedræ sacerdotalis vacaret; quo occupato de Dei voluntate, atque omnium nostrum consensione firmato, quisquis jam episcopus fieri voluerit, foris fiat necesse est, nec habeat ecclesiasticam ordinationem qui Ecclesiæ non tenet unitatem. » Eodem modo demonstrat episcopos a Novatiano in aliis civitatibus constitutos, non Christi Ecclesiæ episcopos esse, sed humanæ Ecclesiæ : « Nisi si episcopus tibi videtur, » inquit in eadem epistola, p. 73, « qui episcopo in Ecclesia a sedecim coepiscopis facto, adulter atque extraneus episcopus fieri a desertoribus per ambitum nititur, et cum sit a Christo una Ecclesia per totum mundum in multa membra divisa, item episcopatus unus episcoporum multorum concordi numerositate diffusus, ille post Dei traditionem, post connexam et ubique conjunctam catholicæ Ecclesiæ unitatem humanam conetur Ecclesiam facere, et per plurimas civitates novos apostolos suos mittat, ut quædam recentia institutionis suæ fundamenta constituat; cumque jampridem per omnes provincias et per urbes singulas ordinati sint episcopi in ætate antiqui, in fide integri, in pressura probati, in persecutione proscripti, ille super eos creare alios pseudoepiscopos audeat. » Hinc contendit, etiamsi legitime fuissent ordinati, eos tamen pro legitimis episcopis agnosci non posse, quia ab Ecclesia catholica discesserunt : « Episcopatum autem, » inquit, « tenere non posset, etiamsi episcopus prius factus a coepiscoporum suorum corpore et ab Ecclesiæ unitate desciscceret. »

II. — REFELLUNTUR QUI EPISCOPOS APUD CYPRIANUM JURE DIVINO A PRESBYTERIS DISTINGUI NEGANT.

Quamvis episcopatus jura non possint accuratius defendi, quam a Cypriano defenduntur, non defuerunt tamen qui ex nonnullis ejus verbis ansam arriperent calumniandi. Quod enim S. Martyr clerum interdum in duos ordines dividere videtur, nempe in sacerdotes et ministros, ac *sacerdotis* ac *præpositi* nomina cum ipsis presbyteris communicat, velut in Epist. LXV, LXVIII, LXXII et in libro *de Lapsis*, inde Salmasius et Blondellus concludunt presbyteros ab episcopis non jure divino, non diverso sacerdotii gradu esse distinctos. Si ejusmodi ratiuncula valeret, pari jure concludi posset ne diaconos quidem et alios minores clericos a presbyteris et episcopis jure divino distingui; sæpe enim Ecclesia dividitur in clerum et plebem. Quod si diaconi et minores clerici cum presbyteris et episcopis clero comprehenduntur, quid mirum si presbyteris, qui Eucharistiam consecrant et potestatem habent ligandi et solvendi, *sacerdotis* et *præpositi* nomina cum episcopis communia sunt? Presbyteris quidem Cyprianus plurimum semper habuit honoris, et cum nihil agere soleret sine consilio cleri, ut ipse testatur in Epist. VI, non dubium quin presbyteris, utpote cum ipso sedentibus, magnam auctoritatem attribuerit. At sacerdotii gradum a presbyteris distinctum sibi vindicat. Queritur in Epist. XI, quod quidam de presbyteris, nec Evangelii memores, « nec episcopo honorem sacerdotii sui et cathedræ reservantes, » jam cum lapsis communicare cœpissent. Alius ergo in episcopis ac in presbyteris sacerdotii gradus, ac proinde episcopi a presbyteris distinguuntur non solum auctoritate et cathedra, sed etiam ordine et charactere. Hanc autem sacerdotii distinctionem ab ipso Christo institutam fuisse ex pluribus Cypriani locis perspicitur : « Dominus noster, » inquit in Epist. XXVII, p. 37, « cujus præcepta et monita observare debemus, episcopi honorem et Ecclesiæ suæ rationem disponens in Evangelio loquitur et dicit Petro : *Ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super istam petram ædificabo Ecclesiam meam, et*

Digitized by Google

portæ inferorum non vincent eam: et tibi dabo claves regni cœlorum; et quæ ligaveris super terram erunt ligata et in cœlis, et quæcumque solveris super terram erunt soluta et in cœlis. Inde per temporum et successionum vices episcoporum ordinatio et Ecclesiæ ratio decurrit, ut Ecclesia super episcopos constituatur et omnis actus Ecclesiæ per eosdem præpositos gubernetur. Cum hoc itaque divina lege fundatum sit, » etc.

Multa hic observanda ex quibus S. Martyris sententia mirifice enitescit: 1° declarat episcopos successisse Apostolis. Sic etiam in Epist. XLII, « unitatem a Domino et per Apostolos nobis, » inquit, « successoribus traditam » docet. Vid. Epist. LXIX. Idem docet Firmilianus in Epist. ad Cyprianum, pag. 148, episcopos Apostolis « vicaria ordinatione » successisse. Sic etiam in concilio Carthaginensi, cui præerat Cyprianus, Clarus a Mascula, « Apostolis, » inquit (pag. 337), « nos successimus eadem potestate Ecclesiam Domini gubernantes et credentium fidem baptizantes. » 2° Ordinationem episcopalem a Christo institutam et divina lege fundatam pronuntiat Cyprianus. Quamvis enim ordinatus presbyter in hoc gradu aliquamdiu ministrasset, probe tamen sciebat sibi ad episcopalem gradum vocato aliam ordinationem opus fuisse. Nemo his temporibus meminerat quod Salmasius et Blondellus primis sæculis usurpatum fuisse finxerunt, ut, mortuo episcopo, sine nova ordinatione succederet antiquior presbyter, vel forte qui dignior videbatur, ut placet Blondello. Nec ipsi quidem schismatici, etsi ad omne facinus paratissimi, presbyteros ad episcopatum sine ordinatione ausi sunt promovere. Probe sciebat Novatianus presbyter ne simulacrum quidem episcopatus sine nova ordinatione occupari posse, cum tres episcopos quos ex vilissima Ecclesiæ parte per dolum acciverat, inclusos hora decima, temulentos et crapula oppressos, adumbrata quadam et inani manuum impositione episcopatum sibi tradere per vim cogeret (Euseb., *Hist.*, lib. VI, c. 43). 3° Ex his etiam perspicitur episcopos a solo Christo potestatem Ecclesiæ gubernandæ accepisse. Hinc toties apud Cyprianum « Dominus sacerdotes sibi in Ecclesia sua eligere et constituere » dicitur, p. 59: hac ratione Cyprianus Cornelii episcopatum « de Dei, qui sacerdotes facit, voluntate susceptum » defendit (Epist. LII, p. 68 et 69). Vid. Ep. LV, p. 82, et Ep. LXV, p. 113, Ep. LXIX, p. 121. Ex hac episcopatus notione oriebatur summa Cypriani constantia in gubernanda et defendenda ecclesia sua, cui cum se judicem ad tempus a Deo datum esse sciret (pag. 122), « commissa divinitus castra fideli virtute » servabat (p. 141). Impressa erat aliorum Africæ episcoporum animis hæc sententia: « Si maritus peregre proficiscens, » inquit Venantius a Timisa, in concilio Carthag., p. 335, « amico suo commendasset uxorem suam custodiendam, commendatam sibi ille quanta posset diligentia conservaret, ne ab aliquo castitas ejus et sanctitas adulteraretur. Christus Dominus et Deus noster ad Patrem proficiscens sponsam suam nobis commendavit. »

Nescio quod sacerdotium Rigaltius et Baluzius diaconis affingunt in suis observationibus ad hæc Cypriani verba: « Item presbyteris et diaconibus non defuit sacerdotii vigor (Epist. XV). » Cyprianus hoc loco sacerdotii vigorem nequaquam presbyteris illis et diaconibus attribuit, sed potius a se in illis objurgandis adhibitum demonstrat; idque ex his quæ sequuntur atque ex totius epistolæ serie perspicitur. Neque huic Rigaltii et Baluzii opinioni favet quod Cyprianus absens in Epist. XIII decernit, « ut qui libellos a martyribus acceperunt, et prærogativa eorum apud Deum adjuvari possunt, si incommodo aliquo et infirmitatis periculo occupati fuerint, non exspectata præsentia nostra, inquit, apud presbyterum quemcumque præsentem, vel si presbyter repertus non fuerit, et urgere exitus cœperit, apud diaconum quoque exomologesin delicti sui facere possint; ut, manu eis in pœnitentiam imposita, veniant ad Dominum cum pace quam dari martyres litteris ad nos factis desideraverunt. » Non immorabor in hac explicanda difficultate, quæ nimium arcte cum sequentibus sæculis conjuncta est, quam ut hoc loco examinari possit. Sed ut a Cypriano non discedam, unum est quod observatum velim, nequaquam ab illo hanc provinciam diaconis committi, ut peccatorum confessionem excipiant et pœnitentiam imponant. Hæc enim fuit illis temporibus disciplina, ut nemo ad pacem admitteretur ne in extremo quidem discrimine, nisi qui ante morbum peccata confessus fuisset, ac pœnitentiam postulasset, ut testatur Cyprianus in Epist. LII. Quamobrem præscripta apud diaconum exomologesis in mortis articulo, non erat peccatorum confessio, quæ apud sacerdotes antea fieri debuerat, nec proinde cum diaconis communicatum fuit pœnitentiæ imponendæ munus. Quod autem ab eruditis viris jamdudum observatum est, duplicem esse exomologesin, id confirmatur ex Cypriani epistolis in lapsorum causa scriptis; in primis ex Ep. XII, ubi ait exomologesin fieri « inspecta vita ejus qui agit pœnitentiam. » Ex quo patet exomologesin, quam absolutio proxime sequebatur jam probata et satis spectata lapsi pœnitentia, distingui debere a confessione peccatorum pœnitentiam ipsam præcedente.

III. — PRIMATUS ECCLESIÆ ROMANÆ A S. CYPRIANO SEMPER AGNITUS.

Sic episcoporum jura defendit Cyprianus, ut legitimum Romanæ Sedis primatum agnoscat. In dissensione quam habuit cum Stephano, sæpe questus est quod Stephanus primatu suo nimium confideret, sed de ipsius auctoritate litem non movit. Sic enim tacito nomine Stephanum perstringit in Epist. LXXI: « Sed nec Petrus, inquit, quem primum Dominus elegit et super quem fundavit Ecclesiam suam, cum secum Paulus de circumcisione postmodum disceptaret, vindicavit sibi aliquid insolenter aut arroganter assumpsit, ut diceret se primatum tenere et obtemperari a novellis et posteris sibi potius oportere: » sic etiam Firmilianus juste indignari se

Digitized by Google

dicit in Stephanum (pag. 148) quod qui « sic de episcopatus sui loco gloriatur, et se successionem Petri tenere contendit, super quem fundamenta Ecclesiæ collocata sunt, multas alias petras inducat, et ecclesiarum multarum nova ædificia constituat, dum esse illic Baptisma sua auctoritate defendit. » Et paulo post : « Stephanus, qui per successionem cathedram Petri habere se prædicat, nullo adversus hæreticos zelo excitatur. » Agnoscit ergo Firmilianus in Stephano altiorem quemdam dignitatis gradum, et dum in eo congruens dignitati studium fidei desiderat, Petri primatum fatetur successione ad illum pervenisse. Petri ejusque successorum primatum sæpe alias commendavit Cyprianus : « Petrus tamen, » inquit pag. 123, « super quem ædificata ab eodem Domino fuerat Ecclesia, unus pro omnibus loquens et Ecclesiæ voce respondens ait : *Domine, ad quem ibimus?* » Vid. pag. 123. « Una Ecclesia a Domino super Petrum origine unitatis et ratione fundata, » p. 125. « Nam Petro super quem ædificavit Ecclesiam, et unde unitatis originem instituit et ostendit, potestatem istam dedit ut id solveretur in cœlis quod ille solvisset in terris. Et post resurrectionem quoque ad Apostolos loquitur, dicens : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos,* » etc. (Epist. LXXIII, pag. 131 : vid. pag. 148 et 250). Sed præcipue considerandus nobis est insignis locus ex libro *de Unitate Ecclesiæ*, pag. 195 : « Loquitur Dominus ad Petrum : *Ego tibi dico*, inquit, *quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferorum non vincent eam ; et tibi dabo claves regni cœlorum ; et quæ ligaveris super terram, erunt ligata et in cœlis, et quæcumque solveris super terram, erunt soluta et in cœlis.* Et iterum eidem post resurrectionem suam dicit : *Pasce oves meas ;* super illum unum ædificat Ecclesiam suam, et illi pascendas mandat oves suas, quamvis Apostolis post resurrectionem suam parem potestatem tribuat et dicat : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos ; accipite Spiritum sanctum ; si cujus remiseritis peccata, remittentur illi ; si cujus tenueritis, tenebuntur* : tamen, ut unitatem manifestaret, unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit. Hoc erant utique et cæteri Apostoli quod fuit Petrus, pari consortio præditi et honoris et potestatis ; sed exordium ab unitate proficiscitur, ut Ecclesia Christi una monstretur. »

Hoc testimonium ita protuli ut habetur in hac Baluzii editione, sed Cypriani verba aliter leguntur in editionibus Manutii ac Pamelii, in quibus post hæc verba, « ut unitatem manifestaret, » additur, « unam cathedram constituit : » sic etiam post hæc verba, « exordium ab unitate proficiscitur ; » habent editiones illæ, « Et primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia et cathedra una monstretur. Et pastores sunt omnes et grex unus ostenditur qui ab Apostolis omnibus unanimi consensione pascatur, ut Ecclesia Christi una monstretur... : qui cathedram Petri, super quem fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse confidit! » Hæc in contextum irrepsisse Baluzius existimavit, cujus de sententia ac rationibus eruditorum erit judicium ; sed observatum velim, si ea retineantur quæ Oxoniensis editor et Baluzius expunxerunt, nihil affuturum quod non cum Cypriani doctrina optime quadret ; sin autem recidantur, reliquas testimonii hujus partes satis per se habituras momenti ad primatum Ecclesiæ Romanæ. Hospes sane et peregrinus sit in Cypriani doctrina, si quis miretur Petro primatum ab eo attribui, et unum gregem ac unam cathedram adstrui, cum tot locis eumdem primatum defendat, ac unum gregem, unum episcopatum et, nominatim in Epist. XL, unam cathedram commendet. Non magis mirandum quod in Ecclesia non esse pronuntiet nefarios illos schismaticos, qui hoc uno episcopatu conculcato, hac una cathedra, quæ super Petrum fundata est, deserta, humanam prorsus ecclesiam instituere tentabant. Non erat ergo cur Cypriani testimonium ab his verbis editor Oxoniensis, velut a quodam, ut ipse appellat, veneno purgasse sibi videretur. Quinetiam, quæ ab illo editore in hoc testimonio et ab omnibus admittuntur, satis per se valent ad primatum demonstrandum. Illud 1° perspicitur in hoc Cypriani loco et in pluribus aliis, principium unitatis sine primatu esse non posse. Quis enim ei primatum deneget, a quo incipit unitas, et per quem Ecclesia una monstratur ? 2° Quemadmodum post Petrum non desiit unitas, ita nec primatus et principium unitatis, quod Christus auctoritate sua disposuit, quod eo consilio instituit, ut Ecclesia una monstretur. Necesse est igitur ut unitatem, ita principium et vinculum unitatis in Ecclesia perseverare ; unde existimari potest quanti fecerit Ecclesiam Romanam Cyprianus, quam arcte affixus fuerit principio unitatis, qui tanto unitatis amore accensus erat. Hinc illius indignatio (pag. 86) quod schismatici ausi fuissent « ad Petri cathedram atque ad Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est, navigare. » Dictitant adversarii nostri primatum Ecclesiæ Romanæ defendi a Cypriano, non quod juris quidquam in alias ecclesias haberet, sed quia sedes erat et domicilium Imperii. Sed nihil absurdius hoc commento, nec quisquam sibi persuadebit Cyprianum, cujus in omnibus scriptis et factis spirat unitatis amor, aut primatum illi ecclesiæ denegasse, ex qua sacerdotalem unitatem ortam fatebatur, aut propter urbis potentiam et magnitudinem detulisse, non propter unitatis principium. Hunc primatum sibi Ecclesia Romana, repugnante nemine, vindicabat : quamvis Clerus Romanus, Sede vacante, non omnem sibi auctoritatem sumeret, sed difficiliora quæque, in his lapsorum causam, ad electionem episcopi integra servaret, non tamen idcirco intermissus erat primatus. « Salutant vos fratres », inquit ille clerus (Epist. III, inter Cyprianicas), « qui sunt in vinculis, et presbyteri et tota Ecclesia, quæ et ipsa cum summa sollicitudine excubat pro omnibus qui invocant nomen Domini. » Hinc litteræ ejusdem cleri, quæ de lapsis agebant, in totum orbem terrarum missæ fuerunt, ut testatur Cyprianus *Ep.* LII.

Sed in hoc Cypriani loco Fellus et Simon Goulartius contendunt par consortium honoris et potestatis inter Apostolos eorumque successores penitus pugnare cum primatu ; observat Fellus in not. ad Epistolam LV,

Digitized by Google

beato illo martyre judice pro desperatis et perditis habendos esse quibus minor videtur auctoritas episcoporum in Africa, quam vel Cornelii ipsius in Petri cathedra Romæ sedentis. »

Si qua fieret præjudicatarum opinionum intermissio, nihil facilius foret, quam Cypriani sensum callere et primatum cum pari consortio honoris et potestatis conciliare. Nemo nescit Cyprianum Africæ et Numidiæ ac Mauritaniæ præfuisse : parem tamen potestatem episcopi illarum provinciarum a Christo acceperant, hoc erant utique quod Cyprianus, pari consortio præditi et honoris et potestatis ; sed his præerat Carthaginensis episcopus. Quod si Cyprianus, dum par consortium honoris et potestatis inter episcopos agnoscit, non idcirco delatam sibi jure ecclesiastico auctoritatem abjecit, cur Petrum ejusque successores auctoritate ab ipso Christo tradita spoliasse videatur? Luce clarior est ejus sententia ; demonstrat unitatem tanti visam esse Christo, ut quamvis Apostolis parem potestatem attribueret, unum tamen aliis præesse vellet : itaque hoc erant Apostoli quod fuit Petrus, sed excepto primatu. Jacobus et Joannes parem potestatem acceperant ac Petrus, sed Christus unitatem nec a Jacobo nec a Joanne incipere voluit ; soli Petro hunc detulit honorem.

Ex his etiam illustrari potest alius Cypriani locus ab iisdem adversariis decantatus. « Episcopatus unus est cujus a singulis in solidum pars tenetur, » inquit ibidem Cyprianus in libro *de Unit. Eccles.* Sæpe alias declarat Cyprianus, etsi « singulis pastoribus portio gregis adscripta est, etsi pastores multi » sunt, « unum tamen gregem » eos pascere, « et oves universas quas Christus sanguine suo et passione quæsivit colligere et fovere » debere, « et idcirco copiosum corpus » esse « sacerdotum concordiæ mutuæ glutino atque unitatis vinculo copulatum, ut si quis ex collegio eorum hæresim facere et gregem Christi lacerare et vastare tentaverit, subveniant cæteri, et quasi pastores utiles et misericordes oves Dominicas in gregem colligant (pp. 86 et 116). » Sed copiosus ille sacerdotum numerus in pascendis ovibus conspirans non modo nihil detrahit primatui, sed etiam ducem et auctorem necessario postulat ; alioqui summa esset futura omnium rerum perturbatio. Debent episcopi pro suo unitatis studio in rebus majoris momenti mutuas sibi operas tradere, debent in damnandis hæresibus auctoritatem et consilia consociare ; sed quis neget in ejusmodi rebus præcipuas illius partes esse debere a quo « incipientem unitatis originem » Christus « sua auctoritate disposuit. »

IV. — DE DISSENSIONE S. CYPRIANI CUM S. STEPHANO. — NULLUM BAPTISMA PROBATUM STEPHANO, NISI QUOD EX PRÆSCRIPTA A CHRISTO FORMA DATUM ESSET.

Cum S. Cyprianus in litteris quæ de baptismo hæreticorum scriptæ sunt, multa de adversariis suis dicat, aut ab eis dicta referat, non parvi interest ad ejus illustranda testimonia, quid S. Stephanus et alii Cypriani adversarii senserint, exponere. Stephanum erroris accusarunt etiam e Catholicis plurimi, eumque omnium hæreticorum baptisma comprobasse volunt, etiam eorum qui formam a Christo præscriptam non servabant. Quin etiam Launolus Cyprianum sic defendit, ut ipsi antiquitatem magis quam adversariis favere existimet, « rem istam », ut ullius verbis utar, « non esse fidei, sed disciplinæ » pronuntians (tom. VIII, p. 656). Demonstrare conabor Stephanum nihil aliud docuisse, quam quod postea omnium consensu stabilitum est, atque hanc illius doctrinam non antiquitati contrariam esse, sed e media Apostolorum traditione dimanasse.

Amisimus scriptas a Stephano papa epistolas de baptismo hæreticorum ; sed quæ Cyprianus ex epistola ad se scripta refert, ea omnem sancti pontificis accusandi ansam præcidunt. Sic enim loquebatur Stephanus in epistola *ad Cyprianum* : « Si quis ergo a quacumque hæresi venerit ad nos, NIHIL INNOVETUR, NISI QUOD TRADITUM EST, ut manus illi imponatur in pœnitentiam ; cum ipsi hæretici proprie alterutrum ad se venientes non baptizent, sed communicent tantum. » Perabsurde Rigaltius detorquet illud proprie ad eos « qui proprie ob propriam aliquam causam dicuntur hæretici. » Liquet hanc vocem referri ad ea quæ sequuntur, ita ut hæretici dicantur proprie non baptizare, sive proprio baptismo non imbuere alterutrum ad se venientes ; quale est illud Horatii, « difficile est proprie communia dicere. » Verborum autem Stephani duæ tantum videntur afferri posse sententiæ. Vel enim ait hæreticos suum quemque proprium habere baptisma, sed tamen eo non imbuere alterutrum ad se venientes : vel hoc statuit, hæreticos proprium sibi non arrogare baptisma, quo venientes ad se baptizent, sed commune et in sua et in aliis sectis revereri. Prima interpretatio stare non potest, altera explorata et perspicua. 1° Repugnaret omnino illa hæreticorum in baptizando varietas, et in aliorum probando ac retinendo baptismate consensus. Cur enim unaquæque secta proprium sibi et ab aliis discrepantem baptismum instituisset, nisi quia et Ecclesiæ et sectarum baptismus parum ad salutem idoneus videretur? Quamobrem novum baptismum instituentibus consentaneum erat aliorum baptisma rejicere. 2° Hæreticos hoc loco Stephanus Cypriano ad imitandum proponit. Etsi enim uterque de baptismo magnifice sentiebat, uterque tamen exiliter sentire alteri videbatur. De Baptismi sanctitate et majestate detrahi existimabat Cyprianus, si datus ab hæreticis valeret ; Baptismo injuriam Stephanus fieri putabat, si vel in ipsis hæreticis rejiceretur. Cum ergo hæreticos ad imitandum proponit, necesse est ut in eis aliquid laudet, quod ad Baptismi commendationem valeat. At, si hæretici præscriptam a Christo formam in baptizando violassent, nec tamen dubitasset « dissimile aliorum baptisma comprobare, hæc agendi ratio hominum fuisset Baptisma, ut inutilem et exilem cæremoniam, flocci facientium. 3° Ad illustrandam Stephani sententiam accedunt Firmiliani et Cypriani testimonia. « Stephanus in epistola sua dixit, inquit Firmilianus, hæreticos quoque ipsos in Baptismo convenire. » Cyprianus, postquam verba Stephani retulit, hæc addit in Ep. LXXIV. « Et cum singulæ hæreses singula baptismata et diversa peccata habeant ; hic cum omnium Baptismo communicans, universo-

Digitized by Google

rum delicta in unum suum congessit. » Opponit Cyprianus Stephani principio aliud principium, et singulas hæreses singula habere baptismata contendit, quia Stephanus unum et commune baptisma apud hæreticos esse statuerat. Nec tamen Cyprianus idcirco tot baptismata numerat quot sunt hæreses, quod singulæ hæreses Baptismi formam immutassent; nemo enim id suspicabitur; sed quia singulæ sunt unum veluti corpus ab aliis sectis et ab Ecclesia separatum.

Launoius et post eum auctor *Bibliothecæ Scriptorum ecclesiasticorum* objiciunt perpaucos tunc exstitisse hæreticos qui in nomine trium Personarum baptizarent; quamobrem omnes omnino hæreticos Stephano probari, in his Marcionitas, ut ei exprobrant Firmilianus ac Cyprianus. Sed veterum hæreticorum instituta Stephano, Cypriano et Firmiliano notiora erant, quam recentibus scriptoribus. At inter Stephanum, ac Cyprianum et Firmilianum generatim convenit, ut modo vidimus, hæreticos proprium sibi baptismum non habere. Ergo perpauci excipi possunt, qui communem baptizandi formam perverterint. Testes ejusdem sententiæ citari possunt Clemens Alexandrinus et Tertullianus; quorum primus (*Strom.* I, pag. 317) hæreticorum baptisma in Scripturis aquam alienam appellari observat, nec tamen hanc causam affert quod Baptismi administrandi normam corruperint, sed quod alieni sint ab Ecclesia. Similiter Tertullianus (libr. *de Baptismo*, cap. 15) hæreticorum baptismum non eo nomine rejicit, quod illius administrandi ritum a Christo præscriptum immutassent, sed quia « nullum habent consortium disciplinæ nostræ, quos extraneos utique testatur ipsa ademptio communicationis. » Ad hæc etiam accedit Augustini testimonium, qui in libro VI *de Bapt.*, c. 25, sic loquitur : « Quis nesciat non esse Baptismum Christi, si verba evangelica quibus symbolum constat illi defuerint? Sed facilius inveniuntur hæretici qui omnino non baptizent, quam qui illis verbis non baptizent. »

Frustra Launoius Augustini testimonium de æqualibus S. Doctoris hæreticis accipiendum esse, de antiquioribus autem aliter judicandum putat. Nam quod quarto et quinto Ecclesiæ sæculo animadvertit Augustinus, id potiori jure de secundo et tertio asseverari potest. Neque enim defuerunt hæreses quæ, cum in sectæ primordiis communem baptizandi normam secutæ essent, eam postea immutarent, ut suorum ad Ecclesiam catholicam reditum majori difficultate obstruerent. Id de Encratitis nominatim testatur Basilius can. 1. Quamquam ne illi quidem præscriptam a Christo formam pervertebant, sed cæremonias quasdam aut adjecisse videntur aut detraxisse. Sic enim de illis Basilius can 47 : « Ne dicant : In Patrem et Filium et Spiritum sanctum baptizati sumus. » Quinetiam eorum baptismum non improbat ratum haberi, si qua inde major utilitas accedat. Atque ipse, can. 1, testatur fratres Zoïn et Saturninum susceptos a se fuisse in cathedra episcoporum, cum ab hac hæresi redirent. Sed si Encratitæ communes ritus initio secuti fuerant et cum novi aliquid inducere voluerunt, non tamen præscriptam a Christo formam violare ausi sunt; an dubium quin Marcionitæ et alii ejusmodi, quibuscum erat cum Encratitis finitima vicinitas, baptismum in Ecclesia catholica usurpatum retinuerint. Porro Marcionem id nomine trium Personarum baptizasse testis est locuples Cyprianus, qui ejus baptismum hoc argumento rejicit, quod non eamdem Trinitatem agnoscat ac Catholici : « Numquid hanc Trinitatem Marcion tenet? » inquit in *Epist. ad Jubai.*, pag. 131. « Numquid eumdem asserit quem et nos Patrem creatorem? Numquid eumdem novit Filium Christum de Maria virgine natum? » Fatebatur ergo Cyprianus tres Personas ab hæreticis in Baptismo nominari, ac eo redactus erat, ut Trinitatem hæreticos non eodem modo ac Catholicos interpretari diceret. Simili ratione Firmilianus Gnosticorum et Montanistarum baptisma rejicit, quia primi non eumdem Patrem ac Catholici, Montanistæ non eumdem Spiritum sanctum agnoscebant. Marcionem sic premit Tertullianus argumentis ex baptismo petitis, ut facile pateat communem baptizandi ritum ab hoc hæretico mutatum non fuisse. Quærit enim lib. I, c. 28, quomodo regeneret deus Marcionis qui non generavit; quomodo Spiritum attribuat in baptismo, qui animam non prius contulit; cur lavet hominem numquam apud se inquinatum, et in hoc totum salutis sacramentum carnem mergat exortem salutis. Narrat Epiphanius pag. 230, « non unum baptisma (apud Marcionitas) sed tria post delictum concedi, pro mortuis illorum catechumenis alios baptizari, ac mulieribus baptismi conferendi facultatem committi; » sed violatæ baptismi formæ Marcionem non accusat. Valentini quoque et Apellis baptismum Stephanus ratum habuisse dicitur. Sed id ex ejus principiis sequebatur. Nam, cum certo teneret, ut ei exprobrat Firmilianus, Baptismum administrari « invocata trinitate nominum Patris et Filii et Spiritus sancti, » neminem prorsus excludere debuit, quem ab hac baptizandi norma non discedere constaret. Quod si ipse Marcion, qui impietate omnes superavit, in nomine trium Personarum baptizabat, non video cur non idem de Apelle et Valentino credatur. Cyprianus hoc unum ejusmodi hæreticis objicit, quod non eumdem Patrem ac Catholici, eumdem Filium, eumdem Spiritum sanctum eamdemque Ecclesiam confiteantur; ac Patripassianos, Anthropianos, Valentinianos, Apelletianos, Ophitas Marcionitis adjungit, Ep. *ad Jubai.*, p. 130. Marcus inter Valentini sectatores celeberrimus in consecrando pane et vino omnia invocationis verba pronuntiabat, ut testatur Irenæus lib. I, cap. 12; cæteri ejusdem generis hæretici Eucharistiam ex more Ecclesiæ celebrabant. Hinc eos provocat Irenæus lib. IV, cap. 18, ut « aut sententiam mutent, aut abstineant offerendo quæ prædicta sunt. » Non verisimile est quibus religio erat a consueta Eucharistiæ celebrandæ forma discedere, eos in Baptismi ritibus ne id quidem retinuisse quod Christus nominatim præscripserat. Multa sane in Baptismi cæremonias impia et absurda induxerunt plerique Gnostici. Sed, ut observat Augustinus (lib. VI *de Baptismo*, n. 47), « certa illa evangelica verba sine quibus non potest Baptismus consecrari, tantum va-

Digitized by Google

lent ut per illa sic evacuentur quæcumque in prece vitiosa contra regulam fidei dicuntur; et si malus atque perversus in aliquibus perversam precem afferat, adest Deus evangelicis verbis suis, sine quibus Baptismus Christi consecrari non potest, et ipse sanctificat sacramentum suum. » Cum Augustino consentit Stephanus, qui, ut refert Firmilianus, dicebat « iis qui apud hæreticos baptizantur adesse præsentiam et sanctimoniam Christi. » Quod autem spectat ad eos qui aut aquam non adhibebant, aut non ut Christus præscripsit, baptizabant (quales exstitisse nonnulli videntur inter Gnosticos ethnici magis quam hæretici), non dubium quin eos sine Baptismo Stephanus in Ecclesiam non admisisset. Nonnulli autem sic Baptismi verba immutabant, ut tamen retinere et exprimere vellent, quales erant qui baptizabant « in nomen incogniti patris omnium, in veritatem matrem omnium, in descendentem in Jesum » (Iren. lib. I, cap. 21, n. 3). Sed de ejusmodi hæreticis adeo nulla fuit controversia, ut Cyprianus et Firmilianus interrogationes ipsas, quales in Ecclesia fieri solebant, ab hæreticis servari testentur, pag. 131, 145, 154. Ad hæc Cypriani et Firmiliani testimonia accedit auctoritas non solum Augustini, Vincentii Lirinensis et Facundi, qui minime dubitarunt quin communem Ecclesiæ sententiam Stephanus defendisset; sed etiam Dionysii Alexandrini et Eusebii, quorum primus sic ad Stephanum et de Stephano scripsit, ut in eo leniorem tantummodo sententiam, et quamdam, ut in re nondum omnium consensu decisa, accommodationem desideraret; alter vero antiquam traditionem ab eo defensam fuisse testatur, *Hist.* lib. VII, c. 3.

V.—3. CYPRIANUS SENTENTIAM ADVERSARIORUM MINUS INTELLEXIT. — DE BAPTISMO IN CHRISTI NOMINE.—STEPHANI SENTENTIA ORTA AB APOSTOLIS.

Sed duo nobis supersunt explicanda, utrum Stephanus hæreticorum baptismo non solum characterem imprimi, sed etiam peccata dimitti existimaverit; utrum satis esse duxerit in Christi nomine baptizare, nulla Patris et Spiritus sancti facta mentione. Cyprianus et Firmilianus sic semper adversarios refellunt, quasi isti peccata ab hæreticis baptizantibus dimitti contenderent. « Dat honorem Deo, inquit Cyprianus (Ep. LXXIV) qui apud eos qui in Deum blasphemant, remissionem peccatorum dari judicat? » Et Firmilianus (Ep. LXXV) : « Stephanus, inquit, et qui illi consentiunt, contendunt dimissionem peccatorum, et secundam nativitatem in hæreticorum baptisma posse procedere, apud quos etiam ipsi confitentur Spiritum sanctum non esse. » Et infra, « dicunt eum qui quomodocumque foris baptizatur mente et fide sua gratiam consequi posse. » In Epistola a Jubaiano ad Cyprianum missa, quam Stephani esse Pamelius et Baronius existimant, scriptum erat, « quod quærendum non sit quis baptizaverit, quando is qui baptizatus sit, accipere remissam peccatorum potuerit secundum quod credidit. » Difficile non fuit Cypriano et Firmiliano in ea opinione, quam adversariis suis affingunt, manifestam pugnam demonstrare. Perabsurdum enim est ut remissionem peccatorum consecutus esse dicatur qui nondum accepit Spiritum sanctum, et Christum in Baptismo induisse in quo nondum habitat Spiritus sanctus. Sed videntur summi illi viri Cyprianus et Firmilianus minus accurate interpretari sententiam adversariorum, quos verisimile non est tam absurde ratiocinatos, ut remissionem peccatorum sine Spiritu sancto comparari posse crederent. Existimat eruditus editor *Litterarum summorum Pontificum* Stephanum, dum remissionem peccatorum in baptismo extra hæresim dato agnoscit, vel de infantibus loqui, vel de adultis bona fide baptismum ab occulto hæretico accipientibus, aut ab aperto in extremo vitæ periculo. Quamvis autem doctissimo scriptori plurimum tribuam, aliam tamen viam inibo explicandæ Stephani sententiæ, quæ mihi videtur illustrari posse ex his illius verbis a Firmiliano citatis : « Hæresis quidem, aiebat, parit et exponit; expositos autem Ecclesia suscipit. »

Perspicitur ex his verbis hæresim non sibi sed Ecclesiæ parere, vel potius Ecclesiam per hæresim veluti per ancillam parere, ita ut quos parit hæresis, filii sponsæ fieri possunt si ad Ecclesiam accedant; ab Ecclesia autem non suscepti interitum effugere non possint. Stephani doctrinæ simillima est hæc Augustini sententia: « Ecclesia quippe, » inquit lib. I *de Bapt.*, n. 12, « omnes per Baptismum parit, sive apud se, id est ex utero suo, sive extra se de semine viri sui. Sed et Esau de uxore natus, propter fraternam discordiam separatus est a populo Dei, et Aser per uxoris quidem potestatem, sed ex ancilla natus, propter fraternam concordiam terram promissionis accepit. Unde et Ismaeli ut separaretur a populo Dei non obfuit mater ancilla, sed obfuit fraterna discordia; et non profuit potestas uxoris, cujus magis filius erat, quia per ipsius jura conjugalia et in ancilla seminatus erat et ex ancilla susceptus. Sic et apud istos Ecclesiæ jure, quod est in Baptismo, nascuntur quicumque nascuntur; sed si concordent cum fratribus, per unitatem pacis, veniunt ad terram promissionis; non de materno utero rursus ejiciendi, sed in paterno semine agnoscendi: si autem in discordia perseverent, ad Ismaelis funiculum pertinebunt. » Immerito ergo Cyprianus et Firmilianus existimarunt Stephanum hæresi veluti sponsæ filios attribuere, cum hæresim veluti ancillam parere dixerit, ut quos ipsa peperit, hi ab Ecclesia, quæ sola est sponsa, suscipiantur. Non absimili sententia videtur peccatorum remissionem in baptismo hæreticorum agnovisse. Quemadmodum enim ejusmodi baptismus hanc vim habet, ut quos peperit ancilla ad sponsam pertineant, cum ab Ecclesia suscipiuntur; sic, quamvis peccata non dimittat in hæresi manentibus, id tamen valet, ut

Digitized by Google

redeuntibus ad Ecclesiam dimittantur. Id egregie Augustinus explicat in libro I *de Baptismo*: « Intelligant (Donatistæ), inquit (n. 18), in communionibus ab Ecclesia separatis posse homines baptizari, ubi Christi Baptismus eadem sacramenti celebratione datur et sumitur : qui tamen tunc prosit ad remissionem peccatorum, cum quis reconciliatus unitati sacrilegio dissensionis exuitur, quo ejus peccata tenebantur et dimitti non sinebantur. » Auctor anonymus libri *de Rebaptismate* nihil fere aliud probat, nisi hanc Baptismi foris accepti utilitatem ad remissionem peccatorum in Ecclesia consequendam. Statuit p. 357, « invocationem illam pristinam nominis Jesu, nuda et singularis si in errore sit constituta, non posse ad salutem præstandam sufficere; ne hac ratione, inquit, etiam ethnicos et hæreticos abutentes nomen Jesu credamus ad salutem sine vera re atque integra posse pervenire. Quam tamen invocationem nominis Jesu correctione erroris et agnitione fidei veritatis, et abscissa omni labe præteritæ conversationis, mysterio Dei circa ejusmodi homines rite perpetratam, locum quem habitura non erat obtinere, et postremo in fide recta et ad integritatem signi præstandam non obesse, supplemento ejus quod deerat accedente, perquam mile est credere. » Videntur ergo Cyprianus et Firmilianus, cum adversariorum sententiam non ex pacificis colloquiis ac disputationibus, sed ex scriptis tantum iisque valde obscuris cognitam haberent, minus intellexisse quid isti sentirent, et credidisse fidem illos et peccati dimissionem in hæreticis ab hæresi non discedentibus admittere, quamvis de fide errori succedente loquerentur, ac peccatum ita dimitti dicerent, ut hæc dimissio tunc valeat cum ab hæresi discedit.

Nunc alius error a sancto pontifice propulsandus, cui verisimile non est Baptismum in solius Christi nomine probatum fuisse : 1° Immerito in Stephano ejusque sociis vituperaretur ejusmodi loquendi ratio quæ et Scripturæ auctoritate et ecclesiastici sermonis usu firmata est, ut demonstrat modo laudatus editor *Epist. summ. Pont.* 2° Quod spectat ad Stephanum, non eum hac in re erroris accusat Cyprianus, quamvis prima specie accusare videatur. « Non est autem quod aliquis, » inquit in *Epist.* LXXIII, « ad circumveniendam christianam veritatem Christi nomen opponat, ut dicat : In nomine Jesu Christ ubicumque est quomodocumque baptizati gratiam Baptismi sunt consecuti. » Et paulo post : « Quomodo ergo quidam dicunt foris extra Ecclesiam immo et contra Ecclesiam, modo in nomine Jesu Christi ubicumque et quomodocumque baptizatum gentilem remissionem peccatorum consequi posse, quando ipse Christus Gentes baptizari jubeat in plena et adunata Trinitate? » Sed, ut hæc intelligantur, observandum est Cyprianum hoc loco non id in adversariis culpare, quod trium Personarum aliquam in Baptismo omitti posse dicerent, sed quod fidem in tres Personas necessariam negarent. Nam, cum Marcionitæ et alii ejusmodi hæretici horrendas blasphemias in Patrem evomerent, contendit Cyprianus nihil illis prodesse nomen Christi, quia « sine Patre aut contra Patrem prodesse cuiquam solus Filius non potest. Quomodo, inquit, non cognito, immo et blasphemato Deo Patre, qui apud hæreticos Christi nomine baptizati dicuntur, peccatorum remissam consecuti judicantur? » Rejicit ergo Cyprianus baptisma ab hæreticis in Christi nomine datum, non ob Patris prætermissionem, quæ res in controversiam non veniebat, sed ob blasphemias in Patrem. Hinc illud idem baptisma probat, si in Christi veritate administretur : « Unde appareret, inquit, non ea statim suscipienda et assumenda quæ jactantur in nomine Christi, sed quæ geruntur in Christi veritate. » Idem ergo est Baptisma in Christi nomine, ac Baptisma a Christo institutum. Firmilianus qui hanc Cypriani epistolam legerat, atque hunc locum qui nunc in manibus est, ut pleraque alia, observationibus suis confirmat, Baptisma in Christi nomine dari existimat, cum in nomine trium Personarum datur, neque in adversariis culpat quod Baptisma in Christi solius nomine ratum habeant, sed « quod non putant quærendum esse quis sit ille qui baptizaverit, eo quod qui baptizatus sit, gratiam consequi potuerit invocata trinitate nominum Patris et Filii et Spiritus sancti, quasi invocatio hæc nuda nominum sufficiat ad remissionem peccatorum et Baptismi sanctificationem. »

Quinetiam non modo Stephanus, sed ne ipse quidem auctor anonymus libri *de Rebaptismate*, qui Cyprianum vehementi aceto perfudit, Baptisma in solo Christi nomine videtur probasse; hoc tamen errore illum Tillemontius laborasse contendit, sed prorsus immerito. Is enim Baptisma in Christi nomine interpretatur illud, quod ex forma a Christo præscripta confertur. Locus ipse quem objicit Tillemontius rem aperte demonstrat : « Multum interest », inquit anonymus scriptor pag. 358, « utrum in totum quis non sit baptizatus in nomine Domini nostri Jesu Christi, an vero in aliquo claudicet cum baptizatur baptismate aquæ, quod minus est, dummodo postea constet in veritate sincera fides in baptismate spiritus, quod non dubie majus est. Nec æstimes huic tractatui contrarium esse quod dixit Dominus : *Ite, docete gentes, tinguite eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti;* quia, cum hoc verum et rectum et omnibus modis in Ecclesia observandum sit, et observari quoque solitum sit, tamen considerare oportet quod invocatio nominis Jesu non debet a nobis futilis videri propter venerationem et virtutem ipsius nominis, in quo nomine virtutes omnes solent fieri et nonnumquam etiam aliquæ ab hominibus extraneis. » Ex quibus concludit Tillemontius hunc scriptorem, etsi fatetur tres personas nominari solere in Ecclesia, non tamen irritum baptismum putare, si in solo Jesu nomine conferatur. Sed noster ille scriptor non id sibi objicit ex Christi verbis : *In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti;* sed illud, *Docete gentes :* neque illud defendit baptisma cui desit trium Personarum appellatio, sed cui desit « sincera fides, » et quod ait, « In Ecclesia observandum et observari solitum, » refertur ad

Digitized by Google

hæc verba : *Ite, docete gentes*. Hinc Apostolos contendit, cum baptizati sunt Judæorum more, de Christi, immortalitate sensisse, nec ipsius mortem et resurrectionem credidisse : unde sic concludit (p. 360) : « Itaque quod ad ipsos discipulos pertinet, neque integram neque perfectam fidem habuisse, his modis quibus retulimus inveniuntur, et quod multo gravius est, sicut in Evangelio cata Joannem scriptum est, etiam alios baptizabant. » Non ergo agitur hoc loco de appellatione trium Personarum, sed res ut certa ac minime controversa ponitur, nec Baptisma in nomine Jesu apud hunc scriptorem aliud sonat, ut videre est ex verbis modo citatis, ac Baptismā aquæ, Baptisma in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.

Jam vero non longa disputatione opus est ut propugnatum a Stephano papa institutum ex traditionis apostolicæ fontibus profluxisse demonstremus. Vigebat utique hæc consuetudo, exceptis illis ecclesiis quas synodorum decreta in aliam sententiam detorserant. Nullum in Occidente vestigium iterati Baptismi præterquam in Africa. In Oriente testatur Eusebius (*Hist. l.* VII, *c.* 2) antiquam consuetudinem invaluisse, ut in recipiendis hæreticis sola manuum impositio cum precationibus adhiberetur. Morem Ægypti perspicimus ex testimoniis Dionysii Alexandrini apud Eusebium in eodem libro exstantibus. Minatus fuerat Stephanus se cum Cappadocia, Cilicia, Galatia et finitimis regionibus non communicaturum; at nullæ prorsus de Ægypto querelæ; quinetiam Dionysius Alexandrinus, magno Ecclesiæ commodo, interposuit se in pacificationem dissidii. Quod autem Xystum, Romanum pontificem, consulendum esse duxit de homine jamdudum in Ecclesiam reverso, sed qui se impio et pleno blasphemiæ baptismo initiatum fuisse meminerat; id non solum Dionysii consensionem cum Ecclesia Romana, et alienum ab iterando Baptismo animum declarat, sed etiam argumento est ab ipsius decessoribus Heracla aut Demetrio qui hunc hominem receperant, solitos non fuisse redeuntes hæreticos baptizari. Huc accedit Basilii testimonium, qui baptismum Montanistarum Dionysio Alexandrino probatum fuisse asseverat can 1. Quod ex Clemente Alexandrino objicitur (*Strom.* I, *p.* 317), aquam hæreticorum esse aquam alienam, id non expiari probat sed contaminari qui Baptismum in hæresi jam adulti accipiunt; at Baptismum irritum sancto Clementi et nullum visum esse non probat. Difficilior ad explicandum Hieronymus, qui in libro *de Scriptoribus ecclesiasticis* testatur Dionysium Alexandrinum idem ac Cyprianum de baptismo hæreticorum sensisse, ac plures ea de re litteras scripsisse; sed hac in re pugnat Hieronymus adversa fronte cum Basilio.

Ipsa etiam Africa testis citari potest illius traditionis quam acerrime impugnavit. Neque enim Afri ante Agrippini decreta baptismum ab hæreticis datum iterabant; idque ipsos esse confessos perspicitur ex his Firmiliani verbis : « Quod quidem adversus Stephanum vos dicere, Afri, potestis, cognita veritate, errorem vos consuetudinis reliquisse. » Ipse etiam Cyprianus, dum ait in Epist. *ad Jubai.* non novam aut repentinam rem esse ut baptizentur qui ab hæreticis in Ecclesiam veniunt, sed multos annos esse ex quo sub Agrippino id episcopi in concilio statuerant, non obscure de novitate opinionis suæ confitetur, illiusque fontem et caput Agrippinum agnoscit. Existimavit Augustinus inductum ab Agrippino morem, cum paulo post exarnisset, a Cypriano revocatum fuisse. Sed id omnino pugnat, ut observavit Tillemontius, cum his Cypriani verbis ex Epist *ad Jubai.* : « Quando exinde (nempe ab Agrippino) usque in hodiernum tot millia hæreticorum in provinciis nostris ad Ecclesiam conversi, non aspernati sint, neque cunctati, imo et rationabiliter et libenter amplexi sint, ut lavacri vitalis et salutaris Baptismi gratiam consequerentur. » Sed si Cyprianus consuetudinem jam stabilitam defendit, novam certe Agrippinus induxit, ut tot locis observat Augustinus in libris de Baptismo.

His testimoniis plurimum addit ponderis sectarum consensus, quæ acceptum in aliis sectis Baptismum iterare non audebant. Quis non videt tot ecclesiarum totque sectarum consensum non ab alio capite et fonte quam ab Apostolis fluxisse, in re præsertim quæ maximis obstructa difficultatibus, nec Scripturis aperte indicata, nec ullo Ecclesiæ decreto confirmata, ita tamen Catholicis et hæreticis explorata erat, ut contraria opinio gravis error videretur. Numquam sane post Apostolos tam firma persuasio insculpi animis potuisse nullo interveniente universæ Ecclesiæ decreto; sed potius hæresis odium et justissima cautio, ne aut hominibus non baptizatis Eucharistia daretur, aut infantes in hæresi baptizati sine vero Baptismo morerentur, necessitatem iterandi Baptismi plurimis attulissent.

VI. — QUIBUS POTISSIMUM RATIONIBUS SESE S. CYPRIANUS DEFENDERIT. — NEC SACRAMENTA A MALIS IN ECCLESIA ADMINISTRATA, NEC TRADITIONEM REJECIT.

Quamvis suam Ecclesia de hæreticorum baptismo doctrinam ex ipso Apostolorum ore acceperit, fatendum tamen est non fuisse hanc traditionem ex illo genere quod omnium auribus quotidiana prædicatio inculcaret. Nemo umquam Ecclesiæ sententiam de Christi et Spiritus sancti divinitate, de mutatione donorum in corpus et sanguinem Christi et aliis ejusmodi rebus, sine summa negligentia ignorare potuit, aut sine summo scelere impugnare, quia his dogmatibus Christianorum aures in omnibus ecclesiis circumsonabant. Utrum autem hæreticorum baptisma ratum necne habendum esset, id obscurari et die obsolescere potuit in multis regionibus, in quibus recipiendorum hæreticorum aut nullus erat usus aut admodum rarus. Quare mirari non debemus cur hac in re præstantissimi viri erraverint. Ac veritas quidem facile investigari potuisset, si consulta fuissent antiquissimæ ecclesiæ, quæ numquam hæreticis caruerant quos oppugnarent, aut redeuntes in

Digitized by Google

Ecclesiam reciperent; qualis erat in primis Ecclesia Romana, cum vetustissimos quosque hæreticos constet in hanc urbem sese contulisse. Sed hujus cautionis prætermissæ levissimam culpam sustinet Cyprianus, qui consuetudinem rebaptizandi non induxit in ecclesiam suam, sed decessorum suorum auctoritate constitutam reperit.

Rationum momentis quibus utebatur Cyprianus, tantum inest splendoris, ut se Augustinus sola Ecclesiæ auctoritate in contrariam sententiam adduci fateatur: « Nec nos ipsi », inquit l. II *de Bapt.*, n. 5, « tale aliquid auderemus asserere, nisi universæ Ecclesiæ concordissima auctoritate firmati; cui et ipse (Cyprianus) sine dubio cederet, si jam illo tempore quæstionis hujus veritas eliquata et declarata per plenarium concilium solidaretur. » Hoc autem potissimum argumento nitebatur Cyprianus: hæreses, cum ab Ecclesiæ unitate abscissæ sint et ex mortuis constent hominibus, non posse sanctificare, remissionem peccatorum et Spiritum sanctum dare. « Quis autem potest dare, » inquit in Ep. LXX, « quod ipse non habeat? Aut quomodo potest spiritalia agere, qui ipse amiserit Spiritum sanctum. » Et in Ep. LXXI: « Neque enim accipiunt illic aliquid ubi nihil est. » Et paulo post: « Manifestum est autem eos qui non sunt in Ecclesia Christi inter mortuos computari, nec posse ab eo vivificari alterum qui ipse non vivat. » Ex his et aliis ejusmodi testimoniis nequaquam id statuit Cyprianus, quod ex ejus verbis consequi existimarunt eruditorum nonnulli, necessariam esse singulis ministris sanctitatem, ut sacramenta valide administrent. Loquitur de universa societate, non de privatis; et quemadmodum Ecclesiæ catholicæ sacramenta, dum a malis administrantur, vim suam et effectum retinent precibus sanctorum et gemitibus columbæ, sic apud hæreticos, ubi omnes mortui sunt, sacramenta suo effectu defraudari ac nulla prorsus esse existimabat, cum sibi persuadere non posset columbam, ut per malos ministros in Ecclesia catholica, ita per hæreticos et schismaticos in hæresi et schismate baptizare. Sic explicandam Cypriani mentem ex pluribus locis perspicitur: « Quomodo autem mundare », inquit in Ep. LXX, « et sanctificare aquam potest apud quem Spiritus sanctus non est?.... Aut quomodo baptizans dare alteri remissam peccatorum potest, qui ipse peccata sua deponere extra Ecclesiam non potest? » Et in Ep. LXXIII, p. 132: « Numquid de Ecclesiæ fontibus rigare potest, qui intus in Ecclesia non est. » Fatetur paulo post hæreticos, « si Ecclesiæ devoti et in Ecclesia constituti sunt, posse et Baptismo ejus et cæteris salutaribus bonis uti. » Denique in eadem epistola (p. 133) conceptis verbis malos qui in Ecclesia sunt distinguit ab hæreticis: « Porro aliud est, inquit, eos qui intus in Ecclesia sunt de nomine Christi loqui, aliud est eos qui foris sunt et contra Ecclesiam faciunt, in nomine Christi baptizare. Quare qui hæreticis patrocinantur non id proferant quod Paulus de fratribus posuit, sed ostendant si hæretico aliquid concedendum putavit, aut si fidem et baptisma eorum probavit, aut si perfidos et blasphemos remissionem peccatorum accipere extra Ecclesiam posse constituit. » Eadem habet Firmilianus p. 149. Hinc observat Augustinus (l. IV *de Bapt.*) Cyprianum distinguere « inter eos qui mali foris sunt, et eos qui intus mali sunt; » ac pluribus demonstrat minime sequi ex hac distinctione, ut Ecclesia foris per hæreticos non baptizet, quemadmodum per malos intus baptizat.

Si petita a Cypriano e Scripturis argumenta non omni verisimilitudinis colore destituta sunt, at quæ objectæ ab adversariis traditioni respondet, ea tanti ingenii luce prorsus indigna. Humanam traditionem appellat quod, nullius concilii auctoritate constitutum, in maximis quibusque ecclesiis summo consensu observabatur, nec in ipsa Africa ante Agrippinum observari desierat. Cum autem ei objiceretur: « Quid ergo fiet de his qui in præteritum de hæresi ad Ecclesiam venientes sine Baptismo admissi sunt? » sic respondet in Epist. *ad Jubai.*: « Potens est Dominus misericordia sua indulgentiam dare, et eos qui ad Ecclesiam simpliciter admissi in Ecclesia dormierunt, ab Ecclesiæ suæ muneribus non separare. » In hac responsione charitatem Cypriani et animi moderationem facile agnoscas; sed quod ei objiciebatur, cum et adultos et infantes complecteretur, ipse de adultis sese, ut potest, expedit, at de infantibus in hæresi baptizatis, et in Ecclesia sine novo Baptismo ante usum rationis morientibus, ne verbum quidem proloquitur.

Quamvis autem objectæ traditioni minus belle responderit Cyprianus, non idcirco tamen traditionis auctoritatem floccifecit. Nusquam exprimit aut dicit quod ei Simon Goulartius in notis ad Epist. LXXIV, et multi alii protestantes affinxerunt, 1° omnem evangelicam et apostolicam traditionem esse quærendam in Evangeliis, Actis aut Epistolis; 2° omnia illa quæ non possunt in his libris reperiri rejicienda et contemnenda esse.

Non videtur cœlum terra longius distare, quam Cypriani sententia ejusmodi commentis. 1° Ex ejus de Ecclesiæ infallibilitate testimoniis quæ supra retulimus, perspici potest an aliam fidei regulam non admiserit, quam Scripturæ contextum a traditione separatum; 2° Cyprianus et Firmilianus nusquam queruntur quod traditionem Stephanus, ut fidei regulam, opponat. Fatentur hanc traditionem de Baptismo hæreticorum non iterando observandam esse, si ab Apostolis orta sit; sed ortam negant ab Apostolis, quia hæretici qui sub Apostolis rediere, jam in Ecclesia baptizati fuerant (Epp. LXXIV et LXXV). Addit Firmilianus « eos qui Romæ sunt non ea in omnibus observare quæ sint ab origine tradita, veluti circa celebrandos dies Paschæ; » ex quo facile intelligitur quid de traditionibus non scriptis senserit Firmilianus. 3° Objectæ ab adversariis traditioni aliam opponit Cyprianus de qua ex utraque parte conveniebat: « Nec quisquam dicat, » inquit in Epist. *ad Jubai.* (pag. 133), « quod accepimus ab Apostolis hoc sequimur, quando Apostoli non nisi unam Ecclesiam tradiderunt et Baptisma unum, quod non nisi in eadem Ecclesia sit constitutum; et neminem inveniamus ab

Digitized by Google

Apostolis, cum apud hæreticos baptizatus esset, in eodem Baptismo admissum esse et communicasse, ut videantur Apostoli baptisma hæreticorum probasse. » Et in Epist. LXXIV, p. 141 : « Quod et nunc facere oportet Dei sacerdotes præcepta divina servantes, ut si in aliquo nutaverit et vacillaverit veritas, ad originem Dominicam et ad evangelicam atque apostolicam traditionem revertamur, et inde surgat actus nostri ratio unde et ordo et origo surrexit. Traditum est enim nobis quod sit unus Deus et Christus unus, et una spes et fides una, et una Ecclesia et Baptisma unum, » etc. 4° Adeo Cyprianus et Firmilianus traditionem a Scripturis non divellunt, adeo nefas esse ducunt ab Ecclesiæ auctoritate in interpretandis Scripturis discedere, ut hæreticorum baptisma irritum esse hoc etiam argumento pugnent, quod hæretici nomen Patris et Filii et Spiritus sancti atque etiam ipsas interrogationes, « Credis remissionem peccatorum et vitam æternam per sanctam Ecclesiam, » aliter ac Ecclesia interpretarentur (p. 131, 145, 154).

VII. — CONFIRMATIONEM NON CONFUNDIT S. CYPRIANUS CUM IMPOSITIONE MANUUM IN HÆRETICOS REDEUNTES. — CONFIRMATIONEM INTER SACRAMENTA NUMERAT.

Non levis hic quæstio excutienda, utrum Cyprianus eo errore laboraverit, quem ei a multis affingi video, ut impositionem illam manuum quam hæretici redeuntes accipere solebant, Confirmationis sacramentum esse crederet. Eruditi viri Natalis Alexander (*Dissert.* II *sæc.*) et auctor novæ editionis *Litterarum summorum Pont.* scite illi quidem demonstrant impositionem manuum in hæreticos redeuntes longe distare sacramento Confirmationis ; nec Stephanum papam Confirmationem iterare voluisse, cum satis esse contenderet manum hæreticis redeuntibus imponere, ut acciperent Spiritum sanctum. Sed iidem Cyprianum existimant adversariorum sententiam minus intellexisse, sicque cum illis pugnasse, quasi Confirmationem in hæresi acceptam iterarent. Proferuntur adversus Cyprianum hæc ipsius testimonia : « Quod si secundum pravam fidem, » inquit in Epist. *ad Jubaianum*, pag. 131, « baptizari aliquis foris et remissam peccatorum consequi potuit, secundum eamdem fidem consequi Spiritum sanctum potuit : et non est necesse venienti manum imponi, ut Spiritum sanctum consequatur et signetur. Aut utrumque enim fides foris potuit, aut neutrum eorum qui foris fuerat accepit ; » et pag. 136 : « Baptizari eos oportet qui de hæresi ad Ecclesiam veniunt, ut qui legitimo et unico sanctæ Ecclesiæ Baptismo ad regnum Dei regeneratione divina præparantur, sacramento utroque nascantur, quia scriptum est : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu, non potest introire in regnum Dei ;* » et in Epist. *ad Stephanum*, pag. 128 : « Tunc enim demum plene sanctificari et esse filii Dei possunt, si sacramento utroque nascantur, cum scriptum sit : *Nisi quis renatus*, etc. » In eamdem sententiam loquitur Nemesianus a Tubulis in concilio Carthaginensi : « Male ergo sibi quidam interpretantur, inquit, ut dicant quod per manus impositionem Spiritum sanctum accipiant et sic recipiantur, cum manifestum sit utroque sacramento debere eos renasci in Ecclesia catholica. »

Sed hæc testimonia videntur explicari posse, nec mihi persuadent Cyprianum in re ante oculos posita oscitantem errasse, ac res natura et usu Ecclesiæ adeo distinctas opinione confudisse. Illius autem sententiam certissimis vestigiis indagare licet in Epist. *ad Quintum* (p. 127), ubi sic loquitur : « Et dicunt se in hoc veterem consuetudinem sequi, quando apud veteres hæreseos prima adhuc fuerint initia, ut hi illic essent qui de Ecclesia recedebant et hic baptizati prius fuerant ; quos tamen ad Ecclesiam revertentes et pœnitentiam agentes necesse non erat baptizare. Quod nos quoque hodie observamus, ut quos constet hic baptizatos esse, et a nobis ad hæreticos transisse, si postmodum, peccato suo cognito et errore digesto, ad veritatem et matricem redeant, satis sit in pœnitentiam manum imponere ; ut, quia ovis fuerat, hanc ovem abalienatam et errabundam in ovile suum pastor recipiat. » Non id agitur quam recte Cyprianus adversariis respondeat, sed quid respondeat. Cum isti contenderent traditum ab Apostolis, ac semper in Ecclesia observatum fuisse, ut acceptum in hæresi Baptisma non iteretur, sed redeuntibus cum hoc Baptismate hæreticis manus tantum in pœnitentiam imponatur ; respondet Cyprianus non immerito olim hæreticos sine Baptismo susceptos fuisse, quia prius baptizati in Ecclesia fuerant ; seque idem facere profitetur, ut, si quos ex hæreticis in Ecclesia baptizatis suscipiat, manum tantum in pœnitentiam imponat. Uno verbo, concedit adversariis hanc hæreticorum recipiendorum consuetudinem, quam tanto studio defendebant, et olim usurpatam fuisse, et a scipso, ubi quid simile inciderit, usurpari. At nemo dixerit Cyprianum confirmationem aut in Ecclesiæ primordiis iteratam credidisse, aut iterare voluisse, quoties hæreticis in Ecclesia ante hæresim baptizatis manus in pœnitentiam esset imponenda. Immerito ergo manuum in hæreticos redeuntes impositionem cum sacramento Confirmationis confudisse accusatur. Sententiam Cypriani Confirmat in concilio Carthaginensi Crescens a Cirtha, qui baptizandos censet omnes ab hæresi et schismate redeuntes, « exceptis his sane qui in Ecclesia catholica fuerint ante baptizati, ita tamen ut per manus impositionem in pœnitentiam Ecclesiæ reconcilientur. »

Sed cur Cyprianus postulat ut qui in hæresi baptizati sunt, redeuntes ad Ecclesiam, « utroque sacramento nascantur ? » Quid aliud esse potest utrumque illud sacramentum, nisi Baptismus et Confirmatio ? Hæc difficultas solvi potest : neque enim repugnat ut Cyprianus, ansa ab adversariis accepta, sacramentum Confirmationis iterandum esse concluderet, quamvis illud ab adversariis iterari minime suspicaretur. Sanctus Stephanus et qui ab illo stabant, etsi baptisma hæreticorum ratum habebant, fatebantur tamen Spiritum sanctum in eis-

Digitized by Google

modi baptismo non conferri; ac proinde redeuntibus ab hæresi necessarium esse aliud sacramentum, ut Spiritum sanctum acciperent, quem in hæresi consequi non potuerant. Hoc autem sacramentum erat manus impositio in pœnitentiam, sive sacramentum Pœnitentiæ, quod, teste Cypriano, Spiritum sanctum pœnitentibus confert. Nam inter alias causas quibus adductus Cyprianus pacem pœnitentibus concesserat, hanc recenset; quod necesse esse duxerit pœnitentes ad persecutionem sustinendam præparare, et Spiritus sancti donis instruere. « Quando autem (Dominus) dicat, inquit, in traditis atque in confessione nominis constitutis spiritum Patris loqui, quomodo potest ad confessionem paratus aut idoneus inveniri qui non prius, pace accepta, receperit Spiritum Patris, qui, corroborans servos suos, ipse loquitur et confitetur in nobis (Ep. LIV). » Quamobrem Cyprianus, cum videret adversarios negare opus esse Baptismo hæreticis redeuntibus, sed tantum manus impositione, ut acciperent Spiritum sanctum, inde ansam arripiebat ut duplex sacramenti genus hæreticis redeuntibus opus esse statueret, alterum ad peccatorum remissionem, alterum ad accipiendum Spiritum sanctum. In quo quidem generatim Cyprianum inter et adversarios conveniebat necessarium esse hæreticis redeuntibus aliquod sacramentum, ut acciperent Spiritum sanctum; sed necesse non erat hoc sacramentum nominatim designare. Non absimili modo Vincentius a Thiburi, in concilio Carthaginensi, assentitur adversariis necessariam esse manuum impositionem; sed eam aliter ac illi interpretatur: « Hæreticos scimus inquit, pejores esse quam ethnicos... Ergo primo per manus impositionem in exorcismo, secundo per Baptismi regenerationem tunc possunt ad Christi pollicitationem venire. » Assentitur adversariis Vincentius de manus impositione; sed illi manus impositionem in pœnitentiam intelligebant, iste in exorcismo. Minime ergo mirum si Cypriano cum adversariis convenit de sacramento ad Spiritum sanctum conferendum necessario, quamvis utrique illud sacramentum aliter interpretentur.

Ex his autem perspicitur Confirmationem semper in Ecclesia distinctum a Baptismo sacramentum fuisse. Utrumque vocatur sacramentum et diversos sortitur effectus: etsi enim in Baptismo accipitur Spiritus sanctus, ut tot locis Cyprianus observat, tamen præcipue Confirmationi attribuitur, quæ novis præsidiis et Spiritu sancti donis corroborat eos qui jam in Baptismo Christum induerunt. Hinc idem Cyprianus, cum ei objiceretur « eis qui in Samaria baptizati fuerant, advenientibus Apostolis Petro et Joanne, tantum manum impositam esse, ut aciperent Spiritum sanctum; » sic respondet in Epistola *ad Jubaianum*: « Et idcirco, inquit (pag. 132), quia legitimum et ecclesiasticum Baptismum consecuti fuerant, baptizari eos ultra non oportebat, sed tantummodo quod deerat id a Petro et Joanne factum est, ut oratione pro eis habita et manu imposita invocaretur et infunderetur super eos Spiritus sanctus. Quod nunc quoque in Ecclesia geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur, præpositis Ecclesiæ offerantur et per nostram orationem ac manus impositionem Spiritum sanctum consequantur, et signaculo Dominico consummentur. » Quis ex his non perspiciat Confirmationem non esse appendiculam quamdam Baptismi, sed verum et distinctum a Baptismo sacramentum, quod a diaconis omnino administrari non possit, quodque non ad exteriora tantum dona pertineat, sed maxime ad augendam et intentius roborandam Baptismi gratiam, ita ut utroque sacramento renasci dicamur. Atque id quidem mirifice confirmant Cyprianus et alii Africæ episcopi in epistola ad Numidas: « Ungi quoque necesse est, inquiunt, eum qui baptizatus sit, ut, accepto chrismate, id est unctione, esse unctus Dei et habere in se gratiam Christi possit. » Quæ sequuntur obiter explicare conabor. « Porro autem Eucharistia est, » inquiunt iidem episcopi, « unde baptizati unguntur oleo in altari sanctificato. Sanctificare autem non potuit olei creaturam qui nec altare habuit nec ecclesiam. Unde nec unctio spiritalis apud hæreticos potest esse, quando constet oleum sanctificari et Eucharistiam fieri apud illos omnino non posse. » Optime hunc locum emendavit Baluzius, pro eo quod legebatur in antiquis editionibus, « oleum in altari sanctificatum; » vel apud Erasmum et Pamelium liberiori conjectura, « Eucharistia et unde baptizati unguntur oleum in altari sanctificatur. » Porro non id dicit Cyprianus quod ab eo per metaphoram dictum existimant Rigaltius et Fellus, Eucharistiam esse oleum quo ungimur, sed potius Eucharistiam esse id unde oleum quo baptizati unguntur, sanctificationem deducit; quia videlicet oleum in altari sanctificabatur inter ipsas sacrificii preces.

VIII. — PŒNITENTIÆ SACRAMENTUM EX S. CYPRIANI TESTIMONIIS DEFENDITUR. — QUAM NECESSARIUM JUDICAVERIT, QUAM SANCTE ADMINISTRARI VOLUERIT OSTENDITUR. — NONNULLA ILLIUS DICTA EXPLICANTUR.

Illud etiam ex testimoniis allatis facile perspicitur Pœnitentiam inter Ecclesiæ sacramenta numeratam fuisse, siquidem generatim, ut diximus, inter Cyprianum ejusque adversarios conveniebat Pœnitentiam et Confirmationem esse sacramenta: unde conceptis verbis declarat Cyprianus, ut modo vidimus, Spiritum Patris in Pœnitentiæ sacramento donari. Ut Baptismum catechumenis, sic lapsis absolutionem et pacem necessariam judicabat Cyprianus: nam, cum latens in secessu videret se non tam cito rediturum et jam æstatem cœpisse, quod tempus infirmitatibus assiduis et gravibus infestatur, tam audientibus quam lapsis providendum existimavit, ut nec primi sine Baptismo, nec lapsi sine pace morerentur. Tanti faciebat Cyprianus hanc remissionem delicti per sacerdotes factam (sic enim ipse appellat lib. *de Laps.* pag. 191), ut grande piaculum a Marciano Arelatensi admissum putaret, quod ipsius culpa et crudelitate multi ex fratribus sine pace annis superioribus obiissent (Ep. LXVII). Atque hæc causa sanctum Martyrem adduxit ut, instante persecutione

Digitized by Google

Galli et Volusiani, lapsos sub Decio, qui pœnitentiam agere a primo lapsus die non destiterant, ad pacem admitteret. Eum enim idoneum ad confessionem Christi futurum non putabat qui non prius, pace a sacerdotibus accepta, Spiritum Patris recepisset; tum vero metuebat ne, si quis, relictis omnibus, fugiens et in tenebris atque in solitudine constitutus in latrones forte incurrisset, aut in febribus et in languore decessisset, sibi imputaretur quod tam bonus miles sine pace et sine communicatione decessisset (Ep. LIV). Ex his patet quam parum eos salutis cura sollicitet qui hoc sacramentum floccifaciunt, et ex sacramentorum albo expungunt, quo si quis ex lapsis olim caruisset, non ex iis solum quorum adhuc infirma virtus erat, sed ex iis etiam quorum perfecta charitas omnibus rebus pro Christo abjiciendis elucebat, damnum grande visum fuisset.

Confessio peccatorum a Cypriano vendicatur ut pars sacramenti omnino necessaria et a Deo præscripta; hortatur lapsos ut « singuli confiteantur delictum suum, dum adhuc qui deliquit in sæculo est, dum admitti confessio ejus potest, dum satisfactio et remissio facta per sacerdotes apud Deum grata est » (lib. *de Laps.*, p. 191). Narrat in eodem libro ultionis divinæ miracula in eos nuper edita qui peccata occulta sacerdotum cognitioni subtraxerant; etiamsi scelus cogitatione sola susceptum sit, id sacerdotibus declarandum et confitendum docet. « Denique quanto et fide majores, inquit (p. 190), et timore meliores sunt qui, quamvis nullo sacrificii aut libelli facinore constricti, quoniam tamen de hoc vel cogitaverunt, hoc ipsum apud sacerdotes Dei dolenter et simpliciter confitentur, exomologesin conscientiæ faciunt, animi sui pondus exponunt, salutarem medelam parvis licet et modicis vulneribus exquirunt, scientes scriptum esse : *Deus non irridetur.* » Miror auctorem editionis Oxoniensis negasse ex hoc loco confessionem auricularem consequi. Quinetiam sententiæ suæ testem citat Lombertum : « Eruditissimus Lombertus » inquit in nota ad hunc locum, « recte hinc colligit crimina secreta confessione et pœnitentia apud Deum expianda, nec auricularem confessionem, quod voluit Pamelius, exinde confici. » At profecto Pamelium inter et Lombertum mirifice convenit, ac disertis verbis Lombertus secretarum cogitationum confessionem sacerdotibus factam fuisse declarat. Nec sane ex verbis Cypriani aliud erui potest. Nam, cum constet confessionem occultorum criminum publice et omnibus audientibus factam aut saltem præscriptam non fuisse, luce clarius est eos qui cogitationes malas apud sacerdotes confitebantur, qui exomologesin conscientiæ faciebant, qui animi sui pondus exponebant, et vulneribus medelam exquirebant, peccata sua auribus alicujus sacerdotis deposuisse. Præterea negari non potest circumstantias omnes in pœnitentia imponenda, tamquam aurificis statera, examinatas fuisse; id disertis testatur Cyprianus in Epist. LII. At quomodo sacerdotes convenientem cuique pœnitentiam ob occulta peccata potuissent imponere, nisi illis lapsi conscientiæ suæ inspiciendæ copiam fecissent? In quo quidem observandum est hanc cogitationum confessionem non eximio quodam et non præscripto pietatis ardore, sed adimplendi præcepti divini necessitate contineri; « scientes scriptum esse, ait Cyprianus : *Deus non irridetur.* »

Quo sanctior erat Cyprianus, eo vehementius cavit ne sacramentum quod ad hominum salutem institutum est, in eorum perniciem converteretur. Quod autem illius hac in re studium excitavit, et eximiæ doctrinæ posteris prodendæ occasionem dedit, nequitia fuit nonnullorum presbyterorum qui, tum ut Cypriano molestiam exhiberent, tum ut gratiam apud homines novo aucupio inirent, lapsos onere pœnitentiæ levarunt. In ejusmodi homines studio veritatis accensus sic invehitur S. Martyr in lib. *de Lapsis :* « Pacem putant esse, inquit (p. 186), quam quidam verbis fallacibus venditant. Non est pax illa sed bellum, nec Ecclesiæ jungitur qui ab Evangelio separatur. Quid injuriam beneficium vocant? quid impietatem vocabulo pietatis appellant? quid eis qui flere jugiter et rogare Dominum suum debent, intercepta pœnitentiæ lamentatione communicare se simulant? Hoc sunt ejusmodi lapsis quod grando frugibus, quod turbidum sidus arboribus, quod armentis pestilens vastitas, quod navigiis sæva tempestas : solatium æternæ spei adimunt, arborem a radice subvertunt, sermone morbido ac lethale contagium serpunt, navem scopulis, ne in portum perveniat, illidunt. Non concedit pacem facilitas ista, sed tollit, nec communicationem tribuit, sed impedit ad salutem. Persecutio est hæc alia et alia tentatio, per quam subtilis inimicus impugnandis adhuc lapsis occulta populatione grassatur ut lamentatio conquiescat, ut dolor sileat, ut defleti memoria evanescat, ut comprimatur pectorum gemitus, statuatur fletus oculorum, nec Dominum graviter offensum longa et plena pœnitentia deprecetur, cum scriptum sit : *Memento unde cecideris, et age pœnitentiam.* » Plura non referam, cum cuique liceat Cypriani sententiam oculis cernere in præclaris illis litteris quas de causa lapsorum ad clerum, ad plebem, ad confessores atque ad ipsos etiam lapsos scripsit. Nec minor Evangelii vigor enitescit in litteris confessorum Romanorum, inprimis vero in eximia Cleri Romani Epistola (inter Cyprianicas XXXI) quam per totum orbem terrarum missam fuisse discimus ex Epist. LII Cypriani. « Absit enim ab Ecclesia Romana, inquiunt, vigorem suum tam profana facilitate dimittere, et nervos severitatis eversa fidei majestate dissolvere, ut cum adhuc non tantum jaceant, sed et cadant eversorum fratrum ruinæ, properata nimis remedia communicationum utique non profutura præstentur, et nova per misericordiam falsam vulnera veteribus transgressionis vulneribus imprimantur, ut miseris ad eversionem majorem eripiatur et pœnitentia. Ubi enim poterit indulgentiæ medicina proficere, si etiam ipse medicus, intercepta pœnitentia, indulget periculis, si tantummodo operit vulnus, nec sinit necessaria temporis remedia obducere cicatricem? Hoc non est curare, sed, si dicere verum volumus, occidere. » Tanta fuit hac in re Cypriani constantia, ut nihil eum inflectere potuerit : non martyrum libelli quibus tamen non parum tribuebat, non imminens a nefariis presbyteris periculum, non excitatæ ab ipsis seditiones, cum in nonnullis provinciæ

Digitized by Google

Carthaginensis civitatibus impetus in præpositos per multitudinem factus esset, ac Carthagine quidam turbulenti per epistolam confessorum velut quibusdam facibus accensi, plus exardescere et pacem sibi datam extorquere cœpissent. In eo perstitit S. Martyr quod ante decreverat, ut res ad concilium integra servaretur; et arcere a communione sua non dubitavit, si quis ante illud tempus cum lapsis ausus esset communicare.

Nec tamen Cyprianum existimandum est justo severiorem fuisse. Nihil eo lenius fuit, nihil ad indulgentiam proclivius. Operam dabat ut nec acerbus aut durus aut in fratribus fovendis inhumanus videretur, nec iterum solutus esset ac facilis ad communicationem temere laxandam. Lapsis qui ad eum orantes scripserant « se delictum suum cognoscere et pœnitentiam veram agere, nec ad pacem temere aut importune properare, » summam humanitatem exhibuit. « Quibus quantum gratulatus sim, inquit (Ep. xxvii), Dominus testis est, qui dignatus est ostendere quid ejusmodi et tales servi de ejus benignitate mereantur. » Præcipue vero enituit lenitas Cypriani cum, instante Galli et Volusiani persecutione, omnes omnino milites Christi, qui arma desiderabant et prælium flagitabant, intra castra Dominica collegit, et cum aliis episcopis censuit eis qui de Ecclesia Domini non recesserant, sed pœnitentiam agere et lamentari ac Dominum deprecari a primo lapsus sui die non destiterant, pacem dandam esse. Lenitatem suam sic ipse describit in Epist. LV : « Opto omnes, inquit, in Ecclesiam regredi, opto universos commilitones nostros intra Christi castra et Dei Patris domicilia concludi : remitto omnia, multa dissimulo studio et voto colligendæ fraternitatis; etiam quæ in Deum commissa sunt, non pleno judicio religionis examino, delictis plusquam oportet remittendis pene ipse delinquo : amplector prompta et plena dilectione cum pœnitentia revertentes peccatum suum satisfactione humili et simplici confitentes. »

Tota Cypriani et agendi et disserendi ratio commissam a Christo episcopis fuisse ligandi et solvendi potestatem testatur, et in hoc judicio quanta sit adhibenda cautio et animi provisio demonstrat : sed, ne illius dicta nonnulla in deteriorem partem rapiantur, ea breviter explicare conabor. Ait S. Martyrin libro de *Hab. Virg.* (p. 173) « quod nulla sit venia ultra delinquere postquam Deum nosse cœpisti; » in libro III *Testim.* (c. 18, p. 314) : « Non posse in Ecclesia remitti ei qui in Deum deliquerit, » idque probat ex his verbis I *Reg.*, c. II : « *Si delinquendo peccet vir adversus virum, orabunt pro eo Dominum. Si autem in Deum peccet homo, quis orabit pro eo?* » Sed suam ipse sententiam nitide exponit in libro *de Exhort. Mart.*, (p. 264, c. 4), ubi idem testimonium citat; neque ex eo probat peccata in Deum commissa dimitti non posse, sed tantum « non facile ignoscere Deum idololatris. » Nihil ergo de ligandi et solvendi potestate, nihil de judicio sacerdotum detrahit; sed certis quibusdam legibus judices adstringit, ita ut non facile dimittant quæ non facile a Deo dimittuntur. Hinc, cum schismatici pœnitentiæ onus lapsis eximerent, sic eos refellit in libro de *Lapsis*, (p. 186) : « Nemo se fallat, nemo se decipiat, solus Dominus misereri potest : veniam peccatis quæ in ipsum commissa sunt, solus potest ille largiri qui peccata nostra portavit, qui pro nobis doluit, quem Deus tradidit pro peccatis nostris. Homo Deo esse non potest major : nec remittere aut donare indulgentia sua servus potest, quod in Dominum delicto graviore commissum est, ne adhuc lapso et hoc accedat ad crimen, si nesciat esse prædictum : *Maledictus homo qui spem habet in homine.* Dominus orandus est, Dominus nostra satisfactione placandus est, qui negantem negare se dixit, qui omne judicium de Patre solus accepit. » Quemadmodum hoc in loco Cyprianus martyres plurimum posse apud Deum non negat, sed in libellis quos dare solebant, modum quemdam et delectum requirit; ita eam tantum potestatem exagitat quam sibi nefarii presbyteri per fas et nefas arrogabant. At ubi præscriptæ a Christo et Ecclesia leges servantur, tum vero Cyprianus ratum apud Deum fieri docet sacerdotis judicium. Hinc lapsos hortatur in libro *de Lapsis* (p. 191), ut peccata confiteantur « dum satisfactio et remissio facta per sacerdotes apud Deum grata est. » Docet sub finem ejusdem libri Deum « pœnitenti, operanti, roganti, » posse « clementer ignoscere, et in acceptum referre quidquid pro talibus et petierint martyres et fecerint sacerdotes. » Hac spe confisus, cum lapsi instante nova persecutione plurimum ardoris ad pugnam præ se ferrent, præscriptum illis pœnitentiæ tempus imminuit, ac nefas esse duxit (Epist. LIV, p. 77) « Ecclesiam pulsantibus claudi, quando permiserit ipse qui legem dedit ut ligata in terris etiam in cœlis ligata essent, solvi autem possent illic quæ hic prius in Ecclesia solverentur. »

In eamdem sententiam accipi debet quod ait Firmilianus (p. 144), concilia singulis annis haberi, ut de rebus majoris momenti inter se episcopi deliberent, ac « lapsis quoque fratribus et post lavacrum salutare a diabolo vulneratis per pœnitentiam medela quæratur; non quasi a nobis, inquit, remissionem peccatorum consequantur, sed ut per nos ad intelligentiam delictorum suorum convertantur, et Domino plenius satisfacere cogantur. » Non negat sanctus Præsul potestatem dimittendi peccata, quam in hac ipsa Epistola (p. 148) soli Ecclesiæ catholicæ vindicat; sed verbis modo allatis videtur inesse quidam aculeus in Stephanum, quem Firmilianus credebat plus æquo et ministris et ritus exterioris observationi tribuere, quasi sacramentorum effectum ne hæresi quidem interpellari statueret. Quod cum secus videretur Firmiliano, negat hominibus concessum esse ut peccata ad arbitrium suum dimittant. Non absimili sententia Origenes in libro *de Oratione* contendit non omnia peccata esse dimittenda, aut sola oratione et sacrificio expianda, sed quædam retineri, id est pœnitentiæ subjici debere; ac eos refellit qui se idololatrias condonare, adulte-

Digitized by Google

ria et fornicationes posse dimittere gloriabantur; quasi per ipsorum precem pro iis qui hæc perpetrarunt, peccatum ad mortem dimittatur.

IX. —UTRUM IN AFRICA ANTE S. CYPRIANUM GRAVISSIMIS CRIMINIBUS NEGATA FUERIT COMMUNIO POST PŒNITENTIAM.

Sed, ut facilius de Cypriani ejusque collegarum decretis judicetur, paulo altius repetenda ecclesiæ Africanæ disciplina, ac breviter examinandum utrum ante ætatem Cypriani gravissimis criminibus, ut idololatriæ et homicidio, concessa necne pax post pœnitentiam fuerit.

Qui pœnitentiam, quam sani contempserant, in extremo periculo petebant, ii, saltem in Africa, primis sæculis rejiciebantur, ut patet ex Epist. LII Cypriani (p. 73) : « Et idcirco, inquit, frater charissime, pœnitentiam non agentes, nec dolorem delictorum suorum toto corde et manifesta lamentationis suæ professione testantes, prohibendos omnino censuimus a spe communicationis et pacis, si in infirmitate atque in periculo cœperint deprecari, quia rogare illos non delicti pœnitentia, sed mortis urgentis admonitio compellit; nec dignus est in morte capere solatium qui se non cogitavit esse moriturum. » Quod autem spectat ad eos qui mature pœnitentiam petebant, nemini dubium est quin pacem adulteris in Africa nonnulli ante Cyprianum episcopi negandam decreverint. Id diserte testatur ipse Cyprianus in Ep. LII (p. 72) : « Et quidem apud antecessores nostros, inquit, quidam de episcopis istic in provincia nostra dandam pacem mœchis non putaverunt, et in totum pœnitentiæ locum contra adulteria clauserunt. » Factum videtur hoc decretum intra illud spatium quod a Tertulliano ad Cyprianum effluxit. Nam Tertullianus in libro *de Pudicitia* pacis adulteris post pœnitentiam dandæ consuetudinem, ut communem Ecclesiæ catholicæ morem exagitat, seque olim fatetur ita sensisse dum in Ecclesia versaretur : « Erit igitur et hic adversus Psychicos titulus, inquit cap. 2, adversus meæ quoque sententiæ retro penes illos societatem, quo magis hoc mihi in notam levitatis objectent. » Quod autem opinati sunt eruditi viri severo illo decreto quod commemorat Cyprianus, idololatras et homicidas, quorum scelus adulterio gravius est, comprehensos fuisse, non valde probabilis videtur hæc conjectura. Fieri enim potuit ut nimiam adulterii licentiam nonnullis in locis episcopi gravioribus pœnis refrænandam judicarent, nec tamen de idololatria et homicidio idem statuerent, cum præsertim cavendum esset ne Montanistarum instituta in Ecclesiam induci viderentur. Quo autem odio flagrabat apud omnes hujus hæresis severitas, conjici posset episcopos hoc saltem solatii adulteris pœnitentibus reliquisse, ut pacem in articulo mortis acciperent. Sed hæc Cypriani verba, « et in totum pœnitentiæ locum contra adulteria clauserunt, » ut pœnitentiam, ita etiam spem pacis omnino præclusam fuisse indicant. Cur enim pœnitentia iis imposita non fuisset quibus post annum aut forte etiam citius danda pax erat, si in mortis periculum incidissent; quique, si e morbo evasissent, pacem semel acceptam retenturi erant, et eodem jure futuri ac alii fideles? Nam qui his temporibus pacem urgente periculo acceperant, hoc beneficium restituta in integrum valetudine servabant, nec pœnitentiæ cursum explere cogebantur, ut patet ex Cypriani Epist. LII.

Sed de adulteriis aliisque gravissimis peccatis ante hæresim Montanistarum, ac de idololatria et homicidio post ipsos Montanistas, multæ magnæque occurrunt difficultates, quæ variis sententiis locum dederunt. Existimavit Petavius in *not. ad Epiphan.* (p. 231) primis sæculis gravissimorum criminum reos communione prohibitos fuisse, nec umquam, sive incolumes, sive moribundos, Ecclesiæ restitutos; atque hanc severissimam disciplinam sub Apostolorum tempora et ad Tertulliani fere sæculum obtinuisse, sed a Zephirino pontifice, quod ad mœchiam spectat, paululum relaxatam, Cypriani temporibus majores ad lenitatem progressus habuisse. Morinus lib. IX, *de Pœnit.*, cap. 20, et Natalis Alexander, *dissert.* VII *in Hist.* III *sæc.*, in aliam prorsus sententiam ivere, et primis illis sæculis pacem lapsis peracta pœnitentia concessam fuisse contendunt, nec morientibus in decursu pœnitentiæ negatam. Quod magis mirere in hac sententiarum varietate, insignem Tertulliani locum, qui totius controversiæ cardo est, utrique in eamdem sententiam accipiunt. Inter utrosque convenit Tertullianum, cum ait l. b. *de Pudicitia*, cap. 5 : « Idololatram quidem et homicidam semel damnas, mœchum vero de medio excipis? » et cap. 12 : « Hinc est quod neque idololatriæ, neque sanguini pax ab ecclesiis redditur; » diserte docere pacem idololatriæ et homicidio apud Catholicos negari. Sed Tertullianum Petavius in re omnium oculis exposita mentiri non suspicatur; nefariæ illum calumniæ et putidi mendacii Morinus et Alexander accusare non dubitant. Neutris omnino assentiri possum, nec Petavio nimiam severitatem primis sæculis affingenti, nec Morino et Alexandro mendacii notam Tertulliano inurentibus. Quamobrem demonstrare aggrediar tria illa gravissima peccata idololatriam, homicidium et adulterium a pœnitentia et pace exclusa in antiqua Ecclesia non fuisse, nec Tertullianum aliam Catholicis doctrinam adscribere.

Primum rationis momentum, illudque non leve, suppeditat ipse Tertullianus, cujus hæc verba in libro *de Pœnitentia* leguntur, cap. 4 : « Omnibus ergo delictis, inquit, seu carne seu spiritu, seu facto seu voluntate commissis, qui pœnam per judicium destinavit, idem et veniam per pœnitentiam spopondit. » Nominatim idololatras hoc beneficio non excludi declarat cap. 7 : « Itaque (hostis) observat, inquit, oppugnat, obsidet, si qua possit aut oculos concupiscentia carnali ferire, aut animum illecebris sæcularibus irretire, aut fidem terrenæ potestatis formidine evertere, aut a via certa perversis traditionibus detorquere: non scandalis, non tentationibus deficit. Hæc igitur venena ejus providens Deus, clausa licet ignoscentiæ

Digitized by Google

janua et intinctionis sera obstructa, aliquid adhuc permisit patere. Collocavit in vestibulo pœnitentiam secundam, quæ pulsantibus patefaciat. » Ita Tertullianus dum adhuc inter Catholicos versaretur, Montanista factus aliud docuit, sed repugnantibus Catholicis, quos sic loquentes inducit lib. *de Pudic.*, cap. 2: « Cæterum Deus, inquiunt, bonus et optimus, et misericors et miserator et misericordiæ plurimus, quam omni sacrificio anteponit, non tanti ducens peccatoris mortem, quam pœnitentiam, salvificator omnium et maxime fidelium. Itaque et filios Dei misericordes esse oportebit, donantes invicem sicut et Christus donavit nobis; non judicantes, ne judicemur. » Idem Tertullianus peccata dividit « in duos exitus, ac alia remissibilia, alia irremissibilia » esse statuit; sed fatetur Catholicos sibi hac in re adversari, eosque nullum prorsus peccatum irremissibile agnoscere; « sed prius decidam, inquit cap. 3, intercedentem ex adverso responsionem ad eam pœnitentiæ speciem quam cum maxime definimus venia carere. Si enim, inquiunt, aliqua pœnitentia caret venia, jam nec in totum agenda tibi est; nihil enim agendum est frustra: porro frustra agetur pœnitentia si caret venia. Omnis autem pœnitentia agenda est: ergo omnis veniam consequatur, ne frustra agatur, quia non erit agenda si frustra agatur. Porro frustra agetur, si venia carebit. » Hæc autem Tertulliani testimonia non de sola Africa accipi debent, sed de omnibus ecclesiis, quas Montanistarum defensor oppugnat. Ubique enim vigebat hæc disciplina, ac duobus primis sæculis viguerat, ut perspici potest ex Hermæ libro secundo, Mandat. 4, in primis ex his quæ Clemens apud Euseb. lib. III, cap. 23, de sancto Joanne Evangelista narrat. Nec omittenda Dionysii Corinthiorum episcopi ad Amastrianorum et alias Ponti ecclesias epistola, in qua præcipiebat ut a quovis lapsu sive delicto, sive etiam hæretica pravitate redeuntes benigne susciperentur, teste Eusebio, lib. IV, c. 23.

2° Improbabile prorsus est quod ait Petavius, Zephirinum, quod spectat ad mœchiam, de antiquæ disciplinæ severitate aliquid remisisse, ac postea temporibus Cypriani majores ad lenitatem factos esse progressus. Non quadrat hæc temporum distributio; nam mœchia, ut modo vidimus, quæ Tertulliani temporibus, omnium Catholicorum concessu, pacem impetrabat, hoc beneficio apud nonnullas ecclesias sub Cypriani antecessoribus exclusa fuit. Quomodo ergo disciplina tunc dimitigata dicitur fuisse, cum novas accessiones habuit severitatis? 3° Si ex Tertulliani verbis concludere liceret quod Petavius conclusit, sequeretur non homicidis solum et idololatris, sed iis etiam qui post fidem ad hæresim defecerant, aut inter cruciatus victi cesserant, pacem immisericorditer negatam fuisse in Ecclesia catholica: sic enim loquitur de hæreticis Tertullianus, c. 13: « Hymenæi autem, inquit, et Alexandri crimen, si et in isto et in futuro ævo irremissibile est, blasphemia scilicet, utique Apostolus non adversus terminum Domini sub spe veniæ dedisset Satanæ, jam a fide in blasphemiam mersos, unde et naufragos eos juxta fidem pronuntiavit, non habentes solatium navis Ecclesiæ. Illis enim venia negatur qui de fide in blasphemiam negaverunt. » Et cap. ult. de iis qui tormentis superantur: « Quæcumque auctoritas, inquit, quæcumque ratio mœcho et fornicatori pacem ecclesiasticam reddit, eadem debebit et homicidæ et idololatris pœnitentibus subvenire, certe negatori, et utique illi quem in prælio confessionis tormentis colluctatum sævitia dejecit. Cæterum indignum Deo et illius misericordia, qui pœnitentiam peccatoris morti prævertit, ut facilius in Ecclesiam redeant qui subando, quam qui dimicando ceciderunt. Urget nos dicere indignitas: contaminata potius corpora revocabis quam cruentata? Quæ pœnitentia miserabiliter titillatam prosternens carnem an vero laniatam? » His in locis Tertullianus prima specie sic videtur argumentari, quasi ipsi cum Catholicis conveniat, nec eis qui a fide in hæresim defecerunt, nec iis qui cum tormentis colluctati cesserunt, pœnitentiam concedi oportere; sed hæc severitas sic abhorret ab antiquæ Ecclesiæ moribus, ut ei a nemine affingi possit. Fatetur Cyprianus in Epistola *ad Quintum*, redeuntibus hæreticis qui in Ecclesia baptizati fuerant, manum in pœnitentiam imponi debere, atque hujus consuetudinis originem ab ipsis Ecclesiæ incunabulis repetere non dubitat: iis autem quorum non animus sed corpus in dolore defecerat, quique veniam non lacrymis, sed cruore et vulneribus petebant, quanta humanitas exhiberi soleret in Ecclesia, tum ex libro Cypriani *de Lapsis*, p. 185, tum ex ejusdem Epistola LII, perspici potest.

Quid igitur statuemus de Tertulliano? Is sane totus errat in Montani castris ac secum pugnat, sed tamen numquam sine aliqua ingenii luce delirat; nec eum adeo crediderim desipuisse, ut omnibus hominibus ridendum se in aperto mendacio propinaret. Quamobrem illud effatum, « neque idololatriæ neque sanguini pax ab ecclesiis redditur, » non de catholicis, sed de Montanistarum ecclesiis interpretandum. Nomen ecclesiæ Tertullianus Montani sectæ proprio quodam jure solet vindicare; velut cum eam vocat Ecclesiam Spiritus, Ecclesiam in tribus positam, cap. 21, aut cum ait cap. 10: « Cederem tibi si scriptura Pastoris, quæ sola mœchos amat, divino instrumento meruisset incidi; si non ab omni concilio ecclesiarum, etiam vestrarum, inter apocrypha et falsa judicaretur. » Videtur sibi multum honoris Catholicis habere, si eorum ecclesiis, post Montani sectam, secundas attribuat. Aliud proferam exemplum ex c. 7, ubi probat ovis et drachmæ parabolas non convenire in mœchum aut fornicatorem, quia « simul apparuit, statim homo de Ecclesia pellitur, nec illi manet, nec gaudium confert repertrici Ecclesiæ, sed luctum, nec congratulationem advocat vicinarum, sed contristationem proximarum fraternitatum. » Cave putes Ecclesiæ morem describi, quamvis generatim loquatur Tertullianus; neque enim hæc Ecclesiæ charitatem redolent, sed inhumanitatem Montanistarum, qui digamos foris sistebant, ac « eumdem limitem liminis mœchis quoque et fornicatoribus

Digitized by Google

figebant ; jejunas pacis lacrymas profusuris, nec amplius ab Ecclesia quam publicationem dedecoris relaturis. » Liquet in ejusmodi locis non Christi Ecclesiam, sed Montani intelligendam esse. Testis est ipse Tertullianus quanta humanitate in Ecclesia catholica excipi solerent qui pœnitentiam petebant : « Et tu quidem, inquit cap. 13, pœnitentiam mœchi ad exorandam fraternitatem in Ecclesiam inducens, concilicialum et concineratum, cum dedecore et horrore compositum prosternis in medium ante viduas, ante presbyteros, omnium lacinias invadentem, omnium vestigia lambentem, omnium genua detinentem ; inque eum hominis exitum quantis potes misericordiæ inlecebris bonus pastor et benedictus Papa concionaris, et in parabola ovis capras tuas quæris, tua ovis ne rursus de Ecclesia exsiliat, quasi non exinde jam liceat quod nec semel licuit. » Quemadmodum ergo Tertullianus de Montani ecclesia loquitur, cum ait mœchum et fornicatorem, simul apparuit, de Ecclesia pelli, sic etiam ad Montanistarum synagogas referendum quod ait, neque idololatriæ neque sanguini pacem ab ecclesiis reddi. Eodem modo interpretandum illud ex c. 13, « Illis enim venia negatur qui de fide in blasphemiam negaverunt. » Montanistarum hæc severitas, non Catholicorum quos ipse Tertullianus impugnat cap. 19, quod iis qui « post fidem vivam » in hæresim lapsi fuerant, veniam concederent.

Sed alia superest solvenda difficultas, cur Tertullianus in hac controversia sic pugnet, quasi ipsius adversarii spem omnem veniæ idololatris et homicidis præcludant; idque argumenti loco arripiat, ut eum mœchis et fornicatoribus eodem modo probet esse agendum. « Quid agit, inquit cap. 5, mollissima et humanissima disciplina? Aut omnibus eis hoc esse debebis; *beati* enim *pacifici;* aut si non omnibus, nostra esse. Idololatram quidem et homicidium semel damnas, mœchum vero de medio excipis, idololatriæ successorem, homicidæ antecessorem, utriusque collegam? Personæ acceptatio est, miserabiliores pœnitentias reliquisti. » Et cap. 6 : « Dabis ergo et idololatriæ et omni apostatæ veniam..., communicabis et homicidæ; » citat cap. 19, verba Joannis : *Si confitemur delicta nostra, fidelis et justus est, ut dimittat ea nobis, et emundet nos ab omni injustitia ;* tum addit : « Numquid ab immunditia? Aut si ita est, ergo et ab idololatria. » His adde quod ex cap. ultimo supra retulimus : « Quæcumque auctoritas, quæcumque ratio mœcho et fornicatori pacem ecclesiasticam reddit, eadem debebit et idololatræ et homicidis pœnitentibus subvenire. »

Sed quibus notum et pertractatum est Tertulliani ingenium, his facilis erit in illius sententiam introitus. Defendendum susceperat quod in Montanistarum causa maxime nudum et adversariorum telis expositum erat. Nihil enim huic sectæ majorem invidiam creabat, quam quod adulteros, fornicatores et digamos foris sisterent, nulla spe pacis ne in extremo quidem spiritu relicta. Quam igitur viam insistet Tertullianus ut se ex molesto et difficili loco expediat? Statuit duplex esse peccatorum genus. « Alia erunt remissibilia, inquit cap. 2, alia irremissibilia. Secundum quod nemini dubium est alia castigationem mereri, alia damnationem. Omne delictum aut venia expungit aut pœna : venia ex castigatione, pœna ex damnatione. » Utitur deinde auctoritate Joannis quædam peccata non ad mortem et quædam ad mortem distinguentis. « Secundum hanc differentiam delictorum, inquit, pœnitentiæ quoque conditio discriminatur. Alia erit quæ veniam consequi possit, in delicto scilicet remissibili ; alia quæ consequi nullo modo possit, in delicto scilicet irremissibili. » Hoc posito principio, declarat sibi propositum esse « specialiter de mœchiæ et fornicationis statu examinare in quam delictorum partem debeant redigi. » Sed quia sciebat hanc peccatorum distinctionem a Catholicis rejici, breviter eos refellendos putat, antequam mœchiam in peccatis numquam dimittendis habendam esse pugnet : « Sed prius decidam, inquit, intercedentem ex diverso responsionem ad eam pœnitentiæ speciem, quam cum maxime definivimus venia carere. Si enim, inquiunt, aliqua pœnitentia caret venia, jam nec in totum agenda tibi est. Nihil enim agendum est frustra. Porro frustra agetur pœnitentia, si caret venia. Omnis autem pœnitentia agenda est. Ergo omnis veniam consequatur, ne frustra agatur, quia non erit agenda, si frustra agatur. Porro frustra agetur, si venia carebit. » Hoc Catholicorum argumentum non belle refellit Tertullianus ; sed tamen, postquam illud sibi visus est optimis rationibus evertisse, tum vero quasi instar certissimi principii constaret quædam peccata esse irremissibilia, in id unum incumbit ut mœchiam et fornicationem ex eo genere esse demonstret. Quare cum ait : « Idololatriam quidem et homicidium semel damnas, » non Catholicos arguit, quasi pacem his peccatis vere denegent et cum adulteris liberalius agant ; sed urget adversarium, quem sibi visus est fregisse et coegisse ut peccata quædam graviora, ut idololatriam, homicidium, hæresim post susceptam fidem, dimitti non debere fateretur. Unde Tertullianus accommodate ad institutam peccatorum divisionem, contendit adulterium, ut homicidio et idololatriæ finitime vicinum, a spe veniæ excludendum ; aut si lenius agatur cum mœchis, homicidas et idololatras eodem jure esse debere. Ex his elucere arbitror pœnitentibus in Africa eamdem ac in aliis ecclesiis humanitatem patuisse ; nedum ex his Tertulliani testimoniis colligere liceat, ut doctissimi viri fecere, alias etiam ecclesias severius cum lapsis egisse.

X. — UTRUM NOVA SUB S. CYPRIANO INDUCTA SIT DISCIPLINA, AC PRISTINA SEVERITAS IN SOLOS APOSTATAS ET DESERTORES RETENTA?

Illustratis, ut potuimus, Tertulliani testimoniis, facilior erit et solutior investigatio sententiæ Cypriani : fucum enim pluribus fecerat Tertullianus, ut et Cypriani sensum non belle acciperent. Tria autem examinanda occurrunt : 1° an disciplina sub Cypriano demitigata fuerit, pristina severitate in solos apostatas et desertores

Digitized by Google

retenta ; 2° an lapsis in decursu pœnitentiæ morientibus negata pax fuerit, nisi libellos a martyribus accepissent ; 3° an non saltem pœnitentia his qui sacrificaverant usque ad mortem imposita fuerit, nec communio nisi in mortis articulo concessa.

Quod spectat ad disciplinæ immutationem, existimat Albaspinæus, lib. II *Observat.*, idololatriæ et aliis gravissimis criminibus pacem sub Cypriano concedi cœpisse, ita tamen ut adversus apostatas et desertores antiqua severitas vigeret. Non solum Tertulliani testimoniis nititur doctissimus episcopus, verum etiam argumenti loco sumit quod nec Cyprianus nec Clerus Romanus de lapsis quidquam statuere ausi sint, sed concilii auctoritatem exspectaverint ; tum etiam quod Cyprianus dicat se « necessitati temporum succubuisse, » et nimiæ remissionis suspicionem reformidet, quia « his qui libellis conscientiam suam maculaverint, vel nefanda sacrificia commiserint, laxandam pacem putaverat (Epist. LII, pag. 67). » Unde contendit Albaspinæus non tam anxiam hujus rei deliberationem futuram fuisse, si concessæ pacis in superioribus persecutionibus exempla præcessissent ; nec commissurum fuisse Cyprianum, ut quod majorum auctoritate firmaretur, id a se laxatum diceret. Non absimilis Petavii sententia, ut supra vidimus. Sed eruditum scriptorem præjudicata ex Tertulliani testimoniis opinio in errorem induxit : nullum enim hac in re vestigium novitatis apud Cyprianum, quo nemo veteris disciplinæ exstitit retinentior. Observat S. Martyr in Ep. LII (p. 62) quosdam ex suis antecessoribus pacem adulteris denegasse, et « in totum pœnitentiæ locum » clausisse ; sed satis indicat hanc legem et a paucis episcopis fixam fuisse, ante quos nulla exstiterat, et sua ætate jam refixam et abrogatam esse. Nec ipse nec quisquam alius in Africa meminerat spem pacis his qui in superioribus persecutionibus ceciderant, præclusam omnino fuisse. Cum quidam presbyteri lapsis communionem ante actam pœnitentiam dedissent, eorum facinus aversatus est Cyprianus, eosque contra Evangelium venisse declaravit : sed in hoc tantum eos vituperat quod id « ante actam pœnitentiam » concessissent, « quando oporteat ad hæc per ordinem pervenire. » In omnibus epistolis quas scripsit in causa lapsorum et in libro *de Lapsis* nihil prorsus reperias quo lapsi de pace in dubium vocentur, modo parem peccatis pœnitentiam agant ; sed Cyprianus instar principii certissimi ponit, Deum « pœnitenti, operanti, roganti posse clementer ignoscere, posse in acceptum referre quidquid pro talibus et petierint martyres et fecerint sacerdotes (p. 193). » Hortatur in eodem libro (p. 190) « ut confiteantur singuli delictum suum dum satisfactio et remissio facta per sacerdotes grata est. » Sic etiam Clerus Romanus (in Epist. inter Cyprianicas XXXI) ut merito castigat « properata nimis remedia communionum utique non profutura, » ita in lapsis desiderium pacis non improbat, modo pulsent sane fores, sed non utique confringant, et adeant ad limen Ecclesiæ sed non utique transiliant. Notanda etiam hæc verba : « Multum illis proficiet petitio modesta, postulatio verecunda, humilitas necessaria, patientia non otiosa. » Mos erat in Ecclesia perantiquus, ut martyrum commendatio ad contrahendum pœnitentiæ lapsis impositæ tempus valeret : testem hujus rei habemus Tertullianum in libro *ad Martyres* et in libro *de Pudicitia.* Hinc etiam Cyprianus : « In præteritum semper, inquit Ep. XI, sub antecessoribus nostris factum est, ut diaconi ad carcerem commeantes martyrum desideria consiliis suis et Scripturarum præceptis gubernarent. » His addi potest memoratus a Cypriano in Epp. LII, LXVII, LXVIII, omnium ecclesiarum consensus in refellendo Novatiano, quem pravæ novitatis propria manus arguebat : scripserat enim, ut testatur Cyprianus Epist. LII, et voce sua recitaverat litteras Cleri Romani, in quibus erat « ut lapsis infirmis et in exitu constitutis pax daretur : » ecclesiarum consensus in rejiciendis Montanistis pariter enituerat.

Quod ergo Cyprianum et Clerum Romanum adduxit ut rem ad concilium integram servarent, non ea fuit opinio quæ illis attribuitur, sed quod viribus suis diffiderent in ejusmodi causa, quæ, ut ait Cyprianus Ep. XIV, « non paucorum, nec ecclesiæ unius aut unius provinciæ, sed totius orbis causa erat. » Examinandæ erant causæ et voluntates singulorum, et varii peccatorum gradus suis quique modulis ponderandi ; quod examen prorsus inutile fuisset, si quotquot sacrificaverant, nullo discrimine exclusi a spe veniæ fuissent. Deinde vero in persecutione Decii tantus exstitit lapsorum numerus, ac tantum dedecus nomini christiano inussere, qui, ut ait Cyprianus in libro *de Lapsis* (p. 183) ad prima statim verba minantis inimici fidem suam prodiderunt, ac ultro ad forum cucurrere, seque hortamentis mutuis in exitium impulerunt, ut non immerito deliberari potuerit an non severius aliquid quam in prioribus persecutionibus, in ejusmodi homines statueretur. Sed tamen videntur in concilio Carthaginensi lenitatis potius quam severitatis exempla constituta. Nam, ut modo videbimus, Libellatici qui jam pœnitentiam egerant, in ipso concilio admissi sunt ; sacrificatis autem plena pœnitentia imposita, sic tamen ut pace non defraudarentur si ante exactum pœnitentiæ tempus in periculosum morbum inciderent. Nihil poterat lenius his temporibus constitui. Itaque fieri potuit ut concilii lenitatem reprehensam ab Antoniano defenderet Cyprianus, quamvis nova in hoc concilio disciplina inducta non fuisset. Utrumque autem a se Cyprianus non sine librata diu et ponderata ratione factum declarat ut et vigente persecutione severitatem, et pace reddita indulgentiam adhiberet. At severitatem in eo enituisse non dicit, quod pacem omnino lapsis negandam decrevisset, sed quod eam per fas et nefas petentibus restitisset, atque excommunicationem intentasset, si quis cum illis injussu suo communicaret : sic etiam in lenitate quæ subsecuta est, negat ecclesiasticas leges fuisse violatas, sed provisum fuisse contendit ut nec lapsi desperatione deficerent, « nec rursus censura evangelica solveretur, ut ad communicationem temere prosilirent. » Uno verbo negat a se aut a Cornelio quidquam factum esse præter exempla majorum : « Nam sicu

Digitized by Google

antecessores nostri sæpe fecerunt, inquit (p. 69) colligendis fratribus nostris charissimus frater noster (Cornelius) necessitati succubuit. »

Pristinam severitatem interdum a Cypriano retentam Albaspinæus et post eum Gotofredus (lib. XVI *Cod. Theod.* p. 210) ex his Epistolæ LII verbis colligunt : « Apostatæ vero et desertores vel adversarii et hostes et Christi Ecclesiam dissipantes, nec si occisi pro nomine foris fuerint, admitti secundum Apostolum possunt ad Ecclesiæ pacem, quando nec Spiritus nec Ecclesiæ unitatem tenuerunt. »

Ut hoc Cypriani testimonium explicetur, observandum est 1° apostatas et desertores non eos dici, ut Albaspinæus et Gotofredus putant, qui ex Judæis ethnici aut Christiani fiebant, sed qui nomen dabant Felicissimi schismati. 2° Revocandum est in memoriam quod supra diximus, pacem illis negatam in mortis discrimine qui pœnitentiam sani contempserant, quia videlicet dubium merito videbatur an sincero animi affectu resipiscerent. Quod autem de ejusmodi hominibus statutum erat, id in pluribus aliis par erat observari, quorum aut insanabilis videbatur aut cæteris ovibus periculosa improbitas. Hinc cum multi, perspecta Felicissimi nequitia, remearent et ad Ecclesiam pulsarent, Cyprianus anxie ponderabat et sollicite examinabat « qui recipi et admitti ad Ecclesiam deberent. Quibusdam enim, » inquit Epist. LV, p. 87, « ita aut crimina sua obsistunt, aut fratres obstinate et firmiter renituntur, ut recipi omnino non possint nisi cum scandalo et periculo plurimorum. » Ad hos videntur spectare Cypriani minæ in Epist. XXXVIII, ubi sic loquitur : « Sed et quisquis se conspirationi et factioni ejus adjunxerit, sciat se in Ecclesia nobiscum non esse communicaturum, qui sponte maluit ab Ecclesia separari. » Et in Epist. XL : « Si quis autem pœnitentiam agere et Deo satisfacere detrectans ad Felicissimi et satellitum ejus partes concesserit, et se hæreticæ factioni conjunxerit, sciat se postea ad Ecclesiam redire, et cum episcopis et plebe Christi communicare non posse. » Has minas non omnino in rem contulit Cyprianus. Ipse enim testatur in Epist. LV, multos a se e schismate redeuntes esse susceptos, ac plebem gaudere et lætari solitam cum « tolerabiles et minus culpabiles » redirent. Quinetiam plebi interdum persuadebat, imo extorquebat, ut ex iis qui inemendabiles et protervi erant, nonnulli susciperentur ; et unus atque alius, obnitente plebe et contradicente, Cypriani tamen facilitate suscepti, pejores extiterunt quam prius fuerant. Non absimili sententia Cyprianus cum pluribus aliis episcopis de virginibus quæ cum masculis in eodem lecto deprehensæ fuerant, sic decernit. « Quod si obstinate perseverant, nec se ab invicem separant, sciant se cum hac sua impudica obstinatione numquam a nobis admitti in Ecclesiam posse, ne exemplum cæteris ad ruinam delictis suis facere incipiant. » Merito obstinatis ejusmodi peccatoribus, itidem ut pertinacibus schismaticis, non modo venia, sed etiam introitus in ecclesiam negabatur. Sed si cum debitis conversi cordis significationibus rediissent, ac diu multumque fores Ecclesiæ pulsassent, non dubium quin eos paterno sinu excepisset Cyprianus et ad pœnitentiam admisisset. Igitur Felicissimus ejusque præcipui sectatores cum homines essent ad omne scelus parati, non discessisset ab Ecclesiæ regulis Cyprianus, si omnem illis in Ecclesiam reditum præclusisset ; neque id videri deberet vestigium quoddam disciplinæ ante Cyprianum in omnes graviorum criminum reos observatæ. 3° Objectus ab Albaspinæo locus Cypriani non dicit apostatas et desertores, etiamsi relicto schismate sanguinem pro Christo fundant, ad Ecclesiæ pacem admitti non posse, sed tantum nihil illis martyrium extra Ecclesiam ad pacem prodesse posse, quia « nec Spiritus nec Ecclesiæ unitatem tenuerunt; » id quod sæpe alias Cyprianus inculcat. Opponit ejusmodi desertores aliis lapsis pœnitentiam in Ecclesia agentibus, et quos Dominus intus inveniet cum mundum judicaturus apparebit.

XI. — UTRUM S. CYPRIANUS LAPSIS IN DECURSU PŒNITENTIÆ MORIENTIBUS PACEM NEGAVERIT, HIS TANTUM EXCEPTIS QUI LIBELLOS A MARTYRIBUS ACCEPERANT.

Postquam probavimus Cyprianum nihil novi fecisse cum lapsis pœnitentibus pacem concessit, sequitur ut inquiramus an iisdem ante exactam pœnitentiam periculose ægrotantibus communionem negaverit, nisi libellos a martyribus accepissent. Cyprianum contendit Petavius iis tantum pacem indulsisse, qui libellos a martyribus accepissent, cæteris vero ne in præsenti quidem mortis discrimine id concessisse ; alioqui nihil discriminis futurum fuisse inter istos et priores, quos tamen meliori aliqua conditione uti oportuit. Sed ipsa S. Martyris verba proferenda sunt : « Quoniam tamen video, inquit in Epist. XII, facultatem veniendi ad vos nondum esse et jam æstatem cœpisse, quod tempus infirmitatibus assiduis et gravibus infestatur, occurrendum puto fratribus nostris ; ut qui libellos a martyribus acceperunt, et prærogativa eorum apud Deum adjuvari possunt, si incommodo aliquo et infirmitatis periculo occupati fuerint, non exspectata præsentia nostra, apud presbyterum quemcumque præsentem, vel si presbyter repertus non fuerit, et urgere exitus cœperit, apud diaconum quoque exomologesin facere delicti sui possint, ut, manu eis in pœnitentiam imposita, veniant ad Dominum cum pace, quam dari martyres litteris ad nos factis desideraverunt. »

Immerito Petavius ex hoc testimonio colligit pacem iis qui libellos non habebant, denegatam fuisse. Nam 1° quis Cyprianum putet adeo æquitatis oblitum fuisse, ut iis qui pœnitentiam subterfugiebant, « et audaci flagitatione ac violento impetu pacem extorquere » nitebantur, tam benigne provideret, « ad illorum violentiam interim quoquo genere mitigandam » (Ep. XV) ; fervidos autem pœnitentes, qui se episcopi sui judicio committere quam pœnitentiam declinare maluerant, sine pace et communione mori paterétur ? 2° Clerus

Digitized by Google

Romanus Carthaginensem, absente Cypriano monuerat « ut iis qui post lapsum infirmitate apprehensi essent et pœnitentes communionem desiderarent, subveniretur (Epist. III et XV). » Atque hoc consilium non modo non improbavit Cyprianus, sed etiam in Epist. XV declarat se « standum » putasse « et cum » eorum « sententia, ne actus noster, inquit, qui adunatus esse et consentire circa omnia debet, in aliquo discrepare. » At immane quantum inter Cypriani et Romanorum agendi rationem distaret, si cum isti pacem omnibus vere pœnitentibus dandam esse admonuissent, Cyprianus indulgentia et humanitate in eos solos usus fuisset qui peccato suo pœnitentiæ fugam et Ecclesiæ perturbationem adjecerant? 3° Non obscure indicat Cyprianus in Epist. XIII, quibus non libelli sed pœnitentiæ opera suffragabantur, eis periculose ægrotantibus pacem multo potiori jure esse dandam. « Cæteram quoque partem plebis quæ lapsa est, inquit, præsentia vestra fovete, et ut a fide et misericordia Domini non deficiant, vestro solatio focillate. Neque enim deserentur ab ope et auxilio Domini qui mites et humiles et pœnitentiam vere agentes in bonis operibus perseveraverint, quominus illis quoque divino remedio consulatur. » Persuasum ergo esse vult ejusmodi pœnitentibus fore ut « illis quoque divino remedio consulatur; » atque hoc illis concedit ut solatium Ecclesiæ legibus consentaneum, quodque nova decreta non desideraret. Neque enim data opera scribebat Epistolam XIII ut ejusmodi lapsis provideret quibus et Ecclesiæ consuetudo et Romani Cleri monita satis providerant, sed ut eorum tumultum comprimeret qui querelis suis Carthaginensem ecclesiam incendebant. Atque id causæ esse arbitror cur Cyprianus in Epist. XIV confirmans quæ in decima tertia decreverat, nihil nominatim dicat de pace veris pœnitentibus in extremo periculo concedenda. Postquam enim locutus est de iis qui libellos a martyribus acceperant, hæc addit : « Cæteri vero qui, nullo libello a martyribus accepto, invidiam faciunt, quoniam non paucorum nec ecclesiæ unius aut unius provinciæ, sed totius orbis hæc causa est, exspectent de Domini protectione Ecclesiæ ipsius publicam pacem. » Non id profecto sancit Cyprianus, ut veris pœnitentibus pax in exitu negetur (neque enim retexit quæ in superiore epistola constituerat, sed ea potius confirmat, dum ait se « plene scripsisse ad hanc rem proximis litteris), » sed nonnullorum festinationem comprimit, qui communionem petebant ante redditam Ecclesiæ pacem, antequam gravi morbo tentarentur; hos jubet exspectare dum pax Ecclesiæ reddatur. at pacem in exitu non negat; neque eos reprehendit quod a communione arceri se in exitu nollent, sed quod eam ante exulum reditum peterent, ac « confessores ipsos prævenire » vellent.

Sed objicit Petavius meliori conditione uti debuisse qui libellos acceperant, quam qui non acceperant; quod si omnibus concessa pax, nullum prorsus inter utrosque discrimen exstitisse. Existimat Tillemontius Cyprianum ingeniosa quadam charitate fecisse, ut cum præcipue aliquid in honorem martyrum concedere videretur, nihil tamen præcipue concederet; et cum pacem iis tantum qui libellos habebant polliceretur, neminem prorsus ab hac indulgentia excluderet, quippe cum martyres adeo libellorum prodigi essent, ut omnibus eorum liberalitas pateret. Sed si ea accommodatione usus fuisset qua illum Tillemontius usum esse existimat, ac tacite lapsos omnes fuisset hortatus ut se libellorum præsidio munirent, an paulo post tanta arsisset indignatione in Lucianum, qui universis lapsis id concedere ausus est quod jam antea plurimis concesserat. Deinde vero perinique Cyprianus veros pœnitentes ejusmodi periculo exposuisset, ut pace defraudati morerentur; neque enim verisimile erat eos qui hactenus tam timidi ac pudentes fuerant, audaciores deinceps in libellis petendis futuros; aut ipsos etiam confessores in concedendis cautiores non fore postquam eorum nimiam facilitatem castigaverat Cyprianus.

Cyprianum sic interpretatur Morinus : Cum lex esset ut pacem moribundi non impetrarent qui pœnitentiam sani non egerant, existimat eruditus scriptor decernere Cyprianum ut in iis qui libellos a martyribus acceperant, legis severitas non servetur, ac illis in honorem martyrum pax concedatur, quam frustra hoc præsidio destituti petiissent. Sed hæc interpretatio nec cum verbis nec cum mente Cypriani congruit. 1° Nominatim requirit Cyprianus ut qui libellos a martyribus acceperunt, « prærogativa et auxilio eorum adjuvari apud Dominum in delictis suis » possint. Porro in his epistolis et in libro *de Lapsis* illud arcte tenet accurateque defendit, non prodesse lapsis commendationem martyrum si pœnitentiam agere detrectent, quare, si lapsi, post tot Cypriani et presbyterorum monita, in obstinato pœnitentiæ non agendæ consilio perseverassent, an Cypriano visi essent idonei qui martyrum auxilio apud Dominum juvarentur? Deinde vero, si omnibus libellos habentibus pacem decernebat, sive pœnitentiam egissent, sive non egissent, quid necesse erat delectum habere, ac in conditionis loco requirere, ut martyrum auxilio adjuvari possent? Lapsis ergo Cyprianus non pœnitentiæ onus eximit, sed potius ad pœnitentiam blande et leniter hortatur, dum pacem offert morientibus, modo martyrum meritis juvari possint. Hinc in Epist. XIV laudat presbyteros et diaconos quod lapsos ad pœnitentiam et patientiam hortati essent, ac pœnitentiam ab illo agi declarat qui divinis præceptis mitis et patiens et sacerdotibus Dei obtemperans, obsequiis suis et operibus justis Dominum promeretur. Id autem deferre videtur martyrum meritis ut lapsis nondum ea pœnitentia expiatis quæ pacem per se ipsa in mortis discrimine impetret, martyrum commendatio suffragetur. Nec levis videri debet hæc indulgentia, si temporum illorum severitas attendatur. Etsi enim pœnitentibus periculose ægrotantibus pax dari solebat, non tamen id sine delectu et judicio concedebatur. Hinc Clerus Romanus, re cum pluribus episcopis deliberata, censuit « eorum quorum vitæ suæ finem urgens exitus dilationem non potest ferre, acta pœnitentia et pro-

Digitized by Google

fessa frequenter suorum detestatione factorum, si lacrymis, si gemitibus, si fletibus dolentis ac vere pœnitentis animi signa prodiderint, cum spes vivendi secundum hominem nulla substiterit, ita demum caute et sollicite subveniri, » etc. (Epist. xxxi). Ipse Cyprianus, in Epist. xiii, pacem iis solis promittit « qui mites et humiles et pœnitentiam vere agentes in bonis operibus perseveraverint. » Ex his perspici potest quo lenitatem et indulgentiam perducat Cyprianus. Quibus enim consultum voluit in Epistolis xii et xiv, hi vel pœnitentiam segniter egerant, vel etiam gravissimo delicto illud addiderant, ut pœnitentiam declinarent, ac dissensionibus et querelis Ecclesiam permiscerent : quibus factis meruerant ut pax morientibus negaretur, etiamsi pœnitentiam paulo ante morbum incœpissent. Quamobrem primis concedit S. Martyr ut quod eorum pœnitentiæ ad pacem impetrandam deerat, id martyrum meritis expleatur. Postremis pariter consulit, atque ut tumultum comprimat, indulgentia in eos utitur ; et modo aversum pœnitentiæ remediis animum deponant, quod sua sponte mancum et inchoatum videretur, id martyrum meritis compensatum, a presbyteris ratum haberi jubet.

XII. — UTRUM CONCILIUM CARTHAGINENSE PŒNITENTIAM SACRIFICATIS PER TOTUM VITÆ TEMPUS IMPOSUERIT.

Nunc aliud examinandum sequitur, an non saltem ætate Cypriani gravioribus peccatis pœnitentia per totum vitæ tempus imposita fuerit, et communio ad ipsum mortis articulum dilata. Res dijudicari potest ex consuetudine quæ tunc vigebat, ut qui pacem in gravi morbo accepissent, ii, valetudine restituta, reliquum pœnitentiæ tempus non explerent, sed eodem jure essent ac alii fideles. Id perspicitur ex his Cypriani verbis in Epist. lii (pag. 69) : « Si qui enim, inquit, infirmitatibus occupantur, illis, sicut placuit, subvenitur. Postea tamen quam subventum est et periclitantibus pax data est, offocari a nobis non possunt aut opprimi, aut vi et manu nostra in exitum mortis urgeri, ut, quoniam morientibus pax datur, necesse sit mori eos qui acciperint pacem ; cum magis in hoc indictum divinæ pietatis et paternæ lenitatis appareat, quod qui pignus vitæ in data pace percipiunt, hi quoque ad vitam data pace teneantur. Et idcirco si, accepta pace, commeatus a Deo datur, nemo hoc debet in sacerdotibus criminari, cum semel placuerit fratribus in exitu subveniri. » Non quadrat tanta lenitas cum irrogata per totum vitæ tempus pœnitentia ; alioquin sæpe usu evenisset, ut qui post unum aut alterum pœnitentiæ annum communionem in gravi morbo accepissent, iis e morbo evadentibus jam emeritus esset pœnitentiæ cursus, cum interim aliis in eadam causa ac forte etiam in leviore culpa triginta aut quadraginta anni superessent decurrendi. Nimia sane erat episcoporum in judicando animadversio et rerum omnium consideratio et provisio, quam ut tam grave incommodum non effugerent. Sed tamen videndum nobis est quid ea de re decreverit concilium Carthaginense, in quo lapsorum causa paulo post reditum Cypriani dijudicata est.

Decretum hujus concilii sic exponit S. Martyr in Ep. lii (p. 74) : « Et ideo, inquit, placuit, examinatis causis, singulorum Libellaticos interim admitti, sacrificatis in exitu subveniri. » Non una fuit eruditorum de hoc canone sententia. Auctor *Observationum criticarum in Bibliothecam scriptorum Ecclesiasticorum* negat Libellaticos in in ipso concilio ad pacem protinus admissos fuisse ; ac inter eos et sacrificatos id ponit discriminis, quod isti per totum vitæ tempus pœnitentiæ addicti fuerint, primi vero interim admissi, id est post certum pœnitentiæ tempus exactum. Auctor ipse *Bibliothecæ* idem de sacrificatis censet, quamvis pacem Libellaticis in ipso concilio concessam existimet fuisse. Assentitur ei Tillemontius de Libellaticis ac illius censorem impugnat, sed pluribus refellit quod uterque pro certo posuerat, iis qui sacrificaverant non alios pœnitentiæ quam vitæ fines præscriptos fuisse. Hæc Tillemontii sententia multis nominibus videtur anteponenda. Illud autem in primis observandum est duas illas de Libellaticis et de sacrificatis quæstiones sic inter se nexas esse, ut quæ de alterutra dicantur, de utraque dicta videri debeant. Nam si Libellatici statim in ipso concilio perhumaniter restituti sunt communioni, probabile non est sacrificatos in extremum vitæ discrimen rejectos fuisse. Rursus si his verbis, « placuit sacrificatis in exitu subveniri, » non prohibetur ne pax ante exitum detur, sed potius decernitur ut periculose intra præscriptum tempus ægrotantibus concedatur ; perspicuum erit Libellaticis, quorum multo levior erat culpa, non pœnitentiam in concilio impositam fuisse, sed concessam communionem ; alioquin statutum fuisset, ut istis quoque in exitu subveniretur.

Quod spectat ad Libellaticos, liquet horum verborum, « placuit Libellaticos interim admitti, » hanc esse sententiam, Libellaticos interim admissos ad pacem fuisse, dum sacrificati pœnitentiam agerent, id est, eodem decreto et pacem Libellaticis et pœnitentiam sacrificatis decretam fuisse. Hinc Cyprianus in Epist. liv statutum fuisse ait in hoc concilio de iis qui sacrificaverant, ut agerent diu pœnitentiam plenam : at Libellaticos eodem decreto minime comprehendit. Anno sequenti cum statuisset instante persecutione iis qui a primo lapsus die pœnitentiam egerant, communionem concedere, hæc indulgentia ad eos tantum spectabat qui sacrificaverant, quibusque imposita fuerat plena pœnitentia. At de Libellaticis nulla mentio, quos tamen maxime oportebat indulgentiæ participes fieri, si eam prius in concilio consecuti non fuissent. Quinetiam Cyprianum cum Libellaticis post concilium communicasse perspicimus ex Epist. lii. Quod enim ait Cyprianus se « nemini quidem ex lapsis prius communicasse, » quamdiu sæviit persecutio, « postea tamen necessitati temporum succubuisse; » id referri non potest ad sacrificatos (his enim pœnitentia imposita fuerat), sed tantum ad Libella-

Digitized by Google

ticos. Et cum hæc communicatio in invidiam a Novatiano vocaretur, sic eum refellit Cyprianus in eadem epistola : « Aut si se cordis, inquit, et renis scrutatorem constituit et judicem, per omnia æqualiter judicet, et cum sciat scriptum esse : *Ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne quid tibi deterius fiat,* fraudatores et mœchos a latere atque comitatu suo separet, quando multo et gravior et pejor sit mœchi quam Libellatici causa, cum hic necessitate, ille voluntate peccaverit. » Exagitabat ergo Novatianus catholicos episcopos quod cum Libellaticis communicarent. Nec tamen omnibus Libellaticis concessa pax in concilio, sed iis tantum qui pœnitentiam egerant. Quamobrem frustra auctor *Observationum in Bibliothecam* pluribus probat, quod a nemine negatur, libelli crimen sine pœnitentia dimissum non fuisse.

Altera pars decreti facile illustratur. Ac 1° quidem illud, « sacrificatis in exitu subveniri, » non pœnitentiam ad extremum spiritum producendam, sed in gravi morbo finiendam indicat, nec in pœnæ sed in beneficii loco decretum fuit, siquidem Cyprianus in Epist. LII nimiæ remissionis suspicionem ab hoc decreto removet, ac rationem reddit cur episcopi ad hanc lenitatem et indulgentiam descenderint. 2° Idem decretum refert in Epist. LIV, sed paulo clarius : « Statueramus jampridem, inquit, frater charissime, participato invicem nobiscum consilio, ut qui in persecutionis infestatione supplantati ab adversario et lapsi fuissent, et sacrificiis se illicitis maculassent, agerent din pœnitentiam plenam, et si periculum infirmitatis urgeret, pacem sub ictu mortis acciperent. » Tota res ergo in eo vertitur ut quid sit pœnitentia plena, utrum totum vitæ tempus complexa, an certo quodam spatio definita fuerit, expendatur. At id facile perspicitur ex Epist. LIX, ubi queritur Cyprianus quod Victori, quondam presbytero, pacem concessisset Therapius « antequam pœnitentiam plenam egisset, ante legitimum et plenum satisfactionis tempus, sine petitu et conscientia plebis, nulla infirmitate ac necessitate cogente. » Erat ergo præfinitum aliquod pœnitentiæ tempus, cujus imminuendi potestas erat penes episcopum, modo causa aliqua gravis incidisset. Eamdem pœnitentiæ plenæ notionem suppeditat Epist. LXII, in qua Cyprianus et alii cum eo episcopi de virginibus quæ cum masculis deprehensæ in eodem lecto fuerant, decernunt ut, « si pœnitentiam hujus illiciti concubitus sui egerint et a se invicem recesserint, inspiciantur interim virgines ab obstetricibus diligenter, et si virgines inventæ fuerint, accepta communione ad Ecclesiam admittantur....; si autem de eis aliqua corrupta fuerit deprehensa, agat pœnitentiam plenam, quia quæ hoc crimen admisit, non mariti sed Christi adultera est ; et ideo æstimato justo tempore, postea exomologesi facta, ad Ecclesiam redeat. » Brevis ergo pœnitentia integris virginibus imponitur, corruptis autem plena « et justo tempore æstimato : » et quemadmodum in concilio Carthaginiensi sancitum ut lapsi interim admitterentur, sacrificati pœnitentiam plenam agerent, ita etiam hoc loco decernunt episcopi ut virgines interim inspiciantur, et integris in Ecclesiam admissis, corruptæ pœnitentiam plenam agant. 3° Si sacrificati per totum vitæ tempus addicti pœnitentiæ fuissent, necesse non fuisset « ut examinarentur causæ et voluntates et necessitates singulorum ; » sed, ut observat Tillemontius, nullum prorsus discrimen, nullus delectus exstitisset.

XIII. — DE CHRISTI IN EUCHARISTIA PRÆSENTIA.

Ecclesiæ doctrina de corpore et sanguine Domini apertis Cypriani testimoniis continetur. Quidquid de Eucharistia prædicat S. Martyr, eo spectat ut notio illa confirmetur quam prima auditione Christi verba animis afferunt. Perspici potest illius sententia ex his quæ de sacramentis hæreticorum disserit. Cur enim in Epist. LXX, « Eucharistiam fieri apud illos omnino non posse » censebat, nisi quia Christi verba ab illis frustra pronuntiari existimabat, frustra invocari Spiritum sanctum, ut panem et vinum faciat corpus et sanguinem Christi ? Sic etiam Firmilianus ut probet non satis esse ad effectus sacramentorum ut Ecclesiæ preces et ritus serventur, exemplo utitur insanæ cujusdam mulierculæ quæ frequenter ausa fuerat, ut « et invocatione non contemptibili sacrificare se panem et Eucharistiam facere simularet, et sacrificium Domino non sine sacramento solitæ prædicationis offerret. » Illud ergo discriminis Firmilianus et Cyprianus inter Catholicorum et hæreticorum Eucharistiam ponebant, quod hæreticis Spiritum sanctum invocantibus nulla fieret donorum mutatio, Catholicorum autem preces numquam hoc mirabili effectu carerent.

Adeo persuasum et exploratum erat Cypriano de mirabili illo ecclesiasticæ invocationis effectu, ut de lapsis ante purgatam conscientiam communicantibus dicere non dubitet lib. *de Laps.* (p. 186) : « Vis infertur corpori ejus et sanguini, et plus modo in Dominum manibus atque ore delinquunt, quam cum Dominum negaverunt. » Non ergo sola fide corpus Christi in Eucharistia sumitur, sed vere et ab indignis ipsis percipitur ; nec corpus ab anima et divinitate separatum est, sed ipse Dominus adest, ac in eum manibus et ore delinquunt qui indigne communicant. Hinc ipsam Domini majestatem adesse declarat in eodem libro, sic enim loquitur de puella quæ, a nutrice ad idolum, deinde a parentibus ad ecclesiam delata, sanguinem Domini, quem diaconus reluctanti infuderat, non sine singultu rejecit. « In corpore atque ore violato, inquit, Eucharistia permanere non potuit. Sanctificatus in Domini sanguine potus de pollutis visceribus erupit. Tanta est potestas Domini, tanta majestas ! » (Pag. 189.) Narrat ibidem Cyprianus aliud miraculum : « Et quidem alius, inquit, quia et ipse maculatus sacrificio a sacerdote celebrato partem cum cæteris ausus est latenter accipere, sanctum Domini edere et contrectare non potuit, cinerem ferre se apertis manibus invenit. Documento unius ostensum est Dominum recedere cum negatur. » Non ergo panis ex manibus hujus hominis evanuerat, sed ipse Dominus re-

Digitized by Google

cesserat. Hæc autem Cyprianus ea mente disserit, ut hominibus parum caute communicantibus, quid de hoc mysterio sentiendum sit explanet. Quamobrem facile perspicitur quo sensu primis sæculis hæc Christi verba, HOC EST CORPUS MEUM, HIC EST SANGUIS, etc., episcopi acciperent, cum ex his concludant Christi corpus et sanguinem sumi, in ipsum Dominum ore et manibus delinquere qui indigne communicant, potestatem Domini et majestatem adesse, ac ipsum Dominum non sine miraculo e manibus contaminatis recessisse. Si credita tunc non fuisset mutatio vini in sanguinem Christi, num, quæso, post eas preces quibus Deus rogatur ut vinum faciat sanguinem Christi, nihil aliud jam nisi sanguis Christi in calice agnosceretur? Nihil aliud profecto agnoscit Cyprianus sexcentis locis. Statuit adversus eos qui aquam tantum in matutinis sacrificiis offerebant, indignum esse Christiano vereri « ne per saporem vini redoleat sanguinem Christi. Sic ergo, inquit, incipit et a passione Christi in persecutionibus fraternitas retardari, dum in oblationibus discit de sanguine ejus et cruore confundi..... Quomodo autem possumus propter Christum sanguinem fundere, qui sanguinem Christi erubescimus bibere (p. 109) ? » Non solum sanguinem vocat, sed etiam cruorem, et cum eo sanguine comparare non dubitat qui in venis nostris fluit. Ait etiam, pag. 106 : « Quomodo ad potandum vinum veniri non potest nisi botrus calcetur ante et prematur, sic nos nec sanguinem Christi possemus bibere, nisi Christus calcatus prius fuisset et pressus, et calicem prior biberet, in quo credentibus propinaret? »

Quemadmodum Cyprianus communiones indignas detestatur, quia « sanctum Domini corpus » profanatur (p. 20), quia « vis infertur corpori et sanguini Domini, et in Dominum manibus et ore » delinquitur (p. 186), quemadmodum Firmilianus instar piaculi ducebat quod homines, ut ipsi videbatur, non baptizati « usurpata temere communicatione contingant corpus et sanguinem Domini (p. 149), » sic gratiæ dona quæ ex Eucharistia percipi solent, ex corpore et sanguine Christi præsentibus repetuntur. Docet Cyprianus milites Christi considerare debere « idcirco se quotidie calicem sanguinis Christi bibere, ut possint et ipsi propter Christum sanguinem fundere. » Hinc, cum, instante Galli et Volusiani persecutione, communionem iis qui sub Decio lapsi fuerant, concedere decrevisset, indulgentiæ hanc rationem reddit in Ep. LIV (p. 78) : « Nam quomodo, inquit, docemus aut provocamus eos in confessione nominis sanguinem suum fundere, si eis militaturis Christi sanguinem denegamus? Aut quomodo ad martyrii poculum idoneos facimus, si non eos prius ad bibendum in ecclesia poculum Domini jure communicationis admittimus ? » Et in Ep. LXIII (p. 107) : « Calix Dominicus sic bibentes inebriat ut sobrios faciat, ut mentes ad spiritalem sapientiam dirigat, ut a sapore isto sæculari ad intellectum Dei unusquisque resipiscat : et quemadmodum vino isto communi mens solvitur et anima relaxatur, et tristitia omnis exponitur, ita epotato sanguine Domini e poculo salutari, exponatur memoria veteris hominis, et fiat oblivio conversationis pristinæ sæcularis, et mœstum pectus ac triste, quod prius peccatis angentibus premebatur, divinæ indulgentiæ lætitia resolvatur. » Quidquid ergo docet Ecclesia catholica de mutatione panis et vini in corpus et sanguinem Christi, quidquid animo hac fide imbuto observari potest, id Cypriani menti impressum et insculptum fuisse perspicimus.

Objicit nobis editor Oxoniensis hunc locum ex Epist. LXIII : « Sic autem in sanctificando calice Domini, » inquit (p. 108) Cyprianus, « offerri aqua sola non potest, quomodo nec vinum solum potest? Nam si vinum tantum quis offerat, sanguis Christi incipit esse sine nobis. Si vero aqua sit sola, plebs incipit esse sine Christo. Quando autem utrumque miscetur, tunc sacramentum spiritale et cœleste perficitur. » Ex his colligit sanguinem Christi esse in calice, quemadmodum ipsa plebs eodem calice contineri dicitur. Sed adeo manifestum est discrimen, ut mirer hominem eruditum in his cavillationibus immorari. Quis enim umquam dixit populum in calice bibi, ore et manibus contingi, populum recedere cum species immutatæ sunt, et alia ejusmodi quæ de Christi sanguine dicta modo retulimus? Quamobrem, cum dicitur plebs esse in calice, manifesta est figura quæ neminem latere, neminem in erroris periculum conjicere possit. At post Christi verba, *hic est sanguis*, etc., quotidie commemorata et inculcata, post quotidianas in sacrificio preces, ut vinum fiat sanguis Christi, quis figuram suspicari potuisset nihil aliud audiens nisi Christi sanguinem esse in calice, offerri in calice, et bibi, ac animas nostras corroborare ut nostrum sanguinem pro Christo fundamus ?

Sed breviter nobis examinandum quid intersit inter eas rationes quibus aquam Cyprianus calici infundendam, et ea quibus vinum omnino necessarium esse persuadet. Sic enim et Dominici sanguinis veritas patebit, et obiter refellentur qui aquam a Cypriano, ut jure divino, non solum ecclesiastico, præscriptam commendari volunt. S. Martyr evertere statuerat pessimam consuetudinem, quæ apud nonnullos obrepserat, ut aqua sola in matutino sacrificio offerretur. Quamobrem demonstrat aquam non in Eucharistia, sed tantum in Baptismo ad proprium sacramenti effectum essentialem esse materiam, et « quoticscumque aqua sola in Scripturis nominatur, Baptisma prædicari, et appellatione aquæ Baptisma significatum semper esse ; » at vero in Eucharistia « calicem mixtum fuisse quem Dominus obtulit, et vinum fuisse quod sanguinem suum dixit, eumque docuisse exemplo magisterii sui calicem vini et aquæ conjunctione misceri. » Hinc aquam ad mysticas tantum significationes adhiberi demonstrat : « Aquas namque populos, inquit (p. 108), significare in *Apocalypsi* Scriptura divina declarat dicens : *Aquæ quas vidisti, super quas sedet meretrix illa, populi et turbæ et gentes ethnicorum sunt et linguæ.* Quod scilicet perspicimus et in sacramento calicis contineri. Nam, quia nos omnes portabat Christus, qui et peccata nostra portabat, videmus in aqua populum intelligi, in vino vero ostendi sanguinem Christi. » Hactenus Cyprianus necessitatem aquæ elevat potius quam commendat. Sed tamen postea ait aquam

Digitized by Google

solam offerri non posse « quomodo nec vinum solum potest, » et copulationem et conjunctionem aquæ et vini sic misceri in calice Domini, « ut commixtio illa non possit ab invicem separari. » Animadvertendum est Cypriani consilium. Disserens cum hominibus aquam solam adhibentibus, utitur principio quod facile concessuri erant, nec vinum quidem solum adhiberi debere. Nulla sane illis obstabat anticipata opinio quominus id faterentur; quamobrem Cyprianus statuit aquam solam adhiberi non debere, quomodo nec vinum solum; non quod metueret ne ejusmodi homines vinum solum offerrent; non quod aquam æque ac vinum a Christo præscriptam et ad essentiam sacramenti pertinere duceret, satis enim declaravit eam ad mysticas significationes adhiberi; sed quia hæc comparatio ad vini necessitatem demonstrandam apposita erat, et ex incommodis quæ vino solo adhibito consequerentur, multo graviora consequi patebat si aqua sola adhibeatur. Hinc quoties in hac epistola calicem mixtum esse debere statuit, non id proprie refert ad aquam, sed ad vinum, quod hi quos refellebat, omittebant.

Necessitatem vini longe aliter defendit Cyprianus. Demonstrat 1° Scripturæ testimoniis, ut aquam in Baptismo, ita vinum in Eucharistia designari; 2° præceptum Christi longe gravissimum violari, si vinum omittatur. « Cum ergo, inquit (p. 107), neque ipse Apostolus neque Angelus de cœlo annuntiare possit aliter aut docere præterquam quod semel Christus docuit et Apostoli ejus annuntiaverunt, miror satis unde hoc usurpatum sit, ut, contra evangelicam et apostolicam disciplinam, quibusdam in locis aqua offeratur in Dominico calice, quæ sola Christi sanguinem non possit exprimere. » Et p. 109 : « Quod si nec minima de mandatis Dominicis licet solvere, quanto magis tam magna, tam grandia, tam ad ipsum Dominicæ passionis et nostræ redemptionis sacramentum pertinentia fas non est infringere, aut in aliud quam quod divinitus institutum sit, humana traditione mutare? » 3° Ex hac divini instituti temeraria immutatione quænam incommoda consequi existimat Cyprianus? « Calicem etenim, inquit (p. 106), sub die passionis accipiens, benedixit et dedit discipulis suis dicens : *Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis novi Testamenti*, etc. Qua in parte invenimus calicem mixtum fuisse quem Dominus obtulit, et vinum fuisse quod sanguinem suum dixit. Unde apparet sanguinem Christi non offerri, si desit vinum calici; nec sacrificium Dominicum legitima sanctificatione celebrari, nisi oblatio et sacrificium nostrum responderit passioni. Passio est enim Domini, » ut ait (p. 109), « sacrificium quod offerimus. » Idcirco ergo ex Cypriano vinum adhibendum in calice, quia cum Christus accepto vino dixerit : *Hic est sanguis*, etc., si aqua sola adhibeatur, aqua remanebit, nec jam offeretur Christi sanguis, non erit passio Domini sacrificium nostrum, nec idem offeretur quod in passione oblatum est. 4° Commemorat etiam Cyprianus quot et quanta beneficia « epotato sanguine Domini et poculo salutari » percipiamus, ut demonstret quam damnosum sit aquam solam adhibere. Addit grande delictum esse de Christi « sanguine et cruore confundi, » nec jam eos posse « propter Christum sanguinem fundere qui sanguinem Christi erubescunt bibere. » Jam vero facile perspicitur quo sensu plebem, quo sensu sanguinem Christi in calice esse existimet Cyprianus. Plebis cum Christo conjunctionem aquæ cum vino conjunctione significari docet; et, aqua omissa, Christi quidem sanguinem offerri et passionem commemorari fatetur, sed tamen non leve incommodum fore si desit plebis cum Christo conjunctio. At vero sanguinem Christi in calice esse declarat, quia Christus dixit : *Hic est sanguis*, etc., nec jam, si sanguis desit, sacrificium offerri possit et passio Domini celebrari; quinetiam donis, quæ sanguinem Christi potantibus promissa sunt, penitus defraudabimur.

XIV. — DE COMMUNIONE SUB UTRAQUE SPECIE.

Quamvis Cyprianus sacrificium sub utraque specie offerendum esse, idque a Christo institutum et præscriptum esse contendat, non tamen communionem sub utraque specie necessariam judicabat, ut ex ejus principiis et ex consuetudine illius ætatis perspici potest. Neque enim quæcumque Christus fecit in institutione sacramenti, ea omnia instar legis observanda ducebat, sed ea tantum quæ ad essentiam sacramenti pertinent. Nam, cum ei objiceretur Dominum post cœnam obtulisse, sic respondet (Ep. LXIII, p. 109) : « Numquid ergo dominicum post cœnam celebrare debemus, ut sic mixtum calicem frequentandis dominicis offeramus? Christum offerre oportebat circa vesperam diei, ut hora ipsa sacrificii ostenderet occasum et vesperam mundi..... Nos autem resurrectionem Domini mane celebramus. » Cur ergo præscriptum esse negat ut idem hac in re faciamus quod Christus fecit; in oblatione autem panis et vini eum sacerdotem Christi vice vere fungi contendit, « qui id quod Christus fecit imitatur, et offert secundum quod ipsum Christum videat obtulisse? » Ratio hujus rei ante oculos posita. Nihil refert ad naturam sacrificii, utrum mane an post cœnam offeratur. Sed, si aqua pro vino offeratur, institutum a Christo sacrificium penitus evertitur, nec ejus passio celebratur, nec sanguis in calice offeretur aut bibetur, sed aqua communis. Ex his principiis perspici potest quid de communione sub utraque specie senserit Cyprianus. Necessariam et a Christo præceptam credere non potuit, quippe cum ad essentiam sacramenti non pertineat. Totum enim Christum sub utraque specie agnoscit Cyprianus, illius majestatem in calice reveretur, eumque recessisse declarat e manibus hominis contaminati, in quibus loco Eucharistiæ cinis inventus est.

Consentiunt antiquæ Ecclesiæ consuetudines cum ipsius fide et doctrina, jam vidimus ex Cypriano exemplum puellæ ex solo calice communicantis, quam consuetudinem nemo nescit in Occidente usque ad

Digitized by Google

duodecimum sæculum perseverasse. Luce clarius est hanc puellam sub specie panis non communicasse; hanc enim historiam refert Cyprianus ut pateat in corpore atque ore violato Eucharistiam permanere non potuisse: at, si speciem panis antea sumpsisset, nullum prorsus miraculum, nulla Cypriani ratio exstitisset. Attulimus etiam exemplum illius qui in manibus Eucharistiæ loco cinerem invenit : aliud exstat simillimum in eodem *de Lapsis* libro mulieris cujusdam quæ, cum « arcam suam, in qua Domini sanctum fuit, manibus indignis tentasset aperire, igne inde surgente deterrita est ne auderet attingere. »

XV. — S. CYPRIANI SENTENTIA DE SACRIFICIO, DE PURGATORIO ET INVOCATIONE SANCTORUM.

Eucharistiam verum esse ac proprie dictum sacrificium testimonio suo confirmat Cyprianus. « Dominicæ hostiæ veritatem » schismaticos « per falsa sacrificia profanare » ait in libro de *Unit. Eccles.* (pag. 200). Vera illa hostia quam Cyprianus offerri contendit in sola Ecclesia, ipse Christus est in altari modo incruento immolatus. « Jesus Christus Dominus et Deus noster, inquit Ep. LXIII (p. 109), ipse est summus sacerdos Dei Patris, et sacrificium Patri seipsum primus obtulit, et hoc fieri in sui commemorationem præcepit. » Cum ergo eadem victima quæ in cruce oblata est, offeratur in altari, non immerito ait Cyprianus : « Passio est Domini sacrificium quod offerimus. » Negat in eadem epistola « sacrificium Dominicum legitima sanctificatione celebrari, nisi oblatio et sacrificium nostrum responderit passioni. » Sacrificii a Christo instituti veritatem inde etiam demonstrat, quod a sacerdote Melchisedech præfiguratum fuerit. « Item in sacerdote Melchisedech, inquit (p. 105), sacrificii Dominici sacramentum præfiguratum videmus, secundum quod Scriptura divina testatur et dicit : *Et Melchisedech, rex Salem, protulit panem et vinum.* Fuit autem sacerdos Dei summi, et benedixit Abraham. Quod autem Melchisedech typum Christi portaret declarat in Psalmis Spiritus sanctus ex persona Patris ad Filium dicens : *Ante luciferum genui te. Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Qui ordo utique hic est de sacrificio illo veniens et inde descendens quod Melchisedech sacerdos Dei summi fuit, quod panem et vinum obtulit, quod Abraham benedixit. Nam quis magis sacerdos Dei summi quam Dominus noster Jesus Christus, qui sacrificium Deo Patri obtulit; et obtulit hoc idem quod Melchisedech obtulerat, id est panem et vinum, suum scilicet corpus et sanguinem. »

Sacrificium pro vivorum et mortuorum peccatis offertur. Hinc queritur Cyprianus in libro *de Lapsis* (p. 186), quod lapsorum nonnullis communio data sit « ante purgatam conscientiam sacrificio et manu sacerdotis, ante offensam placatam indignantis Domini et minantis. » Cyprianus, in Epistola LX *ad episcopos Numidas*, testatur se singulorum qui ad redemptionem captivorum prompte ac liberaliter operati sunt, nomina subdidisse, ut eos episcopi in mente habeant in orationibus suis, « et eis vicem boni operis in sacrificiis et precibus repræsentent. » Quod spectat ad mortuos, egregium testimonium habemus in Ep. LXVI, *ad clerum et plebem Furnis consistentem*. Antecessores Cypriani statuerant ne quis frater excedens ad tutelam vel curam clericum nominaret; ac si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, ne sacrificium pro dormitione ejus celebraretur. Neque enim apud altare Dei meretur nominari in sacerdotum prece, qui ab altari sacerdotes et ministros voluit evocare. Quamobrem, cum Victor quidam Geminium Faustinum presbyterum ausus esset tutorem constituere, vetat Cyprianus ne « pro dormitione ejus fiat oblatio, aut deprecatio aliqua nomine ejus in ecclesia frequentetur. » Frustra contendit auctor editionis Oxoniensis « hæc in fidei, spei et charitatis tesseram, non autem in animarum subsidium, aut purgatorii ignis ardoribus æstuentium refrigerium præstitâ fuisse, quia hæc ad martyres imprimis spectabant. » Nihil agit hoc martyrum exemplum : non offerebatur sacrificium pro peccatis martyrum, quippe cum omnibus exploratum esset eos in cœlo Deum videre. Quamobrem non eodem loco nominabantur ac alii in Ecclesiæ pace mortui; et quod ait Cyprianus in Ep. XXXIV, sacrificia pro illis offerri solita, id ipse Cyprianus explicat in Ep. XXXVII, ubi ait oblationes et sacrificia « ob commemorationes eorum » celebrari. Alia fuit ratio morientium in Ecclesiæ pace. Pro eorum peccatis sacrificium offerebatur, ut videre est in liturgia quæ extat lib. VIII. *Constitut. Apost.*, cap 41, ubi hæc leguntur : « Pro fratribus nostris qui in Christo requieverunt oremus, ut hominum amans Deus, qui animam defuncti suscepit, ei remittat omne peccatum voluntarium ac non voluntarium, et propitius clemensque factus collocet eum in regione piorum, etc. »

Nec mirum sane est si veteres Christiani fidelibus defunctis sacrificium profuturum sperabant; quippe cum persuasum omnibus atque exploratum esset justorum animas quæ e corpore solvuntur antequam peccata omnia expiaverint, pœnis affici in altera vita eorumque beatitudinem differri. Hinc iis metuebat Clerus Romanus qui ante exactam pœnitentiam moriebantur, « Deo sciente, inquit Epist. XXXI, quid de talibus faciat, et qualiter judicii sui pondera examinet. » Ejusmodi homines sic comparat Cyprianus cum iis qui vita pro Christo profusa aut saltem sancte exacta moriuntur. « Aliud est, inquit in Epist. LI (p. 72), ad veniam stare, aliud ad gloriam pervenire; aliud missum in carcerem non exire inde donec solvat novissimum quadrantem, aliud statim fidei et virtutis accipere mercedem; aliud pro peccatis longo dolore cruciatum emundari et purgari diu igne, aliud peccata omnia passione purgasse : aliud denique pendere in diem judicii ad sententiam Domini, aliud statim a Domino coronari. » Inutilis prorsus Rigaltii

et editoris Oxoniensis labor in hoc testimonio eludendo. Hunc carcerem et longi doloris cruciatum et ignem diu purgantem detorquent ad pœnitentiam lapsis imponi solitam a sacerdotibus. Sed 1° illud saltem fateri debent ex Cypriani verbis consequi, temporales pœnas iis persolvendas superesse quibus remissæ sunt æternæ. 2° Si pœnitentiæ labores Cyprianus describit, multo id magis iis congruit qui ante exactum pœnitentiæ cursum moriuntur. Nemo enim hanc opinionem affinget Cypriano, ejusmodi homines non ad veniam stare, sed ad veniam pervenire; non mitti in carcerem, donec solvant novissimum quadrantem, sed statim fidei et virtutis accipere mercedem; non pro peccatis longo dolore cruciatos mundari et purgari diu igne, non pendere in diem judicii, sed statim a Domino coronari. 3° Cyprianus non solum martyres cum lapsis, sed etiam virgines cum adulteris comparat. Dubium non est quin de martyribus et virginibus mortuis loquatur, cum coronam illis statim donari pronuntiat. Cur ergo eum de pœnitentium statu in hac tantum vita locutum credamus? Præclara sane esset atque egregia comparatio, martyres et virgines cum idololatris et adulteris in hoc conferre, quod primi statim in altera vita coronentur, postremis vero pœnitentiæ labor in hac vita subeundus sit. Sed si isti idololatræ et adulteri post inchoatam pœnitentiam moriantur, an statim, ut martyres et virgines, mercedem et coronam accipient, et peccata omnia pœnitentia purgasse videbuntur? Quis non videt institutam a Cypriano comparationem ad futuram potissimum vitam referri? quippe cum in hac vita pœnitentium laborem sacræ virgines, quarum erat austerum vivendi genus, adæquarent, martyres vero longe superarent. 4° Illud « pendere in diem judicii » valde adversariis molestum. Putant Nicolaus Faber et Rigaltius beatitudinem justorum a Cypriano in diem judicii, exceptis martyribus, differri. Sed hæc opinio affingi Cypriano non potest, qui hoc loco, ut jam observavi, non solum de martyribus, sed etiam de virginibus loquitur. Sæpe alias docet, præcipue vero in libro *de Mortalitate*, non solum martyres, sed alios etiam sanctos, cum ex hac vita decedunt, cum Christo incipere regnare; virgines et pueros ad continentiæ et innocentiæ præmium feliciter pervenire, justos ad refrigerium vocari. Illud ergo testimonium de quo nunc agimus, ad eos referri debet quos ante plenam pœnitentiam mortuos in diem judicii generalis reservari existimat Cyprianus. Nec mirum si ejusmodi hominum beatitudinem usque ad hoc tempus differat; cum enim instare crederet adventum Domini, temporis spatium justo longius non poterat videri. Porro Cypriani sententia inde etiam illustratur, quod in die judicii martyrum merita pluribus in hunc diem pendentibus profutura declaret: « Credimus quidem, » inquit in libro *de Lapsis* (pag. 187), « posse apud judicem plurimum martyrum merita et opera justorum, sed cum judicii dies venerit, cum post occasum sæculi hujus et mundi ante tribunal Christi populus ejus adsisterit. » Atque hæc quidem de iis qui sese in Ecclesia pœnitentiæ submittunt; qui autem extra Ecclesiam moriuntur, eos Cyprianus declarat, etiamsi pro nomine occisi sint, numquam ad indulgentiam aliis in sinu Ecclesiæ morientibus promissam perventuros. « Et quia apud inferos confessio non est, inquit in eadem Epist. 55, nec exomologesis illic fieri potest, qui ex toto corde pœnituerint et rogaverint in Ecclesiam debent interius suscipi et in ipsa Domino reservari, qui, ad Ecclesiam suam venturus, de illis utique quos in ea intus invenerit, judicabit. Apostatæ vero et desertores et adversarii et hostes et Christi Ecclesiam dissipantes, nec si occisi pro nomine fuerint, admitti secundum Apostolum possunt ad Ecclesiæ pacem, quando nec Spiritus nec Ecclesiæ tenuerunt unitatem. » Merito negat Cyprianus exomologesin quæ in hac vita præscribitur, in altera perfici posse. Sed perspicuum est ab eo agnosci indulgentiam quamdam et pacem, quæ schismaticis et hæreticis extra Ecclesiam mortuis, etiamsi pro nomine occisi fuerint, præclusa et denegata, aliis in Ecclesia mortuis et in adventum Domini reservatis concedetur.

Ex his patet communionem illam quam Ecclesia catholica cum sanctis et martyribus et cum justis ante plenam pœnitentiam mortuis fovet, non novum esse commentum, sed dogma primis sæculis notum et creditum. Nec mirum si hæc communio his non placet qui ab unitate Ecclesiæ discesserunt; sed Cyprianus, cujus inter præcipuas virtutes enituit unitatis amor, præter ea quæ ab illo in honorem martyrum decreta retulimus, duobus aliis in locis testatur quam arcta intercedat Ecclesiæ præsenti cum sanctis et martyribus necessitudo. Primus exstat in libro *de Hab. Virg.*, quem sic concludit Cyprianus: « Tantum meminerit tunc nostri cum incipiet in vobis virginitas honorari. » Alterum testimonium legitur in Ep. LVII *ad Cornelium*, quem sic alloquitur Cyprianus: « Memores nostri invicem simus, concordes atque unanimes, utrobique pro nobis semper oremus, pressuras et angustias mutua charitate relevemus, et si quis istinc nostrum prior divinæ dignationis celeritate præcesserit, perseveret apud Dominum nostra dilectio, pro fratribus et sororibus nostris apud misericordiam Patris non cesset oratio. » Frustra hæc editor Oxoniensis eludere conatur. Virginitatem ait incipere honorari cum ad confessionis decus pervenit; sed Cyprianus virgines omnes generatim alloquitur, non solas martyres, nec proinde martyrii sed virginitatis coronam indicat. Alterum locum sic interpretatur Fellus, quasi Cyprianus cum Cornelio paciscatur « ut is qui superstes fuerit, cui in vivis diutius esse contigerit, precari pergat. » At manifesta est cavillatio; non enim hoc precandi munus ei commendat Cyprianus, qui superstes fuerit, sed qui « prior præcesserit. » Sed Fellus ex nostra interpretatione consequi negat, ut sanctos liceat precari. Verum non animadvertit quam hæc arcte cohærent cum invocatione sanctorum, quæ si priscis sæculis instar superstitionis Christo injuriosæ habita fuisset, vel potius si non viguisset in tota Ecclesia, ut eam viguisse

Digitized by Google

certissima monumenta testantur, numquam Cypriano in mentem venisset virgines et martyres in antecessum precari et invocare.

XVI. — DE CHRISTI DIVINITATE, EJUSQUE GRATIA.

Præfationis modum transgrederer si in aliis Cypriani sententiis accurate vestigandis immorarer. Nihil enim erroris excogitatum est his posterioribus sæculis, ut recte observat Pamelius, quod non ex Cypriani testimoniis refellatur. De Christi divinitate sanctus Martyr data opera non pertractavit, sed breves illius de Deo incarnato sententiæ non minus habent roboris et momenti, quam uberior pertractatio. Christum Dominum et Deum nostrum appellare solet, velut cum ait in Ep. VIII (p. 15) . « Habemus advocatum et deprecatorem pro peccatis nostris Jesum Christum Dominum et Deum nostrum. » Elaborandum esse docet in Ep. LX (p. 99), « ut Christum judicem et Dominum et Deum nostrum promereamur obsequiis nostris. » In Ep. LXIII, (p. 104) : « Jesus Christus Dominus et Deus noster sacrificii hujus auctor et doctor; » et p. 109 : Jesus Christus Dominus et Deus noster ipse est summus sacerdos Dei Patris. » In Ep. XLVII (p. 61), gratias agit « Deo patri omnipotenti et Christo ejus Domino et Deo nostro salvatori. » Vid. Ep. LVI, pp. 92 et 94; Ep. LXV, p. 113; Ep. LXXIV, pp. 139 et 140; Ep. LXXVII, pp. 158.

In libro *de Orat. Dom.* (p. 204) : « Oremus itaque, fratres dilectissimi, sicut magister Deus docuit; » et (p. 206) : « Deus pacis et concordiæ magister qui docuit unitatem, sic orare unum pro omnibus voluit, quomodo in uno omnes ipse portavit. » In libro *de Vanitate idolorum* (p. 228) Christum similiter vocat Deum nostrum, Deum cum homine mixtum : in libro II *Testim.* hominem et Deum ex utroque genere concretum. Deum esse et Deum vocari probat in Scripturis veteris et novi Testam., pp. 286, 287, 288, et ad eum refert præclarissima quæque testimonia. In libro *de Exhort. mart.* (p. 267), postquam retulit illud Isaiæ, *Ego Dominus Deus tuus sanctus Israel qui te salvum facio*, addit : « Qui et in Evangelio promittit auxilium divinum Dei servis, in persecutionibus non defuturum dicens : *Cum autem vos tradiderint*, etc. » In libro *de Bono patientiæ* docet Christum in cœlis adorari, ac præcepisse Patrem ut Filius adoretur; ad eum refert hæc Scripturæ testimonia : *Deus manifestus veniet, Deus noster et non silebit, Dominus Deus virtutum prodibit*, et alia ejusmodi; tum addit : « Quis autem est qui tacuisse se prius dicit et non tacebit? Utique ille qui sicut ovis ad victimam ductus est.... *Hic est Deus noster*, id est, non omnium sed fidelium et credentium Deus, qui cum in secundo adventu manifestus venerit, non silebit. » Non omittendus insignis locus ex Epist. *ad Jubaianum* (p. 133), ubi docet Cyprianus conceptis verbis tres personas Patrem et Filium et Spiritum sanctum unum esse Deum : « Nam si, inquit, baptizari quis apud hæreticos potuit, utique et remissam peccatorum consequi potuit. Si peccatorum remissam consecutus est, et sanctificatus est et templum Dei factus est. Si sanctificatus est et templum dei factus est, quæro cujus dei? Si Creatoris, non potuit, quia in eum non credidit : si Christi, nec hujus fieri potuit templum, qui negat Deum Christum : si Spiritus sancti, cum tres unum sint, quomodo Spiritus sanctus placatus esse ei potest qui aut Patris aut Filii inimicus est? » Vid. librum *de Unit. Eccles.*, ubi citat hæc Scripturæ testimonia : *Ego et Pater unum sumus*, et *hi tres unum sunt*. Vid. etiam Epist. LXXXVI (p. 139), ubi perabsurde dici contendit eos qui foris baptizati sunt « Christum quidem induisse, sed Spiritum sanctum non potuisse percipere, quasi possit aut sine Spiritu Christus indui, aut a Christo Spiritus separari. »

Summa illa in Deum incarnatum pietas, quæ in scriptis Cypriani mirum in modum elucet, pariter calebat in aliorum Africæ episcoporum animis, ut perspicere possumus ex concilio Carthaginiensi, in quo adfuerunt 87 episcopi ex Africa, Numidia et Mauritania, cum presbyteris et diaconis, præsente etiam plebis maxima parte. Nemesianus a Thubunis in hoc concilio sic loquitur (p. 330) de Spiritu sancto : « *Quod natum est de carne caro est, et quod natum est de Spiritu Spiritus est*, quia Deus Spiritus est, et de Deo natus est. » Minus commode editor Oxoniensis illud, « de Deo natus est, » sic explicat : « Natus de Spiritu de Deo natus est. » At dicere debuisset Nemesianus « de Deo natum est. » Qui mediocriter attendet, hanc hujus loci videbit esse sententiam, quod ex Spiritu natum est Spiritum esse, quia Spiritus sanctus, cum Deus sit et ex Deo natus sit sive processerit (hæc enim interdum idem sonant), pro summa sua potestate Spiritus eos efficit quos regenerat. Fortunatus a Tuchabori in eodem concilio sic loquitur (p. 332) : « Jesus Christus Dominus et Deus noster, Dei Patris et creatoris filius, super petram ædificavit Ecclesiam suam. » Euchratius a Thenis (p. 333) : « Fidem nostram et Baptismatis gratiam Deus et Dominus noster Jesus Christus suo ore Apostolos docens perimplevit dicens : *Ite et docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.* » Ibidem Felix ab Uthina : « Nemini dubium est, sanctissimi consacerdotes, non tantum posse humanam præsumptionem, quantum Domini nostri Jesu Christi adorandam et venerabilem majestatem. » Venantius a Timisa (p. 335) : « Christus Dominus et Deus noster ad Patrem proficiscens sponsam suam nobis commendavit. »

Quemadmodum de Incarnationis mysterio, sic etiam de acceptis ab incarnato Deo beneficiis magnifice sentiebat Cyprianus. Jamdudum observarunt eruditi theologi Pelagianorum errores multo ante a S. Martyre confutatos fuisse, eumque Augustino plurima ad hujus hæresis eversionem suppeditasse. Probe sciebat Cy-

Digitized by Google

prianus Dominum advenientem sanasse « illa quæ Adam portaverat vulnera, et venena serpentis antiqua » curasse (p. 237). Hinc Baptismum omnibus omnino necessarium esse credebat : « Omnes quidem » inquit in libro *de Habit. virg.* (p. 180), « qui ad divinum lavacrum Baptismi sanctificatione perveniunt, hominem illic veterem gratia lavacri salutaris exponunt, et innovati Spiritu sancto a sordibus contagionis antiquæ iterata nativitate purgantur. » In primis autem catholicum dogma defenditur in Epistola, LIX quam non solus Cyprianus, sed et cæteri collegæ qui in concilio adfuerunt numero 66 ad Fidum scripsere. Is nescio quo opinionis errore sibi finxerat infantes « intra secundum vel tertium diem quo nati sunt constitutos baptizari non oportere, et considerandam esse legem circumcisionis antiquæ, ut intra octavum diem cum qui natus est baptizandum et sanctificandum non putaret. » Longe aliud in concilio omnibus visum est, ac universi judicaverunt « nulli homini nato misericordiam Dei et gratiam denegandam. Porro autem, inquiunt, si etiam gravissimis delictoribus et in Deum multum ante peccantibus remissa peccatorum datur, et a Baptismo atque a gratia nemo prohibetur, quanto magis prohiberi non debet infans, qui recens natus nihil peccavit, nisi quod, secundum Adam carnaliter natus, contagium mortis antiquæ prima nativitate contraxit, qui ad remissam peccatorum accipiendam hoc ipso facilius accedit quod illi remittuntur non propria sed aliena peccata. » Contra superba Pelagianorum commenta, docet Cyprianus pluribus locis nos quotidie peccare, ut in libris *de Orat. Dom.* p. 211 ; *de Opere et Eleemosynis*, pp. 238 et 243, et l. III. *Testim.*, p. 54.

Christi gratiam innumeris in locis mirifice commendat Cyprianus, qui, cum adhuc in tenebris et nocte cæca jaceret, fieri non posse credebat quod Christiani docebant, « ut quis renasci denuo posset, utque, in novam vitam lavacro aquæ salutaris animatus, quod prius fuerat exponeret, et, corporis licet manente compage, hominem animo ac mente mutaret (Ep. *ad Donat.*). » Sed hunc errorem simul cum aliis vitiis et erroribus deposuit, et Christi gratiam eo libentius deinceps prædicavit, quo pertinacius rejecerat. Videri possunt quæ in hanc sententiam disserit in Epistola *ad Donatum*. Probat in *Exhort. mart.* (p. 167), ex pluribus Scripturæ testimoniis « timendas non esse injurias et pœnas persecutionum, quia major est Dominus ad protegendum quam diabolus ad impugnandum. » Vid. pp. 262, 268, 273. In Ep. IX martyres hortatur ad constantiam, « quia *major est qui in nobis quam qui in hoc mundo*, nec plus ad dejiciendum potest terrena pœna quam ad erigendum tutela divina. » Plura vide in eadem epistola et in Ep. LV (p. 88). Huc referri possunt plurima alia Cypriani principia ; velut cum docet victoriam a Deo dari (p. 79); Deum victores sua dignatione facere (162, 285); Deum remunerare in nobis quidquid ipse præstitit, honorare quod ipse fecit (169); nostrum nihil esse (305); neminem sibi quidquam assumere debere (212); totum Deo dandum (*Ibid.*). Evolvendus in primis liber *de Orat. Dom.*, ubi docet orandum ut fiat in nobis voluntas Dei, ut Dei voluntas fiat in corpore et spiritu, ut facere possimus quod Deus vult ; ut in illis non credentibus fiat voluntas Dei, quemadmodum in nobis per fidem nostram voluntas Dei facta est; opus enim esse Dei voluntate ut in nobis fiat voluntas Dei ; ut qui in Baptismo sanctificati sumus, in eo quod esse cœpimus perseveremus ; ut sanctificatio et vivificatio quæ de Dei gratia sumitur, ipsius perfectione servetur.

VITA
SANCTI CYPRIANI,

CURA D. PRUDENTII MARAN O. S. B. ADORNATA.

MAGNUM christianæ religionis lumen Cyprianus, quamdiu in Ecclesia micuit, magna pars fuit earum rerum quæ tunc gestæ fuerunt. Quamobrem suppeditat ejus vita amplissimam disserendi segetem, ac toto volumine opus esset si rerum ad eum pertinentium et genus et modos persequi, si edita singularum virtutum exempla oculis subjicere, si eximios animi sensus ex epistolis et aliis scriptis, in quibus illius mores mirifice depinguntur eruere instituerem. Sed non est hujus loci ejusmodi pertractatio, nec mihi propositum sic de Cypriani rebus disserere, sed tantum eas ordine explicare, ac ipsa etiam scripta temporibus notare. Nam, cum hæc elucubratio conjuncte cum sancti Martyris scriptis prodeat, necessaria non est longiorum testimoniorum appositio, quæ quisque potest ex ipso fonte haurire; variisque supersedendum observationibus, quæ forte non essent omittendæ si S. Cypriani vita separatim ab ejus operibus in lucem ederetur.

Digitized by Google

I. — DE S. CYPRIANO NONDUM CHRISTIANO. — DISTINGUENDUS EST A CYPRIANO ANTIOCHENO.

Cyprianum in Africa natum esse nemo dissentit, Carthagine ortum Prudentius et Suidas existimarunt; sed cum S. Martyr hoc beneficium Carthagini acceptum non referat, sed tantum dicat Ep. XXXVI: « Ubi enim mihi aut melius possit esse aut lætius, quam illic, ubi me Deus credere voluit et crescere, » alia eum patria videtur in lucem extulisse. Vocabatur Thascius Cyprianus, ut patet ex sententia proconsulis et Epist. LXIX. Quinetiam adsciverat sibi Cæcilii nomen, teste Hieronymo, ut gratum animum et amorem in presbyterum Cæcilium, cujus opera ad Christum conversus fuerat, hoc monumento testaretur. Pontius diaconus, qui Cypriani Vitam scripsit, res ab eo ante conversionem gestas minus dignas esse judicavit quas litteris mandaret. Itaque hæc illius vitæ pars in oblivione et tenebris jacet; nec quidquam certo scimus, nisi eum rhetoricam summa celebritate docuisse, nec iis caruisse vitiis quæ cum simulacrorum cultu et Christi ignoratione conjuncta esse solent. « Mutati sunt piscatores, » inquit August. Serm. CCCXI (nov. ed.), « mutati sunt postea etiam plurimi senatores, mutatus est Cyprianus, cujus hodie memoriam frequentamus.... Ipse scribit, ipse testatur cujus vitæ fuerit aliquando, quam nefariæ, quam impiæ, quam improbandæ ac detestandæ. » Nequaquam tamen in Cyprianum nostrum conveniunt quæ apud Gregorium Nazianzenum de Cypriano magicis artibus ante conversionem dedito legimus in *Orat.* XVIII: perspicuum est hæc ad Cyprianum Antiochenum respicere, quem Gregorius cum Carthaginensi confundit, unam ex duabus personam effingens. Sed tamen, quia eruditus Oxoniensis editor unum extitisse Cyprianum contendit, et quæ de Antiocheno feruntur in fabulis numerat, et ad res Carthaginensis ornandas composita fuisse pronuntiat, non inutile videtur rem explorare.

Illud 1° negari non potest, res gestas Cypriani Antiocheni vetustissimis monumentis proditas fuisse. Illum Eudocia imperatrix eximiis versibus, teste Photio (Cod. 184), celebravit. Opus in tres libros divisum erat; quorum primus Justinæ conversionem et invictam a dæmonibus virginitatem, ac ipsius etiam Cypriani post artis magicæ facinora mirabilem conversionem, baptismum, ostiarii munus, miracula ac tandem episcopatum continebat. In alio ipse Cyprianus eventuum suorum seriem texebat, et magicas artes quibus et sese ipse et alios in varias formas mutaverat, peregrinationes ac tandem nefariæ artis fastidium, et animum ex desperatione, quam conscientia scelerum injiciebat, ad spem misericordiæ divinæ opera Eusebii revocatum narrabat. In tertio denique martyrium Justinæ et Cypriani descriptum erat. Hæc autem Eudociam non ad artis licentiam, sed ad historiæ fidem scripsisse perspicitur, tum ex Gregorio Nazianzeno, qui scriptam ab ipso Cypriano scelerum confessionem citat, et eadem ac Eudocia de illo commemorat *Orat.* XVIII, tum ex triplici monumento quod eruditi antiquitatis indagatores D. Edmundus Martene et D. Ursinus Durand in suo *Anecdotorum Thesauro* ediderunt, nempe *Conversione Justinæ et Cypriani*, *Confessione ejusdem Cypriani*, ac utriusque *Passione*. Sic cum Eudociæ versibus consentit tripartitum illud opus, ut minime dubium sit quin illius manibus tritum fuerit. Quis ergo eum numquam extitisse sibi persuadeat, de quo extant monumenta illius temporis quo vixisse dicitur pene æqualia? Fabulæ in remotis ætatibus latebras quærunt, nec quisquam tam inepte mentitur, ut quæ nemo vidisse se aut audivisse meminit, ea nuper in clarissima luce et omnium oculis evenisse fingat. Porro fatetur ipse Fellus, cui tamen hac in re non omnino assentior, *Confessionem Cypriani* ante Constantini tempora scriptam fuisse, id est circa illud tempus quo perfunctus martyrio creditur, nempe sub Diocletiano et Maximiano, ut testatur Eudocia. Præterea ante hoc opus scripta fuerant acta Justinæ et Cypriani, ut discimus ex libello de utriusque passione. 2° Credibile non est ejusmodi monumenta ad res Cypriani Carthaginensis ornandas ficta fuisse, in quibus nihil erat omnino quod Cypriano Carthaginensi aptari posset; non tempus, non locus martyrii et episcopatus, non res gestæ et peregrinationes. 3° Si nullus extitisset Cyprianus ille Antiochenus, qui cum Justina passus Nicomediæ dicitur, quomodo de utriusque nomine dies festus sæculo quarto in loca Nicomediæ vicina induci, quomodo utriusque fama omnium ore celebrari potuit? Illud autem ex *Oratione* XVIII S. Gregorii Naz., quæ habita est Constantinopoli, non obscure perspicitur, Cyprianum illum, cujus dies festus agebatur, non Carthaginensem sed Antiochenum esse. Nam magicas artes et conversionem, ut præcipuos illius vitæ et notissimos eventus prædicat Gregorius, ita ut dubitet an quisquam ex audientibus res illius gestas ignoret (p. 277). Quinetiam, quod ait Cyprianum post conversionem factum esse æditnum, id se ex aliquo audivisse testatur (p. 281). Probabile non est Cyprianum Carthaginensem adeo notum his in regionibus fuisse, præsertim ex rebus ad eum minime pertinentibus, ut Gregorium incolæ edocerent; sed hæc fama et dies festus ad alium debent referri.

Objicit Fellus S. Gregorium tam ocitanter errare non potuisse, ut episcopum Antiochenum cum Carthaginensi confunderet; neque enim si vere extitisset Cyprianus ille Antiochiæ episcopus, qui Nicomediæ passus dicitur, nihil de illo ad Gregorii aures perventurum fuisse, qui et a patre res tam mirabiles mature discere debuit, et per se ipse Nicomediam et loca vicina pervadens cognoscere. Sed, dum Gregorium vir eruditus culpari non patitur, quod unum ex duobus Cyprianis finxerit, in aliam illum reprehensionem non multo leviorem conjicit, quod ad Cyprianum Carthaginensem retulerit monumenta illius ætati et patriæ et rebus gestis repugnantia. Verisimilior mihi videtur hæc illius excusandi ratio: cum ei recens admodum cum iis quos alloquitur intercederet

Digitized by Google

consuetudo, et post aliquot dierum secessum attemperate ad ipsum diem festum rediisset, ut ipse testatur (p. 275), satis proclive fuit in tam angustis ad res accurate ediscendas spatiis labi et errare. Quod autem ait idem Fellus, nullum inter Antiochiæ episcopos Cyprianum inveniri, id facile expeditur. Non enim Antiochiæ magnæ episcopus fuisse Cyprianus dicitur, sed alterius, ut observat Tillemontius, in Phœnicia sitæ, ex qua Damascum perductus est, ut a judice interrogaretur.

Duo ergo distinguendi sunt Cypriani, et in *Oratione* XVIII Gregorii Naz. quid Antiocheno, quid Carthaginensi conveniat expendendum. Quod ait Gregorius, Cyprianum nobili et senatoria domo ortum esse, id Tillemontius Cypriano nostro attribuit, ut alteri illi magno non valde consentaneum; sed tom. v, ubi agit de Cypriano Antiocheno, fatetur id non posse discerni. Non immorabor in excutiendis aliis conjecturis quæ de Cypriano fieri solent, velut quod Baronius et post eum alii nonnulli existimarunt Cyprianum jam senem ad christianam religionem accessisse. Nituntur quodam loco ex Epistola *ad Donatum*, ubi sic loquitur Cyprianus: « Qui possibilis, aiebam, est tanta conversio, ut repente ac perniciter exuatur quod vel genuinum situ materiæ naturalis obduruit, vel usurpatum diu senio vetustatis inolevit? » At Cyprianus non suos annos numerat, sed de vitiis loquitur, quæ in homine etiam non sene vetustatem habent, cum « alta, » ut ibidem legimus, « et profunda penitus radice sedarunt. » Huc adde Cyprianum non de suis tantum rebus disserere, sed generatim omnes ætates ac vitæ conditiones complecti, quarum nullam prorsus excipiebant Christiani, quam non Christi gratia renovari et renasci posse dicerent. Liquet id ex his quæ sequuntur: « Quando, inquit, parcimoniam discit qui epulatibus cœnis et largis dapibus assuevit? et qui pretiosa veste conspicuus in auro atque in purpura fuisit, ad plebeium se ac simplicem cultum quando deponit? Fascibus ille oblectatus et honoribus, privatus et inglorius esse non potest. Hic stipatus clientium cuneis, frequentiore comitatu officiosi agminis honestatus, pœnam putat esse cum solus est. Tenacibus semper illecebris necesse est, ut solebat, vinolentia invitet, inflet superbia, iracundia inflammet, rapacitas inquietet, crudelitas stimulet, ambitio delectet, libido præcipitet. » Hæc referenda duxi, ut pateret minus temperanter otio abuti qui Cyprianum hac pictura mores suos expressisse, et pristinæ conditionis splendorem et opes descripsisse opinantur. Quæ conjecturæ si valeant, dicendum erit eum fascibus fuisse, et vinolentiæ ac rapacitatis vitiis laborasse, quod neminem hactenus video suspicatum.

II.—DE S. CYPRIANI CONVERSIONE.— CATECHUMENUS BONA SUA DISTRIBUIT, SEQUE VOTO CONTINENTIÆ OBSTRINXIT. —INCERTUM QUO ANNO ET TEMPORE BAPTIZATUS.

Plurimum sane christianæ religioni accessit ornamenti et præsidii conversione tanti ingenii; ac tum maxime verius triumphare visa est cum celeberrimum mendacii doctorem ac defensorem cepit. Non tamen prima aggressione victus est Cyprianus, sed, quod in homine inanium rerum cognitione inflato non valde mirum est, diu veritatem inter et errorem ancipiti sententia fluctuavit. Quod enim docet christiana religio de nova in Christo creatione, id somnii instar domestico argumento refellebat, vitia sua necdum volens emendare, nec emendari posse existimans. Quos tum animi æstus expertus sit, sic ipse in Epistola *ad Donatum* edisserit: « Ego, inquit, cum in tenebris atque in nocte cæca jacerem, cumque in salo jactantis sæculi nutabundus ac dubius vestigiis oberrantibus fluctuarem, vitæ meæ nescius, veritatis ac lucis alienus, difficile prorsus ac durum pro illis tunc moribus opinabar quod in salutem mihi divina indulgentia pollicebatur, ut quis renasci denuo posset, utque in novam vitam lavacro aquæ salutaris animatus quod prius fuerat exponeret, et, corporis licet manente compage, hominem animo ac mente mutaret. Qui possibilis est, aiebam, tanta conversio? etc. » Sed tandem illius animum Christus inflexit, ac docilem fecit hortatibus Cæcilii presbyteri, qui tam præclari operis administer et interpres fuit; non ille quidem, ut nonnulli opinati sunt, Diadumeni præceptor, sed idem potius qui in dialogo Minucii Felicis Christianam religionem per fas et nefas oppugnat, deinde ab Octavio strenue defensam libenter amplectitur. Amicitia quæ Cypriano intercedebat cum Cæcilio, tam arcte beneficii magnitudine constricta est, ut eum in parentis loco diligeret Cyprianus, ejusque nomen ferre voluerit, ac in ipsius domo vixisse videatur: « Erat sane illi de nobis, inquit Pontius, contubernium viri justi et laudabilis memoriæ Cæcilii, et ætate tunc et honore presbyteri, qui eum ad agnitionem veræ Divinitatis a sæculi errore correxerat. Hunc toto honore atque omni observantia diligebat, obsequenti veneratione suspiciens, non jam ut amicum animæ coæqualem, sed tamquam novæ vitæ parentem. Denique ille, demulsus ejus obsequiis, in tantum dilectionis immensæ merito provocatus est, ut de sæculo excedens arcessitione jam proxima commendaret illi conjugem ac liberos suos, et quem fecerat de sectæ communione participem, postmodum faceret pietatis hæredem. » Hoc contubernium, quod Cyprianum in Cæcilii domo indicat vixisse, minus congruit cum hominum eruditorum conjecturis, qui Cyprianum uxorem ac forte etiam liberos habuisse volunt cum religionem christianam amplexus est, quamvis nullum prorsus hujus rei vestigium, nec in ejus scriptis nec in illius Vita quam scripsit Pontius, deprehendatur.

Varii cogitationum æstus Cypriani alternantis conversionem demorati sunt; sed statim atque veritati ad oculos affulgenti cessit, totam se in eo profudit pietas, ac Scripturarum oraculis exculta maturos fructus in ipso primordio extulit. « Inter fidei suæ prima rudimenta, ait Pontius, nihil aliud credidit Deo dignum, quam si continentiam tueretur; tunc enim posse idoneum fieri pectus et sensum ad plc-

Digitized by Google

nam veri capacitatem pervenire, si concupiscentiam carnis robusto atque integro sanctimoniæ vigore calcaret. Quis umquam tanti miraculi meminit? Nondum secunda nativitas novum hominem splendore toto divinæ lucis oculaverat, et jam veteres ac pristinas tenebras sola lucis paratura vincebat. Deinde, quod majus est, cum de lectione divina quædam jam non pro conditione novitatis, sed pro fidei festinatione didicisset, statim rapuit quod invenit promerendo Domino profuturum. Distractis rebus suis, ad indigentiam pauperum sustentandam tota prædia pretio dispensans, duo bona simul junxit, ut et ambitionem sæculi sperneret, quo perniciosius nihil est et misericordiam, quam Deus etiam sacrificiis suis prætulit, quam nec ille qui legis omnia mandata servasse se dixerat, fecit, impleret: et præpropera velocitate pietatis, pene ante cœpit perfectus esse, quam disceret. »

Non convenit inter eruditos utrum christianis sacris initiatus esset Cyprianus cum se continentiæ lege obstrinxit, ac bona pauperibus distribuit, an adhuc catechumenus præclara hæc duo facinora ediderit. Sed, si Pontii verba considerentur attentius, vix ambigendi locus supererit. Conceptis enim verbis declarat nondum Baptismo regeneratum fuisse Cyprianum cum hæc designavit: « Non secunda nativitas eum oculaverat, sed sola lucis paratura veteres ac pristinas tenebras vincebat. » Paulo post allata verba, Cyprianus dicitur « adhuc rudis fidei homo, et cui forsitan nondum crederetur. » Idem efficitur ex his verbis: « Prævenit tritura sementem, vindemia palmitem, poma radicem.... » Et infra: « Quid autem circa pauperes episcopus faceret, quos catechumenus diligebat? » Sed Tillemontius, acutissimi judicii scriptor, hoc testimonium Pontii, quod quidem fatetur in dubium revocari non debere, conciliari vix posse existimat cum Epistola *ad Donatum*, in qua Cyprianus, ut modo vidimus, emendationem morum et vitæ mutationem ne cogitatione quidem in conversionis primordio assequi se potuisse declarat, nedum tam fervidis initiis exorsus sit: « Desperatione meliorum, inquit, malis meis veluti jam propriis ac vernaculis favebam. » Præterea Baptismo acceptam refert emendationem morum suorum, et « postquam undæ genitalis auxilio superioris ævi labe detersa, in expiatum pectus ac purum desuper se lumen infudit, » tum vero agnovisse se dicit facile esse « quod antea difficile videbatur, geri posse quod impossibile putabatur. » Quomodo ergo tot virtutum ornamenta ante Baptismum consequi potuit?

Ut hæc difficultas expediatur, observandum est 1° minus accurate Tillemontium ad initia christianæ professionis referre dubias illas cogitationes quæ Cyprianum ante conversionem huc et illuc trahebant. Nondum enim credebat in Christum cum sic animo fluctuaret, sed, ut ipse narrat, « in tenebris atque in nocte cæca jacebat; in salo jactantis sæculi nutabundus ac dubius vestigiis oberrantibus » fluctuabat, « vitæ suæ nescius, veritatis ac lucis alienus. » Facile ergo Pontius cum Cypriano conciliatur; nec mirum si primus Cyprianum, postquam veritati manus dedit, ad virtutis summum evolasse testatur, quamvis Cyprianus ipse morum suorum emendationem ante acceptum fidei donum desperasset. 2° Non immerito Cyprianus renovationem animi sui et novam creationem Baptismo attribuit, quamvis multis jam virtutibus instructus ad Baptismum accessisset. Sic enim semper tulit ecclesiastici consuetudo sermonis, ut, cum ad Baptismum nemo admitteretur nisi post multa emendatæ vitæ indicia, ipsa tamen renovatio et nova creatio Baptismi fructus esse diceretur. Hinc illud Cyrilli Hierosolymitani *Catechesi* III (p. 45): « Mortuus in peccatis descendisti, vivificatus ascendis in justitia. » Non dubium tamen quin ex catechumenis quos Cyrillus erudiebat, non pauci jam magnos haberent in virtute progressus; ac forte etiam continentiæ voto sese nonnulli obligaverant, ut observat doctissimus editor in notis ad *Cat.* IV, (p. 62). Non est hujus instituti usitatam sanctis Patribus et theologis disserendi rationem explanare, sed certe ex ea perspicuum est Pontium et Cyprianum inter se non pugnare dum alter præclare facta Cypriani sese ad Baptismum præparantis narrat, alter Baptismo adjudicat quidquid et in ipsa Baptismi administratione et in prævia meditatione et exercitatione consecutus fuerat; addo etiam quidquid in Confirmationis sacramento et in corporis et sanguinis Christi communione, quæ duo sacramenta simul cum Baptismo conferri solebant.

Quo anno conversus fuerit et baptizatus Cyprianus ex ejus episcopatus initio existimari debet. Nam, ut ait Pontius, « ad officium sacerdotii et episcopatus gradum adhuc neophytus et, ut putabatur, novellus electus est. » Quare, cum episcopus anno 248 aut 249 creatus fuerit ut, modo videbimus, Baptismus non incommode ad annum 244 aut 245 referetur. Alii ad annum 246 referunt, sed de his rebus nihil videtur certo posse constitui. Frustra autem inquiratur quo anni tempore baptizatus sit. Hoc sacramento initiatum fuisse inter Pascha et Pentecosten existimant Pearsonius et alii nonnulli, « quia hoc temporis spatium ordinandis lavacris in Africa deputatum erat. » Verum, etsi hi dies præcipue essent Baptismo consecrati, nihil tamen vetabat quominus Baptisma aliis temporibus daretur, si quæ causæ incidercnt Baptismi post solemnes dies differendi, vel etiam anticipandi. Probat Tertullianus in libro *de Baptismo* nihil esse incommodi si Baptisma extra solemnes dies justis de causis suscipiatur: « Diem Baptismo solemniorem, inquit, Pascha præstat..... Exinde Pentecoste ordinandis lavacris latissimum spatium est..... Cæterum omnis dies Domini est, omnis hora, omne tempus habile Baptismo: si de solemnitate interest, de gratia nihil refert. » Inertes autem Baptismi dilatores pluribus castigat S. Gregorius Nazianzenus in *Orat.* XL, nec probat quod dicere solebant: « Luminum festum exspecto: Paschatis festum pluris facio: Pentecosten exspectabo. Cum Christo

Digitized by Google

baptizari præstat, cum Christo in resurrectionis die ad vitam redire, Spiritus adventum honorare. »

Ait Pontius multa Cyprianum adhuc plebeium fecisse ad veterum exempla justorum, et si quod eorum præclare factum Scripturæ auctoritate comprobatum et laudatum videret, id imitatione assequi conatum esse. Prophetiæ dono ornatum fuisse Cyprianum multa ab eo ad Ecclesiæ utilitatem præcognita et prædicta testantur. Sed non desunt qui ex Epistola *ad Donatum*, quam recens a Baptismo scripsit, jam tum illum hujus doni et plurium aliorum participem fuisse colligant. Sic enim dona illa commemorat, sic alios hortatur ad ea consequenda, ut ipse illis caruisse non videatur : « Nostrum tantum sitiat pectus, inquit, et pateat : quantum illuc fidei capacis afferimus, tantum gratiæ inundantis haurimus. Inde jam facultas datur, castitate sobria, mente integra, voce pura, virtute sincera, in medelam dolentium posse venenorum virus extinguere, animorum desipientium labes reddita sanitate purgare, infestis jubere pacem, violentis quietem, ferocientibus lenitatem, immundos et erraticos spiritus, qui se expugnandis hominibus immerserint, ad confessionem minis increpantibus cogere, etc. »

III. — DE STUDIIS ET SCRIPTIS S. CYPRIANI A BAPTISMO USQUE AD ORDINATIONEM.

Non dubium est quin quod effluxit temporis a Baptismo ad Ordinationem, id omne Cyprianus insumpserit in Scripturis legendis, in scriptoribus ecclesiasticis evolvendis, iisque omnibus meditandis et colligendis quæ postea in luce et in oculis totius Ecclesiæ deprompsit. Tertullianum inter scriptores ecclesiasticos præcipue videtur adamasse. Notum est omnibus quod refert Hieronymus in libro de *Scriptoribus ecclesiasticis* vidisse se « quemdam Paulum Concordiæ, quod Italiæ oppidum est, senem, qui se beati Cypriani jam grandis ætatis notarium, cum ipse admodum esset adolescens, Romæ vidisse diceret, referreque sibi solitum numquam Cyprianum absque Tertulliani lectione unam diem præteriisse, ac sibi crebro dicere : *Da magistrum;* Tertullianum videlicet significans. » Sed, si legendi Tertulliani adeo studiosus fuit Cyprianus, non minus diligentiæ adhibuit in ejus erroribus cavendis vel potius refellendis. Nam, ut omittam unitatem Ecclesiæ, quam, a Tertulliano violatam, strenue defendit Cyprianus, quot extant sancti Martyris sententiæ de justa in lapsos indulgentia, totidem videntur esse in Tertullianum aculei.

Non multo post Baptismum ad defensionem religionis et ad morum informationem ingenium exacuit Cyprianus. Ad hoc enim tempus pertinent Epistola *ad Donatum*, ac liber *de Idolorum Vanitate*. Summa quidem elucet eloquentia in aliis operibus Cypriani, inest gravitas sententiarum ac verborum splendor; sed Epistola *ad Donatum* tanto artificio composita est ac tot elegantibus ornata picturis, ut ea tempora minime redoleat, cum Cyprianus in maximis rebus gerendis et disserendis occupatus non jam exquisitas venustates elaboraret, sed orationis divitias sine fuco, sine pigmentis funderet. Hinc præclare Augustinus lib. IV *de Doctr. christiana*, c. 14 : « Est tale aliquid, inquit, in epistola beatissimi Cypriani. Quod ideo puto vel accidisse, vel consulto factum esse, ut sciretur a posteris quam linguam doctrinæ christianæ sanitas ab ista redundantia revocaverit, et ad eloquentiam graviorem modestioremque restrinxerit, qualis in ejus consequentibus litteris secure amatur, religiose appetitur, difficillime impletur. » Hunc librum Pontius inter opera Cypriani primum recenset, dum ait Cyprianum « emolumentum gratiæ per fidem proficientis » ostendisse. Quamvis autem solus loquatur Cyprianus, perspicitur tamen quædam forma dialogi. Promissum sermonem, reposcente Donato, exsequitur Cyprianus indulgente vindemia, in horto amœnissimo; egregie describit qualis ante Baptismum fuisset et quid in ipso operatus esset Baptismus; atque, ut beneficii a Christo accepti magnitudinem commendet, sæculi vitia et pericula eleganter depingit. Finem dicendi facit inclinato jam sole : tum, ut reliquum diei in lætitia duceretur, Donatum, cui memoria tenax erat et vox canora, hortatur ut Psalmos ex more aggrediatur in convivio sobrio. Videtur ergo Donatus non amicus solum, sed etiam convictor Cypriano fuisse. Sciebat quid Cypriano detraxisset quidque ei contulisset mors criminum, vita virtutum; nomen suum dederat cœlestis militiæ castris, et, cum nihil ejus auribus tam gratum esset quam quod Deo gratum est, sermonibus Cypriani mirum in modum ducebatur. Circa idem tempus scriptus videtur liber *de Vanitate Idolorum*, in quo, multa imitatione expressa, nonnulla etiam totidem verbis translata occurrunt ex libris Tertulliani adversus ethnicos et ex dialogo Minucii Felicis. Redolent primordia conversionis nonnulla parum accurate in hoc libro dicta, velut cum ait Cyprianus regna sorte variari, oportuisse Christum pati, et cum passus esset ad superos denuo regredi.

IV. — CYPRIANUS PRESBYTERIUM ET SACERDOTIUM STATIM ACCIPIT. — QUO ANNO ORDINATUS EPISCOPUS. — RES GESTÆ ET SCRIPTÆ IN PRIMORDIIS EPISCOPATUS.

Observat Pontius in Cypriano ob eximios in virtute progressus minime observatum fuisse quod litteræ Apostoli prescripserant, ut neophyti ad sacerdotium non eveherentur : « Presbytérium et sacerdotium statim accepit, inquit : quis enim non omnes honorum gradus crederet tali mente credenti? » Addit multa illum presbyterum præclare fecisse, sed ea memoriæ nostræ non prodidit. Libenter assentior Pearsonio et Fello tres libros *Testimoniorum* a Cypriano presbytero scriptos esse, vel saltem in episcopatus primordiis scriptos crediderim. In his enim nullum extat eorum vestigium quæ postea Cyprianus tanto animi ardore defendit, sive cum lapsos nec sine pœnitentia recipiendos adversus Felicissimum, nec a spe veniæ excludendos adversus Novatianum contenderet; sive cum unitatem Ecclesiæ adversus utrumque tueretur;

Digitized by Google

sive cum Baptisma extra Ecclesiam nullum et irritum esse pugnaret. In tertio libro nonnulla depromit Scripturæ testimonia adversus hæreticos et schismaticos, sed multo fuisset uberior et vehementior si in ipso incendio atque inter motus ab hæreticis excitatos scripsisset. Quinetiam quod ait lib. III, cap. 28, « Non posse in Ecclesiâ remitti ei qui in Deum deliquerit, » id, etsi non incommode explanatum fuisse spero in præfatione cap. 9, animum tamen significat minus attentum ad commotam a Novatiano controversiam. Observat Fellus nec Scripturæ testimonia his in libris eodem modo citari ac in aliis, nec Scripturæ libros iisdem nominibus designari; ex quo scriptos esse confirmat ante alia Cypriani opera. Inscripti sunt *Quirino*, quem filium appellat Cyprianus, cujusque rogatu Scripturæ testimonia ad certa quædam capita revocavit, nihil de suo apponens præter titulos et præfationes primo et tertio libro præmissas. Hos autem libros qui Cypriano abjudicant, aut saltem tertium ab Erasmo in lucem editum, hi refelluntur in prima Baluzii ad hos libros observatione, quam operæ pretium est legere.

In presbyteri gradu non diu mansit Cyprianus, sed paulo post, ut ex Pontii testimonio perspicitur, mortuo episcopo Carthaginensi sufficitur « judicio Dei et plebis favore. » Non tamen facile ab eo impetratum est ut tantum onus subiret, sed « cum in dilectionem ejus et honorem totus populus aspirante Domino prosiliret, humiliter ille secessit, antiquioribus cedens et indignum se titulo tanti honoris existimans. » Sed, cum populi studia illius necesse magis accenderentur, et fores domus copiosa fraternitas obsideret, ac per omnes aditus sollicita charitas circuiret, cedere coactus est divinæ voluntati tot rebus manifestis significatæ. Quamvis autem episcopatus invito et fugienti impositus fuerit, non defuerunt qui illius electioni, facta conjuratione, intercederent; inter quos quinque potissimum presbyteri nequitiam suam nobilitarunt. Exarsit plebis indignatio in obtrectatores Cypriani, ut patet ex Ep. XL; sed nihil prætermisit Cyprianus ut exulceratas mentes ad sanitatem revocaret, « amicissimos eos et inter necessarios computans, mirantibus multis, » ait Pontius. At quinque illi presbyteri conceptum venenum medullis aluerunt, quod post aliquot annos conflato schismate violenter erupit. Augustinus lib. II, *de Bapt.* c. 7, Agrippinum Cypriani prædecessorem vocat. Sed huic proxime non successit Cyprianus, tum quia in Ep. LXXIII ait multos jam annos esse et longam ætatem ex quo sub Agrippino decretum in concilio fuerat de rejiciendo hæreticorum baptismo; tum quia in Epist. LV ut Fabianum Cornelii ita Donatum appellat antecessorem suum. Huic ergo, ut verisimillimum est, proxime successit.

Cyprianus in Epistola LV, anno 252 scripta, « plebi suæ in episcopatu quadriennio jam probatum » se esse dicit. Ex quo cum ordinatum fuisse concludunt anno 248, qui de illius rebus gestis pertractarunt. Sed tamen, si rationes accuratius subducamus, non tam certa et explorata res est, quam eruditis illis viris videtur; ac fieri optime potuit ut initio anni 249 ordinatus, quatuor episcopatus annos numeraret in hac Epistola LV, quæ scribi vix potuit ante Julium mensem anni 252. Sic enim solet Cyprianus inchoatos annos pro integris numerare: tempus elapsum a mense januario aut februario anni 250 usque ad Pascha anni 251, biennium vocat in Ep. XL; similiter triennium interpretatur in Epist. LIII. Quare, si ordinatus fuisset circa Pascha anni 249, quadriennium numerare poterat mense julio anni 252; sed eum jam episcopum fuisse circa Pascha anni 249 perspicimus ex Epistola XXIV in secessu scripta, in qua ait se Saturo die Paschæ lectionem semel atque iterum dedisse. Hoc enim Pascha cum referri non possit ad annum 250, aberat enim tunc Cyprianus, referri debet ad annum 249: sed forte, cum lectionem Saturo daret, recens erat ab Ordinatione, nec quidquam vetat cur eum ordinatum dicamus initio anni 249. Si tamen Ordinationem suscepit anno 248, quod fieri optime potuisse non inficior, certe non multo ante mensem julium suscepit. Quinquennium enim suo more, non quadriennium numerasset mense julio ineunte anni 252, si mense maio ordinatus fuisset anno 248.

Elapsum tempus ab initio episcopatus usque ad persecutionem Decii insumpsit Cyprianus in emendandis suorum moribus et disciplinæ legibus tuendis. Ait enim in Epist. LV « in quiete disciplinæ » serviisse. Cum maximam semper virginum curam gesserit, non incommode nonnulli ad initia episcopatus referunt librum de *Habitu virginum*. Alii hæc verba, « has adhortamur affectione magis quam potestate, » presbyterum magis decere quam episcopum volunt; sed Pearsonius hæc verba Cypriani modestiæ attribuit; episcopalem auctoritatem vigere aliis in locis observat, velut cum ait Cyprianus: « Audite igitur, virgines, ut parentem; audite, quæso, vos docentem pariter ac monentem. » Hunc librum rejicit Rigaltius post Decii persecutionem, hoc fretus argumento quod a Pontio recenseatur inter ea Cypriani opera quibus carnisset Ecclesia, nisi ethnicorum impetum Cyprianus prudenti secessu effugisset. Sed non vidit Rigaltius ipsum etiam librum *ad Donatum* a Pontio sic commemorari, quem tamen initio conversionis scriptum nemo negaverit. Unde patet Pontium Cypriani opera data occasione enumerare, non modo quæ post secessum scripserat.

Circa idem tempus, id est ante persecutionem, scripta existimatur Epistola LXVI, quam Cyprianus scripsit « presbyteris et diaconibus et plebi Furnis consistentibus, » de quodam Geminio Victore, qui Geminium Faustinum presbyterum tutorem testamento suo nominaverat. Jubet observari Cyprianus quod ipsius antecessores episcopi jampridem statuerant, « ne quis frater excedens ad tutelam vel curam clericum nominaret, ac si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione ejus celebraretur. » Deliberaverat ea de re Cyprianus cum collegis qui præsentes aderant, et compresbyteris qui assidebant. Sæpe enim negotia episcopos Africanos

Digitized by Google

Carthaginem trahebant, quibuscum episcopus Carthaginensis continuum veluti concilium habere poterat. Satis autem perspicitur, ut Pearsonius et Tillemontius observant, hanc epistolam in pace scriptam fuisse. Neque enim Geminius ille, sæviente persecutione, filiorum tutelam presbytero commisisset, quem dignitas et munus quo fungebatur in medium discrimen conjecisset. Verisimile est Geminium illum Faustinum, quem Victor tutorem nominaverat, postea ejusdem urbis factum esse episcopum. Adfuit enim concilio Carthaginensi, anno 256, Geminius Furnitanus.

Tres alias epistolas ante annum 250 scriptas pronuntiat Pearsonius, sexagesimam primam *ad Euchratium* de histrione quodam qui, etsi a theatro cessaverat, adhuc tamen artem suam docebat; sexagesimam secundam *ad Pomponium* de virginibus quæ cum masculis, ex quibus unus erat diaconus, deprehensæ in eodem lecto fuerant; sexagesimam quintam *ad Rogatianum* de quodam diacono qui ei contumelias et injurias fecerat, nec dignitatis nec senectutis habita ratione. Si scriptæ sunt hæ litteræ initio episcopatus, necesse est ut jam tum summa fuerit Cypriani sapientiæ existimatio, cum illius responsa episcopi undique peterent : sed fatendum nullam inesse his epistolis notam cur ad hoc tempus referantur. Crediderim potius Epistolam *ad Rogatianum* scriptam esse post motus a Novato ejusque gregalibus excitatos; ad hos enim videtur respicere Cyprianus cum ait: « Hæc sunt enim initia hæreticorum et ortus atque conatus schismaticorum male cogitantium, ut sibi placeant, ut præpositum superbo tumore contemnant. Sic de Ecclesia receditur, sic altare profanum foris collocatur, sic contra pacem Christi et ordinationem atque unitatem Dei rebellatur. »

Cypriani sapientia elucet in his litteris. In sexagesima prima declarat nec majestati divinæ, nec evangelicæ disciplinæ congruere ut histrio communicet. Quod si enim penuria hanc artem exercere cogat, Ecclesiæ sumptibus sustentari debere, modo tamen contentus sit frugalioribus cibis; aut si illic Ecclesia hos sumptus facere non possit, in suam eum invitat. In sexagesima secunda laudat Pomponium quod abstinuisset diaconum, qui cum virgine sæpe manserat, sed et cæteros qui cum virginibus dormire consueverant. Auctor est ut inspiciantur virgines diligenter ab obstetricibus, et si virgines inventæ fuerint, accepta communicatione in Ecclesiam admittantur, si tamen hactenus pœnitentiam hujus illiciti concubitus egerint, et a se invicem recesserint. Minatur graviorem censuram si ad eosdem masculos reversæ fuerint, aut si cum eisdem in una domo et sub eodem tecto simul habitaverint. Corruptis imponit pœnitentiam plenam, ac eas, si obstinate perseverent, numquam in Ecclesiam admitti posse declarat. In sexagesima quinta laudat humilitatem Rogatiani quod, cum pro episcopatus vigore et cathedræ auctoritate pœnas de diacono sumere posset, querelas ad se detulerit. Statuit oportere diaconum « agere audaciæ suæ pœnitentiam, et honorem sacerdotis agnoscere, » et episcopo præposito suo plena humilitate satisfacere. Hic facile perspicitur auctoritas Cypriani, non tam consilium dantis quam præcipientis et jubentis, tum ob sedis dignitatem, tum quia inito cum episcopis et presbyteris consilio responsa dabat. Nam Epistolæ *ad Pomponium* et *ad Rogatianum* scriptæ fuerunt non solum Cypriani nomine, sed etiam episcoporum quibuscum de propositis rebus deliberaverat. Nec mirum sane est si de gravioribus rebus cum episcopis consiliabatur, qui statuerat ab initio episcopatus sui nihil sine consilio cleri et consensu plebis privata sententia gerere. Ex his quæ deinceps dicemus facile quisque perspiciet quanta fuerit Cypriani in hoc genere diligentia et sedulitas, sive clerici ordinandi essent, seu quid aliud majoris rei incipiendum. Laudat Pontius in illius episcopatu pietatem et vigorem, misericordiam et censuram, gravem vultum et lætum, nec severitatem tristem nec comitatem nimiam, aversum a superbia sæculari animum, sed tamen sine affectatis penuriæ sordibus, summam denique in pauperes charitatem, quos catechumenus dilexerat.

V.—DE PERSECUTIONE DECII EJUSQUE INITIIS, AC DE MAGNO LAPSORUM ET CONFESSORUM NUMERO.

Electus in pace Cyprianus, ut ipse testatur Epist. LV, annum unum cui forte accedunt aliquot menses, in hoc rerum statu traduxit. Circa initium hujus anni 250, Novatus presbyter ob uxoris uterum calce percussum et partum abortione expressum, et alia scelera in judicium apud Cyprianum vocatus est; jamque aderat cognitionis dies, sed persecutio supervenit (Ep. XLIX). Jactitat se Pearsonius hoc presbyteri conjugati exemplo : sed tamen uxorem non duxit Novatus tum cum esset presbyter, nec si presbyter retinuit, idcirco Ecclesiæ vetitum ex continentium numero presbyteros eligere.

Cypriani virtutibus latissimum campum aperuit persecutio Decii, de qua nobis pauca dicenda sunt, antequam res a Cypriano his molestissimis temporibus gestas persequamur. Decius, occisis crudeliter Philippis et imperio occupato, nihil prius sibi aut potius faciendum esse duxit, quam ut in christianam religionem, quæ sub Philippis ac superioribus imperatoribus mirum in modum creverat, omnes imperii sui conatus converteret. Cœpit itaque et suo in Philippos odio, et Romanarum superstitionum, quarum ruinis hanc religionem superstrui videbat, desiderio in Christianorum sanguine parentari.

Persecutionem simul cum imperio Decii cœptam fuisse discimus ex locupletе teste, Dionysio Alexandrino, qui defendendæ et tuendæ in hac persecutione Ecclesiæ plurimas partes sustinuit. « Sed continuo, » inquit apud Euseb. (*Hist.* lib. VI, cap. 41), imperii illius erga nos benignissimi mutatio nobis nuntiata est, et gravissimus nobis minarum terror intentabatur. Jamque aderat edictum imperatoris, etc. » Idem testantur Lactantius in libro *de Morte persec.* c. 4, et Orosius lib. VI, c. 21. Quare, cum nullum exstet vestigium persecutionis ante mensem januarium

Digitized by Google

anni 250, cujus mensis die vigesimo Fabianum papam Romæ passum esse constat, non assentitur Tillemontius erudito *Annalium Cyprianicarum* auctori, qui Philippum mense Augusto anni 249 occisum esse, ac Decium mense julio exeunte purpuram sumpsisse existimat. Non immerito quidem statuitur Philippum utrumque periisse ante finem anni 249, nec septem annos imperasse, ut visum est Eusebio; quippe cum in *Codice* Justiniani (lib. IV, tit. 16), extet rescriptum sub Decii nomine datum XIV kal. nov., Æmiliano et Aquilino coss., videntur ergo jam tum Philippi periisse; sed id mense augusto contigisse non probatur: quinetiam citat Tillemontius ex *Cod.* Justiniani (l. VI, tit. 36) legem a Philippo datam idib. octobr. eodem Æmiliano consule, cui non sine errore collega assignatur Peregrinus.

Sed, quæcumque Decio tribuantur imperii initia, negari non potest persecutionem initio anni 250 sæviisse. Caruerunt primordia crudelitate tormentorum, non id quidem omnibus in locis, sed saltem Carthagine, ubi primo confessoribus non aliæ inflictæ sunt pœnæ, quam carcer, exilium; sed, paucis mensibus elapsis, nullum abfuit cruciatus genus. Sic Aurelius, ut ait Cyprianus Ep. XXXIII, sub « oculis ante paucorum, quando extorris fiebat, congressus est; at postea meruit et in foro congredi clariore virtute, ut post magistratus etiam proconsulem vinceret et post exilium tormenta superaret. » Existimat Tillemontius persecutionem citius Romæ quam in Africa sæviisse, ac Moysen et Maximum, presbyteros Romanos, jam in carcerem conjectos fuisse cum persecutio in Africa incœpit, quamvis post Fabiani papæ martyrium conjecti fuerint, ut habetur in Bucherii Pontificali. Non sane repugnat ut persecutio citius Romæ quam in provinciis cruperit; sed tamen Cypriani verba quibus vir doctissimus nititur, non id omnino demonstrant, quod ipsi videtur, confessores Romanos ante in carcerem conjectos fuisse quam Carthaginenses, sed tantum cruciatus et tormenta prius Romæ incœpisse quam Carthagine. Sic enim loquitur Cyprianus in Epistola XXV, *ad Moysem et Maximum et alios confessores* : « Vos enim primores et duces ad nostri temporis prælium facti cœlestis militiæ signa movistis; vos spiritale certamen, quod nunc geri Deus voluit, vestris virtutibus imbuistis; vos surgentis belli impetus primos immobili robore atque inconcussa stabilitate fregistis: inde initia felicia pugnandi orta sunt; inde vincendi auspicia cœperunt. Contigit hic per tormenta consummari martyria: sed qui in congressione præcedens exemplum virtutis fratribus factus est, cum martyribus in honore communis est. Coronas vestras manu sertas inde huc tradidistis et de poculo salutari fratribus tradidistis. » Negat Tillemontius ex his verbis sequi Moysen et Maximum Romæ omnium primos confessos esse, quippe cum Fabianus ante martyr obierit quam isti in carcerem conjicerentur, sed tantum hanc eos laudem ante Carthaginenses retulisse. Sed tamen neminem excipit Cyprianus, ac confessores ad quos scribebat, « primores et duces ad nostri temporis prælium » signa movisse declarat. Multo ergo satius est hæc de martyrum constantia in cruciatibus perferendis, ut tota verborum complexio postulat, accipere.

Causam persecutionis repetit Cyprianus, in libro *de Lapsis*, ex Christianorum peccatis, quorum antiquam pietatem longa pax adeo corruperat, ut in plerisque pecuniæ fames, deliciarum amor, fraudes et rapinæ, matrimonia cum infidelibus, perjuria, inimicitiæ et maledicta merito culparentur. Plurimos etiam episcopos infecerat corruptela, in quibus Cyprianus, non modo sæcularium rerum procurationes et per alienas provincias negotiationis questuosæ nundinas, sed etiam fraudes et rapinas et usuras castigat. Usus est Deus ad tot malorum emendationem Decii persecutione, quæ et bonorum pietatem et constantiam mirifice exercuit, et eorum qui nomine magis quam vita christiani erant, ignaviam et interiores animi labes nudavit. Hoc enim habuit singulare hæc persecutio, ut omnes omnino Christianos comprehenderet, saltem Carthagine, nec quisquam ex ea nisi aut Christi confessor egregius, aut simulacrorum perfidus cultor, vel libellaticus discederet. Nam singulis explorandæ fidei præfiniebantur dies, ut ait Cyprianus in libro *de Lapsis*, (p. 182), sicque non solum qui sese audacter sistebat, sed etiam qui « professus intra diem non est, et patrimonio derelicto secessit, christianum se esse confessus est. » Itaque nihil erat medium : vel vita pro Christo profundenda erat aut saltem patrimonium projiciendum, vel utrumque cum scelere retinendum. Idem evenisse Alexandriæ perspicitur ex Dionysio Alexandrino, apud Euseb. Hist. (l. 6, cap. 41). Deplorant Romani confessores « multorum per totum pene orbem ruinas, et grande delictum per totum pene orbem incredibili vastatione grassatum » (Ep. XXVI). « Aspice totum orbem pene vastatum, inquit Clerus Romanus (Ep. XXXI), et ubique jacere dejectorum reliquias et ruinas. Deflet etiam Cyprianus Ep. VI, « infestam tempestatem, » quæ ipsius plebem, maxima ex parte, « prostraverat, ac etiam cleri portionem perstrinxerat, quamvis serius clerici cecidérint. Non sine gravissimo dolore meminit in libro *de Lapsis* (p. 183), « ad prima statim verba minantis inimici, maximum fratrum numerum fidem suam prodidisse, nec prostratum esse persecutionis impetu, sed voluntario lapsu seipsum prostravisse. Non expectaverunt, inquit, saltem ut interrogati negarent, ut ascenderent apprehensi; ante aciem multi victi, sine congressione prostrati, nec hoc sibi reliquerunt, ut sacrificare idolis viderentur inviti; ultro ad forum currere, ad mortem sponte properare..... Quid illi qui a magistratibus, vespera urgente, dilati sunt, quod ne eorum differretur interitus etiam rogaverunt?... Ac multis proprius interitus satis non fuit: hortamentis mutuis in exitium suum populus impulsus est, mors invicem lethali poculo propinata est. » Non omnium tamen lapsorum vita ante persecutionem illaudata fuit, testatur enim Cyprianus Ep. XXVII,

Digitized by Google

nonnullos extitisse « de lapsis, humiles, et mites, et trementes et metuentes Deum, et qui in Ecclesia semper gloriose et granditer operati sunt, et opus suum Domino imputaverunt. » Magnum sane dedecus inussit nomini christiano tot hominum a Christi sacris ad dæmonum aras currentium ignavia; sed alia ex parte, plurimum splendoris accessit non eorum solum fortitudine et constantia qui horrendos cruciatus et inaudita supplicia pro Christo superarunt, sed aliorum etiam innumerabilium prudenti fuga qui, cum opes suas projicere maluerint quam impiis jussis parere, inter confessores, Cypriano judice, numerantur. Quare, si numquam alias tanta lapsorum visa est multitudo, numquam etiam tantus confessorum extitit numerus: deinde vero, etsi persecutio ubique grassata est, non tamen ubique dæmoni suæ artes successerunt. Scribit enim Clerus Romanus Ep. III, ad clerum Carthaginensem, Romanam Ecclesiam stare fortem in fide, et quosdam tantum terrore compulsos ruisse. Illud etiam ad religionis laudem observandum est, paucissimos cecidisse episcopos, ac innumerabiles alios Ecclesiæ navem inter horribiles procellas constanter gubernasse, et, pace reddita, sic lapsorum vulnera curasse, ut qui persecutioni Decii succubuerant, redintegrato certamine sub Gallo et Volusiano, vincerent, ut testatur auctor libri *ad Novatianum hæreticum*.

VI. — IN QUO POSITUM EORUM DELICTUM QUI LIBELLATICI APPELLATI SUNT.

Sæviente Decii persecutione, visum est in Africa novum quoddam lapsorum genus qui Libellatici appellati sunt, et materiam eruditorum hominum conjecturis dederunt. Opinati sunt Rigaltius (in notis ad Epp. XIV, XXXI Cypr.) et Natalis Alexander, (tom. II, p. 655) Libellaticos dici eos qui, numerata judici pecunia, libellum securitatis accipiebant, sicque a se et impositam sacrificandi legem et intentatas reluctantibus pœnas redimebant. Sed hæc sententia sic sua sponte omnibus argumentis nuda et incomitata est, sic ab eruditis viris fracta et explosa, ut novam refellendi operam non desideret. Quis enim sibi persuadeat grande peccatum esse et pœnitentia expiandum, quod Scripturæ exemplis et Petri Alexandrini canone 12 comprobatum est, nec umquam inconcessum fuit nisi apud Montanistas, qui persecutionem fugere instar sceleris damnabant? Multæ aliæ de Libellaticis exstiterunt conjecturæ, de quibus non ita facile sit dijudicare. Existimat auctor *Annalium Cyprianicorum* (p. 17) Libellaticos « actis publice habitis coram magistratibus Christum negasse. » S. Augustinus Libellaticos interpretatur eos « qui tempore persecutionis per libellos se thurificaturos professi erant » (lib. IV, *de Bapt.*, n. 6). Negat Baronius (ad an. 255), Libellaticos inde dictos quod libellos dedissent, sed quod accepissent; at Christum ab illis negatum fuisse contendit. Dubitat Tillemontius (tom. I, not. 3 in persecutionem Decii) utrum libellos dederint an acceperint: dedisse et accepisse suspicatur, idemque sensisse probat eruditum auctorem libri *de frequenti Communione*. Multi alii Libellaticos ex datis libellis dictos existimant, velut Bosquetus (lib. III *Eccles. Gallic.* p. 132); nonnulli etiam in actis publicis subscripsisse volunt. Cum hæc sententiarum varietas conjiciendi et investigandi libertatem relinquat, quid mihi videatur exponere non verebor. Existimo itaque Libellaticos nec voce nec scripto impie quidquam aut facturos promisisse, aut a se factum declarasse, sed idcirco vituperatos et justæ pœnitentiæ addictos fuisse, quod securitatis libellos a magistratibus impetrassent ea lege et conditione, ut in actis publicis scriberetur eos sacrificasse et Christum negasse, quamvis neutrum commisissent.

In hoc positum esse Libellaticorum crimen inde perspicitur quod eorum fraus cum ea comparetur quam Eleazaro ministri regis proposuerant: « Ac ne quis vel libelli, » inquit Cyprianus in libro *de Exhort. mart.* (p. 271), « vel alicujus rei oblata sibi occasione qua fallat, amplectatur decipientium malum munus: nec Eleazarus tacendus est, etc. » Illud ergo administrarunt Libellatici quod Eleazarus admittere noluit, consenserunt ut sacrificasse dicerentur, egregio seni longe dissimiles. At, si voce pronuntiassent, vel scripto declarassent se sacrificasse et Christum negasse, ab ejusmodi facto dehortatus esset Cyprianus, ut ab aperta impietate, non ut a callida simulatione.

Idem perspicitur tum ex iis locis in quibus Libellaticorum culpa lenitur et quodammodo excusatur, tum etiam ex illis in quibus severius castigatur. Cum Libellaticis concessa pax in synodo Carthaginensi carperetur a Novatiani sectatoribus, sic factum synodi defendit Cyprianus Ep. LII, *ad Antonianum*: « Cum ergo inter ipsos qui sacrificaverunt, » inquit (p. 70), « multa sit diversitas, quæ inclementia est et quam acerba duritia Libellaticos cum iis qui sacrificaverunt jungere, quando is cui libellos acceptus est, dicat: Ego prius legeram et episcopo tractante cognoveram non sacrificandum idolis, nec simulacra servum Dei adorare debere; et idcirco, ne hoc facerem quod non licebat, cum occasio libelli fuisset oblata, quem nec ipsum acciperem nisi ostensa fuisset occasio, ad magistratum vel veni, vel alio eunte mandavi, christianum me esse, sacrificare mihi non licere, ad aras diaboli me venire non posse, dare me ob hoc præmium ne quod non licet faciam. Nunc tamen etiam iste qui libello maculatus est, posteaquam nobis admonentibus didicit nec hoc se facere debuisse, etsi manus pura sit et os ejus feralis cibi contagia nulla polluerint, conscientiam tamen ejus esse pollutam, flet auditis nobis et lamentatur, et quod deliquerit nunc admonetur, et non tam crimine quam errore deceptus, quod jam de cætero instructus et paratus sit contestatur. » Ex his verbis perspicitur 1° Libellaticos non ex datis sed ex acceptis libellis nomen traxisse; 2° secreto confessos esse magistratui christianos se esse, ac totam rem ita attemperate tractatam, ut nec christianus impie quidquam dicere aut facere sibi videretur, nec judex in periculum veniret; 3° non manum Libellaticorum, non os fuisse

Digitized by Google

pollutum, sed solam conscientiam, quia videlicet illis conscriis fictum scelus in acta publica relatum fuerat. At si voce vel scripto testati essent se sacrificasse et Christum negasse, an eorum linguas et manus a scelere immunes et puras existimasset Cyprianus ? 4° Denique, qui ex hac epistola concludunt duo fuisse Libellaticorum genera, quorum alii aliis multo gravius peccassent, ex eo refelluntur quod sibi maxime favere existimant. Tum cum enim observat Cyprianus « inter ipsos qui sacrificaverunt » multam esse diversitatem, non aliud inter Libellaticos discrimen ponit nisi quod alii ad magistratum venissent, alii mandassent alio eunte. Utrosque æque peccasse non dubitat. Hinc utrisque eodem tempore concessa pax in concilio Carthaginensi, quod anno 251 post Pascha habitum est. Quo quidem in concilio cum episcopi rationes omnes accuratissime subduxerint, ut in hac Epistola LII testatur Cyprianus, non eodem modo cum omnibus Libellaticis egissent si insignis inter eos varietas fuisset. Quid autem utrique Libellatici peccaverint, et qui per se et qui per alios cum magistratu egerant, non exprimit Cyprianus ; notissima enim res erat Antoniano ; sed illud saltem ex ejus verbis constat tale peccatum fuisse, ut ne peccasse quidem sibi viderentur. At incredibile prorsus est Christianos optimis morum præceptis imbutos adeo excutiisse, ut se sine scelere pronuntiare, aut scribere posse crederent : Ego diis sacrificavi, ego Christum negavi ; nec nisi admoniti a Cypriano discerent hoc se facere non debuisse. Tam aperta est ejusmodi facinoris impietas, ut neminem prorsus latere potuerit, nisi qui omnem religionis sensum exuisset.

Clerus Romanus, Epist. inter Cyprianicas XXXI, Libellaticorum culpam non molli brachio castigat, nec tamen aliud quidquam indicat quam quod modo observavimus : « Hoc nos non falso dicere, » inquit, « superiores nostræ litteræ probaverunt, in quibus vobis sententiam nostram dilucida expositione protulimus, et adversus eos qui seipsos infideles illicita nefariorum libellorum professione prodiderant, quasi evasuri irretientes illos diaboli laqueos viderentur, quo non minus quam si ad nefarias aras accessissent hoc ipso quod ipsum contestati fuerant, tenerentur ; sed etiam adversus illos qui acta fecissent, licet præsentes cum fierent non adfuissent, cum præsentiam suam utique ut sic scriberentur mandando fecissent. Non enim immunis a scelere qui ut fieret imperavit, nec est alienus a crimine cujus consensu licet non a se admissum crimen, tamen publice legitur. Et cum totum fidei sacramentum in confessione Christi nominis intelligatur esse digestum, qui fallaces in excusatione præstigias quærit, negavit, et qui vult videri propositis adversus Evangelium vel edictis vel legibus satisfecisse, hoc ipso jam paruit quod videri paruisse se voluit. » Gemellus sane hic locus est alteri ex Epistola *ad Antonianum* deprompto, quamvis alter in summam lenitatem, alter in summam severitatem inclinet. Testatur Clerus Romanus Libellaticos sic animo affectos fuisse, ut diaboli laqueos evasuri sibi viderentur ; quod profecto Christianis in mentem non venisset, si impie quidquam aut voce prolocuti fuissent, aut scripto testati. Clerus Romanus duo distinguit Libellaticorum genera, ut in Epistola *ad Antonianum*, eorum qui in scribendo adfuerant, et eorum qui ne adesse quidem ausi fuerant aut potuerant. Utrique pariter culpantur, quia postremi licet « præsentes, cum acta fierent, non adfuissent, præsentiam suam utique ut sic scriberentur mandando fecissent. » Porro de iis qui in scribendo non aderant nemo dixerit eos libellum dedisse, aut verbo impie quidquam declarasse. In hoc tantum vituperantur quod imperassent ut acta fierent, quod eorum « consensu licet non a se admissum crimen tamen publice » legeretur ; « quod fallaces in excusatione præstigias » quæsiissent ; quod voluissent « videri propositis adversus Evangelium vel edictis vel legibus satisfecisse. » Ergo qui adfuerant, cum in eadem prorsus causa sint, nihil aliud commisere nisi ut fictum scelus in acta publica ipsis videntibus referretur. Quamobrem, cum ait Clerus Romanus eos « non minus quam si ad nefarias aras accessissent, hoc ipso quod ipsum contestati fuerant » teneri ; id non ita accipiendum quasi voce pronuntiassent se ad aras accessisse, sed quod consensissent ut sceleris non commissi publicum tamen testimonium exstaret. Simili sensu idem Clerus eos acta fecisse dicit qui « præsentes, cum acta fierent, » non adfuerant. Eodem modo accipiendum quod de Martiali dicitur in Epist. LXVIII (pag. 119), tum etiam illud ex libro *de Lapsis* (p. 190), « nec sibi quominus agant pœnitentiam blandiantur qui, etsi nefandis sacrificiis manus non contaminaverunt, libellis tamen conscientiam polluerunt. Et illa professio denegantis contestatio est christiani quod fuerat abnegantis. Fecisse se dixit quidquid alius faciendo commisit. » Non discrepat hic locus sententiæ Cleri Romani adversus eos « qui seipsos infideles illicita nefariorum libellorum professione prodiderant. » Dixit Libellaticus fecisse se quidquid alius faciendo commisit, non quod voce pronuntiaret se negasse et sacrificasse, nam dicebat judici christianum se esse et sacrificare, ad aras diaboli venire non posse, ut legimus in Epist. LII ; sed quia illa libelli professio hominis est quodammodo negantis. Sic enim, antiquis editionibus et octo codicibus mss. inspectis, hunc locum legendum deprehendi : « et illa professio est denegantis, contestatio est christiani quod fuerat abnegantis, » eodem videlicet sensu quo Clerus Romanus ait eum negasse qui fallaces in excusatione præstigias quæsit, et qui vult videri edictis satisfecisse, hoc ipso jam paruisse.

Quod autem spectat ad libellos a judicibus datos, idem in illis scriptum fuisse non videtur ac in actis publicis. Gravius enim fuisset Libellaticorum peccatorum si, præter testimonium actis publicis consignatum, ejusmodi libellos servassent et oblata occasione ostendissent ; quod quidem illis nec a Cypriano nec a Clero Romano objectum fuit. Rationum momentis hactenus adhibitis unum adjiciam : morem non fuis-

Digitized by Google

se ut qui fidem negabant, id scripto consignarent, sed tantum in acta referebatur. Aliter sentiunt Baronius (ad an. 304) et Tillemontius (tom. v, p. 451), ac locum proferunt ex Actis sanctarum martyrum Agapes, Chioniæ et Irenes, quæ « jussæ Christi negationem scriptam profiteri » dicuntur. Sed scripta illa negatio, græce ἔγγραφος (sic enim græcum contextum habuisse existimo), nihil aliud est quam negatio actis consignata. Sic apud Euseb. (lib. XI Hist., cap. 5) mulieres quædam coactæ fuerunt a duce λέγειν ἐγγράφως « dictis ad acta testimoniis fateri » se Christianas fuisse, et flagitiorum quæ a Christianis gererentur conscias esse. Messaliani apud Photium (Cod. 52) dicuntur convicti fuisse ἐγγράφως, id est, « dictis ad acta testimoniis, » quod ad errores suos rediissent. Hinc Basilius (l. I *de Baptismo*, cap. 3) vocat promissiones quibus in Baptismo obstringimur, ὥσπερ ἔγγραφον ὁμολογίαν, « veluti quamdam ad acta professionem. » Unde etiam Optatus (*lib.* II, n. 34) : « Fides credentium et professio quæ apud acta conficitur Angelorum. »

Libellorum crimen, etsi famam ac nomen in Africa potissimum habuit, non tamen aliis provinciis ignotum fuit : nam Romæ S. Cornelius a nefariis schismaticis in hoc crimen vocatus ; ejusdem in Hispania convicti Basilides et Martialis episcopi. Quinetiam in Ægypto sub Petro Alexandrino occurrit Libellaticorum genus quoddam, sed haud scio Africanis diversum. Petrus Alexandrinus (*Can.* 5) pœnitentiæ sex mensium addicit eos qui simularunt, sicut et David, ἤτοι ὡς διελθόντες βωμούς, ἤτοι ὡς χειρόγραφα γράψαντες, ἤτοι ὡς ἀνθ' ἑαυτῶν βαλόντες ἑτέρους, « vel ut altaria pertranseuntes, vel ut chirographum dantes, vel ut ethnicos pro se immittentes. » Fatetur Petrus ejusmodi homines non aperte impietatem præ se tulisse, καὶ μὴ γυμνῶς ἀπογραψαμένοις τὰ τῆς ἀρνήσεως : ubi legendum videtur ἐπιγραψαμένοις. Zonaras sic interpretatur illud chirographum, συνέθεντο θύσειν, « pacti sunt se immolaturos. » Sed hæc promissio an apertæ impietatis specie caruisset ? Credere alios ejusmodi homines, itidem ut Libellaticos in Africa, aliquam a judicibus accepisse conditionem, quæ et tuta judici et Christiano non aperte impia videretur. Nihil dicam de alio Libellaticorum genere, quod Baronius (ad an. 253), perspicere sibi visus est in epistola Plinii ad Trajanum, ex qua profert hæc verba : « Propositus est libellus sine auctore multorum nomina continens, qui negarent se esse Christianos aut fuisse, etc. » Sed non animadvertit Baronius hunc libellum non a Christianis oblatum fuisse, sed ab aliquo nomen suum celante, et multos nominatim ut Christianos designante qui tamen negaverunt se esse aut fuisse Christianos. Hinc Trajanus Plinio respondens ait : « Sine auctore vero propositi libelli nullo crimine locum habere debent, nam et pessimi exempli, nec nostri sæculi est. »

VII. — CYPRIANUS SECEDIT IN PERSECUTIONE JUSTISSIMIS DE CAUSIS.

Edictum Decii ut in Africam perlatum est, statim populi clamoribus exagitatus Cyprianus et ad leonem postulatus, prudenti recepto furorem impiorum declinavit, cum coronam suam in aliud tempus differri mallet, quam præsentia sua novas faces incendio persecutionis admoveri. Non semel quæsitus est, sed sæpe alias in absentem popularis furor exarsit. Testatur Pontius eum « suffragiis sæpe repetitis ad leonem » postulatum, ac « proscriptionis gloriam consecutum esse. » Idem de se ipse narrat « toties flagitatum et quæsitum » (Epist. VI). « Toties ad leonem petitum in circo, in amphitheatro, » atque etiam proscriptum se fuisse « applicito et adjuncto episcopatus sui nomine » (Epist. LV). « Cum publice legeretur : Si quis tenet vel possidet de bonis Cæcilii Cypriani episcopi Christianorum (Epist., LXIX). » Quonam se receperit nescimus ; sed presbyteri et diaconi Romani, iniquis sermonibus decepti, parum æque de illius secessu judicarunt antequam ab ipso de tota re certiores fierent. Vix dubium est quin eum nonnulli alii reprehenderint ; neque enim illius factum tanto studio defendisset Pontius si probatum omnibus et purgatum fuisset. Forte vituperandi hæc ansa olim arrepta est, vel etiam hodie arripiatur, si quis censoris partes sibi arroget ; quod ipso absente maxima pars fidelium turpiter ceciderit, constantior in fide, aut saltem ad horrendum scelus tardior futura si episcopi sui liberrimam confessionem audiisset, aut præclaram pro Christo mortem spectasset.

Sed, ut a Cypriano reprehensionem omnem propulsemus in ejusmodi consilio, quo duo alii præstantissimi viri, Gregorius Thaumaturgus et Dionysius Alexandrinus eodem tempore utebantur, observandum est 1° cum communi Evangelii præcepto paruisse, quod tum maxime observare debuit cum in ipsius potissimum nomen persecutio erumperet, ac periculum esset ne furorem gentilium in plebem suam præsens accenderet. 2° Singulari modo admonitus a Deo fuit ut discederet : « Dicata enim in omnibus Deo mens, » inquit Pontius, « et fides divinis admonitionibus mancipata credidit se, nisi Domino latebram tunc jubenti paruisset, etiam ipsa passione peccare. » Tuetur se Cyprianus Evangelii præcepto in epistola quam ad Clerum Romanum scripsit purgandi sui causa ; sed in alia epistola, nempe decima, declarat jussisse Dominum ut secederet. 3° Maximus ille fratrum numerus qui absente Cypriano cecidit, non tormentis et cruciatibus Christum negare coactus est, « sed ad prima statim verba minantis inimici fidem suam prodidit, » ut in libro *de Lapsis* legitimus. Sic animo affectis melius consulere non poterat Cyprianus, quam si eos ad recedendum exemplo suo hortaretur. 4° Observat Pontius divino consilio servatum esse Cyprianum, qui, cum Ecclesia maximam cladem accepisset persecutione Decii, « posset saucios homines et varia expungentis inimici arte jaculatos, adhibita medicinæ cœlestis medela, pro qualitate vulneris vel secare interim vel fovere. » Rem exitus comprobavit. Testatur enim auctor libri *ad Novatianum hæreticum* « illos qui prima acie, » id est « Deciana persecutione vulnerati fuerunt, hos postea, id

Google

est secundo prælio, ita fortiter perseverasse ut, contemnentes edicta sæcularium principum, hoc invictum haberent, quod et non metuerunt exemplo boni pastoris animam suam tradere et sanguinem fundere, nec ullam insanientis tyranni sævitiam recusare. » 5° Denique sic corpore abfuit Cyprianus, ut animo et sollicitudine omnibus rebus interesset, nec ullas episcopi partes prætermitteret. Discedens omnibus rebus proviserat, pecuniam apud clericos distribuerat, « ut haberent plures unde ad necessitates et pressuras singulorum operari possint (Epist. v). » Videtur in secessu assidue sacrificia obtulisse, ministrante Victore diacono, qui eum cum aliis nonnullis comitatus fuerat (Epp. v, xxxvii). Aderant interdum plures episcopi, et una cum Cypriano Aurelium et Celerinum ordinaverunt, ut patet ex Epp. xxxiii et xxxiv. Quinetiam de sacrificiis suis sic loquitur, ut frequentem populum congregasse videatur. Ait enim in Epistola xvi, quæ est *ad confessores Romanos* : « Et nos quidem, vestri diebus ac noctibus memores, et quando in sacrificiis precem cum pluribus facimus, et cum in secessu privatis precibus oramus, coronis ac laudibus vestris plenam a Domino faventiam postulamus. » Cum autem Ecclesiæ curam presbyteris et diaconis commisisset, ac præterea, ut ipsius verbis utar ex Ep. xxxviii, pro se vicarios misisset duos episcopos, Caldonium et Herculanum, quibus adjunxerat Rogatianum et Numidicum presbyteros, de omnibus ad eum referebatur, nec quidquam ab eo omissum quod quidem ad pauperes sublevandos, ad confessores cohortandos ac interdum etiam castigandos, ad lapsorum ruinas reparandas, ad disciplinæ observationem et Ecclesiæ pacificationem pertineret. Sed, quia litteras illius in secessu scriptas alii aliter ordinant, non perfunctorie nobis examinanda res est.

VIII. — DE LITTERIS CLERI ROMANI CARTHAGINEM MISSIS, POSTQUAM CYPRIANUM SECESSISSE NUNTIATUM EST.

Presbyteri et diaconi Romani, ad quos, mortuo Fabiano, rerum administrandarum summa redierat, ex Clementio, sive, ut vocat Baluzius, Crementio subdiacono Carthaginensi de Cypriani secessu didicerunt. Cumque res « minus simpliciter et minus fideliter, » ut ait Cyprianus Epist. xv, fuisset nuntiata sive ab hoc subdiacono, sive ab aliis (hunc enim non accusat Cyprianus), duas epistolas per eumdem Crementium Carthaginem miserunt, alteram ad Cyprianum de morte Fabiani, quæ quidem ad nos pervenit, alteram ad ipsius clerum; quamquam ait Cyprianus, « nec quis scripserit, nec ad quos scriptum sit significanter expressum » fuisse. In hac epistola, quæ tertio loco apud Pamelium volvitur, etsi nihil nominatim de Cypriano nisi honorifice dicitur, sic tamen de illius secessu loquuntur, ut illum minime probent : sic de bonorum pastorum notis disserunt, quasi eas desiderent in Cypriano; sic denique gregis custodiam clero Carthaginensi commendant, quasi vidua esset episcopo ecclesia. Illud etiam Cypriano molestum esse poterat quod clerum Carthaginensem Romani rogarent ut harum litterarum exemplum ad quoscumque posset transmitteret per idoneas occasiones, vel suas faceret.

Has Cleri Romani litteras circa mensem maium collocat Tillemontius; sed verisimile non fit Romanos de morte Fabii, qui die vigesima januarii martyr obiit, tam sero Cyprianum fecisse certiorem. Etiamsi persecutio facultatem hujus rei præclusisset, ut conjicit Tillemontius, nimium tamen intercedebat commercii Romam inter et Carthaginem, quam ut de tam insigni eventu per quatuor menses « rumor incertus esset et opinio dubia nutaret, » ut ait Cyprianus Ep. iv. Deinde vero ex epistola Celerini ad Lucianum (inter Cyprianicas xxi) discimus sexaginta quinque confessores Romam Carthagine venisse paulo post Pascha aut forte etiam ante Pascha, quod hoc anno incidit in diem 7 april. ex cyclo Victorii, aut. 31, mart. ex cyclo Hyppoliti. Indicat tamen Clerus Romanus in litteris de quibus nunc agimus, neminem Carthagine venisse ex quo de secessu Cypriani certior fieri posset, præter Clementium subdiaconum. Multo ergo probabilius est hanc epistolam mense martio allatam fuisse.

Sed objicit Tillemontius Cyprianum in Epistola xv, quam æstate scriptam fuisse constat, sic de his Cleri Romani litteris loqui, ut eas nuper missas esse dicat. Quærit deinde cur, cum Cyprianus his litteris statim responderit, Romani tam sero rescripserint : nondum enim id fecerant cum Epistolam xv scriberet Cyprianus. Nihil probat illud, « nuper, » quod pro varia rei considerandæ ratione variam habet sententiam. Cyprianus in Ep. lxv, quoddam antecessorum suorum decretum jampridem ac *nuper* factum esse dicit. Potuit ergo dicere *nuper* se accepisse epistolam ante quatuor menses acceptam, cum præsertim nulla alia per totum illud tempus epistola venisset. Facilis et expedita ratio est cur Romani nondum Cypriano respondissent mense julio; nondum enim suspiciones deposuerant adhuc patebant eorum aures iniquis sermonibus, ut videre est initio Epistolæ xv. Quamobrem non respondere statuerant; hinc litteras mense julio non ipsi Cypriano, sed ejus clero inscripserunt; quamvis minime dubium sit quin primam Cypriani epistolam accepissent, etiamsi ante mensem maium scripta non fuisset.

IX. — DE PRIMA CYPRIANI ROMANORUM LITTERIS RESPONSIONE. — DE TREDECIM LITTERIS ANTE SECUNDAM RESPONSIONEM SCRIPTIS ET SIMUL CUM ILLA ROMAM PERLATIS, EX QUIBUS MULTAS DESIDERARI OSTENDITUR.

Primis litteris Cleri Romani statim respondit Cyprianus, et de glorioso Fabiani exitu gratulatus est, de quo antea rumor incertus erat. Quod autem spectat ad alteras ad clerum Carthaginensem scriptas, rem prudenter tractandam esse judicavit. Cum animadvertisset in his litteris, « nec quis scripserit, nec ad quos scriptum sit, significanter expressum » esse, cumque eum « in iisdem litteris et scriptura et sensus et chartæ ipsæ quoque moverent, ne quid ex vero vel subtractum esset vel immutatum, eamdem ad

Digitized by Google

illos epistolam authenticam » remisit, « ut recognoscerent an ipsa esset quam Clementio hypodiacono perferendam » dederant (Ep. IV). At, ubi veram epistolam esse comperit, non expectato Romanorum responso, iterum scripsit purgandi sui causa, et actionum suarum rationem sedato corde exposuit, missis etiam ad eos tredecim litteris, quæ ab ipso variis de rebus, ex quo secesserat, scriptæ, nullam prorsus negligentiæ suspicionem relinquebant. Sic autem has litteras recenset Cyprianus : « Et quid egerim, » inquit in Ep. XV ? « loquuntur vobis epistolæ pro temporibus emissæ numero tredecim quas ad vos transmisi, in quibus nec clero consilium, nec confessoribus exhortatio, nec extorribus, quando oportuit, objurgatio, nec universæ fraternitati ad deprecandam Dei, misericordiam allocutio et persuasio nostra defuit, quantum secundum legem fidei et timorem Dei, Domino suggerente, nostra mediocritas potuit eniti. Posteaquam vero et tormenta venerunt, sive jam tortis fratribus nostris, sive adhuc ut torquerentur inclusis, ad corroborandos et confortandos eos noster sermo penetravit. Item..... litteras feci quibus martyres et confessores consilio meo quantum possem ad Dominica præcepta revocarem. Item presbyteris et diaconis non defuit sacerdotii vigor..... Plebi quoque ipsi, quantum potuimus, animum composuimus..: de hoc etiam bis ad clerum litteras feci, etc. » Permagni est momenti tredecim illas litteras secernere inter Cyprianicas, ac utrum omnes extent, an nonnullæ perierint investigare. Nullam prorsus desiderari patitur Pearsonius ; sed, præter Epistolam quintam ad clerum, nonam ad confessores et quinque alias *de Lapsis*, nempe X, XI, XII, XIII, XIV, quæ verbis Cypriani modo citatis accurate respondent, Epistolas LXXXI, XXXVII, XXXVI, VIII, VII, VI inter tredecim illas numerat quæ Romam missæ fuerunt. Contra Tillemontius quatuor Epistolas ex illis tredecim quæ Romam missæ sunt, periisse contendit; ac Epistolas VIII, VII, VI, XXXVI serius scriptas esse putat, nempe hoc anno 250 exeunte. Quamvis molesta sit hominibus eruditis epistolarum Cypriani jactura, cogar tamen eorum desiderium augere. Assentior enim Tillemontio de Epistolis VIII, VII, VI, XXXVI; at de octogesima prima et trigesima septima nec ipsi nec Pearsonio assentiri possum eas hoc tempore scriptas et Romam missas fuisse. Itaque ex Epistolis tredecim Romam missis, septem tantum mihi videntur superesse.

Illud 1° notatum velim in testimonio Cypriani quod modo retulimus, undecim tantum epistolas designari, quamvis tredecim missæ dicantur. Nam, cum unam ad martyres post tormenta, et quinque alias de lapsis scriptas nominatim commemoret, necesse est ut septem aliæ his verbis comprehendantur: « Nec clero consilium, nec confessoribus exhortatio, nec extorribus quando oportuit objurgatio, nec universæ fraternitati ad deprecandam Dei misericordiam allocutio et persuasio nostra defuit. » 2° Ex his patet conjecturarum operam et oleum eos perdere qui tredecim illas litteras sibi videntur inter Cyprianicas deprehendisse. Ubinam enim septem epistolas reperient quæ his Cypriani verbis respondeant ? ubi illæ litteræ quas se ad presbyteros et diaconos « frequenter » scripsisse testatur in Ep. XXXVII, ut martyrum et confessorum curam illis commendaret ? Una tantum extat ante trigesimam septimam, nempe quinta. Nullam prorsus habemus extorribus scriptam objurgandi causa, nullam « universæ fraternitati ad deprecandam Dei misericordiam. » Sed hæc expressiora et planiora fient ex his quæ de Epistolis VIII, VII, VI, XXXVI, dicenda sunt ; nam de trigesima septima in capite sequenti agemus, de octogesima prima cum ad persecutionem Galli et Volusiani venerimus.

Dubium esse non potest quin hæ quatuor epistolæ scriptæ fuerint, ut observat Tillemontius, cum spes appropinquantis pacis Cyprianum recreasset. In septima hortatur confessores ut magis ac magis proficiant in Domino ; « ut cum pro sua misericordia pacem fecerit, quam se facturum repromittit, » novi et pene mutati ad Ecclesiam revertantur. In octava audivisse se narrat in visione divinitus oblata : « Dic illi securus sit, quia pax ventura est; sed quod interim morula est, supersunt adhuc aliqui qui probentur. » In sexta autem et trigesima sexta hac una re reditum suum interpellari testatur, quod metuat ne auctor sit rumpendæ pacis. Sed Pearsonius, ut se hac difficultate exsolvat, comminiscitur : « Proconsulem, circa hoc tempus, martyrum sanguine satiatum, Carthaginem reliquisse, et ab hoc illius discessu persecutionem multo mitius in dies per magistratus Carthagine exercitam fuisse; nam post hæc tempora ut de proconsule, ita de tormentis aut vexatione in carcere nullam mentionem fieri. » Sed notandum 1° in epistolis quas Romam missas fuisse constat, quasque Pearsonius post illas quatuor collocat, nullum omnino pacis appropinquantis extare vestigium. « Acies adhuc geritur, » inquit Cyprianus in Epist. XIV, « et agon quotidie celebratur. » In Epist. XXV, *ad Moysen et alios confessores Romanos*, quam Pearsonius mense augusto ineunte scriptam putat, sic legitur in editione Oxoniensi : « Contingit hic per tormenta martyria celebrari. » In Epistola Luciani *ad Celerinum*, quæ scripta est post mensem maium, ac æstate jam incœpta, perspici potest quid martyres ante paucos dies passi fuissent « cum fame et siti, sed et ignis vapore » cruciarentur. Ac generatim in omnibus illis epistolis quæ de lapsis loquuntur, nulla pacis mentio non modo jam concessæ, ut videtur Pearsonio, sed ne appropinquantis quidem. Lapsorum causam in reditum suum integram servari jubet Cyprianus, ac necesse esse statuit ut Ecclesia pacem accipiat a Domino antequam lapsis pacem concedat. At nusquam indicat se de persecutionis fine divinitus cognovisse, quamvis ea res maxima apposita fuisset ad placandos lapsorum animos, qui se in longum tempus differri moleste ferebant. 2° Ex epistola VIII perspicitur persecutionem diu sæviisse : « Quod si duo unanimes tantum possunt, inquit, quid si unanimitas apud omnes esset ? Quod si, secundum

Digitized by Google

pacem quam nobis Dominus dedit, universis fratribus conveniret, jampridem de divina misericordia impetrassemus quod petimus, nec tamdiu in hoc salutis et fidei nostræ periculo fluctuaremus. » Non potuit ergo hæc epistola scribi mense aprili anni 250. In eadem epistola hæc leguntur : « Denique ad minimum famulum suum et in delectis licet plurimis constitutum, et dignatione ejus indignum, tamen illic pro sua circa nos bonitate mandare dignatus est : dic illi, inquit, securus sit, quia pax ventura est : sed quod interim morula est, supersunt adhuc aliqui qui probentur. » Si hæc scripsit Cyprianus mense aprili anni 250, cur adhuc annum in secessu latuit ob persecutionem? cur in Epistola XXXIII, quam anno 250 exeunte scriptam esse constat, Aurelium ait auspicatum esse « pacem dum dedicat lectionem? » 3° Epistola VIII inscripta est *presbyteris et diaconibus*, eamque S. Augustinus (lib. IV *de Bapt.*, c. 2), ad clerum scriptam fuisse testatur. Eam tamen Pearsonius respondere putat his Cypriani verbis : « Nec universæ fraternitati ad deprecandam Dei misericordiam allocutio et persuasio nostra defuit. » Deinde vero epistola « *universæ fraternitati* » scripta fuit ante tormenta, ut patet ex Epist. XV ; at jam tormenta inflicta confessoribus fuisse testatur Cyprianus in eadem Epist. VIII. Idem dicendum de Epistola VII, in qua Cyprianus confessores pluribus hortatur ut confessionis gloriam laudabili vita tueantur, eorumque vitia non pauca reprehendit in his quod nonnulli extorres in patriam injussi rediissent. Inde ansam arripit Pearsonius ut probet Cyprianum de hac Epistola VII loqui cum objurgationem extorribus non defuisse dicit. At si hanc epistolam commemorasset Cyprianus in litteris ad Clerum Romanum, non illam ex uno aut altero verbo, quod veluti transiens dixit, sed ex totius epistolæ consilio et proposito designasset. Ex hac autem Pearsonii opinione summa ordinis perturbatio inducta est in Epistolas Cypriani. In Epistola VII editionis Oxoniensis, quæ est XXXVI apud Pamelium, metuit Cyprianus ne, si redeat, « auctor sit rumpendæ pacis ; » in Epistola autem XI edit. Oxon., quæ est VIII Pam., tormenta confessoribus recens inflicta memorari existimat Pearsonius. In Epistolis XIII et XIV Oxon., quæ sunt VII et VI Pam., martyres jam e carcere solutos esse perspicitur. At in Epist. XV Oxon., XI Pam., adhuc inclusi carcere tenentur.

X.— ORDO EPISTOLARUM CYPRIANI ANTE DECIMAM QUINTAM AD ROMANOS SCRIPTAM ; AC PRIMO DE QUINTA ET NONA.— REFERENDA AD ALIUD TEMPUS TRIGESIMA SEPTIMA.

Eliminatis illis epistolis ex loco non suo, jam solutior erit et explicatior cæterarum ordo, tum illarum quæ Romam missæ fuerunt, tum quas postea Cyprianus ingravescente lapsorum tumultu, tum quas, spe pacis divino monitu ostensa, scripsit hoc anno 250 exeunte. Prima omnium in secessu scriptarum existimatur ea quæ apud Pamelium et in editione Oxoniensi quintum locum sortitur. Respondet enim his verbis Epistolæ XV : « Nec clero consilium defuit. » Pauperum curam clero commendat, ac petit « nihil illis desit, cum summa omnis quæ redacta est, illic sit apud clericos distributa propter ejusmodi casus, ut haberent plures unde ad necessitates et pressuras singulorum operari possint. » Hortatur etiam, et invidiæ declinandæ causa, « non glomeratim nec per multitudinem simul junctam confessores » visantur, ac « presbyteri quoque qui illic apud confessores offerunt ; singuli cum singulis diaconis per vices alternent. » Equidem facile dederim ex epistolis quas Romam Cyprianus misit purgandi sui causa, nullam hodie extare quæ huic quintæ præponenda sit. Sed, quod Pearsonius et Fellus prætendunt primam omnium ac statim atque secessit Cyprianus, scriptam fuisse, id mihi persuadere non possum. Nam, cum Cyprianus, ut jam observavi, sigillatim non designet tredecim illas omnes litteras, cumque populi Carthaginensis casus, qui « ad prima verba minantis inimici » fidem ejuraverat, maximum dolorem Cypriano attulisset, vix dubium est quin clerum suum in tanta rerum difficultate consiliis suis firmaverit, eique aliquas litteras ante hanc quintam scripserit ; aut saltem litteris, quas hujus molestiæ accepto nuntio primum scripsit, aliqua tanti doloris significatio inesse debuit. Quare non crediderim hanc epistolam omnium primam fuisse scriptam ; sed non dubium quin scripta sit cum « circa cleri incolumitatem omnia integra » essent, cum aliqua adhuc humanitas confessoribus exhiberetur, ac proinde antequam pars cleri Ecclesiam occultis molitionibus perturbaret aut edictis Decii pareret, imo ante tormenta confessoribus mense aprili inflicta, ante torridioris carceris tenebras quæ in Epistola Luciani *ad Celerinum* memorantur. Scriptæ etiam sunt ante eumdem mensem tres aliæ litteræ, « in quibus nec confessoribus exhortatio, nec extorribus quando oportuit objurgatio, nec universæ fraternitati ad deprecandam Dei misericordiam allocutio et persuasio defuit. » Indicat Cyprianus scriptas fuisse ante tormenta, sed eas ad nos non pervenisse ostendimus.

Tormenta confessoribus inflicta esse mense aprili observant eruditi viri. Mappalicus in quæstione martyr occubuit die aprilis 17, ut martyrologia testantur, cum pridie acerrimos cruciatus pertulisset, inter quos dicebat proconsuli : « Videbis cras agonem. » Scripsit itaque Cyprianus hoc mense, ut verisimile est, exeunte Epistolam IX ad martyres et confessores, in qua eorum laudes plena manu extollit, eosque hortatur ut « istum beatissimum martyrem et alios participes ejusdem congressionis, et comites in fide stabiles, in dolore patientes, in quæstione victores » sectentur. Non dubium quin hæc ipsa sit Epistola quam scripsisse se ait Cyprianus in Epist. XV, « postquam tormenta venerint. »

Non multo post, id est mense maio, Pearsonius et Tillemontius post Baronium et Lombertum scriptam existimant Epistolam XXXVII, in qua Cyprianus presbyteris et diaconis pauperum curam com-

Digitized by Google

mendat, et etiam atque etiam hortatur « ut corporibus etiam omnium qui, etsi torti non sunt in carcere, tamen glorioso exitu mortis excedunt, impertiatur et vigilantia et cura propensior, et dies eorum quibus excedunt » annotentur, « ut commemorationes eorum inter memorias martyrum celebrare » posset. Diligenter observanda sunt quæ sequuntur : « Quamquam Tertullus, inquit, fidelissimus et devotissimus frater noster, pro cætera sollicitudine et cura sua quam fratribus in omni obsequio operationis impertit, qui nec illic circa corporum curam deest, scripserit et scribat ac significet mihi dies quibus in carcere beati fratres nostri ad immortalitatem gloriosæ mortis exitu transeunt, et celebrantur hic a nobis oblationes et sacrificia ob commemorationes eorum, quæ cito vobiscum Domino protegente celebrabimus. » Equidem, etsi tot hominum eruditorum auctoritate plurimum moveor, non tamen video cur mense maio, id est in maximo persecutionis incendio, hæc Cyprianum scripsisse velint, cum ipse cito commemorationes martyrum cum clero suo celebraturum se nuntiet. Jam ergo refrigescens persecutio spem illi maturi reditus afferebat; et quæ causæ Tiliemontium moverant ut Epistolas VI, VII, VIII, XXXI rejiceret in finem anni 250, eædem movere debuerunt ut de trigesima septima idem judicium ferret. Præterea mense maio martyres horrendis cruciatibus torquebantur; sed, cum Epistola XXXVIII scriberetur, non jam per vulnera martyrii coronam acquirebant, sed, si qui in cœlum evolarent, id moriendo in carcere sine tormentis assequebantur. At mense maio non morientium in carcere sine tormentis, sed vitam inter cruciatus profundentium annotandi dies fuissent et Cypriano nuntiandi. Multo ergo verisimilius est cunctabratam fuisse hanc Epistolam XXXVI cum persecutio in dies demitigaretur, necdum tamen confessores e carcere soluti essent.

XI.—QUINQUE S. CYPRIANI LITTERÆ DE LAPSIS.—FACINUS PRESBYTERORUM QUI COMMUNIONEM LAPSIS DEDERANT, NON DISSIMULAVIT.—NON SUSPENSIONEM SED EXCOMMUNICATIONEM ILLIS MINATUR.

Plurimum solatii percipiebat Cyprianus ex martyrum triumphis ; sed hanc lætitiam contaminaverunt nefariæ nonnullorum presbyterorum molitiones qui, cum ei ab initio episcopatus semper obstitissent, abscuti gravissimas molestias exhibuerunt. Actæ ab illis tragœdiæ materiam dedit antiqua et laudabilis consuetudo, quam ad perniciem multorum convertere conati sunt. Mos erat in Ecclesia ut lapsis qui libellos a martyribus impetrassent, aliquid de pœnis canonicis episcoporum judicio remitteretur. Exagitat hoc institutum Tertullianus sub finem libri *de Pudicitia*, quod olim catholicus in libro ad Martyres laudaverat. Ejusmodi autem libellos non quilibet confessores dabant, sed ii qui capite damnati erant, aut saltem aliquos cruciatus perpessi fuerant. Hinc Celerinus in Ep. *ad Lucianum* rogat « ut quicumque prior » ex confessoribus « coronatus fuerit, Numeriæ et Candidæ peccatum remittant. » Quamobrem, cum Decii persecutionis initia cruciatibus carerent, nulli dabantur libelli, nempe ex lapsis subterfugiendæ pœnitentiæ ansam habebat, frigebant cupidi novarum rerum presbyteri : at, postquam tormenta mense aprili inflicta sunt, et nonnulli ex confessoribus martyrio coronati, tum libelli prodiere, sed tamen debito honore et episcopi dignitati et legibus ecclesiasticis servato. Nam martyres ad Cyprianum litteras direxerunt, et petierunt « tunc desideria sua examinari, et pacem dari quando ipsa ante mater Ecclesia pacem de misericordia Domini prior sumpserit, » et Cyprianum « divina protectio » reducem « ad ecclesiam suam fecerit (Epist. x). Præterea paucis dabantur libelli, ut perspicitur ex Ep. XXIII. Mappalicus martyr matri tantum, quæ lapsa fuerat, domestica pietate commotus dederat; nulli prorsus Saturninus post tormenta adhuc in carcere constitutus ; sed paulo post servari modus ac delectus desiit : « Nam Lucianus et ipse unus de confessoribus fide quidem calidus et virtute robustus : » ut ait ibidem Cyprianus, « sed minus Dominica lectione fundatus quædam conatus est, imperiti jampridem se vulgi auctorem constituens, ut manu ejus scripti libelli gregatim multis nomine Pauli darentur. » Atque hæc faciebat « non tantum Paulo adhuc in carcere posito, sed et post ejus excessum, dicens hoc sibi ab illo mandatum. Aureli quoque, adolescentis tormenta perpessi, nomine libelli multi dati sunt ejusdem Luciani manu scripti, quod litteras ille non nosset. » Videtur idem Lucianus auctor fuisse libellorum quos in hanc sententiam scriptos fuisse audierat Cyprianus (Ep. XI). « Communicet ille cum suis. » Nonnullos alios notat Cyprianus « qui personas accipientes in beneficiis » martyrum aut gratificabantur, « aut illicitæ negotiationis mundinas » aucupabantur.

Non ignorabat Cyprianus quinque presbyteros « fomenta quibusdam confessoribus et hortamenta » tribuere, « ne concordarent cum episcopo, ne ecclesiasticam disciplinam cum fide et quiete juxta præcepta dominica continerent (Ep. XL). » Sed tamen, cum tota res ad ipsius reditum integra servaretur, neque in hac libellorum licentia, lapsis quidquam ante Ecclesiæ pacem et episcopi judicium promitteretur, dissimulabat et patientiam tenebat, quasi verecundum silentium proficeret ad quietem (Ep. x). Sed quinque presbyteri nec Evangelii, nec loci sui memores, nec futurum Domini judicium, nec præpositum sibi episcopum cogitantes, novum et sub antecessoribus Cypriani inauditum facinus ediderunt. Lapsis pacem et Eucharistiam dederant « ante actam pœnitentiam, ante exomologesin gravissimi atque extremi delicti factam, ante manum ab episcopo et clero in pœnitentiam impositam. » Tum vero Cyprianus intellexit dissimulandum non esse in re tanti momenti, ne ad periculum plebis pariter et suum taciturnitas nimia procederet. Quare, ut mali progressus supprimeret, tres epistolas de eodem oleo et opera scripsit, animi

Digitized by Google

et doloris plenas : unam ad martyres et confessores, aliam ad presbyteros et diaconos, tertiam ad plebem. Hæ litteræ sunt apud Pamelium undecima, decima et duodecima : in unaquaque duæ aliæ commemorantur.

Martyres admonet « ut a quibus tam devote et fortiter servatur fides Domini, ab iisdem lex quoque et disciplina Domini reservetur. » Mirari se demonstrat quod non, ut olim fieri solebat, a presbyteris et diaconis regantur et erudiantur, sed potius a quibusdam presbyteris jura omnia pervertentibus piæ eorum voluntates interpellentur. Hortatur ergo ut ipsi presbyteros doceant quæ ex presbyteris eos audire oportuerat : præscribit ut, in dandis libellis antecessorum suorum vestigia sequentes, sollicite et caute petentium desideria ponderent, inspiciant et actum et opera et merita singulorum, ipsorum quoque delictorum genera et qualitates cogitent ; denique quos ipsi vident, quos norunt, quorum pœnitentiam satisfactioni proximam conspiciunt, designent nominatim libello, et sic ad episcopum fidei ac disciplinæ congruentes litteras dirigant.

In Epistola *ad clerum* adhuc vehementius indignatur in presbyteros qui sanctum Domini corpus profanare ausi fuerant. Declarat, « si ultra in iisdem perseveraverint, » usurum se ea admonitione » qua illum uti Dominus jubebat, « ut interim prohibeantur offerre. Nam, præter nocturnas visiones, per dies quoque » implebatur « Spiritu sancto puerorum innocens ætas, quæ in exstasi videbat oculis et audiebat et loquebatur ea quibus » Cyprianum « Dominus monere et instituere » dignabatur. In Epistola *ad plebem* declarat nosse se plebis suæ quietem pariter et timorem; nec dubitat quin lapsi in satisfactione Dei et deprecatione vigilarent, nisi illos quidam de presbyteris gratificantes decepissent. Hortatur ut ipsi singulos regant, et consilio ac moderatione sua secundum divina præcepta lapsorum animos temperent. Totam rem in reditum suum integram servari jubet, « ut, cum ad vos per Dei misericordiam, inquit, venerimus, convocati coepiscopi plures secundum Domini disciplinam et confessorum præsentiam et vestram quoque sententiam, beatorum martyrum litteras et desideria examinare possimus. »

Ex his Epistolæ *ad clerum*, « diu patientiam meam tenui, » perspici potest tres illas epistolas ante junium mensem scriptas non fuisse. Sed minus belle Tillemontius existimat Cyprianum non solum libellorum licentiam, sed etiam Eucharistiæ profanatæ facinus diu patienter tulisse. Fucum fecerunt doctissimo viro hæc Cypriani verba in Epist. LV (pag. 85): « Unum illud in quo non mea nec hominum sed Dei causa est, de eorum facinore non puto esse reticendum quod a primo statim persecutionis die, cum recentia delinquentium facinora ferverent, et sacrificiis nefandis non tantum diaboli altaria, sed adhuc manus ipsæ lapsorum atque ora fumarent, communicare cum lapsis et pœnitentiæ agendæ intercedere non destiterunt. Ex his concludit Tillemontius ab ipso illo die quo erupit persecutio, non defuisse qui lapsis Eucharistiam darent.

Nimium restricte Cyprianum doctissimus scriptor interpretatur. Illius verba nihil aliud sonant nisi presbyteros cum lapsis adhuc recenti eorum scelere communicasse. Revera, si considerctur tempus illis temporibus in pœnitentia solitum impendi, dicere potuit Cyprianus sine absurda exaggeratione presbyteros cum lapsis « a primo statim persecutionis die » communicasse. Præterea, cum lapsi non eodem omnes tempore deliquerint, sed alii citius, alii serius, fieri potuit ut multi perpaucis diebus post admissum scelus communionem ab improbis presbyteris acciperent. Sic interpretandi Cypriani necessitatem affert tota rerum gestarum series et junctura. Nam presbyteri ansam turbandi rapuere ex libellis martyrum, qui post tormenta dari cœperunt; et Cyprianus in Ep. XV, ut martyrum libellos post inflicta tormenta, ita etiam post ipsos libellos audaciam eorum commemorat « qui cum lapsis communicare jam cœperant. » Unde etiam patet recens omnino fuisse facinus presbyterorum. Idem testatur in Epist. XII, *ad plebem* : « Audio tamen, inquit, quosdam de presbyteris... jam cum lapsis communicare cœpisse. » Sed, quod rem causamque maxime continet, declarat Cyprianus in Epistola *ad clerum* presbyterorum facinus ex eo genere esse quod ferri et dissimulari non possit : demonstrat se diu patientiam tenuisse; sed, cum quidam plebis tranquillitatem turbare conentur ac totum sibi vindicent, tacere ultra non oportere ; dissimulasse se semper et pertulisse contumelias episcopatus, sed nunc dissimulandi locum non esse « quando decipitur fraternitas a quibusdam qui, dum sine ratione restituendæ salutis plausibiles esse cupiunt, magis lapsis obsunt. »

Tillemontius merito Lombertum refellit, qui hæc verba ejusdem Epistolæ *ad clerum*, « ut interim prohibeantur offerre, » sic interpretatur quasi vetet interim Cyprianus ne presbyteri offerant nomina lapsorum. Contendit Tillemontius suspendi hos presbyteros, aut saltem suspensionis minas illis intentari, nec eos tamen deponi. Addit idem visum fuisse Baronio, et ante eum Pamelio, cujus observatio in editiones Priorii et Felli translata. Sed, quod pace tot hominum doctissimorum dixerim, Cyprianus his verbis, « ut interim prohibeantur offerre, » non suspensionem sed excommunicationem designat, neque hanc pœnam in præsens tempus infligit, sed tantum minatur. Addit autem : « Acturi et apud nos et apud confessores ipsos et apud plebem universam causam suam cum Domino permittente in sinum matris Ecclesiæ recolligi cœperimus ; hæc, inquam, addit, quia tunc deliberatus erat, non utrum essent deponendi necne hi presbyteri, ut placet Tillemontio, sed utrum eis esset reddenda necne communio, et qua conditione, qua pœnitentiæ lege reddenda. Cyprianum aliter interpretari non possum cum lego Epistolam XXVIII, in qua gratulatur presbyteris suis et diaconis, quod cum Gaio Diddensi ejusque dia-

Digitized by Google

cono, qui communionem lapsis dederant, communicare noluissent. Renovat in eadem epistola decretum suum, ut a communione sua arceatur quicumque ausus fuerit communicare cum lapsis. Sic etiam in Epist. LII (pag. 67), severitatem a se aliquando in lapsos adhibitam exponens, decrevisse se narrat ut, « si quis ante consilium nostrum, » inquit, « et ante sententiam de omnium consilio statutam, lapsis temere communicare voluisset, ipse a communione abstineretur. » Porro abstinere a communione non idem est ac suspendere, præsertim apud Cyprianum, qui hac voce excommunicationem designat, velut cum ait abstentum a se esse Felicissimum in Epist. XLVIII; Jovinum et Maximum ob nefanda sacrificia in concilio abstentos, Ep. LV; Novatianum per totum orbem a sacerdotibus Dei abstentum, Epist. LXVII. His ergo verbis, « ut interim prohibeantur offerre, » non solum sacerdotalis, sed etiam laica oblatio et communio auferenda denuntiatur. Illud etiam ex his quæ diximus perspicitur hanc pœnam non statim a Cypriano irrogatam fuisse, sed minas tantummodo, at difficillimis temporibus ac summa prudentia egentibus, intentatas fuisse. Atque id etiam confirmat cum eximia Cypriani in tacendis presbyterorum nominibus lenitas, tum ab eo apposita conditio, « si ultra in iisdem perseveraverint. »

His litteris non respondit clerus; sed paulo post Cyprianus ad custodiam gregis semper attentus, cum videret sibi facultatem redeundi nondum esse, et jam æstatem cœpisse, quod tempus infirmitatibus assiduis et gravibus infestatur, et lapsis et audientibus providendum existimavit. Scripsit itaque Epistolam XIII ad clerum, in qua edicit, ut lapsis libellos martyrum habentibus, si periculose ægrotaverint, apud presbyterum quemcumque præsentem, vel si presbyter repertus non fuerit, et urgere exitus cœperit, apud diaconum quoque exomologesin delicti sui facere liceat, modo tamen martyrum prærogativa apud Deum adjuvari possint. Cæteris, qui non acceperant libellos, sed mites et humiles pœnitentiam agebant, futurum promittit ut illis quoque divino remedio consulatur. Similiter præscribit ut audientibus divinam gratiam implorantibus misericordia Domini non denegetur. Simili decreto lapsis consuluit in hac persecutione Dionysius Alexandrinus. Ipse enim testatur in Epistola *ad Fabium Antiochenum* se præcepisse « ut morituris, si peterent, et maxime si antea suppliciter postulassent, venia indulgeretur, quo bonæ spei pleni ex hac vita migrarent » (Euseb. lib. VI, cap. 44). Discrimen ponit Dionysius inter eos qui pœnitentiam urgente periculo petebant, et eos qui ante morbum petierant. Quamvis autem in hoc delectu habendo non tam videatur accuratus esse quam Cyprianus, qui nominatim requirit ut qui libellos a martyribus acceperant, eorum auxilio et prærogativa apud Dominum adjuvari possint, eamdem tamen utriusque sententiam esse crediderim; nec dubito quin Dionysius pacem non concessisset, si qui pœnitentiam audacter detrectassent, id quod in Africa commissum a pluribus videmus.

Cum respondisset clerus huic epistolæ (questus enim fuerat Cyprianus quod tot suis litteris nihil responderet), ac simul consuluisset de quibusdam immoderatis et communicationem accipiendam festinanter urgentibus, scribit Cyprianus Epistolam XIV, in qua confirmat quod proximis litteris statuerat de lapsis periculose ægrotantibus; vehementer autem refellit et castigat importunos illos pacis efflagitatores « Qui, si nimium properant, inquit, habent in sua potestate quod postulant, tempore ipso sibi plusquam postulant largiente. Acies adhuc geritur et agon quotidie celebratur. Si commissi vere et firmiter pœnitet et fidei calor prævalet, qui differri non potest, potest coronari. » Videtur hac oratione Cyprianus lapsis concedere ut seipsos offerant judicibus; neque enim, si eos voluisset exspectare, dum dies illis diceretur, in eorum potestate esse quod postulant, dixisset. Erat sane vetitum ne quis se ultro offerret, idque declaravit Cyprianus coram Paterno proconsule; sed ejusmodi leges variis circumstantiis interdum cedunt. Multos enim videmus, velut apud Justinum in minore *Apologia*, et apud Eusebium lib. VIII, ultro judicem adortos esse, et ad confessionem invocatos venisse: in quibus si non vituperatur hæc libertas, multo minus in lapsis semper vituperanda, quos par erat illatum nomini Christiano dedecus reparare, ac Christum ibi confiteri ubi turpiter negaverant. Laudes Ecclesiæ Romanæ plena manu Cyprianus in cœlum tollit, Ep. LVII, quod prodeunte ad confitendum Cornelio, accurrerit properanter et venerit quisquis audivit, nec singuli milites, sed tota simul castra ad pugnam prodierint, omnisque Ecclesia Romana confessa sit, ac lapsi plurimi gloriosa confessione restituti.

XII. — DE EPISTOLA XV S. CYPRIANI ET PLURIBUS ALIIS PAULO POST NOVO TUMULTU EXORTO SCRIPTIS.

Tot rebus ad Ecclesiæ pacificationem fortiter prudenterque gestis, scripsit Cyprianus Epist. XV ad Clerum Romanum, purgandi sui causa; nec aptius quidquam esse judicavit ad iniquas suspiciones repellendas, quam ut Romam mitteret quinque de lapsis litteras cum octo aliis pariter in secessu scriptis, ex quibus duas tantum superésse observavimus, nempe quintam ad clerum et nonam ad confessores. Mirifice autem elucet Cypriani charitas et animi moderatio in *ad Romanos* Epistola XV : nulla enim inest animi offensi significatio, nullæ querelæ; sed cur secesserit, quid egerit in secessu, breviter exponit; et pro summo suo unitatis studio declarat se in iis quæ lapsis pœnitentibus concessit, standum putasse et cum Romani Cleri sententia, ne actus noster, inquit, « qui adunatus esse et consentire circa omnia debet, » in aliquo discreparet.

Quinque litteræ quas Cyprianus inter motus a lapsis excitatos scripserat, non solum Romanis, sed etiam ad plurimos episcopos missæ fuerunt; jamque

Digitized by Google

illi rescripserant Cypriano « se quoque in eodem consilio secundum catholicam fidem stare, » cum Cyprianus Caldonio episcopo respondit. Consuluerat cum Caldonius de nonnullis « qui, posteaquam sacrificaverunt, iterato tenti, extorres sunt facti; » inter quos erat mulier nomine Bona, quæ cum tracta esset a marito ad sacrificandum, vel potius non ipsa sacrificasset, sed qui manus reluctantis tenebant; quibus ipsa dicebat: « Non feci, vos fecistis, » ipsa etiam facta est extorris. Illis pacem petentibus, quamvis non dubitaret Caldonius quin prius delictum abluissent, nihil tamen statuere voluit nisi Cypriani accederet auctoritas. Laudat Cyprianus illius prudentiam, ac respondet ejusmodi homines, « cum abluerint omne delictum, et maculam pristinam, assistente sibi Domino, potiore virtute deleverint, jacere ultra sub diabolo quasi prostratos non debere. » Mittit Caldonio « librum cum epistolis numero quinque. » Hunc librum Fellus interpretatur ipsum fasciculum quinque litterarum; Rigaltius et Baluzius intelligunt librum *de Lapsis;* sed is nondum erat compositus. Epistola Caldonii et responsio Cypriani decimum nonam et vigesimum locum tenent in ordine Pamelii.

Sanare debuerant exulceratas mentes litteræ Cypriani, in quibus justam severitatem lenitas temperabat; sed Lucianus, incitantibus nefariis presbyteris, novum facinus edidit. Scripsit Cypriano omnium confessorum nomine « universis eos pacem dedisse, et hanc formam per Cyprianum aliis episcopis innotescere velle. » Quod autem addebat, « de quibus ratio constiterit quid post commissum egerint, » id ad invidiam Cypriano conflandam spectabat, ut ipse observat Epist. XXIII. Videtur etiam liberior quædam admonitio contineri his verbis: « Optamus te cum sanctis martyribus pacem habere. » Ex hac Luciani Epistola, quæ est XVII apud Pamelium, ortæ seditiones, et in provincia Cypriani « per aliquot civitates in præpositos impetus per multitudinem factus, et pacem confestim sibi repræsentari coegerunt, territis et subactis præpositis » infirmioribus. In ipsa ecclesia Carthaginensi quidam turbulenti per hanc epistolam, veluti quibusdam facibus accensi, plus exarsere (Ep. XXIII). Scripsit ea de re Cyprianus ad clerum suum Epistolam XVII, in qua docet standum esse prioribus litteris suis; et quia dixerant confessores, « de quibus ratio apud te constiterit quid post commissum egerint, » inde concludit voluisse confessores ut lapsorum causæ examinarentur, ac perinique facere qui tempus ad eam rem exspectare nolebant. Bovera confessores, etsi rem ultra legem et modum perducebant, quia tamen Cyprianus excommunicationem minatus fuerat si quis se inconsulto lapsis communionem daret, non ausi sunt petere ut ante Ecclesiæ pacem, ante Cypriani judicium pax daretur. Hinc Lucianus in Epistola *ad Celerinum* petit ut plures Romanæ Ecclesiæ lapsi, qui ipsi fuerant commendati, ita pacem habeant, « cum Dominus coperit ipsi Ecclesiæ pacem dare, et exposita causa apud episcopum. » Misit etiam Cyprianus ad clerum suum Epistolam Caldonii, et quam ipse Caldonio rescripserat.

In his rerum angustiis peropportune supervenerunt litteræ Cleri Romani, tum etiam confessorum, non illæ quidem ad Cyprianum (nondum enim accurate de illius rebus cognoverant), sed primæ *ad clerum Carthaginensem*, alteræ *ad Carthaginenses confessores*. Scriptæ fuerunt antequam Epistola XV Cypriani Romam fuisset perlata. Nostra ad nos pervenit, sed ex Cypriani Epistola XXVIII, discimus in illis « Evangelii plenum vigorem et disciplinam robustam legis Dominicæ » viguisse, ac laboranti Cypriano et contra invidiæ impetum totis fidei viribus resistenti plurimum præsidii attulisse. Easdem litteras commemorat Clerus Romanus in Ep. XXXI, dum ait se in superioribus litteris sententiam suam « dilucida expositione » protulisse adversus Libellaticos, necnon etiam contra eos qui sacrificaverant fidem suam consensumque monstrasse. Si juri suo et honori debito attentus fuisset Cyprianus, hæsitasset cum ejusmodi litteræ ad clerum et confessores eo præterminse scriptæ. Sed quidquid Ecclesiæ proderat, gratum ei non potuit non accidere; ac statim, ut in maximo beneficio, gratias egit Clero Romano et confessoribus. Ac clerum quidem certiorem facit per Ep. XXVIII, tum de pristinis Luciani factis, tum de novissimis motibus ab eo excitatis. Confessoribus autem per Ep. XXV gratulatur tum ob confessionis gloriam, tum etiam ob eximium disciplinæ defendendæ studium. Hæ litteræ XXIII et XXV per Saturum et Optatum perlatæ fuerunt, quorum primum Cyprianus lectorem, alterum hypodiaconum fecerat ad hoc munus litterarum perferendarum. Cum enim oporteret illum per clericos scribere, sciret autem plurimos ex suis absentes esse, paucos vero qui erant Carthagine, vix ad ministerium quotidiani operis sufficere, necesse habuit novos aliquos constituere qui mitterentur. Sex alias litteras per eosdem clericos misit ad Clerum Romanum, nempe Epistolas XVII, XVIII, XIX et XX, de quibus jam locuti sumus, ac præterea litteras Celerini ad Lucianum, et Luciani responsionem, apud Pamel. XXI et XXII, de quibus pauca dicemus.

XIII. — DE EPISTOLA CELERINI AD LUCIANUM ET RESPONSO LUCIANI.

Celerinus Carthaginensis, cum Romæ versaretur, ibique in carcerem pro Christo conjectus eximia constantiæ exempla edidisset, plurimum doloris traxit ex lapsu duarum mulierum, Numeriæ et Candidæ, quæ sacrificaverant. Harum una, nempe, ut verisimile est, Numeria, ipsius soror erat, eoque ait pro illius factis in hac die lætitiæ Paschæ, flentem die ac nocte in cilicio et cinere lacrymabundum dies exegisse et exigere usque in hodiernum. Aliam præterea mulierem commemorat, Etecusam nomine, quæ non sacrificaverat, sed tamen ascenderat usque ad Tria Fata, et inde descenderat; dona enim numeraverat ne sacrificaret. Harum « jam causa audita, præcepe-

Digitized by Google

runt eas præpositi tantisper sic esse donec episcopus constituatur. » Rogat ergo Lucianum Celerinus ut cæteris confessoribus referat et ab eis petat « ut qui prior coronatus fuerit, istis sororibus tale peccatum remittant. » Atque id petit non suo tantum nomine, sed etiam sexaginta quinque confessorum, ad quos Carthagine Romam venientes istæ mulieres « in portum descenderunt et in urbem levaverunt, eisque ministraverunt et in omnibus foverunt. » Sperabat Celerinus « secundum earum pœnitentiam et opera » quæ penes confessores fecerant, « Christum eis, martyribus petentibus, indulturum. » Liquet hanc epistolam diebus paschalibus scriptam esse, ex his verbis quæ Baluzius ex antiquis codicibus eruit, « In hac die lætitiæ Paschæ. » Existimant eruditi viri Celerinum scripsisse aliis etiam confessoribus; sed videtur probabilius voluisse eum ut hanc epistolam Lucianus aliis confessoribus legeret, ac sibi communem esse cum illis existimaret. Non enim aliud designant hæc Celerini verba : « Nam hoc scire debes me et dominis meis fratribus tuis scripsisse litteras, quas peto pro illis sic legere digneris. »

Necesse non erat Lucianum precibus fatigare, qui nullum in hoc genere modum tenebat. Itaque sic respondet Celerino, ut lapsis mulieribus nihil eximium concedere videatur, sed profuso in universos lapsos beneficio eas comprehendere. Narrat enim universos confessores « ex conspecto universis pacem » dimisisse, ac Paulum martyrem, dum adhuc in corpore esset, sibi dixisse: « Luciane, coram Christo tibi dico, ut si quis post accessionem meam abs te pacem petierit, da in nomine meo. » Hinc pacem non iis tantum mulieribus concedit quas Celerinus commendaverat, « sed et quas scias, inquit, ad animum nostrum pervenire, » id est, quarum cura aliqua tangimur. Simili utitur loquendi ratione Trajanus in Epist. XXVIII, ad Plinium : « Pertinet ad animum meum, inquit, quali itinere in provinciam pervenias. » Sæviebat autem nunc, ut cum maxime, persecutio. Narrat enim Lucianus se cum aliis confessoribus ab octo diebus iterato reclusum esse, ac sperare martyrum qui jam coronati fuerant, socium brevi cum aliis futurum. Hæc epistola in *Annalibus Cyprianicis* scripta dicitur « moneo maio jam affecto, » sed prorsus mendose. Nam in ea Lucianus diserte declarat universos confessores universis lapsis pacem dedisse, quod tamen facimus non tentarunt, nisi post scriptam Cypriani Epist. XV, ad Romanos, ut ipse Cyprianus testatur in Epist. XXIII.

In his Celerini et Luciani litteris commemoratur Saturninus confessor, quem nonnulli eumdem esse volunt Saturnino Carthaginensi, quem Cyprianus testatur Epist. XXIII, post tormenta adhuc in carcere positum nullos libellos dedisse, cuique una cum Aurelio inscripta erat epistola Romanorum confessorum. At profecto duo distinguendi sunt Saturnini, Romanus et Carthaginensis. Nam Saturninus cujus nomine Lucianum Celerinus salutat, jam ibi in « pœna ungularum fortiter confessus » fuerat; id autem de Carthaginensi Saturnino intelligi non potest. Nam, cum hæc scriberet Celerinus in die lætitiæ Paschæ, nondum Carthagine inflicta fuerant tormenta, vel saltem nondum hujus rei fama, nedum ipse Saturninus post tormenta in carcerem reductus Romam pervenire potuerat. Hinc Celerinus ignorabat an Carthaginensium confessorum aliqui jam passi aut coronati fuissent. Deinde vero inter molestias Cypriano exhibitas a Luciano, supervenerunt litteræ confessorum Romanorum Saturnino et Aurelio inscriptæ : Lucianus eodem tempore, id est paulo post epistolam decimam quintam Cypriani, et concessam licenter lapsis universis pacem, respondet Celerino et Saturninum salutat. Necesse est ergo duos Saturninos distinguere. Ac Carthaginensem quidem jam coronatum fuisse crediderim, cum litteræ confessorum Romanorum ipsi et Aurelio inscriptæ venerunt. Quod enim ait Cyprianus eum post tormenta adhuc in carcere constitutum nullos libellos dedisse, videtur indicare eum non aliter e carcere, quam martyrio solutum fuisse. Similiter ait « Paulo, cujus excessum commemorat, adhuc in carcere posito, Lucianum nomine illius libellos manu sua scriptos dedisse. » Certe nondum soluti erant confessores e carcere cum scriberet Cyprianus hanc Epistolam XXIII. Corruptum in epistola Celerini insignem locum conabor emendare. Sic legitur in editis ; « Peto tamen, charissime, a Domino, ut, si ante cruore illo sancto laveris, si prius passus fueris pro nomine Domini nostri Jesu Christi, quam litteræ meæ te in hoc mundo apprehendant, vel nunc si apprehenderint, mihi ad hæc rescribas. » Desudarunt editores in his verbis, nec quidquam explicare potuerunt. At in codice ms. olim Baluzii, nunc bibliothecæ Regiæ, sic legitur : « Peto tamen, charissime, a Domino, ut ante cruore illo sancto laveris pro nomine Domini nostri Jesu Christi, quam te litteræ meæ in hoc mundo apprehendant; vel nunc si apprehenderint, mihi ad hæc rescribas. » Præclara sane et digna martyre sententia! Confirmat hanc lectionem codex Gratianopolitanus, qui habet : « Peto tamen, charissime, a Domino, ut a me cruore illo, etc. »

XIV.—SCRIBIT S. CYPRIANUS AD CLERUM DE ORDINATIONE SATURI ET OPTATI.—VARIÆ LAPSORUM AD SANCTUM CYPRIANUM LITTERÆ.—CLERUS REMOVET A COMMUNIONE SUA GAIUM DIDDENSEM.—QUO TEMPORE LITTERÆ XXIII ET XXIX SCRIPTÆ?—DE CLERI ROMANI ET CONFESSORUM LITTERIS.

Postquam Saturum et Optatum clericos constituit Cyprianus, eosque Romam cum litteris misit, scribit ad clerum suum Epistolam XXIV, in qua rationem reddit cur novos clericos, inconsulto clero, creasset ; quamquam ne id quidem, inconsulto clero, factum esse demonstrat; siquidem illos « jampridem, inquit, communi consilio clero proximos feceramus, quando aut Saturo die Paschæ semel atque iterum lectionem dedimus, aut modo cum presbyteris doctoribus lectores diligenter probaremus, Optatum inter lectores doctorem audientium constituimus, exami-

Digitized by Google

nantes an congruerent illis omnia quæ esse debent in his qui ad clerum parabantur. » Sequentibus sæculis non clero solum proximi, sed etiam addicti erant et adscripti qui semel et iterum legerant. Hinc Augustinus Epist. LXIII, conscientiam Severi implorat « utrum homo qui in ecclesia meæ, inquit, dispensationi credita jam legere cœperat, et non semel, sed iterum et tertio, non fuisse lector possit aut debeat judicari. » Decretum in concilio Milevitano an. 402, ut quicumque in ecclesia vel semel legerit, ab alia ecclesia non teneatur.

Fatetur se nescire Tillemontius quas litteras designet Cyprianus initio hujus Epistolæ XXIV, ubi sic loquitur : « Ne quid conscientiam vestram lateret, fratres charissimi, quid mihi scriptum sit quidque ego rescripserim, utriusque epistolæ vobis exemplum misi, et credo vobis id quod rescripsi non displicere. » Sed, cum Cyprianus in Epistola XXVII, quæ paulo post hanc vigesimam quartam scripta est, testetur nuper sibi scripsisse quosdam « de lapsis humiles et mites, et trementes et metuentes Deum, et qui in Ecclesia semper gloriose et granditer operati sunt ; » seque illis gratulatum esse ac Dominum dignatum esse « ostendere quid ejusmodi et tales servi de ejus benignitate mereantur ; » libenter crediderim hanc lapsorum epistolam et Cypriani responsionem simul ad clerum Carthaginem missas esse cum Epistola XXIV. Non eadem exstitit in omnibus lapsis animi moderatio. Quidam enim ad Cyprianum scripserunt « pacem non dandam sibi postulantes, sed quasi jam datam sibi vindicantes (Epist. XXIX), » et, quod Cypriani indignationem maxime commovit, sic scribebant ut « Ecclesiæ nomine litteras facerent. » Scripsit ad eos Cyprianus Epistolam XXVII, ut eorum temeritatem reprimeret.

Circa idem tempus certiorem illum fecit clerus Carthaginensis se ex consilio episcoporum qui aderant, cum Gaio Diddensi, ejusque diacono communicandum non censuisse, quia communicaverant cum lapsis eorumque oblationes obtulerant, et ab episcopis semel atque iterum moniti perstiterant. Laudat Cyprianus cleri sui constantiam ; jubet ut epistolam quam ad eos scribebat (est autem vigesima octava) episcopis legant, ac si quis de presbyteris aut diaconibus suis, vel etiam de peregrinis communicare cum lapsis audeat, a communione sua arceatur. Cum autem consultus etiam a clero fuisset de Philomeno et Fortunato hypodiaconis et Favorino acolytho, qui, cum medio tempore discessissent, nuper redierant, tempus hujus rei dijudicandæ nondum esse existimavit, eo quod multi adhuc de clero abessent, ac singulorum tractanda esset et limanda penitus ratio non tantum cum collegis, sed et cum plebe ipsa universa. Itaque statuit ut « interim se a divisione mensurna tantum contineant, non quasi a ministerio ecclesiastico privati esse videantur, sed ut integris omnibus ad nostrum, inquit, præsentiam differantur. » Tum Cyprianus his de rebus Romam scribit Epistolam XXIX, per Fortunatum hypodiaconum, simulque mittit et lapsorum epistolam et responsum suum, et quas postea ad clerum rescripserat.

Sic autem inter se nexæ sunt tres illæ litteræ, nempe XV, XXIII, XXIX, quas Romam misit Cyprianus, ut pene continenter scriptæ videantur. Non dubium est quin Epistola XXIII, per Saturum et Optatum missa sit, antequam Clerus Romanus respondisset Epistolæ XV ; siquidem utique Clerus Romanus eodem exemplo respondit. Quinetiam postrema, quæ per Fortunatum missa est, ante scripta videtur quam Cyprianus litteras Romanorum accepisset. Nam procul dubio pro summa sua humanitate gratias illis egisset quod sibi in molestissimis rebus tanto solatio exstitissent. Deinde vero, quemadmodum Cyprianus per Saturum et Optatum scribens dicebat : « Post factas ad vos litteras..... aliud accessit, quod nec ipsum latere vos debuit ; » sic etiam in epistola per Fortunatum missa dixit : « Posteaquam ad vos litteras feci, quas misi per Saturum lectorem et Optatum hypodiaconum, fratres nostri de quorumdam prospecta temeritate, qui pœnitentiam agere et Deo satisfacere detrectant, litteras ad me fecerunt. » Quamobrem, cum sese proxime consecutæ sint ejusmodi litteræ, immerito postremas rejicit Pearsonius in mensem octobrem ; neque enim tam sero collocandæ sunt, ut quæ ante acceptum epistolæ Julio ineunte scriptæ responsum missæ fuerint. Atque ipsa etiam Cleri Romani responsio nimis sero collocari videtur mense septembri. Multa enim concurrebant cur cito Romani responderent : perturbatio ecclesiæ Carthaginensis celerem medicinam postulabat ; detrahenda erat Cypriano molestia, quam illi Romanorum silentium et iniquæ suspiciones attulerant. Probabilius ergo est ipso mense augusto venisse præclarissimas illas Cleri Romani et confessorum litteras, quæ sunt apud Pam. XXXI et XXIV, ac tum Epistolæ XV, quam Cyprianus purgandi sui causa scripserat, tum etiam illi quam postea per Saturum et Optatum misit, eximiam responsionem continent. Novatianus, ut perspicitur ex Epist. LII Cypriani (p. 67), scripsit hanc epistolam XXXI, quacum Clerus Romanus simul ad Cyprianum misit litteras Ecclesiæ Romanæ nomine in Siciliam scriptas.

Tantum solatii ex his Cleri Romani et confessorum litteris percepit Cyprianus, easque omnibus adeo utiles fore judicavit, ut Saturo, qui eas videtur Roma retulisse, mandaverit ut singulis desiderantibus describendi potestatem faceret. Illas etiam ad clerum suum misit cum iis quas Romam ipse scripserat, simul præcipiens (per Epistolam XXXII) ut et sua scripta et illorum rescripta fratribus innotescant ; sed et, si qui de peregrinis episcopi vel presbyteri vel diacones præsentes fuerint vel supervenerint, hæc omnia audiant, et si exempla epistolarum transcribere et ad suos perferre voluerint, facultatem transcriptionis accipiant. Discimus ex Epistola LII Cypriani has Cleri Romani litteras per totum mundum missas fuisse, et in notitiam ecclesiis omnibus et universis fratribus perlatas fuisse. Hinc declarat in Ep. XL,

Digitized by Google

quæ scripta est initio an. 251, semel placuisse « tam nobis, inquit, quam confessoribus et clericis urbicis, item universis episcopis vel in nostra provincia vel trans mare constitutis, ut nihil innovetur circa lapsorum causam, nisi omnes in unum convenerimus, etc. » Non multo post Clerus Romanus in eamdem sententiam respondit litteris Cypriani, quæ scriptæ quidem, ut jam diximus, antequam Saturus rediisset, sed tamen postquam ille Roma profectus fuerat, in hanc urbem a Fortunato subdiacono perlatæ, necessitatem Clero Romano attulerunt iterum scribendi. Hæc Epistola apud Pam. est XXX. Sub finem epistolæ gratias agunt Cypriano quod suo more de iis quæ ad Privatum Lambesitanum spectant nuntiaverit. Declarant etiam ante illius litteras fraudem callidi hominis latere non potuisse. « Nam, cum antehac, inquiunt, quidam ex ipsius nequitiæ cohorte venisset vexillarius Privati Futurus et fraudulenter litteras a nobis elicere curaret, nec quid esset latuit, nec litteras quas volebat accepit. » Scripserat ergo Cyprianus aliquam de hoc Privato epistolam, de quo nihil prorsus exstat in tribus litteris quas commemoravimus; sed hæc epistola cum multis aliis intercidit. Non dubium est quin hæ Romanorum epistolæ magno usui Cypriano fuerint in his rerum difficultatibus; atque hæc forte causa exstitit cur in epistolis quas reliquo hujus anni tempore scriptas recensebimus, non iidem curarum aculei Cyprianum pungere videantur, compressis videlicet ad tempus seditiosis et nefaria consilia tacite intendentibus, quæ anno sequenti ineunte perficere conati sunt.

XV. — PERSECUTIO RECRUDESCIT: PAX FUTURA S. CYPRIANO REVELATUR. — RES INTERIM AB EO GESTÆ ET SCRIPTÆ ANNO 250 EXEUNTE RECENSENTUR.

Circa mensem octobrem scriptam conjicio Epistolam XXXVII, in qua Cyprianus presbyteros et diaconos idem admonet quod jam sæpe illos admonuerat, ut confessoribus in carcere constitutis omnis diligentia præbeatur, et dies quibus in carcere excedunt, annotentur. Laudat diligentiam Tertulli presbyteri cum in confessoribus omni humanitatis officio juvandis, tum in diebus quibus in carcere transeunt, sibi significandis. Hanc epistolam, minus commode in maximo persecutionis ardore a Tillemontio et aliis collocatam, referre malui ad illud tempus quo, refrigescente persecutione, et confessoribus magis in carcere quam inter tormenta morientibus, sperabat Cyprianus se cito sacrificia, Domino protegente, cum clero suo celebraturum.

Scripta non multo post videtur Epistola VIII, cum in visione divinitus oblata Cyprianus audiisset: « Dic illi securus sit, quia pax ventura est. Sed quod interim morula est, supersunt adhuc aliqui qui probentur. » Persecutio adhuc gregem populabatur, ut statim addit Cyprianus, et cum interdum mitior, interdum asperior fuisset, videtur sub ipsum finem, ut observat Tillemontius, violenter recruduisse. Quod enim ait Cyprianus tormenta venisse dum confessores non tenent disciplinam, non videtur res mense aprili aut maio gestas in memoriam revocare, sed præsentem rerum statum describere, idque ex ejus verbis satis perspicitur. « Quas autem plagas, inquit, quæ vulnera non meremur, quando nec confessores, qui exemplo cæteris ad bonos mores esse debuerant, teneant disciplinam? Itaque, dum quosdam insolenter extollit confessionis suæ timida et inverecunda jactatio, tormenta venerunt. Hæc patimur delicto et merito nostro. » Videtur ad hoc tempus referendum quod narrat Cyprianus in Epist. XL, de quinque primoribus Carthaginis, « qui edicto nuper magistratibus fuerant copulati, ut fidem (Christianorum) subruerent. » Non enim hic visionem refert, ut nonnulli existimarunt, sed rem omnibus cognitam et testatam; nec difficile creditu est quinque urbis primores magistratui in edicto aliquo adversus Christianos aut promulgando aut exsequendo adjunctos fuisse. Quod autem addit Cyprianus, « Eadem nunc ratio, eadem rursus eversio per quinque presbyteros Felicissimo copulatos ad ruinam salutis inducitur, » id profecto non facinus presbyterorum visione aliqua præsignificatum fuisse indicat, sed potius idem Ecclesiæ ab illis periculum creari, quod ei antea a magistratibus et quinque urbis primoribus exstiterat. Violentam fuisse persecutionis conclusionem illud etiam argumento est, quod, cum clerus Carthaginensis integer hactenus et purus inter tanta malorum contagia fuisset, nonnullorum ruinas Cyprianus in litteris hoc anno exeunte scriptis, nempe VI et XXXV, deploret. Eos autem qui lapsi sunt ex presbyterio fuisse, non ex inferiorum clericorum numero inde conjici potest, quod Cyprianus presbyterum Numidicum, quem Carthaginensium presbyterorum numero adscripsit, mirabiliter servatum fuisse dicat in Epist. XXXV, ut « eum clero (Carthaginensi) Dominus adjungeret et desolatam per lapsum quorumdam presbyterorum copiam gloriosis sacerdotibus adornaret. » At idem non dicit de Aurelio et Celerino gloriosis confessoribus, quos circa idem tempus lectores ordinavit. Presbyter ille Numidicus hortatu suo copiosum martyrum numerum lapidibus et flammis necatum ante se miserat, uxorem lateri suo adhærentem concrematam simul cum cæteris lætus aspexerat. Ipse semiustulatus et lapidibus obrutus et pro mortuo derelictus, a filia sollicite inquirente inventus, et extractus et refocillatus, remanserat invitus. Hunc Cyprianus ad episcopatum promovere statuerat cum Carthaginem rediisset; sed interim admonitus et instructus dignatione divina, eum presbyterorum Carthaginensium numero adscripsit, ac hujus lætitiæ nuntium ad presbyteros et diaconos et plebem prescripsit (Epist. XXXV).

Circa idem tempus duo eximii confessores a Cypriano et episcopis qui aderant ordinati sunt lectores, Aurelius et Celerinus, prior quidem Aurelius, ac paucis post diebus Celerinus, quem Cyprianus Aurelio adjungere voluerat, sed is honorem constanter recusavit, ac tandem visione noctu oblata coactus est

Digitized by Google

cedere. De his ordinationibus Cyprianus presbyteros et diaconos ac plebem universam certiores facit per Epist. XXXIII et XXXIV. Hæc autem contigere inter prima pacis affulgentis gaudia, ut patet ex his Cypriani verbis de Aurelio, in Ep. XXXIII : « Dominico legit interim nobis, id est, auspicatus est pacem dum dedicat lectionem. » Erat Aurelius illustris adolescens, in annis adhuc novellus, sed in virtutis ac fidei laude provectus : bis confessus fuerat, et coram magistratibus, qui eum exsilio damnarunt, et coram proconsule, cujus jussu acerrime cruciatus est. Dubitat Cyprianus utrum in eo plus prædicet gloriam vulnerum, an verecundiam morum et eximiam humilitatem. Celerinus quoque gravissimos cruciatus pertulerat, ac ipsum Decium, cujus sub oculis torquebatur, virtutem suam laudare et admirari coegerat. Domestica illum exempla hortabantur; nam avia ejus Celerina, patruus et avunculus Laurentinus et Egnatius martyrii coronam reportaverant. Egregium illud par adolescentium Cyprianus non altius evexit, quam ad lectoris munus, sed presbyterii honorem jam tum illis designavit, « ut et sportulis iisdem cum presbyteris » honorarentur, « et divisiones mensurnas æquatis quantitatibus » partirentur.

Celerinus Roma in Africam advenions, cum se ad Cyprianum contulisset, demonstravit ei quanti illum facerent, quantumque diligerent Romani confessores. Hanc causam habuit Cyprianus scribendæ ad illos Epistolæ XVI, in qua quidem sic describit quatuor anni tempestates, quas in carcere confessores traduxerant, ut non dubium sit quin hæc epistola hoc anno 250 exacto aut saltem exeunte scripta sit. Postquam morula quam prædixerat Cyprianus, effluxit, initium aliquod pacis degustavit ecclesia Carthaginensis, ac confessores e carcere soluti sunt. Horum maxima pars confessionis gloriam optimis moribus tuebatur; sed nonnulli tantæ laudi dedecores fuerunt, quibus Cyprianus ebrietatem et lasciviam, arrogantiam, contentionem et promiscua cum mulieribus cubilia exprobrat in Epistola VII. Idem etiam tangit in Epistola VI, quam circa idem tempus, cum adhuc invitus in secessu teneretur, ad presbyteros et diaconos scripsit, ut eis pauperum et maxime confessorum curam commendaret. Quamvis enim confessores dimissi fuissent, nondum tamen plena et firma pax illuxerat. Quamobrem Cyprianus, etsi Carthaginem mente et animo ferebatur, tum ut suos reviseret, tum ut res ecclesiæ componeret, tamen obsequi coactus est sapienti presbyteri Tertulli consilio, qui auctor ei fuerat ne in eum locum ubi toties postulatus fuerat, tam cito prodiret. Nondum extorres redeundi licentiam impetraverant, et cum nonnullos tranquillior rerum status invitasset ut injussi redirent, vehementer eos reprehendit Cyprianus in eadem epistola VII. Quinetiam paulo ante festum Paschæ adhuc orabat « pacem plenissimam prius matri, tum filiis ejus. » (Ep. XI.)

XVI. — VICARIOS PRO SE MITTIT CYPRIANUS. — MINÆ FELICISSIMI.

Dum Cyprianus in secessu moratur, ne auctor esset rumpendæ pacis, qui consulere omnibus debebat; interim scribit ad presbyteros et diaconos suos Epistolam XXXVI, in qua ait se ad eos venturum quando scripserint, « rebus compositis, ipsum venire debere, aut si ante dignatus fuerit Dominus ostendere. » Deinde hortatur ut « viduarum et infirmorum et omnium pauperum curam diligenter » habeant, « sed et peregrinis, si qui indigentes fuerint, sumptus » suggerant « de quantitate mea propria, inquit, quam apud Rogatianum compresbyterum nostrum dimisi; quæ quantitas ne forte jam universa erogata sit, misi eidem per Naricum acolythum aliam portionem, ut largius et promptius circa laborantes fiat operatio. » Observat Tillemontius videri ex his verbis Cyprianum, cum Carthagine discederet, pecuniæ summam apud Rogatianum reliquisse. In quo quidem plurimis se difficultatibus implicari fatetur. Nam primo Rogatianus ante secessum Cypriani confessus est, sic enim existimat vir eruditus. Deinde vero, etiamsi prius discessisset Cyprianus, cum Rogatianus tamdiu in carcere jacuerit, non videtur pecuniæ summa in tuto apud eum fuisse. Denique, cum hæc Epistola XXXVI, anno 250 exeunte aut 251 ineunte scripta sit, cur dubitat Cyprianus an pecunia quam tanto ante dederat, universa erogata fuerit? His incommodis permotus Tillemontius, pro his verbis, « apud Rogatianum dimisi, » legendum conjicit, « ad Rogatianum misi : » sed necesse non videtur immutare contextum; neque enim hæc verba necessario demonstrant Cyprianum Carthagine discedentem Rogatiano pecuniam commisisse, sed significare possunt S. Martyrem, cum ad eum in secessu latentem propria ipsius quantitas mitti soleret, noluisse ut hæc pecuniæ summa de more ad se perferretur, eamque apud Rogatianum reliquisse. Porro, cum parum temporis effluxisset ex quo Rogatianus ac cæteri confessores e carcere exierant, non immerito dubitabat Cyprianus an universa hæc pecunia esset erogata.

Præter Rogatianum, duos episcopos Caldonium et Herculanum ac presbyterum Numidicum pro se vicarios miserat Cyprianus, ut expungerent « necessitates fratrum sumptibus, si qui etiam vellent suas artes exercere, additamento quantum satis esset, desideria eorum juvarent; simul etiam et ætates eorum et conditiones et merita » discernerent, ut omnes optime nosset Cyprianus, « et dignos quosque et humiles et mites ad ecclesiasticæ administrationis officia » promoveret. Sed, cum episcopi illi et presbyteri mandata Cypriani facesserent, supervenit Felicissimus, vir projecta temeritate et summa audacia, ac intercessit « ne quis possit expungi, neve ea quæ » desideraverat Cyprianus, « possent diligenti examinatione discerni; comminatus etiam fratribus qui primi expungi accesserant, potentatu improbo et terrore violento, quod secum in morte non communicarent. » Postea proripuit se « cum plurimis ducem se factionis et seditionis principem temerario furore contestans. » Certior factus his de rebus Cyprianus a Caldonio et Herculano episcopis

Digitized by Google

et Rogatiano ac Numidico presbyteris, scripsit ad eos Epistolam trigesimam octavam, in qua Felicissimum excommunicat, tum ob nefarium schisma, tum quod « ad fraudes ejus et rapinas, quas, inquit, dilucida veritate cognovimus : adulterii etiam crimen accedit, quod fratres nostri, graves viri, deprehendisse se nuntiaverunt, et probaturos sese asseveraverunt. » Augendo autem, qui se Felicissimo sociaverat, idem minatur Cyprianus si ultra cum eo perseveraverit. Non facile explicatur quid sibi vellet Felicissimus cum « potentate improbo et terrore violento » minaretur secum in morte non communicaturos qui Cypriano obtemperassent. Pro eo quod Baluzius posuit « in morte, » veterum codicum auctoritate nixus, habent alii editiones « in monte, » sed sive legatur « in monte, » sive « in morte, » an intentata ab ejusmodi homine excommunicatio violentum terrorem incutere potuit? nonne tunc potius terruisset si minatus esset sese Catholicos coacturum ut secum communicarent? an hominibus episcopo suo affixis et Felicissimum detestantibus grave incommodum videri potuit, communione hominis nequissimi carere? Equidem, quantum in re perobscura conjicere possum, suspicor Felicissimum non excommunicationem solum, sed etiam mortem ipsam minatum esse, ita ut secum in morte, quam intentabat, non communicaturos diceret qui Cypriano obtemperassent. Cum Cornelius territus fuisse videretur « minis parricidalibus » Felicissimi, declarat Cyprianus in Ep. LV, sua nihil interesse « aut a quo aut quando perimatur, mortis et sanguinis præmium de Domino recepturus. » Quod si in Cornelium et Cyprianum parricidales minæ Felicissimi proruperunt, quis miretur plebeculam ejusmodi minis ab eo exterritam fuisse?

Cypriano diligenter paruerunt episcopi et presbyteri quorum vicaria opera absens utebatur, et Felicissimum ejusque præcipuos sectatores excommunicarunt, ut patet ex Epistola inter Cyprianicas XXXIX, quæ tamen non tam videtur esse epistola, quam libellus excommunicationis publice propositus.

XVII.— SCHISMA FELICISSIMI ANNO 251 INEUNTE.—NOVATUS UNUS EX QUINQUE SCHISMATICIS PRESBYTERIS. — DE EPISTOLA XL CYPRIANI.

Non est operæ pretium refellere quæ de Felicissimi sacerdotio minus belle opinatus est Baronius. Hunc enim laicum fuisse cum schisma conflavit, testis est locuples Cyprianus, qui Novatum illi diaconatum iisdem machinationibus quibus et Novatiano episcopatum, conciliasse declarat : « Ipse est, inquit Ep. XLIV, qui Felicissimum satellitem suum diaconum, nec permittente me, nec sciente, sua factione et ambitione constituit..... Qui istic adversus ecclesiam diaconum fecerat, illic episcopum constituit. » Porro hæc ordinatio fieri non potuit nisi post apertum schisma; nec ulla prorsus ratione eam Pearsonius ante schisma collocat, cum Cyprianus, ut observat Tillemontius, hoc facinus non recenseat inter scelera Felicissimi (in Ep. XXXVIII). Ipse etiam Novatus, etsi fax erat illius incendii, suam tamen nequitiam initio schismatis obscure ferebat, nec sese cum Felicissimo palam et aperte conjungebat. Quod si id ausus fuisset, eamdem subiisset excommunicationem ac alii Felicissimi sectatores. Nec citius anno 251 ineunte, nec serius collocari potest hoc schisma. Nam, ut demonstrat Tillemontius adversus Pearsonium qui illud refert ad annum 258, nullum prorsus exstat schismatis vestigium in epistolis anno 250 scriptis; nec hujus rei nuntium ullum Cyprianus acceperat cum scriberet Epistolam XXXVI, quæ schismaticis erumpendi occasionem dedit. Neque etiam serius ab Ecclesia defecit Felicissimus; nam quinque presbyteri, qui circa Pascha sese nudarunt, jam illius partes aliquamdiu occulte foverant.

Statuerat Cyprianus Pascha hujus anni 251 in ecclesia sua celebrare : pungebat enim illum « exsilium jam biennii, et a vultibus atque oculis (suorum) lugubris separatio, dolor jugis et gemitus qui eum solum continua lamentatione discruciabat, lacrymæ diebus ac noctibus profluentes, quod sacerdoti necdum complexibus (suorum) inhærere » contingeret (Ep. XI). Sed huic dolori, quem spes maturi reditus leniebat, cumulus accessit quinque presbyterorum perfidia, qui in apertum schisma, quod dudum improbis animis parturiebant, tandem ante Pascha hujus anni eruperunt, et Cyprianum minis et insidiis suis eo redegerunt ut redire ante Pascha non auderet, ne ipso advoniente « tumultus illic major oriretur, et cum paci et tranquillitati episcopus providere in omnibus debeat, ipse materiam seditioni dedisse et persecutionem denuo exacerbasse videretur. » (*Ibid.*)

Quinque illi presbyteri, cum jam antea conjurassent contra episcopatum Cypriani, confessores nonnullos a debita episcopo reverentia avocassent et in vitia impegissent prorsus inhonesta, palam « se ad lapsorum perniciem venenata sua deceptione verterunt, eosque a medela vulneris sui » avocarunt, et « intermissis precibus et orationibus, quibus Dominus longa et continua satisfactione placandus, ad exitiosam temeritatem mendacio captiosæ pacis » invitarunt. His etiam Cyprianus Felicissimi schisma, ut occultis auctoribus, attribuit. Quamvis tot mala ab ejusmodi hominibus orta essent, non optabat tamen Cyprianus, ut se ultro ejicerent, sed sententiam, quam illius indulgentia effugerant, de se ipsi tulerunt, et «de Dei providentia», hoc nec volente nec optante Cypriano, immo et ignoscente et tacente, « pœnas quas meruerant rependerunt. » (*Ibid.*) Miror sane Novatum in *Annalibus Cyprianicis* ex numero quinque presbyterorum eximi, cum Cyprianus de eo in Ep. XLIX, sic loquatur: « Idem est Novatus qui apud nos primum discordiæ et schismatis incendium seminavit, qui quosdam istic ex fratribus ab episcopo segregavit, qui in ipsa persecutione ad evertendas fratrum mentes alia quædam persecutio nostris fuit. Ipse est qui Felicissimum satellitem suum diaconum, nec permittente me nec sciente, sua factione et ambitione constituit, etc. » Erat etiam ex eodem numero,

Digitized by Google

ut testatur Cyprianus in Epist. LV, Fortunatus, quem schismatici pseudoepiscopum Carthaginensem postea crearunt. Duo alii non improbabiliter in eumdem numerum veniunt Donatus et Gordius, de quibus agitur in Epist. VI, ac forte etiam quinto loco Gaius Diddensis, quem Cyprianus a communione sua removet per Epistolam XXVIII. Quatuor presbyteri, Donatus et Fortunatus, Novatus et Gordius, scripserant ad Cyprianum paulo ante schisma Felicissimi : qua de re scripserint non indicat Cyprianus, sed declarat se illis rescribere solum non potuisse, quando a primordio episcopatus statuerat nihil sine consilio cleri et sine consensu plebis sua privatim sententia gerere. (Ep. VI.)

Postquam de quinque presbyterorum scelere didicit Cyprianus, scripsit universæ plebi Epistolam XL, in qua schismaticorum nequitiam nativis coloribus describit, unitatem Ecclesiæ demonstrat, et stantes et lapsos hortatur, istos quidem ut comparatam in persecutione laudem tueantur, hos vero ut « in secunda hac tentatione spei et paci suæ fideliter » consulant ; tandem declarat persecutionis novissimam hanc esse et extremam tentationem, « quæ et ipsa cito, inquit, Domino protegente transibit, ut repræsenter vobis post Paschæ diem cum collegis meis. » Observat Tillemontius scripsisse etiam ea de re Cyprianum ad clerum, sed epistolam ad nos non pervenisse. Commemorat enim Cyprianus in Epist. XLII litteras ad clerum et ad plebem de Felicissimo ac de ejus presbyterio a se scriptas, quæ et ordinationem et rationem rei gestæ loquebantur.

XVIII.—REDIT CYPRIANUS PERSECUTIONE SOPITA, ET CUM COLLEGIS DELIBERAT DE CAUSA LAPSORUM ; SED ANTE CONCILIUM SCRIBIT LIBRUM DE LAPSIS.

Pax divinitus promissa cum ecclesiæ Africanæ tandem aliquando affulsisset, prodiit post Pascha Cyprianus e secessu, in quo annum jam et quatuor circiter menses latebat. Persecutionem sopitam tunc fuisse ait in Epist. LII, omnino sedatam fuisse non dicit. Revera, quamdiu vixit Decius, ejus crudelitas semper metuenda fuit Christianis. Hinc Cornelius papa, mense Junio electus, sedebat « intrepidus », teste Cypriano Ep. LII (p. 69), « Romæ in sacerdotali cathedra, eo tempore cum tyrannus infestus sacerdotibus Dei fanda atque infanda comminaretur. » Non videtur ergo hanc pacem alia res conciliasse, quam injectus Decio metus a Lucio Prisco, qui cum Macedoniæ præesset, imperium occupaverat in hac provincia, et vires suas cum Gothis adversus Decium conjunxerat. Redeunti Cypriano lætissimum spectaculum fuit, et plurimos confessores, in quibus et fœminæ et virgines et pueri enitebant, et cæteram stantium multitudinem, quibus nihil tanti fuerat ut imperatoris edictis parerent, in ecclesia congregatos intueri. Sed eum sollicitudine distringebant lapsi, non illi quidem qui vere et ex animo pœnitentiam amplexi fuerant, nam istis mirum in modum gratulatus uerat, eique ostenderat Dominus « quid ejusmodi et tales servi de ejus benignitate mereantur » ; sed qui se apostatis et perfidis junxerant, aut peccatum suum furto quodam abscondere, aut cognitum pœnitentiæ legibus subducere tentabant. Paulo post reditum Cypriani, multa Deus exempla in eos constituit qui, cum peccata sacerdotibus confessi non fuissent, ad communionem accedere ausi fuerant : « Multi quotidie pœnitentiam non agentes, nec delicti sui conscientiam confitentes, immundis spiritibus adimplebantur, multi usque ad insaniam mentis excordes dementiæ furore » quatiebantur. Multæ aliæ iracundiæ divinæ ostensiones in ejusmodi homines, ut discimus ex libro *de Lapsis*, tum vigente persecutione, tum etiam post Cypriani reditum, editæ fuerunt ; a quibus immunem non fuisse narrat puellam quamdam, quam, a nutrice ad simulacra deductam, imprudens et insciens hujus rei mater, sacrificante Cypriano, in ecclesiam intulerat.

Promiserat Cyprianus se de lapsorum causa, statim ac rediisset, cum collegis suis inita subductaque ratione judicaturum, « ut præpositi cum clero convenientes, præsente stantium plebe, quibus et ipsis pro fide et timore suo honor habendus, disponere omnia consilii communis religione » possent (Epist. XIV). Non defuit promissis ; sed videtur, antequam concilium haberetur, librum *de Lapsis* scripsisse, ut lapsorum animos ad concilii decreta, ut par erat, suscipienda præpararet. Hunc tamen librum Pearsonius post Decii mortem et auctor *Observationum in Bibliothecam Dupini* post concilium Carthaginense compositum existimant. Negat utrumque Tillemontius gravissimis de causis. Ac primo quidem hoc argumento utitur adversus Pearsonium, quod, cum Romani confessores eodem mense quo cæsus est Decius, in ecclesiam redierint, liber iste *de Lapsis*, qui ad eos ante reditum in Ecclesiam simul cum libro *de Unitate Ecclesiæ* missus est, post mortem Decii rejici non possit. Repugnat enim ut in unum et eumdem mensem tot insignes eventus conjiciantur, cædes Decii, nuntius hujus rei in omnes provincias, pax Ecclesiæ, duo libri a Cypriano scripti et Romam missi, ac confessorum reditus in Ecclesiam his libris perlectis. Pearsonium moverunt quæ initio libri leguntur, « Ope atque ultione divina securitas nostra reparata est. » Ex quibus concludit jam tum Decium vexatæ religionis christianæ pœnas dedisse. Observat Tillemontius Decium Lucii Prisci defectione et Gothorum progressibus sic impeditum fuisse, ut jam tum Deus sanguinem Christianorum manifeste ulciscceretur, et pacem in ecclesia saltem Africana constitueret. Verum indignum existimat Cypriano, ut qui pro imperatore quotidie precabatur, in illius calamitate exsultaret. Quare hæc verba aut a Cypriano post Decii mortem addita, aut ad proconsulis supplicium, aut alium quemvis eventum referenda suspicatur. Sed non video cur Cypriani verba de ipso Decio nondum imperio et vita spoliato, sed jam oppugnato interpretari metuamus. Nihil vetabat quominus Cyprianus, etsi pro imperatore quotidie precabatur, illius tamen calamitatem ex

ultione divina repeteret, cum præsertim ipsum Decium non appellet, nec in eum quidquam dicat asperius. Mortuo Decio longe vehementior fuit, ut videre est in Epistola *ad Antonianum*, ubi *tyrannum* illum vocat ejusque crudelitatem depingit, adeo ut quod una vocula in libro *de Lapsis* contentus fuit, eaque tam leni, id argumento esse debeat Decium adhuc regnasse.

Non difficilius probatur librum *de Lapsis* ante concilium Carthaginense scriptum fuisse. Concilii decreta nusquam in hoc libro memorantur; Libellaticis concessa pax in concilio. At non solum Libellaticos Cyprianus in hoc libro, sed eos etiam « qui de hoc vel cogitaverunt, » hortatur ut non cessent in « agenda pœnitentia atque in Domini misericordia deprecanda, ne quod minus esse in qualitate delicti videtur, in neglecta satisfactione cumuletur. » Scriptum esse librum inter prima redditæ pacis gaudia ex initio patet : « Pax ecce, dilectissimi fratres, Ecclesiæ reddita est, et quod difficile nuper incredulis et perfidis impossibile videbatur, ope atque ultione divina securitas nostra reparata est... : exoptatus votis omnium dies venit.... Confessores, præconio boni nominis claros et virtutis ac fidei laudibus gloriosos, lætis conspectibus intuemur, sanctis osculis adhærentes, desideratos diu inexplebili cupiditate complectimur. Adest militum Christi cohors candida, etc. » Videtur ergo liber *de Lapsis* viam stravisse concilio Carthaginensi, quod paulo post reditum Cypriani habitum est. Mense maio hujus anni 251 collocatur a Pearsonio, idque cum verbis Cypriani quadrat : « Secundum quod tamen ante fuerat destinatum, inquit Epist. LII (p. 67), persecutione sopita, cum data esset facultas in unum conveniendi, copiosus episcoporum numerus, quos integros et incolumes fides sua et Domini tutela protexit, in unum convenimus. » Adfuisse presbyteros et diaconos patet ex Epist. LV. Quod ait Cyprianus in eadem Epist. LII et in Epist. LV, episcopos scripsisse ad Cornelium et de lapsis « participato invicem consilio » statutum fuisse, id prima specie videtur concilium serius habitum probare; nam Cornelius mense junio electus est, nec statim litteras accepit ab episcopis Africanis, qui non ad eum aliquamdiu, sed ad ipsius ecclesiam litteras suas mittebant, donec legati quos Romam miserant, certum de dissensione ibi exorta nuntium referrent. Sed, ut observat Tillemontius, fieri potuit ut ex episcopis qui concilio interfuerant, multi adhuc Carthagine versarentur cum de legitima Cornelii electione constitit; qui, cum ad Cornelium suo et aliorum nomine scripserint, non immerito visi sunt conjunctis cum Cornelio consiliis statuisse quidquid de lapsis statuerunt. Hæc autem verba ex Epistola LV, « concilio frequenter acto, » sic post Pearsonium interpretatur Tillemontius, quasi concilium sæpe repetitum fuerit, ita ut quibusdam episcopis Carthagine abeuntibus, quibusdam succedentibus, continuatum quodammodo videri posset.

Præcipua concilii deliberatio in lapsorum causis dijudicandis versata est; et cum summa esset circumstantiarum varietas, omnia singulari prudentia, tamquam aurificis statera, examinata sunt. Alii enim nefando sacrificio, alii solis libellis contaminati, vel etiam crimen sola cogitatione susceperant. Non æquandi erant, ait Cyprianus Ep. LII (p. 70), « ille qui ad sacrificium nefandum statim voluntate prosilivit, et qui reluctatus et congressus diu ad hoc funestum opus necessitate pervenit; ille qui et se et omnes suos prodidit, et qui ipse pro cunctis ad discrimen accedens, uxorem et liberos et domum totam periculi sui perfunctione protexit; ille qui inquilinos vel amicos suos ad facinus compulit, et qui inquilinis et colonis pepercit, fratres etiam plurimos qui extorres et profugi recedebant, in sua tecta et hospitia recepit, ostendens et offerens Domino multas animas viventes et incolumes, quæ pro una saucia deprecentur. » Alii denique serius lapsi fuerant, alii citius; alii ad pœnitentiam statim confugerant, alii, nimia libellorum a martyribus acceptorum fiducia, hoc remedium effugere conati fuerant. Itaque examinatæ sunt in concilio Carthaginensi « causæ et voluntates et necessitates singulorum, et in libello singulorum placita conscripta sunt. » (*Ibid.*) Hunc libellum non absimilem fuisse canonibus pœnitentialibus merito observavit Baronius, nec ulla prorsus ratione librum *de Lapsis* intelligit editor Oxoniensis in notis ad hunc locum. Videri possunt quæ de concilii decretis in præfatione diximus.

Suspicatur Tillemontius decretum in eodem concilio fuisse ut, si qua instaret persecutio, lapsis ante præscriptum tempus communio daretur. In hanc illum suspicionem induxerunt hæc Cypriani verba ex Epist. LII (pag. 71) : « Nec ad pœnitentiam quis a nobis compelli potest, inquit, si pœnitentiæ fructus subtrahatur. Si prælium prius venerit, corroboratus a nobis invenietur armatus ad prælium. Si vero ante prælium infirmitas urserit, cum solatio pacis et communicationis abscedit. » Sed hujus loci ea videtur esse sententia, spem pacis post pœnitentiam consequendæ id habere commodi, ut lapsorum animos erigat et ad acrius pugnandum, si qua redierit occasio, corroboret, quia, ut paulo ante dixerat Cyprianus, « ad fidem et virtutem de pœnitentia robur armatur; quod armari non poterit si quis desperatione deficiat, si ab Ecclesia dure et crudeliter segregatus ad gentiles se vias et sæcularia opera convertat, vel ad hæreticos et schismaticos rejectus ab Ecclesia transeat. » Præterea, si decretum in hoc concilio fuisset ut lapsis urgente persecutione communio daretur, non id omisissent Cyprianus et alii episcopi in Epist. LIV, in qua quod decreverant de lapsis ob instantem persecutionem in Ecclesiam colligendis, id Cornelio approbare non conantur ex concilii prioris auctoritate, sed « Spiritu sancto suggerente » ita se statuisse declarant. Memorat Cyprianus in Epistola LV, aliud de episcopis lapsis ejusdem concilii decretum; ejusmodi homines ad pœnitentiam « quidem agendam posse admitti, ab or-

Digitized by Google

dinatione autem cleri, atque sacerdotali honore prohiberi. » Prodiit coram episcopis in concilio congregatis Felicissimus cum presbyteris ipsi affixis, ut perspicitur ex Ep. XLII; sed eos auditos episcopi condemnarunt et abstinuerunt. « Sed et Jovinus et Maximus episcopi, ob nefanda sacrificia et crimina in se probata sententia novem episcoporum condemnati, iterato in concilio abstenti » sunt, ait Cyprianus in Epist. LV (p. 84).

Quemadmodum in hoc concilio « non consensione » tantum episcoporum « sed et comminatione », ut ait Cyprianus ep. LV (p. 85), decretum est « ut pœnitentiam non agentibus nemo temere pacem daret : » ita justis martyrum petitionibus aliquid honoris causa, ut ferebat Ecclesiæ consuetudo, delatum fuisse crediderim. Nam in libro *de Lapsis*, quem Cyprianus in Ep. LI, nuper legisse se Carthagine testatur, unde etiam nonnulli in ipso concilio lectum fuisse colligunt; in hoc, inquam, libro, ut nimiam martyrum nonnullorum « in remittendis passim donandisque peccatis » licentiam refellit Cyprianus, ita eorum mandatis aliquid fatetur posse concedi, « si justa, si licita, si non contra ipsum Dominum a Dei sacerdote facienda, si obtemperantis facilis et prona consensio, si petentis fuerit religiosa moderatio » (pag. 187). Fatetur etiam (p. 193) Deum in acceptum referre posse quidquid pro veris pœnitentibus « et petierint martyres et fecerint sacerdotes. » Quare verisimile est Mappalico martyri, qui matrem suam atque, ut in nonnullis editionibus legitur, sororem domestica pietate commotus commendaverat, aliquid concessum fuisse, et aliis etiam qui Lucianum imitati non fuerant, sed, ut præcipit Cyprianus Ep. XI, diligenter inspexerant « et actum et opera et merita singulorum, ipsorum quoque delictorum genera et qualitates », et quos ipsi noverant, « quorum pœnitentiam satisfactioni proximam » conspiciebant, eos nominatim libello designaverant.

XIX. — PRUDENTIA SANCTI CYPRIANI IN COMPRIMENDO SCHISMATE NOVATIANI, ET CONFIRMANDO EPISCOPATU S. CORNELII.

Defuncto gravissimis molestiis Cypriano, quas ei nonnullorum martyrum intemperans indulgentia et impia schismaticorum temeritas exhibuerant, novæ difficultates superveherunt, exorta Romæ dissensione, ac Novatiani hæresi aditum in varias ecclesias tentante. Post Fabianum, qui die 20 januarii, anno 250, martyr obiit, episcopo caruerat Ecclesia Romana, nec pastoris eligendi locum reliquerat Decii crudelitas. Sed tandem, tyranno absente, imperio in urbe Julio Valenti delato, cum tempus commodissimum oblatum esset, electus est « de clericorum pene omnium testimonio, de plebis quæ tunc adfuit suffragio et de sacerdotum antiquorum et bonorum virorum collegio, » S. Cornelius, vir omni laude cumulatus, de quo quanta judicia fecerit Cyprianus ex pluribus illius epistolis perspicitur, præsertim ex Ep. LII. Constat hanc electionem factam fuisse post Pascha hujus anni 251, si quidem Cyprianus, qui Carthaginem, elapsis diebus festis, rediit, concilium habebat cum collegis cum hujus electionis nuntius allatus est. Quinetiam usque ad diem quartum junii electio differenda est, si Pearsonii conjecturas sequamur, quæ probabiles Tillemontio visæ sunt. Nam, cum ex duobus pontificalibus, alter a Bucherio promulgatus Cornelium duos annos, tres menses et decem dies sedisse dicat, alter a Bollando editus unum S. Pontifici annum, duos menses et tres dies attribuat, Pearsonius, ex utroque excerpens quæ convenire visa sunt, et quæ minus quadrabant emendans, Cornelium sedisse annum unum, tres menses et decem dies existimat, sicque electionem refert ad diem quartum junii anni 251, ut eam cum ipsius morte conciliet, quam idibus septembris, anno 252, contigisse multis magnisque indiciis patet.

Novatus, qui in Africa « primum discordiæ et schismatis incendium seminaverat, » ut ait Cyprianus in Epist. XLIX, « Romam quoque ad evertendam Ecclesiam navigans, similia illic et paria molitus est. » Dedit se Novatiano, cique suas artes et fœcundum ingenium dicavit. Novatianus hoc administro confisus, quinque presbyteros, nonnullos confessores ac partem plebis ad usus suos adjunxit, ac Cornelii intercessit electioni, variis illum criminibus accusans, in his quod libello sese contaminasset. Cum utraque pars scripsisset in Africam, Cyprianus et plurimi alii episcopi qui ad eum venerant, rem tanti momenti omni animi provisione tractandam intellexerunt. Itaque Cyprianus præcepit ut clero et plebi legerentur litteræ Cornelii « quæ religiosam simplicitatem sonabant » illiusque « episcopatus ordinationem singulorum auribus intimavit ; » quæ vero ex diverso adversus Cornelium ejusque presbyteros in librum Carthaginem « transmissum congesta fuerant acerbationibus criminosis, » ea penitus respuit Ep. XLII ; sed tamen cum episcopis compluribus qui in unum convenerant, statuit ut « legatis coepiscopis Caldonio et Fortunato Romam missis, omnia interim integra suspenderetur, donec iidem collegæ, rebus illic aut ad pacem redactis aut pro veritate compertis, redirent. » Non ignorabant episcopi Africani satis fuisse, ex veteri more, ut se Cornelius episcopum factum per litteras nuntiaret ; sed, ut illius adversariis omnem perturbandæ Ecclesiæ causam præcluderent, litteras episcoporum a quibus ordinatus fuerat desiderarunt, et legatos miserunt qui has litteras referrent, et totam rem diligenter exploratam narrarent, « ut tum demum, scrupulo omni de singulorum pectoribus excusso, per omnes omnino in Africa positos episcopos litteræ fierent, et Cornelium universi collegæ, illiusque communicationem, id est catholicæ Ecclesiæ unitatem pariter et charitatem probarent firmiter ac tenerent. » (Ep. XLI.) Hæc autem a Cypriano ea mente ejusque collegis provisa esse, ut Cornelii electionem stabilirent, non quod eam in suspicionem vocarent, inde etiam perspicitur, quod Cyprianus « singulis navigantibus, ne cum

scandalo ullo navigarent retinerem reddebat,» eosque hortabatur « ut Ecclesiæ catholicæ radicem ac matricem agnoscerent ac tenerent, » id est, cum Cornelio communicarent. Sed tamen litteræ ad presbyteros et diaconos, non ad Cornelium dirigebantur; et cum Cyprianus ac Caecilis Hadrumetum ante reditum legatorum venissent, ac presbyteros et diaconos illius civitatis, absente Polycarpo episcopo, docuissent quid in concilio decretum fuisset; ipsi quoque quod et cæteri observare cœperunt, et litteras presbyteris et diaconis Romanis inscripserunt, quamvis autem ad ipsum Cornelium Polycarpi nomine litteræ dirigerentur (*Ibid.*).

Antequam redirent legati, venerunt Carthaginem missi a Novatiano Maximus presbyter et Augendus diaconus, et Machæus quidam et Longinus : cumque ex litteris quas secum ferebant, et ex eorum sermone atque asservatione Novatianum episcopum factum Cyprianus ejusque collegæ comperissent, a communione eos statim cohibendos esse censuerunt, refutatis interim ac retusis quæ obstinate ac pertinaciter asserere tentabant.

Postquam reversi sunt legati cum litteris episcoporum qui ordinationi Cornelii interfuerant, supervenerunt Roma duo alii episcopi Africani, Pompeius et Stephanus, qui, cum totam rem oculis suis vidissent, « ipsi quoque ad instruendos (episcopos Africanos) manifesta secundum gravitatem ac fidem suam indicia ac testimonia protulerunt (Ep. XLI). » Duos illos episcopos Romam missos fuisse existimat Pearsonius, ut electioni episcopi Romani interessent; sed, ut observat Tillemontius, præterquam quod nullum exstat exemplum ejusmodi legationum, nec de futura electione Africani quidquam videntur cognovisse, certe si legati Romam ad hoc munus missi fuissent, necesse non fuisset Caldonium et Fortunatum postea mittere, sed commodius multo fuisset istorum, qui totam rem oculis suis exploraverant, re litem expectare. Hos tamen Caldonius et Fortunatus occuparunt. Adeo verum est non a collegis missos fuisse, sed aut persecutione saeviente fugisse, aut negotiorum causa Romam profectos esse. Horum testimonio cum legatorum narratione et litteris collegarum Cornelii consentiente, sic de legitima istius ordinatione apud omnes constitit, « ut nec necesse fuerit ultra audiri eos qui a Novatiano venerant missi. » (*Ibid.*)

XX. — QUO TEMPORE ERUPIT SCHISMA NOVATIANI.

Sed non parvi interest ad rerum a Cypriano gestarum ordinem, quo tempore schisma conflaverit Novatianus, quo tempore ordinationem susceperit inquirere. Opinati sunt Valesius et Pearsonius eadem schismatis initia fuisse ac anni 251. Tillemontius ante ordinationem Cornelii id contigisse negat. Magni est momenti in utraque sententia testimonium Cornelii in epistola ad Fabium Antiochenum, ubi S. Pontifex testatur S. Moysem martyrem, dum adhuc in vivis esset, Novatiano et quinque presbyteris communionem denegasse. Unde, cum inter utrosque conveniat S. Moysem sic egisse cum Novatiano palam et aperte schismatico, Valesius et Pearsonius concludunt schisma cum anno 251 incœpisse, quia S. Moyses initio hujus anni in carcere obiit, ut est in vetusto Bucherii Pontificum catalogo : Tillemontius vero, cum certo teneat schisma ante ordinationem Cornelii non erupisse, mortem Moysis, quem Cornelius nuper martyrio perfunctum fuisse dicit, in mensem novembrem rejicit ejusdem anni 251. Sic mediam inter utrosque viam inibo, ut ex utraque sententia aliquid assumam, aliquid etiam refellam. Etsi enim schisma ante Cornelii ordinationem erupisse non credam, videtur tamen multo ante occultis molitionibus informatum et præparatum, ita ut necessitatem non afferat S. Moysis martyrii cum Tillemontio differendi, nec mors S. Moysis schisma ad initium anni 251, cum Valesio et Pearsonio referre cogat.

Necessariis rationibus pugnat Tillemontius nullam Romæ schisma ante Cornelii ordinationem exstitisse. 1° S. Pacianus Ep. II (pp. 56 et 60) et auctor libri *ad Novatianum hæreticum*, declarant Novatianum concepta ex Cornelii episcopatu invidia in schisma impulsum fuisse. 2° Novatum, qui schisma Carthagine conflabat mense martio aut saltem februario, perabsurde Pearsonius mense januario, Valesius februario Romam transferunt. Denique repugnat ut schisma Romæ exortum ecclesia Africana tamdiu ignoraverit, nec ante ad sedandam dissensionem miserit legatos, quam de Cornelii electione certior facta fuisset. Difficile est profecto his rationibus non assentiri.

Verum nec Tillemontio nec ipsius adversariis favet Cornelii testimonium, sed potius probat S. Moysem in Novatiano non apertum schisma, sed occultas machinationes multis improbe factis conjunctas condemnasse. Sic loquitur S. Pontifex apud Euseb. (l. VI, c. 43): Ὃν καὶ Μωσῆς ὁ μακάριος μάρτυς, παρ' ἡμῖν ἐναγὴς μαρτυρίσας καλήν τινα καὶ θαυμαστὴν μαρτυρίαν· ἔτι ὢν ἐν κόσμῳ, κατιδὼν αὐτοῦ τὴν θρασύτητα καὶ τὴν ἀπόνοιαν, ἀκοινώνητον ἐποίησε σὺν τοῖς πέντε πρεσβυτέροις τοῖς ἅμα αὐτῷ ἀποσχίσασιν ἑαυτοὺς τῆς ἐκκλησίας. « Quem etiam (Novatianum) Moses, inquit, beatissimus martyr, qui nuper apud nos egregio et admirando martyrio perfunctus est, dum adhuc in vivis esset audaciam ejus ac furorem perspectum habens, a communione sua separavit cum quinque presbyteris, qui se pariter cum illo ab Ecclesiæ corpore abruperant. » Frustra vir eruditus ex his verbis, « nuper martyrio functus, » rem ante unum aut alterum mensem contigisse colligit, cum ejusmodi loquendi ratio his quæ ante decem menses vel etiam ante annum contigerunt, aptari possit. Iis autem verbis, « cum quinque presbyteris, qui se pariter cum illo ab Ecclesiæ corpore abruperant, » fateor negatam apertis schismaticis communionem indicari. Sed græcæ voces sic optime redduntur, « cum quinque presbyteris

Digitized by Google

qui se pariter cum illo ab Ecclesia abruperunt. » Sic autem interpretando, non videtur schisma præcessisse negatam a Moyse communionem, sed potius subsecutum esse.

Multa in eodem testimonio hanc interpretationem confirmant. 1° Factum Moysis sic narrat Cornelius, sic ejus testimonio utitur, ut et laudem ei tribuat, quæ ipsi communis non sit cum omnibus, et Novatiano ignominiam non levem inurat. Porro nec sancto martyri magna laus fuisset homines aperto schismate implicatos, et tot episcopis, tot presbyteris ac plebi pene universæ detestatos, ad communionem suam non admittere; nec ipsis schismaticis totius orbis communione exclusis magnum opprobrium fuisset unius martyris amissa communio. Deinde vero cum Novatianus schismaticos conventus cum suis ageret, an tunc eum cum S. Moyse communicare voluisse et repulsam tulisse dicemus? Non videtur aptum ad eam rem tempus fuisse. 2° Non dicit Cornelius communionem Novatiano negatam fuisse ob apertum schisma, sed quod ejus audaciam et furorem perspiceret Moyses. Satis multa improbe fecerat Novatianus, ut cum eo sic ageret Moyses, in primis quod in persecutione a diaconis monitus ut fratribus succurreret, non jam amplius presbyterum se esse velle dixerat. Hæc illa fuit audacia Novatiani, hic furor: ad quem cum accederet nefaria consiliorum conjunctio cum quinque presbyteris, non difficile fuit S. Moysi quid ad Ecclesiæ perniciem meditarentur prospicere, nec mirum si cum eis communicare noluit. 3° Si communionem manifestis schismaticis S. Moyses denegasset, non solum quinque presbyteros, sed etiam confessores qui Novatiano sese dederant, eadem sententia notasset. Nam quatuor confessores « de carcere prodeuntes schismaticus et hæreticus error » exceperat, ut ait Cyprianus Ep. LI, eosque sibi ab initio sociaverat. » Novatianus, teste Cornelio apud Euseb. (lib. VI, c. 43), in hos Novatiani gregales idem esse debuit qui in quinque presbyteros erat; sed tamen quinque tantum presbyteris communionem negat. Quod argumento est eum in Novatiano non apertum schisma, non manifestum cum Cornelio et omnibus episcopis Cornelio adhærentibus bellum condemnasse, sed nefarias molitiones, et inita cum quinque presbyteris Ecclesiæ perturbandæ consilia, quæ, pluribus Novatiani vitiis addita, Moysem deterruerunt quominus cum eo communicaret. 4° Martyrium Moysis non videtur mense novembri, ut existimat Tillemontius, sed potius ante ordinationem Cornelii contigisse. Constat martyres e carcere solutos fuisse cum Cornelius ordinatus est. Cur ergo solus Moyses particeps illius pacis non fuisset, quæ tam diu negatam eligendi episcopi copiam fecit? Deinde vero Moyses non in carcere obiit, ut est in Bucherii catalogo, sed sanguinem pro Christo profudit, ut demonstrat Tillemontius ex verbis Cornelii, qui eum præclaro et admirando martyrio perfunctum declarat. Porro ab ordinatione Cornelii usque ad mensem novembrem, non videtur Christianorum sanguis Romæ fusus fuisse. Sedebat intrepidus Cornelius « Romæ in sacerdotali cathedra eo tempore, cum tyrannus infestus sacerdotibus Dei fanda atque infanda comminaretur, cum multo patientius et tolerabilius audiret levari adversus se æmulum principem, quam Romæ constitui Dei sacerdotem, » ait Cyprianus, Epist. LII (p. 69). Quamobrem, aut Decius per totum illud tempus crudelitatis suæ satietatem capere non potuit, aut id in reditum suum differebat. Cum ergo Cornelius evaserit, cui tamen potissimum infensus erat Decius, non videtur Moyses præclaro et admirando martyrio perfunctus mense novembri, sed potius mense januario, ut est in vetusto Bucherii catalogo, vel certe ante finem persecutionis, ante ordinationem Cornelii et apertum schisma Novatiani.

XXI. — QUO TEMPORE ORDINATUS NOVATIANUS.

De ordinatione Novatiani non una est criticorum sententia. Pearsonius ipso mense junio ordinatum fuisse Novatianum putat, ejusque legatos julio ineunte Carthaginem venisse: Tillemontius id contigisse contendit post comprobatam universæ Africæ judicio ordinationem Cornelii. Non leves rationes persuadent facinus admissum fuisse antequam Africa ordinationem Cornelii testimoniis suis confirmaret. Sed, antequam id probare incipiam, obiter observabo Pearsonium in his quæ ad Cornelii ordinationem spectant dispensandis minus accurate versari. Ait enim « mense junio jam affecto Cyprianum accepisse Cornelii et collegarum litteras. » Sed ex his quæ jam diximus ac deinceps dicemus, perspicitur episcopos Afros, acceptis Cornelii litteris, desiderasse ipsius collegarum litteras, ac tum demum ad firmandam Cornelii ordinationem incubuisse, cum has collegarum litteras legati retulerunt. Cum autem ordinatus fuerit mense Junio Cornelius, legati post acceptum hujus rei nuntium ab Afris missi, redire mense junio cum litteris non potuerunt.

Quod autem spectat ad ordinationem Novatiani, facile probatur adversus Tillemontium hoc scelus commissum fuisse paulo post ordinationem Cornelii, ac forte etiam ipso mense junio exeunte, ut visum est Pearsonio. Nam legati a Novatiano missi in Africam venerunt antequam Roma rediissent Caldonius et Fortunatus, quos episcopi Africani in hanc urbem ad pacandas dissensiones miserant. Res est in promptu ex Epistola XLI, ubi narrat Cyprianus legatos Novatiani, statim atque Carthaginem venerunt et Novatianum episcopum factum nuntiarunt, a communione prohibitos fuisse, « refutatis interim ac retusis quæ obstinate ac pertinaciter asserere tentabant. » Deinde hæc addit: « Nam et ego et collegæ plurimi qui ad me convenerant, expectavimus adventum collegarum nostrorum Caldonii et Fortunati, quos ad te nuper et coepiscopos nostros qui ordinationi tuæ affuerant, legatos miseramus, ut, eis adventantibus et rei gestæ veritatem reportantibus, majore auctoritate et lucida per eos probatione, partis adversæ improbitas frangeretur. » Liquet ergo Novatiani le-

gatos reditum Africanorum præsulum celeritate superasse, eosque interim communione prohibitos fuisse dum legatorum reditus exspectatur. Qui postquam redierunt, iisque supervenerunt duo alii episcopi Pompeius et Stephanus, qui Cornelii ordinationi interfuerant, tum vero et litteris Italorum episcoporum quas legati attulerant, et Pompeii et Stephani testimoniis sic illustrata et confirmata res est, « ut nec necesse fuerit audiri ultra eos qui a Novatiano venerant missi. » Similiter in Epistola XLII narrat Cyprianus episcopos Africanos, postquam diversa pars episcopum sibi constituit, acceptis litteris tam Cornelii quam collegarum, « item adventantibus bonis viris, Pompeio et Stephano, a quibus hæc omnia cum lætitia communi asserta sunt firmiter et probata, » tum demum litteras ad Cornelium direxisse. Ergo Novatiani legati ante Carthaginem missi sunt quam Caldonius et Fortunatus Roma profecti fuissent, vel forte etiam antequam Romam pervenissent. Nam, si res oculis suis vidissent, cur litteris tantum quas attulerunt, ac non potius eorum quoque testimonio niteretur Cyprianus, quemadmodum Pompeii et Stephani testimonio nititur? Præterea testatur Cyprianus in Ep. XLI se « ex litteris, quas secum ferebant legati Novatiani et ex eorum sermone atque asseveratione, Novatianum episcopum factum » comperisse. Unde patet primum hujus rei nuntium a legatis Novatiani allatum fuisse, nec quemquam in Africa horrendum scelus ante eorum adventum suspicatum fuisse. Ex quo etiam confirmatur quod jam diximus, eos advenisse non solum ante Pompeium et Stephanum a « quibus hæc omnia asserta et probata, » nempe episcopum constitutum esse a seditiosis « contra sacramentum semel traditum divinæ dispositionis et catholicæ unitatis, » sed etiam ante Caldonium et Fortunatum. Nam in litteris quas Caldonius et Fortunatus a Cornelio ejusque collegis attulerunt, scripta erant, ut testatur Cornelius Epist. XLVI, multa quæ præcesserant a confessoribus Novatiano adhærentibus designata, quæque redeuntes ad Ecclesiam non sine lacrymis confessi sunt, in his « circumventos commisisse se schismatica et hæresis auctores fuisse, ut paterentur ei (Novatiano) manus quasi in episcopum imponi. » At si ejusmodi litteræ adventum legatorum Novatiani occupassent, non ex his legatis Cyprianus et alii episcopi primum episcopatus a Novatiano arrepti nuntium accepissent.

Non potest ergo defendi sententia Tillemontii, nec ulla prorsus ratione accuratissimus scriptor ordinationem Novatiani post reditum legatorum Africæ collocat. Illud autem multo improbabilius, quod Ecclesiam, saltem Africanam, in comprobando Cornelii episcopatu jam consensisse ait cum Novatianus ordinatus est. Hæc Africanæ ecclesiæ consensio tum demum enituit cum episcopia Cypriano ejusque collegis qui Carthagine aderant, de tota re admoniti litteras ad Cornelium scripserunt. Sed, antequam Cyprianus episcopos Africanos de rebus Romanæ Ecclesiæ certiores faceret, Primitivum presbyterum Romam misit cum Epistola XLI, ut quomodo excepti essent Carthagine legati Novatiani nuntiaret. De suis enim in universam Africam litteris non loquitur nisi in Epistola XLIII, per Mettium hypodiaconum, et Nicephorum acolythum, qui Primitivum subsecuti sunt, perlata. « Sed et per provinciam nostram, inquit, hæc eadem collegis singulis in notitiam perferentes, ab his quoque fratres nostros cum litteris dirigendos esse mandavimus. » Tum cum autem Africani episcopi a Cypriano admoniti scriberent ad Cornelium, jam redierat Primitivus presbyter cum litteris Cornelii, quibus respondens Cyprianus ait (Ep. XLIX): « Placuit ut per omnes omnino istic positos litteræ fierent, sicuti sunt, etc. » Igitur ab ordinatione Novatiani ad consessum Africæ in comprobando episcopatu Cornelii multa intercesserunt, adventus legatorum Novatiani, reditus legatorum Africæ, itus et reditus Primitivi presbyteri.

Nititur 1° Tillemontius his Cypriani verbis ex Ep. LII : « Quo (Petri loco) occupato de Dei voluntate, atque omnium nostrum consensione firmato, quisquis jam episcopus fieri voluerit, foris fiat necesse est. » Unde concludit jam ab omnibus episcopis aut saltem ab Africanis jura Cornelii fuisse firmata cum Novatianus ordinatus est. Sed minus animadvertit doctissimus criticus Cyprianum loqui de eo rerum statu qui tum erat. Cum enim consensus universi orbis ad defensionem Cornelii conspiraret, nec tamen conatibus suis desisteret Novatianus, merito Cyprianus hunc illi consensum opponit, atque hoc argumento non tam illius ordinationem quam obstinatum in illa retinenda animum oppugnat. Hic in eadem Epistola LII, de Novatiani ordinatione loquens, hoc tantum ei objicit, quod « episcopo in Ecclesia a sexdecim episcopis facto adulter atque extraneus episcopus fieri a desertoribus per ambitum » conatus sit. Similiter legatis Novatiani non totius orbis consensum objiciebat Cyprianus, sed testimonium collegarum a quibus ordinatus fuerat Cornelius, litteris a Caldonio et Fortunato allatis consignatum, ut perspicitur ex Ep. XLI.

Quærit 2° Tillemontius cur ordinatio Novatiani statim ab Africanis rejecta sit « ut illicita et contra Ecclesiam facta, » ejusque legati communione prohibiti, si nondum ordinationem Cornelii episcopi Africani comprobaverant. Sed facilis et expedita responsio. Nam Cyprianus, ut modo vidimus, numquam dubitavit quin legitima esset ordinatio Cornelii; sed, acceptis ex utraque parte litteris, omnia ad reditum legatorum integra servari voluit, ut nullum discordiæ locum relinqueret. Quare minime mirum si maxima indignatione commotus est statim atque de nefaria Novatiani ordinatione cognovit.

3° Existimat Tillemontius ex Epistola LXVII colligi posse Novatianum, cum in Africam legatos misit, jam Ecclesiæ hostem judicatum fuisse, aut saltem Cornelium jam tum in universa Africa pro legitimo Romæ episcopo habitum fuisse. At nihil ejusmodi legere est in Epistola LXVII. Ait quidem Cyprianus

Digitized by Google

Novatianum olim hostem Ecclesiæ judicatum, et cum in Africam legatos misisset, hinc a concilio plurimorum sacerdotum sententiam retulisse. Addit eum nuper retusum et refutatum et per totum orbem a sacerdotibus Dei abstentum. At ei non exprobrat quod ordinatus fuerit cum jam Cornelii episcopatus totius orbis auctoritate confirmatus esset, sed quod, « Cornelio in catholica Ecclesia de Dei judicio et cleri ac populi suffragio ordinato, profanum altare erigere et adulteram cathedram collocare, et sacrilega contra verum sacerdotem sacrificia offerre tentaverit. »

4° Denique observat Tillemontius Antonianum, ad quem scripsit Cyprianus Epistolam LII, jam ex consilio Cypriani amplexum fuisse communionem Cornelii antequam litteris Novatiani commotus iniquas de Cornelio ac Cypriano suspiciones acciperet. Verum hoc Antoniani exemplo sententia Tillemontii prorsus evertitur. Scripserat enim Antonianus ad Cyprianum non solum se « cum Cornelio unum tenere consensum, sed etiam cum Novatiano non communicare. » Simul ergo et Cornelii ordinationem comprobavit, et Novatianum illius æmulum rejecit. Quod autem Novatiani litteras serius videtur legisse, postquam videlicet hortatu Cypriani jam suam cum Cornelio communionem declaraverat, id facile conciliatur. Nam legati Novatiani cum Carthagine rejecti fuissent, oppidatim per civitates discurrere cœperunt; ac proinde fieri potuit, ut tardius ad Antonianum venirent. Præterea aliam postea legationem aliasque litteras misit Novatianus, de quibus Cyprianum loqui non repugnat.

XXII. — ORDO RERUM A SANCTO CYPRIANO GESTARUM IN CAUSA CORNELII.

Sic ergo totam hanc rerum gestarum seriem texere possumus. Statim atque legatorum reditu veritas tanta luce circumfluxit, ut iterum Novatiani legatos audiri necesse non esset, scripsit Romam Cyprianus per Primitivum presbyterum, cui in mandatis dederat ut Cornelio narraret quæ in epistolam congerere longius fuisset. Hæc est quadragesima prima epistola apud Pamelium. Scribunt deinde episcopi qui Carthagine aderant ad alios universæ Africæ episcopos, eosque de Cornelii rebus et Novatiani schismate certiores faciunt, ac fratres cum litteris Romam dirigendos esse mandant. Quod autem alios hortabantur, id ipsi in primis perfecerunt, ac communiter scripserunt ad Cornelium. Vix dubium est quin ipsæ illæ sint litteræ Cypriani ejusque collegarum, in quibus testatur Eusebius (lib. VI, c. 43), decretum fuisse ut lapsis subveniretur ac nefariæ hæresis auctor ab Ecclesia ejiceretur. Erant in iisdem litteris multa de Felicissimo ejusque sociis, de quibus quid sensissent episcopi illis auditis, quidque pronuntiassent, Cornelio narrabant. Utræque illæ concilii et ad episcopos Africanos et ad Cornelium litteræ commemorantur a Cypriano in Ep. LXII, per Nicetium acolythum hypodiaconum et Nicephorum missa. Per eosdem clericos misit Cyprianus exempla litterarum quas a se de Felicissimo ejusque presbyterio ad clerum et plebem Carthaginensem scriptas, jam antea per Caldonium et Fortunatum ad Cornelium miserat. Hortatur Cornelium ut eas fratribus legi jubeat. Missa est hæc Epistola XLII antequam rediisset Primitivus presbyter; nondum enim didicerat Cyprianus ex litteris quas illo attulit molestum accidisse Cornelio quod auctor Adrumetinis fuisset ne ad Cornelium nominatim, sed ad Ecclesiam Romanam scriberent. Suspicans tamen aliquid Cyprianus, ac metuens ne qua offensio mentem Cornelii sublisset, demonstrat in eadem Epistola XLII se pacis et unitatis studio adductum fuisse ut omnia integra servarentur, dum litteræ ab episcopis Italiæ venirent.

Præter hanc Epistolam XLII, alia brevior Mettio commissa est ad Cornelium, quæ est XLIII. Certiorem illum facit Cyprianus se ad confessores schismaticos scripsisse, sed mandasse Mettio ut has litteras Cornelio legeret, nec eas redderet nisi Cornelius reddendas esse judicaret. Non verisimile est Mettium a Cypriano his missum fuisse Romam, senem quidem cum Nicephoro ad Epistolam XLII, iterum ad quadragesimam tertiam de confessoribus schismaticis perferendam. Hoc, inquam, verisimile non fit; nam Nicephorus, quem cum Mettio probabile est rediisse, nuntium Cypriano de reditu confessorum optatissimum attulit. Sed cur Cyprianus duas simul ad Cornelium litteras dedit? Rem solvit Tillemontius. Cum probe sciret Cyprianus litteras suas Romæ publice legi solere, prudenter breviori epistolæ commisit, quæ in vulgus efferri nolebat. Præter Epistolam *ad Confessores*, quæ est XLIV, mittebat illis Cyprianus libros suos *de Lapsis* et *de Unitate Ecclesiæ*. Ex quo facilis est conjectura hunc librum *de Unitate Ecclesiæ* circa hoc tempus scriptum fuisse, idque confirmatur Pontii testimonio, qui eum statim post librum *de Lapsis* recenset.

Antequam has litteras acciperet Cornelius, scripsit Cypriano per Primitivum presbyterum, ac sibi displicuisse significavit consilium Adrumetinis a Cypriano datum. Respondet ei Cyprianus per Epistolam XLV, quæ tum scripta est cum undique Africani episcopi Romam scriberent, ut se Cornelio adhærere testarentur. In rebus tanti momenti nec Cyprianum, nec clericos quos Romam mittebat verisimile est cessasse; nec videtur multum effluxisse temporis inter illas Epistolas XLII, XLIII, XLV. Scripta est enim quadragesima prima per Primitivum presbyterum paulo post reditum legatorum, quadragesima secunda paulo post litteras concilii ad Cornelium, ante reditum Primitivi, antequam ex variis Africæ provinciis ad Cornelium scriberetur, quod tunc fiebat cum allatis a Primitivo litteris Cyprianus per Epistolam XLV responderet.

Digitized by Google

XXIII.—NOVI CONATUS NOVATIANI. — REDITUS CONFESSORUM ROMANORUM IN ECCLESIAM HORTATU CYPRIANI : ID ANTE CONCILIUM ROMANUM ANNI 251 CONTIGISSE OSTENDITUR.

Cum Maximus, Longinus et Machæus, Novatiani legati, a Cypriano ejusque collegis expulsi fuissent, alios in Africam misit Novatianus, nempe Nicostratum et Novatum et Evaristum et Primum et Dionysium. Cyprianum ea de re monuit Cornelius litteris per Augendum confessorem missis, quæ non exstant. Non multo post, alia occasione oblata, iterum per Nicephorum acolythum scripsit ad Cyprianum epistolam inter Cyprianicas XLVIII, in qua rogat ut ipsius opera omnibus coepiscopis et fratribus innotescat Nicostratum multorum criminum reum, et non solum patronæ suæ carnali, cujus rationes gessit, fraudes et rapinas fecisse, verum etiam ecclesiæ deposita non modica abstulisse ; Evaristum vero auctorem schismatis fuisse, et successorem plebi cui ante præfuerat, Zetum in locum ejus episcopum esse constitutum. Postridie quam venerant legati Novatiani, supervenit Nicephorus acolythus cum litteris Cornelii, ex quibus Cyprianus didicit et alios episcopos docuit quæ ad Nicostratum et Evaristum attinebant. Postea gratias egit Cornelio per Epistolam XLIX.

Sed idem Nicephorus alias litteras multo lætiores attulit, quibus Cyprianum Cornelius de reditu quatuor confessorum Maximi, Urbani, Sidonii et Macharii certiorem faciebat. Cum quidam fratres nuntiassent confessores ad sanitatem reverti, ac postea Urbanus et Sidonius ad presbyteros venissent, affirmantes Maximum presbyterum et confessorem secum pariter cupere in Ecclesiam redire, placuit Cornelio ut ex ipsorum ore et confessione quæ per legationem mandaverant audirentur. Qui cum venissent et a presbyteris quæ gesserant exigerentur, circumventos se esse affirmaverunt, nec quid in litteris ipsorum nomine per omnes ecclesias missis inesset se scisse, atque ut abolerentur et e memoria tollerentur quæ præcesserant deprecati sunt. Omni actu ad Cornelium perlato, jussit contrahi presbyterium : adfuerunt episcopi quinque, et re ad deliberandum proposita, sententiæ a singulis dictæ, quas Cornelius suis ad Cyprianum litteris subjecit. His ita gestis, venerunt in presbyterium quatuor confessores et plerique fratres, qui se eis adjunxerant, summis precibus desiderantes ut ea quæ ante fuerant gesta in oblivionem caderent. Cum autem magnus fraternitatis concursus factus fuisset, una vox erat omnium gratias Deo agentium, ait Cornelius, gaudium pectoris lacrymis exprimentes, complectentes eos quasi eo die pœna carceris fuissent liberati. Confessores declararunt se Cornelium sanctissimæ Ecclesiæ catholicæ episcopum agnoscere, confessi sunt se imposturam passos ac circumventos esse, sed tamen sinceram mentem suam semper in Ecclesia fuisse; quippe cum non ignorarent unum Deum esse, unum Christum Dominum ac unum Spiritum sanctum, unum Episcopum in Ecclesia catholica esse debere. His rebus permotus Cornelius Maximum presbyterum locum suum jussit agnoscere, cæteros cum ingenti populi suffragio recepit, ac omnia remisit Deo omnipotenti. Hæc autem eadem hora, eodem momento ad Cyprianum per scripta transmisit, nempe per epistolam inter Cyprianicas XLVI, ac Nicephorum acolythum descendere ad navigandum destinantem statim dimisit. Carthaginensem ecclesiam lætitia perfuderunt litteræ Cornelii; nec dubium quin eas Cyprianus ad cæteras Africæ ecclesias miserit, ut rogaverat Cornelius, cui respondit per Epistolam XLVIII. Scripserunt etiam confessores ad Cyprianum, eorumque epistola est inter Cyprianicas L. His respondit Cyprianus per Epistolam LII. Quæ autem ex litteris Cornelii desumpta narravimus, ea probant non solos confessores rediisse. Venerunt cum illis in presbyterium « plerique fratres qui se eis adjunxerant; » quod quidem non videtur de plebe catholica pro confessoribus deprecante intelligi posse. Postea enim narrat Cornelius fraternitatis concursum ; quem tum demum factum judicat fuisse cum omnem hunc actum populo insinuandum judicavit; difficile est sane ut confessores qui multos auctoritate sua abstraxerant, nullos in redeundo socios et imitatores haberent. Cornelii verba non aliter interpretatus est Cyprianus : « Quanto majus est gaudium, inquit (Ep. XLVII), et in terris pariter et in cœlo super confessoribus ad Ecclesiam Dei cum gloria sua et cum laude redeuntibus, et redeundi viam cæteris exempli sui fide et probatione facientibus! Hic enim quosdam fratres nostros error induxerat, quod sibi communicationem confessorum sequi viderentur. Quo errore sublato, lux omnium pectoribus infusa est, et Ecclesia catholica nec scindi nec dividi posse monstrata est. » Unde mirum videtur cur Cyprianum Tillemontius de solis confessoribus locutum existimet. Tota res ab eodem erudito scriptore sic narratur, quasi uno et eodem die transacta fuerit. Sed tamen ex his Cornelii verbis, « adfuerunt etiam episcopi quinque, qui et hodie præsentes fuerunt, » duos dies insumptos fuisse patet, quorum prior deliberationem habuit de recipiendis confessoribus, postridie vero absoluta et perfecta, magno fraternitatis concursu, quæ pridie constituta fuerant.

Insignem hunc eventum Tillemontius et Pearsonius ad mensem novembrem hujus anni 251 referendum putant, post concilium Romanum, quod hoc anno 251 Cornelius cum sexaginta episcopis habuit mense octobri, ut placet Pearsonio, vel etiam multo citius, ut existimat Tillemontius, ac ante Novatiani ordinationem. Sed non tam sero quatuor illi confessores, aut saltem ante concilium Romanum, rediisse in Ecclesiam videntur.

Reditus confessorum paucis diebus subsecutus est novam legationem Novatiani. « Novato enim illinc a vobis discedente, ait Cyprianus (Ep. XLIX), id est,

Digitized by Google

procella et turbine recedente, ex parte illic quies facta est. » Porro a prima legatione ad hanc novam non multum intercessit temporis : nam « prostratus virtutibus Dei » Novatianus, ut ait Cornelius (Ep. XLVIII), « cum Maximus et Longinus et Machæus fuissent expulsi a Cypriano ejusque collegis, denuo resurrexit. » Quibus ex verbis patet Novatianum non a julio mense ad novembrem feriatum esse, sed accepta damna protinus reparare voluisse, missis peritioribus magisque industriis legatis. Ergo reditus confessorum, qui novæ legationis profectionem proxime contingit, non potest in mensem novembrem rejici. Deinde vero Nicephorus, ille acolythus qui utramque epistolam et de nova legatione et de reditu confessorum attulit, non videtur clericus fuisse Romanus, sed potius ipse ille Nicephorus acolythus quem Cyprianus julio exeunte, vel augusto ineunte cum Mettio subdiacono Romam miserat. Sic enim de illo Cornelius loquitur Ep. XLVI : « Hæc igitur, frater charissime, eadem hora, eodem momento ad te per scripta transmisimus, et Nicephorum acolythum, descendere ad navigandum destinantem, ad vos statim dimisi. » Quibus ex verbis patet hunc clericum non data opera a Cornelio missum fuisse, sed potius, cum, perfectis rebus quarum causa venerat, rediret, sanctum Pontificem oblata occasione usum esse. Hinc jam ei perferendam epistolam dederat de novis tentamentis Novatiani, sed minime necessariam, aut quæ clericum mitti postularet, siquidem jam missus ea de re fuerat Augendus confessor, nec necesse erat alium postea mittere qui idem nuntiaret. Porro, si is est Nicephorus acolythus qui cum Mettio Epistolam XLII Cypriani pertulit, frustra illius reditus ad mensem novembrem differtur. Parvi refert quod in litteris Cornelii nulla fiat mentio de Mettio subdiacono, quocum Nicephorus acolythus profectus fuerat Carthagine ; nam similiter Mettius, ut supra vidimus in Epistola XLIII, solus nominatur, quamvis socius ei adjunctus esset Nicephorus.

Quod spectat ad concilium Romanum, reditu confessorum omnino posterius videtur. Nullum prorsus hujus concilii vestigium in litteris Romam aut Carthaginem missis intra illud tempus quod a Cornelii ordinatione ad reditum confessorum effluxit. Legati Caldonius et Fortunatus, qui Carthaginem post Novatiani ordinationem rediere, non amplius quam sexdecim episcoporum litteras attulerunt. Quis ergo credat jam tum ordinationem Cornelii in concilio LX episcoporum confirmatam fuisse, ut suspicatur Tillemontius? Præterea hoc concilium, teste Eusebio (lib. VI, cap. 43), decrevit « Novatum quidem et eos qui una cum ipso sese insolenter extulerant, et quicumque inhumanissimæ et a fraterna charitate alienæ ejus opinioni consentire præsumserant, alienos ab Ecclesia habendos esse. » At confessores sic se ante reditum gessere, sic redeuntes excepti sunt, ut excommunicati fuisse non videantur a concilio sexaginta episcoporum : nam, si ab hac synodo in judicium vocati et excommunicati in schismate obduruissent, an dicere potuissent circumventos se esse et imposturam passos, ac mentem suam semper in Ecclesia fuisse? quis credat Cornelium sic eos recepturum fuisse, ut omnia remitteret Deo omnipotenti? non sic agi solet cum hominibus jam judicatis et excommunicatis. Posterius ergo concilium reditu confessorum : sed tamen non multo posterius; nam gravissimæ causæ suberant cur cito haberetur, tum ut Novatiani partes penitus frangerentur, tum ut lapsorum causa, quæ ad concilium rejecta fuerat, dijudicaretur.

XXIV. — DE GESTIS ET SCRIPTIS S. CYPRIANI ANNO 252, ANTE PERSECUTIONEM.

Damnatus toto orbe Novatianus non despondebat animum, sed per plurimas civitates novos apostolos suos mittebat, ut quædam recentia institutionis suæ fundamenta constitueret, et super legitimos episcopos crearet alios pseudoepiscopos. Id testatur Cyprianus in Epistola *ad Antonianum*, scripta anno 251 exeunte aut 252 ineunte. Jamdudum litteras acceperat Cyprianus ab hoc Numidiæ episcopo, quibus se cum Novatiano non communicare, sed Cornelio affixum esse significabat, atque ut earumdem litterarum exemplum ad Cornelium mitteretur, postulabat. Sed postea aliæ litteræ supervenerunt, in quibus nutare videbatur, Novatiani litteris motus, et quam iste hæresim introduxisset, qua ratione Cornelius cum Trophimo et thurificatis communicaret, scisciabatur, ac ne ipsius quidem Cypriani humanitatem in lapsos æquo animo accipiebat. Sic ei respondet Cyprianus in hac Epistola LII, ut se et Cornelium mirifice defendat, et cum Novatiano neminem communicare posse demonstret, nisi qui totius Ecclesiæ communionem rejiciat. Liquet scriptam esse epistolam post reditum confessorum quos in Ecclesia cum Cornelio junctos esse dicit, post mortem Decii, quem *tyrannum* appellat, sed tamen ante concessam lapsis hoc anno 252 indulgentiam, siquidem Cypriani defensio in iis tantum versatur quæ Libellaticis anno superiore et cæteris in mortis periculo constitutis concessa fuerant. Non immerito Antonianus ille idem videtur esse qui in titulo Epistolæ LXX, inter episcopos Numidas recensetur; quod etiam argumento est eum Cypriani monitis non restitisse.

Emissarii Novatiani circa hoc tempus Maximum pseudoepiscopum Carthaginensem fecerunt : sed hoc facinus tam ignobile et obscurum fuit, ut Cyprianus ne scribendum quidem ea de re Romam judicaret. Nam paulo ante de collegarum consilio miserat Cornelio nomina integrorum et catholicorum in Africa episcoporum, ut scirent Cornelius ejusque collegæ quibus scribere et a quibus litteras mutuo accipere oporteret; si quis autem præter eos quos Cyprianus epistola sua complexus fuerat, scribere auderet, scirent eum vel sacrificio vel libello esse maculatum, vel unum de hæreticis, perversum scilicet et profanum.

Digitized by Google

Scriptum existimatur hoc anno præstantissimum Cypriani opus *de Oratione Dominica*. Recensetur a Pontio post librum *de Unitate Ecclesiæ*; et cum multa in eodem libro adversus schismaticos vehementer et copiose dicantur, non male concluditur jam prodiisse Felicissimi et Novatiani schismata cum hæc scriberet Cyprianus.

Circa Paschæ prima solemnia scripsit Cyprianus Epistolam LIII ad episcopos Fortunatum, Abymnum, Optatum, Donatianum, Fortunatum et Felicem, qui, cum essent in civitate Capsensi propter ordinationem episcopi (Donatuli , ut versimile est , Capsensis episcopi, qui loco sexagesimo nono sententiam dicit in concilio Carthaginensi anno 257), consulti fuerant a Superio an ad communionem jam admittendi essent Ninus, Clementianus et Florus, qui, Christum confessi coram magistratu et plebe, postea inter tormenta coram proconsule superati, pœnitentiam agere non destiterant per hoc triennium, non illud quidem exactum sed inchoatum. Rem decidere non ausi, ad Cyprianum detulerant, et scripserant « ut cum pluribus collegis de hoc ipso plenissime » tractaret. Respondet Cyprianus reddendam ejusmodi hominibus communionem, seque ea de re cum episcopis deliberaturum promittit « quando solemnitati apud suos celebrandæ satisfecerint, » et Carthaginem « venerint. »

Vix dubium est quin promissum perfecerit in concilio quod Carthagine habitum hoc anno idibus maii, ut ipse testatur Ep. LV (p. 84). Scribit ibidem « Privatum , veterem hæreticum in Lambesitana colonia ante multos fere annos ob multa et gravia delicta nonaginta et episcoporum sententia condemnatum, et Fabiani » papæ ac Donati Carthaginiensis episcopi « litteris severissime notatum, cum causam in hoc concilio agere velle se diceret, » admissum non fuisse. Huic concilio interfuerunt episcopi sexaginta sex, si ibi, ut versimillimum est, propositis a Fido episcopo quæstionibus responsum fuit. Is per litteras questus fuerat quod Therapius episcopus Bullæ et confessor, ut conjicit Pamelius ex concil. Carth. an. 256, Victori quondam presbytero, antequam pœnitentiam plenam egisset, pacem immaturo tempore dedisset. Præterea novam quamdam de infantibus opinionem Fidus proposuerat, in quibus morem antiquæ circumcisionis tenendum putabat, ut infra octavum diem non baptizarentur. Inter alias rationes hanc afferebat: « vestigium infantis in primis partus sui diebus constituti mundum non esse, quod unusquisque illud horreat exosculari. » Respondent sexaginta sex episcopi per Epist. LIX, objurgatum fuisse Therapium, nec tamen ablatam Victori communionem. De infantibus autem propositam ab eo opinionem uno ore universi rejiciunt, et baptisma infantium «in primo statim nativitatis suæ ortu» præclarissimis rationum momentis defendunt. Hoc autem concilium sexaginta sex episcoporum idem prorsus esse perspicitur ac illud quod idibus maii habitum hoc anno 252. Quod enim concessa Victori quondam presbytero laica communio reprehensionem non effugit, argumento est nihil adhuc detractum ac limatum fuisse de superioris anni decreto, ac nondum pacem pœnitentibus redditam fuisse ; quæ tamen illis indulgentia perpaucis mensibus post concilium idibus maii habitum concessa est.

Lombertum merito castigat Pearsonius, quod hoc concilium sexaginta sex episcoporum non multo post concilium anni superioris collocaverit. Non verisimile est post concilium, quod tamdiu in causis lapsorum dijudicandis occupatum fuit, aliud eodem anno tam frequens convocatum fuisse , cum præsertim nullum hujus rei vestigium exstet in litteris anno superiore scriptis. At idem Pearsonius hoc concilium in quo responderunt Fido sexaginta sex episcopi, in anni 253 mensem septembrem rejicit, cum episcopi, ut ipse existimat, restituta pace, de rebus ecclesiasticis consiliarentur. Non quadrat hæc opinio cum his episcoporum verbis : « Quæ res, inquiunt, satis nos movit recessum esse a decreti nostri auctoritate, ut ante legitimum tempus et plenum satisfactionis, et sine petitu et conscientia plebis , nulla infirmitate urgente ac necessitate cogente, pax ei concederetur. » Hæc optime congruunt idibus maii anni 252. Jam pœnitentiæ partem non mediocrem adimpleverat Victor, unum reprehenditur quod plenum tempus non exegisset ; quinetiam nihil reprehenderetur, si plebis rogatu concessa pax fuisset. At profecto numquam episcopi tam leniter egissent anno 253 inter prima pacis initia. Nam qui, sopita Decii persecutione, tantam præ se severitatem tulerant, ut excommunicationem minarentur si quis lapsos ad communionem admitteret, ii, finita Galli et Volusiani persecutione, cum adhuc manus lapsorum sacrificiis nefandis fumarent, an adeo remissi fuere ut pacem concessam non reprehensuros se dicerent si « sine petitu et conscientia plebis » concessa non fuisset? Præterea non videntur post persecutionem Galli et Volusiani necessaria fuisse concilia, quia ex his quæ in priore concilio statuta de lapsis fuerant, facilis fuit totius rei deliberatio ; vel potius quia aut nulli in hac persecutione, aut saltem paucissimi videntur cecidisse. Testatur Cyprianus in Epistola LVII eos qui Romæ sub Decio ceciderant, confessionis laudem in hoc secundo prælio adeptos fuisse. Idem testimonium saltem Africæ tribuit auctor libri *ad Novat.* (p. 11). Hinc Cyprianus in Ep. LXXXI *ad Martyres*, non plangit clades et funera suorum, ut in Ep. IX sub Decio fecerat. Nec mirum si victores in hac pugna fuere, quos tanto animi ardore ad pugnandum paratos fuisse perspicimus ex Epist. LIV.

Scripta est circa idem tempus, ut observat Tillemontius, Epistola LXIV *ad Epictetum et plebem Assuritanam* adversus Fortunatianum, quondam hujus civitatis episcopum, qui sacerdotio ob simulacrorum cultum dejectus «pro integro agere volebat, » et episcopatum sibi cœperat vindicare. Videtur Epictetus, quem Cyprianus fratrem appellat, Fortunatiani loco constitutus fuisse. Non solus Fortunatianus ex lapsis episcopis ejusmodi facinus tentabat, sed observat Cyprianus nonnullos alios idem agressos esse, dum

Digitized by Google

stipes, et oblationes, et lucra desiderant, quibus prius insatiabiles incubabant, et cœnis atque epulis etiam nunc inhiant, quarum crapulam nuper superstite in dies cruditate ructabant. » Cum autem lapsos omnes hortetur ut, « magnitudinem delicti sui cognoscentes, a deprecando Domino non recedant, sed satisfactionibus immorantes ad Ecclesiam pulsent, » non immerito hæc epistola ante concessam generatim lapsis indulgentiam scripta existimatur.

Rejectus, ut modo diximus, a concilio Carthaginensi Privatus pseudoepiscopum Carthagine constituit Fortunatum, qui erat « unus ex quinque presbyteris jampridem de Ecclesia profugis, et sententia coepiscoporum, ait Cyprianus Ep. LV (p. 83), multorum et gravissimorum virorum, qui super hac priore anno » ad Cornelium litteras fecerant. Operam ad hoc scelus navarunt, ut ibidem ait S. Martyr, Felix quidam, qui cum illo venerat, quem ipse extra Ecclesiam in hæresi pseudoepiscopum olim constituerat; Jovinus et Maximus, ob nefanda sacrificia et crimina in se probata, sententia novem episcoporum condemnati, et iterato quoque a pluribus aliis in concilio anno priori abstenti; Repostus Saturnicensis, qui non tantum in persecutione ipse ceciderat, sed et maximam partem plebis suæ sacrilega persuasione dejecerat. Hi quinque cum paucis vel sacrificatis vel male sibi consciis Fortunatum sibi pseudoepiscopum cooptarunt. Sed illis scelus ex sententia non successit. Nam cum dicitassent viginti quinque episcopos Carthaginem venturos, non sine mendacii infamia quinque tantum reperti sunt. Deinde vero, quos antea decipiebant et falsa se spe redeundi in Ecclesiam producebant, hi ubi viderunt pseudoepiscopum, fraude comperta, ad Ecclesiam redierunt. Itaque plures erant qui de nefariis illis hominibus judicaverant, si presbyteri et diaconi numerentur, quam qui tunc cum illis conjuncti videbantur. Probabat tamen Cyprianus et diligenter examinabat quinam admitti et recipi in Ecclesiam deberent. Quidam enim recipi non poterant « sine scandalo et periculo plurimorum. » Fremebat enim plebs et reluctabatur « quotles inemendabiles et protervi, et vel adulteriis vel sacrificiis contaminati, et post hæc adhuc insuper de schismate ad Ecclesiam » redibant. Vix plebi persuadebat, imo extorquebat ut tales admitti consentirent; et justior factus erat fraternitatis dolor ex eo quod unus atque alius, obnitente plebe et contradicente, Cypriani facilitate suscepti, pejores exstiterant quam prius fuerant (*Ibid.*).

Fortunati ordinatione adeo non movebatur Cyprianus ut ea de re protinus ad Cornelium scribendum esse non judicaret. Nactus tamen occasionem familiarissimi hominis et clerici, per Felicianum acolythum, quem Cornelius in Africam cum Perseo episcopo miserat, etiam de Fortunato isto scripserat ad Cornelium; sed, dum Carthagine Felicianus vel vento retardatur, vel acciplendis aliis epistolis detinetur, Felicissimo Romam properante prævenius est. Is enim Romam mittebatur cum litteris Fortunati ad Cornelium, cum nefaria illa factio, undique exclusa et in Africa ob scelerum infamiam ubique nota, Romam navigandum judicasset. Venit itaque Romam Felicissimus stipatus caterva et factione desperatorum, sed rejectus est a Cornelio, et « vigore pleno quo episcopos agere oportet, » pulsus de Ecclesia. Verum, cum dictitarent nefarii homines Fortunatum a viginti quinque episcopis ordinatum esse, cumque Cornelium « aggressi essent comminantes quod, si litteras quas attulerant non accepisset, publice eas recitarent, et multa turpia et probrosa et ore suo digna proferrent, » Cornelius, cui molestum erat Cypriani silentium, « minis atque terroribus eorum aliquantum commotus », duas simul epistolas Cypriano per Saturum acolythum scripsit, quarum prima pulsum constanter Felicissimum, altera commotum et exterritum ipsius Cornelii animum significabat.

Permolestum accidit Cypriano quod, cum in defendendo episcopatu Cornelii summam animi fortitudinem declarasset, idem sibi in re simillima a Cornelio non referretur. Quapropter ad eum scripsit Epistolam LV, dolorem suum minime dissimulans, quod Cornelius aures præbuisset schismaticis omni sceleris macula notatis et in concilio damnatis, contra episcopum populi universi suffragio in pace defectum, Dei auxilio in persecutione protectum, collegis omnibus fideliter junctum, plebi suæ in episcopatu quadriennio jam probatum, in quiete servientem disciplinæ, in tempestate proscriptum applicito et adjuncto episcopatus sui nomine, toties ad leonem petitum, in circo, in amphitheatro Dominicæ dignationis testimonio honoratum, ac nuper etiam clamore populariun ad leonem denuo postulatum. Demonstrat nefas fuisse schismaticis « ad Petri cathedram atque ad Ecclesiam principalem, unde sacerdotalis unitas exorta est, » litteras ferre, « cum statutum sit omnibus nobis, inquit, et æquum sit pariter ac justum, ut unusquisque causa illic audiatur ubi est crimen admissum..., nisi si paucis desperatis et perditis minor videtur esse auctoritas episcoporum in Africa constitutorum, etc. » Sic episcopatus sui jura defendit Cyprianus, ut exordium unitatis in Ecclesia Romana, ut ecclesia principali, agnoscat; et, quemadmodum alibi parem inter Apostolos potestatem admittens, exordium unitatis in Petro constitutum agnoscit, ita hoc loco, etsi negat minorem esse Afrorum episcoporum auctoritatem, immerito pronuntiat editor Oxoniensis primatum ab eo negari: sed de his jam diximus in præfatione. Quamvis autem de Cornelii prudentiæ et constantiæ existimatione hæc epistola aliquid detrahere posse videretur, cum tamen admonere et rogare non dubitat Cyprianus ut de more suo has litteras clero secum præsidenti et sanctissimæ atque amplissimæ plebi legat, adeo cognita erat Cypriano et explorata virtus Cornelii. Constat hanc epistolam hoc anno 252 scriptam fuisse; commemorat enim Cyprianus concilium anni prioris, tum etiam aliud proximis idibus maii habitum: hinc se plebi suæ quadriennio jam probatum esse dicit. Scripta autem non videtur nisi mense junio exeunte, aut ineunte julio.

Digitized by Google

XXV.—PERSECUTIO REVELATUR CYPRIANO.—HORTATUR THIBARITANOS AD CERTAMEN.—LAPSIS PŒNITENTIBUS PACEM RESTITUIT IN CONCILIO, QUOD AB ALIO IDIBUS MAII HABITO DISTINGUI DEBET.

Cum a concilio Carthaginensi, quod idibus maii habitum diximus, satis multa usque ad persecutionem intercesserint, perspicuum est imperatores Gallum et Volusianum, qui anno 251 exeunte imperium adepti fuerant, per totum illud tempus nihil iracunde in Christianos egisse, nec suum in illos furorem incitasse ante mediam hujus anni æstatem. At violenta fuit persecutio, nec alium finem habuit quam ipsa imperatorum vita. Jam nonnullæ scintillæ emicuerant cum Cyprianus ad Cornelium scriberet Epistolam LV. Ait enim « his ipsis diebus » quibus scribebat, « ob sacrificia quæ edicto proposito celebrare populus jubebatur, clamore popularium ad leonem denuo postulatum » se « in circo » fuisse. Videtur indicendorum sacrificiorum causam attulisse pestis illa quæ sub Gallo et Volusiano ac cæteris deinceps principibus horrendum in modum sæviit. Non multo post subsecuta imperatorum Galli et Volusiani adversus Christianos edicta, quorum præcognitionem cum accepisset Cyprianus, multis visionibus divinitus oblatis, scripsit Epistolam LVI *ad Thibaritanos*, quos cum antea invisere statuisset, consilium tunc perficere non potuit, sed vicarias pro se litteras misit, in quibus eos admonet se « Domini instruentis dignatione » cognovisse, idque sciendum esse ac pro certo credendum et tenendum graviorem nunc quam antea et ferociorem pugnam imminere; deinde vero ex Scripturis sanctis et ex christianæ religionis principiis colligit quidquid ad persecutionem constanter sustinendam incitare poterat.

Videtur Cyprianum detinuisse quominus Thibaritanorum votis satisfaceret, imposita necessitas rebus ecclesiæ suæ, imminente persecutione, providendi. Nihil autem prius sibi faciendum arbitratus hoc molestissimo tempore, quam ut omnes omnino milites Christi qui arma desiderabant et prælium flagitabant, intra castra Domini colligeret; decrevit in concilio cum episcopis XLI, ut, examinatis singulorum causis, pax lapsis daretur qui pœnitentiam agere a primo lapsus die non destiterant. Episcopi certiorem ea de re faciunt Cornelium per Epistolam LIV, seque ita « sancto Spiritu suggerente » statuisse dicunt, ac sanguinem Christi iis non denegandum demonstrant qui suum pro Christo fusuros se et acriter pugnaturos promittebant. Addunt sese idem Cornelio « paternæ misericordiæ contemplatione placiturum » sperare. Miror hoc concilium a Pearsonio confundi cum eo quod idibus maii habitum est. Nam 1° de rebus idibus maii deliberatis nullæ ad Cornelium synodi nomine scriptæ sunt litteræ; quippe, cum de Privato, quem synodus non admiserat, tum demum Cyprianus ad Cornelium suo nomine scripserit, cum facultas oblata est Feliciani acolythi. 2° In Epistola LV, ex qua concilium idibus maii habitum fuisse dicimus, nullum exstat vestigium concessæ lapsis indulgentiæ sed tantummodo necessitas pœnitentiæ adversus Felicissimum ejusque satellites defenditur. Atque hinc patet hanc epistolam in editione Oxoniensi immerito præponi quinquagesimæ quartæ, per quam Cornelius de concessa lapsis communione certior factus est. 3° Concilium episcoporum XLI, in quo lapsis data communio est, instante persecutione habitum fuit, et hoste certamen indicente, cum lapsis arma desiderarent et flagitarent, ut est in Epist. LIV, seque « ad pugnam paratos esse et pro Domini sui nomine ac pro sua salute stare fortiter et pugnare » profiterentur. Quamobrem hoc consilium statim subsequi debuit Cornelii confessio, qui primus Romæ confessus est. Sed a concilio idibus maii habito multa intercesserunt usque ad persecutionem et Cornelii confessionem: Fortunati ordinatio, missa ab eo Romam legatio, Cornelii ad Cyprianum litteræ ac Cypriani responsio.

XXVI.—S. CORNELIO GRATULATUR CONFESSIONIS LAUDEM S. CYPRIANUS.—CONFESSORES CARTHAGINENSES COHORTATUR PER EPIST. LXXXI, QUAM IN HAC PERSECUTIONE SCRIPTAM FUISSE OSTENDITUR ANNO 252.

Vana non fuit Cypriani prædictio futuræ persecutionis, nec adhibitæ ab eo cautiones ad Christianos corroborandos optato exitu caruerunt. Romæ prosiluit adversarius terrore violento Christi castra turbare: sed virtus illic præcedentis episcopi publice comprobata est, ac quodammodo ecclesia omnis Romana confessa est: ad pugnam non singuli milites, sed tota castra prodierunt, accurrit properanter et venit quisquis audivit. Plurimi ex his qui sub Decio lapsi fuerant, gloriosa confessione restituti sunt, ipso dolore pœnitentiæ facti ad prælium fortiores, ita ut appareret eos in prima persecutione novæ atque insuetæ rei pavore trepidasse. Hæc discimus ex Epist. LVII Cypriani, in qua Cornelio Centumcellis exulanti gloriam confessionis gratulatur, et cum eo communicat quod providentia Domini monentis instructus cognoverat, « appropinquare jam certaminis et agonis nostri diem, » inquit. Rogat denique ut uter ad Dominum prior migraverit, Deum pro altero et pro fratribus ac sororibus precetur. Hæc prædictio non multo post in Cornelio exitum sortita est, qui martyr obiit Centumcellis die 14 septembris hujus anni 252, ut inter doctissimos quosque convenit. Interim Novatianus, ut Cyprianus observat, ut nec unitatis Ecclesiæ, ita nec ejus triumphorum particeps, quiescebat, nec eum omnino tetigit persecutio. Lucius, qui Cornelio successit, eodem fere tempore sacerdotii et exilii gloriam adeptus est; sed paulo post revocatus, martyr obiit die quarto aut quinto mensis martii anno 253 cum quinque mensibus ac paucis diebus præfuisset. Huic Cyprianus cum sacerdotium et confessionem gratulatus fuisset per litteras, quæ ad nos non pervenerunt, reditum etiam gratulatus est per Epistolam LVIII suo et collegarum nomine. Sed, præter hoc litterarum officium, quibus ad commune gaudium Ecclesiæ Romanæ suum quoque accedere testatur, ait se non

Digitized by Google

cessare « in sacrificiis atque in orationibus Deo Patri et Christo Filio ejus Domino nostro gratias agere et orare pariter atque petere ut qui perfectus est atque perficiens custodiat et perficiat (in Lucio) confessionis gloriosam coronam, » etc.; et quasi prævideret id quod postea evenit, Lucium idcirco revocatum fuisse ab exilio suspicatur, ut in oculis ecclesiæ suæ vitam pro Christo profunderet. Decreta Cornelii de lapsis Lucium confirmasse discimus ex Cypriano, qui Lucium et Cornelium beatos martyres appellat, seque eorum memoriam honorare dicit, ac illos spiritu Dei plenos, et in glorioso martyrio constitutos dandam esse pacem lapsis censuisse, et pœnitentia acta fructum communicationis et pacis negandum non esse litteris suis signasse testatur (Epist. LXVII).

Quamvis erumpentibus persecutionis scintillis postulatus fuerit ad leonem Cyprianus, non tamen secessit, ut in persecutione sub Decio, nec pulsus aut proscriptus fuit. Primus Carthagine impetum ferocientis populi sustinuit, ut videre est in Epist. LXXXI, gloriosus senex Rogatianus presbyter, qui in persecutione Decii confessus fuerat, et, e carcere solutus, duobus episcopis et Numidico presbytero in regenda ecclesia Carthaginensi adjunctus a Cypriano fuerat. Is cum primus in hac Galli et Volusiani persecutione conjectus in carcerem fuisset cum Felicissimo, quem Cyprianus quietum semper et sobrium fratrem appellat, cum eodem coronatus est. Cæteros confessores in carcere inclusos hortatur Cyprianus (in Ep. LXXXI) ut Rogatianum imitentur, seque Dominum assidue precari ait ut eamdem ac ille coronam assequantur. Inter hos confessores enitebant pueri et feminæ, id quod etiam in persecutione Decii contigisse perspicimus ex libro *de Lapsis* (p. 181), et in persecutione Valeriani ex Epist. LXXVII. Eamdem confessionis laudem adepti, ut capite 24 observavimus, qui sub Decio lapsi fuerant. Quod quidem de plurimis intelligi debet, non tamen de omnibus; nam auctor libri *ad Novatianum*, alios ex eorum numero adhuc pœnitentiæ addictos commemorat. Sed quia Epistolam LXXXI alii Valeriani, alii Decii persecutioni adscribunt, exponendum nobis est cur ad hanc potius sub Gallo et Volusiano persecutionem referenda videatur.

Hanc epistolam Pamelius et Baronius inter postremas Cypriani numerant, et in persecutione Valeriani scriptam putant. Hac potissimum ratione ducuntur, quod Rogatianus presbyter et confessor, quem post Decii persecutionem superfuisse constat, in hac Epistola LXXXI vitam pro Christo cum Felicissimo dicatur profudisse. Atque id quidem tabulis ecclesiasticis consentaneum est, in quibus, inquit Baronius, Rogatiani et Felicissimi « una die passorum natalis solemnitas consignata est VII cal. novembris. » Contra Pearsonius hanc epistolam sub Decio scriptam esse contendit, cum lateret Cyprianus, idque probat ex primis epistolæ verbis: « Saluto vos, fratres charissimi, optans ipse quoque conspectu vestro frui, si me ad vos pervenire loci conditio permitteret. » autem loqui solet Cyprianus e suo secessu, ut in Epist. V : « Et quoniam mihi interesse nunc non permittit loci conditio; » et in Epist. XXXVII ad eumdem clerum : « Utinam loci et gradus mei conditio permitteret ut ipse nunc præsens esse possem! » Unde concludit Pearsonius his verbis non exilium Cypriani sui Valeriano, sed illius sub Decio secessum denotari. Locum autem ex quo mortuum Rogatianum fuisse judicatur, in aliam prorsus sententiam accipiendum esse existimat, ac errorem in tabulas ecclesiasticas irrepsisse, dum Bedam, qui has Cypriani litteras laudat, et ex illis docet Rogatianum et Felicissimum martyrio coronatos esse, Usuardus, Ado et alii sine examine sequuntur.

Pearsonii sententia arridet Tillemontio; sed tamen multis rebus perspicitur hanc epistolam non in secessu scriptam esse, sed Carthagine, cum jam obiisset Rogatianus, non tamen sub Valeriano, sed sub Gallo et Volusiano. Nimium apertus est Cypriani contextus, quam ut Rogatianum et Felicissimum martyrio coronatos negemus antequam hanc epistolam scriberet Cyprianus. Locum inspiciamus. « Quam fidem, inquit, vos quoque retinentes et die ac nocte meditantes, toto corde ad Deum prompti, contemptu præsentium futura tantummodo cogitatis, ut ad fructum regni æterni et ad complexum et osculum Domini et conspectum venire possitis, ut sequamini in omnibus Rogatianum presbyterum gloriosum senem, viam vobis ad gloriam temporis nostri religiosa virtute et divina dignatione facientem, qui cum Felicissimo fratre nostro quieto semper et sobrio, excipiens ferocientis populi impetum, primum hospitium vobis in carcere præparavit, et metator quodam modo vester, nunc quoque vos antecedit. Quod ut consummetur in vobis assiduis orationibus Dominum deprecamur, ut initiis ad summa pergentibus quos confiteri facit, faciat et coronari. » Nulla fere vox hoc in loco quæ non Rogatianum pro Christo passum indicet. Vocat eum Cyprianus « gloriosum senem, » quod eum argumento est ad gloriam pervenisse. Confessores laudat quod futura tantum cogitent, ut ad complexum Domini perveniant, ut sequantur in omnibus Rogatianum, quem jam in multis rebus imitati fuerant. Jam ergo pervenerat ad conspectum Domini Rogatianus siquidem pervenire ad conspectum Domini idem est ac Rogatianum in omnibus sequi. Paraverat illis Rogatianus primum hospitium in carcere. Ubi secundum parabat, nisi in cœlo, antecedens eos veluti metator quidam? Denique Deum precatur Cyprianus ut id in quo antecedebat eos Rogatianus, in ipsis consummetur et ad coronam perveniant. Ergo jam ad hanc coronam Rogatianus pervenerat, quam cum in Decii persecutione adeptus non sit, sed ante e carcere egressus sit quam Cyprianus e suo secessu, necesse est hanc epistolam ad aliud tempus referri. Nititur Tillemontius his verbis, « viam facientem, vos antecedit, » ut Rogatianum probet non obiisse cum hæc epistola scriberetur. At quis nescit linguæ latinæ sterilitatem sæpe cogere ut ejusmodi voces usurpentur? Martyres in Ep. LXXVIII laudant Cyprianum

Digitized by Google

quod, cum primus confitendi signum extulerit, ipsius anima « non tantum martyrum de sæculo jam excedentium socia esse cœperit, sed et cum futuris cœlestem amicitiam » copulaverit. Simili prorsus modo confessores hortatur Cyprianus in Ep. IX, ut Mappalicum martyrem sequantur. « Istum nunc beatissimum martyrem, inquit, et alios participes ejusdem congressionis et comites in fide stabiles, in dolore patientes, in quæstione victores, ut cæteri quoque sectemini et opto pariter et exhortor, ut, quos vinculum confessionis et hospitium carceris simul junxit, jungat etiam consummatio virtutis et corona cœlestis. »

Non belle accepit Pearsonius hæc verba, « si me ad vos pervenire loci conditio permitteret. » Ait enim Cyprianum his verbis designare « locum in quo præsens esse et conspectu confessorum frui maxime concupivit, sed loci, hoc est Carthaginis, ubi persecutio jam fervebat, conditionem non permisisse. » Verum hac voce non Carthaginem, sed episcopalem auctoritatem designari perspicitur ex pluribus Cypriani testimoniis; sic in Ep. XI : « Sollicitudo loci nostri et timor Domini compellit. » « Cum illi (martyres) memores loci nostri ad me litteras direxerint » (Ep. X). « Congruit ipsi loco et officio sacerdotii nostri » (Ep. LXIII). Vid. Ep. LXV. Quamobrem, cum ait Cyprianus in hac Ep. LXXXI : « Saluto vos, fratres charissimi, optans ipse quoque conspectu vestro frui, si me ad vos pervenire loci conditio permitteret. Quid enim mihi optatius et lætius posset accidere, quam nunc vobis inhærere, ut complectemini me manibus illis quæ puræ et innocentes et Dominicam fidem servantes, sacrilega obsequia respuerunt? Quid jucundius et sublimius quam osculari nunc ora vestra, conspici etiam præsentem ab oculis vestris? » cum hæc, inquam, ait Cyprianus, indicat se hac una re detineri quominus invisat martyres, quod metuat ne dignitate conspicuus oculos gentilium effugere non possit. Nec necesse est eum abfuisse Carthagine ut sic scriberet : sua enim illum dignitas, etiamsi adfuisset Carthagine, detinere potuit quominus sanctos martyres inviseret. Nam qui providebat ut martyres « non glomeratim nec per multitudinem simul junctam inviserentur, sed ut presbyteri quoque qui illic apud confessores » offerebant, singuli cum singulis diaconis alternarent (Ep. V), multo minus ipse commisisset, ut in oculos gentilium incurrens nova incendia commoveret. Quinetiam hæc consuetudo ante Cyprianum in Africa vigebat, ut episcopus confessores non inviseret. Testatur enim Cyprianus in Epp. X et XXI, id semper in præteritum sub antecessoribus suis factum esse, ut presbyteri et diaconi plenissime circa Evangelii legem martyres et confessores instruerent, et diaconi ad carcerem commeantes martyrum desideria consiliis suis et Scripturarum præceptis gubernarent. Nihil ergo vetat quominus Cyprianum in ipsa urbe necessariis rebus et antecessorum exemplo a confessorum conspectu distentum hæc scripsisse existimemus. Neque etiam dicere verebor non sic locuturum fuisse si abfuisset Carthagine. Quomodo enim absentem et in abdito loco latentem sola dignitas a complexu martyrum arceret, quem in ipsa urbe necessariæ cautiones ab hoc gaudio et antecessorum exempla removissent? Hinc in Ep. IX, quam ad martyres et confessores in secessu scriptam esse constat, non ait secessum suum in hoc sibi molestum esse, quod eos non possit invisere. Significat urbis desiderium in Ep. XXXVII, at nequaquam ut in martyrum complexibus hæreat, sed potius « ut promptus et libens solemni ministerio cuncta circa fortissimos fratres dilectionis obsequia compleat. »

Nec congruit ergo hæc epistola Decii temporibus, neque etiam Valeriani persecutioni, cujus primum impetum sustinuit Cyprianus; nec ei Rogatianus et Felicissimus, sed ipse aliis omnibus, ut infra videbimus, facem ad confitendum Christi nomen prætulit. Multo commodius referetur Epistola LXXXI ad persecutionem Galli et Volusiani, in qua Cyprianus nec Carthagine expulsus est, nec sponte cessit; at minime dubium est quin pro se ad aures et ad oculos confessorum vicarias litteras miserit, cum eos invisere exposita omnium oculis dignitas non sineret. Mense octobri anni 252, quo Rogatianus et Felicissimus passi dicuntur in tabulis ecclesiasticis, persecutio sæviebat; cujus rei testis est Cornelius, qui mense septembri hujus anni martyr obiit. Pearsonius ex populi ferocientis impetu, quem Rogatianus excepisse dicitur, Epistolam LXXXI ad persecutionem Decii pertinere concludit, quia sæpe in hac persecutione popularis temeritas in Cyprianum erupit. At in persecutione Galli eamdem populi temeritatem expertus est Cyprianus, ut ipse narrat in Epistola LV. Deinde vero horrenda illa pestis quæ cum Galli persecutione conjuncta fuit, multo aptior videtur fuisse ad ciendos populares motus, cum calamitatis causa in Christianos rejiceretur.

XXVII.—MIRA CHARITAS S. CYPRIANI IN PESTIS CALAMITATE. — RELIGIONEM DEFENDIT ADVERSUS DEMETRIANUM.—TOTIUS ECCLESIÆ CARTHAGINENSIS PROLIXA IN REDIMENDIS CAPTIVIS LIBERALITAS.

Ad persecutionem accedebat lues horrenda quæ, sub ipsis Deciis, ut verisimile est, incœpta, majorem in modum sub Gallo et Volusiano grassata est. Hic Cypriani charitas in ipsis ethnicorum oculis enituit, et ad summam reipublicæ utilitatem redundavit. Nam cum ethnici omnes horrerent et fugerent contagia ac suos impie exponerent, ac, jacentibus tota civitate cadaveribus, nemo aliud quidquam respiceret nisi lucra crudelia, tum vero Christi et Dei Pontifex plebem uno in loco congregatam vivido hortatu adduxit ut pietatis officia non solum in domesticos fidei, sed in ipsos etiam ethnicos conferrent; ac charitate inflammatus ea dixit quæ, si « gentiles audire potuissent, ait Pontius, forsitan statim crederent. » Distributa erat ergo continuo pro qualitate hominum atque ordinum ministeria. Multi qui angustia paupertatis beneficia sumptus exercere non poterant, plus

Digitized by Google

sumptibus exhibebant; compensantes proprio labore mercedem divitiis omnibus chariorem. Fiebat itaque exuberantium operum largitate quod bonum est ad omnes, non ad solos domesticos fidei.

Inter has persecutionis et pestis calamitates, scripsit Cyprianus librum *adversus Demetrianum*, quem Pontius his verbis designat: « Per quem gentiles, repercussis in se iis quæ nobis ingerunt, vincerentur ? » Ventitabat ad Cyprianum Demetrianus, eumque Cyprianus, « oblatrantem adversus Deum et verbis impiis obstrepentem, » minime idoneum judicabat quocum congrederetur, « cum nec docere indocilem posse sibi videretur, nec impium religione comprimere, nec furentem lenitate cohibere. » Sed, cum idem Demetrianus dictitaret « quod bella crebrius surgant, quod lues, quod fames sæviant, quodque imbres et pluvias serena longa suspendant, » Christianis imputari, tacere ultra noluit Cyprianus; ac, ne silentium diffidentiæ non verecundiæ tribueretur, huic homini respondendum esse duxit, « pariter et cæteris quos ipse forsitan concitaverat, et adversum Christianos odia maledictis vocibus seminando comites sibi plures radicis atque originis » suæ « pullulatione » fecerat. Demonstrat igitur calamitates non inde oriri quod Deum Christiani colant, sed quod eum gentiles non colant, ejusque cultores omni cruciatus genere torqueant: quamvis autem hæ calamitates ipsos etiam Christianos attingant, eas tamen solis gentilibus nocere, non Christianis quos ad æterna gaudia perducunt. Lactantius (l. v, c. 4) minus commode factum a Cypriano existimavit, ut ad frangendum et convincendum Demetrianum Scripturæ potius quam poetarum et philosophorum testimonia citaret. Sed, præterquam quod adhibendæ erant Scripturæ, ut quid Christiani sentirent, quid sperarent, in promptu esset, inest profecto sancti Spiritus testimoniis tanta vis ac tanta majestas, ut vel eos qui maxime obduruerunt, permovere possint. (Vid. not. Baluz.)

Hunc librum in persecutione Galli et Volusiani scriptum esse patet ex testimonio Pontii, qui eum recenset inter libros *de Lapsis* et *de Unitate Ecclesiæ* post Decii persecutionem scriptos, et librum *de Patientia*, qui persecutionem Valeriani antecessit. Idem etiam effici potest ex his verbis Cypriani (p. 221): « Ut memorias taceamus antiquas, et ultiones pro cultoribus Dei sæpe repetitas nullo vocis præconio revolvamus, documentum recentis rei satis est, quod sic celeriter quodque in tanta celeritate sic granditer nuper secuta defensio est, ruinis rerum, jacturis opum, dispendio militum, diminutione castrorum. » Legebatur in superioribus editionibus, « ruinis regum, » quibus verbis Decios designari existimarunt eruditi. Sed, quamvis Baluzius ex veterum codicum auctoritate posuerit « ruinis rerum, » non minus manifesta descriptio est eorum quæ Deciis ob vexatos Christianos evenerunt, nec referri potest ad Gordianos aut Philippos, qui Christianos non sunt persecuti.

Demetrianum quem Cyprianus refellit, alii proconsulem Africæ, alii unum ex judicibus fuisse opinati sunt. Crediderim potius unum aliquem ex sophistis fuisse; idque satis persuadent crebræ cum Cypriano disputationes, calumniæ in Christianos et criminationes quas ei exprobrat Cyprianus, nequaquam indicans potestatem cum mala hac mente conjunctam fuisse. Decepisse eruditos homines videntur hæc verba (p. 219): « Qui alios judicas, aliquando et tu esto tui judex. » Sed hæc ad judicium forense non pertinent, nec Demetrianum nominatim petit Cyprianus, sed generatim gentiles, quibus, ut ibidem ait, vacabat « inter ipsa adversa malos esse, et in periculis tantis non de se magis sed de altero judicare. » Neque etiam ad Demetrianum proprie spectant hæc verba (p. 220): « Innoxios, justos, Deo charos domo privas, patrimonio spolias, catenis premis, carcere includis, gladio, bestiis, ignibus pœnis, etc., » sed generatim ad omnes ethnicos, quos, ut fieri solet in ejusmodi orationibus, nunc singulari numero, nunc plurali alloquitur. Paulo ante dicebat: « Adhuc insuper Dei servos et majestati ac nomini ejus dicatos injustis persecutionibus fatigatis. Satis non est quod ipse tu Deum non colis, adhuc insuper eos qui colunt sacrilega infestatione persequeris. »

Cypriani hortatibus accensa plebs Carthaginensis libenter arripiebat, si qua se daret occasio charitatis exercendæ. Quod tum maxime declaravit cum octo Numidiæ episcopi gravissimo casu perculsi quod plures Christianos e Numidia, in his virgines Christo dicatas, barbari abduxissent, opem Cypriani implorarunt. Tum vero communis ecclesiæ Carthaginensi injectus « mœror atque cruciatus de periculo virginum, pro quibus non tantum libertatis sed et pudoris jactura deflenda » videbantur. Quapropter « prompte omnes et libenter ac largiter subsidia nummaria fratribus contulerunt, semper quidem secundum fidei suæ firmitatem ad opus Dei proni, nunc tamen, ait Cyprianus, magis ad opera salutaria contemplatione tanti doloris accensi. » Scripsit itaque Cyprianus Epistolam LX *ad episcopos Numidiæ*, ac misit « sestercia centum millia nummorum, cleri et plebis collatione collecta. » Rogat eos sanctus Martyr ut, si quid tale deinceps acciderit, id sine mora per litteras nuntient, « pro certo habentes ecclesiam (Carthaginensem) et fraternitatem universam ne hæc ultra fiant precibus orare; si facta fuerint, libenter et largiter subsidia præstare. » Subdidit etiam Cyprianus nomina singulorum qui ad hoc opus tam necessarium prompte ac libenter operati fuerant, ut eis episcopi vicem boni operis in sacrificiis et precibus repræsentarent; sed et collegarum et consacerdotum, qui et ipsi, cum præsentes essent, et suo et plebis suæ nomine quædam pro viribus contulerant, nomina addidit, eorumque summulas significavit et misit. Hæc Pearsonius contigisse putat initio anni 253, cum Galli negligentia barbaris nationibus in Romanorum fines

Digitized by Google

aditus pateret, illud saltem videtur statui posse, hanc epistolam post persecutionem Decii scriptam fuisse. Si quis enim librum *de Lapsis* cum hac epistola conferat, facile intelliget Carthaginenses sic et persecutione expurgatos, et curis ac laboribus Cypriani immutatos fuisse, ut eosdem esse vix agnoscas. Nam, cum antea plurimos in hac ecclesia diuturnitas pacis corrupisset, et patrimonii amor sacrificare simulacris adegisset, nunc omnes, accepto rei in Numidia gestæ nuntio, captivitatem fratrum suam computant, omnes periculo virginum mœrent et excruciantur, omnes ad redimenda Dei templa certatim opes suas effundunt, omnes precantur ne hæc ultra fiant; sed, si facta fuerint, libenter et largiter subsidia promittunt.

XXVIII. — DE LIBRIS ET EPISTOLIS POST PERSECUTIONEM SCRIPTIS SUB VALERIANO ATQUE IN PRIMORDIIS STEPHANI PAPÆ, ANNO 253 ET 254.

Non multo post Lucii martyrium, quod contigit die quinto martii hujus anni 253, electus est Stephanus, forte quia jam tum Christianos respirare sinebant motus in imperio excitati. Nam mense malo, ut doctissimis criticis videtur, ultio sanguinis Christianorum in Gallo enituit, quem sui milites, cum repellendo Æmiliano, qui jam Italiam occupaverat, imparem viderent, imperio et vita spoliarunt. Cum autem Æmilianus ipse circa augustum mensem a militibus, qui imperium detulerant occisus fuisset, imperio potitus est nemine interpellante Valerianus, cujus æquitate et eximio favore summa pax Ecclesiæ affulsit. Sed, sedata persecutionis procella, pestis ingravescebat. Quamobrem Cyprianus, cum animadverteret « in plebe quosdam vel imbecillitate animi, vel fidei parvitate, vel dulcedine sæcularis vitæ, vel sexus mollitie, vel, quod majus est, veritatis errore, minus stare fortiter, nec pectoris sui divinum atque invictum robur exerere, » non prætermisit occasionem docendæ veritatis, ac præstantissimum *de Mortalitate* librum scripsit, in quo demonstrat ejus esse mortem timere qui ad Christum ire nolit, eos autem qui vere in Christum credunt, lætari debere cum ad Christum vocantur. Narrat episcopum quemdam, qui petebat ut e morbo evaderet, increpitum esse in visione : « Nobis quoque ipsis, inquit (p. 234), minimis et extremis quoties revelatum est, quam frequenter et manifeste de Dei dignatione præceptum est ut contestarer assidue et publice prædicarem fratres nostros non esse lugendos accersitione Dominica de sæculo liberatos ! » Hunc librum sic designat Pontius post opus *adversus Gentiles* et ante libros *de Opere et Eleemosyna* ac *de Patientia* : « A quo Christiani mollioris affectus circa amissionem suorum aut, quod magis est, fidei parvioris consolarentur spe futurorum. » Scriptus videtur in pace sub Valeriano : nulla enim inest significatio persecutionis cum peste conjunctæ; quinetiam Cyprianus hac calamitate Christianos armari et præparari declarat, ut fortiter se gerant cum persecutio venerit. « Execdunt ecce in pace, inquit, tutæ cum gloria sua virgines....., accenduntur tepidi, constringuntur remissi, excitantur ignavi, desertores compelluntur ut redeant, gentiles cogantur ut credant, vetus fidelium populus ad quietem vocatur, ad aciem recens et copiosus exercitus robore fortiore colligitur, pugnaturus sine metu mortis cum prælium venerit, qui ad militiam tempore mortalitatis accedit. » Hinc etiam nonnulli metum suum hoc nomine prætexebant, quod sibi pestis occasionem martyrii præriperet; qua excusatione uti non potuissent, si qua tunc persecutio aditum ad martyrium aperuisset.

Hunc tamen librum sub Gallo scriptum existimat Pearsonius, anno 252, « quia argumentum ab instante persecutione et antichristo veniente ductum late persequitur » Cyprianus. Sed, cum S. martyr jamdudum crederet mundi finem et antichristi adventum instare, hanc opinionem in ipsa etiam pace retinere debuit, cum præsertim lues quæ tum grassabatur, una esse videretur ex rebus mundi finem antecessuris. Hinc eædem mundi pereuntis et antichristi appropinquantis suspiciones in libris et epistolis post persecutionem scriptis, ut in libro *de Unit. Eccles.* (pp. 199 et 200), et in Epistola LXVIII, *de Basilide et Martiale* (p. 120). Probabilius ergo est librum *de Mortalitate* sub Valeriano scriptum esse anno 253 aut 254.

Liber *de Opere et Eleemosyna* post librum *de Mortalitate* a Pontio proxime recensetur, ac proinde sub Valeriano scriptus est. Pacis tempus designat hæc libri conclusio : « Si expeditos, si celeres, inquit Cyprianus, si in hoc operis agone currentes dies nos vel redditionis vel persecutionis invenerit, nusquam Dominus meritis nostris ad præmium deerit. In pace vincentibus coronam candidam pro operibus dabit, in persecutione purpuream pro passione geminabit. »

Ad initium anni 254 refertur Epistola LXIX, quam *ad Florentium Pupianum* scripsit Cyprianus, cum jam sex annis ecclesiam Carthaginensem gubernaret. Pupianus ille ante persecutionem in Ecclesia fuerat et communicaverat cum Cypriano; sed postea, schismaticis se adjungens, « infanda, turpia, etiam gentilibus exsecranda, » de Cypriano temere crediderat. Quin etiam litteras ad eum scribere ausus est, in quibus judicem se episcopi sui constituens, dicebat sacerdotes humiles esse debere, scrupulum sibi esse tollendum de animo in quem inciderat, Ecclesiam propter Cyprianum portionem sui in disperso habere, omnes qui cum eo communicabant, polluto illius ore pollutos esse, et spem vitæ æternæ communicationis illius contagione perdidisse. Cyprianus innocentiam suam ea quæ episcopum decebat gravitate et constantia defendit, et impudenti obtrectatori, si temeritatis et superbiæ atque insolentiæ vel sero pœnitentiam agere cœperit, veniam offert; « Manente tamen, inquit, apud nos divinæ censuræ respectu et metu, ut prius Dominum meum consulam an tibi pace m

Digitized by Google

dari et te ad communicationem Ecclesiæ suæ admitti sua ostensione et admonitione permittit. » Ex his patet hunc hominem non episcopum fuisse, ut nonnulli sibi finxerunt, sed laicum Cypriani jurisdictioni subjectum; cui tamen sese nefario schismate subtraxerat. Nec verisimilior eorum opinio qui Pupianum aliquid in persecutione passum esse contendunt, quia dicit ei Cyprianus (p. 121): « Ne forte claritatis et martyrii tui dignitas nostra communicatione maculetur. » Et p. 122: « Persecutio enim veniens te ad summam martyrii sublimitatem provexit, me autem proscriptionis onere depressit cum publice legeretur : Si quis tenet vel possidet de bonis Cæcilii Cypriani episcopi Christianorum. » Sed in his verbis manifesta est ironia; nec absimili modo Dionysius Alexandrinus Germani calumnias refellit: « Sed fortasse Germanus, » inquit apud Euseb. (lib. VII, c. 11), « multis fidei confessionibus gloriatur, multa prædicare potest adversus se gesta. » Quinetiam indicat Cyprianus non defuturam reprehensioni materiam, si de rebus a Pupiano in persecutione et in pace gestis inquiratur. « De iis autem, inquit (p. 124), quæ tu egisti vel in persecutione vel in pace, stultum est ut velim te judicare, quando tu magis judicem te nostri constitueris. »

Non dubium est quin in Stephani papæ primordiis, ac pace sub Valeriano vigente Cyprianus epistolas LXVII et LXVIII scripserit. Sexagesimæ septimæ hæc fuit occasio : Marcianus, Arelatensis episcopus, cum se Novatiano adjunxisset atque ab Ecclesiæ catholicæ unitate discessisset, servis Dei pœnitentibus et dolentibus et Ecclesiam lacrymis et gemitu et dolore pulsantibus divinæ pietatis subsidia claudebat; et cum ab episcopis nondum abstentus videretur, jactabat se et prædicabat quod, Novatiano studens et ejus pervicaciam sequens, a communione se episcoporum segregasset. Scripsit ea de re semel et iterum ad Cyprianum Faustinus Lugdunensis. Ejus litteris acceptis, Cyprianus scribit ad Stephanum papam, eumque etiam atque etiam hortatur ut plenissimas litteras in provinciam et ad plebem Arelate consistentem dirigat, quibus abstento Marciano alius in ejus locum substituatur; et cum multi ex fratribus annis superioribus sine pace excesserint, vel cæteris subveniatur qui supersunt, qui et diebus ac noctibus ingemiscunt. Rogat etiam ut sibi significet quis in locum Marciani Arelate fuerit substitutus, ut sciat ad quem fratres dirigere et cui scribere debeat. Hanc epistolam Cypriano Launoius abjudicavit, sed ejus opinio sic inter eruditos explosa est, ut actum agat qui eam refellere velit. •

Circa idem tempus alia res in Hispaniis gesta charitatem Cypriani, quæ Africæ finibus non continebatur, ad succurrendum exteris ecclesiis commovit. Duo episcopi, Basilides et Martialis, ob gravissima delicta depositi sacerdotium jure ablatum sibi vindicare audebant. Uterque nefando idololatriæ libello contaminatus; Basilides adhuc insuper, præter libelli maculam, cum in infirmitate decumberet in Deum blasphemaverat, et se blasphemasse confessus fuerat, et episcopatum pro conscientiæ suæ vulnere sponte deponens, ad agendam pœnitentiam conversus fuerat, Deum deprecans, et satis gratulans si sibi vel laico communicare contingeret. Martialis quoque, præter gentilium turpia et lutulenta convivia in collegio diu frequentata, et filios in eodem collegio exterarum gentium more apud profana sepulchra depositos et alienigenis consepultos, actis etiam publice habitis apud procuratorem ducenarium obtemperasse se idololatriæ et Christum negasse contestatus fuerat. Cum uterque ob hæc et multa alia delicta depositus fuisset, Basilides, cujus in locum Sabinus de universæ fraternitatis suffragio et de episcoporum judicio substitutus fuerat, Romam pergens, Stephanum longe positum et gestæ rei ac veritatis ignarum fefellit, ut exambiret reponi se injuste in episcopatum de quo fuerat jure depositus. Nominatim non dicit Cyprianus Martialem quoque Romam contendisse, sed id satis indicat cum ait: « Sed nec Martiali potest profuisse fallacia, quominus ipse quoque delictis gravibus involutus episcopatum tenere non possit. »

Videntur episcopi nonnulli in Hispania depositis illis episcopis favisse, sed Ecclesiæ Legionis et Asturicæ et Emeritæ scripserunt ea de re ad episcopos Africanos, ac legatos miserunt Sabinum et Felicem, quos probabile est in Basilidis et Martialis locum substitutos fuisse. Alius Felix de Cæsaraugusta, quem Cyprianus fidei cultorem ac veritatis defensorem vocat, litteris suis confirmavit quidquid ecclesiæ illæ scripserant ac legatis mandaverant. Lectæ sunt litteræ et auditi legati in concilio XXXVII episcoporum. Cyprianus qui præerat et alii episcopi responderunt per epistolam LXVIII, Basilidis non tam abolita esse quam cumulata delicta, nec rescindi posse ordinationem jure perfectam; neque etiam Martiali fallaciam prodesse posse; frustra tales episcopatum sibi usurpare conari, cum manifestum sit ejusmodi homines nec Ecclesiæ Christi præesse posse, nec Deo sacrificia offerre debere. Indignationem suam significant adversus episcopos qui depositis collegis favebant, ac plebi ipsi denuntiant cum talibus communicandum non esse, eorumque contactibus pollui qui cum illis illicita communicatione miscentur. Quæ quidem sententia non modo habenas non laxat licentiæ populari, sed etiam eam refrenat, ne arbitratu suo judicium de episcopo suo ferat, aut legitime ordinatum ab aliis episcopis rejiciens, aut legitime depositum retinens.

XXIX. — DISSENSIONES DE BAPTISMO EXORTÆ ANNO 253 EXEUNTE: AC S. STEPHANUS ANTE CUM ORIENTALIBUS QUAM CUM AFRIS CERTAVIT.

Tandem disserendo pervenimus ad celeberrimam illam de hæreticorum baptismo controversiam, in qua non parva hæreticorum aut schismaticorum manus universæ Ecclesiæ bellum indixit, sed insignes ecclesiæ, Africa, Cappadocia, Cilicia et finitimæ provinciæ de re longe gravissima cum aliis ecclesiis

Digitized by Google

decertarunt. Etsi autem in ipso dissensionis incendio luctuosa rerum facies exstitit, tamen ex commodis quæ in Ecclesiam ex hac controversia fluxerunt, facile perspicitur eam Christo providente et dispensante natam fuisse, non solum ut res tanti momenti conflato et conspiranti omnium consensu aliquando firmaretur, sed etiam ut haberent posteri quid in ejusmodi dissensionibus imitarentur. Nam baptismi hæreticorum defensores fraternæ charitatis fœdus non ruperunt cum iis, a quibus maximam sacramentis injuriam fieri videbant isti autem et cum iis quos ne Baptismo quidem initiatos putabant, et cum iis qui Baptismum morientibus infantibus denegare, et Eucharistiam non baptizatis porrigere videbantur, communicare non dubitarunt. Initium dissidii refert Tillemontius ad annum 256, quamvis non improbet Pearsonium, qui primum Carthaginense concilium autumno anni 255 habitum putat. Uterque prius in Africa quam in Oriente pugnatum opinatur. Qui Stephanum anno 255 obiisse volunt, dissidium citius exarsisse contendunt. Quamvis autem gravibus de causis Stephanum Tillemontius et Pearsonius anno 257 obiisse existiment, videntur tamen dissensionis primordia nimium sero collocare. Probare aggrediar controversiam anno 253 exeunte cœpisse agitari, citiusque Stephanum cum Orientalibus quam cum Afris decertasse.

1° Cur de baptismo disputari cœptum esse putem anno 253, auctor est Eusebius qui conceptis verbis declarat (lib. VII, c. 4) Dionysium in litteris ad Stephanum de Baptismo scriptis indicasse « omnes ubique ecclesias, mollito jam persecutionis furore, Novati turbulentam novitatem detestantes inter se pacem iniisse. » Vix ergo desierat persecutio cum exortam de Baptismo controversiam sedare Dionysius conaretur. Porro, cum persecutio anno 253, sedata fuerit mense maio, Dionysius de Baptismo ad Stephanum serius hoc anno exeunte scripsisse non videtur. Censet Pearsonius, non improbante Tillemontio, erratum esse Eusebii, qui quod dixerat Dionysius de pace post dissensiones a Novatianis excitatas constituta, id de pace persecutionibus ethnicorum succedente dictum crediderit. Sed, ut Eusebius tam oscitanter hallucinatus dicatur, gravem aliquam causam subesse oportet. Distinguit accurate persecutionis furorem a turbulenta novitate, et pacem inter ecclesias initam a mollito persecutionis furore. Quis ergo credat in epistola Dionysii nihil omnino de sedata persecutione dictum fuisse, quamvis id Eusebius legisse se testetur? 2° Dionysius in eadem de Baptismo epistola nuntiabat Stephano, ut eventum omnino recentem, sedatos esse motus quos Novatiani hæresis in Oriente excitaverat. Sed, si cum hujus dissensionis fine conjuncta sunt controversiæ de Baptismo primordia, serius anno 253 poni non debent. Sic enim de sedata dissensione loquitur Dionysius, ut id non multo post persecutionem contigisse videatur. Quod enim ait, « omnes ubique antistites unum idemque sentire, et ob pacem inspecrato factam incredibiliter lætari, » satis indicat malum antequam radices ageret compressum fuisse, et pacem sancitam cum metueretur ne dissensio ingravesceret. At, si usque ad annum 256 decertatum fuisset in Oriente de Novatianorum sententia, non videtur incendium multa die confirmatum sic exstingui potuisse, ut nihil omnino ne fumi quidem superesset. Huc accedit auctoritas Cypriani, qui in epistola ad Stephanum, circa an. 254 scripta, testatur Novatianum « semper retusum et refutatum et per totum orbem a sacerdotibus Dei abstentum. » Si ergo totus orbis in damnando Novatiano jam tum consenserat, epistola Dionysii quæ hunc episcoporum antea dissidentium consensum nuntiabat, ad annum 256 revocari non potest. Aliud argumentum in eamdem sententiam suppeditat, quod secundo loco probandum suscepimus, citius in Oriente quam in Africa decertatum. Neque enim si dissensio ante in Oriente quam in Africa exorta est, serius collocari poterit anno 254 aut exeunte 253.

Illud autem dissidium prius in Cappadocia, Cilicia et finitimis provinciis quam in Africa exarsisse patet ex his Firmiliani in Stephanum dictis : « Quid humilius aut lenius quam cum tot episcopis per totum mundum dissensisse; pacem cum singulis vario discordiæ genere rumpentem, modo cum Orientalibus, quod nec vos latere confidimus, modo vobiscum qui in meridie estis? » (p. 150). Præclare observat Tillemontius dissidium Stephani cum Orientalibus, quod Firmilianus commemorat, non de Novatiani schismate, ut existimavit Lombertus, sed de Baptismo natum fuisse. Nam compressum fuit in Oriente hoc schisma initio pontificatus Stephani; nec Orientales, in his Firmilianus, minus studii quam ipse Stephanus adhibuere in hoc exstinguendo schismate, nedum pax inter eos et Stephanum rumperetur. Perpauci huic schismati favebant, idque Antiochiæ, ut patet ex Epistola Dionysii *ad Cornelium* apud Euseb. (lib. VI, cap. 46). Loquitur ergo Firmilianus de Baptismo. Illud autem ex ejus verbis colligitur non eodem tempore Stephanum cum Orientalibus et Afris decertasse, sed variis temporibus et modis; ac res Orientis lenius se habuisse tum cum in Africa majorem in modum turbarentur. Hinc idem Dionysius in epistola quam, mortuo Stephano, ad Philemonem presbyterum Romanum scripsit, deprecatorem se pro Afris solis interponit; atque, ut Romanos demitiget, demonstrat (apud Euseb. Hist. l. VII, c. 5) « non ab Afris solis hunc morem tunc primum invectum fuisse, » sed idem antea ab Orientalibus in conciliis statutum; quod quidem perabsurdum videretur si istis Roma placatior quam Afris non fuisset. In epistola autem ad Xystum de Stephano ejusque cum Afris concertatione disserens aiebat « prius illum ad se scripsisse de Heleno et de Firmiliano, ac de omnibus denique sacerdotibus per Ciliciam, Cappadociam cunctasque finitimas provincias constitutis; sese ob eamdem causam ab illorum communione discessurum, eo quod, aiebat, hære-

Digitized by Google

ticos rebaptizarent. » Illud prius argumento est Stephanum ante de eodem hæreticorum baptismo cum Cilicia et finitimis provinciis quam cum Africa pugnasse; et cum apud Dionysium de Heleno et Firmiliano graviter quereretur, nondum Cyprianum et Africanos episcopos illi in offensionem venisse. Quod autem addebat Dionysius, « de his omnibus ego ad illum scripsi orans atque obtestans; » quis ex his verbis non colligat epistolam illam quam, teste Eusebio, unam ad Stephanum scripsit, non Afrorum, ut opinati sunt Tillemontius et Pearsonius, sed eorum causa scriptam fuisse de quibus Stephanus scripserat, nempe Heleni et Firmiliani, qui proinde illius opera et commendatione prius usi sunt quam Afri. Illud etiam in ea quam refellimus opinione occurrit incommodi, quod nimium multi eventus a Tillemontio et Pearsonio intra annum concluduntur; tres synodi Carthaginenses, tot Cypriani epistolæ, Stephani litteræ ad Dionysium et ad Cyprianum, ejusque modo cum Orientalibus, modo cum Afris dissensiones. Longe satius est hanc rerum gestarum varietatem temporibus distinguere.

Sed forte objicietur quod ait Eusebius lib. VII, c. 3, πρῶτος τῶν τότε Κυπριανός, etc. « Primus eorum qui tunc exstitere, Cyprianus, Carthaginensis episcopus, hæreticos nonnisi per baptismum ab errore prius purgatos admittendos esse censuit. » Gerardus, Joannes Vossius et Valesius Eusebium erroris accusant; sed Pearsonius, etsi recte observat adversus Valesium hæc Eusebii verba πρῶτος τῶν τότε ita reddenda esse, « primus eorum qui tunc exstitere, » non autem ut Valesius, « primus omnium, » parum tamen in Eusebio purgando promovit. Nam, cum Firmilianus Cypriani æqualis hæreticorum baptisma longe ante Cyprianum rejecerit in concilio Iconiensi, cui se interfuisse testatur in epistola ad Cyprianum, æque Eusebius erroris arguetur, sive omnium, sive æqualium primum hæc statuisse Cyprianum dixerit. Longe ergo probabilius idcirco primas Cypriano deferri, quia plurimum ponderis huic sententiæ addidit, eique multo celebrior exstitit quam Orientalibus cum Stephano controversia.

XXX. — ORDO ET SERIES RERUM IN AFRICA GESTARUM ANNO 255 ET 256, USQUE AD CONCILIUM TERTIUM CARTHAGINENSE.

De initiis hujus dissensionis in Africa non valde laborandum; nam tota res in conjecturis posita. Pearsonius primum concilium Carthaginense revocat ad autumnum anni 255. Tillemontius, qui omnia intra spatium anni 256 concludit, non improbat Pearsonium; nec forte improbetur si quis ab ipso anni 255 initio controversiam deducat. Hoc tantum statuere possumus prius inter se decertasse Afros quam cum Stephano. In Epistola *ad Numidas* refelluntur « qui hæreticos asserunt. » Tangit eosdem Cyprianus in Epistola *ad Quintum*. « Nescio etenim, inquit, qua præsumptione ducuntur quidam de collegis nostris, ut putent eos qui apud hæreticos tincti sunt, quando ad nos venerint, baptizari non oportere. » Nec tamen hac institutorum varietate pax et gratia disiluere, ut ex Epistola *ad Stephanum* perspicitur. « Cæterum scimus, inquit Cyprianus, quosdam quod semel imbiberint nolle deponere, » nec propositum « suum facile mutare, sed salvo inter collegas pacis et concordiæ vinculo quædam propria, quæ apud se semel sint usurpata, retinere. » Nonnullos ex Africa episcopos petere videntur hæc Cypriani verba in Ep. *ad Jubaianum*: « Et nunc apud quosdam de nostris hæreticorum baptisma occupatum asseritur. » Per eumdem Jubaianum venit in Cypriani manus epistola *adversus rebaptizantes* scripta. Sed ea nec a Stephano papa, nec ab ullo ex transmarinis episcopis (tunc enim recta via Carthaginem ad Cyprianum pervenisset), sed ab Afrorum aliquo videtur elucubrata. Ipse etiam Jubaianus non omnino assentiebatur Cypriano, sed aversum rebaptizationi animum significabat, quia Novatianenses, si quos ex Catholicis in partes suas allicerent, horrendo eos scelere rebaptizabant.

Decem et octo episcopi Numidæ occasionem Cypriano primi dederunt sententiæ suæ palam et aperte prædicandæ. Etsi enim baptisma ab hæreticis administratum rejicere solebant, tamen cum synodus Carthagine haberetur, consulendam illam duxerunt « de iis qui apud hæreticos et schismaticos baptizari videntur, an ad Ecclesiam catholicam, quæ una est, venientes baptizari debeant. » Cyprianus et alii episcopi, numero LXXXI, ut patet ex titulo Epistolæ LXX, laudant Numidas quod « et ipsi veritatem et firmitatem catholicæ regulæ tenent, neque illis assentiri profitentur neminem foris baptizari extra Ecclesiam posse. » Non multo post consultus eadem de re Cyprianus a Quinto in Mauritania episcopo per Lucianum presbyterum, scripsit ad eum Epistolam LXXI atque ut sciret « quid nuper in concilio coepiscopi cum compresbyteris qui aderant, » censuissent, ejusdem epistolæ exemplum illi misit.

Neque etiam multum effluxit temporis inter hanc epistolam et concilium secundum Carthaginense, « in quo multa quidem prolata atque transacta sunt, » sed illud in primis, quod Stephano papæ Cyprianus LXX episcoporum qui cum ipso sederant nomine perscribit eos qui apud hæreticos vel schismaticos tincti sunt, redeuntes ad Ecclesiam baptizari oportere. Id Cyprianus testatur « diligenter nuper expressum » fuisse, cum in epistola *ad Quintum*, tum in litteris *ad episcopos Numidas*. Utriusque epistolæ exemplum mittit Stephano cum Epistola LXXII. Addit in eodem concilio statutum esse consensu et auctoritate communi « ut etiam si qui presbyteri aut diaconi, qui vel in Ecclesia catholica prius ordinati fuerint, et postmodum perfidi ac rebelles contra Ecclesiam steterint, vel apud hæreticos a pseudoepiscopis et antichristis contra Christi ordinationem profana ordinatione promoti sint, et contra altare unum atque divinum sacrificia foris falsa ac sacrilega offerre conati sint, eos quoque

Digitized by Google

hac conditione suscipi cum revertuntur, ut communicent laici, et satis habeant quod admittuntur ad pacem qui hostes pacis exstiterint, nec debere eos revertentes ea apud nos ordinationis et honoris arma retinere quibus contra nos pugnaverint. »

Ad hoc tempus referre cogor legationem episcoporum quos concilium Africanum ad Stephanum misit. Hos legatos episcopos, ait Firmilianus, sic suscepit Stephanus, « ut eos nec ad sermonem saltem colloquii communis admitteret, adhuc insuper.... præciperet fraternitati universæ ne quis eos in domum suam reciperet, ut venientibus non solum pax et communio, sed et tectum et hospitium negaretur » (p. 150). Queritur etiam Firmilianus quod Cyprianum Stephanus « pseudochristum et pseudoapostolum et dolosum operarium » diceret (p. 151). Hæc profecto incredibilia essent, nisi niterentur duorum hominum testimonio, quibus fides derogari non possit, Firmilianum dico et Cyprianum, qui Firmiliani epistolam latine reddidit, aut saltem auctoritate sua evulgavit. Sed examinanda nobis sunt singula Firmiliani verba, tum ne illius querelis, quæ sua sponte satis graves sunt, aliquid addatur, tum ut quo tempore et modo hæc acta sint dijudicemus.

Illud primo perspicere mihi videor, hos legatos non maxima celeritate venisse, sed famam eorum adventus prænuntiam fuisse. Vetuit enim Stephanus ne quis eos domo exciperet, « ut venientibus non solum pax et communio, sed et tectum et hospitium negaretur. » Nondum ergo venerant cum hæc Stephanus ediceret, cui spatium dederunt tum de ipsorum adventu, tum de rebus in concilio gestis cognoscendi. Atque inde colligo hanc legationem non posse ad tertium concilium Carthaginense referri, quamvis Tillemontio secus videatur. Constat enim Rogatianum a Cypriano in Cappadociam missum non fuisse nisi postquam legati episcopi Roma reversi sunt. Sed cum concilium tertium Carthaginense calendis septembris celebratum fuerit, ac Rogatianus, teste Firmiliano, redire festinaverit, quia hibernum tempus urgebat, quomodo fieri potuit ut post concilium episcopi legati Romam irent ac redirent, ac post eorum reditum Rogatianus in Cappadociam missus, redeundi ante hiemem spatium haberet? Fatetur Tillemontius hæc non facile fieri potuisse; sed tamen non repugnare contendit, posito videlicet utramque legationem itum et reditum accelerasse. At videmus episcoporum qui Romam missi sunt, adventum non valde celerem sed potius tardum extitisse; quod quidem si animadvertisset Tillemontius, credo aliter judicaturum fuisse. Præterea, cum Stephanus in Epistola ad Cyprianum, quæ ante concilium tertium missa est, absilendos putet rebaptizantes, valde dubito an hoc concilium legatos episcopos ejusmodi periculo exposuisset, ut eis Romæ communio negaretur. Probabilius ergo est legationem post secundum concilium missam fuisse.

Illud etiam ex verbis Firmiliani deduci potest, edictum Stephani non omnino in rem collatum fuisse. 1° Incredibile est in tam sancta Ecclesia commissum, ut legati episcopi negatum a fratribus hospitium apud infideles quærerent. 2° Distinguit Firmilianus tectum et hospitium a pace et communione et sermone colloquii communis: declarat conceptis verbis episcopos « nec ad sermonem saltem colloquii communis » admissos fuisse: quod autem spectat ad tectum et hospitium, minas tantum et jussa exprobrat, non rem ipsam, quam tamen non videtur omissurus fuisse si hoc etiam humanitatis officio caruissent. 3° Verisimile est in Ecclesia Romana, quæ sanctis presbyteris abundabat, aliquos tunc exstitisse qui se Stephanum inter et Cyprianum medios interponerent; ac si minus impetrarent a Stephano ut legatos ad communionem et colloquium admitteret, saltem eum deterrerent quominus hospitio eos excipi vetaret. Neque enim aptiori tempore collocare possumus quod ait Dionysius (apud Euseb. Hist., lib. VII, c. 5) in epist. *ad Xystum*: *καὶ τοῖς ἀγαπητοῖς δὲ ἡμῶν καὶ συμπρεσβυτέροις Διονυσίῳ καὶ Φιλήμονι, συμψήφοις πρότερον Στεφάνῳ γενομένοις, καὶ περὶ τῶν αὐτῶν μοι γράφουσι· πρότερον μὲν ὀλίγα, καὶ νῦν δὲ διὰ πλείονων ἐπέστειλα.* « Sed et charissimis fratribus et compresbyteris Dionysio ac Philemoni, qui prius Stephano assensi fuerant, deque iisdem rebus ad me scripserant, antea quidem breviter, nunc vero pluribus verbis scripsi. » Liquet ex his verbis Dionysium et Philemonem, cum antea in omnibus Stephano assentirentur, postea ab eo aliqua in re dissensisse. Perabsurde autem Launoius (tom. VIII, p. 603) ex his concludit hos duos presbyteros, cum antea Baptismum ab hæreticis datum non rejicerent, postea in Cypriani sententiam concessisse. Perpaucos fore arbitror qui Launoii conjecturam non explodant. Non enim hic tam agitur de dogmate quam de dogmatis defendendi ratione: nec Stephani doctrinam improbat Dionysius, quippe cum illam ipse sequeretur, sed in eo lenitatem et animi moderationem requirit. Quapropter, cum ait Dionysium et Philemonem Stephano prius assensisse, deque iisdem rebus ad se scripsisse; id accipi debet de hac Stephani sententia, non communicandum esse cum Heleno et Firmiliano, et aliis rebaptizantibus; quæ præcipua fuit et discordiarum origo, et curarum ac sollicitudinum Dionysii materia. Quod si Stephani agendi rationem Dionysius et Philemon probare aliquando desierunt, tum maxime videntur id fecisse cum eum ad extremas illas discordiæ significationes efferri viderunt; nec immerito eorum sapientia mitigatum existimamus edictum Stephani, quod ne ipse quidem Firmilianus ad exitum perductum fuisse dicit, ut legatis episcopis tectum et hospitium negaretur.

Jam vero Tillemontii rationibus non difficile est respondere. Verisimile esse non putat Stephanum ad primum decreti Africani nuntium tam vehementer exarsisse. Sed hæc difficultas, quæ Tillemontio, dissensionem in Africa incœpisse existimanti, magna videbatur, ex his quæ de Oriente diximus evanescit. Nec jam mirum est si Stephano, his quæ ipsi

Digitized by Google

cum Asiaticis intercesserant accenso, novas faces doloris Africana decreta admoverunt.

Quærit etiam Tillemontius cur Stephanus ad Cyprianum scripserit, si legatos, nec ad communionem nec ad colloquium admisit. At minime repugnat ut duo illi quos diximus presbyteri a sancto Pontifice impetrarent ! ut saltem ad Cyprianum scriberet ; quamquam Stephanus, cum his in litteris rebaptizantes abstinendos putet, non multum videtur a sua in legatos agendi ratione discedere.

Illud etiam argumenti loco sumit Tillemontius, quod Cyprianus in concilio tertio Carthaginensi nihil de his in legatos injuriis dixerit : unde scriptor doctissimus concludit legationem post concilium tertium collocandam esse. Sed hoc silentium lenitati, quæ summa fuit in Cypriano, tribuendum. In litteris autem ad Pompeium, in quibus Stephani epistola refellitur, nonnulla S. Martyri durius in Stephanum dicta exciderunt, quæ in tanta animi moderatione conceptum ex maximis contumeliis dolorem indicant. Idem probant hæc verba ex Epist. *ad Jubaianum*, quæ ante concilium tertium ac non multo post secundum scripta est : « Cur prævaricatores veritatis, » inquit (p. 133), « cur proditores unitatis existimamur ? »

Legationem proxime secuta est epistola *ad Jubaianum* episcopum. Is consuluerat Cyprianum de baptismo ab hæreticis dato, simulque miserat epistolam non a se sed ab alio scriptam adversus sententiam Cypriani. Refellit hanc epistolam Cyprianus, et summo studio colligit quidquid ad causæ suæ defensionem valere existimabat, servata semper animi moderatione et charitate, qua nihil antiquius habebat. Mittit etiam Jubaiano exemplum epistolæ *ad Numidas* et *ad Quintum*, ac forte etiam proximæ synodi decreta, de qua sic loquitur : « Et nunc quoque cum in unum convenissemus tam provinciæ Africæ quam Numidiæ episcopi numero septuaginta et unus, hoc idem denuo sententia nostra firmavimus » (p. 120). Ex quibus patet hanc epistolam non multo post concilium scriptam fuisse, sed tamen postquam a Stephano litteræ venissent : nam in Ep. *ad Stephanum* testatur Cyprianus nonnullos a se dissentire, « sed salvo inter collegas pacis et concordiæ vinculo. » Contra in Ep. *ad Jubaianum* ait (p. 129) : « Cur prævaricatores veritatis, cur proditores unitatis existimamur » (pag. 132). Jam tum ergo desiderabat in adversariis suis pacis et concordiæ studium quod scribens ad Stephanum laudaverat.

Misit Jubaiano aliud munus, libellum *de bono Patientiæ*, de quo sic loquitur (p. 137) : « Servatur a nobis patienter et leniter charitas animi, collegii honor, vinculum fidei et concordia sacerdotii. Propter hoc etiam libellum *de bono Patientiæ*, quantum valuit nostra mediocritas, permittente Domino et inspirante, conscripsimus, quem ad te pro mutua dilectione transmisimus. » Præclare observarunt eruditi viri tam attemperate scriptum esse hunc librum, ut controversiam quæ tunc fervebat, non magis attigerit Cyprianus, quam si nulla prorsus exstitisset. Non multo post alium librum *de Zelo et Livore* scripsit eodem consilio. Uterque recensetur a Pontio post librum *de Opere et Eleemosyna*.

Cum litteræ Stephani in Africam perlatæ fuissent, Pompeius Sabratensis episcopus, idem, ut verisimile est, qui ordinationi S. Cornelii interfuerat, significavit Cypriano cupidum se esse epistolæ Stephani videndæ. Morem ei gerit Cyprianus, atque hanc epistolam refellit paulo commotior, quod Stephanus « sacerdotes Dei veritatem Christi et Ecclesiæ unitatem tuentes abstinendos » putaret (Ep. LXXIV). Simul Pompeio misit exempla aliarum epistolarum in quibus de baptizandis hæreticis disseruerat.

Liber *de Baptismo hæreticorum*, cujus auctor episcopus erat, ut alias probabimus, tam indignis conviciis Cyprianum appetit, ut scriptum esse non dubitem post illud tempus quo Cyprianus ad Stephanum scribens, iis a quibus dissentiebat, servatæ charitatis et concordiæ testimonium tribuebat.

Scripta etiam Epistola LXXV *ad Magnum*, postquam disputationis æstus nonnullos ex Cypriani adversariis in convicia et maledicta abripuerat. Quod enim eos « pertinaces et indociles » vocat ; quod ait « prævaricatores fidei atque Ecclesiæ proditores intra ipsa septa Ecclesiæ contra Ecclesiam stare, » declarat hæc oratio illius dolorem, quod animi moderationem et unitatis studium, cui maxime consultum volebat, in omnibus adversariis non reperiret. Hanc tamen epistolam Baronius et Pearsonius primam omnium de Baptismo scriptam volunt, quia in ea Cyprianus priores epistolas non commemorat. Sed ne hæc quidem epistola in litteris *ad Quintum* et *Jubaianum* et alios memoratur. Præterea videtur Magnus, ut observat Tillemontius, priores epistolas Cypriani notas et perspectas habuisse ; assentiebatur enim ei in omnibus, ac unus tantum illius animo scrupulus insidebat, an inter cæteros hæreticos ii qui a Novatiano veniebant, baptizandi essent.

Quæsierat etiam Magnus quid Cypriano de illis videretur « qui in infirmitate et languore gratiam Dei consequuntur, an habendi sint legitimi christiani, » eo quod aqua salutari non loti sint, sed perfusi. Respondet Cyprianus ejusmodi homines legitimos esse christianos, ac parvi referre quod perfusi aut aspersi fuerint. Sic autem eos carpit qui baptisma hæreticorum probant, et Baptismo ecclesiastico majestatem suam et sanctitatem derogabant, ut Romanam Ecclesiam non obscure designet, in qua notum est clinicos a clero exclusos fuisse.

XXXI. — DE CONCILIO TERTIO CARTHAGINENSI — MITTIT CYPRIANUS ROGATIANUM DIACONUM AD FIRMILIANUM. — DE EPISTOLA FIRMILIANI AD CYPRIANUM.

Immoderata adversariorum studia justissimam metuendi causam attulerant Cypriano ne quid vulneris unitati Ecclesiæ inureretur. Quare, ut tanto malo oc-

Digitized by Google

currat, frequentius quam antea concilium cogit, et cum episcopis nonnullis exterarum gentium consilia fovendæ pacis et unitatis conjungit.

Quo autem anno habita sit hæc synodus operæ pretium est inquirere. Tota res pendet ex morte Stephani papæ; nam, cum nemo dubitet quin die secunda Augusti obierit, necesse est ut concilium Carthaginense tertium, quod eo adhuc vivente calendis septembris habitum est, uno ante illius mortem anno habitum dicatur. Satis autem inter omnes convenit Stephanum ordinatum fuisse anno 253, sed alii duos tantum annos sedisse, et anno 255 mortuum esse existimant: alii quatuor ei pontificatus annos tribuunt, ejusque mortem referunt ad annum 257. Posterior sententia, quam Tillemontius et Pearsonius secuti sunt, solutior et explicatior videtur. Nam, si mors Stephani referatur ad an. 255, concilium tertium Carthaginense referendum erit ad calendas septembris anni 254, simulque concurrent Stephani cum Afris et cum Orientalibus concertationes, quas temporibus divisas esse probavimus. Huc accedunt rationum momenta, quibus Tillemontius et Pearsonius nituntur; illud inprimis, quod Firmilianus in Epistola ad Cyprianum testetur « ante viginti et duos fere annos temporibus post Alexandrum imperatorem multas accidisse calamitates per Cappadociam et per Pontum, ut ex hoc persecutio quoque gravis adversum nos Christiani nominis fieret. » Quamobrem, cum Alexander mortuus sit anno 235, annus ab ejus morte vigesimus secundus idem prorsus ac 256, ac proinde hoc maxime anno fervebat dissidium de Baptismo nondumque Stephanus obierat. 2° Si mortuus fuisset Stephanus anno 255, quomodo Cyprianus, qui anno 258 idibus septembris vitam pro Christo profudit, tamdiu conticuisset in re tanti momenti? Nihil enim per totum illud tempus assignari posset quod ab eo aut ad causæ suæ defensionem, aut ad rerum pacificationem factum diceretur. Sed, si controversia de Baptismo ad annum 256 referatur, non valde mirum videbitur quod Cyprianus post tertium Carthaginense concilium, post scriptas *ad Firmilianum* litteras, conticuerit, quia persecutio, quæ cum anno 257 incœpit, his rebus agitandis locum non relinquebat. 3° Pluribus argumentis probat Tillemontius S. Stephanum martyrem obiisse; et cum persecutio non exarserit nisi anno 257, inde concludit sancti illius papæ mortem ad mensem augustum ejusdem anni referendam esse, ac proinde concilium Carthaginense tertium, quod eo adhuc vivente celebratum est, et litteras Cypriani *ad Firmilianum*, quæ pariter sub hoc Pontifice scriptæ sunt, ad annum 256 pertinere.

Præcipuæ difficultates quæ hanc Tillemontii et Pearsonii sententiam obstruebant, solvi posse videntur ex his quæ modo observavimus de dissensione serius in Africa quam in Oriente exorta. Hac enim notata distinctione, nihil jam officit auctoritas Eusebii, nec necesse est accurato scriptori nævum absurdum affingere. Fatetur Tillemontius non facile explicari posse cur Dionysius Alexandrinus, si Xystus ne toto quidem anno præfuit, tres tamen ad eum litteras dederit, idque persecutionis et exsilii molestiis detentus, cum ad Stephanum illius decessorem, sub quo acriores erant discordiæ, semel tantum scripsisset. Hæc difficultas, quæ prima specie de Stephani annis aliquid demendum et Xysto addendum suadet, non leviter imminuitur si Dionysius de rebus Orientalibus ad Stephanum ac postea de Africanis ad Xystum scripsisse dicatur. Nam, cum dissidium Stephani cum Orientalibus non illud quidem compositum fuisset, sed tamen demitigatum, ac istis consuetudinem suam pacifice retinentibus bellum, ut ita dicam, in Africam postea translatum fuisset; minime mirum si Dionysius non amplius ad Stephanum scripsit, nec ante studium suum ad res pacificandas exsuscitavit quam de rebus Afrorum, qui illius opem fortasse serius implorarunt, certo cognovisset.

Exstant acta hujus tertii concilii Carthaginensis, cui adfuerunt ex provincia Africa, Numidia et Mauritania episcopi LXXXV, vel etiam LXXXVII si numerentur duo absentes, Pompeius Sabratensis et Dioga Leptimagnensis, qui vices suas Natali ab Oea commiserant. Cum ergo in unum convenissent calendis septembris cum presbyteris et diaconis, præsente etiam plebis maxima parte, lectæ sunt litteræ Jubaiani ad Cyprianum, item Cypriani ad Jubaianum et quas post modum Cypriano Jubaianus rescripserat. Tum Cyprianus hortatus est ut sententiam libere ac pacifice dicerent, « neminem judicantes, aut a jure communionis aliquem, si diversum senserit, amoventes. Neque enim quisquam nostrum, aiebat, episcopum se esse episcoporum constituit, aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem collegas suos adigit: » quibus verbis Stephanum notari observat Baronius. Idem omnes uno ore pronuntiarunt, ac ultimus omnium Cyprianus sententiam suam in Epistola *ad Jubaianum* plenissime expressam fuisse declaravit.

Stabilitam hoc consilio inter Afros unitatem novis præsidiis communire statuit Cyprianus. Rogatianum diaconum misit cum litteris ad Firmilianum, quibus eum de dissensione cum Stephano certiorem faciebat. Videtur etiam misisse quæ de baptismo hæreticorum ad alios scripserat; nam Firmilianus laudat illius adversus Stephanum responsa, ac nonnulla refert quæ in epistola *ad Jubaianum* leguntur. Pergrata acciderunt Firmiliano scripta Cypriani, quæ quidem se quasi sua propria suscepisse testatur, nec in transcursu legisse, sed sæpe repetita memoriæ mandasse. Sic autem respondet Cypriano, ut quæ ab ipso dicta fuerant, retexat ad confirmandam veritatem, et quædam addat ad cumulandam probationem. Sed raptim scribenti multa in Stephanum iracundius dicta exciderunt, quæ fortasse pro eximia animi moderatione Firmilianus emendasset, nisi spatium relegendæ, ut par erat, epistolæ Rogatianus moræ impatiens eripuisset. Hæc autem Firmiliani epistola, quæ latine reddita exstat inter Cyprianicas LXXV, sic Cypriani

Digitized by Google

stylum redolet, ut non alium interpretem habuisse videatur.

Fidus interpres græcæ linguæ ingenium nonnullis in locis retinuit. Paulo post initium (p. 143) : « Contristantur (Angeli) quando vident diversas quorumdam mentes et scissas voluntates, quasi non tantum unum et eumdem Deum simul invocent, sed separatis et divisis ab invicem nec confabulatio jam possit esse aut sermo communis, » id est, quasi non tantum unum et eumdem Deum simul non invocent ; quæ postrema negatio nonnumquam omittitur apud Latinos sed sæpius apud Græcos. (Pag. 145) : « Nisi si his episcopis quibus nunc minor fuit Paulus; » legendum putavit Pamelius « de quibus nunc : » sed manifestus est hellenismus, τούτοις ἐπισκόποις τοῖς νῦν, « his episcopis nunc existentibus. » Facilius hellenismus deprehenditur in his verbis (p. 147) : « Idem error est, dæmonum fallacia ipsa est, » id est eadem.

Narrat Firmilianus (p. 146), historiam mulieris a dæmone afflatæ, quæ « etiam hoc frequenter ausa est, ut et invocatione non contemptibili sanctificare se panem et Eucharistiam facere simularet, et sacrificium Domino (non) sine sacramento solitæ prædicationis offerret, » etc. Legit Rigaltius, cujus nota in edit. Oxon. apponitur, « solitæ precationis ». At nihil prorsus mutandum ; hæc enim accurate de græcis expressa sunt. Preces in sacrificio fieri solitæ vocantur apud Basil. (Epist. CCXLI) ἐκκλησιαστικὰ κηρύγματα, « prædicationes ecclesiasticæ. »

Cum existimaret Firmilianus adversarios suos in baptismo foris ab adultis suscepto Christi gratiam agnoscere, sic eos refellit (p. 147) : « Nam si non mentitur Apostolus dicens : *Quotquot in Christo tincti estis, Christum induistis*, utique qui illic in Christo baptizatus est, induit Christum : si autem induit Christum, accipere potuit et Spiritum sanctum, qui a Christo missus est, et frustra illi venienti ad accipiendum Spiritum manus imponitur, nisi si a Christo Spiritum induit, ut apud hæreticos sit quidem Christus, non sit autem illic Spiritus sanctus. » Illud « nisi a Christo Spiritum induit, » idem valet ac post Christum ; nec probabilis est conjectura Cauchii et Pamelii qui legendum putant, « nisi a Christo Spiritum non induit. »

Alium locum longe difficiliorem emendare conabor. De iis qui foris baptizati sine novo baptismo in Ecclesia obierunt, sic statuit Firmilianus (p. 149) : « Si de sæculo excesserunt, in eorum numero qui apud nos catechizati quidem sunt, sed priusquam baptizarentur obierunt, habentur. Non modo dicunt emolumentum veritatis et fidei, ad quam relicto errore pervenerant, etsi consummationem gratiæ consecuti non sunt morte præventi. » Existimat Rigaltius verbum « habent » reponendum post « habentur, » et sic emendat : « Habent, non modo discunt emolumentum veritatis et fidei, » sed multo aptius legi posset, « Habent non modicum emolumentum » pro « non modico dicunt aut non modo discunt. »

XXXII.—NONNULLÆ OBSERVATIONES ADDUNTUR IN HANC DE BAPTISMO CONTROVERSIAM.

Quid in hac causa deinceps Stephanus ac Cyprianus egerint, nullo prorsus exstat monumento. Forte persecutio, quæ paucis postea mensibus supervenit, animos a domesticis contentionibus ad religionis defensionem avocavit; sed non alia res periculum schismatis ab Ecclesia repulit, quam unitatis amor ex utraque parte impressus animis et insculptus. Videbatur sibi utraque pars maximi momenti sententiam defendere. Non ignorabant Cypriani adversarii gravem injuriam a rebaptizantibus fieri et Christi sacramentis et apostolicæ traditioni et tot ecclesiis quæ, si vera fuisset Cypriani opinio, communionem hominibus non baptizatis dedissent, ac sæpe etiam commisissent ut infantes baptismo defraudati morerentur. Hæc Cypriano fuisse objecta perspicitur, tum ex ipsius epistolis, tum ex libro *de Rebaptismate*. Parte ex alia Firmilianus et Cyprianus, cum hæc quæstio nondum in clarissima luce posita et constanti Ecclesiæ judicio decisa esset, pessimam consuetudinem obrepsisse et graviter ab adversariis delinqui putabant. « Quæ ista obstinatio est, » ait Cyprianus in Ep. *ad Pompeium* (pag. 139) « quæve præsumptio humanam traditionem divinæ dispositioni anteponere, nec animadvertere indignari et irasci Deum quoties divina præcepta solvit et præterit humana traditio? » Queritur in eadem epistola auctoritatem hæreticis attribui, fidem et veritatem prodi (p. 141). Veritatem sibi et aliis idem sentientibus singulari Dei beneficio retectam fuisse credebat, ut eam aliis ecclesiis proponeret. « Proinde frustra quidam, » inquit in Ep. *ad Jubaianum* (p. 133), « qui ratione vincuntur consuetudinem nobis opponunt, quasi consuetudo major sit veritate, aut non id sit in spiritalibus sequendum quod in melius fuerit a sancto Spiritu revelatum. Ignosci enim potest simpliciter erranti, sicut de seipso dicit apostolus Paulus : *Qui primo*, inquit, *fui blasphemus et persecutor et injuriosus, sed misericordiam merui, quia ignorans feci.* Post inspirationem vero et revelationem factam, qui in eo quod erraverat perseverat prudens et sciens, sine venia ignorantiæ peccat ; præsumptione enim atque obstinatione quadam nititur, cum ratione superetur. » Sic etiam Firmilianus : « Quale delictum est, inquit (p. 149), vel illorum qui admittuntur, vel eorum qui admittunt, ut non ablutis per Ecclesiæ lavacrum sordibus, nec peccatis expositis, usurpata temere communicatione contingant corpus et sanguinem Domini? »

Sed quo majoris momenti suam utraque pars sententiam esse duxit, eo magis in utrisque amor elucescit unitatis. In Oriente non videtur magna fuisse animorum contentio, quamvis plures provinciæ ab antiqua et communi sententia discreparent. Dionysius Alexandrinus cum scriberet ad Stephanum, ut cum Asiaticis rebaptizantibus placeret, summam episcoporum in Oriente concordiam laudabat. Ex

Digitized by Google

quo patet Orientis episcopos liberalius quam Stephanum egisse cum Asiaticis. Revera Helenus et Firmilianus magno semper in pretio apud collegas fuerunt. Enituit etiam in Occidente odium et fuga schismatis. Auctor libri *de Rebaptismate*, etsi Cyprianum indignis opprobriis et conviciis lacerat, fatetur tamen totam hanc quæstionem inter fratres agitatam fuisse. « Animadverto, » inquit initio libri, « quæsitum apud fratres quid potius observari oporteat in personam eorum qui in hæresi quidem sed in nomine Dei nostri Jesu Christi sint tincti, etc. » Stephanus justo vehementior fuit; nec idcirco tamen Africa cum aliis ecclesiis et cum Romana etiam communicare desiit. Nullo sanè exstat monumento alios episcopos suam Afris communionem negasse, et rebaptizantes abstinendos putasse, ut Stephanus putaverat. Quinetiam, cum in ipsa Ecclesia Romana duo præstantissimi presbyteri, Philemon et Dionysius, ut modo vidimus, mature animadverterint quid nimia Stephani severitas peccaret, merito mihi existimare videor totam illam dissensionem ne sub hoc quidem Pontifice eos habuisse exitus qui ex primo animorum calore consequi poterant. Sub S. Xysto, Stephani successore, etsi persecutio domesticas rixas compescere aut saltem inducias afferre debuerat, non tamen videtur de Baptismo statim contentio refrixisse, siquidem Dionysius Alexandrinus, inter exsilii molestias atque in ipso persecutionis incendio, tres litteras ad Xystum scripsit, ut eum ad lenitatem et concordiam vocaret. Usus est consiliis Dionysii sanctissimus Martyr; et idcirco « bonus et pacificus sacerdos » a Pontio vocatus creditur, et ecclesiæ Africanæ diptychis inter martyres adscriptus, quod natam sub Stephano controversiam sedasset. Illum inter et Cyprianum communionem non interruptam fuisse liquet ex Epist. LXXXII, in qua narrat Cyprianus se Romam misisse qui de rebus Ecclesiæ certa referrent. De Dionysio autem non dubium est quin cum Afris liberaliter egerit, qui adhuc presbyter nimiam Stephani severitatem probare desierat. Eadem humanitas ab aliis pontificibus servata, « donec, » ut ait Augustinus (lib. I *de Bapt.*), « plenario totius orbis concilio quod saluberrime sentiebatur etiam remotis dubitationibus firmaretur. »

Sed amorem unitatis præcipue declaravit Cyprianus, cui veritatem « nimirum propterea Dominus non aperuit, » inquit Augustinus (lib. I *de Bapt.* c. 18), « ut ejus pia et humilitas et charitas in custodienda salubriter Ecclesiæ pace patesceret, et non solum illius temporis Christianis, sed etiam posteris ad medicinalem, ut ita dicam, notitiam signaretur. » Quamvis magnum errorem in adversariis perspicere sibi videretur, tamen « in his quæstionibus, quæ, » ut ait Augustinus (lib. II *de Bapt.* c. 3), « nondum eliquatissima perspectione discussæ sunt, » minime dubitans quin « habeat omnis episcopus pro licentia libertatis et potestatis suæ arbitrium proprium, tamque judicari ab alio non possit, quam nec ipse potest alterum judicare; » sic in concilio Carthaginensi collegas alloquitur : « Superest ut de hac ipsa re quid singuli sentiamus proferamus, neminem judicantes aut a jure communionis aliquem, si diversum senserit, amoventes. » Donatistæ olim de sancto Cypriano « quasi cum ipsius laude » dictitabant eum mentitum esse « et simpliciores collegas in verbo capere cogitasse, ut, cum se diversum sentire prodidissent, tunc contra quam promiserat, excommunicandos esse censeret. » Sed Augustinus hanc calumniam refellit lib. III *de Bapt.* c. 3. Calidus sane fuit ac justo vehementior Firmilianus; sed tamen unitatis amor in tota ejus spirat epistola, nec quidquam de unitate Ecclesiæ significantius dici potest. Hinc, quamvis veritatem maximi momenti defendere sibi videretur, quia tamen Ecclesiæ judicium nondum accesserat, eodem modo agendum putat ac in variis institutis ad disciplinam pertinentibus. « Secundum quod, inquit (p. 144), in cæteris quoque plurimis provinciis multa pro locorum et nominum diversitate variantur, nec tamen propter hoc ab Ecclesiæ pace atque unitate aliquando discessum est. »

XXXIII. — DE EPISTOLA LXIII CYPRIANI ADVERSUS EOS QUI AQUAM SOLAM IN MATUTINO SACRIFICIO ADHIBEBANT.

Præter litteras quas Cyprianus ad causæ suæ defensionem scripsit, aliam, non eadem de re sed circa eadem tempora scriptam, conjicio, nempe sexagesimam tertiam, ad Cæcilium episcopum, ut verisimillimum est, a Billa, qui primus in concilio Carthaginensi sententiam dixit. Occasionem dedit huic epistolæ prava apud nonnullos inducta consuetudo, ut in matutino sacrificio aquam tantummodo adhiberent. Neque id tamen, ut Encratitæ, odio vini a Deo creati, committebant, nam vespere calicem vino mixtum offerebant. Demonstrat Cyprianus prava hac consuetudine et Christi præceptum violari, et sacramentum penitus everti, cum sanguis Christi in calice esse non possit nisi vinum adhibeatur. Ex his autem verbis, « et viderit, frater charissime, si quis de antecessoribus nostris vel ignoranter vel simpliciter non hoc observavit, » facile perspicitur hoc vitium non tunc primum obrepsisse, sed ab annis inveterasse pluribus, ac proinde non in insignem aliquam ecclesiam, sed potius in pagos quosdam inductum fuisse : nam, si quid ejusmodi commissum fuisset in majoribus civitatibus, cito res aliis ecclesiis cognita indignationem omnium commovisset. Quare immerito Pearsonius id ab episcoporum Carthaginensium aliquo profluxisse existimat. Illud enim, « si quis de antecessoribus nostris, » non magis ad Cypriani quam ad Cæcilii antecessores refertur; sed cum unus sit episcopatus, suos ac Cæcilii antecessores vocat Cyprianus eos qui dudum Ecclesiæ præfuerant.

Cur autem hanc epistolam exorta de Baptismo controversia scriptam putem, conjecturam facio ex his verbis : « Et quia jam secundus ejus adventus nobis appropinquat, magis ac magis benigna ejus et larga dignatio corda nostra lucc veritatis illuminat, »

Majus quidpiam indicant hæc verba, quam ut de rebus in hac epistola pertractatis intelligantur. Erat enim exploratum omnibus Christianis sanguinem Christi in calice esse non posse nisi vinum offeratur; atque in hoc genere perpauci peccabant, idque metu magis et pravo pudore, quam errore pertinaci. At in controversia quam de Baptismo Cyprianus cum tot ecclesiis habuit, veritatem sibi et collegis idem sentientibus singulari beneficio revelatam contendebat, ut præcedenti capite observavimus. Hanc uberiorem illustrationem, hanc benignam et largam Christi dignationem obiter tangere videtur in hac Epistola LXIII. Huc accedit quod objectam consuetudinis auctoritatem in epistolis de Baptismo scriptis eodem modo ac in sexagesima tertia refellit.

Hanc tamen epistolam Pearsonius ad annum 253 collocat in Galli et Volusiani persecutione. Tempus persecutionis colligit tum ex Christi adventus exspectatione, tum ex his verbis (p. 109): «Nisi si in sacrificiis matutinis hoc quis veretur, ne per saporem vini redoleat sanguinem Christi. Sic ergo incipit et a passione Christi in persecutionibus fraternitas retardari, dum in oblationibus discit de sanguine ejus et cruore confundi.»

Quod spectat ad Christi adventum, non minus aperta est illius exspectatio, ut supra diximus, c. 28, in nonnullis Cypriani operibus, quæ in pace scripta esse constat. In allato autem testimonio non cum metum Cyprianus exprobrat iis quos refellit, ne quis ex vini odore Christianus esse argueretur; quomodo enim id suspicati essent ethnici, quos penitus latebat quid in Christianorum mysteriis ageretur? sed ne vini matutinus odor minus honestam et dignam homine sobrio speciem haberet. Hinc pacis potius quam persecutionis tempus indicat Cyprianus, dum ait eos ad sanguinem in persecutionibus fundendum fieri tardiores qui ex sanguinis Christi communione tam leve incommodum reformidant; quamquam inanem illum metum non asseverando, sed potius conjiciendo reprehendit.

XXXIV. — CONFESSIO ET MARTYRIUM CYPRIANI.

Tot eximiis Cypriani de Ecclesia meritis, tot rebus præclare gestis nihil addi posse videbatur præter confessionis et martyrii laudem. Utrumque Christi dono consecutus est in persecutione Valeriani, qui cum Christianos aliquamdiu privatim ac publice omni humanitate fovisset, postea Macriani artibus inductus, magnum se quemdam ac felicem imperatorem fore speravit si Christianam religionem oppugnaret. Cum persecutio instaret in Africa, Fortunatus episcopus, idem forte qui in synodo Carthaginensi dicitur episcopus a Tuccabori, Cyprianum rogavit ut ad præparandas et corroborandas fratrum mentes de divinis Scripturis hortamenta componeret. Libenter obtemperavit Cyprianus, parum esse ratus quod Dei plebem classico suæ vocis erigeret, nisi credentium fidem et dicatam Deo devotamque virtutem divina lectione firmaret. Scripsit itaque librum *de Exhortatione martyrii*, totum pene ex Scripturæ testimoniis compositum. Frustra Baronius et Fellus hoc opus sub Gallo collocant; recensetur enim a Pontio diacono post libros *de Patientia* et *de Zelo et Livore*, ut observat Tillemontius. Cum autem Cypriani confessio et martyrium ipsius actis, quæ infra apponemus, consignata sint, non teram tempus in iisdem rebus enarrandis, sed satis erit scriptas in hac persecutione epistolas breviter recensere.

Cum edixisset Valerianus ne Christiani conventus agerent et cœmeteria ingrederentur, aut si quis huic præcepto non pareret, capite plecteretur, Cyprianus omnium primus in Africa persecutionis impetum videtur excepisse. Id enim observarunt eruditi viri ex his verbis Ep. LXXVIII, ubi Cyprianum sic martyres alloquuntur: «Quasi bonus et verus doctor, quid nos discipuli secuti apud præsidem dicere deberemus, prior apud acta proconsulis pronuntiasti; et tuba canens Dei, milites cœlestibus armis instructos ad congressionis prælium excitasti, et in acie prima pugnans spiritali gladio diabolum interfecisti; agmina quoque fratrum hinc et inde verbis tuis composuisti,» etc.

Christum summa animi firmitudine confessus coram Paterno proconsule tertio cal. sept. anno 257, exsul deportatur in abditum et abstrusum locum, qui Curubis dicebatur. Comitatus est eum in exsilio Pontius diaconus, qui vitam ipsius scripsit. Eo autem die quo primum in exsilii loco manserunt, monitus est Cyprianus visione nocturna de futuro martyrio; sed impetravit dilationem crastini, ut res suas die illo quem impetraverat, ordinaret. Verum «hic dies unus significabat annum, ait Pontius; nam eo die post exactum annum coronatus est, quo hoc illi ante annum fuerat ostensum.» Eo autem facilius illi rebus ecclesiæ suæ providere ac in primis in sublevandis pauperibus curas impendere, quod sub Xysto «bono et pacifico sacerdote,» ut ait Pontius, sedatæ dissensiones magnis eum molestiis exsolverant. Cum Cyprianus in exsilio moraretur, multi episcopi constantiam ejus imitati sunt, eorumque exemplum secuta multiplex plebis portio confessa est pariter cum eis et pariter coronata est, a præpositis suis nec carcere nec metallo separata. Neque in hoc numero virgines et pueri defuerunt. Beatorum martyrum pars coronata, pars in carcere remansit; alii metallis damnati sunt, ubi quot ærumnas pertulerint perspici potest ex Epistola LXXVII, quam ad eos scripsit Cyprianus gratulandi magis quam consolandi causa. Vincti erant pedes traversariis et compedibus; humi jacebant sine lecto; panis exiguus præbebatur; vestis algentibus deerat; semitonsi capitis capillus horrebat. Inscripta est epistola *coepiscopis, presbyteris et diaconibus et cæteris fratribus*. Simul misit pecuniæ summam suo et Quirini nomine per Herennianum hypodiaconum, et Lucanum et Maximum et Amantium, acolythos. Gratias egerunt confessores per tres diversas litteras, quia variis in locis laborabant. Ex-

Digitized by Google

stant hæ litteræ, suntque inter Cyprianicas LXXVIII, LXXIX, LXXX.

Cypriani charitas Africæ finibus non continebatur; sed si codici antiquissimo fides habenda, litteris hortatus est duos alios martyres, Augustinum et Felicitatem, qui Capuæ in Campania passi feruntur in eadem Valeriani persecutione. Utriusque nomen legitur in antiquis martyrologiis Hieronymo adscriptis. Existimat Tillemontius Cyprianum, præter librum *de Exhortatione Martyrii*, præter litteras *ad Confessores*, aliud opus in eamdem sententiam scripsisse. Nam Pontius, postquam librum *de Exhortatione martyrii* commemoravit, hæc addit: « Quis denique tot confessores frontium notatarum secunda inscriptione signatos, et ad exemplum martyrii superstites reservatos, incentivo tubæ cœlestis animaret? » Porro, cum Pontius libros a Cypriano scriptos hoc loco recenseat, nec quidquam dicat de epistolis; librum aliquem vir eruditus his verbis indicari putat.

Cum diu Curubis moraretur Cyprianus, Paterno proconsuli successit Galerius Maximus, qui Cyprianum, ab exilio revocatum, in hortis manere jussit dum sententiam de illo ferret. Hos hortos Cyprianus initio conversionis vendiderat, ac pretium distribuerat pauperibus; sed ei Dei indulgentia restitutos fuisse discimus ex Pontio diacono. Dum autem ecclesiæ suæ prospicit, ac diem ex die expectat, ut promisso in visione martyrio coronetur, varii et incerti sermones in vulgus sparsi eum adduxerunt ut Romam mitteret qui certa et explorata de rebus Ecclesiæ referrent. Hi reditu suo nuntiaverunt rescripsisse Valerianum ad senatum ut episcopi, presbyteri et diaconi in continenti animadvertantur; senatores vero et viri egregii et equites romani, dignitate amissa, etiam bonis spolientur, et si, ademptis facultatibus, Christiani esse perseveraverint, capite quoque mulctentur; matronæ, ademptis bonis, in exilium relegentur; Cæsariani quicumque vel prius confessi fuerant, vel nunc confessi fuerint, confiscentur, et vincti in Cæsarianas possessiones descripti mittantur. Addebant Xystum in cœmeterio animadversum octavo iduum augustarum die, et cum eo diacones quatuor; sed et persecutioni quotidie præfectos instare, ut si qui sibi oblati fuerint animadvertantur, et bona eorum fisco vindicentur. Libenter his de rebus certiores collegas fecisset Cyprianus, sed non erat facultas clericorum quos mitteret: nam universi sub ictu agonis constituti recedere omnino Carthagine non poterant, parati omnes, pro animi sui devotione, ad divinam et cœlestem gloriam. Tandem, oblata occasione, scribit ad Successum episcopum, Epistolam LXXXII de rebus Roma allatis, eumque rogat ut hæc per eum collegis innotescant, ut ubique hortatu eorum possit fraternitas corroborari. Pro eo quod Valerianus rescripsisse dicitur, ut Cæsariani, « quicumque vel prius confessi fuerant, vel nunc confessi fuerint, confiscentur et vincti in Cæsarianas possessiones descripti mittantur, » multo aptius legi posset « et scripti, » ut est in cod. Veron., vel « et inscripti, » ut in Colbert. 2442. Inter supplicia veniebat illa inscripti frontis ignominia, ut patet ex his verbis Pontii: « Quis denique tot confessores frontium notatarum secunda inscriptione signatos, et ad exemplum martyrii superstites reservatos, incentivo tubæ cœlestis animaret? »

Postquam perlatum est ad Cyprianum frumentarios missos esse qui eum Uticam perducerent, consilio charissimorum consensit ut de hortis suis in abditum aliquem locum secederet. Inde ad ecclesiam suam scripsit epistolam ultimam, quæ est LXXXIII, seque hanc secedendi causam habuisse narrat, quod committere noluerit ut, in aliena civitate accepta super confessione sententia, exinde martyr ad Dominum proficisceretur; « quandoquidem ego, inquit, et pro me et pro vobis apud vos confiteri, et ibi pati, et exinde ad Dominum proficisci, orationibus continuis deprecer, et votis omnibus exoptem, et debeam. » Hortatur ut quietem et tranquillitatem teneant, nec quisquam tumultum moveat, aut ultro se gentilibus offerat.

Cum rediisset Carthaginem proconsul, rediit Cyprianus in hortos suos, carnificem expectans. « Conveniebant interim, ait Pontius, plures egregii et clarissimi ordinis et sanguinis, sed et sæculi nobilitate generosi, qui, propter amicitiam ejus antiquam, secessum subinde suaderent; et, ne parum esset nuda suadela, etiam loca in quæ secederet offerebant. » Idem etiam suadebant et fideles non pauci. Non dubitasset discedere Cyprianus, si Deus jussisset, ut observat idem Pontius. Tunc autem suadelis minime annuit; sed moriendi pro Christo cupidus, alios etiam ad constantiam hortari non desinebat. Tandem venit in hortos princeps, jussu proconsulis, cum militibus suis, ac comprehensus Cyprianus Christum postridie, id est 14 septembris, anno 258, confessus est et sanguinem pro eo fudit, ut perspici potest ex ejus vita a Pontio scripta, et Actis proconsularibus, ubi variæ confessionis et martyrii circumstantiæ, ad quas lectorem dimittimus, accurate describuntur. Utriusque monumenti contextum ex *Actis Martyrum sinceris*, utpote accuratius ibi quam in editionibus Cypriani castigatum, cum nonnullis doctissimi editoris notis excerpsimus. Unum est quod adjiciam ad laudem S. Cypriani, sacras ejus reliquias summa cum veneratione in monasterio Compendiensi a temporibus Caroli Calvi asservari. Hanc enim basilicam imperator ille in palatio suo magnifice extruxit, eamque præclarissimis dotavit privilegiis, ac ibi corpus sancti Martyris, quod ab Aarone Persarum rege legatis Caroli Magni concessum, ac Arelate et deinde Lugduni depositum fuerat, veluti eximium quoddam præsidium ac ornamentum collocari voluit, ut Ado Viennensis et certissima ejusdem monasterii instrumenta testantur.

Digitized by Google

XXXV.—DE LIBRIS CYPRIANO ADSCRIPTIS, AC PRIMUM DE TRIBUS EPISTOLIS A BALUZIO VULGATIS.—RECENSENTUR LIBRI DE SPECTACULIS, DE LAUDE MARTYRII, DE REBAPTISMATE, DE PUDICITIA, AD NOVATIANUM, ETC.

Ad ea quæ de Cypriani gestis et scriptis disserimus, nonnulla videntur appingenda de adscriptis ipsius nomini operibus, iis præsertim quæ sua commendat antiquitas. Tres epistolas ex antiquis codicibus eruit Baluzius, sed eas eruditus criticus genuinas esse non pronuntiat. Prima, quæ est Cornelii papæ ad Cyprianum adversus pravam rebaptizandi novitatem, præ se fert manifestam fraudis et mendacii notam; quippe cum hanc controversiam sub Cornelio natam non fuisse, ac summam semper consensionem Cornelium inter et Cyprianum intercessisse constet. Secunda prodit sub nomine Cypriani ad plebem Carthaginis; sed ætatem Cypriani non refert, aliud enim nihil loquitur nisi de Scripturarum traditoribus, et ab illius stylo adhuc longius remota est. Tertiam Cyprianus scribere dicitur benedicto et dilectissimo parenti Turasio, ut illius animum dolore commotum de filiæ dormitione consoletur. Nonnulla insunt iis quæ leguntur in libro Cypriani *de Mortalitate* simillima, sed stylus omnino diversus. Cæterum monebo hanc epistolam inter opera Hieronymi jamdudum vulgatam, in vetustis et recentioribus editionibus sub nomine Hieronymi ad Tyrasium reperiri.

Non indignum opus Cypriano liber *de Spectaculis*, sive eloquentiam spectes, sive evangelicum vigorem: multa concurrunt probabilia cur ei tribuatur. Scribit episcopus ad ecclesiam suam, a qua aberat invitus; scribit eo tempore quo mos deferendæ domum Eucharistiæ vigebat, quo Christianis maxime cavendum erat ab ethnicorum moribus. Multa ex Tertulliano imitatione expressa, qui pridem iisdem de rebus Carthagine disseruerat. Nec mirum est si in magna illa urbe, cui nullum deerat spectaculorum genus, mali contagium ipsos Christianos tentavit. Sed tamen causæ non videntur subesse satis graves ut liber *de Spectaculis* Cypriano adjudicetur. Nulla illius mentio apud Pontium, et quamvis ex his qui inter Cypriani opera editi fuerunt, nullus ad S. Martyris stylum propius accedat, inest tamen quædam dissimilitudo, quam aures legendo Cypriano assuetæ et contritæ facile percipiant.

Adscriptus est Cypriano liber *de Laude martyrii*, quem Erasmus, Dupinus et Fellus otiosi declamatoris fœtum esse opinati sunt. At profecto æquius judicandum erat de eximio opere ad cohortandos confessores composito non sine vivido quodam pietatis ardore, quem frigidus verborum artifex non facile imitetur. Illud etiam antiquitatem hujus operis commendat, quod nonnullis locis deploret auctor pestem horrendam quæ sub Gallo et Volusiano grassata est. Sed, cum libellus inscriptus sit Moysi et Maximo, quos anno 251, martyrio coronatos esse constat, nec pestis ante Galli et Volusiani imperium exarserit, inde colligit Fellus auctorem libelli in rebus ab ætate sua remotis parum commode finxisse. At nodum incidit Baluzius, qui hunc titulum, *ad Moysem et Maximum*, in vetustis codicibus desiderari testatur. His adde observationem Tillemontii, qui ex quodam Dionysii Alexandrini apud Euseb. (lib. VII, c. 11) de diaconis peste consumptis testimonio, quod ad Decii tempora videtur necessario referendum, hanc pestem sub hoc imperatore incœpisse concludit, quamvis sub Gallo et Volusiano potissimum sævierit. Cæterum, etsi hoc opus antiquum esse contendo, non tamen Cypriano adjudicaverim; tanta est huic libello cum Cypriani scriptis styli discrepantia.

Sequitur in editione Baluzii liber *de Rebaptismate*, sive adversus rebaptizantes, de quo consuli possunt notæ Baluzii. Opus a nonnullis tribuitur Ursino monacho, quem Gennadius, adversus eos qui rebaptizabant, sæculo quarto scripsisse testatur. Quæ Ursini monachi libro contineri ait Gennadius, ea in hac de rebaptismate pertractatione non difficile est animadvertere; nihil enim aliud agit auctor, quicumque tandem ille sit, nisi ut eos qui in hæresi baptizati sunt non rebaptizandos, sed ad saniorem fidem conversis manus imponendas esse vincat. Sed Ursinus monachus libelli hujus auctor videri non potest, nisi episcopus fuisse tertio sæculo dicatur. Episcopum se esse noster ille scriptor diserte declarat: « Siquidem per nos Baptisma tradetur, inquit (pag. 360), integre et solemniter et per omnia quæ scripta sunt adsignetur, atque sine ulla ullius rei separatione tradatur; aut si a minore clero per necessitatem traditum fuerit, eventum expectemus, ut aut suppleatur a nobis, aut a Domino supplendum reservetur. » Occurrunt in eodem scriptore sæculi tertii perspicuæ notæ. Sic enim de tota illa controversia loquitur, ut eam recens exortam esse, et adhuc vigere indicet. Ait enim (pag. 354) « monstri simile esse episcopos talia scandala cogitare: » propositum sibi esse turbulentis hominibus ut vel nunc suum negotium agere incipiant persuadere. » In ipso illo loco qui a Baluzio objicitur, utile esse statuit (p. 357) « tot annorum totque ecclesiarum, itemque Apostolorum et episcoporum auctoritati cum bona ratione adquiescere, cum sit maximum incommodum atque dispendium sanctissimæ matris Ecclesiæ adversus prisca consulta post tot sæculorum tantam seriem nunc primum repente ac sine ratione insurgere. » Colligi ex his verbis non debet auctorem sæculo quarto vixisse, sed tantummodo eum in exaggerando non valde timidum fuisse. Nam, præterquam quod ne quarto quidem sæculo sine absurda exaggeratione objicere potuit « tot sæculorum tantam seriem, » certe conceptis verbis declarat tunc primum controversiam de baptismo hæreticorum exarsisse; quod sæculo tertio proprie congruit. Quinetiam Cyprianum ipsum, tacito nomine, ut adhuc viventem et diversas partes auctoritate sua tuentem oppugnat. Statuit enim (p. 353) ejusmodi controversiæ nullum alium esse fructum nisi ut unus homo, quicumque ille est, magnæ prudentiæ et constantiæ esse apud quosdam leves homi-

Digitized by Google

nes inani gloria prædicetur, et hæreticorum stupore præditus, quibus hoc unum solatium est, si non soli peccare videantur, errores et vitia universarum ecclesiarum correxisse apud simillimos sui et compares celebretur. Quis Cypriano tam indignis modis conviciatus fuisset, postquam maculam erroris, quem non sine summa animi moderatione in re nondum decisa defenderat, martyrio abstersit, ejusque nominis, refrigerato contentionis æstu, summa exstitit in omnibus ecclesiis celebritas?

Existimavit Pamelius librum *de Pudicitia* a Cypriano in secessu scriptum esse; nec sane indignus videtur sancto Martyre, adeo insignis est pietatis notis; et ab episcopo absente ab ecclesia sua scriptum esse constat. Sed ad styli dissimilitudinem accedit Pontii silentium, qui ea maxime commemorare debuit quæ in secessu scripta fuerant. Perantiquus est auctor, quicumque tandem ille sit, et persecutionibus nondum sedatis scribebat. « Virginitas, inquit (pag. 4), persecutionem non potest timere, dum illam de securitate potest provocare. » Conjicit tamen Tillemontius hæc de persecutionibus Wandalorum intelligi posse; atque ex præclaris de Christi gratia testimoniis suspicatur hunc scriptorem Augustino posteriorem esse. Sed minus probabilis hæc conjectura, cum apud Cyprianum ipsum multo plura, atque haud scio an expressiora, occurrant ejusmodi testimonia.

Constat auctorem libri *ad Novatianum* æqualem esse Cypriani, nec dubium esse potest quin in pacificis et Ecclesiæ faventibus Valeriani primordiis scripserit. Unam enim tantum persecutionem numerat post eam quæ sub Decio sæviit, et eos qui in prima ceciderunt, in secunda victores fuisse dicit (pag. 11). Videtur etiam Africanus fuisse, tum quia sic ludit in Felicissimi nomine, qui vix notus extra Africam fuit: « Quid ad ista respondeant perversissimi isti Novatiani, vel nunc infelicissimi pauci (p. 9)? » tum quia, solam Ecclesiam cœlesti ratione baptizare pronuntians, hæreticorum baptisma non obscure rejicit (pag. 10). Sola styli dissimilitudo Tillemontium deterruit quominus hoc opus Cypriano tribueret. Sed tamen, præter hanc rationem, alia videtur afferri posse: nam declarat auctor hujus libri in ipso exordio, « cogitanti (sibi et) intolerabiliter animo æstuanti quidnam agere (deberet) de miserandis fratribus qui vulnerati, non propria voluntate sed diaboli sævientis irruptione, adhuc usque, hoc est, per longam temporum seriem agentes pœnas darent, ex adverso » exortum esse alium hostem et ipsius paternæ pietatis adversarium hæreticum Novatianum. His autem verbis indicat episcopum se esse, ac perhumaniter lapsis jamdudum pœnitentiam agentibus consulentem, moleste ferre quod suæ lenitati adversarium habeat hæreticum Novatianum. Hinc etiam infra, postquam de iis locutus est qui « prima acie, id est Deciana persecutione vulnerati, postea, id est secundo prælio » vicerant, addit eorum « pares, hoc est in eodem crimine lapsus sui adhuc usque constitutos nec ad pœnitentiam admittendos » a Novatianis judicari. Nondum ergo auctor hujus operis pacem concesserat his qui sub Decio lapsi fuerant. Non enim de aliis loquitur; pares illos vocat eorum qui primo in prælio victi, in secundo victores fuerant; ait eos post longam temporum seriem agentes pœnas dare, et adhuc usque constitutos in eodem crimine lapsus, quod alii martyrio expiaverant. At Cyprianus instante Galli et Volusiani persecutione lapsos, qui a primo lapsus die pœnitentiam egerant, in Dominicum gregem collegerat, ac eis sanguinem Christi dederat, ut illos ad suum pro Christo fundendum armaret.

Novatianus hoc in libro (p. 14) dicitur aliorum delicta, dum in Ecclesia esset, ut propria flevisse. Sed mirum est unde hanc sibi humanitatis et diligentiæ in lapsis curandis laudem comparaverit. Videtur repugnare Cornelii testimonium, qui Novatianum in persecutione Decii fratribus auxilio indigentibus succurrere noluisse testatur apud Euseb. (lib. VI, c. 43). Sed forte hæc humanitatis existimatio ad Novatianum pervenit ex præclarissimis Cleri Romani litteris, inter Cyprianicas XXXI, quæ a Novatiano scriptæ in totum orbem missæ fuerunt, teste Cypriano, Epist. LII.

Librum *de Aleatoribus* non esse Cypriani inter omnes convenit. Liquet ex initio fœtum esse alicujus episcopi, vel etiam, ut Bellarminus existimavit, Romani Pontificis. Antiquum opus esse demonstrat Scripturæ citandæ ratio. Serius tamen scriptum non immerito videretur, si in ipsis presbyteris, ut nonnulli opinati sunt, vitiosam aleæ consuetudinem vituperaret. Sed nihil vetat de laicis intelligi hæc verba: « Manus quæ ad sacrificium Dominicum admissa; et quod ad salutem totius hominis pertinet, dignatione suscipit, quæ divina sacramenta consummat. » Neque etiam controversiam ullam movere possint, liber *de Montibus Sina et Sion*, duæ *Orationes* Cypriano afflictæ, liber *de duodecim cardinalibus Christi operibus*. Celeberrimum est hoc postremum opus, quod Pamelius, aut Cypriani, aut æqualis scriptoris esse contendit. Sed jamdudum ex codicibus mss. adjudicatus est Arnoldo Bonævallis abbati in diœcesi Carnutensi. Sequuntur quædam carmina, quæ in vetustis codicibus nunc Cypriano, nunc Tertulliano afficta, utrique ab omnibus criticis abjudicantur.

XXXVI. — DE SINGULARITATE CLERICORUM, EPISTOLA CELSI AD VIGILIUM, ET NONNULLIS ALIIS.

Non leviter errarunt qui librum *de Singularitate Clericorum* Cypriano, aut Origeni aut Augustino attribuerunt. Cypriano et Augustino penitus abjudicat styli dissimilitudo, et Origeni episcopalis dignitas, qua videtur auctor hujus operis ornatus fuisse. Visa est nonnullis ratio probabilis cur hunc librum Origeni affingerent, quod laudari in hoc libro eos crederent qui sese studio castitatis evirant. At ii nequaquam laudantur, vel potius cavet auctor operis ne laudare illos videatur. Ait enim: « De quibus modo examinationis suspendo, sententiam relinquens alia disputatione promendam. » Atque, etiamsi ejusmodi luci-

Digitized by Google

nus hoc in libro probaretur, num idcirco tribuendus esset Origeni, qui quod adolescens commiserat, ætate maturior improbavit ?

Sed nemo longius aberravit a vero quam editor Oxoniensis, qui hunc librum circa Bedæ tempora scriptum existimat. Liquet hunc scriptorem vixisse cum persecutiones nondum desiissent : « Mentior, inquit, si non videmus exinde interitus plurimorum. Quanti et quales episcopi et clerici, simul et laici, post confessionum victoriarumque calcata certamina, post magnalia et signa vel mirabilia usquequaque monstrata, noscuntur cum his omnibus naufragasse, cum volunt in navi fragili navigare ! » Objiciebant clerici quos refellit, nonnullos « feminas habentes in domibus martyrium consecutos esse, ut illorum innocens conscientia probaretur. In martyrio, aiebant, ignoscitur nobis, sicut indultum est parentibus. » Elucet etiam scriptoris antiquitas ex illius de Angelis opinione, quos putat « cum feminis cecidisse. » Quod autem ait Christum seipsum comparare Deo ausum non esse, id profecto redolet ætatem Ario antiquiorem, quæ nonnumquam ad Personarum distinctionem attentior erat, quam ad æqualitatem defendendam.

His rationibus nititur editor Oxoniensis (not. 1), quod circa Bedæ tempora de clericorum cœlibatu maxime ferveret præsertim in Occidente controversia ; quod tunc revelationibus, ut hoc ipso in libro, conjugium sacerdotum prohibitum diceretur; quod hunc librum post Vulgatam versionem in usu receptam scriptum fuisse constet. Sed nihil prorsus agit petita ex revelationibus ratio, quæ multo frequentiores fuerunt tertio et quarto sæculo, quam circa Bedæ tempora. Jam tertio sæculo prohibitæ fuerant clericis mulieres subintroductæ : nam Paulo Samosateno, inter alia plurima, illud etiam crimini verterunt Antiocheni patres, quod cum ipse ejusmodi mulieres, tum etiam; ipso connivente, presbyteri et diaconi habuissent. Legi etiam potest Ep. LXII Cypriani. Quod spectat ad Vulgatam versionem, num, quæso, illam sequitur hic scriptor cum sic Apostolum citat : *Posteriora quidem obliviscens, ad ea quæ sunt ante petens, ad regulam sequor, ad palmam supernæ vocationis Domini nostri Jesu Christi.* Fecere id quidem librarii in hoc libro et multis aliis, ut Scripturæ testimonia ad Vulgatam revocarent; sed sæpe ex vetustis codicibus vera legendi ratio dignoscitur.

Statuere ergo licet hunc scriptorem tertio aut quarto incunte sæculo vixisse. Episcopum fuisse declarat ipsius in regenda ecclesia et in admonendis clericis sollicitudo, quibus testatur numquam litteras suas defuisse, « quæ per absentiam nostram, inquit, frequentiam omnibus pensaverunt. » Ante hunc librum scripserat illis epistolam, « quæ omnium morum instituta de lege commendans, summatim omnia contineret, quæcumque universis clericis generaliter ad dirigendam regulam competunt disciplinæ. »

Nihil dicam *de Expositione in Symbolum*, quod eximium opus, Hieronymo etiam adscriptum, nunc omnium judicio restituitur legitimo parenti Ruffino. Paulo accuratius examinanda Celsi *ad Vigilium* Epistola. Nihil aliud est hic libellus quam præfatio sive epistola nuncupatoria Celsi cujusdam senis christiani in *Altercationem Jasonis et Papisci;* quod opus ex græco latinum a se factum Vigilio episcopo nuncupavit. Damnum fecimus tum perantiqui illius libri, tum etiam latinæ interpretationis; sola exstat præfatio, sive epistola nuncupatoria. Cum Jason Christianus Hebræus cum Papisco, Judæo Alexandrino, de veritate christianæ religionis disseruisset, ac Judæus, post plurimas obstinati animi significationes, tandem oppugnatæ veritati dedisset manus, litteris græcis mandata sunt quæ inter utrumque tanto studio fuerant disputata. Non constat ab ipso Jasone scriptum esse colloquium, quamvis nemo aptius id facere potuisse videatur. Opus attribuebat S. Lucæ Clemens Alexandrinus in sexto *Hypotyposeon* libro, ut testatur Maximus in scholiis ad librum Dionysii *de Myst. Theol.* cap. 1, sed id prorsus improbabile est. Ipse Maximus Aristoni Pellæo ibidem adjudicat.

Celsus Epicureus cum historias Judæorum et Christianorum fabulas esse contenderet, ac operam ab utrisque in nonnullis allegorice interpretandis adhibitam floccifaceret, in exemplum adducebat Papisci cujusdam et Jasonis ἀντιλογίαν, quam, ut miseratione et odio digniorem quam risu, ne refellendam quidem judicabat. Observat Origenes (IV *Cels.* p. 199) ex omnibus Christianorum libris allegorias et enarrationes non contemnendo dicendi genere continentibus, eum a Celso electum esse qui vilior sit et ad multos ac simpliciores fide imbuendos aptior, quam ad intelligentiores permovendos; sed tamen nihil in eo occurrere contendit quod odio dignum sit, nec aliud quidquam requirit ad Celsi condemnationem, nisi ut legatur ille liber, « in quo describitur Christianus cum Judæo disserens ex scripturis Judaicis, et quæ de Christo prædicta sunt in Jesum convenire demonstrans; idque altero adversus hanc disputationem strenue et Judæi personæ convenienter obnitente. » Ex his perspici potest quibus de rebus hoc in libro pertractatum fuerit. Colligit ex Origene Tillemontius hanc sententiam ab auctore hujus libri diligenter inculcari, « omnis sapientiæ fontem ac principium esse Deo universorum credere, et actiones omnes eo referre ut illi quacumque de re placeatur, ac ne cogitare quidem quidquam quod illi displiceat ; quippe cum non solum dicta et facta, sed etiam cogitationes judicandæ sint. » Sed hanc sententiam Origenes Jasonis propriam non facit, sed ut commune principium commemorat omnium apud Christianos librorum. Hieronymus *Quæst. in Genes.* testatur initium Genesis in *Altercatione Jasonis et Papisci* sic exponi: *In Filio fecit Deus cœlum et terram;* citat etiam illud ex eodem libro λοιδορία Θεοῦ ὁ κρεμάμενος, *Maledictio Dei qui appensus est*, libr. II *in Ep. ad Galat.* His adde Maximum qui loco supra citato ait se legisse septem cœlos in *dialogo Jasonis et Papisci.* Brevem autem fuisse hanc pertractationem indicat latinus interpres, qui « Ju-

Digitized by Google

daici cordis obstinatam duritiam brevi monitione ac leni increpatione mollitam » fuisse dicit. Sic enim emendavimus pro eo quod antea legebatur « Hebræa monitione. »

Opinatus est Pamelius Jasonem Hebræum illum christianum, qui Papiscum Judæum Alexandrinum ad christianam religionem adduxit, eumdem esse ac eum de quo mentio fit *Act.* XVII, et XVI Epist. *ad Romanos;* sed nullo prorsus momento nititur hæc conjectura. Non dubium quin vixerit sæculo secundo, cum illius disceptatio cognita Celso fuerit. Episcopum aut saltem presbyterum fuisse crediderim, siquidem Papiscus veritatis luce perculsus, ut signaculum sumeret deprecatus Jasonem postulavit.

Quod spectat ad latinum interpretem, is senem se esse dicit ac Celsum vocari; disceptationem Jasonis Hebræi christiani et Papisci Judæi Alexandrini latinis litteris illustrare aggressus est, « animante Dei ope et servata verborum proprietate, » ut præclarissimam victoriam, quam veritas ex Papisci corde reportaverat, ad cognitionem græce nescientium transferret. Nuncupat interpretationem suam Vigilio episcopo, tum ut sacerdos utriusque linguæ peritus et sancti Spiritus veneratione verecundus, auctoritate Spiritus sancti opus comprobaret et emendaret; tum ut hac prima dilectionis petitione in discipulorum numerum ab eo adsciscereter. Ex quibus perspicitur Celsum in eam urbem cui præerat Vigilius, non multo ante venisse quam ei hoc munus offerret. Illum in hanc urbem ex altera parte provinciæ traxerat fama Vigilii; nec senectus, nec itineris longinquitas, nec tribulatio inopiæ atque penuriæ deterruerant. Hunc Vigilium Pamelius Tridentinum episcopum fuisse conjicit; sed quod Celsus Vigilio suo de futuro martyrio gratulatur, eumque ait Dei judicio martyrem destinatum fuisse cum mirabili modo episcopus constitutus esset, id Vigilio Tridentino aptari non potest, quem sæculo quarto exeunte in summa Ecclesiæ pace viventem nemo spe et expectatione martyrem dicere potuit.

Sequitur alius tractatus *adversus Judæos*, Cypriano prorsus abjudicandus. Multo absurdius fecere qui librum *de Revelatione Capitis beati Joannis Baptistæ* inter opera Cypriani ediderunt. Reperitur fabulosum opus in antiquissima Vindelici Spirensis editione. Erasmi nomini non leve dedecus inusserunt H. Gravius et Pamelius, qui librum *de duplici Martyrio* elucubratum ab eo et affictum Cypriano judicarunt. De hoc libello diximus in præfatione. *De duodecim Abusionibus sæculi* variæ sunt conjecturæ, aliis laico cuidam Erardo nomine, aliis S. Patritio Hibernorum apostolo adjudicantibus. Opus Augustino tribuitur in multis codicibus antiquis, ac cum illius operibus editus est. Testatur Fellus olim in linguam Anglorum translatum fuisse, et in volumine manu scripto homiliarum Saxonicarum reperiri sub hoc titulo: *De duodecim abusivis, secundum disputationem S. Cypriani episcopi et martyris.* At nullum prorsus monumentum a pietate Cypriani longius distat quam *Cœna Cypriani.* Nihil enim aliud habet præter ineptissimos jocos, non ex rebus profanis, sed quod Turca dignius quam Christiano existimat Tillemontius, ex Scripturis sacris per fas et nefas deductos. Testatur Salmasius in notis *ad Flavium Vopiscum* (p. 396), se beneficio doctissimi jurisconsulti Jureti habuisse hunc libellum manu scriptum ab Azelino monacho Rhemensi versibus redditum cum hoc titulo: « Cœna Azelini Rhemensis monachi, quam condidit ad Henricum imperatorem, imitatus Cyprianum Carthaginensem. » Vide de eodem libro Casimirum Oudin.

Nonnulla alia nomen Cypriani præ se ferunt, velut *Tyronis et Senecæ Notæ*, quas Cyprianum auxisse vocabulis Christianorum usui aptis existimat post Trithemium Gruterus, a quo hæ notæ in lucem editæ sunt. Editum est ab Anglis sub nomine Cypriani computum Paschale, quod a Paulo diacono designari existimant, cum ait Cyprianum chronicam valde utilem composuisse. Scriptoris ætatem indicat computum, quod ad quintum Gordiani annum, et consules Arianum et Papum perducitur. Non omnino repugnat ut jam tum conversus fuisse Cyprianus existimetur, quamvis id Pontius diaconus suadeat serius contigisse. Sed non quadrat hujus scriptoris styli barbaries cum elegantia sermonis quam Cypriano in primordiis conversionis studio fuisse perspicitur ex Epistola *ad Donatum.* Reperit editor Oxoniensis duos libellos sub nomine Cypriani, alterum latine, alterum græce scriptum. Primi titulus, *Secreta Cypriani:* alterius εὐχὴ Κυπριάνου. Utrumque, utpote fœdissimæ superstitionis plenum, luce prorsus indignum judicavit. Hæc autem supposita videntur fuisse Cypriano Antiocheno, de quo jam nobis agendum.

XXXVII. — DE S. CYPRIANI ANTIOCHENI PŒNITENTIA, ET ALIIS DUOBUS LIBELLIS AD EUM PERTINENTIBUS.

Supra conati sumus probare Cyprianum Antiochenum non esse hominem fabulosum, ut existimavit Oxoniensis editor. Nunc consideranda nobis illius *Pœnitentia* sive *Confessio;* quod opus latine editum ab Anglis, græce et latine vulgandum duximus. Agemus etiam de duobus aliis libellis, nempe *Conversione Justinæ et Cypriani*, et utriusque *Passione*, quos, conjuncte cum Confessione ex vetusto codice sancti Audoeni Rhotomagensis erutos, non ita pridem duo eruditi viri, D. Edmundus Martene et D. Ursinus Durand latine ediderunt tom. III *Thesauri Anecdotorum.*

Existimavit S. Gregorius Nazianzenus Confessionem ab ipso martyre scriptam fuisse. Ait enim in *Orat.* XVIII (p. 278), illum « vitæ suæ turpitudinem longa oratione proscindisse, ut ipsam quoque scelerum confessionem Deo muneris loco offerret, ac multis eorum qui ab improba et flagitiosa vivendi ratione animum revocant, ad melius sperandum via existeret. » Idem etiam existimant Tillemontius et qui triplex illud monumentum vulgarunt. Sed, quominus his assentior, detinent me non solum magicæ artis quidam effectus fabulam redolentes, sed ipsa etiam magicarum operationum longa descriptio et

Digitized by Google

exquisitæ de singulis vitiorum formis ambages, quæ prorsus frigidæ videntur, et curiosa magis consideratione quam pungente intimos sensus dolore continueri. Deinde vero is qui Cyprianum in hoc libro loquentem inducit, non obscure indicat se in ejus sceleribus enarrandis non certa semper et explorata sequi, sed ex iis quæ a magis fieri solent, quid Cyprianus egisset conjicere. Ait enim Eusebius Cypriano : « Probo confessionem tuam, qua mihi impietates a te admissas et non admissas enarrasti. » Numquam hæc scripsisset ipse Cyprianus; sed alius his verbis admonet se idcirco tot scelera Cypriano attribuisse, non quod omnia ab eo commissa certo sciret, sed quod pleraque, utpote a magis perpetrari solita, celeberrimus magus evitasse non videretur. In quo quidem sinceri scriptoris officio functus est, qui fucum lectoribus facere noluerit, si quam in scribendo licentiam sibi sumeret. Quamvis ergo hoc opus non scriptum sit ab ipso Cypriano, non tamen illius conversio fabulis adscribenda; nec si quis hunc eventum elegit in quo ornando et amplificando elaboraret, idcireo historiæ summa in suspicionem vocanda, cum præsertim scriptor ille uti potuerit antiquioribus monumentis quæ Cypriani et Justinæ martyrii acta, ut legimus sub finem libelli de utriusque passione, « ab initio usque in finem scripta » continebant.

Quod spectat ad tempus quo hæc scripta Confessio, etsi huic operi nulla prorsus apud editorem Oxoniensem fides, illud tamen existimat Constantini imperio antiquius. Sed quod in Conversione, quæ ejusdem scriptoris fœtus videtur esse ac Confessio, Christiani vocantur Galilæi, id magnam habet necessitudinem cum ætate Juliani imperatoris, quem nemo nescit hoc nomine Christianos solitum compellare : satis apposita videntur ad hoc tempus quæ in utroque libello de inanibus magicæ artis in Christianos conatibus leguntur.

Non pugnat cum sæculi tertii institutis commissa Justinæ monasterii virginum administratio, ut legimus sub finem Conversionis; siquidem jam tum exstitisse ejusmodi virginum cœnobia perspicitur ex Vita S. Antonii, qui sororem suam, teste Athanasio, (n. 3) in parthenonem educandam deduxit circa annum 271 : sed sæculo quarto magis quam tertio congruit quod eadem Justina capillos Deo totondisse dicitur sub finem Confessionis. Testatur Hieronymus in Epistola *ad Sabinianum*, morem esse in Ægypti et Syriæ monasteriis, ut tam virgo quam vidua quæ se Deo voverint, crinem monasteriorum matribus offerant desecandum : quod quidem addit munditiei causa fieri, quia ejusmodi feminæ nec lavacro nec oleo utebantur. Hic autem observabo ejusmodi virgines longe ab illis discrepare quas synodus Gangrensis anathemate damnavit; de quibus etiam Theodosius sanxit an. 390, « ut feminæ quæ crinem suum, contra divinas humanasque leges, instinctu persuasæ professionis absciderint, ab ecclesiæ foribus arceantur..... ; adeo quidem ut episcopus, tonso capite feminam si introire permiserit, ipse etiam cum hujusmodi contuberniis arceatur, » etc. (*Cod. Theod.* tom VI, p. 61). Existimat Gothofredus omnem prorsus radendi capitis morem a synodo Gangrensi et a Theodosio in feminis fuisse damnatum. Unde vir doctissimus in morem a Syriæ et Ægypti monasteriis, ac postea ab aliis ascitum, velut in magnum nefas invehitur, ac non sine ingenti queritur dolore « quod tandem mores in potestatem suam leges humanas et divinas perduxerint. » At hæc clarius est nec synodum Gangrensem, nec Theodosium ad eas virgines respexisse, quas testatur Hieronymus, etsi crines tonderent, velato tamen ac ligato esse capite; sed ad alias longe dissimiles, quæ, ut ait synodus Gangrensis, « præceptum subjectionis » dissolvebant, ἀναλύουσα τὸ πρόσταγμα τῆς ὑποταγῆς, quia scilicet intecto capite incedebant. Unde Theodosius, cum ejusmodi feminæ ab omnibus videri possent, episcopos deponi jubet si introitum illis in ecclesiam concesserint.

Cum ergo triplex illud monumentum pluribus sæculi quarti notis signatum sit, sicque aliquo intervallo distet a Cypriano Antiocheno, fieri potuit ut ad historiæ summam nonnulla ornandi aut amplificandi causa adderentur. Displicet enim mihi Justina super fenestram sedens, dum diaconum Præsidium de Evangelio disserentem audit, ac per fenestram quotidie ab eodem diacono solita edoceri. Idem de Thecla Paulum audiente dictum in hujus virginis *Vita*. Præterea, quæ latine tantum extant, non tanti esse momenti debent quanti esset græcus ipse contextus : nam, cum, latinam Confessionis interpretationem cum græco contexu conferens, multa interpretem detraxisse, multa addidisse, et in plurimis a vero sensu aberrasse deprehenderim, vereor ne idem in duas alias partes evenerit. Hinc nihil reperias in *Conversione* de præclara illa prece qua Justina Deiparam, teste Gregorio Nazianzeno, in ipso tentationis discrimine orabat, ut virgini virgo succurreret; nihil de combustis a Cypriano magicis libris ante baptismum, nihil de ostiarii munere, quod ei post baptismum commissum est. Eadem forte de causa in *Passione Cypriani et Justinæ* judex qui eos damnavit, comes Orientis dicitur, et Diocletiano sic scribit : *Claudio* (*Diocletiano* cod. Colbert.), *Cæsari magno, terræ et maris domino, salutem*. Sic etiam Cyprianus et Justina Damascum accersuntur, quamvis apud Photium Justina jam antea in hanc urbem migrasse, tunc autem solus Cyprianus eo perductus fuisse dicatur.

Cyprianum cum Justina passum esse Nicomediæ sub Diocletiano et Maximiano tum cum Diocletianus Nicomediæ versaretur, ex Eudociæ apud Photium testimonio perspicitur, et ex ipsa Passione. Quod si passi sunt die 26 septembris, quo die eorum natalia Latini celebrant, vel ut apud Græcos, die 2 octobris, necesse est, ut observat Tillemontius, id anno 304 contigisse. Neque enim anno 303 contingere potuit; quia Diocletianus hoc anno circa mensem novembrem Romæ versabatur, nec persecutio ante annum 304 adversus laicos exarsit; neque

Digitized by Google

etiam anno 305, quia hoc anno Diocletianus jam mense maio imperium abdicaverat.

Videtur ætate provectus fuisse Cyprianus cum vitam pro Christo profudit. Annos triginta natus ex Ægypto in Chaldæam profectus est, ibique commoratus rediit in patriam, ubi multis facinoribus famam et nomen adeptus est, ac tandem aliquando, cum nefariæ artis irritos in Justinam conatus sensisset, nomen dedit christianæ religioni. Post annum presbyter factus est, et sexdecim annis in hoc gradu exactis Anthimo episcopo successit. Necesse est eum in episcopatu plures annos traduxisse, « siquidem multorum corda illuminabat per verbum Dei et convertebat ab omni hæresi et augebat gregem Christi. » Anthimus autem Cypriani decessor Optato successerat, a quo Ædesius et Cledonia cum filia Justina baptizati sunt; Ædesius etiam presbyter creatus, quo ministerio per annum et menses sex perfunctus est.

NOTITIA CODICUM MANUSCRIPTORUM
QUI AD HANC EDITIONEM ADORNANDAM ADHIBITI FUERE.

Contulerat Baluzius cum codicibus manuscriptis plurima Cypriani operum edita exemplaria, quæ nobis inspicere non licuit. Sed ex ejus notis existimari potest quantum industriæ ac laboris in hoc genere insumpserit. Nam, præter codices qui Manutio, Pamelio, Rigaltio et Anglis usui fuerunt, habuit Baluzius ac diligenter cum editis contulit plures ex bibliotheca Regia, in his vetustum codicem qui olim fuit S. Martini Tornacensis: ex bibliotheca autem Colbertina codices 137, 782, 801, 2442, et vetustissimum 1305, qui fuit olim bibliothecæ Thuanæ, et alium qui fuit olim collegii Fuxensis: ex bibliotheca Remigiana unum vetustissimum, et alium recentiorem: unum ex monasterio S. Dionysii in eadem urbe: plures etiam tum ex S. Victoris Parisiensis, tum ex ipsius Baluzii bibliotheca. His adde Seguerianum ante annos mille scriptum, Beccensem, Divionensem, Corbeiensem, Gratianopolitanum clarissimi viri Gasparis Boni, Burgundicum, Fossatensem, Carnotensem, Lamonianum, Compendiensem, Pithœanum, Sorbonicum, Monasteriensem, nunc Parisiis in bibliotheca Augustinianorum suburbii S. Germani asservatum, Floriacensem, Moyssiacensem, vetustum librum qui fuit Raymundi episcopi Acconensis; alios denique ex monasteriis S. Arnulphi Metensis, S. Michaelis in periculo maris, S. Germani a Pratis, S. Galli, Montis S. Eligii. Præterea missæ ad Baluzium fuerunt variæ lectiones excerptæ ex codicibus Vaticanis, ut patet ex ejus notis ad Epistolam Cypriani XLVIII. Ex his autem codicibus, quos recensuimus, nonnulli ab Anglis citari solent: sed tamen sic illis utitur Baluzius, ut eos contulisse cum editis aut saltem consuluisse videatur.

Adhibuimus etiam ad opera Cypriano adscripta veteres libros ex bibliotheca Regia, ex Colbertina, ex Sorbonica, Victorina et Sangermanensi. Sed ad ea quæ majoris sunt pretii, accurate emendanda et castiganda magno in primis usui fuerunt tres antiquissimi codices, Remigianus unus ad epistolam *Celsi ad Vigilium*, et duo Sangermanenses ad librum *de Singularitate Clericorum* et *Expositionem in Symbolum*.

D. Prud. Maran.

INDEX CAPITUM
QUÆ IN PRÆFATIONE, ET VITA S. CYPRIANI, NUNC PRIMUM ADORNATA, CONTINENTUR.

Præfatio, in qua, post enumeratas sancti Cypriani operum editiones, de S. Martyris doctrina pluribus disseritur. Pag. 9.

I Cypriani sententia de unitate et infallibilitate Ecclesiæ. 15

II Refelluntur qui episcopos apud Cyprianum jure divino a presbyteris distingui negant. 22

III Primatus Ecclesiæ Romanæ a S. Cypriano semper agnitus. 23

IV De dissentione S. Cypriani cum S. Stephano. Nullum baptisma probatum Stephano, nisi quod ex præscripta a Christo forma datum esset. 27

V S. Cyprianus sententiam adversariorum minus intellexit. De baptismo in Christi nomine. Stephani sententia orta ab Apostolis. 31

VI Quibus potissimum rationibus sese S. Cyprianus defenderit. Nec sacramenta a malis in Ecclesia administrata, nec traditionem rejecit. 35

VII Confirmationem non confundit S. Cyprianus cum impositione manuum in hæreticos redeuntes. Confirmationem inter sacramenta numerat. 39

VIII Pœnitentiæ sacramentum ex S. Cypriani testimoniis defenditur. Quam necessarium judicaverit, quam sancte administrari voluerit ostenditur. Nonnulla illius dicta explicantur. 42

IX Utrum in Africa ante S. Cyprianum gravissimis criminibus negata fuerit communio post pœnitentiam. 47

Digitized by Google

X	Utrum nova sub S. Cypriano inducta sit disciplina, ac pristina severitas in solos apostatas et desertores retenta ?	Col. 51
XI	Utrum S. Cyprianus lapsis in decursu pœnitentiæ morientibus pacem negaverit, his tantum exceptis qui libellos a martyribus acceperant.	55
XII	Utrum concilium Carthaginense pœnitentiam sacrificatis per totum vitæ tempus imposuerit.	59
XIII	De Christi in Eucharistia præsentia.	62
XIV	De Communione sub utraque specie.	66
XV	S. Cypriani sententia de sacrificio, de purgatorio et invocatione sanctorum.	67
XVI	De Christi divinitate, ejusque gratia.	71
	Vita sancti Cypriani, nunc primum adornata.	74
I	De S. Cypriano nondum Christiano. Distinguendus est a Cypriano Antiocheno.	75
II	De S. Cypriani conversione. Catechumenus bona sua distribuit, seque voto continentiæ obstrinxit. Incertum quo anno et tempore baptizatus.	77
III	De studiis et scriptis S. Cypriani a baptismo usque ad ordinationem.	81
IV	Cyprianus presbyterium et sacerdotium statim accipit. Quo anno ordinatus episcopus. Res gestæ et scriptæ in primordiis episcopatus.	82
V	De persecutione Decii ejusque initiis, ac de magno lapsorum et confessorum numero.	86
VI	In quo positum eorum delictum qui Libellatici appellati sunt.	89
VII	Cyprianus secedit in persecutione justissimis de causis.	93
VIII	De litteris Cleri Romani Carthaginem missis, postquam Cyprianum secessisse nuntiatum est.	95
IX	De prima Cypriani Romanorum litteris responsione. De tredecim litteris ante secundam responsionem scriptis et simul cum illa Romam perlatis, ex quibus multas desiderari ostenditur.	96
X	Ordo Epistolarum Cypriani ante decimam quintam ad Romanos scriptam, ac primo de quinta et nona. Referenda ad aliud tempus trigesima septima.	99
XI	Quinque S. Cypriani litteræ de lapsis. Facinus presbyterorum qui communionem lapsis dederant, non dissimulavit. Non suspensionem sed excommunicationem illis minatur.	101
XII	De epistola XV S. Cypriani et pluribus aliis paulo post novo tumultu exorto scriptis.	106
XIII	De epistola Celerini ad Lucianum et responsio Luciani.	108
XIV	Scribit S. Cyprianus ad clerum de ordinatione Saturi et Optati. Variæ lapsorum ad S. Cyprianum litteræ. Clerus removet a communione sua Gaium Diddensem. Quo tempore litteræ XXIII et XXIX scriptæ. De Cleri Romani et confessorum litteris.	110
XV	Persecutio recrudescit ; pax futura S. Cypriano revelatur. Res interim ab eo gestæ et scriptæ anno 250 exeunte recensentur.	113
XVI	Vicarios pro se mittit Cyprianus. Minæ Felicissimi.	115
XVII	Schisma Felicissimi anno 251 ineunte. Novatus unus ex quinque schismaticis presbyteris. De epistola XL Cypriani.	117
XVIII	Redit Cyprianus, persecutione sopita, et cum collegis deliberat de causa lapsorum ; sed ante concilium scribit librum de lapsis.	119
XIX	Prudentia sancti Cypriani in comprimendo schismate Novatiani, et confirmando episcopatu S. Cornelii.	123
XX	Quo tempore erupit schisma Novatiani.	125
XXI	Quo tempore ordinatus Novatianus.	128
XXII	Ordo rerum a sancto Cypriano gestarum in causa Cornelii.	131
XXIII	Novi conatus Novatiani. Reditus confessorum Romanorum in Ecclesiam hortatu Cypriani ; id ante concilium Romanum anni 251 contigisse ostenditur.	133
XXIV	De gestis et scriptis S. Cypriani anno 252 ante persecutionem.	136
XXV	Persecutio revelatur Cypriano. Hortatur Thibaritanos ad certamen. Lapsis pœnitentibus pacem restituit in concilio, quod ab alio idibus maii habito distingui debet.	141
XXVI	S. Cornelio gratulatur confessionis laudem S. Cyprianus. Confessores Carthaginenses exhortatur per Epist. LXXXI, quæ in hac persecutione scriptam fuisse ostenditur anno 252.	142
XXVII	Mira charitas S. Cypriani in pestis calamitate. Religionem defendit adversus Demetrianum. Totius ecclesiæ Carthaginensis prolixa in redimendis captivis liberalitas.	146
XXVIII	De libris et epistolis post persecutionem scriptis sub Valeriano atque in primordiis Stephani papæ, anno 253 et 254.	149
XXIX	Dissensiones de baptismo exortæ anno 253 exeunte : ac S. Stephanus ante cum Orientalibus quam cum Afris certavit.	152
XXX	Ordo et series rerum in Africa gestarum anno 255 et 256, usque ad concilium tertium Carthaginense.	155
XXXI	De concilio tertio Carthaginensi. Mittit Cyprianus Rogatianum diaconum ad Firmilianum. De epistola Firmiliani ad Cyprianum.	160
XXXII	Nonnullæ observationes adduntur in hanc de Baptismo controversiam.	164
XXXIII	De Epistola LXIII Cypriani adversus eos qui aquam solam in matutino sacrificio adhibebant.	166
XXXIV	Confessio et martyrium Cypriani.	167
XXXV	De libris Cypriano adscriptis, ac primum de tribus epistolis a Baluzio vulgatis. Recensentur libri de Spectaculis, de Laude martyrii, de Rebaptismate, de Pudicitia, ad Novatianum, etc.	171
XXXVI	De Singularitate clericorum, epistola Celsi ad Vigilium, et nonnullis aliis.	174
XXXVII	De S. Cypriani Antiocheni Pœnitentia, et aliis duobus libellis ad eum pertinentibus.	178

Digitized by Google

ORDO EPISTOLARUM SANCTI CYPRIANI

QUEM PAMELIUS ET BALUZIUS SECUTI SUNT,

COMPARATUS CUM ORDINE EDITIONIS OXONIENSIS.

OXON.	PAMEL.	BALUZ		ED. BAL.	NOV. ED.
	I		Expuncta a Baluzio.	»	»
	II	1	Ad Donatum.	Pag. 1	195
8	III	2	Cleri Romani ad clerum Carthaginensem de secessu divi Cypriani.	7	225
9	IV	3	Ad presbyteros et diaconos Romæ consistentes.	8	230
5	V	4	Ad presbyteros et diaconos.	9	232
14	VI	5	Ad presbyteros et diaconos.	*Ib.*	233
13	VII	6	Ad Rogatianum presbyterum et cæteros confessores.	11	235
11	VIII	7	Ad clerum, de precando Deo.	13	240
10	IX	8	Ad martyres et confessores.	16	245
16	X	9	Ad clerum, de quibusdam presbyteris qui temere pacem lapsis dederunt, necdum sedata persecutione et citra conscientiam episcoporum.	18	250
15	XI	10	Ad martyres et confessores qui lapsis petierunt pacem dari.	19	253
17	XII	11	Ad plebem.	21	256
18	XIII	12	Ad clerum, de lapsis et catechumenis, ne vacui exeant.	22	258
19	XIV	13	Ad clerum, de his qui ad pacem festinant.	*Ib.*	260
20	XV	14	Ad presbyteros et diaconos Romæ consistentes.	23	261
37	XVI	15	Ad Moysen et Maximum et cæteros confessores.	24	264
23	XVII	16	Confessorum ad Cyprianum.	26	268
26	XVIII	17	Ad presbyteros et diaconos, de præcedenti et duabus sequentibus epistolis.	*Ib.*	269
24	XIX	18	Caldonii ad Cyprianum.	27	271
25	XX	19	Cypriani Caldonio.	28	273
21	XXI	20	Celerini ad Lucianum.	*Ib.*	274
22	XXII	21	Luciani ad Celerinum.	30	279
27	XXIII	22	Ad clerum Romæ consistentem, de multis confessoribus et de Luciani inverecundia et Celerini confessoris modestia.	31	282
29	XXIV		Ad clerum, de litteris Romam missis et de Saturo lectore et Optato hypodiacono factis.	33	287
28	XXV		Ad Moysen et Maximum et cæteros confessores.	*Ib.*	288
31	XXVI		Moyses, Maximus, Nicostratus et alii confessores respondent præcedenti epistolæ.	34	290
33	XXVII		Cyprianus lapsis.	37	298
34	XXVIII		Ad presbyteros et diaconos.	38	300
35	XXIX		Ad presbyteros et diaconos Romæ consistentes.	39	302
36	XXX		Presbyteri et diaconi Romæ consistentes ad Cyprianum.	40	303
30	XXXI		Cleri Romani ad Cyprianum.	42	307
32	XXXII		Ad clerum Carthaginensem, de missis Romam et acceptis inde litteris.	45	315
38	XXXIII		Ad clerum et plebem, de Aurelio lectore ordinato.	46	317
39	XXXIV		Ad clerum et plebem de Celerino lectore ordinato.	47	320
40	XXXV		Ad eosdem, de Numidico ordinato presbytero.	48	324
7	XXXVI		Ad clerum, de cura pauperum et peregrinorum.	49	326
12	XXXVII		Ad clerum, ut confessoribus in carcere constitutis omnis humanitas præbeatur.	50	327
41	XXXVIII		Ad Caldonium, Herculanum et cæteros, de abstinendo Felicissimo.	51	329
42	XXXIX		Caldonii, Herculani et cæterorum epistola ad Cyprianum, de abstento Felicissimo cum suis.	52	331
43	XL		Ad plebem, de quinque presbyteris schismaticis factionis Felicissimi.	*Ib.*	332
44	XLI		Ad Cornelium, quod ordinationem Novatiani non receperit.	55	339
45	XLII		Ad Cornelium, de ordinatione ejus a se comprobata et de Felicissimo.	56	*Ib.*
47	XLIII		Ad eumdem, quod ad confessores a Novatiano seductos litteras fecerit.	58	*Ib.*
46	XLIV		Ad confessores Romanos, ut ad unitatem redeant.	*Ib.*	340
48	XLV		Ad Cornelium, de Polycarpo Hadrumetino.	59	341
49	XLVI		Cornelii ad Cyprianum, de confessoribus ad unitatem reversis.	60	*Ib.*
51	XLVII		Cypriani ad Cornelium, responsum congratulatorium de illorum reditu ex schismate.	61	*Ib.*
50	XLVIII		Cornelii ad Cyprianum, de factione Novatiani cum suis.	62	342
52	XLIX		Cypriani responsum ad Cornelium, de Novati sceleribus.	63	*Ib.*
53	L		Maximi et cæterorum confessorum ad Cyprianum, de suo reditu ex schismate.	64	*Ib.*
54	LI		Cypriani ad confessores, de reditu ex schismate congratulatoria.	65	*Ib.*
55	LII		Ad Antonianum, de Cornelio et Novatiano.	66	345
56	LIII		Ad Fortunatum et alios collegas, de iis qui per tormenta superantur.	76	346
57	LIV		Ad Cornelium, de pace lapsis danda.	77	348
59	LV		Ad Cornelium, de Fortunato et Felicissimo, sive contra hæreticos.	79	*Ib.*
58	LVI		Ad Thibaritanos, de exhortatione martyrii.	90	349
60	LVII		Ad Cornelium in exsilio, de ejus confessione.	94	358
61	LVIII		Ad Lucium, Papam Romanum, reversum ab exsilio	96	*Ib.*
64	LIX		Ad Fidum, de infantibus baptizandis.	97	359
62	LX		Ad episcopos Numidas, de redemptione fratrum ex captivitate Barbarorum.	99	*Ib.*
2	LXI		Ad Euchratium, de histrione.	101	362
4	LXII		Ad Pomponium, de virginibus.	102	364
63	LXIII		Ad Cæcilium, de sacramento Dominici calicis.	104	372
65	LXIV		Ad Epictetum et plebem Assuritanorum, de Fortunatiano, quondam eorum episcopo.	110	389
3	LXV		Ad Rogatianum, de diacono qui contra episcopum contendit.	112	393
1	LXVI		Ad clerum et plebem Furnis consistentem, de Victore qui Faustinum presbyterum tutorem nominavit	114	397

Digitized by Google

Oxon.	Pamel. Baluz.		ED. BAL.	NOV. ED.
68	LXVII	Ad Stephanum, de Marciano Arelatensi, qui Novatiano consensit Pag.	115	399
67	LXVIII	Ad clerum et plebes in Hispania consistentes, de Basilide et Martiale.	117	400
66	LXIX	Ad Florentium Pupianum, de obtrectatoribus.	121	*Ib.*
70	LXX	Ad Januarium et cæteros episcopos Numidas, de baptizandis hæreticis.	124	408
71	LXXI	Ad Quintum, de hæreticis baptizandis.	126	*Ib.*
72	LXXII	Ad Stephanum papam, de concilio.	128	411
73	LXXIII	Ad Jubaianum, de hæreticis baptizandis.	129	412
74	LXXIV	Ad Pompeium, contra epistolam Stephani, de hæreticis baptizandis.	138	*Ib.*
75	LXXV	Firmiliani episcopi Cæsareæ Cappadociæ ad Cyprianum, contra epistolam Stephani.	142	413
69	LXXVI	Ad Magnum, de baptizandis Novatianis et de iis qui in lecto gratiam consequuntur.	158	414
76	LXXVII	Ad Nemesianum et cæteros martyres in metallo constitutos.	159	*Ib.*
77	LXXVIII	Nemesiani, Dativi, Felicis et Victoris responsum ad Cyprianum.	161	420
78	LXXIX	Ad eumdem Lucii et cæterorum martyrum responsum.	162	422
79	LXXX	Felicis, Jaderis, Poliani et cæterorum martyrum responsum ad Cyprianum.	163	423
6	LXXXI	Cypriani ad Sergium et Rogatianum et cæteros confessores in carcere constitutos.	*Ibid.*	424
80	LXXXII	Ad Successum, de nuntiis Roma reversis persecutionem nuntiantibus.	165	429
81	LXXXIII	Ad clerum et plebem, de suo secessu, paulo ante passionem.	166	431
		Cornelii papæ ad Cyprianum.	167	432
		Ad plebem Carthaginis.	*Ibid.*	435
		Ad Turasium presbyterum.	168	434

TRACTATUS.

		ED. BAL.	NOV. ED.		ED. BAL.	NOV. ED.
Liber de Habitu virginum.	Pag.	173	439	Testimoniorum libri tres adversus Judæos. Pag.	274	678
Liber de Lapsis.		181	463	Liber primus.	276	679
Liber de Unitate Ecclesiæ.		193	493	Liber secundus.	283	695
Liber de Oratione Dominica.		204	519	Liber tertius.	298	725
Liber ad Demetrianum.		216	543	Concilium Carthaginense Sententiæ episcop. LXXXVII, de hæreticis baptizandis.	329	t. III.
Liber de Idolorum Vanitate.		225	565	Liber de Spectaculis.	339	779
Liber de Mortalitate.		229	583	Liber de laude Martyrii.	343	787
Liber de Opere et Eleemosyna.		257	601	Anonymi liber de Rebaptismate.	353	t. III.
Liber de Bono Patientiæ.		247	621			
Liber de Zelo et Livore.		255	637			
Epistola ad Fortunatum, de Exhortatione martyrii.		261	651			

OPUSCULA VULGO ADSCRIPTA SANCTO CYPRIANO,

EX EDITIONIBUS OXONIANA ET BALUZIANA.

	ED. BAL.		ED. BAL.
De disciplina et bono Pudicitiæ.	Pag. ij	Hymnus Victorini Pictaviensis de cruce Domini.	Pag. clix
Ad Novatianum hæreticum, quod lapsis spes veniæ non est deneganda.	vij	De Singularitate clericorum.	clxj
De Aleatoribus.	xvij	Expositio in symbolum Apostolorum.	clxvij
De montibus Sina et Sion.	xxiij	Ad Vigilium episcopum, de Judaica incredulitate.	ccxxxij
Oratio Cypriani Antiocheni pro martyribus.	xxxj	Tractatus adversus Judæos qui insecuti sunt Dominum.	ccxlj
Oratio Cypriani Antiocheni quam sub die passionis suæ dixit.	xxxiij	De Revelatione capitis beati Joannis-Baptistæ.	ccxlvij
Arnoldi abbatis Bonæ-Vallis tractatus de novissimis verbis Domini in cruce.	xxxvij	De duplici martyrio ad Fortunatum.	ccliij
De ejusdem cardinalibus operibus Christi.	lxxj	De duodecim abusionibus sæculi.	cclxxv
Carmen, Genesis.	clix	Cœna, Cypriano falso inscripta.	cclxxvij
Carmen, Sodoma.	cliij	Confessio Sancti Cypriani.	ccxcv
Carmen, ad Senatorem apostatam.	clvij		

ORDO EPISTOLARUM ALPHABETICUS.

		ED. PAM.	NOV. ED.			ED. BAL.	NOV. ED.
Antoniano. LII.	Pag.	66	345	Florentio Pupiano. LXIX.	Pag.	121	400
Cæcilio. LXIII.		101	372	Fortunato et aliis. LIII.		76	346
Caldonii Cypriano. XIX.		27	271	Furnitanorum clero et plebi. LXVI.		114	387
Caldonio. XX.		28	273	Hispaniarum clero et plebi. LXVIII.		117	400
Caldonio, Herculano et cæteris. XXXVIII.		51	329	Januario et aliis Numidis. LX.		99	389
Caldonii, Herculani, etc., *Cypriano.* XXXIX.		52	331	Iisdem. LXX.		121	408
Celerini Luciano. XXI.		28	274	Jubaiano. LXXIII.		129	412
Clero Carthag. V.		9	232	Lapsis. XXVII.		37	309
Eidem. VI.		*Ibid.*	233	*Luciani Celerino.* XXII.		30	279
Eidem. VIII.		13	240	Lucio papæ. LVIII.		96	388

Digitized by Google

	ED. BAL.	NOV. ED.
Eidem. X.	18	250
Eidem. XIII.	22	258
Eidem. XIV.	22	260
Eidem. XVIII.	26	268
Eidem. XXIV.	33	287
Eidem. XXVIII.	38	300
Eidem. XXXII.	45	315
Eidem XXXVI.	49	326
Eidem. XXXVII.	50	327
Clero et plebi Carthag. XXXIII.	46	317
Iisdem. XXXIV.	47	320
Iisdem. XXXV.	48	321
Iisdem. LXXXIII.	166	451
Confessorum Cypriano, XVII.	26	268
Cornelii papæ Cypriano. XLVI.	60	341
Eidem. XLVIII.	62	342
Cornelio XLI.	55	330
Eidem. XLII.	56	*Ib.*
Eidem. XLIII.	58	*Ib.*
Eidem. XLV.	59	341
Eidem. XLVII.	61	*Ib.*
Eidem. XLIX.	63	342
Eidem. LV.	79	348
Eidem. LVII.	94	356
Cornelio synodi Africanæ. LIV.	77	348
Donato. II.	1	193
Epicteto et plebi Assuritanorum. LXIV.	110	389
Euchratio. LXI.	101	362
Felicis cum aliis Cypriano. LXXX.	163	423
Fido. LIX.	97	359
Firmiliani Cypriano. LXXV.	142	413
Lucii episcopi et aliorum Cypriano. LXXIX.	162	422
Magno. LXXVI.	158	414
Martyribus et confessoribus. IX.	16	245
Iisdem. XI.	19	253
Maximo et aliis. XLIV.	58	340
Maximi et aliorum Cypriano. L.	64	342
Iisdem. Cypriani LI.	65	*Ib.*
Moysi et Maximo cum aliis. XVI.	24	264
Iisdem. XXV.	33	288
Eorumdem Cypriano. XXVI.	34	290
Nemesiano et aliis LXXVII.	158	414
Ejusdem et aliorum Cypriano LXXVIII.	161	420
Plebi Carthaginensi. XII.	21	256
Eidem. XL.	52	332
Pompeio, LXXIV.	138	412
Pomponio LXII.	102	364
Quinto. LXVI.	126	408
Rogatiano episcopo. LXV.	112	393
Rogatiano cum aliis. LXXXI.	163	423
Rogatiano presbytero cum aliis. VII.	11	235
Romani Cleri Carthaginensi clero. III.	7	225
Romano Clero Cypriani. IV.	8	230
Eidem. XV.	23	261
Eidem. XXIII.	31	282
Eidem. XXIX.	39	302
Romani Cleri Cypriano. XXX.	40	303
Ejusdem eidem. XXXI.	42	307
Stephano papæ. LXVII.	115	399
Eidem. LXXII.	128	411
Successo. LXXXII.	165	429
Thibaritanæ plebi. LVI.	90	349

ORDO

EPISTOLARUM ET TRACTATUUM SANCTI CYPRIANI,

ACCOMMODATUS AD EA QUÆ IN VITA S. MARTYRIS DISSERUIMUS.

Non multo post baptismum epistola ad Donatum et liber de Vanitate idolorum.

Tres libros Testimoniorum et librum de Habitu virginum vel presbyter scripsit Cyprianus, vel initio episcopatus.

Epistola LXVI initio episcopatus ante persecutionem Decii. Scriptæ existimantur in Annalibus Cyprianicis circa idem tempus LXI, LXII, LXV; sed ultima videtur potius scripta post hæresim Novatiani : duæ priores nulla temporis nota signatæ.

Anno 250 in secessu sancti Cypriani epistola III, quæ est Cleri Romani, IV, quæ est responsio Cypriani. Litteræ tredecim in epist. XV commemoratæ, ex quibus septem tantum habemus, nempe V, IX, XI, X, XII, XIII, XIV. Hæ Romam missæ cum epist. XV vigente jam æstate. Paulo post XIX, quæ est Caldonii ad Cyprianum; XX, responsio Cypriani; XVII, Luciani et confessorum; XVIII. ad presbyteros et diaconos; XXII, Luciani ad Celerinum responsio. Celerini autem epistola, quæ est XXI, scripta fuerat diebus paschalibus Sex illæ epistolæ Romam missæ cum epistolis XXIII et XXV, paulo post scriptis. Eodem tempore epistola XXIV, et paulo post XXVII, XXVIII, XXIX. Post epistolam Cypriani vigesimam nonam venerunt Roma epistolæ XXXI et XXVI. Tum scribit Cyprianus epist. XXXII, et paulo post accipit Roma epistolam XXX. Circa mensem octobrem epist. XXXVII. Non multo post epist VIII. Eodem anno 250, exeunte vel etiam, si cui magis placeat, anno 251 ineunte, scriptæ sunt epistolæ XVI, XXXV, XXXIII, XXXIV, VII, VI, XXXVI, XXXVIII, XXXIX. In epistolis XVI et XXXV, nulla pacis mentio; quinetiam in epist. XVI confessores, ut in media persecutione, ita laudat et hortatur Cyprianus.

Anno 251 paulo ante Pascha epistola XI, morante adhuc in secessu Cypriano. Non multo post Pascha ac reditum Cypriani, liber de Lapsis. Paulo post reditum legatorum epistola LXI, per Primitivum presbyterum, et ante illius reditum epistola XLII, cum quadragesima tertia et quadragesima quar a ac libro de Unitate Ecclesiæ. Deinde epistola XLV, paulo post reditum Primitivi. Epistolæ LXVIII et XLVI, quæ sunt Cornelii, et L, quæ est confessorum, allatæ per Nicephorum, qui cum Mettio, ut verisimile est, epistolas XLII, XLIII, XLIV, detulerat. His rebus litteris respondet Cyprianus per epistolas XLIX. XLVII, LI.

Anno 252 ineunte, epistola LII. Eodem anno liber de Oratione Dominica. Circa Pascha epistola LIII. Post idus maii epistola LIX, LXIV, deinde LV, LVI, LIV, LVII.

Anno 252 exeunte, LVIII, LXXXI.

Anno 252 aut 253 liber adversus Demetrianum et epist. LX.

Anno 253 aut 254 liber de Mortalitate ; nec multo post alius de Opere et Eleemosyna.

Anno 254 epist. LXIX. Forte eodem anno, aut saltem ante dissensionem Afrorum cum Stephano epistolæ LXVII, LXVIII.

Anno 255 circa autumnum epistola LXX, tum LXXI.

Anno 256 paulo post Pascha epist. LXXII, tum LXXIII, LXXIV, LXXVI. Circa idem tempus scripti libri de Patientia et de Zelo et Livore. Eodem anno calendis septembris concilium tertium Carthaginense, tum instante hyeme epistola LXXV, Firmiliani ad Cyprianum, Epistola LXIII post exortam de baptismo controversiam, ac forte anno 257.

Anno 257 liber de Exhortatione martyrii. Eodem anno vel anno 258 epistolæ LXXVII, LXXVIII, LXXIX, LXXX.

Anno 258, mense augusto epistola LXXXII, et paulo ante martyrium epist. LXXXIII.

D. P. MARAN.

Digitized by Google

DIVI THASCII CÆCILII

CYPRIANI

EPISCOPI CARTHAGINENSIS ET MARTYRIS

OPERUM

PARS PRIMA. — EPISTOLÆ.

[1] EPISTOLA PRIMA.

AD DONATUM [a].

(Erasm., Pamel., ep. II. Rigal., ep. I. Oxon., Lips., liber de Gratia Dei.)

ARGUMENTUM. — *Promiserat Donato Cyprianus sermonem se cum illo habiturum de rebus divinis ; jam promissis admonitus satisfacit, ac multis gratiam Dei per Baptismum collatam commendans, quantum sit mutatus ab illo significat, et ad oculum demonstratis mundi erroribus, ad contemptum ejus, ad assiduam denique lectionem et orationem adhortatur.*

I. CÆCILIUS Cyprianus Donato salutem. Bene ad-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Ad Donatum de erroribus mundi et contemptu ejus *Camb. Dun. Vict.* De disciplina ad Donatum *Voss.* 4. de Gratia Dei. *Oxon. Gold.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

[369] EPIST. I.—Hanc epistolam habent omnes editiones et plerique libri veteres. Non extat tamen in uno bibliothecæ Regiæ, in uno monasterii sancti Remigii Remensis, in duobus monasterii Compendiensis, in eo quem habui ex monasterio sancti Michaelis in periculo maris, neque demum in Corbeiensi. Quod ideo annotandum esse arbitratus sum quia vir doctissimus Nicolaus Rigaltius, haud dubie lapsu memoriæ, vel per incogitantiam, in observationibus suis ad opera sancti Cypriani refert plures varias lectiones istius epistolæ ex codice Corbeiensi, in quo ea non habetur.

Primum illa locum obtinet in multis codicibus antiquis, in Veronensi nimirum omnium vetustissimo, in Seguieriano item antiquissimo, in duobus Vaticanis, in omnibus iis quibus usus est Guillelmus Morellius, in eo qui fuit Raymundi episcopi Acconensis, ut annotatum reperi manu Simonis Goulartii, qui eo usus est, et in viginti et uno eorum cum quibus ego contuli opera beati Martyris. Immo in codice sancti Eligii Attrebatensis ita scriptum vidi in calce istius epistolæ : *Explicit prima epistola.*

Illam sanctus Augustinus citat, ex eaque fragmenta refert in libro IV *de Doctrina Christiana*, cap. 14, et in *Sermone* 312, in nova editione pag. 1256. Cyprianumque graviter reprehendit quod illam spumeo verborum ambitu ornaverit ; quia nimirum putabat, ut opinor, regnum Dei, ut verbis utar Sulpitii Severi in prologo libri *de Vita Sancti Martini*, non in eloquentia sed in fide constare. Ego vero mecum sæpenumero admiratus sum illam Augustini censuram in hac epistola, quæ tota de Deo est et reprehensio morum corruptorum et depravatorum sæculi, reprehendentis gravitatem et eloquentiam sermonis, tamquam si res Dei electissimis verbis gravissimisque sententiis rhetorice ornare fas non esset. Contra, si uspiam opus est eloquentia, id vero in primis, mea quidem sententia, palam est obtinere debere in compositionibus ad majestatem et gloriam summi Dei pertinentibus, quamvis, ut ait sanctus Hilarius in libro II *de Trinitate*, ad ea quæ Dei sunt exequenda sermo omnis infirmus sit. Item Macarius Mucius in præfatione ad carmen suum de Triumpho Crucis : *Negare non ausim*, inquit, *eam esse divinarum rerum vim atque dignitatem, ut nullo stylo assequi possimus non tamen ita remotam censeo, ut Camœnis inaccessibilem rear.* Nam, ut ait Novatianus in libro de Trinitate, *ad cogitandam et ad eloquendam Dei majestatem, et eloquentia omnis merito muta est et mens exigua est.* Exemplis talibus plena sunt omnia. Quis unquam reprehendit eloquentiam in sancto Joanne Chrysostomo ? quid eruditius aut acutius *Apologetico* Tertulliani ? qui, ut ait sanctus Hieronymus in epistola *ad Magnum* adversus Jovinianum, cunctam sæculi continet disciplinam : quid elegantius *Octavio* Minucii Felicis ? Neque Arnobio sua defuit eloquentia. Lactantii libros *divinarum Institutionum* omnes consentiunt Tullianam eloquentiam redolere. E iam lucubrationes sancti Hieronymi, tamen etsi is in epistola *ad Pammachium* scribat dissimulandam et fugiendam esse eloquii venustatem in interpretatione ecclesiastica, quam ipse vitavit in interpretatione librorum sacræ Scripturæ, rhetoricæ tamen flosculis ubique abundant et ambitiosa eloquentia, et illorum qui hoc scribendi genere utuntur defensionem suscepit in eadem epistola *ad Magnum*. Ex quo necessario consequitur reprehensioni obnoxios esse auctores ecclesiasticos melioris [370] notæ, si censura a sancto Augustino lata adversus hanc Cypriani epistolam justa est ac legitima. Quare amplectenda omnino mihi videtur Lactantii sententia qui (lib. V, cap. 1) ait scientiam litterarum non modo nihil nocere religioni atque justitiæ, sed etiam prodesse quamplurimum si is qui eas didicerit sit virtutibus instructior et veritate sapientior. Etiam is qui anno 1483 procuravit editionem Venetam operum sancti Cy-

mones, Donate charissime. Nam et promisisse me memini, et reddendi tempestivum prorsus hoc tempus est, cum [a], indulgente vindemia, solutus animus in quietem solemnes ac statas anni [b] fatiscentis inducias sortitur [c]. Locus etiam cum die convenit et mulcendis sensibus ac fovendis ad lenes auras blan-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Quod *Ar. Ben. Bod.* 3. Quo *Lamb. Eb. Lin. NC.* 1. *Spir. Thu. Voss. Vict.* Quo indultis vindemiis resolutus *Voss.* 4.

[b] Statutas *Lam. Ben. Ebor. Lin. NC.* 1. *Reg. Voss.* 4. *Sed male.* Ratas *Foss. Vict.*

[c] Sortiatur *Lam. Bod.* 3. *Ebor. Lin. NC.* 1. *Ben. Foss. Vict. Voss.* 4. Feriatur *Thu.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

priani ita loquitur in præfatione sua : *Æquo enim satis animo ferre nequaquam possum recentiorum quorumdam novam hæresim, qui nullum orationis florem sequentes putant quod expolito limatoque tractatur eloquio rei sacræ admodum officere.* Et paulo post : *Nam si eloquentiam rem mediam esse agnoscunt, qua et recte uti et male possumus, quis mentis compos dicere audet non debere dogmatis christiani professores in defendenda veritate ea uti qua in extollenda falsitate omnes abusi sunt gentiles ?* Ita etiam sensit Joannes Maldonatus scribens ad Petrum Madurum : *Cur enim*, inquit, *Christus non habeat meliores oratores quam diabolus ?* In eadem quoque sententia fuisse Joannem Sichardum liquet ex præfatione ejus ad libros *Recognitionum* sancti Clementis. Extat in volumine *Orationum* M. Antonii Majoragii oratio adversus eos qui ornandæ orationis studium et dicendi elegantiam vituperant, eorumque opinionem vocat hæresim. Paulus quoque Cortesius in procœmio libri sui sententiarum damnat eos theologos qui disserendi elegantiam a theologia sejungunt. Et nihilominus verum est quod ait sanctus Hieronymus in epistola *de Filio prodigo* ad Papam Damasum, in ecclesiasticis rebus non quæri verba sed sensus. Ita etiam sensit Faustinus episcopus in præfatione libri *de Fide* contra Arianos : *In causa*, inquit, *fidei non sermonum sublimitas requirenda est, quando ipsa sola testimonia sufficiunt.*

I.— *Bene admones.* In libro Fuxensi scriptum est : *Vere admones*, et in margine, *Alii dicunt : Bene.* Hanc porro lectionem esse meliorem, præter auctoritatem veterum exemplarium, probatur etiam auctoritate Rufini in prologo Homiliarum Origenis *in Numeros*, apud Henricum Valesium in annotationibus ad *Historiam Ecclesiasticam* Eusebii (pag. 129), ubi sic habetur : *Utor verbis tibi, frater, beati martyris.* « *Bene admones, Donate charissime. Nam et promisisse me memini.* » Et paulo post : « *Sed reddendæ pollicitationi non tempestivum, ut ille ait, sed tempestuosum nobis tempus ac turbidum fuit.* » Ex his interim beati Cypriani verbis colligi posse videtur illum in hac epistola respondere ei qua Donatus eum admonuerat uti promissis ac recepto suo satisfaceret. Non inde tamen colligi debet epistolium quod Pamelius invenit in codice Camberonensi, quodque nos invenimus etiam in veteri libro qui fuit Francisci Pithœi, inde, inquam, colligi non debet epistolium illud, in cujus fronte positum est nomen Donati ad Cyprianum scribentis, esse admonitionem qua permotus Cyprianus hanc epistolam ad eum dedit. Non dubitabat Pamelius quin legitimus Donati fœtus esset, eamque sententiam facile amplexus est illustrissimus cardinalis Baronius in *Annalibus ecclesiasticis*. Alii illud ut spurium rejecerunt, quorum ego opinioni lubenter accedo. Et tamen arbitror istic, uti fecere Rigaltius et episcopus Oxoniensis, esse ponendum, ne quam mihi negligentiam curiosus lector imputare possit. Sic ergo habet :

Donatus Cypriano. Credo te retinere, sanctissime Cypriane, quæ nobis fuerit apud oratores garrulitas, unus sensus, una cogitatio, individua dilectio. Quare non et in divina lectione ita animis roboramur, aut non ea semper nobis fuit cogitatio, sicut promittebamus, ut simul crederemus ?

Donate. Donati nomen vulgatissimum erat in Africa, ut etiam scriptum est in capite tertio epistolæ secundæ sancti Augustini *ad Eleusium, Gloriam et Felices.* Sequenti sæculo, Lactantius librum *de Mortibus Persecutorum* scripsit ad Donatum confessorem, illum ipsum, ut opinari licet, cui dicavit etiam librum *de Ira Dei.* Persto enim in ea sententia quam prompsi cum ederem librum *de Mortibus Persecutorum.* Scio virum optimum et mihi reverendum Nicolaum Le Nourry aliter sensisse, et Donatum cui inscriptus est liber *de Ira Dei* putasse fuisse diversum ab eo cujus nomen extat in initio libri a me editi. Diversos autem fuisse hinc se probare putavit vir optimus quod ex libro *de Ira Dei* manifestum sit Donatum cui dicatus est fuisse recenter conversum ad religionem Christi, quod de alio dici non posse ait. Erravit in nomine vir clarissimus. Transtulit ad Donatum ea quæ pertinebant ad Demetrianum, cui dicatus est liber *de Opificio Dei*, ex quo constat Demetrianum rudem adhuc fuisse nostrorum mysteriorum. —[371] *Donate.* In codice sancti Arnulphi Metensis scriptum est : *Bene admones, frater charissime Donate.*

Indulgente vindemia. Ennodius, lib. IX, epist. 2 : *Sit inter nos felicium vindemiarum vice colloquium.*

Solemnes ac statas. Multum variant in hoc loco libri veteres. Quidam enim habent *statutas* pro *ratas*, alii *ratas tutasque*, vel *ratas* tantum. Unus vero habet *solemnes ac ratas*, et supra lineam *vel statutas.* Ego præfero lectionem vulgatam, quæ mihi videtur optima et certissima. Nam Cicero dixit alicubi *solemne et statum sacrificium* In lege in Cod. *de Dilationib.*, legitur : *Feriæ sunt vel repentinæ vel solemnes.* Solemnes autem jurisconsulti eas esse aiunt quæ sunt anniversariæ ac legitimæ. Recte igitur Cyprianus dixit inducias sive ferias solemnes ac statas, quas ideo statas appellari ait Festus quia certo statutoque die observantur Vide Macrobium lib. I *Saturn.*, caput 16, et Juretum *ad Symmachum*, lib. III, epist. 21, ad illum locum, *et feriarum reliquiæ.*

Locus etiam. Cicero in libro *de claris Oratoribus : Sed, quo facilius sermo explicetur, sedentes, si videtur, agamus. Cum idem placuisset illis, tum in propatulo propter Platonis statuam consedimus.* Hieronymus, lib. II adversus Jovinianum : *Platonici quoque et Stoici in templorum locis et porticibus versabantur.* Rusticus diaconus in præfatione dialogi adversus Acephalos : *Silentium loci et temporis commoditas et commune constitutum et ab aliis rebus feriæ nobiscum interim concurrunt simul.*

Fatiscentis Id est fessi et labentis, ut apud Virgilium et Ovidium. Hanc lectionem, quæ optima et verissima est, non inveni nisi in uno libro meo veteri optimo. Reliqui omnes et omnes editiones habent *fatigantis.* Lucretius, libro III, loquens de anima, cum dixisset eam ceu fumum dissolvi in altas aeris auras, addit,

Simul ævo fessa fatiscit.

Et lib. V dicit omnia vinci ab ævo, etiam saxa et altas turres,

Et delubra deum simulacraque fessa fatisci.

Similem errorem in *Actis sanctarum martyrum Perpe-*

Digitized by Google

dientis autumni hortorum facies amœna consentit. Hic jucundum sermonibus diem ducere et studenti bus [a] fabulis in divina præcepta conscientiam pectoris erudire. Ac ne colloquium [b] nostrum arbiter profanus impediat, aut clamor intemperans familiæ strepentis obtundat, petamus hanc sedem. Dant secessum vicina secreta; ubi dum erratici palmitum lapsus nexibus pendulis per arundines bajulas repunt, viteam porticum frondea tecta fecerunt. Bene hic studia in aures damus; et dum in arbores et in vites [c] oblectante prospectu oculos amœnamus, animum simul et auditus instruit et pascit [d] obtutus : quamquam tibi sola nunc gratia, sola cura [e] sermonis est. Contemptis voluptariæ visionis illecebris, in me oculus tuus [f] fixus

LECTIONES VARIANTES.

[a] Stupentibus *Vict.*
[b] Eloquium *Lam. Ebor. Lin. NC. 1. Ben.*
[c] Vites videmus *Eb. Ar. Pem. Lum. Reg.* Vites quas videmus *Bod.* 3. *NC.* 1. *Spir. Pem. Et. Man. Fossat.* Videmus oblectantem prospectum *Thu.* Et vites *Oxon.*
[d] Ut pascit *Salis.*
[e] Cura nunc *Mich. Vict.*
[f] Oculos tuos fixus es *Oxon.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

tuæ et Felicitatis annotavit Lucas Holstenius, ubi, pro eo quod legitur *defatigationibus*, censet legendum esse *de factionibus*. (Male codicum prope omnium et editionum lectioni Baluzius ex uno libro substituit *fatiscentis*. *Fatigantis* enim idem est ac *jocantis*, *ludentis*. Cf. Chr. Gfr. Mulleri obss. ad 5 loca epist. Cypr., Gerræ 1776, p. 2 sqq. GOLDHORN.)

Studentibus fabulis. Ego semper existimavi locum hunc esse mendosum et viros doctissimos frustra hactenus laborasse in eo emendando vel explicando. Cum vero ei quærerem medicinam, occurrit mihi commutandam fortean esse vocem *studentibus* cum voce *ludentibus*, ut istic legatur *ludentibus fabulis*, ut apud Minucium *fabulis fallentibus*. Nam fabulis ludere dixit Ausonius in epistola tertia ad librum, ut eat ad Probum : *Suescat peritis fabulis simul jocari et ludere*. Ludentibus igitur fabulis, sed peritis et seriis, colloquium agebant Cyprianus et Donatus. Neque enim putandum est eorum sermones fuisse ludicros aut rerum colloquia leviorum, cum de rebus maximi momenti ad gloriam et religionem summi Dei pertinentibus tractaretur inter viros graves : nisi si, qui mos est dialogorum, Donatum et se ipsum locutos esse supposuit Cyprianus quæ numquam locuti erant, ut de se ipso et Varrone ait Cicero in initio *Academicarum Quæstionum*. Julius Firmicus in præfatione librorum de Institutione Matheseos, *honestas et varias sermonum fabulas serebamus*.

Erudire. Deest hic aliquid; sensus enim non est integer. Sed sunt pleraque istiusmodi in Cypriano. Cum videret autem Lomberius sensum non esse integrum, sic vertit hunc locum ac si Cyprianus scripsisset, *conscientiam pectoris erudire juvat*.

Familiæ strepentis. Sanctus Hieronymus in Epistola *ad Demetriadem, de virginitate servanda*, eam laudat quod *inter gemmas et sericum, inter eunuchorum et puellarum catervas, et adulationem et ministeria familiæ perstrepentis, et exquisitas epulas, quas amplæ domus præbebat abundantia, appetisset jejuniorum laborem, asperitatem vestium, victus continentiam*. Item in epistola *ad Lætam, de institutione filiæ*, monet ne intersit nuptiis servitorum, neque familiæ perstrepentis lusibus misceatur. Et in calce libri *adversus Helvidium*, inter incommoda matrimonii rursum numerat familiam perstrepentem.

Petamus hanc sedem. Citat hunc locum Abælardus in extremo libro II *Theologiæ Christianæ*.

Erratici palmitum nexus. Cicero in libro *de Senectute* : « Vitis quidem, quæ natura caduca est, et nisi fulta sit, ad terram fertur, eadem, ut se erigat, claviculis suis quasi manibus quicquid est nacta complectitur, quam serpentem multiplici lapsu et erratico ferro amputans coercet ars agricolarum, ne silvescat sarmentis et in omnes partes fundatur. » [273] Sidonius lib. v, Epist. 17 : « Hic pars sub umbra palmitis adulti quam stipitibus altatis cancellatimque pendentibus pampinis superducta texuerat. » Vide infra in notis ad librum primum *Testimoniorum adversus Judæos* cap. 21, in voce *ciliçium*.

Viteam porticum. Virgilius, lib. III *Georgicorum* :

Hic noctem ludo ducunt, et pocula læti
Fermento atque acidis imitantur vitea sorbis.

Prudentius in *Hamartigenia* :

Sepibus et densis vallentur vitea rura.

Et in *Hymno ante cibum* :

Hic ubi vitea pampineo
Brachia palmite luxuriant.

Frondea tecta. Ex Virgilio, lib. IV *Georgicorum*,

Et frondea semper
Tecta petunt.

Ovidius, lib. III *Fastorum*,

Frondea facta casa est.

Arator, lib. II *Actuum Apostolicorum*, dixit *frondeam comam veris*. Sic Cicero, enarraturus sermones inter ipsum, Quintum fratrem et Titum Pomponium Atticum habitos de legibus, cum dixisset Platonem cum Clinia et cum Lacedæmonio Megillo æstivo die in cupressetis Cnidiorum et spatiis sylvestribus de institutis rerum publicarum ac de optimis legibus disputasse, ait se et Quintum et Atticum, inter procerissimas populos, in viridi opacaque ripa inambulantes, tum autem residentes, quæsiisse iisdem de rebus aliquid uberius quam forensis usus desideret. Sic Lucianus in *Dialogo domus* Socratem ait sub platano frondente et herba virescente et fonte limpido sedisse cum Phædro Myrrhinusio. Vide Sirmondum in notis ad Sidonium, lib. II, Epist. 1, in verbo *hyppodromus*.

In aures. Codex Beccensis habet *in auras*, quod satis congruit cum his quæ sequuntur.

Animus simul. Idem codex, *anima simul et auditus instruitur et pascitur obtutus*.

Oculus tuus. Hæc est lectio veterum editionum et plurimorum veterum codicum optimæ notæ. Primus omnium Rigaltius mutavit et edidit, *oculos tuos fixus es*. Secuta est postea editio Anglicana, quæ Rigaltianam imitata est, quamvis in ea adnotatum sit lectionem quam nos revocamus extare in pluribus antiquis codicibus manuscriptis. Miror autem eam lectionem, quæ latina non est, potuisse placere hominibus erudiis. Ortam illam esse manifestum est ex permutatione litterarum *o* et *u*, quas Quintilianus, lib. I, cap. 4, admotat olim persæpe mutari solitas in scribendo, quod etiam adnotatum reperi in libro primo Prisciani. Itaque in vetustissimo epistolarum sancti Cypriani codice, 1305 bibliothecæ Colbertinæ, qui fuit olim Thuanæ, diserte scriptum est *oculos tuos fixus est*, sed supra lineam littera *u* juncta est cum his duabus vocibus, ut sciret lector emendationem esse et eam esse veram lectionem quæ superposita erat. Nam ego sæpe vidi in vetustis codicibus aliorum scriptorum eumdem modum emendationis servatum, nimirum ubi per errorem scripta erat littera *o* superpositam esse litteram *u* et e converso. Confirmat autem lectionem libri Colbertini etiam ille qui fuit

Digitized by Google

est. Tam aure quam [a] mente totus auditor es, A et hoc, amore quo diligis.

II. Cæterum, quale vel quantum est quod in pectus tuum veniat ex nobis? Exilis ingenii angusta mediocritas tenues admodum fruges parit, nullis ad copiam fœcundi cespitis culminibus [b] ingravescit. Aggrediar tamen facultate [c] qua valeo; nam et materia dicendi facit mecum [d]. In judiciis, in concione [e] pro rostris, opulenta facundia volubili [f] ambitione jactetur. Cum vero de Domino Deo [g] vox est, vocis pura [h] sinceritas non eloquentiæ [i] viribus nititur ad fidei argumenta, sed rebus. Denique accipe non diserta sed fortia, nec ad audientiæ popularis illecebram [j] culto sermone fucata [j], sed ad divinam indulgentiam prædicandam rudi veritate simplicia. Accipe quod sentitur antequam discitur, nec per moras temporum longa aguitione colligitur, sed compendio gratiæ maturantis hauritur.

III. Ego [k] cum in tenebris atque in nocte

LECTIONES VARIANTES.

[a] Quo ore qua *Lam. Lin. NC.* 1. *Ebor. Voss.* 2. Tam ore quam *Bod.* 3. *Fossat. Spir. Rem. Erasm. Mæn. Morell.* Quo more qua mente *Thu. Vict.* O quam recta mente *Voss.* 4. Quam ore, quam mente *Oxon.*

[b] Culmis *Oxon.*

[c] Facultatem *Ben.*

[d] Metum *Goul.*

[e] In judicii contentione *Vict. Lin. Goul.* Judicii concione *Thu. Foss.*

[f] Nobili *Fab.*

[g] Domino et de Deo *Foss.* Et de Domino et de Deo B *Thu.*

[h] Puræ *Voss.* 4.

[i] Illecebras *Ar. Lam.*

[j] Fucatam *Thu.*

[k] Ergo *Amel. nullis præsidiis posuit.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

Raymundi episcopi Aeconensis, in quo scriptum erat *oculus tuus fixus es.* Quare recte mea sententia fecit Lucas Fredericus Reinhartus, qui in sua Epistolarum sancti Martyris editione veterem lectionem revocavit, et ad marginem rejecit eam quam Rigaltius substituerat. Plinius, lib. XI, cap. 37 : *Animo autem videmus, animo cernimus. Oculi, ceu vasa quædam, visibilem ejus partem accipiunt atque transmittunt.*

Tam aure. Antea legebatur *tam ore quam mente*, pessimo sensu. Neque enim ore audimus, sed aure. *Psalmo* XLVIII : *Auribus percipe verba oris mei*, et alibi sæpe. Hunc Cypriani locum ego emendaveram ex certissima conjectura. Putabam autem me primum fuisse qui illum emendasset; verum postea deprehendi eam emendationem fuisse factam ante me a C Rigaltio in observationibus suis. Neque mihi placet censura Gronovii censentis hanc Rigaltii emendationem non esse legitimam : nihil enim ad hunc l cum faciunt verba Plinii, *attentus et pendens*, quæ Gronovius, lib. III *Observat.*, cap. 12, affert ut ostendat vocem *ore* non esse mutandam in *aure*.

Totus auditor. Plinius lib. I, cap. 7, loquens de Deo : *Totus est visus, totus auditus.* Item Novatianus in libro de Trinitate : *Cæterum ipse totus oculus, quia totus videt; totus auris, quia totus audit.* Hinc sanctus Léo papa in sermone Nativitatis Domini : *Dominus tuus ubique præsens.* Et Cyprianus ipse, in initio libri *de Oratione Dominica* (pag. 204), ait : *Deum ubique esse præsentem, audire omnes et videre.*

II. — *Exilis ingenii.* Hieronymus in præfatione libri tertii in Epistolam ad Galatas : [373] *Exilis ingenii rivulum vix parvo strepentem murmure sentientes.* Ruricius episcopus Lemovensis, lib. I, Epist. 10 : *Me sciatis laborare egestate ac sterilitate exilis ingenii.* Symmachus lib. IX, Epist. 10 : *Mei ingenii exilitas etiam parum miratur.* Aliis verbis idem dixit Lactantius, in capite primo libri de Opificio Dei : *Quantum possibilitas intelligentiæ meæ pervidet.* Cassianus in præfatione Collationum : *In quantum tenuitas nostri suffecit ingenii.* Julius Firmicus in præfatione de Institutione Matheseos : *In nobis tenue est ingenium.* Pro quo Martialis lib. IX, *epigr.* 51, dixit *pusillum ingenium.* Hieronymus in epitaphio Nepotiani : *Grandes materias ingenia parva non sustinent.* Arnoldus Bonevallensis in editione Anglicana : *Sublimes materias sublimium ingeniorum exigunt tractatores.* Recte. *Etenim magna ingenia*, ut ait Velleius Paterculus, *magnis adjutoribus egent.* Præclare Quintilianus in præfatione Oratoriarum Institutionum : *Illud tamen in primis testandum est, nihil præcepta atque artes valere nisi adjuvante natura. Quapropter, cui deerit ingenium non magis hæc scripta sunt, quam de agrorum cultura sterilibus terris.* Idem, lib. VIII, cap. 4, ait ut terram cultu, sic animam disciplinis uberiorem fieri. Ammianus Marcellinus, initio libri XVI : *Instrumenta omnia mediocris ingenii si suffecerint commoturus.*

Culminibus. Ita omnes editiones ante Pamelianam. Consentiunt etiam vetera exemplaria. Quamquam autem vox *culmis*, quam Pamelius alteri substituit, bona sit et bonum sensum constituat, revocandam esse putavi veterem lectionem, quæ et ipsa optima est : culmen enim significat summitatem alicujus rei. In codice Turonensi scriptum est *culminibus*, et supra lineam *vel culmis.*

Non eloquentiæ viribus. Hieronymus in epistola *ad Pammachium* pro libris suis adversus Jovinianum : *Porro eloquentiam, quam pro Christo in Cicerone contemnis, in parvulis non requiras. Ecclesiastica interpretatio, etiamsi habet eloquii venustatem, dissimulare eam debet et fugere.*

Non diserta. Hieronymus in epistola *ad Nepotianum* de vita clericorum : *Audi igitur, ut beatus Cyprianus ait, non diserta, sed fortia.* Ruricius, lib. I, Epist. 17. *Certi sumus quod non tam diserta cupitis audire sed fortia.* Julianus Pomerius, lib. III, *de vita contemplativa*, cap. 34 ; *Prudentibus viris non placent phalerata sed fortia.*

Nec ad audientiæ. Codex episcopi Aconensis, *nec audientiæ popularis illecebra culto sermone fucata.*

III. — *Ego cum in tenebris.* Citat hunc locum sanctus Augustinus, *Sermone* 312, in nova editione. Videtur autem Sedulius ab hoc loco mutuasse quæ de sua conversione ad Deum scribit in Epistola ad Macedonium. *Cum sæcularibus igitur studiis occupatus*, inquit, *vim impatientis ingenii, quod Divinitatis in me providentia generavit, non utilitati animæ sed inani vitæ dependerem, et litterariæ solatia disciplinæ lusibus infructuosi operis, non auctori, deservire, tandem misericors Deus rerum conditor clementius fabricam sui juris aspexit et stultos in me mundanæ sapientiæ diutius haberi sensus indoluit, ac fatuum prudentiæ mortalis ingenium cœlesti sale condivit. Mox ut carnis oculos interior caligo deseruit, per sentes dumosi ruris errantia in herbam florei cespitis revolvi vestigia, intoque nisu melioris arburi culmum illustrati pectoris Deo dicavi.* Minucius Felix de se loquens : *Cum, discussa caligine, de tenebrarum profundo in lucem sapientiæ et virtutis emergerem.* Lucianus, presbyter Antiochenus, apud Rufinum, lib. IX, cap. 6, asserens fidem nostram adversus gentiles : *Erravimus etiam nos aliquando, et simulacra quæ ipsi finximus deos cœli ac terræ putabamus auctores.* Commodianus, *Instructione* 26 : *Gens et ego fui, perversa mente moratus, et vitam istius sæculi veram esse putabam.* Vide etiam *Instruct.* 1 et 35.

Digitized by Google

cœca jacerem, cumque in salo jactantis [a] sæculi nutabundus ac dubius vestigiis oberrantibus fluctuarem, vitæ [b] meæ nescius, veritatis ac lucis alienus, difficile prorsus ac durum pro illis tunc moribus opinabar quod in salutem mihi divina indulgentia pollicebatur, ut quis renasci denuo posset, utque, in novam vitam lavacro aquæ salutaris animatus [c], quod prius fuerat exponeret, et, corporis licet [d] manente compage [e], hominem animo ac mente [f] mutaret. Qui possibilis [g], aiebam, est tanta conversio, ut repente ac perniciter exuatur quod vel genuinum situ [h] materiæ naturalis obduruit, vel usurpatum diu senio vetustatis inolevit? Alta hæc et profunda penitus radice sederunt. Quando parcimoniam discit qui epulariibus cœnis et largis dapibus assuevit? et qui pretiosa veste conspicuus in auro atque in purpura fulsit, ad plebeium se ac simplicem cultum quando deponit? Fascibus ille oblectatus et honoribus, esse privatus et inglorius non potest. Hic stipatus clientium cuneis, frequentiore comitatu officiosi agminis honestatus, pœnam putat esse cum solus est. Tenacibus semper illecebris necesse est, ut solebat, vinolentia invitet, inflet superbia, iracundia inflammet, rapacitas inquietet, crudelitas stimulet, ambitio delectet, libido præcipitet [i].

IV. Hæc egomet [j] sæpe mecum. Nam, ut ipse [k] quamplurimis vitæ prioris erroribus implicitus [l] tenebar, quibus exui me posse non crederem, sic vitiis [m] adhærentibus obsecundans eram, et desperatione [n] meliorum, malis meis veluti jam propriis ac vernaculis offavebam. Sed, postquam, undæ genitalis auxilio superioris ævi labe detersa, in expiatum pectus serenum ac purum desuper se lumen [o] infudit, postquam, cælitus spiritu hausto, in novum me hominem nativitas secunda reparavit, mirum in modum protinus confirmare se dubia, patere clausa, lucere tenebrosa [p], facultatem dare quod prius difficile videbatur, geri posse quod impossibile putabatur [q], ut esset agnoscere

LECTIONES VARIANTES.

[a] Hujus *Voss.* 4.
[b] *Forte* viæ *Oxon.*
[c] Armatus *Ar. Lam. Eb.*
[d] Exponeret : corporis licet *male impressi fere omnes et mss.* Corporea *Rigalt.*
[e] Manente materia *Thu.*
[f] Hominem ac mentem *Vict.*
[g] Quid impossibilius aiebam, quam *Pem. Lam. Eb. Reg.* Quin *Pem. Foss. Spir. Rem. Manu.* Cui *Goul. Lam.* Quomodo *Voss.* 4.
[h] Genitum in sinu, *nota marginalis vet. eod.* Gemino situ *Voss.* 4. *Spir.* Genitum in sinu *Bod.* 3.
[i] Et libido præcipitet *Thu.*
[j] Ego memini *Ebor. Ben.*
[k] Nam et ipse *Lam. Ebor. Voss.* 2. *Vict.*
[l] Implicatus *Thu. Foss.*
[m] Segnis vitiis *Thu.*
[n] Eram desperatione *Thu. Voss. Fict.*
[o] Desuper se lumen *deest apud Pam. Rig.*
[p] Cœperunt *add. Voss.* 4.
[q] Putabatur esse, agnoscere terrenum fuisse, quod prius ut vere Dei esse..... *Lam. Et. Goul. Vict.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

In nocte cœca. Id est idololatria. Hieronymus in caput tertium Jonæ : *Proponamus beatum Cyprianum, qui prius idololatriæ assertor fuit, et in tantam gloriam crevit eloquentiæ ut oratoriam quoque doceret Carthagini, audisse tandem sermonem Jonæ, et ad pœnitentiam conversam in tantam venisse virtutem ut Christum publice prædicaret. et pro illo cervicem gladio flecteret.*

Renasci. Non enim nascimur sed renascimur Christiani. Tertullianus in Apologetico : *Fiunt, non nascuntur Christiani.* Item Hieronymus in libro *adversus Vigilantium* et in Epistola *ad Lætam de Institutione filiæ.* Apud Primasium in Prologo commentarii in Epistolas Pauli, Christiani aiunt ad Judæos : *Filios Abrahæ non facit nativitas, sed fides.* Vide quæ de Christianorum nativitate ait Munnulus a Girba in Concilio Carthaginensi, et quæ Pontius diaconus in *vita Cypriani* dicit de nativitate cœlesti.

In auro... purpura. Hieronymus in Epistola ad Heliodorum *de Laude vitæ solitariæ*, et in Epistola ad Lætam de Institutione filiæ, *In auro atque purpura ludere.* M. Cato apud A. Gellium, lib. II, cap. 18 : *Fures privatorum facinorum in nervo atque in compedibus ætatem agunt, fures publici in auro atque in purpura.* Sanctus Ambrosius sive quis alius, lib. III *Officior.*, cap. 3, ait : *Servorum tamen occulta furta, divitum rapinæ publicæ* Seneca, Epist. LXXVI : *Nemo ex istis quos purpuratos vides felix est, non magis quibus sceptrum et chlamydem in scena fabulæ assignant.*

Fascibus ille. Ista Cyprianum de se scripsisse censuit Guillelmus Cave, quia putabat illum honoribus in republica functum antequam fieret christianus. Verum cum nuspiam inveniamus illum habuisse honores, magistratus, imperia, nulla nos ratio movere potest ut verba illa pertinere putemus ad Cyprianum. Rhetorem fuisse scimus, sed non proconsulem, prætorem, aut præsidem, nec ullo alio magistratu functum. Error ille hinc ortus est quod Cyprianum nostrum confudit cum Cypriano Antiocheno. Porro fascium decus et imperium dixit Columella in præfatione librorum de Agricultura.

Officiosi agminis. In uno ex veteribus libris meis legitur *honestioris agminis*... Sic etiam habebat codex episcopi Acconensis.

Pœnam putat. Vide quæ de hoc argumento annotat Casaubonus ad librum tertium Suetonii in verbo : *Si non dominaris.*

Illecebris. In editionibus Pamelii et Rigaltii additur *assuetum.* Angli annotant Pamelium vocem illam addidisse contra fidem omnium veterum exemplarium. Quod verum est. Ego enim illam non reperi nisi in uno regio quod fuit olim sancti Martini Turnacensis. In Divionensi, in recentiore Remigiano, et in uno meo scriptum est *deditum.* Quod indicare videtur adjectam hanc vocem fuisse ab eo qui putaret deesse hic aliquid. Itaque arbitratus sum recte censuisse Anglos illam esse eliminandam.

Libido præcipitet. Seneca, Epist. X : *Tunc audaciam acuit, libidem irritat, iracundiam instigat.* Commodianus Instructione 63 : *Libido præcipitat.* Ubi interim admonendum est, quamvis res sit exigui momenti, in veteri libro Commodiani istic scriptum esse *Belligerare cupis* pro eo quod Rigaltius edidit *Belligerare quæris.*

IV. — *Erroribus.* Plerique libri veteres et editiones omnes ante Manutianam præferunt *horroribus.* Et tamen multi libri habent *erroribus.* Quod ego puto istic esse melius. Contra paulo infra retinui *horroribus* in hac ipsa Epistola, ut suo loco dicetur.

Offavebam. Ita scriptum vidi in quibusdam libris veteribus, pro quo veteres editiones ante Rigaltianam *adfavebam.* Infra in Epistola LII, videmus *offocari* pro *suffocari* et *offectura* pro *effectura* in sententia quam in causa baptismi hæreticorum protulit Munnulus a Girba in concilio Carthaginensi.

Digitized by Google

terrenum fuisse quod prius carnaliter natum delictis obnoxium viveret, Dei esse cœpisse quod jam Spiritus sanctus animaret. Scis ipse profecto et mecum pariter recognoscis quid detraxerit nobis quidve contulerit mors ista criminum, vita virtutum. Scis ipse, nec prædico. In proprias laudes [a] odiosa [b] jactatio est; quamvis non jactatum possit esse, sed gratum, quicquid non virtuti hominis adscribitur, sed de Dei munere prædicatur; ut jam non peccare esse cœperit fidei, quod ante peccatum est, fuerit [c] erroris humani. Dei est, inquam, Dei est omne [d] quod possumus. Inde vivimus, inde pollemus, inde sumpto et concepto vigore [e], hic adhuc positi futurorum indicia prænoscimus. Sit tantum timor innocentiæ custos, ut, qui in mentes nostras indulgentiæ cœlestis allapsu clementer Dominus influxit [f], in animi oblectantis hospitio justa [g] obtemperatione teneatur, ne accepta [h] securitas indiligentiam pariat, et vetus denuo hostis obrepat.

V. Cæterum, si tu innocentiæ, si justitiæ viam [i] teneas, si illapsa [j] firmitate vestigii tui [k] incedas, si in Deum viribus totis ac toto corde suspensus hoc

LECTIONES VARIANTES.

[a] Scribere in proprias *Ben. Ebor. Lam.* In propriis laudibus *Pem.*
[b] Otiosa *Spir. Rem. Eras. Foss. Vict.*
[c] Peccatum fuerit *Lam, Ar. Eb. Generis NC.* 1.
[d] Dei omne *Oxon.*
[e] Sumpto vigore *Voss.* 4.
[f] Quod in mentes nostras clementer Dominus influxit *Ar. Ebor.* Inflixit, *Ben. Lam. Bod.* 3. *Voss.* 4. *Spir. NC.* 1. *Pem. Eras. Manut.* Inluxit *Morell. Vict.*
[g] Justam per orationem *Ben, Ar.*
[h] Ne cum accepta s. i. par. vetus *Pem. Lam. Eb. Ben. Voss.* 2 Nec recepta *Foss.*
[i] Justitiæ Semitam *Lin.*
[j] Teneas illapsa firmitate vestigii *Lam. NC.* 1. *Ebor. Thu. Foss.*
[k] Vestigiis tuis *Voss.* 4. *Morel.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

In proprias laudes. Ruricius, lib. II, Epist. 1 : *In propriis laudibus, sicut dicitur, est odiosa jactatio.* Ita vetus codex sancti Galli, pro quo Canisius edidit *jactantia.* Quo verbo usum esse Cyprianum satis constat. Vera profecto est illa Cypriani sententia. Unde illud vulgatum : *Laus proprio sordescit in ore.* Proverbiorum XXI : *Laudet te alienus, et non os tuum.* Augustinus in Epistola ad Valerium Comitem : *Et ideo de te narratio suavior nobis erat quia ea dicebat quæ ipse non posses, ne quidem me inquirente, rescribere, ne tuarum laudum, quod sancta Scriptura prohibet, fieres prædicator.* Apud Eusebium, lib. II *Hist. eccles.*, cap. 30, multum vituperatur Paulus Samosatenus quod de se magnifice loqueretur, non ut episcopus, sed ut sophista quidam et impostor. Plinius, lib. I, Epist. VIII : *Etenim, si alienæ quoque laudes parum æquis auribus accipi solent, quam difficile est obtinere ne molesta videatur oratio de se aut de suis disserentis.* Dionysius Halicarnasseus in initio Historiarum suarum ait non futurum se esse multum in propriis laudibus quod audientibus graves molestasque se esse sciret. Symmachus, lib. I, Epist. 1 : *Nempe derides quod de me aliqua justo indulgentius prædicavi. Et hæc est vera atque digna reprehensio. Omnis quippe ostentatio non caret suspicione mendacii; quia quicquid assumitur, proprium non putatur. Dehinc jactantia avara laudis multum decoquit de pudore.* Hinc fortassis illud Symmachianum a Sidonio laudatum : *Ut vera laus ornat, ita falsa castigat.* Cui sententiæ consonat Anastasius papa in epistola *ad Joannem* episcopum Hierosolymitanum : *Duplex enim causa me hoc poscere constringit, ne consacerdotis tui sensibus aut dolorem falsa laus ingerat, aut pudorem vera succendat.* Quintilianus lib. IV, cap. 1 : *Nonnumquam contingit relatio meritorum, de quibus verecundius dicendum erit sua quam aliena laudantis.* Et lib. XI, cap. 1 : *Omnis sui vitiosa jactatio est, affertque audientibus non fastidium modo, sed plerumque etiam odium.* Ante eum Cicero dixerat in libro I *Officiorum : Deforme etiam est de se ipso prædicare.* Sciebat enim verum esse quod Julius Cæsar ait in libro secundo *Commentariorum de bello civili*, libenter homines de suis laudibus prædicare : quod non factitasse illum tradit Dio Cassius lib. XXXVII. Et tamen idem Cicero putabat licere interdum de se magnifice prædicare. Ait quippe in libro Officiorum : *Licet enim, Marce fili, apud te gloriari, ad quem et hæreditas hujus gloriæ et facinorum imitatio pertinet.* Idem in Oratione de Responsis aruspicum : *Potest quisquam in rebus magnis cum invidia versatus satis graviter contra inimici contumeliam sine sua laude respondere.* Plautus in Amphitruone : *Qui non deliquit, decet audacem esse, confidenter pro se et proterve loqui.* Licet enim aliquando excurrere in proprias laudes, exemplo sancti Pauli apostoli in Epistola secunda ad Corinthios (XI, 22) : *In quo quis audet, ut insipiens dico, audeo et ego. Hebræi sunt, et ego. Israelitæ sunt, et ego. Ministri Christi sunt, ut minus sapiens dico, plus ego. In sudoribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter*, etc. Quomodo autem se quis possit aliquando laudare explicat sanctus Augustinus in Psalmum CXLIV. Extat apud Plutarchum libellus qua quis ratione se ipsum citra invidiam laudare possit. Aristoteles de semetipso, ut Valerius Maximus tradit lib VII, cap. 3, in neutram partem loqui debere prædicabat, quoniam laudare se vani, vituperare stulti esset. Nam in se dicere non est fere nisi scurrarum, ut ait Quintilianus lib. VI, cap. 3. Vide Demosthenis orationem *de Corona.*

Timor innocentiæ custos. Columella In præfatione libri XII : *Metus plurimum confert ad diligentiam custodiendi.* T. Livius lib. XXXIV : *Disciplina custos infirmitatis, quam inter validiores optime timor continet.* Vegetius lib. IV, cap. 12 : *Timor magis frangit insuetos.* Tertullianus lib II, de Cultu feminarum : *Timor fundamentum salutis est.* In Psalmo CXVIII : *Initium sapientiæ timor Domini.* Et alibi : *Beatus vir qui timet Dominum.* Lactantius in libro *de Ira Dei*, cap. 11, ait religionem esse non posse ubi metus nullus est. Item illud in libro III *Thebaidos* et apud Petronium :

Primus in orbe deos fecit timor.

Relatio Leonis Papæ II, ad Constantinum imperatorem inserta actis sextæ synodi : *Pietas enim vestra fructus misericordiæ est. Potestas autem custos est disciplinæ.* Ennodius in *Vita sancti Epiphanii* ait verecundiam esse matrem bonorum operum.

Ne securitas. Cyprianus in libro *de Lapsis* p. 132 : *Traditam nobis disciplinam pax longa corruperat.* Secundæ enim res, ut ait T. Livius libro VI, negligentiam creant; ideoque eis non multum fidendum idem ait in libro XLII. Vide notas nostras ad librum sextum Salviani.

V. — *Viam teneas.* Quidam libri veteres præferunt *semitam.* Pamelius, a quo cæteri acceperunt, edidit : *Si justitiam teneas, si illapsa firmitate vestigii tui incedas, si in Deum viribus totis etc.*

Illapsa. Id est, si ita firmo pede viam justitiæ teneas ut ab ea non deflectas, ut non labaris : *illapsa*, id est, non lapsa. Libellus Precum Marcellini et Faustini : *Inlapsa firmitate vestigii.* Quæ sunt verba Cypriani.

Virtute sincera. Ista exciderunt in editionibus Pa-

Digitized by Google

sis tantum quod esse cœpisti, tantum tibi ad licentiam datur quantum gratiæ spiritalis augetur. Non enim, qui [a] beneficiorum [a] terrestrium mos est, in capessendo munere [b] cælesti mensura [c] ulla vel modus est. Profluens largiter Spiritus nullis finibus premitur, nec coercentibus claustris intra certa metarum spatia frænatur [d] : manat jugiter, exuberat affluenter. Nostrum tantum sitiat pectus et pateat : quantum illuc fidei [e] capacis afferimus, tantum gratiæ inundantis haurimus. Inde jam facultas datur, castitate sobria, mente integra, voce pura, virtute sincera [f], in medelam dolentium posse venenorum virus extinguere [g]; animorum desipientium labes, reddita sanitate, purgare; infestis jubere pacem, violentis quietem, ferocientibus lenitatem; immundos et erraticos spiritus, qui se expugnandis hominibus [h] immerserint [i], ad confessionem minis increpantibus cogere ut recedant, duris verberibus urgere; A conflictantes, ejulantes, gementes incremento pœnæ propagantis extendere, flagris cædere, igne torrere. Res illic geritur, nec videtur; occulta plaga, et pœna [j] manifesta. Ita quod esse jam cœpimus acceptus spiritus licentia sua potitur; quod necdum corpus ac membra mutavimus, adhuc carnalis aspectus sæculi nube cæcatur. Quantus hic animi potentatus, quanta vis est, non tantum ipsum esse subtractum perniciosis contactibus mundi, ut quis [k] expiatus et purus nulla incursantis inimici labe capiatur, sed adhuc majorem et fortiorem viribus fieri, ut in omnem adversarii grassantis exercitum imperioso jure dominetur!

VI. Atque, ut illustrius, veritate patefacta, divini muneris indicia clarescant, lucem tibi ad cognitionem B dabo; malorum caligine abstersa [l], operti sæculi tenebras revelabo. Paulisper te crede subduci in montis ardui verticem celsiorem, speculare

LECTIONES VARIANTES.

[a] Qualis *Voss.* 4.
[b] Munere divino *Vict.*
[c] Censura *Lam. Eb. Lin.*
[d] Refrænatur *Lam. Ben. Ebor. Thu. Vict.*
[e] Illic fide *Viet.*
[f] Sancta *Ben.*
[g] Extingui *Thu.*
[h] Ad expugnandos homines *Vict.*
[i] Immerserant *Thu.*
[j] Sed pœna *Thu.*
[k] Quia *Oxon.*
[l] Detersa *Lam.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

melii et Rigaltii. Extant enim in aliis et in multis antiquis codicibus. Anglicana editio reposuit.

Medelam dolentium. Ita codex monasterii Beccensis et codex episcopi Acconensis. Veronensis et unus Vaticanus *medellam dolentium*. Veteres editiones habebant *in medulla adolescentium*. Morellius posuit *in medulla adolentium*. In codice sancti Arnulphi Metensis scriptum est *in medela adolentium*. In uno regio et in uno meo, *inde medela languentium*. Atque hanc lectionem esse meliorem existimasse videtur Rigaltius, et vocem *dolentium*, quæ hodie extat in vulgatis editionibus, censet esse potius ab interprete quam ab auctore. Et quia in antiquis editionibus videbat scriptum esse *in medulla adolescentium*, quam scripturam confirmant quædam vetera exemplaria, hinc collegit emendatissimum fore hunc locum si scriberetur *in medelam dolescentium*. Verum ego hanc vocem nuspiam reperi. Itaque puto lectionem veterum librorum, quam retinui, præferendam esse voci novæ, quæ nullam aliam habet originem quam conjecturam Rigaltii. In Epistola LIV, pag. 77, scriptum est : *Merito trahebatur dolentium pœnitentia.* Porro *medulla* pro *medela* positum aliquando fuisse per errorem librariorum videre poterit lector in tomo *Capitularium* pag. 1011.

Venenorum. Duo libri veteres habent *veternorum*.

Erraticos spiritus. Infra in libro de *Idolorum Vanitate*, pag. 226, *Spiritus insinceri et vagi.* Ubi vide notas.

Ejulantes. Tertullianus in Apologetico : *Christum timentes in Deo et Deum in Christo subjiciuntur servis Dei et Christi. Ita de contactu atque afflatu nostro, contemplatione et repræsentatione ignis illius correpti, etiam de corporibus nostro imperio excedunt inviti et dolentes et vobis præsentibus erubescentes.* Idem, adversus Scapulam : *Dæmones autem non tantum respuimus, verum et revincimus et quotidie traducimus et de hominibus expellimus, sicut plurimis notum est.* Minucius Felix : *Hæc omnia sciunt plerique vestrum ipsos dæmones de semetipsis confiteri quoties a nobis et tormentis verborum et orationis incendiis de corporibus exiguntur.* Julius Firmicus, de Errore profanarum religionum : *Sic in corpore hominum constituti dii vestri verbo Dei spiritualium flammarum igne torquentur, et qui apud vos quasi dii coluntur, apud nos religiosæ fidei medela, Christi gratia, humano subjacentes imperio et tormenta repugnantes sustinent, et victi pœnis ultricibus subjugantur.* Lactantius lib. IV, cap. 27 : C *Quanto terrori sit dæmonibus hoc signum sciet qui viderit, quatenus adjurati per Christum de corporibus quæ obsederint fugiant.* Etiam reliquiæ martyrum fugabant dæmones. In libello quippe *Precum Marcellini et Faustini* scriptum est de virtute reliquiarum Rufiniani martyris : *Sciunt hoc Neapolitani in Campania, ubi reliquiæ cruoris ejus in obsessis corporibus dæmonia affligunt.* Vide Hieronymum in libro *adversus Vigilantium*, ubi idem testatur de reliquiis martyrum.

VI.— *Malorum.* Erasmus addidit *blandientium*. Sed hæc vox neque in veteribus libris extat neque in antiquis editionibus. Infra tamen legitur *malorum blandientium virus*. Hinc ergo videtur Erasmus accepisse.

Operti. Nescio qua auctoritate ductus Rigaltius maluit edere *opertas* contra omnium veterum librorum et editionum fidem. Nam epitheton illud nullo modo convenit cum tenebris, quæ semper opertæ sunt. Nisi si vidit codicem sancti Arnulphi Metensis, in quo solo reperi scriptum *opertas*. Scio Apuleium D scripsisse, *noctemque et opertas exoptat ultro tenebras*. Verum ejus auctoritas tanti non est ut mutari propterea debeat oratio Cypriani. Nam ipse Cyprianus in libro *de Opere et eleemosynis* pag. 242, dixit : *Oculi superfusi nigroris tenebris et nocte contecti.* Et Virgilius :

Nox operit terras.

Apud Ovidium; Ætnus mons opertus nubibus,

.... Et fluidis adopertus nubibus æther.

Palladius lib. I, de Re rustica tit. 3 : *Loca nebularum noctibus absoluta.* Et nihilominus Angli retinuerunt editionem Rigaltii. Miror autem eum monuisse scriptum esse *operti* in codice Corbeiensi, in quo certum est non haberi epistolam *ad Donatum*.

In montis ardui. Hieronymus in Epitaphio Nepotiani : *O si possemus in talem ascendere speculam de qua universam terram sub nostris pedibus cerneremus, jam tibi ostenderem totius orbis ruinas, gentes gentibus*

Digitized by Google

inde rerum infra te jacentium facies; et, oculis in diversa porrectis, ipse a terrenis contactibus liber fluctuantis mundi turbines intuere : jam sæculi et ipse misereberis tuique admonitus et plus in Deum gratus, majore lætitia quod evaseris gratulaberis. Cerne tu [a] itinera latronibus clausa, maria obsessa prædonibus, cruento horrore castrorum bella ubique divisa [b]. Madet orbis mutuo sanguine; et homicidium, cum admittunt singuli, crimen est; virtus vocatur cum publice geritur. Impunitatem sceleribus acquirit, non innocentiæ ratio, sed sævitiæ [c] magnitudo.

VII. Jam, si ad urbes ipsas oculos [d] tuos atque ora convertas, celebritatem offendes omni solitudine tristiorem. Paratur gladiatorius ludus, ut libidinem crudelium luminum sanguis oblectet. Impletur in succum [e] cibis fortioribus corpus, et arvinæ toris membrorum [f] moles robusta pinguescit, ut saginatus in pœnam charius pereat. Homo occiditur in hominis voluptatem; et ut quis possit occidere peritia est, usus est, ars est. Scelus non tantum geritur, sed et docetur. Quid potest inhumanius, quid acerbius dici? Disciplina est ut perimere quis possit, et gloria est quod perimit [g]. Quid illud, oro te, quale est ubi se feris objiciunt quos nemo damnavit, ætate integra, honesta satis

LECTIONES VARIANTES.

[a] Cernes tu *Ar. Pem.*
[b] Diffusa *Ar. Lam. Ebor. Ben.*
[c] Vitii *Lin.*
[d] Ad urbes oculos *Bod.* 1.
[e] Siccum *Spir. Bem.*
[f] Ad ruinam corporis membrorum *Ben. Lam. Ebor. N C.* 1. Et arvinæ roris *Spir. Rem.* Assidui nidoris *Eras.*
[g] Peremit *Foss.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

et regnis regna collisa. Matthæus Bossus lib. I, Epist. I ad Philippum Parmensem; in qua disputat de mundi fuga atque contemptu : *Quod tu quoque ut plene percipias, a cæteris animum oro parumper averte atque veluti in sublimi specula pone atque constitue, unde uno spectes et cernas intuitu quæ deorsum hic inter homines miseranda et tetra geruntur.* Sic Mercurius apud Lucianum in contemplantibus volens ostendere Charonti ea quæ in orbe terrarum flebant, eum in excelsum montem arboribus densum deducit, ut inde omnia videre possit.

Homicidium cum admittunt. Seneca : *Ex senatusconsultis plebisque scitis sæva exercentur, et publice jubentur vetita privatim.* In comœdia Queroli scriptum est neminem dicere verum, et falsum dicere crimen non esse, quia commune est, id est vulgo fit, et ideo licitum est. Vetus auctor *altercationis Synagogæ et Ecclesiæ*, fol. 41 : *Sed quoniam mos erat, crimen non erat.*

Virtus vocatur. Lactantius lib. I, cap. 18 : *Quo plures homines afflixerint, spoliaverint, occiderint, eo se nobiliores et clariores putant, et inanis gloriæ specie capti sceleribus suis nomen virtutis imponunt.* Seneca, Hercule furente : *Prosperum ac felix scelus virtus vocatur.* Idem, Hercule Oeteo : *Vitium impotens virtus vocatur.* Lucanus lib. I : *Scelerique nefando nomen erit virtus.* Auctor Epistolæ secundæ *ad Amicum ægrotum* inter opera Hieronymi : *Injuriam fecisse virtus est.*

VII. — *Celebritatem* Contra in Epistola Zosimi papæ ad Hesychium : *Monachorum solitudo omni frequentia major.* Nam, ut ait Hieronymus in *Epitaphio Marcellæ*, monachorum erat immodica multitudo. Quippe monachi, quibus interdictæ erant civitates, deserta loca et vastas solitudines sequi atque habitare jubentur, ut est in Codice Theodosiano. Hieronymus in Epistola *ad Rusticum monachum* scripsit : *Quid desideramus urbium frequentiam qui de singularitate censemur?* Sed ista disciplina, ut ferme accidit, in diversum mutata fuit sequentibus temporibus, et monachi paulatim, relictis sedibus suis, in urbes commearunt. Non damno posteriorem hanc institutionem, cum sciam, una et sola fidei regula irreformabili manente, ut Tertullianus ait, cætera conversationis et disciplinæ admittere novitatem correctionis. Scio præterea et mecum totus orbis scit ingentia commoda provenisse reipublicæ christianæ ex monachorum inter nos habitantium conversatione et ex studiis eorum in communem, eamque magnam, Ecclesiæ utilitatem. Sed a me obtinere non possum quin damnem sarabaitas quosdam et gyrovagos qui se eremitas esse aiunt, et nihil minus sunt, cum frequentissime derelinquant solitudines suas et urbes frequentent aperte contra vitæ formam quam sibi præscripserunt. Illud in primis sæpe miratus sum, fuisse paulo ante hos trecentos annos unum episcopum, Joannem videlicet episcopum Giennensem, qui, dimisso episcopatu, palam et publice professus est se velle ducere vitam eremiticam, et tamen semper residebat in curia Romana, et qui secundum institutum suum procul abesse debebat a tractatione negotiorum publicorum, se totum dabat miscendis rebus in initiis nefandi illius schismatis quod post mortem Gregorii Papæ XI exortum est in Ecclesia Romana.

Homo occiditur. Seneca Epist. VII : *Nunc omissis nugis mera homicidia sunt.* Idem lib. I, de Vita beata, cap. 2 : *Gladiatoribus quare populus irascitur et tam inique ut injuriam putet quod non libenter pereunt! Contemni se judicat, et vultu, gestu, ardore de spectatore in adversarium vertitur.* Tertullianus in libro de Spectaculis : *Certe quidem gladiatores innocentes in ludum veniunt ut publicæ voluptatis hostiæ fiant. Etiam qui damnantur in ludum, quale est ut de leviore delicto in homicidas emendatione proficiant.* Et paulo post : *Immo qui propter homicidæ pœnam probandam ad spectaculum venit, idem gladiatorem ad homicidium flagellis et virgis compellit invitum.* Acta sanctarum Perpetuæ et Felicitatis : *Cum populus illos in medio postularet ut gladio penetranti in eorum corpore oculos suos comites homicidii adjungeret*, etc. Prudentius in Hamartigenia :

> Sanguinis humani spectacula publicus edit
> Consessus.
> Observant hilarem de funere plebem.

Idem lib. I, *adversus Symmachum* :

> Funditur humanus latiali in funere sanguis,
> Consessusque illic spectantem solvit ad aram
> Platonis fera vota sui.

Vide Lactantium lib. V, cap. 20; Cassiodorum lib. V, Epist. 42; et Muretum in Epistolam VII Senecæ.

Quos nemo damnavit. In editione Morellii legitur *quos nemo damnavit ad bestias.* Sed istud est purum glossema.

Ætate integra. Pacuvius apud A. Gellium lib. XIII, cap. 28 : *Ætate integra, feroci ingenio, facie procera virum.*

Honesta forma. Codex Gratianopolitanus habet *venusta.*

Veste pretiosa. Infra in libro *de Habitu virginum*, pag. 175 : *Aut veste pretiosa*, ex Paulo.

Viventes. Pamelius adjecit *juvenes* ex codice Camberonensi. Verum cum ea auctoritas sit singularis, et non constet hic agi de juvenibus, sed de viris fortibus, hæc vox sublata est in sequentibus edi-

Digitized by Google

forma, veste pretiosa? Viventes in ultroneum funus ornantur, malis suis miseri gloriantur. Pugnant ad bestias, non crimine, sed furore. Spectant filios suos patres : frater in cavea est, et soror præsto est. Et spectaculi licet pretium largior muneris apparatus amplificet, ut mœroribus suis mater intersit, hoc, proh dolor [a]! mater et redimit; et in tam impiis spectaculis tamque diris et funestis [b] esse se non putant oculis [c] parricidas.

VIII. Converte hinc vultus ad diversi [d] spectaculi non minus pœnitenda contagia : in theatris quoque conspicies quod tibi et dolori sit et pudori. Cothurnus est tragicus prisca facinora carmine [e] recensere. De parricidiis [b] et incestis horror antiquus, expressa ad imaginem veritatis actione, replicatur, ne, sæculis transeuntibus, exolescat quod aliquando commissum est. Admonetur ætas omnis auditu fieri posse quod factum est. Numquam ævi senio delicta moriuntur, numquam temporibus crimen obruitur, numquam scelus oblivione sepelitur. Exempla fiunt quæ esse jam facinora destiterunt. Tum delectat in mimis turpitudinum magisterio

LECTIONES VARIANTES.

[a] Pro dolore *Vict.*
[b] Duris sceleribus *Pem. Voss.* 2. *Ebor. Lin.* N C. 1.
[c] Oculi *plerique mss. et impr.*
[d] Diversa *Oxon.*
[e] Prisco carmine *Bod.* 3. Facinora carminum *Lam. Ebor. Lin. NC.* 1. *Ben. Thu. Vict.* Prisca carminum facinora *Oxon.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

tionibus. Quamquam lectio quæ *juvenes* habet potest confirmari ex iis veterum locis quæ refert Bulengerus in libro *de Venatione circi*, cap. 3.

(i) *In ultroneum funus.* Id est, se ipsi sponte et ultro destinant ad mortem. Funus autem istic significat mortem, cadaver, non vero solemnia exequiarum, uti fusius ostendemus ad Epistolam XXXI Cypriani. Non cepit ergo sensum hujus loci Lombertus. Sic enim vertit : *Des gens à la fleur de leur aage, bien faits, bien vestus, s'apprestent de sang froid pour faire eux-mesmes leurs funérailles.*

Pugnant ad bestias. Rigaltius scripsit : *Pugnant ad bestias bestiæ.* Quod ille mihi videtur accepisse ex annotatione marginali Nicolai Fabri ad editionem Pamelianam, ubi vir doctissimus scripsit : *Pugnant ad bestias bestiæ, non nomine, sed furore.* Sed non indicavit locum unde accepit hanc lectionem. At ego inveni ita scriptum fuisse in libro Veronensi. Vocem vero *bestiæ*, quæ certe inutilis est in hoc loco, neque in aliis libris antiquis inveni neque in antiquis editionibus. Et hunc quoque locum infeliciter vertit Lombertus, non sua culpa, sed quia exprimere voluit id quod legebat in editione Rigaltii. Sic ergo vertit : *Des bestes combattent ainsi contre des bestes, non pour expier leurs crimes, mais pour assouvir leur fureur.* Verus sensus est iste : Pugnant gladiatores ad bestias, id est cum bestiis, non crimine, id est, non ad bestias damnati pro suis criminibus, sed furore, ut videlicet se fortes ostendant et peritos in arte gladiatoria. Recte igitur Angli sustulerunt vocem *bestiæ* ab hoc loco, quoniam, ut ipsi aiunt, cum de hominibus agat auctor, minime putandus est illos frigido et populari convicio bestias appellasse. Ludum bestiarium et bestiariorum dixit Seneca Epist. LXVI et LXX. Vide eumdem, lib. II, de *Ira Dei*, cap. 8, et Symmachum lib. II, Epist. XLVI, cum notis Jureti. Cæterum admoneo Rigaltium in addendis ad observationes suas dicere scriptum esse *errore* pro *furore* in libro Nicolai Fabri. Quod verum non est.

Non crimine. Arnobius lib. II : *Interficere se alios nullius ob meriti causam, sed in gratam voluptatem consessorum.* Rufinus lib. XI, cap. 18 : *Vindictam dari non crimini sed furori.*

VIII. — *Diversi spectaculi.* Ita veteres libri fere omnes et veteres editiones. Pro quo Pamelius et alii post eum posuerunt *diversa*. Quam lectionem, ne quid dissimulem, reperi in duobus antiquis codicibus.

Contagia. Lubenter arripio occasiones quæ se offerunt emendandi loca veterum scriptorum quæ mihi videntur esse depravata. In Epistola quinta Hormisdæ Papæ *ad episcopos per Hispaniam constitutos* ita vulgo scriptum est : *Ab omni vos errantium communione separetis*, et in margine *contagione*. At in vetustissimo et optimo codice bibliothecæ Colbertinæ legitur *cognatione*, et in alio item vetustissimo monasterii sancti Remigii Remensis, *cognitione*. Quæ duæ lectiones, quamvis falsæ, ostendunt legendum esse *contagione*. Confirmant autem hanc lectionem ea quæ præcedunt.

Parricidiis. Ita scriptum vidi in editione Morelliana et in tredecim codicibus antiquis. Sic etiam in suo se legisse testatur Gronovius cap. 3 *Observationum* suarum *in Scriptoribus ecclesiasticis*. Aliæ editiones et decem libri veteres habent *parricidis*. Illud quoque addam, quamvis fortasse sit extra rem : Hieronymum in *Dialogo adversus Pelagianos* parricidam vocare eum qui cum possit hominem de morte liberare non liberat, et in libro II *adversus Jovinianum* parricidas ex sententia Pythagoreorum qui abietem quemcumque succiderint. Optatus autem in libro VII *adversus Donatistas* ait illum esse homicidam qui nulla necessitate cogente, nulla jussione, nulla potestate, sed furore adactus, de voluntate sua fecerit quod prohibent leges. Widus monachus in Epistola *ad Heribertum archiepiscopum* in libro I. *Miscellaneorum* nostrorum pag. 412 : *Fraternæ mortis crimen incurrit quisquis, cum potest, fratrem a morte minime defendit.* Apuleius lib. VII, Metamorphoseon : *An ignoras eos etiam qui morituris auxilium salutare denegarint, quia contra bonos mores id ipsum fecerint, solere puniri?*

Horror. Retinui hanc vocem, quamvis Angli, auctoritate sumpta ex codice Gronovii, illam expunxerint et ejus loco scripserint *error*, quam lectionem reperi etiam in libro Fuxensi. Sed in omnibus aliis antiquis, qui sunt numero duo et viginti, et in antiquis editionibus scriptum est *horror*. Itaque non audeo mutare contra tot auctoritates, præsertim cum certum sit hanc lectionem constituere bonum sensum. Sic apud Ciceronem in oratione *pro Milone* scribi debere *afferunt tamen oratori horroris aliquid*, non vero *terroris*, observat Dionysius Lambinus. Apud Avitum Viennensem Epist. VI, legitur : *Quis ergo mihi persuadere conetur post errores funerum sepulchrum posse mundari?* pro quo scriptum est *horrores* in codice Marnæsii. Contra in *libello Precum Marcellini et Faustini*, cum in editione vulgata legatur *quod moveat ad horrorem*, in quibusdam vetustis codicibus scriptum est *quod moveat ab errore*. Hic interim locus utilis esse poterit ad emendandos similes errores ubi defuerit auctoritas veterum exemplarium.

Magisterio. Prima fronte mihi videbatur mendum esse in hoc loco et emendandum ita esse ut legeretur *magisterium*. Nam ita scriptum vidi in duobus antiquis codicibus. Verum omnes alii repugnant, itemque omnes editiones. Denique penitius inspicienti quid dicere voluerit Cyprianus persuasum mihi fuit illum scripsisse *magisterio*, ita ut dicere voluerit delectari multitudinem cum videt mimos actitare turpitudines, et histriones flagitia repræsentare. Id quod fieri ait *turpitudinum magisterio*, id est, *magisterio*

Digitized by Google

vel quid domi gesserit recognoscere, vel quid gerere possit audire. Adulterium discitur dum videtur; A et, lenocinante ad vitia publicæ auctoritatis malo, quæ pudica fortasse ad spectaculum matrona proces-

STEPH. BALUZII NOTÆ.

impudicæ artis, ut in Epistola LXI ad *Euchratium*, arte quæ magistra est turpitudinum docendarum, quod mimi magistri sint ostendendarum turpitudinum. Nam ætas lasciva magnam voluptatem capiebat ex illa licentia theatrorum. Inde est quod cum castiores esse oporteat ludos spectante censore, ut ait Flavius Vopiscus *in Carino*, cum M. Porcius Cato, ut lib. II, cap. 10 testatur Valerius Maximus, ludos florales spectaret, populus ut mimæ nudarentur postulare erubuit, et eo discedente, mox lætitia publica subsecuta est. In celebratione enim ludorum floralium, ut tradit Lactantius, feminæ nudabantur ad lasciviam juvenum hominum oculis explendam. Quod etiam in Epistola LXXIX testatur Seneca. Hinc ergo illustratur locus Cypriani paulo obscurior. B

Adulterium discitur. Seneca Epist. VII : *Homines cum docent discunt.* Certum est ludos florales fuisse ludos impudentiæ, et licentiam theatralem fuisse immoderatam et infinitam apud Romanos, multas illic turpitudines criminosas, multas in spectaculis impuritates, ut Salviani verbis utar, committi consuevisse. In theatrorum impudicitiam sic invehitur Tertullianus lib. *de Spectact.*, c. 17 : *Similiter impudicitiam omnem*, inquit, *amoliri jubemur. Hoc igitur modo etiam a theatro separamur, quod est privatum consistorium impudicitiæ ubi nihil probatur, quam quod alibi non probatur. Ita summa gratia ejus de spurcitia plurimum concinnata est, quam Atellanus gesticulator, quam mimus etiam per mulieres repræsentat sexum pudoris exterminans, ut facilius domi quam in scena erubescant ; quam denique Pantomimus a pueritia patitur in corpore, ut artifex esse possit. Ipsa etiam prostibula publicæ libidinis hostiæ in scena proferuntur, plus miseræ in præsentia feminarum, quibus solis latebant, perque omnis ætatis, C omnis dignitatis ora transducuntur, locus, stipes, elogium, etiam quibus opus non est, prædicatur. Taceo de reliquis, ea quæ in tenebris et speluncis suis delitescere decebat, ne diem contaminarent. Erubescat senatus, erubescant ordines omnes. Ipsæ illæ pudoris sui interemptrices de gestibus suis ad lucem et populum expavescentes semel anno erubescunt. Quod si nobis omnis impudicitia execranda est, cur liceat audire quæ loqui non licet ? Cum etiam scurrilitatem et omne vanum verbum judicatum a Deo sciamus, cur æque liceat videre quæ facere flagitium est ?* Insitus erat ethnicorum animis tantus amor theatrorum, ut plures, teste Tertulliano, a Christianorum secta magis periculum voluptatis, quam vitæ avocaret. Nec deerant qui Christianos existimarent, *expeditum morti genus, ad hanc obstinationem abdicatione voluptatum eruditi, quo facilius vitam contemnant, amputatis quasi retinaculis ejus* (*Ibid.*, cap. 1 et 2). Quamvis autem impermissa essent Christianis spectacula, nec hujus Religionis D hac in re severitas ethnicos ipsos lateret : residebant tamen interdum in nonnullis Christianis hujus vitii, id est, spectaculorum amoris, veluti quædam fibræ in quibus evellendis non segniter Sancti Patres elaborarunt. Inter rationum momenta, quibus uti solebant, videtur illud memorabile quod ex promissionibus Baptismi ducebant, ut ex duobus locupletibus testibus perspici potest, Tertulliano et Cyrillo Hierosolymitano, quorum primus sic loquitur in libro *de Baptismo* cap. 24 : *Quot adhuc modis perorabimus*, inquit, *nihil ex his quæ spectaculis deputantur, placitum Deo esse, aut congruens Dei servis, quod Domino placitum non sit, si omnia propter diabolum instituta, et ex diaboli rebus instructa monstravimus ? nihil enim non diaboli est, quidquid Dei non est, vel Deo displicet : hoc erit pompa diaboli, adversus quam in signaculo fidei ejeramus. Quod autem ejeramus, neque facto, neque dicto, neque visu, neque prospectu participare debemus Cæterum nonne ejeramus et rescindimus signaculum, rescindendo testationem ejus ? Numquid ergo superest ut ab ipsis ethnicis responsum flagitemus ? Illi jam nobis renunlient, an liceat Christianis spectaculo uti. Atqui hinc vel maxime intelligunt factum christianum de repudio spectaculorum. Itaque negat manifeste qui, per quod agnoscitur, tollit. Quid autem spei superest in hujusmodi homine ? Nemo in castra hostium transit, nisi projectis armis suis, nisi destitutis signis et sacramentis principis sui, nisi pactus simul perire. An ille recogitavit eo tempore de Deo, positus illic ubi nihil est de Deo ? Pacem, opinor, habebit in animo contendens pro auriga, pudicitiam ediscet, attonitus in mimos. Immo in omni spectaculo nullum magis scandalum occurret, quam ipse ille mulierum et virorum accuratior cultus : ipsa consensio, ipsa in favoribus aut conspiratio aut dissensio, inter se de commercio scintillas libidinum conflabellant. Nemo denique in spectaculo ineundo prius cogitat, nisi videri et videre. Sed tragœdo vociferante exclamationes ille alicujus Prophetæ retractabit. Inter effeminationis modos Psalmum secum comminiscetur, et cum athletæ agent, ille dicturus est reperculiendum non esse ; poterit et de misericordia moveri defixus in morsus ursorum, et spongias retiariorum. Avertat Deus a suis tantam voluptatis exitiosæ cupiditatem. Quale est enim de Ecclesia Dei in diaboli ecclesiam tendere ? de cœlo, quod aiunt, in cœnum ? illas manus quas ad Dominum extuleris, postmodum laudando histrionem fatigare ? ex ore quo Amen in sanctum protuleris, gladiatori testimonium reddere,* Εἰς αἰῶνας alii omnino dicere nisi Deo Christo ? Sic etiam Cyrillus Hierosolymitanus in *Cateches. mystag.* 1, docet Christianos spectaculis renuntiasse, cum in Baptismo pompis diaboli renuntiarunt. *Postea dicis*, inquit, ET OMNI POMPÆ ILLIUS. *Pompa vero diaboli, theatrorum insaniæ, equorum cursus in hippodromis, venationes in circo, et reliqua hujuscemodi vanitas, de qua liberari se postulans sanctus Deo dicit :* Averte oculos meos, ne videant vanitatem (*Psal.* CXVIII, 37). *Ne tibi studio et cordi sit theatri insania, ubi conspicias mimorum petulantias omni contumelia et dedecore abundantes, atque effeminatorum virorum furoris et amentiæ plenas saltationes. Neque illa eorum qui in circensibus venationibus sese feris exponunt, ut infelicem alvum demulceant ; qui ut ventrem alimentis deliniant, ipsi revera ventris immitium ferarum pabulum fiunt : atque ut rectius dicam, pro ventre quem unum Deum noverunt, propriam vitam in præcipitium singularibus certaminibus abjiciunt. Fuge etiam equorum curricula, quod prorsus insanum est supinasque animas dejicit spectaculum. Hæc enim omnia diaboli pompæ existunt.* Nec omittenda quæ leguntur in libro *de Spectaculis*, qui S. Cypriano adscribitur : *Sed ut de hoc scenæ inquinamento inverecundo transitum faciam*, inquit auctor p. 341 : *Pudet referre quæ dicuntur, pudet etiam accusare quæ fiunt, argumentorum strophas, adulterorum fallacias, mulierum impudicitias, scuriles jocos, parasitos sordidos, ipsos quoque patresfamilias togatos modo stupidos, modo obscenos, in omnibus stolidos, in omnibus inverecundos. Et cum nulli hominum aut generi aut professioni ab improborum istorum sermone parcatur, ab omnibus tamen ad spectaculum convenitur. Commune dedecus delectat, videre vel recognoscere otia vel discere. Concurritur illic ad pudorem publicum lupanaris, ad obscenitatis magisterium, ne quid secreto minus agatur quam quod in publico discitur ; et inter ipsas leges docetur quidquid legibus interdicitur. Quid inter hæc Christianus fidelis facit, cui vitia non licet nec cogitare, quid oblectatur simulacris libidinis, ut in ipsis deposita verecundia audacior fiat ad crimina ? Discit et facere dum consuescit videre.*

Matrona. Mulier quæ in matrimonium cum convenit, ut ait A. Gellius, sed in primis nol primi ordinis, non e plebe. Unde in libro Ter

Digitized by Google

serat, de spectaculo revertitur impudica. Adhuc deinde, morum quanta labes, quæ probrorum fomenta, quæ alimenta [a] vitiorum, histrionicis gestibus inquinari, videre contra fœdus jusque nascendi [b] patientiam incestæ turpitudinis elaboratam! Evirantur mares, honor omnis et vigor sexus enervati corporis dedecore mollitur, plusque illic placet quisquis virum in feminam magis fregerit. In laudem crescit [c] ex crimine, et peritior [d] quo turpior judicatur. Spectatur hic, proh nefas! et libenter [e]. Quid non possit suadere qui talis est? Movet sensus, mulcet affectus, expugnat boni pectoris conscientiam fortiorem; nec deest probri blandientis auctoritas, ut auditu molliore pernicies hominibus obrepat. Exprimunt impudicam Venerem, adulterum Martem, Jovem illum suum, non magis regno quam vitiis principem, in terrenos amores cum ipsis suis fulminibus ardentem, nunc in plumas oloris albescere [f], nunc aureo imbre defluere, nunc in puerorum pubescentium raptus ministris avibus prosilire. Quære jam nunc an possit esse qui spectat integer vel pudicus. Deos A suos [g] quos venerantur imitantur, fiunt miseris et religiosa [h] delicta.

IX. O si possis, in illa sublimi specula constitutus, oculos tuos inserere secretis, recludere cubiculorum obductas fores, et ad conscientiam luminum penetralia occulta reserare! aspicias ab impudicis geri quod nec possit aspicere frons [i] pudica, videas quod crimen sit et videre, videas quod vitiorum furore dementes [j] gessisse se negant et gerere festinant: libidinibus insanis in viros viri proruunt; fiunt quæ nec illis [k] possunt placere qui faciunt. Mentior nisi alios qui talis est increpat. Turpes turpis infamat, et evasisse se conscium credit, quasi conscientia satis non sit. Iidem in publico B accusatores, in occulto rei, in semetipsos censores pariter et nocentes: damnant foris quod intus operantur; admittunt libenter quod cum admiserint [l] criminantur: audacia prorsus cum vitiis faciens [m], et impudentia congruens impudicis. Nolo mireris quæ loquuntur hujusmodi; ore illo quidquid jam voce delinquitur minus est.

LECTIONES VARIANTES.

[a] Incitamenta *Vict.*
[b] Legemque nascendi *Voss.* 4.
[c] Et laudem consequitur *Vict.*
[d] Eo peritior *Bod.* 3.
[e] Libenter admittitur *Voss.* 4.
[f] Florescere *Spir. Rem.*
[g] Cum deos *Voss.* 4.
[h] Miseris religiosa *Bod.* 3.
[i] Mens *Lam. N C.* 1. *Ebor.*
[j] Gementes *Spir. Rem. Eras.*
[k] Illis ipsis *Pam.*
[l] Et alios cum admiserint *Mor.*
[m] Pro conviciis faciens *Eras.* Favens *Lam. Ben. Ebor.* Conviciis faciens *Spir. Rem.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

de Pallio legimus matronas sine stola redargutas, C quia stola erat insigne matronarum, quam mariti dabant novis nuptis, ut docet etiam Cicero in secunda *Philippica*: et in Libro secundo ejusdem Tertulliani *ad Uxorem* notatur dives matronæ nomine inflata. Et apud *Rufinum* lib. I in Oseam: *Mulier quæ matronalibus illustratur insignibus.* In Actis passionis sanctarum Perpetuæ et Felicitatis ita scriptum est: *Ubia Perpetua honesta liberaliter instituta, matrona licet nupta, habens patrem et matrem.* In hoc loco intelligendo laboravit Lucas Holstenius, vitio nimirum interpunctionis, cum sit legendum: *matrona, licet nupta, habens patrem et matrem.* Hinc *matronalis sedulitas* apud Columellam in *Præfatione* libri duodecimi; apud *Plinium* lib. v, Epist. 16, *matronalis gravitas*; in libro secundo Tertulliani de Cultu feminarum, *matronalia decoramenta*, et *feriæ matronales* in libro *de Idololatria.* Lampridius in Heliogabalo: *Facta sunt S. C. ridicula de legibus matronalibus.* Elegans est et dignus relerri locus Columellæ de maritis ad villas suas proficisci cupientibus. Sic ergo ait lib. I, cap. 4: *Jucundius itaque viro si etiam matrona comitetur, cujus ut sexus, ita animus est delicatior. Quamobrem amœnitate aliqua demerenda erit, quo patientius moretur cum viro.* In libello *Precum Marcellini et Faustini* scriptum est Damasum papam in tantum a matronis dilectum fuisse ut earum auriscalpius diceretur. Sed hæc scribebantur ab adversariis ejus. Apud Ovidium lib. II *Metamorph.*, et lib. XVI *Fastorum*, tum etiam apud Silium Italicum, Juno vocatur matrona tonantis. Vide Lambinum *ad Horatium* lib. III, od. 2.

Revertitur impudica. Infra in libro *de Habitu Virginum* pag. 179: *Quantum a proposito suo virgo deficit quando pudica quæ venerat impudica discedit?* Salvianus lib. VI, cap. 3: *Itaque in illis imaginibus fornicationum omnis plebs animo fornicatur, et qui forte ad spectaculum puri venerant, ac theatro adulteri revertuntur.*

Evirantur mares. Codex Lætiensis, *Hebetatur maris honor in hominibus, et vigor*, etc.

Virum in feminam fregerit. Infra Epist. LXI, *docens quo modo masculus frangatur in feminam.* Salvianus lib. VII, cap. 19: *Cum enim muliebrem habitum viri sumerent, et magis quam mulieres gradum frangerent.* Arnobius lib. II, *vigorem virilitatis exponere et in habitum feminarum deliciasque mollire.* Hieronymus in Epistola ad Heliodorum: *Histrio fractus in feminam.* Tertullianus in Libro de Spectaculis: *Quæ privata et propria sunt scenæ, de gestu et flexu corporis mollitiæ Veneris et Liberi immolant.* Lactantius lib. VI, cap. 20: *Histrionum quoque impudici motus quid aliud nisi libidines docent et instigant, quorum enervata corpora et in muliebrem incessum habitumque mollita impudicas feminas inhonestis gestibus mentiuntur?* Sanctus Ambrosius in Epistola ad *Sabinum* episcopum: *Quid utique tam deforme visibili spectaculo quam histrionicos sinuare gestus et femineo usu mollire membra?* Prudentius in Hamartigenia: *Turpe semivirorum membra theatrali spectat vertigine ferri.* Et infra: *Cernas mollescere cultu heroas vetulos.* Columella in *Præfatione* D Librorum de Agricultura ait ætatem suam miratam fuisse gestus effeminatorum, quod a natura sexum viris denegatum muliebri motu mentirentur, deciperentque oculos spectantium. Vide Quintilianum lib. II, cap. 1.

Eo peritior quo turpior. Phædra Hippolyto apud Ovidium.

Pejor adulterio turpis adulter obest.

Religiosa delicta. Lactantius lib. I, cap. 20: *Quid mirum si ab hac gente universa flagitia manarunt apud quam ipsa vitia religiosa sunt?*

IX.—*Quasi conscientia.* Tres libri veteres præferunt, *quasi conscientiam suam non posse effugere satis non sit.*

Hujusmodi. Ore illo. Antea legebatur *hujusmodi ore illo.* Quædam vetera exemplaria me docuerunt hunc locum ita esse constituendum et interpungendum. Et ita ante me monuerat Gronovius lib. III. *Dis-*

Digitized by Google

[a] X. Sed tibi, post insidiosas vias, post diversas orbe toto multiplices pugnas, post spectacula vel cruenta vel turpia, post libidinum probra vel lupanaribus prostituta vel domesticis parietibus obsepta, quorum quo secretior culpa, major audacia est, forum fortasse videatur immune, quod ab injuriis lacessentibus liberum, nullis malorum contactibus polluatur. Illuc aciem tuam flecte. Plura illic quæ detesteris invenies, magis oculos tuos inde divertes. Incisæ sunt licet leges duodecim tabulis, et publice ære præfixo [a] jura præscripta [b] sint, inter leges ipsas delinquitur, inter jura peccatur. Innocentia nec illic ubi defenditur reservatur. Sævit invicem discordantium rabies, et inter togas pace rupta, forum litibus mugit insanum, hasta illic et gladius et carnifex præsto est, ungula effodiens, equuleus extendens, ignis exurens, ad hominis corpus unum [c] supplicia plura quam membra. Quis inter hæc vero subveniat? Patronus [c]? prævaricatur et decipit. Judex? sed sententiam [d] vendit. Qui sedet crimina vindicaturus admittit, et ut reus innocens pereat, fit nocens judex. Flagrant ubique delicta, et passim multiformi genere peccandi per improbas mentes nocens virus operatur. Hic testamentum subjicit, ille falsum capitali fraude conscribit; hic arcentur hæreditatibus liberi, illic bonis donantur alieni; inimicus insimulat, calumniator impugnat, testis infamat. Utrobique grassatur [e] in mendacium criminum [f] prostitutæ vocis venalis audacia, cum interim nocentes nec cum innocentibus pereunt [g]. Nullus de legibus metus est; de quæsitore, de judice pavor nullus. Quod potest redimi non timetur. Esse jam inter nocentes innoxium crimen est [h]. Malos quisquis non imitatur [i] offendit.

LECTIONES VARIANTES.

[a] Publico ære præfixo *Pem. Lam. Eb. N C.* 1. *Voss.* 2. Publica *Voss.* 4. Præfixa *Spir. Rem.*

[b] Proscripta. *Man.*

[c] Patronus scilicet *Voss.* 4.

[d] Judex sententiam *Voss.* 4.

[e] Inimicus insimulat, calumniatur, impugnat testes, infamat verum, ubique grassatur *Vict.*

[f] Criminis *Rig. Pem. Bod.* 3. *Voss.* 2. *Lin. Spir. Rem. Man. Mor.*

[g] Cum nocentibus innocentes pereunt *Lam. Ben. Ar. NC.* 1.

[h] Criminis est *Oxon.*

[i] Malus quisquis dum non imitatur *Ebor. Lam.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

sertat. cap. 12. Præterea hæ duæ postremæ voces perperam conjunguntur cum antecedentibus in vulgatis editionibus, cum quæ supra dicuntur nullam cum his vocibus connexionem habeant. Nihil enim illic scriptum est de ore. Erasmus, Manutius, et Pamelius ediderunt *ore illo polluto*. Sed hanc postremam vocem neque veteres libri, si unum excipias, agnoscunt, neque veteres editiones.

X. — *Inter leges ipsas.* Hieronymus lib. I, pag. 4, adversus Jovinianum : *Quotidie mœchorum sanguis effundetur, adulteria damnantur, et inter leges ipsas et secures ac tribunalia flagrans libido dominatur.* Symmachus Lib. II, Epist. 52 : *Nos legum inane nomen vocamus.* Valerius Maximus Lib. IX, cap. 1, *Legum victrix audacia.* Seneca *Hercule furente* ait arma vincere leges. Et apud Ciceronem in Oratione pro Milone : *Silent leges inter arma.* Ovidius lib. V, *Tristium :*

Non metuunt leges, sed cedit viribus æquum,
Victaque pugnaci jura sub ense jacent.

In Tito Livio vero lib. X : *Jam regi leges, non regere.* Seneca lib. IX de Beneficiis cap. 28 : *Legum præsidio qui plurimum in illas peccaverunt proteguntur.* Tacitus lib. I Annalium, *Invalido legum auxilio.* et infra : *Victa est sine dubio lex.* Citat porro hunc Cypriani locum Agobardus, sed valde decurtatum, ut assolet.

Inter togas. Infra in Libro *adversus Demetrianum* pag. 219 : *Hostem quereris exurgere, quasi et si hostis desit, esse pax inter ipsas togas possit.* Seneca lib. II de Ira cap. 7 : *Inter istos quos togatos vides nulla pax est.* Tertullianus in libro de Pallio : *Plus togæ læsere republicam quam loricæ.* Florus lib. IV, cap. 12. *Togas et sæviora armis jura viderunt.* Illud quoque admoneri non incongruum est, in codice Tornacensi bibliothecæ regiæ scriptum esse, *Inter reges pace rupta*, et supra lineam, *vel togas.* Sed etiam lectionem constat esse falsissimam, itemque eam quæ extat in libro Fuxensi, *inter treugas pace rupta*, nondum invento vocabulo treugarum.

Quam membra. Aliæ editiones habent *quam membra sunt.* Sic etiam legitur in quinque libris veteribus. At cum vox illa ultima non extet in reliquis exemplaribus antiquis quibus usus sum nec in plurimis Anglicanis, et dictio sit elegantior absque voce illa, quam puto esse ex glossemate, eam sustuli. Infra *Epist.* VIII, pag. 16 : *Quamvis torquerentur in servis Dei jam non membra sed vulnera.*

Testamentum subjicit. Quidam codices habent *subducit*, alii *substituit*, id est, supponit. Valerius Maximus lib. IX, cap. 4 : *Cum falsum testamentum quidam in Græcia subjecissent.* A. Gellius lib. V, cap. 9 : *Sortem nominis falsam subjici.* Julius Paulus lib. IV : *Sentent.* tit. 7 : *Non tantum is qui testamentum subjecit.* Cicero in Paradoxis, *Testamenta subjecta.* Arnobius lib. II : *Idcirco animas misit ut viarum aliæ infestarent meatus, aliæ circumscriberent nescios testamenta supponerent falsa.* Lactantius *Lib.* V, cap. 9 : *Non enim de nostro sed de illorum numero semper existunt qui hæreditates captant, testamenta supponunt.* Testamentorum insidias dixit Plinius lib. XXIX, cap. 1.

Nullus de legibus metus. Cassiodorus in Præfatione Variarum : *Deinde mores pravos corrigis auctoritate rectoris, audaciam frangis, timorem legibus reddis.* T. Livius lib. II dixit *jus vi obrutum.* Horatius lib. I, sat. 3.

Jura inventa metu injusti fateare necesse est.

De quæsitore. qui quæstionum judicia exercet, qui capitalibus judiciis præest, ut loquitur Pomponius lib. II, D. *de Origine juris.* Ammianus Marcellinus lib. XXIX, ait quæsitoris iniquitatem omnibus esse criminibus graviorem. Prudentius in *Carmine* de *sancto Hippolyto :*

Inde furens quæsitor ait : Jam, tortor, ab uno
Desine. Si vana est quæstio, morte agitur.

Aliud est officium quæsitoris apud Julianum antecessorem.

Quod potest redimi. In lege Salica tit. LV, manus quæ præcidi debuerat secundum legem redimitur pretio. Et *Lib.* III. *Capitularium*, cap. 10, pœna constituitur adversus perjurum ut perdat manum vel redimat. Vide Notas *ad Reginonem* pag. 593. Et tamen erant quædam peccata quæ non redimebantur, veluti si quis perjurium fecisset lib. V, *Capitularium*, cap. 196. Si quis post pacem factam cum inimico suo eum occiderit lib. VI, cap. 272. Illi enim manum perdere debent, neque eis licet eam redimere.

Malos quisquis. Tacitus *Lib.* IV Annalium : *Etiam gloria ac virtus infensos habet, ut nimis ex propinquo diversa arguens.* Castigare enim videtur

Digitized by Google

Consensere jura peccatis, et cœpit licitum esse quod publicum est. Quis illic rerum pudor, quæ esse possit integritas, ubi qui damnent improbos desunt, soli ibi [a] qui damnentur occurrunt ?

XI. Sed, ne nos videamur [b] eligere fortasse pejora, et studio destruendi per ea oculos tuos ducere quorum tristis atque aversandus aspectus ora et vultus conscientiæ melioris offendat, jam tibi illa quæ ignorantia sæcularis bona opinatur ostendam. Illic etiam fugienda conspicies. Quos honores putas esse, quos fasces, quam affluentiam in divitiis, quam potentiam in castris [c], in magistratu purpuræ speciem, in principatu [d] licentiæ potestatem, malorum blandientium virus occultum est et [e] arridentis nequitiæ facies quidem læta, sed calamitatis abstrusæ [f] illecebrosa fallacia; instar quodA dam [g] veneni, ubi, in lethales succos dulcedine aspersa calliditate fallendi sapore medicato, poculum videtur esse quod sumitur; ubi epota res est, pernicies hausta grassatur. Quippe illum vides qui, amictu clariore conspicuus, fulgere sibi videtur in purpura. Quibus hoc [h] sordibus emit ut fulgeat, quos arrogantium fastus prius [i] pertulit, quas superbas fores matutinus salutator obsedit, quot tumentium [j] contumeliosa vestigia [k] stipatus in clientium cuneos [l] ante præcessit, ut ipsum etiam salutatum [m] comes postmodum pompa præcederet, obnoxia non homini, sed potestati! neque enim coli moribus meruit ille, sed fascibus. Horum denique videas exitus turpes, cum auceps temporum palpator abscessit, cum privati latus nudum desertor assecla fœdavit. Tunc laceratæ domus plagæ B

LECTIONES VARIANTES.

[a] Soli ubi *Lam. Ebor. An. Thu. Eras. Morel. Voss.* 4.
[b] Sed videamus *Lam. Ebor. NC.* 1. Nos videamus. *Bod.* 3. *Mamm. Morel.*
[c] *Rigalt. omnia per interrog. repetitas sextulit.*
[d] Magistratibus — Principatibus *NC.* 1. *Eb. Lam.*
[e] Et *omitt. Oxon.*
[f] Calamitatis abstrusæ *Pem. Voss.* 2, sed *omiss.*
[g] Cujusdam *Voss.* 2.
[h] Quibus hic *Voss.* 4.
[i] Prius *omittit Voss.*
[j] Quæ tumentum *Bod. Spir. Ren. Foss.*
[k] Contumeliosis vestigiis *Ar. Ben. Lam. Ebor.*
[l] Stipatus clientium *Spir. Eras.* Cuneis, *Oxon.*
[m] Salutantium *Lamb. Eras.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

aiunt Lactantius *Lib.* v, cap. 9; et Hieronymus in Epistola *ad Virginem exulem*) quisquis ab ejus conversatione dissentit. Sculp. Severus *Lib.* II, sacræ Historiæ : *Quippe semper inimica virtutibus vitia sunt, et optimi quique ab improbis quasi exprobrantes aspiciuntur.* Est enim, ut *Lib.* II, cap. 12; et *Lib.* III, cap. 7, ait Quintilianus, quædam virtutum vitiorumque vicinia. Et Seneca, *Epist.* XLV, ait vitia sub virtutum nomine obrepere et illis immixta trahere secum illas. Verequc dixit T. Livius mala bonis adhærere et in animis hominum potentiora esse. Vide A. Gellium *Lib.* VI, cap. 1.

Cæpit licitum esse. Tertullianus in libro de Corona : *Sed quod non prohibetur ultro permissum est. Immo prohibetur quod non ultro permissum est.* Sanctus Ambrosius in Epistola ad Paternum : *Prætendis enim in litteris tuis quia permissum hoc divino jure connubium hujusmodi pignoribus existimatur eo quod non prohibitum. Ego autem et prohibitum assero.* Et paulo post : *Quod si ideo permissum putas quia specialiter non est prohibitum, nec illud prohibitum sermone legis reperias ne pater filiam suam accipiat uxorem... Numquid ideo licet quod non est prohibitum.* Ex indulgentia enim est quodcumque permittitur, ut ait Tertullianus in libro *de Exhortatione Castitatis.* In comœdia *Querolo* scriptum est falsum dicere non esse crimen, quia commune est, et adulterium quoque crimen non esse, et ideo licitum esse quia nec permitti nec prohiberi potest. Vetus auctor *Altercationis* synagogæ et Ecclesiæ : *Pro magno crimine objiciuntur Jacob quatuor uxores. Sed quoniam mos erat, crimen non erat. Nunc autem crimen est, quia mos non est.*

XI.— *Epota res est.* Multum variant in hoc loco libri veteres et veteres editiones. In quibusdam enim legitur *epota est.* in aliis *epotata, epotaris, epotatum est,* immo et iam *epotandum.* Cum autem lectio quam nos præferimus reperiatur in multo pluribus antiquis codicibus quam aliæ, confirment etiam illam codex Segnierianus et editiones quæ Pamelianam antecesserunt, existimavimus illam esse revocandam. Cæterum quia Pamelius, ut editioni suæ adderet auctoritatem alicujus vetustioris, adnotavit Gravium ita restituisse hunc locum : monendus est lector istud non esse verum. Nam in editione quæ dicitur Gravii aperte scriptum est, *epota res est,* et in margine, *epotavimus.* Grovovius, *lib* III, Observat. cap. 24, monet se in Fuxensi codice vidisse scriptum, *epota res est.* Quod verum est.

Matutinus salutator. Virgilius lib. II, pag. 5, *Georgicorum* :

> Si non ingentem foribus domus alta superbis
> Mane salutantum totis vomit ædibus undam.

C Martialis lib. X, Epigr. 10 :

> Mane salutator limina mille teras.

Ideo Horatius *Epodon* XI, scripsit, *Superba civium potentium limina.* Claudianus lib. I, *in Rufinum : Turba salutantum latas ibi perstrepit ædes.* Eo autem processerat ambitio salutationum matutinarum ut qui cupiebant esse primi salutantes noctem vigilem ducerent ante januas eminentium potestatum, ut docet Symmachus lib. IV, *Epist.* XLI. Adnotat Suetonius Caligulam natura timidum ac diffidentem salutatoribus scrutatores semper opposuisse acerbissimos, sed eam consuetudinem omissam esse a Vespasiano. Ælius Lampridius, in Vita Alexandri Severi scribit illum admisisse salutatores quasi unum de senatoribus, patente velo, admissionalibus remotis, cum antea salutare principem non liceret, quod eos videre non poterat. *Salutatus autem,* inquit idem auctor, *concessum obtulit omnibus senatoribus; atque ideo nisi honestos et bonæ famæ homines ad salutationem non admisit,* D *jussitque ut nemo ingrediatur nisi qui se innocentem noverit. Per præconem edixit ut nemo salutaret principem qui se furem esse nosset.* Contra Maximinus junior, ut tradit Julius Capitolinus, *in salutationibus superbissimus erat, et manum porrigebat, et genua sibi osculari patiebatur, nonnumquam etiam pedes.* Simile quid apud Lucianum in *Necromantia*, ubi irridet eos qui, cum in potestate constituti essent, felices et beatos salutantes se facturos putarent, si pectus dextramve porrigentes darent osculandam. De honore et jure salutationum multæ extant constitutiones in Codice Theodosiano. Plura de hoc argumento dici possent; sed ista sufficiunt. Vide nihilominus Senecam Epist. XCI; et A. Gellium *Lib.* IV, et *Lib.* XX, cap. 1; et sanctum Augustinum *Lib.* VI, *Confess.* cap. 1.

Auceps temporum. Qui tempus aucupatur, ut ait Cicero in *Oratione pro Roscio Amerino.* Id vero facere palpatores id est adulatores constat. In aliquot antiquis codicibus et editionibus legitur *anceps.*

Assecla fœdavit. Id est, nudum latus reliquit,

Digitized by Google

conscientiam feriunt, tunc rei familiaris exhaustæ [a] damna noscuntur, quibus redemptus favor vulgi, et caducis atque inanibus votis popularis aura quæsita est. Stulta prorsus et vana jactura [b], frustrantis spectaculi voluptate id parare voluisse quod nec populus acciperet et perderet magistratus!

XII. Sed et quos [c] divites opinaris continuantes saltibus saltus et, de confinio pauperibus exclusis, infinita ac sine terminis rura latius porrigentes, quibus argenti et auri maximum pondus et pecuniarum ingentium vel extructi aggeres vel defossæ strues, A hos etiam inter divitias suas trepidos cogitationis incertæ sollicitudo discruciat, ne prædo vastet, ne percussor infestet, ne inimica cujusque locupletioris invidia calumniosis litibus inquietet. Non cibus securo [d] somnusve contingit. Suspirat ille in convivio, bibat licet gemma; et cum epulis marcidum corpus torus mollior alto sinu condiderit [e], vigilat in pluma; nec intelligit miser speciosa sibi esse supplicia, auro se alligatum teneri, et possideri magis quam possidere divitias atque opes. Atque, o detestabilis [f] cæcitas mentium et cupiditatis in-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Exhausta *Spir. Rem. Eras.*
[b] Jactatio *Pem. Voss.* 2.
[c] Quod *Pem. Mor.*
[d] Securus *Lam. Ebor. Spir. Rem. Eras.* Securos *Voss.* 2. *Mor.* Securum *Voss.* 4.
[e] Condat *Lam. Ebor. Lin. Ben.* Condidit.
[f] Divitias. O detestabilis *Ebor. Lin.* Atque adeo detest. *Lam.* Instabilis *Mor. NC.* 1. *Ebor. sensu procedente.* Opes. O detest. *Oxon.* Divitias atque o detest. *Gold.* B

STEPH. BALUZII NOTÆ.

uti recte explicatum est in *Editione* Anglicana. Quod evenisse Aggippinæ matri Neronis notat Tacitus *Lib.* XIII *Annalium*, ubi ait desertam illam fuisse a turba salutantium postquam et excubias militares et Germanos custodes Nero removit. Hieronymus in Epistola *ad Furiam* de Viduitate servanda : *Nec procurator calamistratus, nec formosus collactaneus, nec candidus et rubicundus assecla adhæreat lateri tuo.* Arcadius et Honorius AA. in *Constitutione* lata adversus Eutropium eunuchum in l. XVII; *Cod. Theodos.* de Pœnis : *Divinum præmium consulatus lutulentum prodigium contagione fœdavit.* Hinc illud vulgatum : *Omnia cesserunt ennucho Consule monstra.*

XII. — *Bibat gemma.* Virgilius *Lib.* II, Georgicon, *Ut gemma bibat*; et lib. I *Æneidos* :

> Hic regina gravem gemmis auroque poposcit
> Implerique mero pateram.

Seneca cap. 3 de Providentia : *Quanto magis huic invidendum est quam illis quibus gemma ministratur.* Julius Capitolinus in Ælio Vero : *Data etiam aurea atque argentea pocula et gemmata.* Item in Galieno, *Gemmata vasa fecit.* Martialis *Lib.* XII, Epigr. 12 : *Te potare decet gemma*, id est in vase gemmato, in vase gemmis ornato. Juvenalis Sat. X : *Cum pocula sumes gemmata.* Idem in Satira V ait parasito, si ei propinetur in convivio vas aureum, custodem dari qui numeret gemmas. Propertius lib. III, Eleg. 3 : *Nec bibit a gemma divite nostra suis.* Silius Italicus lib. XIII : *Poculaque Eoa luxum irritantia gemma.* Statius lib. I Thebaidos : *Nec cura mero committere gemmas.* Ælius Spartianus scribit Zenobiam usam esse vasis aureis gemmatis ad convivia. Latinus Pacatus Drepanius in Panegyrico Theodosii : *Nisi æstivam in gemmis capacibus glaciem flamma fregissent.* Sidonius Lib. II, Epist. 13 : *Fumarent falerno gemmæ capaces.* Idem in Carmine 2 : *Gemmatam pateram rex ipse retenta.* Lucianus in *Cataplo* memorat pocula gemmis distincta, et Apulcius, Lib. II, *Metamorphoseon*, gemmas formatas in pocula vini. Hieronymus in Vita Pauli eremitæ : *Vos gemma bibitis, ille concavis naturæ manibus satisfecit.* Idem in *Epistola ad Paulum* de Alphabeto Hebraico : *Habeant sibi cæteri, si velint, suas opes, gemma bibant.* Seneca Epist. CXIX : *Utrum sit aureum poculum, an crystallinum, an murrhinum, an Tiburtinus calix, an manus concava, nihil refert.* Cæterum hic admonendum est Rigaltium edidisse *bibat gemmas*, et ideo Lombertum, qui illius editione utebatur, male vertisse, *ils boivent des perles et de l'ambre gris.* Addidit tamen Lombertus hanc postremam vocem, cum nihil simile extet apud Cyprianum. Sunt qui putant hoc genus liquoris fuisse incognitum antiquis. Alii tamen aiunt esse succinum, de quo vide *Diodorum Siculum* lib. V.

Vigilat in pluma. Seneca in Libro *de Providentia* cap. 3 : *Tam vigilabit in pluma quam ille in cruce.* Martialis *Lib.* IX, *Epigr.* 94 : *Pervigil in pluma Cains ecce jacet.* Hieronymus in Epistola ad Marcellam *de Ægrotatione* Blesillæ : *Illo tempore plumarum quoque dura mollities videbatur, et in extructis thoris jacere vix poterat.* Seneca Hercule Oetæo : *Aurea numquam tecta quietem, vigilesque trahit purpura noctes.* Prudentius in Hamartigenia : *At nos delicias plumarum et linea texta sternimus.* Rigaltius scripsit *vigilat tamen in pluma* contra omnium veterum librorum et editionum fidem. Puto autem illum addidisse vocem *tamen* ex exemplari editionis Pamelianæ quo Nicolaus Faber utebatur, in cujus margine vir doctissimus eam posuerat sua manu, nulla mentione loci ubi invenerat. C Certe non extat in veteri libro monasterii Fossatensis cum quo ille contulit plurima loca sancti Cypriani. Eam tamen vocem retinuit editio Anglicana. Reinhartus explosit. Certe non est necessaria.

Possideri magis. Infra in Libro *de Lapsis* pag. 185 : *Possidere se credunt qui potius possidentur.* Hieronymus in Epistola ad Paulinum *de Institutione* Monachi : *Crates ille Thebanus, homo quondam ditissimus, cum ad philosophandum Athenas pergeret, magnum auri pondus abjecit : non putavit se simul posse et virtutes et divitias possidere.* Item in Libro secundo adversus Jovinianum et in Epistola consolatoria ad Julianum : *Crates ille Thebanus, projecto in mare non parvo auri pondere, Abite*, inquit, *pessum, malæ cupiditates. Ego vos mergam, ne ipse mergar a vobis.* Projiciens autem opes suas in mare, ut docet Gregorius Nazianzenus Oratione in Laudem Basilii, dixit : *Crates cratetem Thebanum libertate donat.* Sed illum propterea culpatum esse ab Apollonio Tyanæo refert Philostratus in *Vita* ejus lib. II, cap. 10. Seneca cap. 22 de Vita beata : *Divitiæ meæ sunt, tu divitiarum es.* Item Epist. CXV ; *Majore tormento pecunia possidetur quam quæritur.* Item Epist. CXIX : *Nam quod ad illos pertinet quos falso divitiarum nomen invasit occupata paupertas, sic divitias habent quomodo habere dicimur febrem, cum illa nos habeat. E contrario dicere debemus : Febris illum tenet. Eodem modo dicendum est : Divitiæ illum tenent.* Valerius Maximus lib. IX, cap. 4 : *Procul dubio is non possidet divitias, sed a divitiis possessus est.* Simile quid apud Philostratum in *Vita* Apollonii Tyanæi lib. V, cap. 8.

Atque opes. Has duas voces, quas non inveni in antiquis editionibus neque in ullo eorum veterum exemplarium quibus utor, quæ a Pamelio adjectæ sunt, et Gronovius lib. III Observat. cap. 12 monuit esse delendas, ego quoque putaveram omitti debere, cum præsertim viderem Ciceronem in Libro *de Amicitia* ponere discrimen inter divitias et opes. Ait enim : *Divitiæ, ut utare; opes, ut colare.* Verum

Digitized by Google

sanæ profunda caligo! cum exonerare se [a] possit et levare ponderibus, pergit magis fortunis angentibus incubare, pergit pœnalibus cumulis pertinaciter adhærere. Nulla in clientes inde largitio est, cum indigentibus nulla partitio [a]; et pecuniam suam dicunt quam, velut alienam domi clausam, sollicito labore custodiunt, ex qua non amicis, non liberis quicquam, non sibi denique impertiunt. Possident ad hoc tantum ne possidere alteri liceat. Et, o nominum quanta diversitas! bona appellant ex quibus nullus illis nisi ad res malas usus est.

XIII. An tu vel illos putas tutos, illos saltem inter honorum infulas et opes largas stabili firmitate securos, quos regalis aulæ splendore fulgentes armorum excubantium tutela circumstat? Major illis quam cæteris metus est. Tam ille timere cogitur quam timetur. Exigit pœnas pariter de potentiore sublimitas, sit licet satellitum manu septus [b], et clausum ac protectum latus numeroso stipatore tueatur. Quam securos non sinit esse subjectos, tam necesse est non sit et ipse securus. Ante ipsos terret potestas sua quos facit [c] esse terribiles. Arridet ut sæviat, blanditur ut fallat, illicit ut occidat, extollit [d] ut deprimat. Fœnore quodam nocendi, quam fuerit amplior summa dignitatis et honorum, tam major exigitur usura pœnarum.

XIV. Una igitur placida et fida tranquillitas, una solida et firma et perpetua securitas, si quis, ab his inquietantis sæculi turbinibus extractus, salutaris portus statione fundatus, ad cœlum oculos tollat [e] a terris, et ad Domini munus admissus, ac Deo suo mente jam proximus, quicquid apud cæteros in rebus humanis sublime ac magnum videtur, infra suam jacere conscientiam glorietur. Nihil appetere jam, nihil desiderare de sæculo potest qui sæculo major est. Quam stabilis, quam inconcussa tutela

LECTIONES VARIANTES.

[a] Participatio, portio *Lun. Eb. Ben. M. A.*
[b] Septum *Bod.* 3.
[c] Quam facit *Aod.* 3.
[d] Fallat extollit *Pem. Voss.* 2.
[d] Oculos tollit *Voss.* 2.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

nihil mutare volui, quia videò receptam esse hanc lectionem. Potest enim adjuvari ex discrimine quod Cicero ponit inter divitias atque opes. Lombertus ita vertit hunc locum ac si voces illæ non essent Cypriani, quia divitiæ et opes eodem vocabulo exprimuntur apud Gallos.

XIII. — *Tam ille timere.* Cicero in libro primo de Officiis : *Etenim qui se metui volunt a quibus metuuntur, eosdem metuant ipsi necesse est.* Idem in Libro de Amicitia : *Quis enim aut eum diligit quem metuit, aut eum a quo se metui putat?* Seneca lib. I, *de Clementia* cap. 9 : *Tantum enim necesse est timeat quantum timeri voluit.* Idem Epist. 105 : *Adjice nunc quod qui timetur timet.* Idem lib. IV *de Beneficiis* cap. 19 : *Nec quisquam amat quos timet.* Non potest enim (ut idem ait in *Epistola* 47) amor cum timore misceri. Seneca OEdipo : *Qui sceptra duo sævus imperio regit, timet timentes.* Idem Agamemnone : *Metui cupiunt, metuique timent.* Elegans est in *Octavia* ejusdem auctoris Dialogus inter Neronem et Senecam. Nero ait : *Ferrum tuetur principem.* Seneca respondet : *Melius fides.* Reponit Nero : *Decet timeri Cæsarem.* Seneca vero : *At plus diligi.* Recte profecto. Adnotat enim Velleius Paterculus Cæsarem, quem Dio Cassius lib. XXXVIII et XLII scribit natura placidum et mansuetissimum et nequaquam iracundum fuisse, itemque Augustum, ita a patre, ut idem Dio *Lib.* XLVII testatur, edoctum, adnotat inquam Velleius Cæsarem, cum ei Pansa et Hirtius consulerunt ut principatum armis quæsitum armis teneret, respondisse, amari se quam timeri malle, diversum nimirum a Maximino, cui, ut ait Julius Capitolinus, persuasum erat nisi crudelitate imperium non teneri. Nam amari, coli, diligi majus imperio esse scripsit Symmachus *Lib.* X, *Epist.* 54, sive in *Relatione* ad Imperatores. Laudat Sidonius Lib. II, *Epist.* 3, regem Gothorum Theodoricum, et ponit inter præcipuas ejus laudes : *Dicam quod sentio. Timet timeri.* Et tamen aliquando timor signum est amoris, et Martialis dicit lib. X, epigr. 59 ; *res est imperiosa timor.* Vulcatius Gallicanus ait de Avidio Cassio : *Meruit timeri quia non metuit.* Id ipsum dixerat Lucanus *Lib.* V : *Meruitque timeri non metuens.* Ammianus Marcellinus *Lib.* XV adnotat Julianum Imperatorem dilectum arctissime dum timeretur, et lib. XXVII, Prætextatum præfectum Urbi, cum timeretur, amorem non perdidisse civium ; quia maximo amori, ut ait Mamertinus, maximus timor junctus est. Contra Flavius Vopiscus queritur *de Infelicitate* principis Aureliani, qui cum esset optimus, timebatur quidem, sed non amabatur. Sunt enim aliquando subjecti protervi et contumaces, quia, ut ait Xenophon in *Libro* V *de Pædia Cyri*, metus et lex satis sunt ad amorem inhibendum. Sunt enim aliquando principes ita parum amantes subjectos ut se ab illis amari non curent, uti de Alexandro M. testatur Seneca lib. I *de Beneficiis*, c. 15, aiens illum summum bonum duxisse terrori esse cunctis mortalibus. Sane justum est ut populi obediant principibus eosque timeant. Alioqui corruit respublica. Sed tamen principes omni ope niti decet ut se plus amari diligant quam timeri, uti faciebat Titus Imperator, ob hoc vocatus Deliciæ generis humani. Sic se tutos præstabunt adversus insidias et conspirationes, et se liberabunt a metu. Nam verum est quod multi prodidere, necesse esse ut multos timeat quem multi timent. Nemo enim potest terribilis esse securus, ut ait Seneca *Epist.* CV.

Protectum Latus. Hinc orta dignitas Protectorum inclinante imperio Romano, qui ita dicti sunt quod principis latus protegerent. Imperatores Honorius et Theodosius l. IX Cod. Theodos. de Domesticis et Protectoribus : *Devotissimos Protectores, qui armatam militiam subeuntes, non solum defendendi corporis sui, verum etiam protegendi lateris nostri sollicitudinem patiuntur, unde etiam Protectorum nomen sortiti sunt, inglorios esse non patimur.*

Arridet ut sæviat. Infra in libro *de Habitu Virginum* pag. 130 : *Hic diabolus blanditur ut fallat, arridet ut noceat, illicit ut occidat.* Ruricius lib. II, Epist. XII : *Blanditur ut capiat, famulatur ut teneat, illicit ut occidat.*

Honorum. Miror auctorem editionis quæ dicitur Gravii, Pamelium, Rigaltium, et Anglos maluisse scribere *bonorum.* Et enim omnes editiones antiquæ et omnia vetera exemplaria quibus usus sum habent *honorum* vel *honoris.* In uno tamen Regio, qui fuit olim monasterii sancti Martini Tornacensis, mendose scriptum est *bonorum.*

XIV. — *Et perpetua.* Ista desunt in duodecim vetustis exemplaribus optimis. Extant tamen in septem. Si ratio habenda esset numeri ad numerum, expungenda essent. Videntur autem esse ex glossemate.

Fundatus. Ita reposuimus secuti auctoritatem optimorum librorum et veterum editionum pro eo quod

Digitized by Google

est, quam perennibus bonis [a] cæleste præsidium, implicantis mundi laqueis solvi, in lucem immortalitatis æternæ de terrena fæce purgari ! Viderit [b] quæ in nos prius infestantis inimici pernicies insidiosa grassata sit. Plus amare compellimur quod futuri sumus, dum et scire conceditur et damnare quod eramus. Nec ad hoc pretiis aut ambitu aut manu opus est, ut hominis summa vel dignitas vel potestas elaborata mole [c] pariatur ; sed gratuitum [d] de Deo munus et facile est [e]. Ut, sponte sol radiat, dies luminat, fons rigat, imber irrorat, ita se Spiritus cœlestis infundit. Postquam auctorem suum, cœlum intuens, anima cognovit, sole altior [f] et hac omni terrena potestate sublimior, id esse incipit quod esse se credit.

XV. Tu tantum, quem jam spiritalibus castris cœlestis militia signavit, tene incorruptam, tene sobriam religiosis virtutibus disciplinam. Sit tibi vel oratio assidua vel lectio : nunc cum [g] Deo loquere, nunc Deus tecum : ille te præceptis suis instruat, ille disponat. Quem ille divitem fecerit [h], nemo pauperem faciet : penuria esse nulla jam poterit cui semel pectus [i] cœlestis sagina saturavit. Jam tibi auro distincta laquearia et pretiosi marmoris crustis vestita domicilia sordebunt, cum scieris te excolendum [j] magis, te potius ornandum, domum tibi hanc esse potiorem quam Dominus insedit templi vice, in qua Spiritus sanctus cœpit habitare. Pinganus hanc domum pigmentis innocentiæ, luminemus [k] luce justitiæ : hæc umquam procumbet in lapsum senio vetustatis, nec, pigmento parietis aut auro [l] exolescente fœdabitur. Caduca sunt quæcumque fucata sunt, nec fiduciam præbent possidentibus stabilem quæ possessionis [m] non habent veritatem. Hæc manet [n] cultu jugiter vivido, honore integro, splendore diuturno. Aboleri non potest nec extingui, potest tantum in melius corpore redeunte [r] formari.

XVI. Hæc interim brevibus, Donate charissime : nam, etsi facilem de bonitate patientiam [o], mentem solidam [p], fidem tutam salutaris auditus oblectat, nihilque tam tuis auribus gratum est quam quod in Deo [q] gratum est, moderari tamen dicenda [r] debemus simul juncti et sæpius collocuturi [s]. Et, quoniam feriata nunc quies ac tempus est otiosum, quicquid inclinato [t] jam sole in vesperam diei superest, ducamus hanc diem læti, nec sit vel hora convivii gratiæ cœlestis immunis. Sonet psalmos [u]

LECTIONES VARIANTES.

[a] Bonis affluens *Goul. Morel.*
[b] Videre *Mor.* Videri *Lun.*
[c] Manu *Lin.*
[d] Et gratuitum *Voss.* 2. Munus religiosa mente concipitur *Voss.*
[e] Facile est. Sponte *Lam. Eb.*
[f] Solo altior *Oxon.*
[g] Nunc tu cum *Ar. Eb. Lam. Ben.*
[h] Mandatorum suorum fecerit *Pem. Voss* 2. *Fab.*
[i] Cum semel pectus *Ar. Pem.*
[j] Esse excolendum *Vos* 2. *Lin.*
[k] Illuminemus *Pam. Rig.*
[l] Pigmentum parietis auro *Lam. Ebor. Lin. NC.* 1.
[m] Possessionibus *Pem. Lam. Bod.* 3.
[n] Firmitatem. Manet *Voss.* 3.
[o] Si facile — de bonitate patientiæ *Voss.* 2.
[p] Mentem in Deum solidam *Ar. Pem. Lin.*
[q] In Domino *Lin.* Deo *Oxon.*
[r] In dicendo *Fab.* In Deo *Spir. Rem. Mun. Morel. Desunt in Rig. et Pamel.*
[s] Locuturi *Lin. Voss.* 2. *Ebor. Impressi fere omnes.*
[t] Inclinante *Voss.*
[u] Psalmus *Voss.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

Rigaltius edidit *fundetur*. Et tamen ea quoque lectio reperitur in quibusdam codicibus antiquis.

Gratuitum de Deo munus. Eam sententiam, inquit Morellius, cum quidam non intelligerent, verba alia interseruerunt ; itaque imprimendum curarunt *gratuitum de Deo munus religiosa mente concipitur et facile est.* Notat editionem Erasmi.

Veritatem. Ita codex Seguierianus et alii veteres etiam ille quo Florus utebatur. Pro quo Rigaltius omnium primus posuit *firmitatem*, ex libro, ut opinor, Nicolai Fabri cujus supra feci mentionem. Miror autem eam lectionem, quam ipse Rigaltius ait arbitrari se esse falsissimam, ab eo tamen positam fuisse in textu Cypriani. Rigaltianam editionem secuti sunt Angli et Reinhartus.

Dies luminat. Hæc extant in omnibus editionibus ante Rigaltianam et in plerisque codicibus manuscriptis, etiam in Seguieriano et in eo quo Florus utebatur, tum etiam in iis quos Angli viderunt. Et tamen illi quoque ea omiserunt in sua editione. Illa etiam in sua *versione* omisit Lombertus, non aliam ob causam quam quia non extabat in *editione* Rigaltii. Reinhartus posuit *dies illuminat.*

XVI.— *Feriata nunc quies.* Ego puto errare eos qui ex his verbis et ex iis quæ statim sequuntur collegerunt Cyprianum frequentasse adhuc forum eo tempore quo scripsit hanc Epistolam. Nam cum constet illam scriptam esse postquam Cyprianus amplexus est fidem Christi, probabile non est illum forum, adversus quod fortiter declamat, frequentasse cum illam scripsit. Adde quod Pontius in Vita ejus ait illum presbyterium et sacerdotium statim accepisse. Denique nuspiam invenitur illum fuisse senatorem ac forum frequentasse.

Hora convivii. Tertullianus in Apologetico : *Si honesta causa est convivii, reliquum ordinem æstimare qui sit de religionis officio. Nihil vilitatis, nihil immodestiæ admittit. Non prius discumbatur quam oratio ad Deum prægustetur. Æque oratio convivium dirimat.* Optatus lib. VII : *Omnis tractatus in Ecclesia a nomine Dei incipiatur et ejusdem Dei nomine terminetur.* Hieronymus in Epistola de vitando suspecto Contubernio : *Personabit interim aliquis lector ad mensam et inter Psalmos dulci modulamine aure* etc. Idem in Epistola ad *Marcellam* qua eam invitat ut commigret Bethleem : *Ambrosius noster refert se numquam cibum Origene præsente sine lectione sumpsisse, numquam iisse somnum nisi unus e fratribus sacris litteris personaret, hoc diebus egisse et noctibus, ut et lectio orationem exciperet et oratio lectionem.* Ambrosii istius, qui amicus erat Origenis, præclaram mentionem, ut id quoque obiter dicam, facit Eusebius lib IV, cap. 18. Iterum Hieronymus in Epistola ad *Eustochium* de acceptis ab ea Munusculis ait : *Ita tibi semper comedendum est ut cibum et oratio subsequatur et lectio.* Item in Libro adversus Vigilantium : *Inter phialas philosophatur, et ad placentas liguriens Psalmorum modulatione mulcetur.* Vide quæ de hoc argumento ex Clemente Alexandrino et Eusebio Cæsariensi adnotavit doctissimus et optimus amicus noster Domnus Bernardus a Montefalcone in *Notis* ad librum Philonis de Vita contemplativa pag. 129.

Digitized by Google

convivium sobrium; et ut tibi tenax memoria est, vox canora, aggredere hoc munus ex more [a]. Magis charissimos pasces, si sit [b] nobis spiritalis auditio, prolectet aures religiosa mulcedo.

EPISTOLA II.

(Pamel., III; Rigalt., Baluz., Paris., II; Oxon. Lips., VIII.)

CLERI ROMANI AD CLERUM CARTHAGINENSEM, DE SECESSU DIVI CYPRIANI.

ARGUMENTUM.—*Intellexerat Clerus Romanus a Crementio hypodiacono secessisse Cyprianum in persecutione; pro suo itaque zelo fidei, clerum carthaginensem officii sui admonet ac instruit, quid circa lapsos, interea dum abest illorum episcopus, fieri oporteat.*

I. Didicimus secessisse benedictum papam Cyprianum a Crementio subdiacono, qui a vobis ad nos venit, certa ex causa : quod utique recte fecerit, propterea quod sit persona insignis. Et imminente agone quem permisit Deus in sæculo colluctandi causa [c] cum adversario simul cum servis suis, volens etiam Angelis et hominibus certamen hoc manifestare, ut qui vicerit coronetur, victus vero reportaverit [d] in se sententiam, quæ nobis manifestata est. Et cum incumbat nobis, qui videmur

LECTIONES VARIANTES.

[a] Ex ore tuo magis *Morel.* Magis enim *Fab.*
[b] Pasces : sit *Lam. Ebor. Bod. Lin. NC.* 1.
[c] Colluctandi causa, simul cum *Vat.* 1.
[d] Portaverit *Oxon.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

Mulcedo. A. Gellius lib. XIX, cap. 9 : *Ejusque linguæ exercitationes doceret quæ multas voluptates nullamque mulcedinem Veneris atque Musæ haberet.* Sanctus Hieronymus, seu quis alius, in *Epistola* ad Amicum ægrotum : *Pars est enim procul dubio maximarum medelarum fraterni consolaminis fructus et fomes dictorum mulcedine consolationis levamen fessis animis introduxit.* Boetius Lib. II de *Consolatione* philosophiæ : *Jam cantum illa finierat cum me audiendi avidum stuporem arrectisque adhuc auribus carminis mulcedo defixerat.* Sidonius Lib. V, *Epist.* XVII : *Cultu peracto vigiliarum, quas alternante mulcedine monachi clericique psalmicines concelebraverant, quisque in diversa secessimus.* Mulcebritatem ante hos ducentos annos dixit quidam frater Bertholdus ordinis fratrum Prædicatorum in opusculo quod inscriptum est *Horologium devotionis.* Inter jocos Andreæ Arnaldi extat sequens distichum incerti auctoris :

Quos anguis dirus tristi dulcedine pavit,
Hos sanguis mirus Christi dulcedine lavit.

EPIST. II. — Istius Epistolæ duo vetera exemplaria habuimus, unum e bibliotheca nostra, aliud ex urbe Gratianopolitana. Angli unum habuere ex bibliotheca Bodleiana. Guillelmus Morellius, qui primus illam edidit admonuit in titulo scriptam esse a Celerino ad Lucianum, haud dubie quia in veteri codice ex quo is eam descripsit sequebatur, ut in uno meo veteri in Gratianopolitano, et in 199 Vaticano, post epistolam Luciani ad Celerinum. Pamelius vero, qui videbat illam non esse scriptam ab uno aliquo, sed a pluribus, neque ad unum Lucianum, qui presbyter non fuit, sed ad plures presbyteros conscriptam, titulum hunc mutare non est veritus, potissimum cum ex vicinitate literarum error potuerit contingere ut pro eo quod erat *cleri Romani* substitutum sit a quopiam *Celerini*. Atque hanc Pamelii emendationem, quia bona est, secutæ sunt posteriores editiones. Itaque in veteri libro meo legitur : *Incipit Epistola rescripta ad Cyprianum a clero Romano.* Quod est aliquanto melius quam in editione Morellii. At in codice Gratianopolitano scriptum est : *Celerini responsio ad Lucianum de cura pastoris et ad obviandam idololatriam.* Nescio autem quam ob causam Angli inscriptionem istius Epistolæ rejecerunt ad marginem. Nam docendus erat primo intuitu lector a quibus et ad quos scripta erat Epistola. Iidem refutant Rigaltium, qui scripserat cleri vocem perperam trahi ad personas ecclesiasticas hominesque sacris ordinibus institutos designandos. Sane verum est Rigaltii observationem admodum prolixam esse verum paralogismum, in quo nihil sani, nihil veri scriptum est. Tertullianus in libro de Exhortatione castitatis : *Differentiam inter ordinem et plebem constituit Ecclesiæ auctoritas.* Vide *Opuscula* Petri de Marca pag. 72 ubi agit de Discrimine clericorum et laicorum ex jure divino.

I.—*Benedictum.* Non est cognomen hoc loco *Benedictus*, ut observavit Sirmondus ad Sidonium, sed epithetum quo christianos viros plerique ornabant. Exemplis a viro doctissimo allatis addo ego Tertullianum in libro *de Pudicitia* Zephyrinum vocare *benedictum Papam.*

Papam. Vetus codex meus, *Papatem.* Sic etiam in codicibus in editione Anglicana laudatis et in annotationibus Morellii. Sic etiam legebat Latinus Latinius in libris suis veteribus. Vide Epist. XVI et XL.

Crementio. Ita codex meus et editio Morellii. Quo etiam modo nominatum illum invenio in plerisque libris antiquis. Puto autem eam esse veram lectionem. Nam et Crementii martyris mentio est in martyrologio Romano XVI Kal. Maii.

Propterea quod. Hæc duo vocabula, quæ decrant in editione Rigaltii, nos revocavimus, quia exstant in editionibus Morellii et Pamelii et in uno codice meo optimo. Rigaltius nullum vetus exemplar habuit istius *Epistolæ* cujus auctoritate uterctur ad mutandam hanc lectionem. Latinius putabat vocem *quod* esse delendam.

Persona insignis. Id est cui debeatur reverentia, ut ait Quintilianus lib. VI, cap. 1 ; quam ideo honoratiorem personam vocat Childebertus rex in constitutione edita a Sirmondo. In capitulari Metensi Pipini regis cap. 2 : *De ecclesiasticis vero qui supradicta facinora commiserint, si bona persona fuerit*, id est insignis, ut planum est ex iis quæ sequuntur. AUTHENTICAM personam pro INSIGNI dixit Philippus episcopus Firmanus apostolicæ Sedis legatus in capite 26 Concilii quod apud Budam celebravit anno 1279. Vide t. IV Capitularium pag. 1030 extrema.

Qui videmur præpositi. Nimirum quia post mortem episcopi Romani cura illius ecclesiæ incumbebat Clero urbico. Ne quis ista cum Baronio, Binio, Papebrochio transferat ad prærogativam illius Ecclesiæ, ad quam sede vacante pertineat sollicitudo omnium ecclesiarum, adeoque clericis Romanis, quod Petri Ecclesiæ essent administri, universalis gregis cura mandata ; nam etiam nostris temporibus, quamvis constet Sedis Apostolicæ auctoritatem et potestatem valde explicatam et amplificatam fuisse, cardinales tamen, qui successerunt clericis urbicis, penes quos est regimen Ecclesiæ Romanæ vacante sede, curam et sollicitudinem suam nullatenus extendunt ad alias ecclesias, ut etiam testatur Guillelmus de Montelauduno in cap. *Ubi majus*, de *Elect.*, in Sexto. Item Alvarus Pelagius lib. I *de Planctu Ecclesiæ* cap. 20, ubi diserte scribit *quod vacante papatu nullus succedit Papæ in jurisdictione, etiam cœtus cardinalium, nisi in minimis.* Vide etiam Jacobatium lib. IV, art. 3; et Augustinum *de Anchona*, quæst. III, art. 8, de potestate ec-

præpositi esse et vice pastoris custodire gregem, si A ngligentes inveniamur, dicetur nobis quod et antecessoribus nostris dictum est, qui tam negligentes præpositi erant, quoniam perditum non requisivimus, et errantem non correximus, et claudum non colligavimus [a], et lac eorum edebamus, et lanis eorum operiebamur (*Ezech.* XXXIV, 3, 4). Denique et ipse Dominus implens quæ erant scripta in Lege et Prophetis docet dicens [b]: *Ego sum pastor bonus, qui pono animam meam pro ovibus meis. Mercenarius autem et cujus non sunt propriæ oves, cum viderit lupum venientem, relinquit et fugit* [c], *et lupus dispergit eas* (*Joa.* X, 11, 12). Sed et Simoni sic dicit [d]: *Diligis me? Respondit, Diligo. Ait ei: Pasce oves meas* (*Joa.* XXI, 17). Hoc verbum factum ex actu ipso quo cessit cognoscimus, et cæteri B discipuli similiter fecerunt.

II. Nolumus ergo, fratres dilectissimi, vos mercenarios inveniri [e], sed bonos pastores, cum sciatis tum non minimum periculum incumbere si non hortati fueritis fratres nostros stare [f] in fide immobiles, ne in præceps euntium [g] ad idololatriam funditus eradicetur fraternitas. Nec enim hoc solum [h] verbis vos hortamur, sed discere poteritis a pluribus a nobis ad vos venientibus quoniam ea omnia nos Deo adjuvante et fecimus et facimus cum omni sollicitudine et periculo sæculari, ante oculos plus habentes timorem Dei et pœnas perpetuas quam [i] timorem hominum et brevem injuriam, non deserentes fraternitatem, et hortantes eos stare in fide et paratos esse ire [j] cum Domino. Sed et ascendentes ad hoc [k] quod compellebantur revocavimus. Ec-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Collegimus *Vat.* 1.
[b] Prophetis dixit *Vat.* 1.
[c] Relinquens et fugit *Vat.* 2.
[d] Simoni dicit *Vat.* 1.
[e] Invenire *Imp.*
[f] Vestros stare *Vat.* 1. *Oxon.*
[g] Ne præceps iens *Oxon.*
[h] Hæc solum *Vat.* 2.
[i] Ante oculos habentes — magis quam *Vat.* 2.
[j] Paratos esse debere ire *Oxon.*
[k] Attendentes ad hoc *Impr.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

clesiastica. Certe manifestum est ex contextu Epistolæ Clerum Romanum de nulla tum ecclesia gubernanda sollicitum fuisse quam de sua, ex usu nimirum ubique recepto, ut ecclesia episcopo viduata regeretur a clero ecclesiæ vacantis ut agnoscit etiam Naclantus episcopus Clugiensis in tractatione *de Papæ et Concilii potestate*. Quod liquet etiam ex eo quod, post mortem papæ Martini istius nominis primi, quia episcopatus cessavit C spatio triginta et quinque dierum, presbyteri Ecclesiæ Romanæ præfuerunt, ut legitur in gestis pontificalibus, id est illi ex presbyterio Romano qui cæteris præeminebant, id est archidiaconus, archipresbyter et primicerius, ut docet ejusdem Martini epistola ad Eliterum. Hi enim locum repræsentabant pontificis. Ubi interim annotabo vitio scriptoris factum videri ut archidiaconus istic nominetur ante archipresbyterum, nisi jam tum ita imminuta erat disciplina Ecclesiæ Romanæ, ut archidiaconus præferretur archipresbytero. Nam ex *libro diurno Pontificum* constat archipresbyterum primo loco nominatum ante archidiaconum in epistola a Clero Romano scripta ad exarchum de transitu Pontificis.

Vice pastoris. Veteres libri habent *pastorum*. Nihil tamen mutare voluimus, quia constat hanc Epistolam a Clero Romano scriptam esse ad Cyprianum eo tempore quo Romana Ecclesia non habebat pastorem. David Blondellus, ut ostenderet presbyteros esse æquales episcopis et vicarios quoque Christi esse, in D hoc loco ad vocem *pastoris* addidit *nimirum Christi*. Sed profecto multum erravit. Istic enim per vocem *pastoris* manifeste intelligitur Episcopus Romanus. Et tunc, extincto Fabiano, Clerus Romanus regebat Ecclesiam vice pastoris donec alius episcopus substitueretur in loco Fabiani.

Antecessoribus nostris. Hæc verba, quæ quamdam habent obscuritatem, Angli transtulerunt ad sacerdotes Judæorum, quia certo constat illa ab Ezechiele scripta esse adversus eos.

Quoniam perditum. Hic locus Ezechielis, qui valde mutilus est, multo integrior exstat in Epistola LIV. Hæc verba et quæ postea sequuntur sanctus Hieronymus illa explicans transtulit ad superbiam episcoporum, quos acriter perstringit. Hæc sunt ejus verba: *Quod proprie ad supercilium episcoporum pertinet*, inquit, *eorum videlicet qui operibus dedecorant nominis dignitatem, et pro humilitate assumunt superbiam, ut honorem se putent consecutos, non onus, et quoscumque in Ecclesia viderint præpotentes et Dei habere sermonem, opprimere videntur*. Ab his longe distabat Valerii cum Augustino humilis et a propriæ laudis amore aliena agendi ratio.

Lac eorum. In uno veteri libro legitur *lactem*. Glossæ Philoxeni: *Lactem*, Γάλα. Plautus, Bacchidibus: *Quæ nec lactem nec lanam ullam habent*. Sic apud Apuleium lib. VIII *Metamorphoseon*, Nonius Marcellus adnotat antiquos dixisse *lacte* in nominativo.

Lupum venientem. Hieronymus ibidem: *Mercenarii, qui lucrum tantum de gregibus considerant, et cum lupum viderint, fugiunt, quorum negligentia grex Domini devoratur a bestiis agri.*

Quo cessit. Locus obscurus. Latinius monuit in uno veteri codice legi *gessit*, in alio vero *gestum*. Sed in meo et in editione Morellii legitur *cessit*. Rigaltius ista refert ad tempus illud quo, post apprehensum Christum a Judæis, Petrus non proprie fugit, sed cessit sive abscessit aut recessit. Nam, ut est in Evangelio, sequebatur quidem Christum, sed longo intervallo, quod fugæ speciem præbuit; adeoque in Evangelio legitur discipulos omnes relicto Christo fugisse. Sed, quod Rigaltii pace dixerim et Anglorum, qui ejus observationem adscivere, hujus loci est sententia: verbum Christi, *Pasce oves meas*, ex actu ipso quo cessit, id est ex eo quem habuit exitu impletum cognoscimus. Opponit enim Clerus Romanus Christum et Apostolos pastoribus Judæorum, nec Petro exprobrat fugam in passione Christi, sed laudat ejus diligentiam in pascendis ovibus, quemadmodum ei Christus post resurrectionem mandaverat.

Et cæteri discipuli. Subjungit Rigaltius hanc Cleri Romani Epistolam Petrum magis onerare quod ait *et cæteri discipuli similiter fecerunt*, tamquam ad exemplum Petri. Sed hæc observatio falsa est, ut jam dixi; nec Clerus Romanus his verbis, *et cæteri discipuli similiter fecerunt*, indicat Apostolos fugientem Petrum secutos esse, sed potius ejus exemplo in pascendis ovibus summum studium adhibuisse. Nihil magis alienum a proposito cleri Romani, quam a Petro et aliis discipulis exemplum ignaviæ in pascendis ovibus repetere. Præterea claudicat Rigaltii ratiocinatio: Petrus fugit, fugerunt etiam alii discipuli: fugerunt igitur ad exemplum Petri, qui dedit illis exemplum fugiendi. Matthæus enim et Marcus aiunt omnes discipulos relicto Christo fugisse, nulla Petri mentione.

II. — *Ascendentes*, in capitolium videlicet, ibi sacrificaturi diis gentium. Sed de ea re pluribus agemus ad Epistolam LV.

Digitized by Google

clesia stat [a] in fide, licet quidam terrore ipso compulsi, sive quod essent insignes personæ, sive apprehensi, timore hominum vererentur [b] : quos quidem separatos a nobis non dereliquimus, sed ipsos cohortati sumus et hortamur agere pœnitentiam, si quo modo indulgentiam poterunt recipere ab eo qui potest præstare, ne, si relicti [a] fuerint a nobis, pejores efficiantur.

III. Videtis ergo, fratres, quoniam et vos hoc facere debetis, ut etiam illi qui ceciderunt hortatu vestro corrigentes animos eorum, si apprehensi fuerint iterato, confiteantur, ut possint priorem errorem corrigere, et alia quæ incumbunt vobis; quæ etiam et ipsa subdidimus, ut si qui in hanc tentationem inciderunt, cœperint apprehendi infirmitate, et agant pœnitentiam facti sui et desiderent communionem, utique subveniri eis debet, sive viduæ, sive clinomeni, qui se exhibere non possunt, sive hi qui in carceribus sunt, sive exclusi de sedibus suis [c], utique habere debent qui eis ministrent. Sed et catechumini apprehensi infirmitate decepti esse non debebunt, ut eis subveniatur; et, quod maximum est, corpora martyrum aut cæterorum si non sepeliantur, grande periculum imminet eis quibus incumbit hoc opus. Cujuscumque ergo vestrum, quacumque occasione fuerit effectum hoc opus, certi sumus eum bonum servum æstimari, ut qui in minimo fidelis fuit constituatur super decem civitates. Faciat autem Deus, qui omnia præstat sperantibus in se, ut omnes nos in his operibus inveniamur. Salutant vos fratres qui sunt in vinculis, et presbyteri et tota Ecclesia, quæ et ipsa cum summa sollicitudine excubat pro omnibus qui invocant nomen Domini. Sed et vos [d] petimus mutua vice memores sitis nostri. Sciatis autem Bassianum pervenisse ad nos; et petimus vos, qui habetis zelum Dei, harum litterarum exemplum ad quoscumque poteritis transmittere per idoneas occasiones, vel vestras faciatis, sive nuntium mittatis, ut stent fortes et immobiles in fide. Optamus vos, fratres charissimi, semper bene valere.

EPISTOLA III.

(Erasm., III, 21; Pamel., IV; Rig., Baluz., Paris., III; Oxon., Lips., IX.)

AD PRESBYTEROS ET DIACONOS ROMÆ CONSISTENTES.

ARGUMENTUM. — *Epistola hæc familiaris est; quare argumento non indiget, potissimum cum ex titulo ipso id satis colligi queat. Desideratur autem epistola Cleri Romani ad quam respondet Cyprianus.*

I. Cyprianus presbyteris et diaconibus Romæ consistentibus fratribus salutem. Cum de excessu

LECTIONES VARIANTES.

[a] Ecclesia ista fortis in fide *Impr.*
[b] Revertuntur *Imp.* Ruerunt *Oxon.*
[c] Expulsi a sedibus. *Vat.* 1.
[d] Sed et nos *Imo.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

[a] *Ecclesia*, Romana, quam vocat fortem, quia firma et immobilis constitit inter durissimas persecutiones. Quamquam ne in hac quidem Ecclesia lapsi defuerunt, siquidem eorum causam clerus integram servavit ad electionem episcopi. Sed hi pauciores numero fuere quam Carthagine.

III.—*Clinomeni.* Codex meus habet *domeni*, Gratianopolitanus *chtidomeni*; Morellius posuit *clydomeni*, Latinius et Rigaltius *clinomeni*. Postea secuta est editio Anglicana, in qua, rejectis cæteris lectionibus, absque ulla veterum librorum auctoritate, tantum ex conjectura sumpta ex epistola papæ Cornelii ad Fabium episcopum Antiochenum, quæ græce exstat apud Eusebium, scriptum est *thlibomeni*. Et quamquam ea emendatio videatur esse bona, transferenda tamen non erat in contextum absque majori auctoritate. Nam reliquæ lectiones possunt etiam esse bonæ. Cæterum ea emendatio, quam Angli videntur accepisse ex annotationibus Henrici Valesii ad Historiam ecclesiasticam Eusebii, neque Valesii est neque Anglorum, sed illustrissimi viri Francisci Bosqueti, qui eam primus protulit anno 1633, in libro primo *Historiarum Ecclesiæ Gallicanæ*. Porro quos Græci vocant *thlibomenos*. Rufinus vertit *indigentes*, Baronius *fluctuantes*, valde diverso sensu. Vide primam *Dissertationem Cyprianicam* viri clarissimi Henrici Dodwelli. (Ed. Lipsensis sequitur conjecturam Dodwelli in *Dissertat. Cypr.* I, 7 legentis : *Clydonizomeni.*)

Catecumini. Sic scribere placuit, non solum quia ita invenimus scriptum in omnibus antiquis codicibus, sed in primis propter auctoritatem Commodiani, qui nos dubitare non sinit quin hoc vocabulum vetustis temporibus ita scriberetur. Sane in veteri glossario bibliothecæ regiæ legi : CATECUMNUS, *instructus, audiens.* In veteri item glossario meo : CATECUMENUS, *instructus sive audiens, pro eo quod adhuc doctrinam fidei audiat, necdum tamen Baptismum recepit.* Et in libro Corbeiensi et in Fuxensi, quando agitur de hoc hominum genere legitur *Caticuminos*, quod idem est. Notum quippe est litteras *i* et *e* sæpe permutari solitas apud antiquos. Adnotat Holstenius in notis ad acta sanctarum Perpetuæ et Felicitatis *cathecumini* scriptum esse in vetustis membranis Casinensibus et apud Mombritium, existimare autem se ita eo sæculo prolatas fuisse hujusmodi voces. Hieronymus in Epistola *ad Oceanum* in causa matrimonii : *Audiant cathecumini, qui sunt fidei candidati.* Sic apud Marium Mercatorem in editione nostra, pag. 347, legitur *catecismi* pro *catechismi*. Vide Cælium Calcagninum lib. I, Epist. IX; et notas ad Capitularia, p. 1250.

Corpora martyrum. Ut diversa sunt hominum ingenia, ita diversæ sunt opiniones. Hunc locum Rigaltius interpretatus est de cura tantum sepeliendorum martyrum. Ego vero eo usus sum ut ostenderem errare vehementer eos qui contendunt veteres Christianos nullam curam habuisse reliquiarum hominum sanctorum. Id quod a me ostensum est in oratione quam habui publice Lutetiæ cum in collegio regio interpretarer titulum Decretalium *de Reliquiis et veneratione Sanctorum.* Tanta enim tum cura erat sepeliendorum hominum sanctorum, ut nihil omitterent eorum quæ poterant demonstrare eorum memoriam et venerationem erga eos; adeo ut Tertullianus in *Apologetico* testetur plurioris et charioris suas merces Christianis sepeliendis profligasse quam diis fumigandis. Ex quo colligi posse videtur illos condidisse etiam eorum corpora odoribus Arabicis, quos in sepeliendis corporibus adhibitos fuisse constat. Sane Plinius lib. XII, cap. 18, scribit Neronem plus cynnamomi in funere Poppææ incendisse quam Arabia producat in anno uno. Vide Baronium in *Notationibus ad Martyrologium Romanum* die IV Augusti.

Bassianum. Assentior Pamelio existimanti illum fuisse e clero Romano. Illius mentio est etiam

Digitized by Google

boni viri collegæ mei rumor apud nos incertus esset, fratres charissimi, et opinio dubia nutaret, accepi a vobis litteras ad me missas per Crementium [a] hypodiaconum, quibus plenissime de glorioso ejus exitu instruerer; et exultavi satis quod, pro integritate administrationis ejus, consummatio quoque honesta processerit. In quo vobis quoque plurimum gratulor quod ejus memoriam tam celebri et illustri testimonio prosequamini, ut per vos innotesceret nobis quod et vobis esset circa præpositi memoriam gloriosum, et nobis quoque fidei ac virtutis præberet exemplum. Nam quantum [b] perniciosa res est ad sequentium lapsum ruina præpositi, in tantum contra utile est et salutare cum se episcopus per firmamentum fidei fratribus præbet imitandum.

II. Legi etiam alias litteras [c] in quibus nec quis scripserit, nec ad quos scriptum sit, significanter expressum est. Et quoniam me in iisdem litteris et scriptura et sensus et chartæ ipsæ quoque moverunt ne quid ex vero vel subtractum sit vel immutatum, eamdem ad vos epistolam authenticam remisi, ut recognoscatis an ipsa sit quam Crementio hypodiacono perferendam dedistis. Perquam etenim grave est si epistolæ clericæ veritas mendacio aliquo et fraude corrupta est. Hoc igitur ut scire [e] possimus, et scripturam et subscriptionem an vestra sit recognoscite, et nobis quid sit in vero rescribite. Opto vos, fratres charissimi, semper bene valere.

EPISTOLA IV.

(Pamel., v; Rig., Baluz., Pariss., iv; Oxon. Lips., v.)

AD PRESBYTEROS ET DIACONOS.

ARGUMENTUM. — *Hortatur clerum suum D. Cyprianus, jam in secessu constitutus, ut vice sua rite fungantur, neve quid aut constitutis in carcere aut cæteris pauperibus desit: deinde ut plebem in quiete contineant, ne, si glomeratim ad martyres in carcere visitandos concurrant, tandem id illis interdicatur.*

I. Cyprianus presbyteris et diaconibus fratribus charissimis salutem. Saluto vos incolumis per Dei gratiam, fratres charissimi, lætus quod circa incolumitatem quoque vestram omnia integra esse cognoverim. B Et quoniam mihi interesse nunc non permittit loci conditio, peto vos pro fide et religione vestra fungamini illic et vestris partibus et meis, ut nihil vel ad disciplinam vel ad diligentiam desit. Quantum autem ad sumptus suggerendos, sive illis qui, gloriosa voce Dominum confessi, in carcere sunt constituti, sive iis qui pauperes et indigentes laborant et tamen in Domino perseverant, peto, nihil desit, cum summula omnis quæ redacta est illic sit apud clericos distributa propter ejusmodi casus, ut haberent plures unde ad necessitates et pressuras singulorum operari possint.

II. Peto quoque ut ad procurandam quietem solertia et sollicitudo vestra non desit [d]. Nam etsi fratres

LECTIONES VARIANTES.

[a] Clementium *Oxon.*
[b] Quanto *Lam. Ebor. NC.* 1.
[c] Legi etiam litteras *Oxon.*
[d] Non desinat: etsi *Morel. Pem. Rig.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

in *Epistola* XXII, quæ est Luciani *ad Celerinum* tum Romæ constitutum.

EPIST. III. — I. *Boni viri.* Fabiani episcopi Romani. Hoc epithetum tribuere consuevit Cyprianus episcopis defunctis, ut in Epistola LXXII, Agrippino episcopo Carthaginensi. Epistolæ ab Origene scriptæ ad Fabianum, Romanæ urbis episcopum, meminit Hieronymus in Epistola *ad Pammachium et Oceanum*, itemque Rufinus in libro priore *Apologiarum* suarum adversus Hieronymum.

Præpositi. Baronius, loquens de excessu Papæ Fabiani, notat illum a Cypriano nominatum modo *collegam*, modo *præpositum*, utpote qui, cum coepiscopus esset, potestate tamen in hierarchiæ ecclesiasticæ ordine cæteris ille præpositus esset episcopis. Poterat Baronius suam illam opinionem confirmare auctoritate epistolæ Bonifacii papæ II ad Eulalium, in qua Episcopus Romanus dicitur esse *unus ad quem possit recurri præpositus.* Verum Baronius sciebat epistolam illam esse supposititiam. Officii mei est annotare errores commissos in interpretatione eorum quæ scripta reperiuntur a Cypriano. Baronii observatio posset habere speciem veri, si Cyprianus solum Papam nominaret *præpositum*: at, cum certum sit illum omnes episcopos vulgo vocare *præpositos*, ruit omnino sententia Baronii. Itaque istic Cyprianus Fabianum papam vocat *præpositum*, quia episcopus erat et collega Cypriani episcopi. Agendum est in rebus historicis simpliciter, procul ab omni affectu; alioqui perit fides rerum.

II. — *Nec quis scripserit.* Retinuimus lectionem quam veteres editiones præferunt, quam omnes libri veteres confirmant. Primus Manutius posuit, *nec qui scripserint.* Quæ lectio bona non est. Nam epistola quæ omnium nomine scripta erat ab uno scripta erat, ut in calce Epist. XVI: *Lucianus scripsit;* ut docet etiam Epist. XXII, quæ est Cypriani ad presbyteros et diaconos Romæ consistentes. Sic in conciliis unus pro omnibus loquebatur, quemadmodum a nobis observatum est in dissertatione *de Concilio Teleptensi.*

Epistolam remisi. Vide quæ de ea re dicuntur infra ad Epistolam XX.

Scripturam et subscriptionem. Ita veteres libri et veteres editiones. Editio Manutii, *scriptura et subscriptio.* D Hanc auctoritatem secutæ sunt posteriores editiones, eamque lectionem male mutatam fuisse ait Gronovius cap. 14. *Observationum* suarum *in Scriptoribus ecclesiasticis.*

An vestra. In libro Fuxensi scriptum est, *an a manu vestra.* Quod puto ego esse ex glossemate, cum certum sit, uti mox dicebam, epistolas ab uno scribi solitas. In concilio Chalcedonensi pag. 1091, ex nostra recensione legitur, *cujus manus sit.* Ubi vide annotationem Rustici.

EPIST. IV. — Prima Epistolæ istius editio prodiit ex typographia Manutii. Rarissima sunt vetusta illius exemplaria. Ego quinque habui: unum ex mea bibliotheca, aliud quod fuit collegii Fuxensis, tertium ex monasterio sancti Dionysii Remensis, quartum ex monasterio Montis sancti Eligii, quintum ex urbe Gratianopolitana.

I. — *Summula.* Antea legebatur *summa.* Sequi placuit auctoritatem veterum librorum. Attamen Dionysianus habet *summa.*

Digitized by Google

pro dilectione sua cupidi sunt ad conveniendum et visitandum confessores bonos quos illustravit jam gloriosis initiis divina dignatio, tamen caute hoc, et non glomeratim, nec per multitudinem simul junctam puto esse faciendum, ne ex hoc ipso invidia concitetur, et introeundi aditus denegetur, et dum insatiabiles totum volumus, totum perdamus. Consulite ergo et providete ut cum temperamento hoc agi tutius possit [a], ita ut presbyteri quoque qui illic apud confessores offerunt, singuli cum singulis diaconis per vices alternent, quia et mutatio personarum et vicissitudo convenientium minuit invidiam. Circa omnia enim mites et humiles, ut servis Dei congruit, temporibus servire et quieti prospicere et plebi providere debemus. Opto vos, fratres carissimi ac deiderantissimi [b], semper bene valere et nostri meminisse. Fraternitatem universam salutate. Salutant vos Victor diaconus et qui mecum sunt. Valete.

EPISTOLA V.

(Erasm., III, 20. Pamel., IV; Rig, Baluz, Paris, V; Oxon. Lips., XIV).

AD PRESBYTEROS ET DIACONOS.

ARGUMENTUM. — *Ejusdem pene argumenti est cum præcedenti, præterquam quod Confessores quoque sui officii vult admoneri a Clero, ut humilitati dent operam, ac Presbyteris ac Diaconis morem gerant; obiter etiam secessus sui causam reddit. Est autem etiam hæc e numero Epistolarum* XIII, *de quibus infra Epistola* XV.

I. Cyprianus presbyteris et diaconis fratribus salutem. Optaveram quidem, fratres carissimi, ut universum clerum nostrum integrum et incolumem meis litteris salutarem. Sed quoniam infesta tempestas, quæ plebem nostram ex maxima parte prostravit, hunc quoque [c] addidit nostris doloribus cumulum ut etiam cleri portionem sua strage perstringeret, oramus Dominum ut vos saltem, quos et in fide et in virtute stare cognovimus, tutos quoque in posterum per divinam misericordiam salutemus. Et quamquam causa compelleret ut ipse ad vos properare et venire deberem, primo cupiditate et desiderio vestri, quæ res in votis meis summa est, tum deinde ut ea quæ circa ecclesiæ gubernacula [d] utilitas communis exposcit tractare simul et plurimorum [10] consilio examinata delimare possemus, tamen potius visum est adhuc interim latebram et quietem tenere respectu utilitatum aliarum quæ ad pacem omnium nostrum pertinent et salutem, quarum vobis a Tertullo fratre nostro carissimo ratio reddetur: qui pro cætera [e] sua cura quam impense [f] divinis operibus impertit, etiam hujus consilii auctor fuit ut cautus et moderatus existerem, nec me in conspectum publicum, et maxime ejus loci ubi toties [g] flagitatus et quæsitus fuissem, temere committerem.

II. Fretus ergo et dilectione et religione vestra, quam satis novi, his litteris et hortor et mando ut vos, quorum minime illic invidiosa et non adeo periculosa præsentia est, vice mea fungamini circa gerenda ea quæ administratio religiosa deposcit. Habeatur interim quantum potest et quomodo potest et pauperum cura, sed qui tamen inconcussa fide stantes gregem Christi non reliquerunt, ut his ad tolerandam penuriam sumptus per vestram diligentiam suggeratur, ne quod circa fidentes tempestas non fecit, circa

LECTIONES VARIANTES.

[a] Hoc tutius possit impleri *Vat* 1.
[b] Desideratissimi *Oxon.*
[c] Hinc quoque *Foss. Vict. Bod.* 1.
[d] Gubernaculum *Oxon.*
[e] Sincera *Vat.* 2.
[f] Impendens *Oxon.*
[g] Nec iis locis in quibus totiens *Foss.*

COMMENTARIUS.

Non glomeratim. Hoc loco usus est Holstenius in *Notis* ad Acta sanctarum Perpetuæ et Felicitatis ut probaret fideles christianos caute et timide plerumque accessisse ad carceres, et fere singulos, ne semetipsos perderent, aut invidiam concitarent apud persecutores, si catervatim eo influerent. Apud Angelum Politianum lib. I Epistolarum extat *Epistola* Pomponii Læti *ad Politianum*, in qua sic legitur: *Cum de altitudine ingenii tui cogito, non possum non admirari cur nostri graculatim et sturmatim ad te non advolent.*

Totum perdamus. Guillelmus Durandi episcopus Mimatensis in libro II *de Modo generalis Concilii celebrandi* cap. 7: *Proverbium vulgare est: Qui totum vult, totum perdit. Ecclesia Romana sibi vindicat universa. Unde timendum est quod universa perdat.* Vide additionem nostram ad caput primum libri primi *de Concordia* Sacerdotii et Imperii.

Salutant vos. In codice sancti Eligii legitur: *Salutant vos Victor diaconus et qui cum eo sunt fratres.* In Gratianopolitano: *Salutant vos Victor, et qui mecum sunt salutant.*

EPIST. V. — In editione Anglicana adnotatum est pauca reperiri exemplaria istius Epistolæ. Ego habui novem.

I. — *Quos et in fide.* Codex Fossatensis et Carnotensis et veteres editiones, *quos in constantia et fidei virtute.* Manutius mutavit et induxit aliam lectionem. Lector judicabit utra sit melior. Utraque enim bona est.

Delimare. Ita libri veteres et veteres editiones, etiam Erasmica. Manutii editio, itemque Morelliana, et codex Gratianopolitanus habent *limare.* Nonius Marcellus, *limare, delimare.* Plinius lib. XXXIV cap. 11: *Alii delimatam æris scobem aceto spargunt.* In bulla Hadriani Papæ I pro monasterio sancti Martini Turonensis: *Quod si abbas ejusdem monasterii nullo modo voluerit inter eos delimari*, etc. In simili privilegio pro monasterio sancti Dionysii in Francia ita scriptum est: *Quod si abbu ejusdem monasterii ullo modo voluerit inter eos declamari.* Pro quo puto scribendum esse *delimari*, ut in bulla sancti Martini. Bulla Gregorii Papæ V pro eodem monasterio sancti Martini: *Quod si abbas ejusdem monasterii nullo modo voluerit inter eos sententiam delimare.*

[391] *Flagitatus*, ad leonem, ut infra *Epist.* XIV, et XV.

II. — *Circa fidentes*, id est fortes in fide, ut loquitur Apostolus. Certum est aliquot vetera exemplaria et omnes editiones ante Manutianam, etiam Spirensem, præferre hanc lectionem. Alia, quæ habet *circa fidem* exstat etiam in aliquot antiquis codicibus et in posterioribus editionibus. Ego vero puto primam esse meliorem. Comparatio est inter fidentes, id est fortes, et laborantes, id est pauperes et indigentes, ut Cyprianus loquitur in Epistola IV, victus necessitatem patientes. Ait ergo Cyprianus timendum esse ne ii

Digitized by Google

laborantes necessitas faciat. Confessoribus etiam gloriosis impertiatur cura propensior. Et quamquam sciam plurimos ex his fratrum voto et dilectione susceptos, tamen si qui sunt qui vel vestitu vel sumptu indigeant, sicut etiam pridem vobis scripseram cum adhuc essent in carcere constituti, subministrentur eis quæcumque sunt necessaria, modo ut sciant ex vobis et instruantur et discant quid, secundum Scripturarum magisterium, ecclesiastica disciplina deposcat, humiles et modestos et quietos esse debere, ut honorem sui nominis servent, et qui gloriosi voce fuerunt [a], sint et moribus gloriosi, faciant se dignos ut, in omnibus Dominum promerentes, ad cœlestem coronam laudis suæ consummatione perveniant. Plus enim superest quam quod transactum videtur, cum scriptum sit : *Ante mortem ne laudes hominem quemquam* (*Eccli.* XI, 30). Et iterum : *Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ* (*Apocal.* II, 10). Et Dominus quoque dicat : *Qui toleraverit usque ad finem, hic salvabitur* (*Matth.* X, 22). Imitentur Dominum, qui sub ipso tempore passionis non superbior sed humilior fuit. Tunc enim discipulorum suorum pedes lavit dicens : *Si ego lavi pedes vestros, magister et dominus, et vos debetis aliorum pedes lavare. Exemplum enim dedi vobis ut sicut ego feci et vos faciatis* [b] (*Joan.* XIII, 14, 15). Item Pauli apostoli documenta sectentur [c], qui, post carcerem sæpe repetitum, post flagella, post bestias, circa omnia mitis et humilis perseveravit, nec post tertium cœlum et paradisum quicquam sibi insolenter assumpsit dicens : *Neque gratis panem manducavimus ab aliquo vestrum, sed* [d] *in labore et fatigatione nocte et die operantes, ne quem vestrum gravaremus* (II *Thess.* II, 8).

III. Hæc singula, oro vos, insinuate fratribus nostris. Et quia *is exaltabitur qui se humiliaverit* [e] (*Luc.* XIV, 11), nunc est ut magis insidiantem adversarium metuant, qui fortiorem quemque magis aggreditur, et, acrior factus hoc ipso quo victus est, superantem superare conatur. Dominus faciat ut et ego iterum illos mature [f] videre et salutari exhortatione [g] componere mentes eorum ad servandam gloriam suam possim. Doleo enim quando audio quosdam improbe et insolenter discurrere et ad ineptias vel ad discordias vacare ; Christi membra, et jam Christum confessa, per concubitus illicitos inquinari, nec a diaconis aut presbyteris regi posse, sed id agere ut per paucorum pravos et malos mores multorum et bonorum confessorum gloria honesta maculetur : quos vereri debent, ne ipsorum testimonio et judicio condemnati, ab eorum societate priventur. Is enim demum confessor [11] illustris et verus est de quo postmodum non erubescit Ecclesia, sed gloriatur.

IV. Ad id vero quod scripserunt mihi compresbyteri nostri Donatus et Fortunatus, Novatus et Gordius, solus rescribere nihil potui, quando a primordio episcopatus mei statuerim nihil sine consilio vestro et sine consensu plebis mea privatim sententia gerere. Sed, cum ad vos per Dei gratiam venero, tunc de iis quæ vel gesta sunt vel gerenda, sicut honor mutuus poscit, in commune tractabimus. Opto vos,

LECTIONES VARIANTES.

[a] Ut qui... fuerint *Mau. Oxon.*
[b] Facialis aliis *Foss. Vict. Mau.*
[c] Sectemus *Mau.*
[d] Ab aliquo, sed *Mau.*
[e] Exaltabuntur... humiliaverint *Bod.* 1.
[f] Maturius *Ver.*
[g] Salutare et exhortatione *Mau.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

qui inconcussa fide stantes sive fortes fuerunt, necessitate labantur, si eorum paupertati non subveniatur. Cicero, lib. III Quæstionum Tusculanarum : *Qui fortis est, idem fidens est.* Seneca, Epist. LXXXV : *Qui fortis est, sine timore est.* Cicero, lib. I Tusculanarum Quæstionum : *Fidenti animo gradiatur ad mortem.* Ammianus Marcellinus, lib. XVI : *Hi quieti et cauti animi, isti fidentes, grandissimis illis corporibus freti;* et paulo post : *Quos Romanus jam fidenter stravit.* Horat., l. III, Od. 3 :

Fidens juventus horrida brachiis.

Seneca tragicus, Hercule furente : *Quemcumque fortem videris, miserum neges.* Ipse Cyprianus in Epistola LII, *ad Antonianum*, pag. 72 : *Manet vero fidentium robur immobile, et apud timentes et diligentes corde toto Dominum stabilis et fortis perseverat integritas.* Idem, in libro *de Mortalitate*, pag. 232 : *Datur velocius tutela fidentibus, perfidis pœna.* In libro *contra Demetrianum*, pag. 221, *Certi et fidentes*, alio sensu. Istic enim vox *fidentes* significat eos qui confidunt in promissionibus Christi. Josephus, in libro *de Imperio Rationis*, ex interpretatione Erasmi : *Qui sapiens itaque et fortis, hic totius dominus est passionis, utpote qui bene cogitatam præcogitat, et acceptam respuit nusquam.* Eodem isto ultimo sensu quo vox *fidentes* usurpatur a Cypriano, Ammianus Marcellinus, lib. XVII, dixit : *Rogaturi suppliciter pacem, fidentes ad principis venere conspectum.*

Discipulorum. Antea legebatur *Apostolorum.* Verum, quia libri manuscripti et veteres editiones habent *discipulorum*, quo etiam modo scriptum est in Evangelio secundum Joannem, nos eam lectionem revocavimus.

III. — *Concubitus illicitos.* Infra, Epist. IV, pag. 12 : *Turpi et infami concubitu.* Item Epist. LXII, pag. 103 : *Conjacentium duorum turpis et fœda dormitio quantum sceleris et criminis confitetur.* Hieronymus in epistola *de vitando suspecto Contubernio* : *Ad extremum hoc dico, quod si etiam hæc conscientia criminis vulnus non habet, habet tamen fama ignominiam.* Cassianus *Collat.* XXI, cap. 33 : *Voluntas ipsa culpabilis est, et ad velocissimos adulteriorum raptatur excessus consuetudo concubitus.* De contubernalibus clericorum feminis vide *Notas* Frontonis Ducæi in librum sancti Joannis Chrysostomi *adversus eos qui subintroductas habent*, Petavii animadversiones *ad Epiphanium* agentem de hæresi Antidicomarianitarum, et Henricum Valesium in *Annotationibus* ad librum VII *Historiæ ecclesiasticæ* Eusebii, cap. 30.

IV. — *Fortunatus.* Nomen istius hominis deest in antiquis editionibus et in plerisque codicibus antiquis. Exstat tamen in uno meo optimo et in Gratianopolitano. Manutiana editio invexit, Pamelius monuit desiderari in codice Affligemensi.

Novatus. Et istud quoque nomen desideratur in libro Fuxensi, quamvis hæc epistola bis in eo descripta sit.

Opto vos. Hæc omnia desunt in antiquis libris et editionibus, et edita sunt primum a Manutio. Exstant tamen in meo et in Gratianopolitano.

Digitized by Google

fratres charissimi ac desiderantissimi, semper bene valere et mei meminisse. Fraternitatem quæ vobiscum est multum a me salutate, et ut nostri memineritis admonete. Valete.

EPISTOLA VI.

(Erasm., I, 5; Pamel., VII; Rig., Baluz., Paris., VI; Oxon., Lips., XIII.)

AD ROGATIANUM PRESBYTERUM ET CÆTEROS CONFESSORES.

ARGUMENTUM. — *Rogatianum et cæteros confessores exhortatur ad disciplinam observandam, ne qui Christum voce confessi fuerant, operibus abnegare viderentur : obiter increpans quosdam eorum qui, extorres facti ob fidem, in patriam tamen injussi reverti non verebantur, atque hoc est quod Cyprianus infra dicit, Epistola* XV, *extorribus quando oportuit objurgationem non defuisse : nam in secessu scriptam hanc Epistolam patet.*

I. Cyprianus Rogatiano presbytero et cæteris confessoribus fratribus salutem. Et jampridem vobis, fratres charissimi ac fortissimi, litteras miseram, quibus fidei et virtuti vestræ verbis exultantibus gratularer, et nunc non aliud in primis vox nostra complectitur quam ut læto animo frequenter ac semper gloriam vestri nominis prædicemus. Quid enim vel majus in votis meis potest esse vel melius quam cum video confessionis vestræ honore luminatum gregem Christi ? Nam, cum gaudere in hoc omnes fratres oporteat, tum in gaudio communi major est episcopi portio [a] : Ecclesiæ enim gloria præpositi gloria est. Quantum dolemus ex illis quos tempestas inimica prostravit, tantum lætamur ex vobis, quos diabolus superare non potuit.

II. Hortamur tamen per communem fidem, per pectoris nostri veram circa vos et simplicem charitatem, et, qui adversarium prima hac congressione vicistis, gloriam vestram forti et perseveranti [a] virtute teneatis. Adhuc in sæculo sumus, adhuc in acie constituti, de vita nostra quotidie dimicamus. Danda opera est ut post hæc initia ad incrementa quoque veniatur, et consummetur in vobis quod jam rudimentis felicibus esse cœpistis. Parum est adipisci aliquid potuisse ; plus est quod adeptus es posse servare ; sicut et fides ipsa et nativitas salutaris, non accepta, sed custodita, vivificat. Nec statim consecutio, sed consummatio hominem Deo servat. Dominus hoc magisterio suo docuit dicens : *Ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne quid tibi deterius fiat* [b] (*Joan.* v, 14). Puta hoc illum et confessori suo dicere : « Ecce confessor factus es, jam noli peccare, ne quid tibi deterius fiat. » Salomon denique et Saul et cæteri multi, quamdiu in viis Domini ambulaverunt, datam sibi gratiam tenere potuerunt [c]. Recedente ab iis disciplina Dominica, recessit et gratia.

III. Perseverandum nobis est in arcto et in angusto itinere laudis et gloriæ ; et cum quies et humilitas et bonorum morum tranquillitas Christianis omnibus congruat, secundum Domini vocem, qui neminem alium *respicit* [d] nisi *humilem et quietum et trementem sermones suos* (*Isa.* LXVI, 2), tum magis hoc observare et implere confessores [e] oportet, qui exemplum facti

LECTIONES VARIANTES.

[a] Fortiter *NC.* 2.
[b] Aliquid tibi deterius contingat *Bod.* 1.
[c] Non ambulaverunt, datam... non potuerunt *Lam.* *Ebor. NC.* 1. *Bod.* 1, 3.
[d] Prospicit *Ebor. NC.* 4. Recipit *Lin.*
[e] Confessores in terra *Lam. NC.* 1.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

EPIST. VI. — I. — *Rogatiano.* Censuit Pamelius hunc Rogatianum fuisse diversum ab eo cui inscripta est Epistola LXXXI, quem editiones quædam et quidam libri veteres vocant juvenem, et ex illa Epistola collegit Rogatianum ad quem ista data est, martyrio consummatum fuisse eo tempore quo altera scripta est, quia sanctus Cyprianus ait illum cæteris confessoribus hospitium præparasse in carcere, in quem conjectus erat cum Felicissimo, et nunc quoque eos antecedere. Ista quidem videntur ostendere Rogatianum fuisse martyrii candidatum. Sed non probant eum subiisse martyrium.

Præpositi gloria. Quidam libri veteres habent *honor.*

II. — [aaa] *De vita nostra.* Id est, quotidie sumus in periculo vitæ nostræ. Hic est verus et genuinus horum verborum sensus. Non possum igitur assentiri Rigaltio scribenti istic agi de vita æterna. Nihilo magis verum est hæc verba ex Epistola XIII, pag. 25, *vitæ ipsi omnium nostrum convenit*, habere eum sensum. In Epistola XXVI, pag. 56, scriptum est : *Propter te interficimur tota die*, pro eo quod in capite octavo Epistolæ ad *Romanos* legitur : *Propter te mortificamur tota die.* Hieronymus, in Epistola ad Rusticum : *Nihil Christiano laboriosius, qui de vita quotidie periclitatur.* Idem, in Epistola ad *Suniam et Fretelam*, tractans de loco illo Psalmi CXVIII, *Anima mea in manibus meis semper*, ait istius loci hunc esse sensum : *Quotidie periclitor, et quasi in manibus meis sanguinem meum porto.* Caius Cæsar apud Sallustium in Catilina : *Libertas et anima nostra in dubio est.*

Posse servare. Ovidius, lib. II *de Arte amandi :*

Non minor est virtus quam quærere parta tueri.

Julius Cæsar in *Oratione* ad suos legatos et centuriones apud Dionem Cassium lib. XXXVIII, ait iisdem artibus et quæri bona et retineri. Et M. Antonius, in oratione funebri in Cæsarem, apud eumdem Dionem lib. XLIV, scribit difficilius esse conservare res quam parare. Quod etiam sensisse Mæcenatem liquet ex *Oratione* ejus ad Augustum in libro LII ejusdem Dionis. Apud T. Livium : *Vincere scis, Hannibal, victoria uti nescis.*

Puta hoc illum. Membrum hoc deerat in antiquis editionibus. Erasmus restituit. Exstat autem in multis codicibus antiquis. Deest in codice sancti Arnulphi.

III. — *Implere confessores.* Rigaltius scripsit *implere vos confessores.* Ego vero vocem *vos*, quæ neque in antiquis editionibus habetur neque in antiquis codicibus, sustuli. Scio illam nihil officere sententiæ Cypriani. Sed, quia alibi non inveni quam in editione Rigaltiana, existimavi esse tollendam. Id vero admoneo ne quis imputet mihi temeritatem,

Digitized by Google

estis cæteris fratribus, ad quorum mores omnium vita et actus debeat provocari. Nam, sicut Judæi a Deo alienati sunt, propter quos nomen Dei blasphematur in Gentibus, ita contra Deo chari sunt per quorum disciplinam nomen Domini laudabili testimonio prædicatur, [12] sicut scriptum est, Domino præmonente et dicente : *Lucent lumen vestrum coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et clarificent Patrem vestrum qui in cœlis est* (*Matth.* v, 16). Et Paulus apostolus dicit : *Lucete sicut luminaria in mundo* (*Philip.* II, 15). Et Petrus similiter hortatur : *Sicut hospites*, inquit, *et peregrini, abstinete vos a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam, conversationem* [a] *habentes inter gentiles* [b] *bonam, ut, dum detractant de vobis quasi de malignis, bona opera vestra aspicientes magnificent Dominum* (I *Pet.* II, 11, 12). Quod quidem maxima pars vestrum cum meo gaudio curat, et confessionis ipsius honore [c] melior facta, tranquillis et bonis moribus gloriam suam custodit et servat.

IV. Sed quosdam audio inficere numerum vestrum et laudem præcipui nominis prava sua conservatione destruere : quos etiam vos ipsi, utpote amatores et conservatores laudis [d] vestræ, objurgare et comprimere et emendare debetis. Cum quanto enim nominis vestri pudore delinquitur, quando aliquis temulentus et lasciviens demoratur, alius in eam patriam unde extorris factus est regreditur, ut apprehensus, non jam quasi Christianus, sed quasi nocens pereat ? Inflari aliquos et tumere audio, cum scriptum sit : *Noli altum sapere, sed time. Si enim Dominus naturalibus ramis non pepercit, ne forte nec tibi parcat* (*Rom.* XI, 20, 21). Dominus noster sicut ovis ad victimam ductus est, et sicut agnus coram tondente se sine voce sic non aperuit os suum (*Isa.* LIII, 7). *Non sum*, inquit, *contumax, neque contradico* [e]. *Dorsum meum posui ad flagella et maxillas meas ad palmas. Faciem autem meam non averti a fœditate sputorum* (*Isa.* L, 5, 6). Et quisquam per ipsum nunc atque in ipso vivens extollere se audet et superbire, immemor et factorum quæ ille gessit [f], et mandatorum quæ nobis vel per se vel per Apostolos suos tradidit ? Quod si non est *major domino suo servus* (*Joan.* XIII, 15, 16), qui Dominum sequuntur, humiles et quieti et taciturni vestigia ejus imitentur, quando quisque [g] inferior fuerit sublimior fiat, dicente Domino : *Qui minimus fuerit in vobis, hic erit magnus* (*Luc.* IX, 48).

V. Quid deinde illud, quam vobis execrandum debet videri, quod cum summo animi nostri gemitu et dolore cognovimus non deesse qui Dei templa et post confessionem sanctificata et illustrata membra turpi et concubitu suo plus maculent, cubilia sua

LECTIONES VARIANTES.

[a] Conversationem vestram *Pem.*
[b] Inter gentes *Ebor. NC.* 1. *Lam.*
[c] A confessionis ipsius honore *Bod.* 3. *Lin.*
[d] Conversationis et laudis *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 1. 2.
[e] Contradicens *Lin. NC.* 1. 2.
[f] Ille in lege gessit *Voss.* 2.
[g] Quanto quisque *Pem.* Quanto quisquis *Oxon.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

Lucete sicut. Vide annotationes Erasmi in caput secundum Epistolæ Pauli *ad Philippenses.*

Detractant. Ita nos reposuimus, secuti lectionem meliorum librorum et veterum editionum. Codex Fuxensis et editio Rigaltii habent *retractant.* Sed in lingua latina aliud est retractare, aliud detractare. T. Livius lib. XXXVIII : *Cæca est invidia, nec quicquam aliud scit quam detractare virtutes.* In eumdem sensum Apuleius in libro primo Floridorum : *In magna civitate hoc quoque genus invenitur, qui meliores obtrectare malint quam imitari.*

IV. — *Aliquis temulentus.* Antea legebatur *alius ab aquis tumulentus*, id est a Baptismo, ut interpretatur Rigaltius. Aliæ editiones, ut idem annotat, habent *quando alius aliquis* vel *quando unus aliquis.* Quæ postrema lectio extat in codice Thuano. Vetus codex sancti Remigii Remensis habet, *apud aquas ;* Corbeiensis, *apud aquas temulentus ;* Turonensis, *quando unus apud aquas.* Angli retinuerunt veterem editionem, nullam aliam auctoritatem afferentes pro lectione supposita a Rigaltio quam ipsius Rigaltii, cujus tamen refellunt lectionem. Reinhartus quoque revocavit veterem lectionem. Ego secutus sum auctoritatem codicis Seguieriani, Metensis, Beccensis, Gratianopolitani et Lamoniani.

Demoratur. Hæc lectio constans est in editionibus tam antiquis quam novis, et in antiquis exemplaribus manuscriptis. Et tamen Goulartius annotat nonnullos scribere *denotatur*, et in margine libri sui excusi scripsit ita legere Bezam. Hanc quoque variam lectionem notavit Reinhartus in margine suæ editionis, ex Rigaltio nimirum, qui in observationibus suis ait quædam Cypriani exemplaria habere *denotatur.* Sed ego eam lectionem non inveni nisi in uno codice Vaticano citato in margine exemplaris mei editionis Manutianæ et in exemplari editionis Pamelianæ quod fuit Nicolai Fabri. Sic etiam in margine editionis Lugdunensis anni 1550, scriptum reperi a quodam studioso. Existimat autem Goulartius lectionem *demoratur*, si retineatur, posse idem significare quod *moratur*, prima longa, id est insanit, seu morionem agit, quod a Græcis sumptum esse ait et a Suetonio usurpatum in *Nerone.*

Apprehensus. Reposui vocem quæ melius convenire visa est cum stylo Cypriani. Quidam enim vetusti codices et quædam editiones habent *ut deprehensus ;* alii, et ii quidem optimi, *unde apprehensus.* Vide quæ notavi ad librum *de Lapsis.*

Quasi Christianus. Apud Rufinum, lib. V *Hist. eccles.* c. 8, refertur ex [393] Apollonio Alexandrum socium Priscæ prophetissæ, qui semetipse martyrem dicebat, judicatum fuisse apud Æmilium Frontinum proconsulem Ephesi, *non propter nomen Christi, sed propter quædam latrocinia.* Ante Cyprianum sanctus Petrus dixerat in Epistola sua prima cap. IV : *Nec quisquam vestrum tamquam fur aut homicida patiatur, aut tamquam maleficus, aut curas alienas agens, sed tamquam Christianus.*

V. — *Dei templa.* Hieronymus, in Epistola *ad Paulinum* de Institutione monachi : *Verum Christi templum anima credentis est.*

Cubilia cum feminis. Rem tractat valde periculosam, ut notat etiam Marbodus, episcopus Redonensis in Epistola *ad Robertum de Arbrissello.* Nam, quia ille nimio continentiæ zelo inter duas puellas nocte cubare ferebatur, et eo modo conabatur accensum carnis ardorem extinguere, novo et inaudito, ut ad eum scribit Goffridus abbas Vindocinensis, sed infructuoso genere martyrii ; addit Goffridus illud nullo modo posse esse utile neque fructuosum quod contra rationem noscitur esse præsumptum. Videtur autem Goffridus id quod dixit de novo martyrii ge-

Digitized by Google

cum feminis promiscua [a] jungentes, quando, etsi stuprum conscientiæ eorum desit, hoc ipso grande crimen est quod illorum scandalo in aliorum ruinas exempla nascuntur [b]. Contentiones quoque et æmulationes inter vos nullas esse oportet, cum pacem suam nobis dimiserit Dominus, et scriptum sit : *Diliges proximum tuum tamquam te. Si autem mordetis et incusatis invicem, videte ne consumamini ab invicem* (*Gal.* v, 14, 15) : A conviciis etiam et maledictis [c], quæso vos, abstinete, quia *neque maledici regnum Dei consequuntur* (I *Cor.* vi, 10), et lingua quæ Christum confessa est, incolumis et pura cum suo honore servanda est : nam qui pacifica et bona et justa, secundum præceptum Christi, loquitur, Christum quotidie confitetur. Sæculo renuntiaveramus [d] cum baptisati sumus. Sed nunc vere renuntiavimus sæculo quando tentati et probati a Deo, nostra omnia relinquentes, Dominum secuti sumus, et fide ac timore ejus stamus et vivimus.

VI. Corroboremus nos exhortationibus [e] mutuis, et magis ac magis proficiamus in Domino, ut, cum, pro sua misericordia, pacem fecerit, quam se facturum repromittit, novi et pene mutati ad Ecclesiam revertamur, et excipiant nos, sive fratres nostri, sive gentiles, circa omnia correctos [f] atque in melius reformatos, et qui admirati fuerant prius in virtutibus gloriam, nunc [12] admirentur in moribus disciplinam. Et quamquam clero nostro, et nuper cum adhuc essetis in carcere constituti, sed nunc quoque denuo, plenissime scripserim ut, si quid vel ad vestitum vestrum vel ad victum necessarium fuerit, suggeratur, tamen etiam ipse de sumpticulis propriis quos mecum ferebam misi vobis CCL, sed et alia CCL proxime miseram. Victor quoque ex lectore diaconus, qui mecum est, misit vobis CLXXV. Gaudeo autem quando cognosco plurimos fratres nostros pro sua dilectione certatim concurrere et necessitates vestras suis collationibus adjuvare. Opto vos, fratres charissimi, semper bene valere et nostri meminisse.

EPISTOLA VII.

(Erasm., IV, 4; Pamel., VIII; Oxon., Lips. XI; Rigalt., Baluz., Paris., VII.)

AD CLERUM, DE PRECANDO DEO.

ARGUMENTUM. — *Ejusdem fere est argumenti cum duabus præcedentibus, præterquam quod hic ad preces exhortetur assiduas.*

I. Cyprianus presbyteris et diaconibus fratribus salutem. Quamquam sciam, fratres charissimi, pro timore quem singuli debemus Deo, vos quoque illic

LECTIONES VARIANTES.

[a] Fœminis permisceant *Lin. NC.* 1.
[b] Exempla monstrantur *Lam.* nascantur *Bod.* 1. *Ebor. Lin.*
[c] A conviciis maledicis *NC.* 2. *Lam.*
[d] Sæculo renuntiamus *Bod.* 1. 2. *Ebor. NC.* 1. 2.
[e] Exhortationibus et precibus *Lin. NC.* 2.
[f] Incorruptos *Bod.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

nere mutuatus ex libro primo sancti Ambrosii *de Virginibus*, cap. 2, ubi loquens de sancta Agnete, *Novum martyrii genus*, inquit. *Nondum idonea pœnæ, et jam matura victoriæ, certare difficilis, facilis coronari*, etc. Eleganter, ut solet, et prudenter Hieronymus in Epistola *ad Lætam* de Institutione filiæ : *Quidam putant majoris esse virtutis præsentem contemnere voluptatem. Tamen ego arbitror securioris continentiæ esse nescire quod quærat.*

Promiscua. Hæc lectio, quam omnes editiones habent, quam confirmant libri veteres, optima est. Et tamen Rigaltius ei bonæ lectioni prætulit erroneam quæ exstat in codice Thuano; in quo, omissa una litterula a librario, scriptum est *promisca*. Erratum est igitur in editione Anglicana, ubi adnotatum est in codice Thuano scriptum esse *promiscua*, cum contra Rigaltius in observationibus suis rationem reddiderit cur hanc lectionem rejecerit. Apud A. Gellium legitur *promisca, impromisca, impromisce* in editione Henrici Stephani. Nicolaus Perottus pag. 752, 1185, adnotat veteres *promiscam* pro *promiscue* scripsisse. *Promisce* legi apud Macrobium pro *promiscue* in editione Henrici Stephani.

Lingua quæ Christum. Idem Cyprianus in libro de Exhortatione martyrii cap. 11 : *Producta et exsecta prius lingua quæ confessa Deum fuerat.* Plinius, lib. VII, cap. 25 : *Anaxarchus cum torqueretur, præcisam dentibus linguam unamque opem indicii in tyranni os expuit.* Eamdem historiam fusius refert Valerius Maximus lib. III, cap. 3. Vide Cujacium, lib. XIX *Observat.* cap. 6.

VI. — *Et quamquam clero.* Tamenetsi Rigaltius, qui primus hoc segmentum reperit in codice sancti Remigii, illud cum ipsa epistola non ediderit, sed retulerit inter observationes; tamenetsi Angli secuti sint exemplum Rigaltii, ego illud attexui epistolæ, non dubitans quin sit Cypriani, quamvis in uno tantum veteri libro repertum sit. Reinhartus non attexuit epistolæ, sed addidit in calce, admonens Rigaltium edidisse ex codice Remensi.

Sumpticulis propriis. Vel *de quantitate propria*, ut in Epistola XXXVI, pag. 49, loquitur ipse Cyprianus, id est ex bonis quæ erant Cæcilii Cypriani, quorum mentio est in Epistola LXIX *ad Florentium*. Non puto enim istud esse intelligendum de ea parte reddituum Ecclesiæ quæ ad episcopum pertinebat, nondum inventa divisione bonorum, quia Ecclesia nondum habebat divitias atque opes. Ea tum sustentabatur oblationibus fidelium, quæ gratuitæ erant ac voluntariæ, non coactæ. Tertullianus in Apologetico : *Modicam unusquisque stipem menstrua die, vel cum velis, et si modo possis, apponit. Nam nemo compellitur, sed sponte confert. Hæc quasi deposita pietatis sunt. Nam inde non epulis nec potaculis nec ingratis veretrinis dispensatur, sed egenis alendis humandisque.* Habuisse Cyprianum bona constat : de hortis ab eo venditis inter initia fidei suæ et Dei indulgentia restitutis testatur ipse Cyprianus Epist. LXIII, et Pontius diaconus in *Vita* ejus.

Opto vos. Retinui editionem vulgatam, quæ bona est. Admoneo tamen editionem Spirensem, veterem Venetam, eam quæ est Remholti, Erasmicam, et Morellianam præferre *Opto te, frater*, et ita etiam scripdum esse in sedecim codicibus antiquis. Et hæc quoque lectio optima est. Tamenetsi enim epistola scripta sit ad plures, præcipue tamen et nominatim scripta est ad Rogatianum, personam illustrem. Et ideo Cyprianus finem ei imponens, clausulam valedictoriam, ut solet, ad eum dirigere potuit.

[391] EPIST. VII. — *De precando Deo.* Miror Rigaltium, qui sciebat sanctum Augustinum, l. IV de *Baptismo contra Donatistas*, c. 2, ea verba referre tamquam Cypriani, sciebat præterea ea haberi in quibusdam antiquis editionibus; miror, inquam, eum illa omisisse in sua,

Digitized by Google

assiduis orationibus et enixis precibus instanter incumbere, admoneo tamen et ipse religiosam sollicitudinem vestram ut [a] ad placandum atque exorandum Dominum, non voce sola, sed et jejuniis et lacrymis et omni genere deprecationis ingemiscamus. Intelligendum est enim et confitendum pressuræ istius tam turbidam vastitatem, quæ gregem nostrum maxima ex parte populata est et adhuc usque populatur, secundum peccata nostra venisse, dum viam Domini non tenemus, nec data nobis ad salutem cœlestia mandata servamus. Fecit Dominus noster voluntatem Patris, et nos non facimus Domini voluntatem, patrimonio et lucro studentes, superbiam sectantes, æmulationi et dissensioni vacantes, simplicitatis et fidei negligentes, sæculo verbis solis et non factis renuntiantes, unusquisque sibi placentes et omnibus displicentes. Vapulamus itaque ut meremur, cum scriptum sit : *Servus autem ille qui cognoscit voluntatem domini sui, et non paruerit* [b] *voluntati ejus, vapulabit multis* (*Luc.* XII, 47). Quas autem plagas, quæ verbera non meremur, quando nec confessores, qui exemplo cæteris ad bonos mores esse debuerant, teneant disciplinam ? Itaque, dum quosdam insolenter extollit confessionis suæ tumida [c] et inverecunda jactatio, tormenta venerunt, et tormenta [d] sine fine tortoris, sine exitu damnationis, sine solatio mortis, tormenta quæ ad coronam non facile dimittant, sed tamdiu torqueant quamdiu dejiciant ; nisi si aliquis, divina dignatione subtractus, inter ipsa cruciamenta profecerit [e], adeptus gloriam non termino supplicii, sed velocitate moriendi.

II. Hæc patimur delicto et merito nostro, sicut prænonuit divina censura dicens : *Si dereliquerint legem meam et in judiciis meis* [f] *non ambulaverint, si justificationes meas profanaverint et præcepta mea non observaverint, visitabo in virga facinora eorum et in flagellis delicta eorum* (*Psal.* LXXXVIII, 31 - 33). Virgas igitur et flagella sentimus, qui Deo nec bonis factis placemus, nec pro peccatis satisfacimus. Rogemus de intimo corde et de tota mente misericordiam Dei, quia et ipse addidit dicens : *Misericordiam autem meam non dispergam ab eis* (*Ibid.*). Petamus, et accipiemus ; et si accipiendi mora et tarditas fuerit, quoniam graviter offendimus, pulsemus, quia et pulsanti aperietur (*Matth.* VII, 7, 8, XVIII, 19; *Luc.* XI, 9, 10), si modo pulsent ostium preces, gemitus et lacrymæ nostræ, [14] quibus insistere et immorari oportet, etsi sit unanimis oratio.

III. Nam quod magis suasit et compulit ut has ad vos litteras scriberem, scire debetis, sicut Dominus ostendere et revelare dignatus est [g] ; dictum esse in visione : *Petite, et impetratis* [h] ; tunc deinde præceptum plebi assistenti ut pro quibusdam personis designatis sibi peterent, in petendo autem fuisse dissonas voces et dispares [i] voluntates, et vehementer hoc displicuisse illi qui dixerat, *Petite, et impetratis*, quod plebis inæqualitas discreparet, nec esset fratrum consensio una et simplex et juncta concordia, cum scriptum sit, *Deus qui inhabitare facit unanimes in domo* (*Psal.* LXVII, 7), et in Actis Apostolorum legamus, *Turba autem eorum qui crediderant anima ac mente una agebant* (*Act.* IV, 32); et Dominus sua voce mandaverit dicens : *Hoc est mandatum meum, ut diligatis invicem* (*Joa.* XV, 17). Et iterum : *Dico autem vobis quoniam, si duobus ex vobis convenerit* [j] *in terra, de omni re quamcumque petieritis continget vobis a Patre meo qui in cœlis est* (*Matth.* XVIII, 19). Quod si duo unanimes tantum possunt, quid si unanimitas apud omnes esset ? Quod si secundum pacem quam nobis Dominus dedit universis fratribus convenire, jampridem de divina misericordia impetrassemus quod petimus, nec tamdiu in hoc salutis et fidei nostræ periculo fluctuaremus. Immo vero, nec venissent fratribus hæc mala, si in unum fraternitas fuisset animata.

IV. Nam et illud ostensum est, quod sederet paterfamilias, sedente sibi ad dexteram juvene ; qui juvenis, anxius et cum quadam indignatione subtristis, maxillam manu tenens, mœsto vultu sedebat. Alius vero in sinistra parte consistens rete portabat, quod se mittere, ut circumstantem populum caperet, minabatur. Et cum miraretur quid hoc esset ille qui vidit, dictum est ei juvenem qui ad dexteram sic sederet, contristari et dolere quod præcepta sua non observarentur ; illum vero in sinistra exultare quod sib daretur occasio ut a patrefamilias potestatem sumeret sæviendi. Hoc prius longe ostensum est, quam tempestas vastitatis hujus oriretur [k]. Et vidimus impletum quod fuerat ostensum, ut, dum Domini præcepta contemnimus, dum datæ legis mandata saluta-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Religionem vestram, ut *Rig.*
[b] Fecerit *M. R.*
[c] Tumor *Corb.*
[d] In tormenta venerunt, tormenta *Corb.*
[e] Defecerit *Oxon.*
[f] Viis meis *Voss.* 1. *Pem.*
[g] Dignatur *Oxon.*
[h] Impetrabitis *Bod.* 3. *Vet. innom.*
[i] Dissonantes voces et dissipatas *Lin.*
[j] Duo ex vobis convenerint *Bod.* 1, 3. *Voss.* 1, 2. convenieritis *Rig.*
[k] Operaretur *Lin.* Et videmus *Vet. innom.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

Illa etiam omiserunt Angli. Nos restituimus propter auctoritatem Augustini et plurimorum veterum librorum.

I. — *Religiosam sollicitudinem.* Hæc est lectio omnium veterum librorum et editionum. In Rigaltiana tamen scriptum est *religionem vestram.* Angli reposuerunt veterem lectionem.

Viam Domini non tenemus. Citat hunc quoque locum sanctus Augustinus in libro paulo ante laudato, cap. 3.

IV.— *Oriretur.* In uno codice regio legitur, *vastitatis hujus accederet et impetus malitiæ nostræ erga nos ingraueret.* Sed alii codices repugnant et omnes editiones. In vetustissimo codice Remigiano scriptum est, *tempestas vastationis hujus oriretur.* In Lamoniano, *tempestas vastis hujus operaretur.*

Digitized by Google

ria non tenemus, facultatem nocendi inimicus acciperet, minus armatos et ad repugnandum minus cautos jactu retis operiret.

V. Oremus instanter et assiduis precibus ingemiscamus. Nam et hoc nobis non olim [a] per visionem, fratres charissimi, exprobratum sciatis, quod dormitemus in precibus, nec vigilanter oremus. Et Deusutique, qui quem corripit diligit (*Prov.* III, 12), quando corripit ad hoc corripit ut emendet, ad hoc emendat ut servet. Excutiamus itaque et abrumpamus somni vincula, et instanter ac vigilanter oremus, sicut Paulus apostolus præcipit dicens : *Instate orationi vigilantes in ea* (*Coloss.* IV, 2). Nam et Apostoli orare diebus ac noctibus non destiterunt, et Dominus quoque ipse disciplinæ magister et exempli nostri via frequenter et vigilanter oravit, sicut in Evangelio legimus : *Exiit in montem orare, et fuit pernoctans in oratione Dei* (*Luc.* VI, 12). Et utique quod orabat orabat ille pro nobis, cum peccator ipse non esset, sed aliena peccata [b] portaret. Adeo autem pro nobis ille deprecabatur ut legamus alio loco : *Dixit autem Dominus ad Petrum : Ecce Satanas postulavit ut vos vexaret quomodo triticum. Ego autem rogavi pro te ne deficiat fides tua* (*Luc.* XXII, 31). Quod si pro nobis ac pro delictis nostris ille et laborabat et vigilabat et precabatur, quanto nos magis insistere precibus et orare, et primo ipsum Dominum rogare, tum deinde per ipsum Deo Patri satisfacere [35] debemus? Habemus advocatum et deprecatorem pro peccatis nostris Jesum Christum Dominum et Deum nostrum, si modo nos in præteritum peccasse pœniteat, et confitentes atque intelligentes delicta nostra, quibus nunc Dominum offendimus, vel de cætero nos ambulare in viis ejus et præcepta ejus metuere spondeamus. Pater nos corrigit et tuetur, stantes tamen in fide et pressuris atque angustiis, scilicet Christo ejus firmiter adhærentes, sicut scriptum est : *Quis nos separabit a dilectione Christi? pressura, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius* (*Rom.* VIII, 35)? Nihil horum potest separare credentes, nihil potest avellere corpori ejus et sanguini cohærentes. Persecutio ista examinatio est atque exploratio pectoris nostri. Excuti nos Deus voluit et probari, sicut suos semper probavit; nec tamen in probationibus ejus aliquando auxilium credentibus defuit.

VI. Denique ad minimum famulum suum et in delictis licet plurimis constitutum et dignatione ejus indignum, tamen ille pro sua circa nos bonitate mandare dignatus est. « Dic illi, inquit, securus sit, quia pax ventura est; sed quod interim morula est, supersunt adhuc aliqui qui probentur. » Sed et de victu parco et sobrio potu divinis dignationibus admonemur; scilicet ne vigore cœlesti sublime jam pectus illecebra sæcularis enervet, vel ne largioribus epulis mens gravata minus ad preces orationis evigilet.

VII. Dissimulare hæc singula et apud conscientiam meam solus occultare non debui, quibus unusquisque nostrum et instrui et regi possit. Nec ipsi denique [c] apud vos hanc epistolam teneatis occultam, sed legendam fratribus suggeratis. Intercipere enim quibus nos Dominus admonere et instruere dignatur, ejus est qui admoneri et instrui fratrem suum nolit. Probari nos a Domino nostro sciant, nec umquam a fide qua in eum semel credidimus, præsentis pressuræ conflictatione deficiant. Delicta sua singuli recognoscentes, vel modo conversationem veteris hominis exponant. Nemo enim retro attendens et superponens manum suam super aratrum aptus est regno Dei. Denique et uxor Lot, quæ liberata, contra præceptum, retro respexit, quod evaserat perdidit. Attendamus non posteriora, quo diabolus revocat, sed priora, quo Christus vocat. Oculos erigamus ad cœlum, ne oblectamentis et illecebris nos suis terra decipiat. Unusquisque oret Deum, non pro se tantum, sed pro omnibus fratribus, sicut Dominus orare nos docuit; ubi non singulis privatam precem mandat, sed oratione communi et concordi prece orantes pro omnibus jussit orare. Si nos Dominus humiles et quietos, si nobis invicem copulatos, si circa iram suam timidos, si præsenti tribulatione correctos emendatosque conspexerit, tutos ab inimici infesta-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Jam olim *Erasm.*
[b] Nostra peccata *Lin. Voss.* 1, 2. *Bod.* 1. *Pem.*
[c] Ipsi utique *Oxon.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

V. — *Pectoris nostri.* Duæ sunt hujus loci lectiones in antiquis codicibus. Eam quam nos retinemus invenimus in octo codicibus. Aliam, quæ habet *peccati nostri*, exhibent omnes editiones quæ Pamelianam antecesserunt, eam vero præferunt etiam undecim libri veteres; eaque adjuvari potest ex eo quod in initio libri Job reperitur : *ut quæras iniquitatem meam et peccatum meum scruteris.* Nostram vero confirmant plurima sacræ Scripturæ loca in quibus Deus vocatur scrutator cordis et renis, ut etiam adnotatur in calce Epistolæ octavæ. In codice Flori scriptum erat *peccati nostri.*

VII.—*Nec ipsi denique.* Quamquam prior lectio, quæ habet *utique*, bona sit, eam prætuli quæ nititur auctoritate omnium fere veterum exemplarium.

Intercipere, id est supprimere, modo loquendi multum remoto a vera significatione hujus vocabuli. Et tamen Tacitus in *Vita Agricolæ* videtur eo vocabulo usus esse in eodem sensu quo Cyprianus. Ait enim: *Nec Agricola unquam per alios gesta avidus intercepit, sed centurio seu præfectus incorruptum facti testem habebat.* Item Seneca, lib. *de Beneficiis*, p. 17 : *Urit illum et angit intercepti beneficii conscientia.* Q. Curtius lib. XV : *Alieno enim sanguine partam gloriam intercipi.* Arnobius lib. III : *Nam intercipere scripta et publicatam velle submergere lectionem non est deos defendere, sed veritatis testificationem timere.* Cassianus, l. IX, c. 11 : *Intercipiens efficaciam orationum*, et *Collat.* lib. I, cap. 11 : *Charitas nullo intercipiatur tempore.*

Perdidit. Ita veteres editiones et omnes fere libri veteres. In uno tamen meo scriptum est *indicit.* Quod videtur esse melius. In vetustissimo Remigiano *percidit.*

Digitized by Google

tionibus exhibebit. Præcessit disciplina, sequetur et venia.

VIII. Nos tantum, sine cessatione poscendi et cum fide accipiendi, simplices et unanimes Dominum deprecemur, cum gemitu pariter et fletu deprecantes, sicut deprecari oportet eos qui sint positi inter plangentium ruinas et timentium reliquias, inter numerosam languentium [a] stragem et exiguam stantium firmitatem. Rogemus pacem [b] maturius reddi, cito latebris nostris et periculis subvenirl, impleri quæ [c] famulis suis Dominus dignatur ostendere, redintegrationem Ecclesiæ, securitatem salutis nostræ, post pluvias serenitatem, post tenebras lucem, post procellas et turbines placidam lenitatem, pia paternæ dilectionis auxilia, divinæ majestatis solita magnalia, quibus et persequentium [d] blasphemia retundatur, et lapsorum pœnitentia reformetur, et fortis et stabilis perseverantium fiducia glorietur. Opto vos, fratres charissimi, semper bene valere et nostri meminisse. Fraternitatem meo nomine salutate, et ut nostri meminerint admonete. Valete.

EPISTOLA VIII.

(Eras., II, 6; Pamel., IX; Rig., Baluz., Paris., VIII; Oxon. Lips., X.)

AD MARTYRES ET CONFESSORES.

ARGUMENTUM. — *Martyres Africæ Cyprianus miris modis a constantia commendans, invitat ad perseverantiam, exemplo Mappalici eorum collegæ.*

Cyprianus martyribus et confessoribus in Christo Domino nostro et in Deo Patre perpetuam salutem. Exulto lætus et gratulor, fortissimi ac beatissimi fratres, cognita fide ac virtute vestra, in quibus mater Ecclesia gloriatur. Gloriata est et nuper quidem cum confessione perstante susceptа pœna est quæ confessores Christi fecit; extorres. Confessio tamen A præsens quanto in passione fortior, tanto clarior et major in honore est. Crevit pugna, crevit et pugnantium gloria. Nec retardati estis ab acie tormentorum meto, sed ipsis tormentis magis ac magis estis ad aciem provocati, fortes et stabiles ad maximi certaminis prælium [e] prompta devotione redistis. Ex quibus quosdam jam comperi coronatos, quosdam vero ad coronam victoriæ jam jamque proximos [e], universos autem quos agmine glorioso carcer inclusit, pari ac simili calore virtutis ad gerendum certamen animatos, sicut esse oportet in divinis castris milites Christi, ut incorruptam fidei firmitatem non blanditiæ decipiant, non minæ terreant, non cruciatus ac tormenta devincant, quia major est qui in nobis est quam qui est in hoc mundo (I *Joan.* IV, 4), nec B plus ad dejiciendum potest terrena pœna quam ad erigendum tutela divina. Probata res est certamine fratrum glorioso, qui, ad tormenta vincenda cæteris duces facti, exemplum virtutis ac fidei præbuerunt, congressi in acie donec acies succumberet victa. Quibus ego vos laudibus prædicem, fortissimi fratres? Robur pectoris vestri et perseverantiam fidei, quo præconio vocis exornem? Tolerastis [f] usque ad consummationem gloriæ durissimam quæstionem, nec cessistis suppliciis, sed vobis potius supplicia cesserunt. Finem doloribus [g], quem tormenta non dabant, coronæ dederunt. Quæstio gravior [h] ad hoc diu perseveravit, non ut stantem fidem dejiceret, sed ut homines Dei ad Dominum velocius mitteret. Vidit admirans præsentium multitudo cœleste certa- C men, certamen Dei, certamen spiritale, prælium Christi [i], stetisse servos ejus voce libera, mente incorrupta, virtute divina, telis quidem sæcularibus nudos, sed armis fidei credentes armatos [j]. Steterunt torti torquentibus fortiores, et pulsantes ac laniantes ungulas pulsata ac laniata membra vicerunt. Inexpugnabilem fidem superare non potuit sæviens diu plaga repetita, quamvis, rupta compage viscerum,

LECTIONES VARIANTES.

[a] Jacentium *Bod.* 1. Stantium paucitatem *Lin. Pem. Bod.* 1, 3. *Voss.* 2. *Thu. Foss.*
[b] Pacem Ecclesiæ suæ *Voss.* 1. *Bod.* 3.
[c] In plerisque *Foss. Corb.*
[d] Certaminis præmium *Pem.* Pretium *Corb.*
[e] Victoriæ proximos *Oxon.*
[f] Toleranles *Pem.* Utique *Bod.* 1.
[g] Finem dolorum *Oxon.*
[h] Laniena *Oxon.* Laniatio *Pem.* Laniandi mora *Bod.* Lanio gravior *Ben.* Quæstio *Thu.*
[i] Spiritale certamen, prælium *Oxon.* Spiritale prælium Christi. *Vos.* 2. *Bod.* 1, 3. *Pem.*
[j] Fidei ardentis armatos *Pem.*

D

STEPH. BALUZII NOTÆ.

EPIST. VIII. — *Ecclesia gloriatur.* In codice sancti Arnulphi Metensis legitur *Ecclesia gratulatur. Et nuper quidem.* In Carnotensi *gratulatur vel gloriatur. Et nuper.*

Devotione redistis. Iidem codices habent *prodistis.*

Quæstio. Revocavi hanc lectionem, quam et libri veteres et editiones antiquæ præferunt. In editione Manutiana scriptum est *laniena.* Pamelius ita quoque posuit. Sed nostra lectio, quæ nititur auctoritate, recte congruit cum his quæ paulo ante dicta sunt: *Tolerastis durissimam quæstionem*, et infra, *in quæstione victores.* Angli protulerunt quasdam varias lectiones quæ probare possunt aliam lectionem posse esse bonam.

Credentes. Hanc lectionem præferunt veteres libri et editiones, nisi quod interdum vidi scriptum *credentis.* In libro tamen Divionensi et in recentiore Remigiano legitur *constanter.* Quod mihi videtur esse melius. Sed mutare non sum ausus propter repugnantiam aliorum exemplarium.

[j] *Torti... fortiores.* Sulpitius Severus in Epistola ad Eusebium: *Sed his tolerandis atque vincendis præcipuam semper justorum fuisse virtutem, dum per omnia tentamenta patientes, semper invicti, tanto fortius vincerent quanto gravius pertulissent.* Apud Rufinum lib. v, cap. 1, in historia martyrum Lugdunensium: *Ex ipsa quippe sanctorum patientia sævior eis contentionis rabies accendebatur, et velut pudore quodam fatigabantur, quia major inesset cruciatis quam cruciantibus virtus.*

Digitized by Google

torquerentur in servis Dei jam non membra, sed vulnera. Fluebat sanguis qui incendium persecutionis extingueret, qui flammas et ignes gehennæ glorioso cruore sopiret. O quale illud fuit spectaculum Domino, quam sublime, quam magnum, quam Dei oculis sacramento ac devotione militis ejus acceptum, sicut scriptum est in Psalmis, Spiritu sancto loquente ad nos pariter et monente : *Pretiosa est in conspectu Domini mors justorum ejus* (*Psal.* CXV, 15). Pretiosa mors hæc est quæ emit immortalitatem [17] pretio sui sanguinis [a] quæ accepit coronam de [b] consummatione virtutis. Quam lætus illic Christus fuit ! quam libens in talibus servis suis et pugnavit et vicit protector fidei, et dans credentibus tantum quantum se credit capere qui sumit ! Certamini suo adfuit, præliatores atque assertores sui nominis erexit, corroboravit, animavit. Et qui pro nobis mortem semel vicit, semper vincit in nobis. *Cum vos*, inquit, *tradiderint, nolite cogitare quid loquamini : dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis* (*Matth.* X, 19, 20). Documentum rei præsens prælium præbuit. Vox plena Spiritu sancto de martyris ore prorupit, cum Mappalicus beatissimus inter cruciatus suos proconsuli diceret : « Videbis cras agonem. » Et quod ille cum virtutis ac fidei testimonio dixit, Dominus implevit. Agon cœlestis exhibitus [c], et Dei servus in agonis promissi certamine coronatus est. Hic est agon quem propheta Esaias ante prædixit dicens : *Non pusillum vobis certamen cum hominibus, quoniam Deus præstat agonem* (*Isa.* VII, 13) ? Et, ut ostenderet quis hic agon futurus esset, addidit dicens : *Ecce virgo in uterum* [d] *accipiet et pariet filium, et vocabitis nomen ejus Emmanuel* (*Ibid.* 14). Hic est agon fidei nostræ qua congredimur, qua vincimus, qua coronamur. Ilic est agon quem nobis ostendit beatus Paulus apostolus, in quo oportet nos currere et ad coronam gloriæ pervenire : *Nescitis*, inquit, *quia qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, unus tamen accipit palmam ? Sic currite ut occupetis. Et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam* [e] (I *Cor.* IX, 24, 25). Item suum certamen ostendens, et hostiam se Domini cito futurum esse promittens, ait : *Ego jam libor, et tempus instat assumptionis meæ. Bonum agonem certavi, cursum perfeci, fidem servavi. Jam superest mihi corona justitiæ, quam mihi reddet Dominus in illa die, ille justus judex, non solum autem mihi, sed et omnibus qui diligunt adventum ejus* (II *Tim.* IV, 6-8). Hunc igitur agonem per Prophetas ante prædictum, per Dominum commissum, per Apostolos gestum, Mappalicus suo et collegarum suorum nomine proconsuli repromisit. Nec fefellit in promisso suo vox fidelis : pugnam quam spopondit exhibuit, et palmam quam meruit accepit. Istum nunc beatissimum martyrem, et alios participes ejusdem congressionis, milites et comites in fide stabiles, in dolore

LECTIONES VARIANTES.

[a] Pretiosa vis sanguinis *Corb.*
[b] Coronam Dei *Bod.* 3. *Pem.*
[c] Agone cœlestis exhibitionis *Voss.* 2. Exhibitus est *Bod.* 1.
[d] Utero *Thu. Foss. Bod.* 1, 2. *et Adv. Jud.*
[e] Incorruptibilem *Voss.* 2. *Bod.* 1.
[f] Ego jam immolor *Bod.* 3. Delibor *Foss. Corb.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

Jam non membra. Sic supra, in epistola *ad Donatum*, p. 5 : *Jam non membra, sed vulnera.* Ammianus Marcellinus lib. XXIX, enarrans lanienam exercitam in Diogenem quemdam ut verba placentia principi loqueretur, ait illum, *cum pœnis non sufficerent membra*, vivum combustum. Idem lib. XIV, loquens de Eusebio quodam misere cruciato ait illum ita evisceratum *ut crnciatibus membra deessent.* Sanctus Ambrosius in libro I *de Virginibus*, loquens de martyrio sanctæ Agnetis : *Fuitne in illo corpusculo vulneri locus !* T. Livius lib. IV, *quid jam integri esse in corpore loci ad nova vulnera recipienda ?* Justinus lib. II : *Velut a singulis membris pœnæ exigerentur.* Eleganter varia illa tormentorum et cruciatuum genera describuntur in libro I Silii Italici :

Non ignes, candensque calybs, non verbera passim
Ictibus innumeris lacerum sciudentia corpus.
Carnificesve manus, penitusque infusa medullis
Pestis, et in medio lucentes vulnere flammæ
Cessavere.

Spectaculum Domino. Codices sancti Arnulphi et Carnotensis habent *Domini.*

Quam lætus illic. Iidem codices præferunt *in illis.*

Mappalicus. Kalendarium Carthaginiense editum a Mabillonio : XIII *kalend. maias martyris Mappalici.* At in Martyrologio monasterii Einsidlensis edito ab eodem Mabillonio est XV kal. maii, uti etiam in antiquis martyrologiorum scriptoribus. Sanctum Cyprianum fuisse sepultum in loco qui Mappalia vocatur scribit Victor Vitensis lib. I, cap. 5.

Prædixit. Veteres editiones Manutiana antiquiores et quædam vetera exemplaria præferunt *promisit.*

Accipiet. In quibusdam codicibus antiquis scriptum est *concipiet.* Sic etiam editiones quæ præcesserunt Erasmicam.

Coronam gloriæ. Ex Epistola I beati Petri, *Percipietis immarcessibilem gloriæ coronam.* Hic Cypriani locus varie legitur in antiquis codicibus. Quidam enim habent *coronam gloriæ*, alii *gloriam coronæ.* Hanc discrepantiam invexit audacia librariorum. Bonam lectionem habebat etiam liber Flori. Apud Cassianum lib. VI, cap. 3, lego *coronæ gloriam* pro quo fortassis reponendum esset *coronam gloriæ.*

Ut occupetis. Postea sequebatur in quibusdam vetustis codicibus et editionibus : *Omnis autem qui agonizat in omnibus continens est.* Sed cum segmentum illud non inveniatur in multis codicibus, desit autem in editionibus Manutii et Morellii, cum videam hunc ipsum Pauli locum descriptum in libro tertio Testimoniorum cap. 26 absque illo segmento, rursum non haberi in Epistola ad Fortunatum de exhortatione martyrii in optimis et vetustissimis exemplaribus, expunxi ubique, quia existimo additum fuisse a quodam studioso ex Epistola Pauli, ubi extat. Sic in pluribus Cypriani locis addita sunt segmenta ex libris sacræ Scripturæ quæ omissa putabant ii qui illa addiderunt. Vide annontationes Erasmi in hunc Pauli locum.

Ejusdem congressionis. Codex sancti Arnulphi habet *consensionis*, Carnotensis *consensionis vel congressionis.*

Digitized by Google

patientes, in quæstione victores ut cæteri quoque A sectemini et opto pariter et exhortor; ut quos vinculum confessionis et hospitium carceris simul junxit jungat etiam consummatio virtutis et corona cœlestis, ut lacrymas matris Ecclesiæ, quæ plangit ruinas et funera plurimorum, vos vestra lætitia tergeatis, et cæterorum quoque stantium firmitatem vestri exempli provocatione solidetis. Si vos acies vocaverit [a], si certaminis vestri dies venerit, militate fortiter, dimicate constanter, scientes vos sub oculis præsentis Domini dimicare, confessione nominis ejus ad ipsius gloriam pervenire; qui non sic est ut servos suos tantum spectet, sed et ipse luctatur in nobis, ipse congreditur, ipse in certamine agonis nostri et coronat pariter et coronatur. Quod si ante diem certaminis vestri, de indulgentia Domini, pax supervene- B rit, vobis tamen maneat voluntas integra et conscientia gloriosa. Nec contristetur aliquis ex vobis quasi illis minor sit qui ante vos tormenta perpessi, victo et calcato sæculo, ad Dominum glorioso itinere venerunt. Dominus scrutator est renis et cordis, arcana perspicit et intuetur occulta. Ad coronam de eo [b] promerendam sufficit ipsius testimonium solum [18] qui judicaturus est. Ergo utraque res, fratres charissimi, sublimis pariter et illustris : illa securior, ad Dominum victoriæ consummatione properare; hæc lætior, accepto post gloriam commeatu in Ecclesiæ laude florere. O beatam Ecclesiam nostram, quam sic honor divinæ dignationis illuminat, quam temporibus nostris gloriosus martyrum sanguis illustrat! Erat ante in operibus fratrum candida, nunc C facta est in martyrum cruore purpurea : floribus ejus nec lilia nec rosæ desunt. Certent nunc singuli ad utriusque honoris amplissimam dignitatem. Accipiant coronas vel de opere candidas, vel de passione pureas. In cœlestibus castris et pax et acies habent flores suos, quibus miles Christi ob gloriam coronetur. Opto vos, fortissimi ac beatissimi fratres, semper in Domino bene valere et nostri meminisse. Valete.

EPISTOLA IX.

(Erasm., III, 14; Pamel., X; Rig., Baluz., Paris., IX; Oxon., Lips., XXI.)

AD CLERUM, DE QUIBUSDAM PRESBYTERIS QUI TEMERE PACEM LAPSIS DEDERUNT, NECDUM SEDATA PERSECUTIONE ET CITRA CONSCIENTIAM EPISCOPORUM.

ARGUMENTUM — *hujus Epistolæ habes infra in hæc verba, Epistola* XIV : « *Presbyteris, inquit, et diaconibus non defuit sacerdotii vigor, ut quidam, minus disciplinæ memores et temeraria festinatione præcipites, qui cum lapsis communicare jam cœperant, comprimerentur.* »

I. Cyprianus presbyteris et diaconibus fratribus salutem. Diu patientiam meam tenui, fratres charissimi, quasi verecundum silentium nostrum proficeret ad quietem : sed, cum quorumdam immoderata et abrupta præsumptio temeritate sua et honorem martyrum et confessorum pudorem et plebis universæ tranquillitatem turbare conetur, tacere ultra non oportet, ne ad periculum et plebis pariter et nostrum taciturnitas nimia procedat. Quod enim non periculum metuere debemus de offensa Domini quando aliqui de presbyteris, nec Evangelii nec loci sui memores, sed neque futurum Domini judicium neque nunc sibi præpositum C episcopum cogitantes, quod numquam omnino sub antecessoribus factum est, cum contumelia et contemptu præpositi totum sibi vindicent?

II. Atque utinam non prostrata fratrum nostrorum salute sibi omnia vindicarent! Contumeliam episco-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Provocaverit *Oxon.*

[b] Dei *Oxon.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

Voluntas integra. Hieronymus, lib. II adversus Jovinianum : *In martyre enim voluntas, ex qua ipsa mors nascitur, coronatur.* Vide notas ad epistolam LII, in verbo *passus est.*

Ad coronam de eo. Idem codices habent *ad coronam Dei.* Sic etiam quædam editiones.

Fratres charissimi. Codex sancti Arnulphi, *fratres dilectissimi.* D

Accepto commeatu. Id est indulgentia permanendi in hac vita, uti recte explicat Rigaltius in librum Tertulliani *de Fuga in persecutione.*

Pax et acies. In libro *de Zelo et livore* p. 260 : *Habet et pax coronas suas.* [396] Et in libro *de Opere et eleemosynis*, p. 246 : *In pace vincentibus coronam candidam pro operibus dabit, in persecutione purpuream pro passione geminabit.* In libro de exhortatione martyrii ad Fortunatum p. 274 : *In persecutione militia, in pace conscientia coronabitur.* Hieronymus in Epistola ad Furiam de Viduitate servanda et in Epistola ad Heliodorum de laude Vitæ solitariæ : *Virginum lilia et martyrum rosas.* Idem in vita Malchi monachi : *Habet et servata pudicitia martyrium suum.* Sanctus Ambrosius in Epistola ad Simplicianum : *Sunt nobis quædam et in pace prælia et in bello pax.*

Opto vos. Hæc desunt in libro Carnotensi.

EPIST. IX. — Inscriptio istius epistolæ, cujusmodi istic ponitur, descripta est ex codice nostro Fossatensi, ex vetere Victorino, ex Michaelino, et ex editione Spirensi, tum etiam ex vetere Veneta. Pessimum illius summarium posuerunt Angli in margine.

I.—*Patientiam tenui.* Arcadius et Honorius Imperatores lib. XIV *Cod. Theodos.*, de desertoribus : *Ut in his patientiam tenemus.*

Aliqui de presbyteris. Angli putant hic agi de quinque presbyteris seditiosis; de quibus videndæ notæ nostræ ad Epistolam XXXVIII.

Antecessoribus nostris. Infra, Epist LXX, ad episcopos Numidas : *Sententiam nostram non novam promimus, sed jam pridem ab antecessoribus nostris statutam.* Non agitur istic de episcopis Carthaginiensibus antecessoribus Cypriani, sed in universum de episcopis qui ecclesiam Africanam gubernaverunt ante Cyprianum, de septuaginta nimirum episcopis quos interfuisse concilio habito sub Agrippino docet sanctus Augustinus in libro de unico Baptismo contra Petilianum et lib. III de Baptismo contra Donatistas cap. 12.

II. — *Prostrata salute.* Ita omnia fere vetera exemplaria et editiones omnes ante Manutianam, in qua scriptum est *contra fratrum nostrorum salutem.* Sed hanc lectionem ego non reperi nisi in duobus antiquis. Reinhartus maluit veterem lectionem. Eam porro adjuvant hæc verba in Epistola XI, p. 21, *Per-*

Digitized by Google

patus nostri dissimulare et ferre possem [a], sicut dissimulavi semper et pertuli. Sed dissimulandi nunc locus non est quando decipitur fraternitas nostra a quibusdam vestrum, qui, dum sine ratione restituendæ salutis plausibiles esse cupiunt, magis lapsis obsunt. Summum enim delictum esse quod persecutio committi coegit, sciunt ipsi etiam qui commiserunt, cum dixerit Dominus et judex noster: *Qui me confessus fuerit coram hominibus, et ego illum confitebor coram Patre meo qui in cœlis est. Qui autem me negaverit, et ego illum negabo* (*Matth.* x, 32,33); et iterum dixerit: *Omnia peccata remittentur filiis hominum et blasphemiæ* [b]. *Qui autem blasphemaverit in Spiritum* [c] *sanctum, non habebit* [d] *remissam, sed reus est æterni peccati* (*Marc.* III, 28, 29); item beatus Apostolus dixerit: *Non potestis calicem Domini bibere et calicem dæmoniorum. Non potestis mensæ Domini communicare et mensæ dæmoniorum* (I *Cor.* x, 20, 21). Hæc qui subtrahit fratribus nostris, decipit miseros; ut qui possunt, agentes pœnitentiam veram, Deoque patri [e] et misericordi precibus et operibus suis satisfacere, seducantur ut magis pereant, et qui erigere se possent, plus cadant. Nam, cum in minoribus peccatis agant peccatores pœnitentiam justo tempore, et, secundum disciplinæ [197] ordinem, ad exomologesim veniant, et per manus impositionem episcopi et cleri A jus communicationis accipiant, nunc crudo tempore, persecutione adhuc perseverante, nondum restituta Ecclesiæ ipsius pace, ad communicationem admittuntur et offertur nomen eorum, et, nondum pœnitentia acta, nondum exomologesi facta, nondum manu eis ab episcopo et clero imposita, Eucharistia illis datur, cum scriptum sit: *Qui ederit panem aut biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini* (I *Cor.* XI, 27).

III. Sed nunc illi rei non sunt qui minus Scripturæ legem tenent. Erunt autem rei qui præsunt [f] et hæc fratribus non suggerunt, ut, instructi a præpositis, faciant omnia cum Dei timore et cum data ab eo et præscripta observatione. Exponunt deinde invidiæ [g] beatos martyres, et gloriosos servos Dei cum Dei sa- B cerdote committunt, ut, cum illi memores loci nostri [h] ad me litteras direxerint, et petierint tunc desideria sua examinari et pacem quando ipsa ante mater nostra Ecclesia pacem de misericordia Domini prior sumpserit, et nos divina protectio reduces ad ecclesiam suam fecerit, hi, sublato honore quem nobis beati martyres cum confessoribus servant, contempta Domini lege et observatione quam iidem martyres et confessores tenendam mandant, ante extinctum persecutionis metum, ante reditum nostrum, ante ipsum pene martyrum excessum, communicent cum lapsis

LECTIONES VARIANTES.

[a] Contumeliam... possum *Oxon.*
[b] Hominum. Qui autem *Bod.* 2.
[c] Blasphemaverit Spiritum *Oxon.*
[d] Non habet *Ar. Ebor. Lam. NC.* 1.
[e] Possunt agere pœnitentiam, Deoque Patri *Ar. Lam.* C *Ebor Bod.* 2. *NC.* 1.
[f] Legem tenuerunt, rei autem qui præsunt *Ar. Bod.* 2. *Lam. NC.* 1.
[g] Exponunt de invidia *Lam. Ebor. NC.* 1.
[h] Memores legis nostræ *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

secutionis infestatione prostrati; et Epistola XXXVII, p. 50, *Persecutionis tempestate prostrati.* Optatus Milevitanus lib. I: *Persecutio nonnullos funestum prostravit in mortem.* Lambinus putat apud Ciceronem in Catilinaria secunda legi debere: *Jacet ille nunc prostratusque est.* Et mox ait: *Plus enim est prostratum esse quam jacere.* Quæ sententia Lambini convenit cum his verbis Cypriani ex Epistola XL, p. 54: *Nemo jacentes prosternat et deprimat.*

Sed reus est. Pro his in vetustiore libro Remigiano scriptum est, *Neque hic neque in venturo*, quod sumptum est ex capite XII Evangelii secundum Matthæum. Hieronymus in Epistola *ad Marcellam* de blasphemia in Spiritum sanctum: *Probet itaque Novatianus aliquem de his qui sacrificare compulsi sunt ante tribunal judicis respondisse omnia quæ in Evangelio scripta sunt non a Filio Dei, sed a Beelzebud principe dæmoniorum esse profecta, et tunc poterit approbare irremissibilem in Spiritum sanctum esse blasphemiam.*

Miseros. Codex Fuxensis, *innocentes.* Id quod dicturus sum non pertinet ad explicationem loci istius Cyprianici: dicam tamen propter hanc vocem, qua significantur etiam miseri apud Ammianum Marcellinum. Scribit ille in libro XXVIII, Valentinianum, hominem propalam ferocem, inter imperandi exordium duos homines minime malos, Dioclem videlicet ex Comite largitionum Illyrici, et Diodorum ex agente in rebus, jussisse occidi. *Quorum memoriam*, inquit Marcellinus, *apud Mediolanum colentes nunc quoque Christiani, locum ubi sepulti sunt ad Innocentes appellant.* Et mox eos ut martyres ait cultos fuisse a christianis.

Agentes pœnitentiam. Multum variant in hoc loco vetera exemplaria. Ego amplexus sum lectionem quæ mihi visa est melior. Illud interim admoneo, pro eo quod istic scriptum est, *misericordi*, veteres editiones ante Manutianam præferre *ad misericordiam.* Quam lectionem reperi etiam in codice Fossatensi, in Compendiensi vetere, et in recentiore Remigiano. Vetus Victorinus habet utramque lectionem. Etenim cum in illo scriptum primo fuisset *misericordi*, additum est supra lineam *vel ad misericordiam.*

[197] *Offertur nomen eorum.* Hanc lectionem, quæ est vulgata, habent quinque libri veteres. In duobus aliis legitur, *offeruntur nomina eorum*; in Fuxensi *pro nomine eorum.* Alii quatuor et editio Manutii, *offertur nomine eorum.* Insignis est locus Tertulliani in libro *de Monogamia*, ubi agens de muliere juncta viro, quem repudiare non potest, ait: *Enimvero et pro* D *anima ejus orat, et refrigerium interim adpostulat ei, et in prima resurrectione consortium, et offert annuis diebus dormitionis ejus.* Vide scholia Jacobi Billii ad Orationem Gregorii Nazianzeni *in laudem Cæsarii* fratris et *dissertationem* V *Cyprianicam* Henrici Dodwelli. Vide etiam tom. II *Capitularium*, pag. 1129.

III. — *Memores loci.* Ita codex Fuxensis et editio Manutiana. Superiores editiones et plures libri veteres in editione Anglicana laudati habent *legis nostræ.* Atque hanc lectionem magis probat Gronovius in capite 14 observationum suarum *in Scriptoribus ecclesiasticis*, et ait Cyprianum hic intelligere evangelicam legem, a qua arcessit disciplinam ecclesiasticam; et ut ostendat opinionem suam esse bonam, affert hunc locum ex Epistola sequenti, in qua sic legitur: *Illi contra evangelicam legem*, et mox alia quædam loca similia ex quibusdam aliis Epistolis.

Domini lege. In libro Beccensi scriptum est, *Contempta dominicæ legis observatione.*

Digitized by Google

et offerant et Eucharistiam tradant, quando, etiamsi martyres per calorem gloriæ Scripturam minus contemplantes [a], plus aliquid cuperent, a presbyteris et diaconis suggerentibus admoneri deberent, sicut semper in præteritum factum est.

IV. Castigare nos itaque divina censura nec noctibus desinit nec diebus. Præter nocturnas enim visiones, per dies quoque impletur apud nos Spiritu sancto puerorum innocens ætas, quæ in ecstasi videt oculis et audit et loquitur ea quibus nos Dominus monere et instruere dignatur. Et audietis omnia quando ad vos reducem me Dominus fecerit, qui ut secederem jussit. Interim temerarii [b] et incauti et tumidi quidam inter vos, qui hominem non cogitant, vel Deum timeant, scientes, quoniam si ultra in iisdem perseveraverint, utar ea admonitione [c] qua me uti Dominus jubet, ut interim prohibeantur offerre, acturi et apud nos et apud confessores ipsos et apud plebem universam causam suam; cum, Domino permittente, in sinum matris Ecclesiæ recolligi cœperimus. De hoc ad martyres et confessores et ad plebem litteras feci, quas utraque vobis legi mandavi. Opto vos, fratres charissimi ac desiderantissimi, in Domino semper bene valere et nostri meminisse. Valete.

EPISTOLA X.

(Erasm., III, 18; Pamel., XI; Rig., Baluz., Paris., X; Oxon., Lips., XV.)

AD MARTYRES ET CONFESSORES QUI LAPSIS PETIERUNT PACEM DARI.

ARGUMENTUM — *Hujus Epistolæ habes infra in hæc verba, Epistola* XVI : « *Cum comperissem eos qui sacrilegis contactibus manus suas atque ora maculassent, vel nefandis libellis nihilominus conscientiam polluissent, exambire ad martyres passim, confessores quoque importuna et gratiosa deprecatione corrumpere, ut sine discrimine et examine singulorum darentur libellorum millia, contra Evangelii legem, litteras feci quibus martyres et confessores consilio meo quantum possem ad Dominica præcepta revocarem.* »

I. Cyprianus martyribus et confessoribus charissimis fratribus salutem. Sollicitudo loci nostri et timor Domini compellit, fortissimi ac beatissimi fratres, admonere vos litteris nostris ut a quibus tam devote et fortiter servatur fides Domini [d], ab iisdem lex quoque et disciplina Domini reservetur. Nam, cum omnes milites [e] Christi custodire oporteat præcepta imperatoris [20] sui, tum vos magis præceptis ejus obtemperare plus convenit, qui exemplum cæteris facti estis et virtutis et timoris Dei. Et crediderам quidem presbyteros et diaconos qui illic præsentes sunt monere vos et instruere plenissime circa Evangelii legem, sicut in præteritum semper sub antecessoribus nostris factum est, ut diaconi, ad carcerem commeantes, martyrum [f] desideria consiliis suis et Scripturarum præceptis gubernarent. Sed nunc cum maximo animi dolore cognosco non tantum illic vobis non suggeri divina præcepta, sed adhuc potius impediri [g], ut ea quæ a vobis ipsis et circa Deum caute et circa sacerdotem Dei honorifice fiunt, a quibusdam presbyteris resolvantur, qui nec timorem Dei nec episcopi honorem cogitantes (cum vos ad me litteras direxeritis, quibus examinari desideria vestra et quibusdam lapsis pacem dari postulatis cum, persecutione finita, convenire in unum cum clero et recolligi cœperimus), illi, contra Evangelii legem, contra vestram quoque honorificam petitionem, ante actam pœnitentiam, ante exomologesim, gravissimi atque extremi delicti factam, ante manum ab episcopo et clero in pœnitentiam impositam, offerre pro illis et Eucharistiam dari, id est, sanctum Domini corpus profanare audeant, cum scriptum sit : *Qui ederit panem aut biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini* (I *Cor.* XI, 27).

II. Et lapsis quidem potest in hoc venia concedi. Quis enim non mortuus vivificari properet [h]? quis non ad salutem suam venire festinet? Sed præpositorum est præceptum tenere, et vel properantes vel ignorantes instruere, ne qui ovium pastores esse debent lanii fiant. Ea enim concedere quæ in perniciem vertant, decipere est; nec erigitur sic lapsus, sed per Dei offensam magis impellitur ad ruinam. Vel ex vobis itaque discant quod docere debuerant. Petitiones et desideria vestra episcopo servent, et ad pacem vobis petentibus dandam maturum et pacatum tempus ex-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Contemplantes contra legem Dei *Oxon.* Legem Domini *Lips.*
[b] Interim morari *Foss. Vict. Mich.*
[c] Perseveraverint vitare admonitionem *Mss. R.*
[d] Domino *Oxon.*
[e] Honestos milites *Veron.*
[f] Convenientes martyres *Ver.*
[g] Inveniri *Corb. Impr.*
[h] Vivificari optet *Corb.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

IV. — *Admonitione.* Id est suspensionis censura, ut interpretatur Baronius hunc Cypriani locum referens.

EPIST. X. — Inscriptionem hujus epistolæ talem posuimus qualem reperimus in plurimis antiquis exemplaribus et in vetustioribus editionibus.

I. — *Fratres.* Antea legebatur *martyres*, quod non solet Cyprianus. Ego emendavi ex veteri libro sancti Michaelis in periculo maris. Nam etiam in hac ipsa Epistola Cyprianus ad eos scribens ait, *fortissimi et charissimi fratres.*

Ab episcopo et clero. Sic etiam in Epistola sequenti. Ergo non solus episcopus imponebat manum lapsis ad Ecclesiam redeuntibus. Vide Petavii animadversionem *ad Epiphanium* in hæresi LIX, quæ est Novatianorum.

Offerre pro illis. Ita veteres libri et veteres editiones. Quo etiam modo scriptum est in Epistola sequenti. Manutius posuit *offerre lapsis pacem.* Morellius, ea mutatione insuperhabita, retinuit veterem lectionem. Rigaltius sequi maluit editionem Manutii. Angli reposuerunt veterem. Reinhartus secutus est editiones Manutii et Rigaltii. Sic se habent hominum ingenia.

II. — *Properantes.* Sic in Epistola sequenti : *Properandum tamen non puto, nec incaute aliquid et festinanter agendum.* Epist. XII, *Temeraria festinatione deposita.*

Digitized by Google

spectent [a]. Ante est ut a Domino pacem [b] mater prior sumat, tunc secundum vestra desideria de filiorum pace tractetur [c].

III. Et quoniam audio, fortissimi et charissimi fratres, impudentia vos quorumdam premi et verecundiam vestram vim pati, oro vos quibus possum precibus ut, Evangelii memores et considerantes quæ et qualia in præteritum antecessores vestri martyres concesserint [d], quam solliciti in omnibus fuerint, vos quoque sollicite et caute petentium desideria [e] ponderetis, utpote amici Domini et cum illo postmodum judicaturi, inspiciatis et actum et opera et merita singulorum, ipsorum quoque delictorum genera et qualitates cogitetis, ne, si quid abrupte et indigne vel a nobis promissum vel a nobis factum fuerit, apud gentiles quoque ipsos ecclesia nostra erubescere incipiat. Visitamur enim et castigamur frequenter, et ut Domini mandata incorrupta et inviolata permaneant admonemur. Quod quidem nec illic apud vos cessare cognosco quominus plurimos quoque ex vobis instruat ad Ecclesiæ disciplinam divina censura. Hoc autem totum potest fieri, si ea quæ a vobis petuntur religiosa contemplatione moderemini, intelligentes et comprimentes eos qui, personas accipientes, in beneficiis vestris aut gratificantur [f], aut illicitæ negotiationis nundinas aucupantur.

IV. De hoc et ad clerum et ad plebem litteras feci, quas utrasque vobis legi mandavi. Sed et illud ad diligentiam vestram redigere et emendare debetis, ut nominatim designetis eos quibus pacem dari desideratis. Audio enim quibusdam sic libellos fieri ut [g] dicatur : « Communicet ille... cum suis, » quod numquam omnino a martyribus factum est, ut incerta et cæca petitio invidiam nobis postmodum cumulet. Late enim patet quando dicitur, « ille cum suis, » et possunt nobis viceni et triceni et amplius offerri qui propinqui et affines et liberti ac domestici esse asseverentur ejus qui accipit [g] libellum. Et ideo peto ut eos quos ipsi videtis, quos nostis, quorum pœnitentiam satisfactioni proximam conspicitis, designetis nominatim libello, et sic ad nos fidei ac disciplinæ congruentes litteras dirigatis. Opto vos, fortissimi ac dilectissimi [h] fratres, in Domino semper bene valere et nostri meminisse. Valete.

EPISTOLA XI.

(Erasm., III, 16 ; Pamel., XII ; Rigalt., Baluz., Paris., XI ; Oxon., Lips., XVII.)

AD PLEBEM.

ARGUMENTUM — *hujus quoque Epistolæ habet sæpe dicta Epist.* XIV : « *Plebi quoque, inquit, ipsi, quantum potuimus, animum composuimus et ut in ecclesiastica disciplina servarentur instruximus.* »

I. Cyprianus fratribus in plebe consistentibus salutem. Ingemiscere vos et dolere ruinas fratrum nostrorum ex me scio, fratres charissimi, qui et ipse vobiscum pro singulis ingemisco pariter et doleo, et patior ac sentio quod beatus Apostolus dixit : *Quis infirmatur*, inquit, *et ego non infirmor ? quis scandalizatur, et ego non uror?* (II *Cor.* XI, 29). Et iterum posuit in Epistola sua dicens : *Si patitur membrum unum, compatiuntur et cætera membra; et si lætatur membrum unum, collætantur et cætera membra* (I *Cor.* XII, 26). Compatior ergo et condoleo de fratribus nostris qui, lapsi et persecutionis infestatione prostrati, partem nostrorum viscerum secum trahentes, parem dolorem

LECTIONES VARIANTES.

[a] Servent, ad pacem... expectantes *Ar. Lam. Ebor. Bod.* 2.
[b] A Domino pacem *Oxon. ex cod. Lam. Ebor. NC.* 1. *mss. R. Bod.* 1. *Foss. Corb.* Ante Domini pacem *Imp.*
[c] Tractabitur *Ver.*
[d] Consenserint *Ar. Lam. Bod.* 2.
[e] Sollicite petentium desideria.
[f] Ut aut gratificent *Ar. Ebor Lam. NC.* 1.
[g] Accepit *Lam. Ebor. NC.* 1.
[h] Fidelissimi *Ver.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

Ante est. Ita veteres editiones ante Manutianam. Angli novam lectionem, quam non alibi reperi, invexerunt. Ediderunt enim, *A Domino pacem mater*, omissa voce *Ante*.

Vestra desideria. Codex Fuxensis, *vestram petitionem.*

III. — *Impudentia.* Idem codex et Veronensis, *ab impudentibus quibusdam.* Sic etiam scriptum vidi in libro sancti Dionysii Remensis.

Inviolata. Idem codex Fuxensis, *immaculata.*

IV. — *Communicet ille.* Cujus nomen hic positum erat. Olim, ut patet ex libro diurno pontificum Romanorum, ex Hieronymo, Cassiodoro, et aliis locis, sic indicabant nomina eorum quæ scribenda erant. Sequens ætas posuit litteram N, omissa veteri formula.

Incerta et cæca. Ea lectio certa est. Et tamen quinque libri veteres et vetustiores editiones habent *incerta et certa.* Sic audacia librariorum induxit multos errores in lucubrationes meliorum scriptorum.

Satisfactioni proximam conspicitis. Ita veteres libri et veteres editiones. Rigaltius scripsit, *quorum pœnitentiam scitis.* Quod ego puto illum accepisse ex codice Veronensi, in quo, haud dubie per incogitantiam scriptoris, omissa erant hæc duo vocabula, *satisfactioni* [398] *proximam*, quæ omissa sunt etiam in Fuxensi. Ea vero defuisse in Veronensi annotatum est in margine exemplaris mei editionis Manutianæ. Ut inde colligi possit Rigaltium, qui usus est exemplari ejusdem editionis in quo exstabant cædem variæ lectiones quæ habentur in meo, illius exemplaris auctoritate delevisse has voces in sua editione. Angli reposuerunt.

EPIST. XI. — Ex hac Epistola collegit Rigaltius non tantum clericos, sed etiam laicos, tum judicasse cum episcopo et clericis de rebus gravissimi momenti, nempe de pœnitentia lapsorum, de recipiendis in Ecclesiam lapsis, de libellis quos ipsi impetraverant a martyribus, de pace lapsis a martyribus data. Concilium Carthaginense IV, can. 25 : *Ut episcopus nullius causam audiat absque præsentia clericorum plebiumque.* Sic enim legitur in vetustissimo codice ms. ecclesiæ Urgellensis. Vide Epist. XIII, XXVI, XXVIII et XXXI.

I. — *Ruinas.* Rigaltius et editio Anglicana habent *ruinam.* Sed huic lectioni repugnant omnia vetera exemplaria et omnes editiones. Sic etiam vulgo solet scribere Cyprianus.

Qui et ipse..... ingemisco. Hæc desunt in sex antiquis codicibus et in editionibus quæ antecesse-

Digitized by Google

nobis suis vulneribus intulerunt ; quibus potens est divina misericordia medelam dare. Properandum tamen non puto [a], nec incaute aliquid et festinanter gerendum, ne, dum temere pax usurpatur [b], divinæ indignationis offensa gravius provocetur. Fecerunt ad nos quibusdam beati martyres litteras, petentes examinari desideria sua. Cum, pace nobis omnibus a Domino prius data, ad Ecclesiam regredi cœperimus, tunc [c] examinabuntur singula præsentibus et judicantibus vobis.

II. Audio tamen quosdam de presbyteris nec, Evangelii memores, nec quid ad nos martyres scripserint cogitantes, nec episcopo honorem sacerdotii sui et cathedræ reservantes, jam cum lapsis communicare cœpisse et offerre pro illis et Eucharistiam dare, quando oporteat ad hæc per ordinem perveniri. Nam, cum in minoribus delictis quæ non in Deum committuntur pœnitentia, agatur justo tempore, et exomologesis fiat inspecta vita ejus qui agit pœnitentiam, nec ad communicationem venire quis possit nisi prius illi ab episcopo et clero manus fuerit imposita, quanto magis in his [d] gravissimis et extremis delictis caute omnia et moderate, secundum disciplinam Domini, observari oportet ? Quod quidem nostri [e] presbyteri et diaconi monere debuerant, ut commendatas sibi oves foverent et divino magisterio ad viam deprecandæ salutis instruerent. Ego plebis nostræ et quietem novi pariter et timorem, qui satisfactione [f] Dei et deprecatione vigilarent, nisi illos quidam de presbyteris gratificantes decepissent.

III. Vel vos itaque singulos regite, et consilio ac moderatione vestra, secundum divina præcepta, lapsorum animos temperate. Nemo adhuc importuno tempore acerba poma decerpat. Nemo navem suam quassatam et perforatam fluctibus, priusquam diligenter refecerit, in [g] altum denuo committat. Nemo tunicam scissam accipere et induere properet, nisi eam ab artifice perito sartam viderit et a fullone curatam receperit. Audiant, quæso, patienter consilium nostrum [g] ; expectent regressionem nostram, ut, cum ad vos per Dei misericordiam venerimus, convocati coepiscopi plures, secundum Domini disciplinam et confessorum præsentiam et vestram quoque sententiam [h], beatorum martyrum litteras et desideria examinare possimus. De hoc et ad clerum et ad martyres et confessores litteras feci, quas utrasque legi vobis mandavi. Opto vos, fratres charissimi ac desiderantissimi, in Domino semper bene valere et nostri meminisse. Valete.

EPISTOLA XII.

(Erasm., III, 17 ; Pamel., XIII ; Rigalt., Baluz., Paris. XII ; Oxon., Lips., XXIII.)

AD CLERUM, DE LAPSIS] ET CATECHUMENIS, NE VACUI EXEANT.

ARGUMENTUM. — *Hujus etiam et sequentis Epistolæ argumentum habes infra, Epist.* XIV : « *Postmodum vero, inquit, cum quidam de lapsis, sive sua sponte, sive aliquo incitatore, audaci flagitatione proruerent ut pacem sibi a martyribus et confessoribus promissam, extorquere violento impetu niterentur ; de hoc etiam bis ad clerum litteras feci et legi eis mandavi, ut, ad illorum violentiam interim quoquo genere mitigandam, si qui libello a martyribus accepto de sæculo excederent, exomologesi facta et manu eis in pœnitentiam imposita ; cum pace sibi a martyribus promissa ad Dominum remitterentur,* » *etc.*

I. Cyprianus presbyteris et diaconibus fratribus salutem. Miror vos, fratres charissimi, ad multas episto-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Properamus, dum tamen non putem *Lam. Ebor. NC.* 2.
[b] Ne si temere pax usurpetur *Ar. Lam. Ebor. Bod.* 2. *N. C.* 1.
[c] Tunc *omisit Oxon. ex M. R.* 2.
[d] Hoc majus in his *Lam. Ebor NC.* 1. *Bod.* 1, 2.
[e] Quod quidem nostros *Ar. Lam Bod. NC.* 1. *Ebor.*
[f] Timorem in satisfactione *Ar. Lam. Bod.* 1. 2. *Ebor. N. C.* 1.
[g] Consilium meum *Lam. Ebor. NC.* 2.
[h] *Sic Bod.* 2.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

runt Manutianam. Exstant tamen in multis libris veteribus.

III. — *Properet.* Ita Manutius et alii post eum. Superiores editiones habent *potest*.

Et vestram quoque sententiam. Hoc segmentum, quod exstat in editionibus Manutii et Morellii, quod nos etiam reperimus in quatuor libris antiquis, retinere placuit. Pamelius expunxit, professus se ita facere quia nuspiam apud Cyprianum tantum auctoritatis plebi tributum reperiebat ut sententiam illi dicere permittat. In quo falsum esse Pamelium liquet ex his quæ dicta sunt paulo ante et ex pluribus aliis locis sancti martyris. Miror autem Rigaltium omisisse hoc segmentum in sua editione. Miror etiam Anglos, qui illud invenerant in suis codicibus, illud nihilominus omisisse. Puto autem illos omisisse quia incommodabat censura quam ipsi protulerunt adversus observationem Rigaltii de suffragio plebis in judiciis ecclesiasticis. Omissum quoque est in editione Reinharti.

EPIST. XII. — In veteri codice ms. monasterii sancti Eligii Atrebatensis hæc Epistola dicitur scripta ad clerum Capuæ. Quæ lectio fortassis daret ansam existimandi canonem 48, codicis canonum ecclesiæ Africanæ, in quo agitur de plenaria synodo Capuensi, non debere intelligi de concilio apud Capuam Campaniæ habito in causa ecclesiæ Antiochenæ et Bonosi episcopi Macedonis negantis virginitatem matris Domini, sed de quadam plenaria synodo Africana habita apud Capuam. Hanc conjecturam juvare potest fragmentum veteris codicis ms. bibliothecæ Bodleianæ, in quo scriptum est sanctum Cyprianum per Epistolas hortatum esse Augustinum et Felicitatem, qui passi sunt apud civitatem Capuensem metropolim Campaniæ. Quo loco illustrissimus episcopus Oxoniensis, qui fragmentum illud edidit cum operibus sancti Cypriani, suspicatur hæc verba, *metropolim Campaniæ*, esse additamentum librarii, cui notior erat Italia quam Africa. Existimabat igitur doctissimus episcopus fuisse in Africa civitatem Capuensem. Recte. Nam vix opinari licet synodum plenariam cujus meminit canon Africanus alibi habitam fuisse quam in Africa. Ubi autem sita fuerit hæc Capua Africæ, si tamen ulla fuit, difficile

Digitized by Google

las meas quas ad vos frequenter misi, nihil mihi rescripsisse, cum fraternitatis nostræ vel utilitas vel necessitas sic utique gubernetur, si a vobis instructi rerum gerendarum consilium limare possimus. Quoniam tamen video facultatem veniendi ad vos nondum esse et jam æstatem cœpisse, quod tempus infirmitatibus assiduis et gravibus infestatur [a], occurrendum puto fratribus nostris, ut qui libellos a martyribus acceperunt, et prærogativa eorum apud Deum adjuvari possunt, si incommodo aliquo et infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectata præsentia nostra, apud presbyterum quemcumque præsentem, vel, si presbyter repertus non fuerit, et urgere exitus cœperit, apud diaconum quoque exomologesin facere delicti sui possint, ut manu eis in pœnitentiam imposita veniant ad Dominum cum pace quam dari martyres litteris ad nos factis desideraverunt.

II. Cæteram quoque partem [b] plebis quæ lapsa est præsentia vestra fovete, et, ut a fide et misericordia Domini non deficiant vestro solatio focillate. Neque enim deserentur ab ope et auxilio Domini hi qui mites et humiles et pœnitentiam vere agentes in bonis operibus perseveraverint [c], quominus illis quoque divino remedio consulatur. Audientibus etiam, si qui fuerint periculo prævenți et in exitu constituti, vigilantia vestra non desit, implorantibus divinam gratiam misericordia Domini non denegetur. Opto vos, fratres charissimi, semper bene valere et nostri meminisse. Fraternitatem universam meo nomine salutate, et ut nostri meminerit admonete [d] et rogate. Valete.

EPISTOLA XIII.

(Erasm., III, 18; Pamel., XIV; Rigalt., Baluz., Paris., XIII; Oxon., Lips., XIX.)

AD CLERUM, DE HIS QUI AD PACEM FESTINANT.

ARGUMENTUM. — *Ad pacem per pœnitentiam veniendum : illa autem agitur servando mandata. Infirmitate pressi, si martyrum suffragiis subleventur, ad pacem admitti possunt : cæteri usque ad pacem Ecclesiæ factam detinendi.*

I. Cyprianus presbyteris et diaconibus fratribus salutem. Legi litteras vestras, fratres charissimi, quibus scripsistis salubre consilium vestrum non deesse fratribus nostris, ut, temeraria festinatione deposita, religiosam patientiam Deo præbeant, ut, cum in unum per ejus misericordiam venerimus, [a] de omnibus speciebus secundum ecclesiasticam disciplinam tractare possimus, maxime cum scriptum sit : *Memento unde ceciderit, et age pœnitentiam* (*Apocal.* II, 5). Pœnitentiam autem ille agit qui, divini præcepti memor, mitis [e] et patiens et sacerdotibus Dei obtemperans, obsequiis suis et operibus justis Dominum promeretur.

II. Quoniam tamen significatis quosdam immoderatos esse et communicationem accipiendam festinanter urgere, et desiderastis in hac re formam a me vobis dari, satis plene scripsisse me ad hanc rem proximis litteris ad vos factis credo, ut qui libellum a martyribus acceperunt, et auxilio eorum adjuvari apud Dominum in delictis suis possunt, si premi infirmitate aliqua et periculo cœperint, exomo-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Infestat *Bod.* 1, 2. *Lam. Ebor. NC.*
[b] Desideraverunt. Partem *Rig.*
[c] Operationibus perseveraverant *Lam. Ebor. NC.* 1. Opinionibus *Neap.*
[d] Meminit exorare *Ar. Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2
[e] Divinis præceptis mitis *Oxon.* Divini mitis *Lam. Ebor. N. C.* 1.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

exploratu est. Capsa vero erat in provincia Byzacena. Vide Joannem Tristanum a sancto Amantio in tomo secundo commentariorum suorum pag. LX.

I. — *Nihil mihi.* Hæc est lectio veterum librorum veterum editionum. Veronensis tamen et Fuxensis habent *nunquam mihi rescripsisse.* Hinc ergo profecta est lectio quam præferunt editiones Rigaltii et Anglorum.

Quoniam tamen. Vide Ferdinandum Mendozam ad canonem 32 Illiberitanum.

[a] *Quod tempus infirmitatibus assiduis.* Sic Ruricius, lib. II, Epist. 32, se excusans apud Cæsarium Arelatensem quod Agathensi synodo non interfuisset, ait non potuisse se adesse propter æstus istius regionis, primæ nimirum Narbonensis, in qua sita est Agatha : *quia æstivis etiam in hospitio meo*, inquit, *et locis frigidis ipsam consuetudinariam infirmitatem sustentare non valeo.*

Et prærogativæ..... possunt. Ista, quæ certe necessaria non sunt, desunt in sex libris antiquis. Esse tamen Cypriani putat Pamelius, uti ego non diffiteor quin possint esse Cypriani. Manutius addidit ex codice Veronensi, ut opinor. Exstant enim in Fuxensi, quem puto descriptum esse ex Veronensi aut ex alio quodam simili, et in Beccensi. Exstant etiam in editione Morellii.

Apud diaconum. Vide Petavii diatribam *de Pœnitentia et reconciliatione veteris Ecclesiæ moribus recepta*, cap. 2 et 4.

Exomologesin. Vide eamdem diatribam cap. 1 et 2, et animadversiones ejusdem Petavii *ad Epiphanium* p. 71, 233 et 230, editionis Parisiensis.

EPIST. XIII. — Inscriptionem hujus Epistolæ talem posui; dualem reperi in omnibus antiquis exemplaribus, duobus exceptis, in quibus legitur *eucharistiam* pro *pacem*. Quo etiam modo legitur in vetere editione Veneta, in ea quam Remboltus emisit, et in editionibus Erasmi et Morellii. Sed Spirensis, Manutiana, cæteræ, habent *pacem*. Angli aliter posuerunt pro captu ingenii sui.

I. — *Divini præcepti memor.* Locum hunc supplevimus ex fide vetusti codicis Regiani. Respicit autem Cyprianus ad illud Evangelii secundum Matthæum : *Discite a me quia mitis sum et humilis corde.*

Operibus. Ita codex sancti Dionysii Remensis et Gratianopolitanus, tum etiam vetus editio Veneta et Morelliana. Aliæ veteres editiones et novem libri veteres habent *opinionibus*. Ego præfero *operibus*, voce sueta sancto Martyri.

II. — *Vobis a me.* In libro Beccensi legitur, *vobis a me dari litteras, sciatis plene scripsisse me.*

Qui libellum. Vide animadversiones Petavii *ad Epiphanium* p. 235, 250, editionis Parisiensis et Dallæum, lib. VII *de Pœnis et satisfactionibus humanis* cap. 16, p. 709.

Acceperunt. Codex Gratianopolitanus habet : le-

Digitized by Google

logesi facta et manu eis a vobis in pœnitentiam imposita, cum pace a martyribus sibi promissa ad Dominum remittantur. Cæteri vero qui, nullo libello a martyribus accepto, invidiam faciunt, quoniam non pancorum, nec ecclesiæ unius aut unius provinciæ, sed totius orbis hæc causa est, expectent de Domini protectione Ecclesiæ ipsius publicam pacem. Hoc enim et verecundiæ et disciplinæ et vitæ ipsi omnium nostrum convenit, ut præpositi cum clero convenientes, præsente etiam stantium plebe [a], quibus et ipsis pro fide et timore suo honor habendus est, disponere omnia consilii communis religione possimus. Cæterum, quam irreligiosum est et ipsis quoque festinantibus perniciosum, ut, cum extorres et patria pulsi ac bonis suis omnibus spoliati, nondum ad Ecclesiam redierint, quidam de lapsis confessores ipsos prævenire et ante eos ad Ecclesiam [b] introire festinent! Qui si nimium properant, habent in sua potestate quod postulant, tempore ipso sibi plus quam postulant largiente. Acies adhuc geritur, et agon quotidie celebratur. Si commissi vere et firmiter pœnitet et fidei calor prævalet [c], qui differri non potest, potest coronari. Opto vos, fratres charissimi, semper bene valere et nostri meminisse. Fraternitatem universam meo nomine salutate, et ut nostri memores sint admonete. Valete.

EPISTOLA XIV.

(Erasm., III, 5. Pamel., XV; Rigalt., Baluz., Pariss., XIV; Oxon., Lips., XX.)

AD PRESBYTEROS ET DIACONOS ROMÆ CONSISTENTES.

A ARGUMENTUM. — *Secessus sui et eorum quæ in illo gessit, rationem reddit, missis Romam in sui purgationem, quas ad suos scripserat, epistolarum exemplis, imo iisdem quibus illic verbis utitur. Cf. Ep.* XXII, *ad Cler. Rom.*

I. Cyprianus presbyteris et diaconibus Romæ consistentibus fratribus salutem. Quoniam comperi, fratres charissimi, minus simpliciter et minus fideliter vobis renuntiari quæ hic a nobis et gesta sunt et geruntur, necessarium duxi has ad vos litteras facere, quibus vobis actus nostri et disciplinæ et diligentiæ ratio redderetur. Nam, sicut Domini mandata instruunt, orto statim turbationis impetu primo, cum me clamore violento frequenter populus flagitasset, B non tam meam salutem quam quietem fratrum publicam cogitans, interim secessi, ne per inverecundam [d] præsentiam nostram, seditio quæ cœperat, plus provocaretur. Absens tamen corpore, nec spiritu [e] nec actu nec monitis meis defui quominus secundum Domini præcepta, fratribus nostris in quibus possem mea mediocritate [f] consulerem.

II. Et quid egerim loquuntur vobis epistolæ pro temporibus emissæ numero tredecim, [aa] quas ad vos transmisi; in quibus nec clero consilium, nec confessoribus exhortatio, nec extorribus, quando oportuit, objurgatio, nec universæ fraternitati ad deprecandam Dei misericordiam allocutio et persuasio nostra defuit, quantum, secundum legem fidei et timorem Dei, Domino suggerente, nostra mediocritas potuit eniti.

C Posteaquam vero et tormenta venerunt, sive jam tor-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Et stantium plebe *Oxon.* Adstante plebe *Benev.*
[b] Et ante ad Ecclesiam *Oxon.*
[c] Calor permanet *Ar. N. C.* 1. *Lam. Ebor. Bod.* 2.
[d] Verecundam *Lin.*
[e] Nec scriptis *Bod.* 1.
[f] Posset mea mediocritas *Lin.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

Acceperint et auxilio eorum adjuvari apud Dominum in delictis suis possunt, si premi infirmitate aliqua et periculo cœperint, exomologesi facta, et manu eis a vobis in pœnitentiam posita, pace a martyribus promissa ad Dominum remittantur. Cæteri vero qui nullo libello, etc.

Exomologesi. Id est satisfactione, si vera est interpretatio Dallæi. At Tertullianus in libro de *monogamia* Exomologesin ait esse petitionem veniæ, quia qui petit veniam, delictum confitetur. Vide eumdem in libro *de Pœnitentia.*

Cum pace. Id est viatico. Vide Beveregium in canonem 13 Nicænum. D

Ecclesiæ ipsius. Vetus codex Remigianus, *Ecclesiæ prius publicam pacem.* Supra, Epist. X : *Ante est ut a Domino pacem mater prior sumat.*

Præpositi cum clero. Duo libri veteres præferunt, *Ut episcopi plures in unum convenientes.* Recte. Quippe Cyprianus vulgo per præpositos intelligit episcopos.

Stantium plebe. Hieronymus, in Epistola *ad Salvinam* de servanda viduitate : *Ex quo intelligimus illum non stantibus coronam, sed jacentibus manum porrigere.*

Qui si nimium properant. Hoc fragmentum refertur infra, in Epistola LII, *ad Antonianum* p. 67.

Largiente. Hanc vocem nuspiam reperi quam in libro Gratianopolitano. Sane *largienter* vel *largiter* scriptum est in aliis, et alterutrum horum vocabulorum sic illic constituit initium sequentis periodi : *Largiter acies adhuc geritur.*

[aa] EPIST. XIV. — Illustrissimus Cardinalis Baronius ait hanc Epistolam scriptam a Cypriano esse ad clerum Romanum, cui Cyprianus instituti sui, ut par erat, rationem reddit. Sed erravit vir doctissimus. Scripta est ad eos e clero Carthaginensi qui Romæ tum erant, ut manifeste patet ex ultimis verbis Epistolæ, in qua Cyprianus scribit se eos expectare ut cum eorum consilio disponere singula et reformare possit. Itaque hinc colligi non potest Cyprianum pro debito suo scripsisse ad clerum Romanum, quem constat, uti antea dixi, non habuisse curam universalis Ecclesiæ sede vacante. Angli tamen crediderunt scriptam esse Epistolam ad clerum Romanum, itemque Reinhartus, qui novam inscriptionem posuit.

I. — *Sicut Domini mandata.* Duo libri veteres habent, *Sicut Domini mandatis instruimur.*

Orto. Mirum est hanc vocem, absque qua constare potest sensus, sed quæ tamen illum clariorem reddit, deesse in decem optimis exemplaribus antiquis et in antiquis editionibus. Primus Manutius illam addidit, Morellius rejecit. Exstat tamen in sex codicibus antiquis.

II. — *Extorribus.* Id est iis qui sponte seu coacti profecti erant in exilium pro causa fidei. In quibusdam vetustis codicibus legitur *extorrentibus.* Vide Epist. XXXIX, et *annales Cyprianicos* ad annum 250. Vide etiam Carolum Guyetum lib. II, pag. 173, *Heortologiæ.*

Timorem Dei. Codex Fuxensis, *et timorem Do-*

Digitized by Google

tis fratribus nostris, sive adhuc ut torquerentur inclusis, ad corroborandos et confortándos [a] eos noster sermo penetravit. Item, cum comperissem eos qui sacrilegis contactibus manus suas atque ora maculassent, vel nefandis libellis nihilominus conscientiam polluissent, exambire ad martyres passim, confessores quoque importuna et gratiosa deprecatione corrumpere, ut sine ullo discrimine atque examine singulorum darentur quotidie libellorum millia contra Evangelii legem, litteras feci quibus martyres et confessores consilio meo quantum possem ad Dominica præcepta revocarem. Item presbyteris et diaconibus non defuit sacerdotii vigor, ut quidam, minus disciplinæ memores et temeraria festinatione præcipites, qui cum lapsis communicare jam cœperant, comprimerentur, intercedentibus nobis. Plebi quoque ipsi quantum potuimus animum composuimus, et ut ecclesiastica disciplina servaretur [b] instruximus.

III. Postmodum vero, cum quidam de lapsis, sive sua sponte, sive aliquo incitatore, audaci flagitatione proruerent [c] ut pacem sibi a martyribus et confessoribus promissam extorquere violento impetu niterentur, de hoc etiam bis ad clerum litteras feci et legi eis mandavi, ut ad illorum violentiam interim quoquo genere mitigandam, si qui libello a martyribus accepto de sæculo excederent, exomologesi facta et manu eis in pœnitentiam imposita, cum pace sibi a martyribus promissa ad Dominum remitterentur. Nec in hoc legem dedi, aut me auctorem temere constitui. Sed, cum videretur et honor martyribus habendus et eorum qui omnia turbare cupiebant impetus comprimendus, et præterea vestra scripta legissem quæ huc ad clerum nostrum per Crementium [d] hypodiaconum nuper feceratis, ut iis qui post lapsum infirmitate apprehensi essent, et pœnitentes communicationem desiderarent, subveniretur, standum putavi et cum vestra sententia, ne actus noster, qui adunatus esse et consentire circa omnia debet, in aliquo discreparet. Plane cæterorum causas, quamvis libello a martyribus accepto, differri mandavi et in nostram præsentiam reservari, ut, cum, pace a Domino nobis data, plures præpositi convenire in unum cœperimus, communicato etiam vobiscum consilio, disponere singula et reformare possimus. Opto vos, fratres charissimi, semper bene valere.

EPISTOLA XV.

(Erasm., II. 4. Pamel., XVI. Rig., Baluz., Paris., XV. Oxon., Lips. XXXVII.)

AD MOYSEN ET MAXIMUM ET CÆTEROS CONFESSORES.

ARGUMENTUM *hujus Epistolæ habes infra, Epistola* XXXI, *ubi Clerus Romanus* : « *In quo loco, inquiunt, maximas tibi atque uberes gratias referre debemus et reddimus, quod illorum carceris tenebras litteris illuminasti; quod ad illos venisti, quomodo introire potuisti; quod illorum animos sua fide et confessione robustos tuis allocutionibus litterisque recreasti; quod, felicitates eorum condignis laudibus prosecutus, accendisti ad multo ardentiorem cœlestis gloriæ cupiditatem; quod pronos impulisti; quod, ut credimus et optamus, victores futuros viribus tui sermonis animasti; ut, quamquam hoc totum de fide confitentium et divina indulgentia venire videatur, tamen in martyrio suo tibi ex aliquo debitores facti esse videantur.* »

I. Cyprianus Moysi et Maximo presbyteris et cæteris confessoribus fratribus salutem. Et cunctos vos pariter et singulos repræsentavit affectibus nostris, fratres charissimi, Celerinus adveniens, et fidei ac virtutis vestræ comes, et gloriosis congressionibus [e]

LECTIONES VARIANTES.

[a] *Sic Lam. Lin. Bod.* 1, 2. *NC.* 1. *Ebor.*
[b] Ecclesiasticam disciplinam servarent *Bod.* 1, 2.
[c] Proruperint *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 1, 2.
[d] Clementium *Oxon.*
[e] Congressibus *Oxon.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

mini suggerere nostra mediocritas potuit. Postea vero quam, etc.

Confortandos. Rigaltius posuit *confirmandos*, contra omnium veterum codicum et editionum fidem. Miror autem Anglos, qui lectionem quam nos revocamus inveniebant etiam in vetustis exemplaribus suis, retinuisse quod erat scriptum in editione Rigaltii. Reinhartus reposuit *confortandos*.

Diaconis non defuit. Erant illi in tertio sacerdotio constituti, ut in libro primo ait Optatus, et multa facere poterant in absentia episcoporum et presbyterorum. Itaque recte ait Cyprianus non defuisse illis sacerdotii vigorem. Vide epistolam Augustini presbyteri *ad Valerium*.

Animum. Hanc vocem, quæ deerat in aliis editionibus, et deest in multis codicibus antiquis, Manutiana editio addidit. Inveni autem illam in octo codicibus manuscriptis. Rigaltius posuit *animos*.

III.—*Sive aliquo incitatore.* In libro Fuxensi legitur, *sine aliquo disputatore*. In Divionensi et in uno Remigiano, *nescio quo disputatore incitante*.

Proruerent. Ita omnes veteres libri et editiones, etiam ea quæ est Reinharti. Codex Veronensis habet *prorumperent*. Hinc ergo orta est mutatio quam Rigaltius invexit in hunc locum.

EPIST. XV.—I. *Celerinus.* Cujus egregias laudes commemorat sanctus Cyprianus Epist. 34, ad clerum et plebem (pag. 47), et cujus perhonorifica mentio habetur in epistola Cornelii Papæ ad Fabium episcopum Antiochenum apud Eusebium, lib. VI, cap. 43, Historiæ ecclesiasticæ, scripta, ut opinor, eo tempore quo Celerinus erat apud Cornelium. Omnino enim sentio cum illustrissimo Cardinale Baronio Celerinum in hac Cornelii epistola laudatum, eum esse qui fuit lector ecclesiæ Carthaginensis. Illud autem obiter admonebo, Marianum Victorium in annotationibus suis ad opera sancti Hieronymi confudisse hunc Fabium episcopum Antiochenum cum Flaviano episcopo Constantinopolitano, cujus multa mentio in concilio Ephesino et in Chalcedonensi. In hunc errorem inductus [401] est vir doctissimus ex falsa lectione quæ antiquitus irrepsit in librum sancti Hieronymi *de Viris illustribus*, ubi scriptum est Cornelium Papam scripsisse quatuor epistolas ad Flavianum episcopum Antiochenum; pro quo vetera illius libri exemplaria et postrema Hieronymianorum operum editio recte ha-

Digitized by Google

Dei miles. Universos vos illo veniente[25] conspeximus; et cum charitatem [a] circa me vestram dulciter ac sæpe loqueretur, in ejus sermonibus vos audiebamus. Satis ac plurimum gaudeo quando a vobis per tales talia perferuntur. Vobiscum illic in carcere quodam modo et nos sumus, divinæ dignationis ornamenta vobiscum sentire nos credimus, qui sic vestris cordibus adhæremus [b]. Honori nos vestro charitas vestra [c] individua connectit, separari [d] dilectionem spiritus non sinit. Vos illic confessio, me [e] affectio includit. Et nos quidem vestri diebus ac noctibus memores, et quando in sacrificiis precem cum pluribus facimus, et cum in secessu privatis precibus oramus, coronis ac laudibus vestris plenam a Domino faventiam [f] postulamus. Sed ad reddendam vobis vicem minor est nostra mediocritas. Plus vos datis quando nostri in oratione meministis, qui spirantes [g] jam sola cœlestia et tantum divina meditantes, ad fastigia celsiora mora ipsa passionis ascenditis, longoque temporum ductu glorias vestras non trahitis [h], sed augetis. Beatum facit prima et una confessio. Vos toties confitemini quoties, rogati ut de carcere recedatis, carcerem fide et virtute præelegitis. Tot vestræ laudes quot dies; quot mensium curricula, tot incrementa meritorum. Semel vincit qui statim paritur: at qui manens [i] semper in pœnis congreditur cum dolore nec vincitur, quotidie coronatur.

II. Eant nunc magistratus et consules sive proconsules, annuæ dignitatis insignibus et duodecim fascibus glorientur. Ecce dignitas cœlestis in vobis honoris annui claritate signata est, et jam revertentis anni volubilem circulum victricis gloriæ diuturnitate transgressa est. illuminabat mundum sol oriens et luna decurrens: sed vobis idem qui solem fecit et lunam, majus in carcere lumen fuit; et in corde ac mentibus vestris Christi claritudo resplendens, horribiles cæteris atque funestas pœnalis loci tenebras æterna illa et candida luce radiavit. Per vicissitudines mensium transmeavit hibernum: sed et vos inclusi tempora hiemis persecutionis hieme pensabatis [j]. Successit hiemi verna temperies rosis læta et floribus coronata: sed vobis rosæ et flores de paradisi deliciis aderant, et caput vestrum serta cœlestia coronabant. Æstas ecce messium fertilitate fœcunda est, et area frugibus plena est: sed vos, qui gloriam seminastis, frugem gloriæ metistis, atque, in Domini area constituti, exuri paleas inextinguibili igne conspicitis [k]; ipsi, ut tritici grana purgata et frumenta pretiosa, jam purgati et conditi, hospi-

LECTIONES VARIANTES.

[a] De charitate *Corb.*
[b] Inhæremus *Oxon.*
[c] Nostra *Ebor.*
[d] Separari enim *Lam.*
[e] Me hic *N. Fab.*
[f] Domini faventiam *Lam. Bod.* 3. *NC.* 1. 2. *Lin.*
[g] Sperantes *Bod.* 1. *Vat. Thu. Corb.*
[h] Subtrahitis *Bod.* 1. *Thu. Foss. Corb.*
[i] Manens in præliis *Lam.*
[j] Pensatis *Bod.* 1. *Thu.*
[k] Perspicitis *Bod.* 1. *Corb.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

bent scriptum nomen Fabii. Hujus porro Celerini epistola *ad Lucianum* extat infra inter epistolas sancti Cypriani. Vide notas ad Epistolam XXXIV.

Alterius Celerini, qui pater erat Ageruchiæ, meminit sanctus Hieronymus in epistola ad *Ageruchiam;* alterius inscriptio vetus, edita a Reinesio, pag. 161. Celerini prætoris nomen extat in historia passionis sanctorum Chrysanthi et Dariæ apud Surium, tom. V.

Vos in illo. Ruricius, lib. II, epist. 32: *Frater et compresbyter noster Capillutus dupliciter hac vice nobis gratus apparuit, dum et ipse nobis jamdiu desideratus occurrit, et quamdam vestri præsentiam per vestras litteras repræsentat.*

Ornamenta. Ita Rigaltius, propterea reprehensus in editione Anglicana. Et tamen auctorem hujus lectionis habuit editionem Manutianam, in qua ita scriptum est, eique scripturæ consentiunt novem vetera exemplaria. Sane vox *hortamento*, quam præferunt veteres editiones et decem item vetera exemplaria, bona esse potest. Illam ergo prætulit Reinhartus. Adjuvari autem potest ex hoc loco libri *de Lapsis* (pag. 183): *Episcopi plurimi, quos et hortamento esse oportet cæteris et exemplo.*

In secessu. Duo libri veteres habent *in secreto*, quod videtur melius. Et tamen mutare noluimus, quia omnes fere libri veteres et omnes editiones habent *in secessu.*

A Domino faventiam. Codices Carnotensis et Beccensis habent *Domini faventiam.* Festus: *Faventia bonam orationem significat.* Accius Oenom., apud Nonium Marcellum: *Omnibus faustis acceptam habeant faventiam.* Sic enim recte hunc locum emendavit Hadrianus Junius.

Spirantes. Codex Carnotensis, *sperantes:* Metensis sancti Arnulphi, *spirantes vel sperantes.*

Mora ipsa passionis. Codices Fuxensis et Eligianus, *hora ipsa.* Corbeiensis, *ad horam ipsam.*

Non trahitis. Codex Carnotensis, *subtrahitis.*

II.— *Honoris annui.* Vetus Remigianus, *annuo claritatis honore.*

Signata est. Codex sancti Arnulphi, *signatur.*

Horribiles cæteris. Codex Carnotensis, *carceris vel cæteris.*

Mensium. Veteres libri habent *mensuum.* Quo etiam modo sæpe scriptum vidi in vetustis exemplaribus manuscriptis aliorum veterum scriptorum. *Mensum* vero pro *mensuum* frequenter scriptum est in Codice Theodosiano. *Mensum* quoque legitur apud A. Gellium, lib. I, cap. 25. Vide annotationes Dionysii Lambini in *secundam Verrinam* Ciceronis.

Hibernum. Antea editum erat *tempus hibernum.* Ego sustuli vocem *tempus*, quia plerique codices illam non habent, ideoque videtur esse ex glossemate et quia antiqui dicebant *hibernum* tantum. Seneca Epist. XV: *Una Hannibalem hiberna solverunt.* Tertullianus, lib. I *adversus Marcionem: Totus annus hibernum est.* Sunt etiam alia exempla. Sed ista sufficiunt. Vide notas ad *Capitularia*, pag. 1185.

Pensabitis. Codex sancti Arnulphi, *pensatis.* Quod videtur melius.

Aderant. Ita plerique libri veteres. In quinque tamen et in antiquis editionibus scriptum est *adhærebant.* Morellius eddidit *adhærent.*

Metistis. Codices Carnotensis et sancti Arnulphi, *metitis.*

Purgati. Veteres editiones, etiam Erasmica et Manutiana, præferunt *probati.* Ita etiam multi veteres libri. Pamelius maluit *purgati*, nullum tamen veterem librum laudans. Nos secuti sumus illius emendationem, quia credidimus illam esse bonam, eamque confirmatam vidimus auctoritate aliquorum

Digitized by Google

tium carceris horreum computatis. Nec deest autumno ad munera fungenda temporis [a] gratia spiritalis. Vindemia foris premitur, et profutura poculis in torcularibus uva calcatur. Vos de Domini vinea pingues racemi, et jam maturis fructibus botri, pressuræ sæcularis infestatione calcati, torcular vestrum carcere torquente sentitis, et vini vice sanguinem funditis; ad passionis tolerantiam fortes, martyrii poculum libenter hauritis. Sic apud servos Dei annus evolvitur; sic spiritalibus meritis et cœlestibus præmiis temporum vicissitudo celebratur.

III. Beati satis qui, ex vobis per hæc gloriarum vestigia commeantes, jam de sæculo recesserunt, confectoque itinere virtutis ac fidei, ad complexum et osculum Domini, Domino ipso gaudente, venerunt. Sed et vestra non minor gloria, qui adhuc in certamine constituti et comitum glorias [b] secururi, pugnam diu geritis, immotaque et inconcussa fide stabiles quotidie spectaculum Deo vestris virtutibus exhibetis. Quo longior vestra pugna [c], hoc corona [ae] sublimior. Agon unus, sed multiplici præliorum numerositate congestus. Famem vincitis et sitim spernitis, et squalorem carceris ac receptaculi pœnalis horrorem roboris vigore calcatis. Pœna illic subigitur, cruciatus obteritur, nec mors metuitur, sed optatur; quæ scilicet immortalitatis præmio vincitur, ut vitæ æternitate qui vicerit coronetur [d]. Qui nunc in vobis animus, quam sublime, quam capax pectus, ubi talia et tanta volvuntur, ubi non nisi Dei præcepta et Christi præmia cogitantur! Voluntas est illic tantum Dei; et in carne adhuc licet vobis positis, vita jam vivitur non præsentis sæculi, sed futuri.

IV. Nunc est, fratres charissimi, ut memores mei sitis, ut inter magnas atque divinas cogitationes vestras nos quoque animo ac mente volvatis, simque in precibus et orationibus vestris cum vox illa, purificatione confessionis illustris et jugi honoris sui tenore laudabilis, ad Dei aures penetrat, et aperto sibi cœlo, de his subacti mundi partibus ad superna transmissa, impetrat de Domini bonitate quod postulat. Quid enim petitis de indulgentia Domini quod non impetrare mereamini, qui sic Domini mandata servastis qui evangelicam disciplinam sincero fidei vigore tenuistis, qui incorrupto honore virtutis cum præceptis Domini et cum Apostolis ejus fortiter stantes, nutantem multorum fidem martyrii vestri veritate solidastis? Vere Evangelii testes et vere martyres Christi, radicibus ejus innixi, super petram robusta mole [e] fundati, disciplinam cum virtute junxistis, ad timorem Dei cæteros provocastis, martyria vestra exempla fecistis. Opto vos, fortissimi ac beatissimi fratres, semper bene valere et nostri meminisse.

EPISTOLA XVI.

(Pamel., XVII. Rigalt., Baluz., Paris., XVI. Oxon., Lips. XXIII.)

CONFESSORUM AD CYPRIANUM.

ARGUMENTUM. — *Libellus martyrum nomine a Luciano scriptus.*

Universi confessores Cypriano Papæ salutem.

LECTIONES VARIANTES.

[a] Fugendi temporis *Lan.*
[b] Comitum gloriam *Pem. Lin. Ebor. NC.* 1, 2.
[c] Confessio *Thu. Bod.* 1.
[d] Honoretur *Man. Voss.* 1. 3. *M. R. Thu. Foss. Corb.* Vicerint honorefitur *Bod.* 1. 3.
[e] Super petræ robustam molem *Bod.* 3.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

veterum librorum.

Torcular vestrum. Ita legi in octo codicibus antiquis. At veteres editiones ante Pamelianam et novem vetera exemplaria habent *nostrum*. Nostra editio est melior.

Torquente sentitis. Hanc lectionem reperi in omnibus libris antiquis et in omnibus editionibus, nisi quod codex Turonensis habet *fudistis* pro *sentitis*. Nescio porro unde Rigaltius sumpsit id quod est in ejus editione, ubi legitur *torquentes* tantum. [bis] Puto tamen eum in hunc errorem inductum fuisse ex codice Corbeiensi, in quo omissa est per incuriam librarii vox *sentitis*. Nam cætera sunt paria. Miror autem Anglos prætulisse editionem Rigaltii, quæ obscuritatem inducit in hoc loco. Vetus, quæ nostra est, plana est et minime difficilis intellectu.

III.— *Comitum.* In quibusdam vetustis codicibus scriptum est *militum*, quam lectionem non probo. Illam affero tantum ut interdum proferam aliqua exempla licentiæ veterum librariorum.

Vestra pugna. Hæc est, ut opinor, vera lectio hujus loci, quam et veteres editiones et plures optimi libri confirmant. Alia, quæ sequitur, videtur esse ex glossemate. In quibusdam itaque codicibus legitur, *vestra confessio vel pugna*. Morellii editio habet *vestra confessio* tantum. Eam lectionem adjuvant ea quæ dicuntur paulo ante: *Beatum facit prima et una confessio.*

Subigitur. Codices Carnotensis et sancti Arnulphi *subjicitur.*

Nec mors metuitur. Tertullianus in libro *de Spectaculis* ait Christianos esse *expeditum morti genus*. Antonimus Pius in rescripto ad Asianos, apud Rufinum, lib. IV, cap. 13, ait Christianos animam ponere pro Deo suo et mortem libenter amplecti. Vide Luciferum Calaritanum in libro ad Constantium *de moriendo pro Dei Filio.*

IV.—*De Domini bonitate.* Hæc est lectio omnium editionum quæ prodierunt ante eam quæ est Rigaltii, qui istic posuit *voluntate*. Accepit autem hanc lectionem ex antiquo codice monasterii sancti Remigii Remensis, ex Corbeiensi et ex Fuxensi: usus est enim his tribus exemplaribus. Eadem exstat in Turonensi. Bonam, quæ nostra est, exhibent omnes fere reliqui veteres libri, etiam ii quos editio Anglicana commemorat. Et tamen Angli retinuerunt in contextu lectionem quam non esse bonam ostendunt etiam sequentia. Duo libri veteres præferunt *pietate.*

De indulgentia Domini. In codice Turonensi et in Corbeiensi legitur, *de indulgentia et Domini voluntate quod non impetrare.* Vide notas nostras ad caput 36 Lactantii *de Mortibus Persecutorum.*

Evangelicam disciplinam. Ante editionem Manutianam legebatur *evangelicam viam*. Sed hanc lectionem in nullo eorum veterum codicum reperi quibus usus sum. Et tamen ea placuit Morellio.

EPIST. XVI. — Istius epistolæ, quæ primum prodiit in editione Manutiana, habui duo vetera exemplaria, unum e bibliotheca mea, aliud ex urbe Gratianopolitana. Angli nullum laudant præter Veronense, id est, ut puto, editionem Manutianam, uti Rigaltius quandoque laudat codicem Veronensem pro editione Manutiana. Recte, ut opinor; nam mihi constat eos qui editionem illam adornarunt usos fuisse codice Veronensi.

Cypriano papæ. Codex meus et editio Manu-

Digitized by Google

Scias nos universis de quibus apud te [a] ratio constiterit quid post commissum egerint, dedisse pacem, et hanc formam per te et aliis episcopis innotescere voluimus. Optamus te cum sanctis martyribus pacem habere. Præsente de clero et exorcista et lectore, Lucianus scripsit.

EPISTOLA XVII.

(Erasm., III, 19. Pamel., XXIII. Rigalt., Baluz., Paris., XVII. Oxon., Lips., XXVI.)

AD PRESBYTEROS ET DIACONOS, DE PRÆCEDENTI ET DUABUS SEQUENTIBUS EPISTOLIS.

ARGUMENTUM. — *Nulla ratio habenda libellorum martyrum, ante pacem Ecclesiæ redditam.*

Cyprianus presbyteris et diaconibus fratribus salutem. Dominus loquitur et dicit: *Super quem respiciam, nisi super humilem et quietum, et trementem sermones meos* (*Isa.* LXVI, 2)? Hoc cum debeamus omnes esse [b], tum modo [c] hujusmodi illi esse debent quibus laborandum est ut, post gravem lapsum, vera pœnitentia et humilitate tota promereri Dominum possint. Legi autem et universorum confessorum litteras, quas voluerunt per me collegis omnibus [37] innotescere et ad eos pacem a se datam pervenire de quibus apud nos ratio constiterit quid post commissum egerint. Quæ res cum omnium nostrum consilium et sententiam exspectet [d], præjudicare ego et soli mihi rem communem vindicare non audeo. Et ideo instetur interim epistolis quas ad vos proxime feceram, quarum exemplum collegis quoque multis jam misi; qui rescripserunt [e] placere sibi quod statuimus, nec ab eo recedendum esse donec, pace nobis a Domino reddita, in unum convenire et singulorum causas examinare possimus. Sed et quid mihi Caldonius collega meus scripserit quidque ego ei rescripserim ut sciretis, utriusque epistolæ exemplum lit-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Ad te *Ver.*
[b] Esse hujusmodi *Lam. Ebor. NC.* 2.
[c] Tum magis *Bod.* 1. *Manut.* tunc maxime *Neap.*
[d] Spectet *M. R. Manut.* Expectet *Oxon. Baluz. Lips.*
[e] Perscripserunt *Manut.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

tiana, *Papati*. Sic etiam legebat Latinus Latinius in libris suis veteribus. Vide tom. IV *Analectorum* Mabillonii, pag. 101. Sic *Thomati* pro *Thomæ* in collatione cum Severianis, et *Menati* pro *Menæ* in vetustis codicibus mss. Liberati. Papæ nomen olim commune erat omnibus episcopis. Postea istud displicuit Romanis. Qua de re vide quæ dicta olim a nobis sunt ad *Epistolam* 81 Lupi Ferrariensis, et Ludovicum Cœlium Rhodiginum, lib. VI, cap. 43.

Dedisse pacem. Vel hic locus ostendit errorem Goulartii scribentis nuspiam neque apud Tertullianum neque apud Cyprianum inveniri martyres pacem dedisse lapsis. Præterea ex epistola Luciani *ad Celerinum* et ex epistola istius *ad Lucianum* liquet Paulum et cæteros in carcere constitutos dedisse paceip lapsis. Et nota est tempestas quæ orta est in ecclesia Africana quia Cyprianus recusabat eis dare pacem quibus concessa erat a martyribus. Tertullianus in libro *de Pudicitia : Pacem quidam in Ecclesia non habentes a martyribus in carcere exorare consueterunt.* Vide Henrici Valesii *notas ad librum* VI *Historiæ ecclesiasticæ Eusebii*, cap. 42.

Optamus te. Angli putarunt verba hæc interminationem continere, ita nimirum ut, si hæc minus præstaret Cyprianus, martyres cum ipso non communicarent. [103] Quam observationem ut certam et minime ambiguam repetunt in observationibus ad Epistolam XXII, quæ data est *ad presbyteros et diaconos Romæ consistentes*. At ego non video quonam modo excommunicatio possit his verbis intelligi. Videbant Lucianus et cæteri qui cum eo erant confessores Cyprianum se præbere admodum difficilem in recipiendis lapsis quibus martyres et confessores, quorum illi magnam in hoc credebant esse auctoritatem, pacem dederant, quibus Lucianus et cæteri dederant pacem in nomine martyrum et confessorum, et ægre ferebant duram illam antistitis sui disciplinam, quam præter æquum et bonum esse putabant. Hanc ob causam, quia seditio propterea commota erat in quibusdam oppidis provinciæ, optant ei scribentes ut pacem habeat cum martyribus, ut severitatem misericordia mitiget, sic concordiam et pacem redintegrari posse inter eum et martyres ac plebem commotam. An ideo minantur excommunicationem, si eorum desideriis non adquiesceat? Non ita sane. Preces sunt, non mandata, nec minæ. Aliud est optare, aliud jubere, aliud pœnam intentare. Nemo sic petit ut minetur, inquit Hieronymus in *vita Pauli primi eremitæ*. Item Petrus Venerabilis, abbas Cluniacensis, lib. I, epist. 8 : *Precibus non minis, obsequiis non contumeliis, solet quod petitur impetrari.* Sane Cyprianus vehementer admodum conqueritur de audacia Luciani, non tamen propter minas excommunicationis, quarum ne verbo quidem meminit, sed quia, quod ei minime conveniebat neque licebat, pacem dederat lapsis in nomine martyrum et confessorum absque ulla interventione auctoritatis episcopi, et quia se vulgi imperiti auctorem constituerat, quod eo suasore seditiones multas esse factas et conflatas constabat. Hæc est Cypriani conquestio de Luciano. Quæ quamvis magna et justa foret, ei tamen Cyprianus non minatur excommunicationem. Vide quæ adnotamus ad Epistolam XXX.

Præsente. Hæc vox deest in libro meo vetere, ubi locus vacuus relictus est. In Gratianopolitano scriptum est *Præterea*. Editio Manutii habet *presbyter*. Ego puto ponendum esse *præsente de clero et exorcista et lectore*, ut significare voluerint confessores epistolam scriptam esse præsentibus exorcista et lectore, *præsente* pro *præsentibus*, ut apud Plautum legisse me memini *præsente nobis*. Dicebant autem, ut docet Nonius Marcellus, *absente nobis et præsente nobis* pro *præsentibus et absentibus nobis*. Et mox affert locum Plauti ex *Amphitryone*. Vide etiam in verbo *Præsente* et Salmasium ad *scriptores Historiæ Augustæ*, pag. 91.

Lucianus. A quo scriptam esse hanc epistolam docet Cyprianus Epist. XXII.

EPIST. XVII. — Pamelius, in annotationibus ad epistolam XXI, notat istam esse fictitiam. Non possum autem divinare quibus rationibus permotus ita senserit.

Sententiam exspectet. Melius in codice Carnotensi *spectet*. Atque ita posuissem si codicem illum, qui

Digitized by Google

teris meis junxi. Quod totum peto fratribus nostris legatis, ut magis ac magis ad patientiam componantur, nec delicto proprio adjiciant adhuc aliud delictum, dum nec nobis nec Evangelio volunt servire, nec secundum universorum confessorum litteras causas suas examinari permittunt. Opto vos, fratres charissimi, semper bene valere et nostri meminisse. Fraternitatem universam salutate. Valete.

EPISTOLA XVIII.

(Pamel., XIX. Rigalt., Baluz., Paris., XVIII. Oxon., Lips. XXIV.)

CALDONII AD CYPRIANUM.

ARGUMENTUM. — *Cum lapsorum quidam, nova urgente persecutione, Christum confessi essent atque adeo antequam in exsilium proficiscerentur, pacem peterent, consulit Cyprianum Caldonius an pax illis danda foret.*

Cypriano et compresbyteris Carthagini consistentibus Caldonius salutem. Necessitas temporum facit ut non temere pacem demus. Sed oportebat vobis scribere, quoniam ii qui, posteaquam sacrificaverunt, iterato tenti, extorres sunt facti. Videntur ergo mihi abluisse prius delictum dum possessiones et domos dimittunt, et pœnitentiam agentes Christum sequuntur. Ergo Felix, qui presbyterium submiaistrabat sub Decimo, proximus mihi vinculis (plenius cognovi eumdem Felicem), Victoria [a] conjunx ejus [b] et Lucius fideles extorres facti reliquerunt possessiones, quas nunc fiscus tenet. Sed et mulier nomine Bona, quæ tracta est a marito

LECTIONES VARIANTES.

[a] Proximus mihi vinclis *Bod.* 1.

[b] Conjux ejus *Oxon. Lips.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

sero venit in manus meas, habuissem eo tempore quo epistola ista excudebatur.

Patientiam. Hanc lectionem non inveni nisi in duobus libris veteribus. Alii et veteres editiones præferunt *pœnitentiam*. Utraque lectio potest esse bona. Itaque nihil mutare volui. Nam persæpe in antiquis codicibus manuscriptis vidi *patientiam* positam pro *pœnitentia* et e converso. Pamelius prætulit ultimam lectionem. Ea placuit etiam Reinharto.

Delicto proprio. Codex Carnotensis habet *priori*. Recte. Et ita reponendum est.

Dum nec nobis. Hanc lectionem improbat Gronovius, cap. 14 observationum suarum *in Scriptoribus ecclesiasticis*, aiens hunc fastum numquam fuisse beatissimi Cypriani, ut nolle sibi quemquam, non solum illos, servire quereretur. Ego puto hanc observationem falsam esse et Pamelium frustra vapulare a Gronovio in editione hujus loci. Pamelius enim non fuit primus qui ita scripserit, cum profiteatur se expressisse editiones Manutii et Morellii. Ipse Cyprianus ait in Epistola XXXVIII, *nec loci mei honore motus.* Sunt etiam alia loca in quibus commemorat suam dignitatem et auctoritatem ut episcopus.

EPIST. XVIII. — Prima editio istius epistolæ prodiit ex typographia Manutii. In nullo autem eorum veterum exemplarium quibus utor illam reperi nisi in uno meo, in Gratianopolitano et in eo quod habui ex monasterio Remensi sancti Dionysii. Angli unum habuerunt ex bibliotheca Bodleiana. Pamelius nullum habuisse videtur, neque Rigaltius.

Caldonii ad Cyprianum. Hanc inscriptionem, quæ certa est, addidi ex libro meo.

Temporum. Ita codices Remensis et Bodleianus, quibus consentiunt editiones Manutii et Rigaltii. At Morelliana et Anglicana præferunt *temporis*. Quæ lectio reperitur etiam in libro meo et in Gratianopolitano.

Iterato tenti. Sic emendavimus, repugnantibus licet antiquis codicibus et editionibus. Emendatio certa est. Nam et Celerinus, pag. 28, dicet : *te pro nomine Domini nostri tentum*, et Lucianus, pag. 30 : *iterato reclusi sumus*. Sunt etiam alia loca his similia in lucubrationibus Cypriani. Sulpitius Severus, *Dial.* I, cap. 14 : *tentus in vinculis*. Rufinus, lib. V *Hist. eccl.*, cap. 16 : *Quis eorum pro nomine Domini tentus non est?* Gesta pontificalia edita ab Emmanuele Schelstrato, pag. 431, *tentus a Maximiano*. Hieronymus in epistola *ad Lucianum* Bœticum : *Adolescens ille qui opertus syndone sequebatur Jesum, quia tentus fuerat a ministris, terrenum abjiciens operimentum nudus evasit.* Rhabanus in libro *de Computo*, cap. 64 : *Dominum eadem vespera tentum a Judæis*. Recte. Nam in Evangelio Matthæi scriptum est Judæos manus injecisse in Jesum et tenuisse eum. Hinc in actis sancti Savini episcopi et martyris, in libro II *miscellaneorum* nostrorum, pag. 47, Maximianus Aug. ait : *Tamen, patres conscripti, concedam facultatem ut ubicumque inventi fuerint Christiani, teneantur a præfecto.* Apud Ammianum Marcellinum, lib. XVI, *sed fastus barbaricus ridens, tentis legatis adusque perfectum opus castrorum.* Antoninus Constantiniensis in epistola consolatoria ad Arcadium : *Ecce pro homine tentus es.* Vide acta passionis sancti Stephani papæ et martyris.

Presbyterium subministrabat. Quamvis alii aliter sentiant, ego puto meliorem esse opinionem Pamelii censentis illic intelligi hunc Felicem vices exercuisse Decimi in ecclesia cujus cura commissa erat Decimo, qui, aut extorris aut tentus in carcere, non poterat exequi ministerium suum.

Proximus mihi vinculis. Hanc lectionem, quam præfert editio Morellii, quam præferunt etiam antiqui codices, revocari debere visum est. Est enim optima. Alia, quæ habet *vicinus* pro *vinculis*, non potest esse bona.

Felix et Victoria. Vetus Kalendarium ecclesiæ Carthaginensis editum a Mabillonio : *V idus feb. sanctorum Felicis, Victoris et Januarii.*

Extorres. Codex Dionysianus et meus habent *extorrentes.* In eodem codice meo scriptum est *extorrentes* in epistola 20, pag. 29, et *de extorrentibus* in epistola 39, pag. 52. Quo etiam modo positum est in editione Manutiana. Ita etiam habuisse codicem Veronensem hinc colligo quod in variis lectionibus ex codice illo descriptis, in margine exemplaris mei editionis Manutianæ nulla varia lectio apposita est ad hanc epistolam. Extorris porro est qui extra patrium solum et terram patriam ejectus est. Cyprianus in libro *de Lapsis*, pag. 184 : *Relinquenda erat patria et patrimonii facienda jactura.* Vide Baronium ad annum 25, et in annotationibus ad martyrologium Romanum die secunda januarii. Vide etiam Glossarium latinum Cangii.

Sed et mulier. Editio Morelliana, *sed et seu per se aut per eosdem mulier nomine Bona.* Codex Remensis, *sed et super se opera eadem mulier nomine Ibono.* Bodleianus, *sed et super se et pro eodem.* Gratianopolitanus, *sed et superest aut eodem.* Meus, *sed et super se opere eadem mulier nomine Bono.* Alterius Bonæ mentio est in martyrologio Romano die 24 aprilis. Sed illa erat Remensis. Altera vero Bona, cujus mentionem facit Petrus de Natalibus, lib. VIII, cap. 71, erat Ægyptiaca,

Digitized by Google

ad sacrificandum, quæ conscientia non commissi, sed quia tenentes [a] manus ejus ipsi sacrificaverunt, cœpit [b] dicere contra, Non feci, vos fecistis; sic et ipsa extorris facta est. Cum ergo [c] universi pacem peterent dicentes: Recuperavimus fidem quam amiseramus, pœnitentiam agentes, et Christum publice sumus confessi; quamvis mihi videantur debere pacem accipere, tamen ad consilium vestrum eos dimisi, ne videar aliquid temere præsumere. Si quid ergo ex communi consilio placuerit, scribite mihi. Salutate nostros. Vos nostri. Opto vos, fratres charissimi, semper bene valere.

[28] EPISTOLA XIX.

(Erasm., III, 20. Pamel., XX. Rigalt., Baluz., Paris., XIX. Oxon., Lips., XXV.)

RESPONDET CALDONIO.

ARGUMENTUM. — *Nihil peculiare agit hac epistola Cyprianus, quam quod Caldonii sententiæ accedit, iis nempe lapsis pacem negandam non esse, qui vera pœnitentia et Christi nominis confessione illam meruerint, atque adeo sibi reddiderint.*

Cyprianus Caldonio fratri salutem. Accepimus litteras tuas, frater charissime, satis sobrias et integritatis ac fidei plenas. Nec miramur si, exercitatus et in Scripturis Dominicis peritus, caute omnia et consulte geras. Recte autem sensisti circa impertiendam fratribus nostris pacem, quam sibi ipsi vera pœnitentia et Dominicæ confessionis gloria reddiderunt, sermonibus suis justificati, quibus se ante damnaverant. Cum ergo abluerint omne delictum, et maculam pristinam, assistente sibi Domino potiore virtute deleverint, jacere ultra sub diabolo quasi prostrati non debent qui extorres facti et bonis suis omnibus spoliati, erexerunt se et cum Christo stare cœperunt. Atque utinam sic et cæteri post lapsum pœnitentes in statum pristinum reformentur! quos nunc urgentes et pacem temere atque importune extorquentes quomodo disposuerimus ut scires, librum tibi cum epistolis numero quinque misi, quas ad clerum et ad plebem et ad martyres quoque et confessores feci; quæ epistolæ jam plurimis collegis nostris missæ placuerunt, et rescripserunt se quoque nobiscum in eodem consilio secundum catholicam fidem stare. Quod ipsum etiam tu ad collegas nostros quos potueris transmitte [d], ut apud omnes unus actus et una consensio, secundum Domini præcepta, teneatur. Opto te, frater charissime, semper bene valere.

EPISTOLA XX.

(Pamel., XXI. Rigalt, Baluz., Paris., XX. Oxon., Lips., XXI.)

CELERINI AD LUCIANUM.

ARGUMENTUM. — *Celerinus pro sororibus suis Romæ lapsis, pacem a confessoribus Carthaginiensibus petit.*

I. Celerinus Luciano salutem. Hæc cum tibi scriberem, domine frater, gaudens et tristis eram: gaudens eo quod audierim te pro nomine Domini nostri Jesu Christi salvatoris nostri tantum et illius nomen penes magistratus hujus mundi confessum, tristis autem in eo quod ab eo ex quo te deduxi, numquam litteras tuas accipere potui. Et nunc modo duplex mihi tristitia incubuit, quod, cum Montanum fratrem nostrum communem abs te de carcere ad me esse

LECTIONES VARIANTES.

[a] Sed tenentes *Bod.* 1.
[b] Sic ipsa cœpit *Bod.* 1.
[c] Cum me ergo *Bod.* 1.
[d] Transmittere *Ar. Lam. Ebor. Bod.* 1, 2. *NC.* 1.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

quæ alio nomine apud suos Ægyptios Cordimunda vocabatur.

Quæ conscientia. Editio Manutii et codex Remensis, *quæ conscientiam non* [sic] *commisit.* Morellius, *quæ etiam conscientia non commissi.* Sic etiam in meo vetere. Rigaltius, *quæ conscientia non commissi.* Codex Gratianopolitanus, *quæ conscientia non commisit.*

Sacrificaverunt. Ita editio Morellii et codex Remensis. Sic etiam legitur in meo et in Gratianopolitano. Aliæ editiones habent *sacrificabant.* Et postea additur in iisdem codicibus et in editione Morelliana, *sic ipse cœpit dicere.*

Consilium. Antea scriptum erat *consultum.* Sed hujus vocis alia est significatio, videlicet de re deliberata. Emendatum est ex manuscriptis.

Videantur debere. In codice Remensi, in Gratianopolitano et in meo legitur *videantur ac debeant accipere.* Sic etiam editio Morelliana.

Salutate nostros. Angli monent legendum esse *vestros.* Quæ conjectura videtur esse bona. Verum editiones et scripti libri repugnant.

Opto vos. Sic reposuimus ex eodem codice Remensi, cum antea legeretur: *Opto vos felicissimos bene valere.*

EPIST. XIX. — *Impertiendam.* Hanc lectionem reperi in quatuordecim exemplaribus antiquis. Editio Spirensis et vetus Veneta, quamvis sint in hoc loco mendosæ, monstrant tamen hanc lectionem esse bonam. Habent enim *impertinentiam.* Remboltus, *impertitam.*

Maculam pristinam. Plerique libri veteres et editiones habent *primam.*

Potiore virtute. Nonnulli codices antiqui præferunt *posteriore.*

Librum. De Lapsis, ut interpretatur Rigaltius. Angli contra, rejecta Rigaltii sententia, interpretantur de fasciculo epistolarum. Sed profecto erraverunt. Quippe Cyprianus apertissime distinguit librum ab epistolis, *librum cum epistolis numero quinque misi.*

EPIST. XX. — Hanc epistolam primus omnium edidit Morellius. Postea Pamelius, qui fatetur se nullum vetus illius exemplar habuisse, illam recudit, eamque ex ingenio interdum emendavit. Latinius habuit duo vetera illius exemplaria, et in ejus adnotationibus ad Cyprianum, pag 195, adnotatum est illum feliciter emendasse hanc epistolam. Quod verum non est, cum difficile admodum sit eam bene emendare ob errores qui in eam irrepserunt in antiquis exemplaribus. Ego duo habui, unum ex urbe Gratianopolitana, aliud ex bibliotheca mea. Angli laudant unum Vaticanum et unum Bodleianum. Certe extat hodieque in Vaticano (199), uno eorum, ut opinor, quæ Latinius viderat.

I.—*Hujus mundi.* Antea legebatur *hujusmodi*, nullo sensu. Angli protulerunt veram lectionem. Mon-

Digitized by Google

venturum sciebas, de salute tua vel quid penes te agatur mihi non significaveris. Sed hoc solet [a] contingere servis Dei, maxime eis qui in confessione Christi sunt constituti. Scio enim quoniam unusquisque jam quæ sunt sæculi non attendit, quoniam coronam cœlestem sperat. Ego enim dixi fortasse oblitum te esse mihi scribere. Nam, ut tibi quoque de infimo tuus vel frater dicar, si fuero [b] dignus Celerinus audire, tamen cum essem et ego in tam florida confessione, fratres meos vetustissimos memorabam, et eos litteris meis memoravi charitatem pristinam eorum penes me meosque nunc esse. Peto tamen, charissime, a Domino ut, si ante cruore illo sancto laveris, si prius passus fueris pro nomine Domini nostri Jesu Christi quam litteræ meæ te in hoc mundo apprehendant, [c] vel nunc si apprehenderint, mihi ad hæc rescribas. Sic coronet te [c] cujus nomen confessus es. Credo enim quoniam, etsi in hoc mundo nos non viderimus, in futuro tamen nos coram Christo [d] complectemur. Pete ut sim [e] dignus et ego coronari cum numero vestro.

II. In magna tamen tribulatione me constitutum scias [f], et, ac si sis mecum præsens, sic charitatis pristinæ reminiscor die ac nocte. Deus solus scit. Et ideo peto ut annuas desiderio meo et mecum doleas in morte sororis meæ, quæ cecidit in hac vastatione a Christo. Sacrificavit enim et exacerbavit Dominum nostrum. Quod nobis manifestum videtur. Pro cujus factis ego in hac die lætitiæ Paschæ flens die ac nocte, in cilicio et cinere lacrymabundus dies [g] exegi et exigo usque in hodiernum, donec auxilium Domini nostri Jesu Christi [subveniat] et pietas per te vel per eos dominos meos qui coronati fuerint, a quibus postulaturus es ut veniam habeant nefanda naufragia [h]. Memoratus sum enim [i] charitatis tuæ pristinæ, quod cum omnibus doleas pro sororibus nostris, quas et tu bene nosti, id est Numeria et Candida; pro quarum peccato, quia nos fratres habent, debemus excubare. Credo enim Christum secundum earum pœnitentiam et opera, quæ penes collegas nostros fecerunt extorres, qui a vobis venerunt, a quibus ipsis de operibus eorum

LECTIONES VARIANTES.

[a] Et hoc solet *Oxon.*
[b] Dicat si fuero *Impr.* Audires *P. Salv.*
[c] Si coronet te. *Vat.*
[d] Nos coram vel cum Christo *Bod. Vat.*
[e] Per te sim *Impr.*
[f] Magna constitutum scias *Impr.*
[g] Lacrymabundos dies *Vat.*
[h] A quibus postulandum est ut subvenerit tam nefando naufragio *Vat.* Subveniat tam nefando *Lips.*
[i] Memor sum enim *Vatic.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

autem Latinius illam extare in suis exemplaribus. Ita etiam legitur in meo et in Gratianopolitano.

Sciebas. Cum hæc lectio habeatur in editionibus Morellii, Pamelii et Rigaltii, tum etiam in codice Vaticano, confirment autem illam duo vetera exemplaria quibus utor, tamenetsi in meo scriptum sit per errorem *sciebam*, Angli tamen maluerunt *scribas*. At si attendissent Celerinum de Luciano conqueri quod ad se non scripserit per Montanum, quem sciebat ad se esse venturum, aliter sensissent. Itaque certum est eam lectionem quam nos retinuimus esse bonam.

Nam ut tibi. Repræsentavimus istic lectionem veterum librorum et editionum. Angli ex ingenio, nullum enim vetus exemplar citant, scripserunt: *Nam ut tum quoque de infimo tuo vel fratre dicam, si fuero dignus; Celerinus audiretur.* Sane Latinius, cum in codice Vaticano scriptum videret ut est in meo et in vulgatis editionibus, legendum censuerat ferme uti ab Anglis excusum est. In Gratianopolitano scriptum est *oblitum esse te mihi scribere, ut tu quoque de infimo vel fratre dicam*, etc.

Cum essem. *in tam.* Id est, cum essem in carcere constitutus propter nomen Domini.

Ut si ante. Hæc est lectio editionis Morellianæ. Sic etiam in veteri libro meo et in Bodleiano. Male in Gratianopolitano, *ut a me cruore illo*. Pamelius existimans non licuisse Luciano rescribere post cruoris pro Christo effusionem, credidit deesse in hoc loco negationem, ideoque illam interserere non est veritus. Non placuit ea audacia Latinio, qui censuit hanc orationem nulla indigere negatione. Angli in eadem sententia fuere quoad negationem, sed alio transtulerunt argumentum. Ita quippe interpretantur hunc locum, alioqui satis obscurum et implicitum, tamquam si Celerinus, timens ne Lucianus excederet ante datam pacem et indulgentiam sororibus suis, quæ lapsæ erant, petiisset a Domino ut earum misereretur, eisque post excessum Luciani daret indulgentiam quam Lucianus morte præventus non dedisset. Verum ea interpretatio ferri non potest, cum nulla sororum Celerini mentio facta fuerit antea. Vera itaque, ut ego quidem arbitror, ac genuina hujus loci sententia hæc est. Conquestus erat Celerinus de negligentia Luciani in scribendo, qui tamenetsi sciret Montanum venturum ad se esse, nihil per eum scripserat de salute sua vel quid apud eum ageretur. Nunc vero petit ut, si ante Lucianus spiritum effuderit quam hæ litteræ perveniant ad ea loca in quibus habitabat, nihil rescribat, rescribat tamen si adhuc superstes fuerit cum illæ huc pervenerint.

II.—*In lætitia Paschæ.* Codex Gratianopolitanus, *in hac die lætitiæ.* Cassiodorus, lib. IV, Epist. 42: *Marciani atque Maximi nos querela pulsavit cum paschalibus diebus paterni luctus essent vulnere sauciati et in ipso lætitiæ tempore*, etc.

Paschæ. Ita scribebant antiqui. Tertullianus in libro de Corona: *Eadem immunitate a die Paschæ in Pentecosten usque gaudemus.* Idem, lib. II ad uxorem: *Quis denique solemnibus Paschæ abnoctantem securus sustinebit?* Item, lib. IV adversus Marcionem: *Nam e tot festis Judæorum Paschæ diem elegit.* Concilium Cabarsussitanum, *intra diem Paschæ futuræ.* Appendix commonitorii Honorii Aug. in causa Eulalii et Bonifacii contendentium de episcopatu Romano apud Baronium, *dies qui imminebant sanctæ Paschæ.* Arator, lib. II Actuum apostolicorum: *Gaudia Paschæ electo latrone colis.* Sic etiam Rufinus in libris *Historiæ ecclesiasticæ* et in libris *Recognitionum* D. Clementis. Vide notas Sirmondi ad Concilium primum Arelatense.

Subveniat. Ego addidi hanc vocem ex conjectura, tantum ut sensum eo modo constituerem. Si quis maluerit substituere aliud vocabulum, non repugno.

Postulaturus. Codex Gratianopolitanus, *postulandum est subveniat tam nefando naufragio.*

Pro sororibus nostris. Ita editio Anglicana, quam confirmat codex Gratianopolitanus. Ita quoque se scriptum vidisse in duobus antiquis codicibus testatur Latinius. In meo legitur *per sorores nostras.*

Digitized by Google

audies, jam Christum eis, vobis martyribus suis potentibus, indulturum.

III. Audivi enim te floridiorum ministerium [a] percepisse. O te felicem, suscipere [b] vota tua quæ semper desiderasti vel in terra dormiens! Optasti pro nomine illius in carcerem mitti; quod nunc tibi contigit, sicut scriptum est : *Det tibi Dominus secundum cor tuum* (*Psal.* XIX, 5). Et nunc super ipsos factus antistes Dei recognovit idem minister [c]. Rogo itaque, domine, et peto per Dominum nostrum Jesum Christum ut cæteris collegis tuis, fratribus tuis, meis dominis referas, et ab eis petas ut quicumque prior vestrum coronatus fuerit, istis sororibus nostris Numeriæ et Candidæ tale peccatum remittant. Nam hanc ipsam Etecusam semper appellavi, testis est nobis Deus, quia pro se dona numeravit ne A sacrificaret; sed tantum ascendisse videtur usque ad Tria Fata [d], et inde descendisse. Hanc [e] ergo non sacrificasse ego scio. Quarum jam causa audita, præceperunt eas præpositi tantisper sic esse donec episcopus constituatur. Sed quatenus per vestras sanctas orationes [f] et petitiones, in quas nos [g] fidimus, quoniam estis amici sed et testes Christi, quod [h] omnia indulgeatis.

IV. Peto ergo, domine charissime Luciane, memor sis mei, et petitioni meæ annuas. Sic Christus coronam illam sanctam, quam tibi non tantum in confessione sed et in sanctimonio tradidit in qua semper cucurristi, exemplum sanctorum semper et testis fuisti, ut omnibus dominis meis, fratribus tuis confessoribus, referas de hoc facto, ut a vobis auxilium recipiant. Nam hoc, domine frater, scire debes, me B

LECTIONES VARIANTES.

[a] Floride omnium eorum ministerium *Vat.*
[b] Suscipe *Impr.*
[c] Enim minister *Bod.* 1.
[d] Tria facta *Impr.*
[e] Has *Vat.*
[f] Operationes *Vat.*
[g] Nobis *Vat.*
[h] Qui *Vat.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

III.—*Et nunc super ipsos.* Codex meus, *et nunc super ipsos factus antistites Dei recognovit id est minister.* Sic etiam in Gratianopolitano, nisi quod illic scriptum est *antistes.* Sidonius lib. VII, Epist. 17 : *Quæso ut abbas sit frater Auxanius, tu vero et supra abbatem.*

Fratribus tuis. Ita veteres libri et editiones. Male in editione Anglicana, *fratribus tuis et meis, meis dominis.* C

Etecusam. Gisbertus Cuperus, in epistola ad Paulum Voetium, monet episcopum Cestriensem rescripsisse *Ecusam.* Ecusam dixit Julius Firmicus in quibusdam editionibus, in aliis Æthusam. Verum Ecusa illa multum differt ab Etecusa. (Haud contemnenda profecto esset conjectura Dodwelli *Diss. Cypr.* ad ep. 22 (?), legendum esse *aecusam*; ἀκεσῶσαι enim dicebantur, quæ contra voluntatem vi contumeliisque superatæ cesserant. Modo mss. faverent. GOLDAST.)

Tria Fata. Ita codex Vaticanus in editione Anglicana laudatus, duo vetera exemplaria Latinii, unum ex mea bibliotheca. Neque dubium est quin hæc sit vera lectio. Hic autem locus, qui nullam, ut ego quidem arbitror, habet difficultatem, valde vexatus est ab interpretibus, existimantibus eam lectionem non esse bonam. Et tamen mihi constat nullam aliam posse esse bonam præter istam. Confirmant porro eam loca ad explicationem hujus loci ex gestis pontificalibus allata a viris doctissimis. Negari quippe non potest quin Romæ, unde hæc epistola scripta est, fuerit locus appellatus *Tria Fata.* Hujus rei locupples nobis testis est Procopius, lib. I, cap. 25, *de bello Gothico;* ubi scribit Janum ædem habuisse in foro ex adverso curiæ super *Tria Fata.* Constat autem mulierem de qua agitur in hac epistola Celerini ascendisse, in capitolium videlicet, ut sacrificaret, [407] sed substitisse *ad Tria Fata*, et inde descendisse, pœnitudine videlicet ductam. Cum vero Procopius scribat *Tria Fata* fuisse prope ædem Jani ex adverso curiæ, cum P. Victor templum Jani ponat prope forum, cum Dionysius Halicarnasseus, lib. II, doceat forum positum fuisse medio inter Capitolium et palatium spatio, in planitie capitolio subjecta, Onuphrius autem Panvinius in descriptione urbis Romæ annotaverit montem palatinum habere ad occasum forum Romanum et Capitolium et ad septentrionem viam sacram, et auctor *Gestorum pontificalium* tradat basilicam sanctorum Cosmæ et Damiani, quæ erat sita *in Tribus Fatis*, fuisse sitam in via Sacra, quam Ovidius, in libro III *Tristium*, locat prope forum et palatium, ubi Fabium fornicem fuisse docet Cicero in Oratione *pro Cn. Plancio*, hunc autem fornicem fuisse vicinum rostris doceat Seneca in capite II libri, *Quod in sapientem non cadit injuria*, et fornicem illum Asconius Pædianus in *commentario ad actionem primam in Verrem* scripserit situm fuisse in clivo capitolino et inde rectam viam ad forum fuisse per forum et per *Tria Fata*, Dio vero Cassius, lib. LIV, et Herodianus, lib. IV, aditum fuisse per viam Sacram in forum, manifestum est eam lectionem esse veram quam nos retinuimus. Quare nollem viros doctissimos fuisse tam faciles in recipienda conjectura Gronovii scribentis in capite 14 Observationum in Scriptoribus ecclesiasticis *dryfacta* reponendum esse in hac epistola Celerini pro *Tria Fata*, cum certum sit eam emendationem esse tentatam contra omnium veterum librorum et editionum fidem et absque ulla necessitate. Itaque jure meritoque rejecta est in editione Anglicana. Porro Celerinum, quod nobis nunc incumbit probandum, fuisse tum Romæ, et alii jam monuerant, et liquet ex loco ipsius epistolæ, pag. 29, ubi Celerinus ait supersessum esse causæ quarumdam mulierum *donec episcopus constituatur*, id est, D donec locus Petri, qui vacabat post mortem Fabiani, accepisset episcopum, præcipue vero ex Epistola 22, pag. 32, in qua Cyprianus scribit ad presbyteros et diaconos Romæ consistentes mittere se ad eos epistolam Celerini ad Lucianum, ut recognoscant an vera sit. Missam autem fuisse per Crementium hypodiaconum facile colligitur ex Epistolis IV et XIV.

Præpositi. Id est, illi e clero qui ecclesiam Romanam gubernabant post mortem Fabiani.

IV.— *Sanctimonio.* Ita libri veteres et hic et alibi. Possem plurima exempla proferre ut ostenderem veteres ita vulgo scripsisse. Sed supersedeo, quia puto lectores mihi facile fidem præstituros. Eodem modo dicebant *blasphemium* pro *blasphemia*, ut notavimus ad Marium Mercatorem, pag. 451. Addo tamen doctissimos monachos quibus debemus novam editionem operum sancti Augustini posuisse in epistola LXI *sanctimonii et continentiæ.* Item in rescripto Honorii et Theodosii AA. ad Aurelianum contra Pelagianos.

Digitized by Google

non solum hoc pro eis petere, sed et Statium et Severianum et omnes confessores qui inde huc a vobis venerunt, ad quos ipsæ in portum descenderunt, et in urbem levaverunt, quod sexaginta quinque ministraverunt et usque in hodiernum in omnibus foverunt. Sunt enim penes illas omnes. Plus autem gravare cor illud sanctum tuum non debui, cum sciam te prona voluntate operari. Salutant te Macharius cum sororibus suis Cornelia et Emerita, quæ lætantur de confessione tua florida, sed et omnium fratrum, et Saturninus, qui et ipse luctatus est cum diabolo, qui et Christi nomen est fortiter confessus [a], qui et ibi in pœna ungularum [30] fortiter est confessus, qui et hoc nimis rogat et petit. Salutant te fratres tui Calphurnius et Maria et omnes sancti fratres. Nam et hoc scire debes, me et dominis meis fratribus tuis [litteras] scripsisse, quas peto illis eas legere digneris.

EPISTOLA XXI.

(Pamel., XXII. Rig., Baluz., Paris., XXI. Oxon., Lips., XXII.)

LUCIANUS RESPONDET CELERINO.

ARGUMENTUM. — *Lucianus Celerini petitioni annuit.*

I. Lucianus Celerino domino, si dignus fuero vocari, collega in Christo salutem. Accepi litteras tuas, domine frater dilectissime in quibus me tantum gravasti, ut propter tuam gravationem [b] tanto gaudio pene exciderim, ut litteras quas [c] et ego optabam post tantum temporis legere, in quibus mei dignatus es memorare [d], beneficio tantæ tuæ humilitatis legere exultaverim, qui scribens mihi diceres [e]. Si dignus fuero frater nominarii tuus, hominis qui apud pusilliores nomen Dei cum timore confessus sum. Nam tu, Deo volente, ipsum anguem majorem metatorem [f] antichristi, non tantum confessus deterruisti vocibus illis et verbis deificis quibus scio quasi amatores fidei et zelotypi disciplinæ Christi in qua te novi vivacitate versari te gaudeo, vicisti. Nunc, charissime, jam inter martyres deputande [g], voluisti nos litteris tuis gravare, in quibus significasti de sororibus nostris; pro quibus utinam fieri posset ut sine tanto scelere commisso memoriam faceremus! Non profecto tantis lacrymis incumberemus ut nunc.

II. Scire debuisti quid circa nos actum sit. Cum benedictus martyr Paulus adhuc in corpore esset, vocavit me, et dixit mihi: Luciane, coram Christo tibi dico ut, si quis post arcessitionem meam abs te pacem petierit, da [h] in nomine meo; sed et omnes quos Dominus in tanta tribulatione arcessire dignatus est, universi litteras ex compacto universis pacem dimisimus. Vides ergo, frater, quoniam partim ejus quod mihi Paulus præcepit quam universis quod censuimus, ex quibus eramus in hac tribulatione, cum jussi sumus [i] secundum præceptum imperatoris fame et siti necari, et reclusi sumus in duabus cellis,

LECTIONES VARIANTES.

[a] Est confessus *Oxon.*
[b] Perpetua gravatione *Impr.*
[c] Litteras tuas quos *Oxon. ex Vat.*
[d] Memorari *Oxon. ex Vat.*
[e] Dicis *Impr.*
[f] Majorem et atrociorem *Vat.*
[g] Deputandos *Vat.*
[h] Des *Oxon.*
[i] Cum jussimus *Impr.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

Sed et Statium. Ita codex meus et Gratianopolitanus. Ita quoque constat habuisse vetera exemplaria Latinii. Sic etiam legendum esse censuerat Pamelius, cum antea scriptum esset *statim*. Vide notas ad epistolam LIV.

Macharios. Satis scio scribendum fuisse *Macarios*, si constaret Afros scripsisse uti Græci scribebant. At cum invenirem hoc vocabulum in vetustis exemplaribus Cypriani scriptum cum aspiratione, scirem præterea Afros et plerosque Latinos quædam vocabula scripsisse diverse, ut patet in verbo *catecuminus* et in verbo *acolytus*, tum etiam in vocabulo *Arrius*, censui debere me in hoc loco sequi scripturam veterum exemplarium sancti Cypriani. Sic etiam scribit Franciscus Maria Florentinius in editione vetustissimi martyrologii, VI idus decembris: *In Africa sanctorum Primi, Macharii, Justi.* Et in epistola XXIX sancti Augustini, in nova editione, scriptum est *Machario*, juxta fidem codicis Cisterciensis ex quo edita est.

EPIST. XXI. — Duo tantum hujus epistolæ vetera exemplaria habui, unum ex urbe Gratianopolitana, aliud ex bibliotheca mea. Angli unum laudant ex Vaticana, illud nimirum, ut opinor, quod notatum est numero 199 in bibliotheca Vaticana. Habuisse se eam in suis [408] codicibus testatur Latinius, sed ita corruptam ut vix intelligi sententia ejus posset. Pamelius et Rigaltius fatentur se nullum vetus illius exemplar habuisse.

I. — *Anguem majorem.* Id est Decium imperatorem, quem *execrabile animal* vocat Lactantius in libro *de Mortibus Persecutorum*. Sic Prudentius in carmine de *sancto Fructuoso episcopo Tarraconensi*, Æmilianum præsidem vocat *cruentum colubrum*. Sic Hunericus, rex Vandalorum, vocatur *veternosus anguis* in historia passionis martyrum qui VI non. julii passi sunt apud Carthaginem sub ejus imperio. Et auctor vitæ Gregorii Papæ IX, apud Odoricum Rainaldum, an. 1238, § 72, Fridericum II imperatorem vocat *tortuosum colubrum*. Nabuchodonosor vocatur *aquila grandis* ab Hieronymo et Theodoreto, ut notat Fronto Ducæus in annotationibus ad tomum primum operum sancti Joannis Chrysostomi. Ad Decium pertinent hæc verba Cypriani de Celerino in Epistola XXXIV, pag. 47: *Hic inter persecutionis initia cum ipso infestationis principe et auctore congressus;* et fortassis ea quæ de hominis maligni, velut serpentis astutia venenata, ait in Epistola XLVI, pag. 60.

Metatorem antichristi. Lucifer episcopus Calaritanus Constantium imperatorem Arrianum vocat præcursorem antichristi, quod idem est. Contra Lactantius, lib. IV, cap. 11, Christum vocat metatorem templi Dei, id est Ecclesiæ. De metatoribus vide quæ dicuntur infra ad Epistolam LXXXI.

Te novi. Quamvis editio Morellii, ex qua aliæ propagatæ sunt, habeat *tenoris*, cum tamen veteres libri, etiam unus quem laudat Latinius, habeant *te novi*, hanc lectionem arbitratus sum esse retinendam, tum quia veterum librorum auctoritate nititur, tum quia videtur esse melior.

II. — *Quoniam partim.* Ita reposui secutus fidem libri mei veteris et Gratianopolitani. Vaticanus in editione Anglicana laudatus habet *quoniam partem.* Editiones, *quod tam placuit.*

Digitized by Google

ita ut nos afficerent fame et siti. Sed et ignis ab opere pressuræ nostræ tam intolerabilis erat [a] quam nemo portare posset. Sed nunc ipsam claritatem sumus consecuti. Et ideo, frater charissime, saluta Numeriam et Candidam, quæ secundum Pauli præceptum et cæterorum martyrum, quorum nomina subjicio, Bassi in pejerario, Mappalici in quæstione, Fortunionis in carcere, Pauli a quæstione, Fortunatæ, Victorini, Victoris, Herennii, Credulæ, Herenæ, Donati, Firmi, Venusti, Fructi, Juliæ, Martialis et Aristonis, qui Deo volente in carcere fame necati sunt, quorum et nos socios futuros intra dies audietis. Jam enim ex quo [b] iterato reclusi sumus sunt dies octo in die quo tibi litteras scripsi. Nam et ante dies octo per dies quinque medios modicum panis accepimus et aquam ad mensuram. Et ideo, frater, peto ut, sicut hic cum Dominus cœperit ipsi Ecclesiæ pacem dare, secundum præceptum Pauli et nostrum tractatum, exposita causa apud episcopum et facta exomologesi, habeant pacem, non tantum hæ, sed et quas scis ad animum nostrum pertinere.

III. Salutant vos collegæ mei universi, [a1] Vos, salutate confessores Domini qui ibi vobiscum sunt, quorum nomina significasti; inter quos et Saturninus cum comitibus suis, sed et collega meus, et Maris, Collecta et Emerita, Calphurnius et Maria, Sabina, Spesina, et sorores, Januaria, Dativa, Donata. Salutamus cum suis Saturum, Bassianum, et universum clerum, Uranium, Alexium, Quintianum[1], Colonicam, et universos quorum nomina non scripsi, quia jam lassus eram. Ideo ignoscere debent. Opto vos bene valere, Alexium et Getulicum et argentarios et sorores. Salutant vos sorores meæ Januaria et Sophia, quas vobis commendo.

EPISTOLA XXII.

(Pamel., XXIII. Rigalt., Baluz., Paris., XXII. Oxon., Lips., XXVII.)

AD CLERUM ROMÆ CONSISTENTEM, DE MULTIS CONFESSORIBUS ET DE LUCIANI INVERECUNDIA ET CELERINI CONFESSORIS MODESTIA.

ARGUMENTUM. — *His litteris Cyprianus Clerum Romanum certiorem reddit de seditiosa lapsorum postulatione, ut ad pacem restituerentur et de inverecundia Luciani. Quæ quo melius intelligantur, litteras tum suas, tum Celerini et Luciani transmittendas curat Cyprianus.*

I. Cyprianus presbyteris et diaconibus Romæ consistentibus fratribus salutem. Post factas ad vos litteras, fratres charissimi, quibus actus noster expositus et disciplinæ ac diligentiæ quantulacumque ratio declarata est, aliud accessit quod nec ipsum latere vos debuit. Nam frater noster Lucianus, et ipse unus de confessoribus, fide quidem calidus et virtute robustus, sed minus [c] Dominica lectione fundatus, quædam conatus est, imperiti jampridem se vulgi auctorem [d]

LECTIONES VARIANTES.

[a] Ignis vapore; et pressura nostra intoler. erat *Oxon.*
[b] Tam enim ut *Oxon.*
[c] Robustus minus *Impr.*
[d] Imperite jam se auctorem *Ver.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

Afficerent. Ita editio Morelli et reliquæ. Codex Latinii et meus, *ut non afficiebat.* Gratianopolitanus, *ita quod non efficiebatur.*

Bassi in pejerario. Ita Morellius. Rigaltius conjecit legendum esse *in petrario*, id est in lapidicina. Codex Vaticanus et Latinius, *in perario* vel *imperario*, quod adjuvare potest conjecturam Rigaltii. Unus Bodleianus, *pegrario.* Meus, *piguerario.* Gratianopolitanus *imperario*, ut in codice Latinii. Angli posuerunt in contextu conjecturam Rigaltii. Maximus episcopus Taurinensis in homilia de non timendis hostibus carnalibus : *Piraterium latine experimentum dici potest.* Hæc homilia olim exstabat in editionibus operum sancti Ambrosii. Sed monachi Benedictini recte monuerunt esse Maximi.

In quæstione. Infra Epist. LXIX, pag. 123, *tot confessores quæstionati et torti*, non ut veritas quæreretur, sed ut per tormenta quæstionis cogerentur ad relinquendam veritatem. Hinc *quæstionarii* in actis sanctorum Luciani et Marciani dicti quorum officium erat reos applicare ad quæstionem et tormentis exagitare. Iidem dicti *carnifices*, ut ostendit in suo glossario latino doctissimus amicus olim noster Carolus Dufresnius Cangius. Quæstionis autem tormenta cogebant interdum innocentes ad confitendum crimina de quibus accusabatur, uti notatum a nobis est in notis ad *vitas Paparum Avenionensium*, pag. 599.

Animum. Codex Vaticanus et meus, tum etiam is qui fuit Latinii habent *animam.*

III.— *Comitibus.* Ita editio Morelliana. Angli maluerunt *omnibus*, testati se ita scriptum vidisse in codice Vaticano. Sic etiam codex Latinii. At Gratianopolitanus habet *comitibus.* Meus *motibus*, quod propius accedit ad vocem *comitibus.*

Maris, Collecta. Hæc lectio reperitur in editione Morellii, in veteri libro meo, et in Gratianopolitano. Pamelius mutavit ex ingenio, absque ullius veteris exemplaris auctoritate, et posuit, *Macarius, Cornelia*, quia videbat Macarii et aliorum decem martyrum festum celebrari sexto idus aprilis. Et tamen Maris nomen non est obscurum in historia ecclesiastica. Maris episcopus Chalcedonensis claruit ævo Juliani imperatoris. Alter Maris etiam episcopus Chalcedonensis interfuit concilio Chalcedonensi, Maris Dolichensis concilio Constantinopolitano primo. Nota est controversia de epistola Ibæ episcopi Edesseni ad Marim Persam in concilio quinto, cujus etiam mentio facta est in Ephesino. Maris monachi meminit Theodoretus in capite 20 *Historiæ* religiosæ.

[a1] EPIST. XXII. — Hanc epistolam, quæ primum excusa est in editione Manutiana, in nullo eorum veterum exemplarium quibus utor reperi quam in Fuxensi, in Gratianopolitano, in uno meo, et in eo quod servatur in monasterio Remensi sancti Dionysii. Angli unicum habuerunt ex bibliotheca Bodleiana. Pamelius eam invenerat in codice Anglicano Joannis Harrisii.

I. — *Post factas.* Editio Morellii, codex meus, Gratianopolitanus et unus Bodleianus habent : *Factis ad vos litteris.*

Imperii jampridem. Vox *jampridem* deest in codice Remensi. In Fuxensi scriptum est *imperitia sua pridem se.* Quæ lectio videtur convenire cum iis quæ paulo ante dixit Cyprianus de Luciano, illum minus Dominica lectione fundatum fuisse. Vocatur autem

Digitized by Google

constituens, ut manu ejus scripti libelli gregatim multis nomine Pauli darentur, cum Mappalicus martyr cautus et verecundus, legis ac disciplinæ memor, nullas contra Evangelium litteras fecerit, sed tantum domestica pietate commotus matri suæ, quæ lapsa fuerat [a], mandaverit pacem dari; Saturninus quoque post tormenta adhuc in carcere constitutus nullas ejusmodi litteras emiserit. Lucianus vero, non tantum Paulo adhuc in carcere posito nomine illius libellos manu sua scriptos passim dedit, sed et post ejus excessum eadem facere sub ejus nomine perseveravit dicens hoc sibi ab illo mandatum [b], ne sciens domino magis quam conservo obtemperandum. A Aurelii quoque adolescentis tormenta perpessi nomine libelli multi dati sunt ejusdem Luciani manu scripti, quod litteras ille non nosset.

II. Cui rei ut aliquatenus posset obsisti, litteras ad eos feci, quas ad vos sub epistola priore transmisi, quibus petere et suadere non destiti ut dominicæ legis et Evangelii ratio teneretur. Postquam vero ad eos litteras misi, ut quasi moderatius aliquid et temperantius fieret, universorum confessorum nomine [c], idem Lucianus epistolam scripsit, qua pene omne vinculum fidei et timor Dei et mandatum Domini et Evangelii sanctitas et firmitas solveretur. Scripsit enim omnium nomine universis eos pacem dedisse et hanc formam

LECTIONES VARIANTES.

[a] Et sorori quæ lapsæ fuerunt *Oxon.*
[b] Ab ille esse mandatum *Bod.* 1. B [c] Nomine hæc *Vat.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

iterum *imperitus* in hac ipsa epistola. Sanctus Hieronymus in epistola ad Nepotianum de vita clericorum : *Celeritate dicendi apud imperitum vulgus admirationem sui facere indoctorum hominum est.* Et infra : *Nihil tam facile quam vilem plebeculam et indoctam concionem linguæ volubilitate decipere, quæ quicquid non intelligit plus miratur.* Arnulphus Lexoviensis, epist. XXXII : *Sunt enim quidam qui eo difficilia majoris æstimant quia minus intellecta mirantur, et tanquam puerilia reputant quæ jucunda lucidi sermonis serenitas illustrat.* Notum est quod tradit Quintilianus, lib. VIII, cap. 2, fuisse præceptorem aliquem qui discipulos obscurare quæ dicerent juberet.

Scripti libelli. Codex Fuxensis, in quo bis descripta est hæc epistola, habet in uno loco *libellus scriptus* C *gregatim multis nomine Pauli daretur.*

Multis. In codice sancti Dionysii Remensis scriptum est *ructis*, in Fuxensi *rustis*. In vita sanctæ Tygris virginis Mauritanæ in Sabaudia edita in tomo quinto Junii Bollandiani legitur, pag. 75 : *Concessit etiam vallem Cottianam in gyrum Mauritaniæ structam et rustes et fivum, quæ muris et tectis ecclesiæ ministrarent.* Ubi Daniel Papebrochius conjicit per rustes intelligi debere rusticos, quos alias dicimus servos glebæ. Ex quo fortassis colligi posset reponendum esse *rusticis*, tamquam Cyprianus in eo perstiterit quod paulo ante dixit, Lucianum se imperiti vulgi auctorem constituisse. Si quis hanc conjecturam approbat, ea uti potest.

Matri suæ. Hæc tantum editio Manutii. Morellius et Pamelius adjecerunt *et sorori*. Nulla porro sororis mentio est in codice Remensi, neque in Fuxensi, in quibus scriptum est *quæ lapsa fuerat*. In variis lectionibus quas habeo ex codice Veronensi nulla quo- D que sororis mentio. Exstat tamen in meo et in Gratianopolitano.

Sub ejus nomine. Codex Remensis, *sub ejusmodi occasione perseveraverit.*

Litteras non nosset. Hinc ergo colligi potest hunc Aurelium esse diversum ab Aurelio lectore ecclesiæ Carthaginensis, de cujus ordinatione agitur in epistola XXXII. Sic in prima collatione Carthaginensi inter Catholicos et Donatistas, cap. 133, Trifolius episcopus Aborensis subscribit pro Paulino Zumensi præsente litteras nesciente. Et in professione Zenonis chorepiscopi sectæ quartodecimanorum, relata in actione prima concilii Chalcedonensis, Flavius Palladius subscribit pro eo *ob quod præsens diceret litteras se ignorare.* Immo in concilio Chalcedonensi, post relecta acta quædam Ephesinæ primæ synodi, subscribit Elias episcopus Hadrianopolis per Romanum episcopum Myrorum, *ob quod nesciebam litteras*, et Cajumas episcopus Phœnicensis vel Phaunæ, ut est in veteribus libris, per coepiscopum suum Dionysium, *propter quod litteras ignorem.* Itaque sequens ætas providit huic incommodo, et statuit ut illiterati ad ecclesiasticum servitium non admitterentur, quia litteris carens non potest sacris aptus esse officiis, ut legitur in epistola Papæ Gelasii ad episcopos per Lucaniam et Brutios et Siciliam constitutos. Fulbertus episcopus Carnotensis, ad Robertum regem Francorum scribens epist. 88 de electione Franconis episcopi Parisiensis, ait se illam approbare *si est optime litteratus.* Anno 1097, cum vacaret ecclesia Pragensis, electus est Normannus diaconus ut illic episcopus esset, vir, *quæ prima est in clerico virtus*, inquit Cosmas decanus Pragensis, *apprime litteratus.* In concilio Remensi anni 991, Arnulphus episcopus Aurelianensis ait in capite 28 nullum [a10] pene hoc tempore Romæ fuisse qui litteras didicerit. In hac autem epistola et in pluribus aliis in eamdem sententiam scriptis, sic de libellis martyrum loquitur Cyprianus, ut minime neget eorum meritis lapsos adjuvari posse. Nam in Epistola XIII edicit, *ut qui libellos a martyribus acceperunt, et prærogativa eorum apud Deum adjuvari possunt, si incommodo aliquo et infirmitatis periculo occupati fuerint, non exspectata ipsius præsentia, apud presbyterum quemcumque præsentem, vel si presbyter repertus non fuerit et urgere exitus cœperit, apud diaconum quoque exomologesin delicti sui facere possint*, etc. Credebat ergo Cyprianus martyrum prærogativa, vel ut ait in Epistola XIV, *auxilio eorum adjuvari apud Dominum in delictis suis posse.* Sic etiam in libro *de Lapsis*, pag. 187, fatetur martyrum mandatis aliquid concedi posse, *si justa, si licita, si non contra ipsum Dominum a Dei sacerdote facienda, si obtemperantis facilis et prona consensio, si petentis fuerit religiosa moderatio.* Quare non ipsam consuetudinem, quæ dudum in Ecclesia vigebat, sed abusum vituperat, et nimiam nonnullorum confessorum, inprimis Luciani licentiam, qui libellos in hanc sententiam scriptos dabant : *Communicet ille cum suis;* nec observabant quod Cyprianus præceperat in Epistola XI, ut diligenter inspicerent et actum et opera et merita singulorum, ipsorum quoque delictorum genera et qualitates, et quos ipsi noverant quorum pœnitentiam satisfactioni proximam conspiciebant, eos nominatim libellis designarent. Duo autem adhuc observanda sunt; 1° confessores non dedisse pacem, sed petiisse ut daretur; 2° ne illud quidem ausos fuisse postulare, ut ante reditum Cypriani pax lapsis daretur, sed hac in re morem episcopo suo gessisse. Quare non eorum auctoritate quinque presbyteri, sed sua improbitate adducti sunt ut ante reditum episcopi, ac eo prorsus inconsulto, lapsos ad communionem admitterent.

II.—*Evangelii ratio.* Codex Fuxensis, *evangelicæ traditionis disciplina.*

Lucianus epistolam scripsit. Id est Epistolam XVI.

Digitized by Google

per me aliis episcopis innotescere velle, cujus epistolæ exemplum ad vos transmisi. Additum est plane, de quibus ratio constiterit quid post commissum egerint. Quæ res majorem nobis conflat invidiam, ut nos cum singulorum causas audire et excutere cœperimus, videamur multis negare quod se nunc omnes jactant a martyribus et confessoribus accepisse.

III. Denique hujus seditionis origo jam cœpit. Namque [a] in provincia nostra per aliquot civitates in præpositos impetus per multitudinem [b] [32] factus est, et pacem, quam semel [c] cuncti a martyribus et confessoribus datam clamitabant, confestim sibi repræsentari coegerunt, territis et subactis præpositis suis, qui ad resistendum minus virtute animi et robore fidei prævalebant. Apud nos etiam quidam turbulenti, qui vix a nobis in præteritum regebantur et in nostram præsentiam [d] differebantur, per hanc epistolam velut quibusdam facibus accensi, plus exardescere et pacem sibi datam extorquere cœperunt. De quibus quales ad clerum nostrum litteras fecerim, exemplum vobis misi. Sed et quid mihi Caldonius collega pro integritate et fide sua scripserit, quidque ego ei rescripserim, utrumque ad vos legendum transmisi. Exempla quoque epistolæ Celerini boni et robusti confessoris, quam ad Lucianum eumdem confessorem scripserit, item quid Lucianus ei rescripserit, misi vobis, ut sciretis et laborem circa [e] omnia et diligentiam nostram, et veritatem ipsam [f] discerctis, Celerinus confessor quam sit moderatus et cautus, et humilitate ac timore sectæ nostræ verecundus, Lucianus vero circa intelligentiam Dominicæ lectionis, ut dixi, minus peritus [g], et circa invidiam verecundiæ nostræ relinquendam facilitate sua molestus. Nam, cum Dominus dixerit in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti gentes tingui (*Matth.* XXVIII, 19) et in Baptismo præterita peccata dimitti (*Joan.* III, 5), hic, præcepti et legis ignarus, mandat pacem dari et peccata dimitti in Pauli nomine, et hoc sibi dicit ab illo esse mandatum, sicut in litteris ejusdem Luciani ad Celerinum factis animadvertetis : quibus minime [h] consideravit quod non martyres Evangelium faciant, sed per Evangelium martyres fiant ; quando et Paulus apostolus, quem Dominus vas electionis suæ dixit (*Act.* IX, 15), posuerit in Epistola sua dicens : *Miror quod sic tam cito demutamini ab eo qui vos vocavit in gratiam, ad aliud evangelium ; quod non est aliud : nisi si sunt aliqui qui vos turbant et volunt convertere Evangelium Christi. Sed, licet nos aut Angelus de cœlo aliter adnuntiet præterquam quod* [i] *adnuntiavimus vobis, anathema sit : sicut prædiximus, et nunc iterum dico, si quis vobis adnuntiaverit præterquam quod accepistis, anathema sit* (*Gal.* I, 6, 8).

IV. Opportune vero supervenerunt litteræ vestræ, quas accepi, ad clerum factas, item quas beati confessores Moyses et Maximus, Nicostratus et cæteri Saturnino et Aurelio et cæteris miserunt, in quibus Evangelii plenus vigor et disciplina robusta legis Dominicæ continentur. Laborantes hic nos et contra invidiæ impetum totis fidei viribus resistentes multum sermo vester adjuvit ut divinitus compendium fieret, et priusquam venirent ad vos litteræ quas vobis proxime misi, ut declararetis nobis quod secundum Evangelii legem nobiscum fortiter atque unanimiter etiam vestra sententia [j] concurrat. Opto vos, fratres charissimi ac desiderantissimi [k], semper bene valere.

Quoniam opera sancti Cypriani vulgo citari solent secundum ordinem quem obtinent in editione Pamelii et in Rigaltiana, nosque hunc ordinem sequi decrevimus, typographus autem, ex cujus officina prodiit editio Rigaltiana, numerum XXIII *omisit per saltum in edendis Epistolis, admónere visum est nos quoque eundem errorem retinuisse, propter rationem quam in initio istius admonitionis adduximus.* D. PR. MARAN.

LECTIONES VARIANTES.

[a] Nam *Oxon.*
[b] Multitudinum *Impr.*
[c] Quamvis semel *Veron.* quam vix *Lat.*
[d] Sententiam *Bod.* 1.
[e] Laborare circa *Bod.* 1.
[f] Veritate ipsa *Bod.* 1.
[g] Diximus imperitus *Bod.* 1.
[h] Quibus minus *Bod.* 1.
[i] Præterquod *Bod.* 1. Præterquam adnuntiavimus *Oxon.*
[j] Præsentia *Bod.* 1.
[k] Desideratissimi *Oxon. Lips.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

III.—*Pacem quam semel.* Tertullianus in libro ad Martyres : *Quam pacem quidam in Ecclesia non habentes a martyribus in carcere exorare consueverunt.* Vide Dallæum, lib. VII *de pœnis et satisfactionibus humanis*, cap. 16.

Caldonius. Cujus epistola ad Cyprianum est XVIII, inter Epistolas Cypriani. Cyprianus autem ei respondet Epist. XIX.

Lucianus. Idem procul dubio cujus mentio est in Epistola LXXVIII, pag. 161, in qua vocatur *Lucanus* in quibusdam vetustis codicibus et editionibus.

Sectæ nostræ. Sic olim vocabatur Ecclesia catholica. Hodie vocabulum illud invidiosum est, ut pridem monuit Erasmus in caput XXIV *Actorum*. Vide Pamelii notas ad hanc epistolam et Xisti Betulcii notas ad Lactantium, pag. 482. (*Sectæ* nomine in bonam partem frequenter utitur Tertullianus, pro confessione christiana, uti videre est libris *de Fuga in persecutione*, *de Pallio* et *Apologetico contra gentes*. Quem pro more suo imitatur Cyprianus, tum hic tum Epistola XXXIV, *de Celerino*, et præfat. lib. I *Testimoniorum ad Quirinum*. Sic etiam *Actor.* XXVI, αἱρέσεως in bonam partem accepisse Apostolum, testis est Beda *Retractatione sua* in *Acta*, pro quo ibidem *sectam* non male vertit noster interpres. PAMEL.)

Minus peritus. Codex Remensis et Fuxensis, *imperitus.*

Molestus. Codex Remensis et Gratianopolitanus et editio Manutii, *modestus*. Quo etiam modo scriptum est in libro meo vetere. Fuxensis in uno exemplari habet *molestus*, in alio *immodestus.*

IV.—*Secundum Evangelii legem.* In codice Remensi et in uno exemplari Fuxensi legitur, *legem misi et vobiscum fortiter et unanimiter etiam nostra concurra t.*

Digitized by Google

[a] EPISTOLA XXIV.

(Erasm., IV, 22. Pamel., Rigalt., Baluz., XXIV. Paris., XXIII. Oxon., Lips., XXVIII.)

AD CLERUM, DE LITTERIS ROMAM MISSIS ET DE SATURO LECTORE ET OPTATO HYPODIACONO FACTIS.

ARGUMENTUM. — *Clerus hac epistola certior fit ordinationis Saturi et Optati, et de iis quæ Romam Scripsit Cyprianus.*

Cyprianus presbyteris et diaconibus fratribus salutem. Ne quid conscientiam vestram lateret, fratres charissimi, quid mihi scriptum sit, quidque ego rescripserim, utriusque epistolæ vobis exemplum misi; et credo vobis id quod rescripsi non displicere. Sed et illud ad vos perferre litteris meis debui, urgente causa clero in Urbe consistenti litteras me misisse. Et quoniam oportuit me per clericos scribere, scio autem [a] nostros plurimos absentes esse, paucos vero qui illic sunt vix ad ministerium quotidiani operis sufficere, necesse fuit novos aliquos constituere qui mitterentur [b]. Fecisse me autem sciatis lectorem Saturum et hypodiaconum Optatum confessorem, quos jam pridem communi consilio clero proximos feceramus, quando aut Saturo die Paschæ semel atque iterum lectionem dedimus, aut quando cum presbyteris doctoribus lectores diligenter probaremus, Optatum inter lectores doctorem audientium constituimus, examinantes an congruerent illis omnia quæ esse debent in iis qui ad clerum parabantur. Nihil ergo a me absentibus vobis novum factum est, sed quod jampridem communi consilio omnium nostrum cœperat, necessitate urgente promotum est. Opto vos, fratres charissimi, semper bene valere et nostri meminisse. Fraternitatem salutate. Valete.

A

EPISTOLA XXV.

(Erasm., IV, 3. Pamel., Rigalt., Baluz., XXV. Paris., XXIV. Oxon., Lips., XXVIII.)

AD MOYSEN ET MAXIMUM ET CÆTEROS CONFESSORES.

ARGUMENTUM. — *Epistola hæc est gratulatoria ad confessores Romanos.*

I. Cyprianus Moysi et Maximo presbyteris et cæteris confessoribus, dilectissimis fratribus, salutem. Gloriam fidei et virtutis vestræ, fortissimi [c] ac beatissimi fratres, jampridem de opinione cognoveram, lætatus satis et plurimum gratulatus quod vos confessione sui nominis paraverit [d] ad coronam Domini nostri Jesu Christi præcipua dignatio. Vos enim primores et duces ad nostri temporis prælium facti, cœlestis militiæ signa movistis. Vos spiritale certamen B quod nunc geri Deus voluit vestris virtutibus imbuistis. Vos surgentis belli impetus primos immobili robore atque inconcussa stabilitate [e] fregistis. Inde initia felicia pugnandi orta sunt; inde vincendi auspicia cœperunt. Contigit [f] hic per tormenta consummari [g] martyria. Sed qui in congressione [h] præcedens exemplum virtutis fratribus factus est, cum martyribus in honore communis est. Coronas vestra [i] manu sertas inde huc tradidistis, et de poculo salutari fratribus propinastis.

II. Accessit ad confessionis exordia gloriosa et militiæ [j] victricis auspicia disciplinæ tenor quem de epistolæ vestræ vigore perspeximus, quam modo ad collegas vestros in confessione vobiscum Domino [k] [a] copulatos sollicita admonitione misistis [l] ut Evan- C gelii sancta præcepta et tradita nobis semel mandata vitalia forti et stabili observatione teneantur. Ecce alius gloriæ vestræ sublimis gradus, ecce iterum cum confessione geminatus promerendi Dei titulus, stare firmo [m] gradu, et in hac acie qui Evangelium conantur irrumpere et, præceptis Domini subruendis manus

LECTIONES VARIANTES.

[a] Scio enim *Lam. Ebor. NC.* 1. *M A.*
[b] Qui ministrent *Ar. Ebor. Lam. NC.* 1. *MR.*
[c] Carissimi *Lam. Ebor.*
[d] Illustraverit *Ver.*
[e] Inconcussa fidei stabilitate *Lam.*
[f] Contingit *Oxon.*
[g] Consummare *Ver.*
[h] Confessione *Lam. Ebor. NC.* 1.
[i] Vestras *MR.*
[j] Ad gloriosæ militiæ *Pem. Voss.*
[k] Domini *Bod.* 1.
[l] Fecistis *Ver.*
[m] Firmas *Bod.* 1.

D

STEPH. BALUZII NOTÆ.

EPIST. XXIV. — *Quidque ego rescripserim.* Ista desunt in editionibus quæ Manutianam antecesserunt. Desunt etiam in octo codicibus antiquis a me visis et in quibusdam Anglicanis.

Clero. Id est iis ex clero Carthaginensi qui tum Romæ erant, ad quos scripta est Epistola XXII.

Ministerium quotidiani operis. In libro meo vetere legitur *ministerii cotidiani opus.* In Fuxensi, *ministerium cotidianum non sufficere.* In Beccensi et in Carnotensi, *ministerium cotidianum operis sufficere.*

Cum presbyteris. Hic locus valde perturbatus est in antiquis exemplaribus. Pamelius lectionem quam nos retinuimus ait se consarcinasse.

Omnia. Ita omnes libri veteres et editiones. Verum quia in editione Rigaltii mendose [b] [1] excusum est *monia* pro *omnia.* Angli absque ulla vetusti codicis auctoritate, existimantes haud dubie syllabas *testi* excidisse typographis Rigaltii, posuerunt *testimonia.* Et tamen Rigaltius monuerat in erratis legendum esse *omnia.*

EPIST. XXV. — In vetusto codice Remigiano epistola ista dicitur scripta Mosi, Maximo, Nicostrato et cæteris. In veteri catalogo episcoporum Ecclesiæ Romanæ, quem Rigaltius laudat ex codice Nicolai Fabri Peirescii, legitur: *Post passionem Fabii Moyses et Maximus presbyteri et Nicostratus diaconus comprehensi sunt et in carcerem sunt missi.* Ita etiam in alio catalogo quem ex Cuspiniano edidit Ægidius Bucherius; ex quo colligitur pro *Fabii*, quod est in libro Peirescii, reponendum esse *Fabiani.* Maximum fuisse presbyterum Ecclesiæ Romanæ testatur Papa Cornelius apud Eusebium, lib. VI, cap. 3, *Historiæ ecclesiasticæ.* Vide Baronii annotationes ad martyrologium Romanum die 19 novembris.

II. — *Domino copulatos.* In codice Beccensi scriptum est *Domini.*

Digitized by Google

impias inferentes [a], fidei robore submovere, præ- A buisse ante initia virtutum, nunc et morum magisteria præbere. Dominus post resurrectionem mittens apostolos mandat et dicit : *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra. Ite ergo et docete gentes omnes, tingentes* [b] *eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, docentes eos observare omnia quæcumque præcepi vobis.* (*Matth.* XXVIII, 19). Et Joannes apostolus mandati memor in Epistola sua postmodum ponit [c]: *In hoc*, inquit, *intelligimus quia cognovimus eum, si præcepta ejus custodiamus. Qui dicit quoniam cognovit eum, et mandata ejus non servat, mendax est et veritas in illo non est.* (I *Joa.*, II, 3, 4). Hæc præcepta custodienda [d] suggeritis, divina et cœlestia mandata servatis. Hoc est confessorem Domini, hoc est esse martyrem Christi, servare vocis suæ inviolatam circa omnia, et solidam firB mitatem. Nam velle præter Dominum [e] martyrem fieri et præcepta Domini destruere conari, uti adversus illum dignatione quam tibi dederit, armis ab illo acceptis rebellem quodammodo fieri, hoc est Christum confiteri velle [f] et Evangelium Christi negare. Lætor igitur ex vobis, fortissimi [g] ac fidelissimi fratres; et quantum gratulor martyribus istic [h] honoratis ob virium gloriam, tantum gratulor pariter et vobis ob Dominicæ etiam disciplinæ coronam. Dignationem suam Dominus multiplici genere largitatis infudit, bonorum militum laudes et glorias spiritales copiosa varietate distribuit. Honoris vestri participes et nos sumus, gloriam vestram nostram gloriam computamus, quorum tempora illustravit tanta felicitas, ut ætatem nostram videre contingeret probatos C servos Dei et Christi milites coronatos. Opto vos [i], fortissimi ac beatissimi fratres, semper bene valere et nostri meminisse.

EPISTOLA XXVI.

(Pamel., Rigalt., Baluz., XXVI. Paris., XXV. Oxon., Lips., XXXI.)

MOYSES, MAXIMUS, NICOSTRATUS, ET ALII CONFESSORES RESPONDENT PRÆCEDENTI EPISTOLÆ.

ARGUMENTUM. — *Solatia quæ ex Cyprianis litteris perceperant Romani confessores, grati agnoscunt.* — *Martyrium non pœna sed felicitas.* — *Voces evangelicæ faces ad inflammandam fidem.* — *In lapsorum causa Cypriani sententiæ acceditur.*

I. Cæcilio Cypriano, episcopo ecclesiæ Carthaginensium, Moyses et Maximus presbyteri et Nicostratus et Rufinus diaconi et cæteri confessores in fide veritatis perseverantes in Deo Patre et in Filio ejus B Jesu Christo Domino nostro et in Spiritu sancto salutem. Inter varios et multiplices, frater, dolores nobis constitutis propter præsentes multorum fratrum [j] per totum pene orbem ruinas, hoc præcipuum nobis solatium supervenit, quod acceptis litteris tuis erecti sumus [k], et dolentis animi mœroribus fomenta [l] suscepimus. Unde intelligere jam possumus gratiam divinæ providentiæ forsitan non ob aliam causam nos tam diu clausos vinculis carceris reservare voluisse, nisi ut, instructi [m] et robustius animati litteris tuis, voto proniore ad coronam destinatam possemus pervenire. Illuxerunt enim nobis litteræ tuæ ut in tempestate [33] quadam serenitas, et in turbido mari exoptata [n] tranquillitas, et in laboribus requies, ut in periculis et doloribus sanitas, ut in densissimis C tenebris candida lux et refulgens [o]. Ita illas animo sitiente perbibimus et voto esuriente suscepimus, ut ad certamen inimici [p] ex illis nos satis pastos et saginatos gaudeamus. Reddet tibi Dominus pro ista

LECTIONES VARIANTES.

[a] Et hanc aciem quæ Evangelium — impias inferre *Lam. Ebor. NC.* 1. Quæ in Evangelio coronatur *Ver. Vat. innom. Spir. Remb.*
[b] Baptizantes *Ebor. NC.* 1.
[c] Ponit et dicit *Pem. Lin. Voss.* 2.
[d] Cum custodienda *Oxon.*
[e] Pro Domino *NC.* 2.
[f] Nolle *Pem.*
[g] Dilectissimi fratres *Lam. Lin. Ebor. NC.* 1.
[h] Illis *Pem.*
[i] Desunt reliqua in *Corb.*
[j] Fratrum *omittit Oxon.*
[k] Et rectissimus *Bod.* 2. *Lam. Ebor. NC.* 1. Et recreati *Ben.*
[l] Dolenti animæ roboris fomenta *Lam. Lin. NC.* 1. *Bod.* 2.
[m] Instructius *Manut.*
[n] Exorta *Bod.* 2. *Ben. Lam. Ebor. NC.* 1.
[o] Lux refulgens *Ben. Bod.* 2.
D [p] Certamen animi *Lam. Bod.* 2. *Ebor.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

Præter Dominum. In plerisque veteribus libris scriptum est *per Dominum*. In uno meo, *nam præter Dominum martyrem fieri*. In Beccensi, *nec propter Dominum martyria fieri*. Ita etiam fere Carnotensis.

Honoratis. Codex Gratianopolitanus, *honeratis*. Quidam libri veteres et quædam editiones habent *coronatis*.

Ætatem nostram. Ita nos reposuimus secuti auctoritatem veterum editionum et octo veterum exemplarium. Fatendum tamen est lectionem quæ habet *ætate nostra* exstare etiam in octo codicibus antiquis.

In calce hujus Epistolæ et in calce Epistolæ XXXIV, scriptum est antiquitus in codice Pithœi: *Emendavit Justinus Romæ.*

EPIST. XXVI. — In vetustissimo codice sancti Remigii Remensis scriptum est antiquitus in titulo istius Epistolæ : *Incipit rescriptum Mysei et Maximi ad Cyprianum, quam dictavit Novatianus.* In Gratianopolitano Myseus sæpe dicitur quem vulgo vocamus Moysem. In martyrologio edito a Florentinio XV februarii, *civitate Astæ Moysei.* In fragmentis Paciani, in codice Flori, legitur in parænesi ad pœnitentiam, *apud Moseum et veteres*, et paulo post, *Moyseum pro blasphematore.* In initio conflictus Arnobii cum Serapione legitur *Moseo.* Vide præfationem viri clarissimi domni Bernardi de Montefalcone *ad Athanasium*, pag. 34. De Novatiani eloquentia, a quo epistola ista dicitur dictata, vide quæ notantur infra ad Epistolam XXX.

I.—*Cæcilio Cypriano.* Hanc inscriptionem accepimus ex eodem codice sancti Remigii. Eam vero ob eam in primis causam posuimus, quod ex ea discamus formam scribendi illorum temporum. Nam haud dubie inscripta fuit epistola eo modo quo legitur in illo veteri libro.

Pastos et saginatos. Supra in Epistola *ad Donatum*, pag. 3 (col. 192) : *Impletur in succum cibis fortioribus*

Digitized by Google

tua charitate mercedem, et hujus tam boni operis repræsentabit debitam frugem. Non minus enim coronæ mercede condignus est qui hortatus est quam qui et passus est, non minus laude condignus qui docuit quam qui et fecit. Non minus honorandus est qui monuit quam qui dimicavit, nisi quoniam nonnumquam magis gloriæ cumulus redundat ad eum qui instituit quam ad eum qui se docibilem discipulum subministravit. Hic enim fortassis hoc quod exercuit non habuisset, nisi ille docuisset.

II. Percepimus igitur, iterum dicimus, frater Cypriane, magna gaudia, magna solatia, magna fomenta, maxime quod et gloriosas martyrum, non dicam mortes, sed immortalitates gloriosis et condignis laudibus prosecutus es. Tales enim excessus talibus vocibus prosequendi fuerunt, ut quæ referebantur sic diceremur qualiter facta sunt. Ex tuis ergo literis vidimus gloriosos illos martyrum triumphos, et oculis nostris quodam modo cælum illos petentes prosecuti sumus, et inter Angelos ac Potestates Dominationesque cœlestes constitutos contemplati [a] sumus. Sed et Dominum apud Patrem testimonium suum illis promissum perhibentem [b] auribus nostris quodam modo sensimus [c]. Hoc est ergo quod et nobis animum in dies erigit, et ad consequendos gradus tantæ dignationis incendit [d].

III. Quid enim gloriosius, quidve felicius ulli hominum poterit ex divina dignatione contingere, quam inter ipsos carnifices in ipso interitu confiteri Dominum Deum, quam inter sævientia [e] sæcularis potestatis varia et exquisita tormenta, etiam extorto et excruciato [f] et excarnificato corpore, Christum Dei Filium, etsi recedente sed tamen libero spiritu, confiteri, quam relicto mundo cœlum petisse, quam desertis hominibus inter Angelos stare, quam impedimentis omnibus sæcularibus ruptis in conspectu Dei jam se liberum sistere, quam cœleste regnum sine ulla cunctatione tenere, quam collegam passionis cum Christo in Christi nomine factum fuisse, quam judicis sui divina dignatione judicem factum fuisse, quam immaculatam conscientiam de confessione nominis repertasse, quam humanis et sacrilegis legibus contra fidem non obedisse, quam veritatem voce publica contestatum fuisse, quam ipsam quæ ab omnibus metuatur moriendo mortem subegisse, quam per ipsam mortem immortalitatem consecutum fuisse, quam omnibus sævitiæ instrumentis excarnificatum et extortum [g] ipsis tormentis tormenta superasse, quam omnibus dilaniati corporis doloribus robore animi reluctatum fuisse, quam sanguinem suum profluentem non horruisse, quam supplicia sua post fidem amare cœpisse, quam detrimentum vitæ suæ putare non exisse [h]?

IV. Ad hoc enim prælium quasi quædam tuba Evangelii sui nos excitat Dominus dicens: *Qui plus diligit patrem aut matrem quam me, non est me dignus; et qui plus diligit animam* [i] *suam quam me, non est me dignus; qui non tollit crucem suam et sequitur me, non est me dignus*

LECTIONES VARIANTES.

[a] Quasi contemplati *Lam. NC.* 1. *Ebor. Ben. Bod.* 1, 2. *Vat. Vet. innom.*
[b] Reddentem *Lam. Ebor. NC.* 1. *Ben.*
[c] Similiter sensimus *Bod.* 2. *Lam. Ebor. NC.* 1. *Ben.*
[d] Accendit *Ben.* intendit *Impr.*
[e] Sævientes Lam. *Ebor. NC.* 1.
[f] Excruciato corpore *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 1. 2.
[g] Excoriatum *Lam. Bod.* 2. *Ebor.*
[h] Vixisse *Vat. Bod.* 2. Vicisse *Ver. Ben.*
[i] Sic *Ben. omittit Oxon.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

corpus, ut saginatus in pœnam carius pereat. Mos olim erat, ut annotat Holstenius ad *Acta sanctarum Perpetuæ et Felicitatis*, eos qui vel pœnæ causa ad gladiatorium vel venatorium ludum dati essent, aut sponte se iisdem addicerent, saginari prius a magistris ludi, ut habiliores ac valentiores producerentur. Apud T. Livium, lib. v, scriptum est saginare plebem populares suos ut jugulentur. Tacitus in libro II Historiarum: *Ibi militibus Vitellius paratos cibos et gladiatoriam saginam dividebat.* Hieronymus in libro II adversus Jovinianum: *Athletas, quorum vita et ars sagina est.* Q. Curtius, lib. IX: *Intererat epulis Dionysius Atheniensis, pugil nobilis, et ob eximiam virtutem virium a rege promotus et gratus. Invidi malignique increpabant per seria et ludum saginati corporis sequi inutilem belluam.* Vide Cassianum lib. VI, cap. 7, *de institutis renuntiantium.*

II.—[a] *Prosequendi.* Ita nos restituimus, secuti auctoritatem vetusti codicis Remigiani, cum antea legeretur *personandi.* Et certe nostra lectio semper melior apparebit.

Perhibentem. Codex Fuxensis, *Perhibentem atque reddentem.*

III.—*In ipso interitu.* In editione Manutii, cui prima editio istius epistolæ debetur, et in editionibus quæ postea secutæ sunt legitur *interritum.* Quod cum vir doctissimus Dionysius Petavius existimaret esse mendosum, censuit in notis ad Themistium reponi debere *inter ictus.* Quæ conjectura videbatur ei loco admodum convenire; eamque ego valde probabam, præsertim cum ea confirmari posse videretur auctoritate etiam Cypriani, qui scribit in epistola LIV, pag. 71, *sub ictu mortis*, in Epistola LXV, p. 113, *sub ictu passionis*, ut apud Pontium quoque diaconum in Vita ejus, in epistola LXXXI, pag. 165, *sub ictu agonis*, et in calce libri *adversus Demetrianum*, pag. 224, *sub ipso exitu vitæ.* Verum, inventa semel vera lectione, non opus est uti conjecturis. Lectionem autem a me restitutam reperi in eodem libro Remigiano. Eamdem habuisse Anglos in suis codicibus, satis constat.

Quam judicis.... fuisse. Segmentum istud deest in tribus antiquis codicibus, in Remigiano nimirum, in Divionensi et in Sorbonico.

Non exisse. Id est, non excessisse a vita. Ipse Cyprianus in libro *de Mortalitate*, pag. 234, *Pati timetis, exire non vultis.* Hinc *exitus* pro morte sæpe apud eumdem Cyprianum.

IV.—*Et qui plus diligit animam.* Hæc, quæ exstant in editione Manutii, et desunt in Morelliana, Pamelius consilio potius quam auctoritate prætermisit, quia non reperiuntur, ut ille ait, neque in græcis neque in latinis codicibus. Sed ego in emendandis Cypriani operibus non quæro quid reperiatur in græcis et latinis exemplaribus sacrorum Bibliorum, sed quid Cyprianus scripserit. Extat autem hæc sententia in duobus antiquis codicibus sancti Remigii Remensis, in Sorbonico et in Fuxensi, id est in omnibus fere codicibus antiquis. Etenim sex tantum epistolæ istius antiqua exemplaria habui. Exstat etiam in quatuor antiquis codicibus laudatis in editione Anglicana.

Digitized by Google

(*Matth.* x, 37). Et iterum : *Beati qui persecutionem passi fuerint* [a] *propter justitiam; ipsorum enim est regnum cœlorum. Beati eritis* [b] *cum vos persecuti fuerint et odio habuerint* [c]. *Gaudete et exultate. Sic enim et prophetas persecuti sunt, qui ante vos fuerunt, patres eorum* (*Matth.* v, 10, 12). Et iterum : *Quoniam* [16] *ante reges et potestates* [d] *stabitis, et tradet frater fratrem ad mortem, et pater filium; et qui perseveraverit usque ad finem, hic salvus erit* (*Matth.* x, 18, 21, 22). Et : *Vincenti dabo sedere super thronum meum, sicut et ego vici et sedi super thronum patris mei* (*Apocal.*, III, 21). Sed et Apostolus [e] : *Quis nos separabit a charitate Christi? Pressura, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? sicut scriptum est : qui propter te interficimur tota die, æstimati sumus velut oves victimæ, sed in iis omnibus supervincimus pro eo qui nos dilexit* (*Rom.* VIII, 35, 37).

V. Hæc et hujusmodi cum in Evangelio collata perlegamus [f], et quasi faces quasdam ad inflammandam fidem Dominicis vocibus suppositas nobis sentiamus, hostes veritatis jam non tantum non perhorrescimus, sed et provocamus, et inimicos Dei jam hoc ipso quod non cessimus vicimus [g], et nefarias contra veritatem leges [h] subegimus. Et si nondum nostrum sanguinem fudimus, sed fundere [i] parati sumus, nemo hanc dilationis nostræ moram clementiam judicet, quæ nobis officit, quæ impedimentum gloriæ facit, quæ cœlum differt, quæ gloriosum Dei conspectum inhibet. In hujusmodi enim certamine, et in hujusmodi, ubi decertat fides [j], prælio, mora martyres [k] non distulisse, vera clementia est. Pete ergo, Cypriane charissime, ut nos gratia sua Dominus magis ac magis in dies singulos quosque uberius [l] atque propensius et armet et illustret et viribus potentiæ suæ firmet ac roboret [m], et quasi [n] optimus imperator, milites suos, quos usque adhuc in castris carceris exercuit et probavit, producat jam ad propositi certaminis campum. Porrigat nobis arma divina, illa tela quæ nesciunt vinci, loricam justitiæ quæ nunquam solet rumpi, clypeum fidei qui non potest perforari, galeam salutis quæ non potest frangi [o], et gladium spiritus, qui non consuevit vulnerari. Cui enim magis hæc ut pro nobis petat mandare debemus, quam tam glorioso episcopo, ut hostiæ destinati [p] petant auxilium de sacerdote?

VI. Ecce aliud gaudium nostrum, quod in officio

LECTIONES VARIANTES.

[a] Patiuntur *Lam. Ebor. NC.* 1.
[b] Beati estis *Bod.* 1.
[c] *Sic Lam. Ebor. NC.* 1 Oderint *Oxon.*
[d] Præsides *Bod.* 1. 2. *Lam. Ebor. NC.* 1.
[e] Paulus *Lam. Ebor. NC.* 1. *Ben.*
[f] Perlegimus *Oxon.*
[g] Vincimus *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2.
[h] Civitatem leges *Ver.*
[i] Fudisse *Oxon.*
[j] Certamine ubi decertat fides *Lam. Ebor. NC.* 1. *Ben.*
[k] Martyres prælio non *Lam. Ebor. NC.* 1. *Ben.*
[l] Liberius *Lam. Ebor. NC.* 1.
[m] Probet ac formet *Lam. Ebor. NC.* 1. *Ben.*
[n] Qua optimus *Ver.* Quia *Val.*
[o] Galea — frangi *omittit Oxon.*
[p] Destinatæ *Ver. Ben.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

Odio habuerint. Ita vetus codex Remigianus, Sorbonicus, Divionensis, Gratianopolitanus et Fuxensis. Ita etiam editio Manutiana.

Patres eorum. Hæc desunt in codice Remigiano et in Fuxensi.

Potestates. Idem libri veteres habent *præsides.*

Victimæ. Ita etiam in epistola ad Fortunatum *de Exhortatione Martyrii*, cap. 6, et lib. III *Testimoniorum*, cap. 18. At tres codices nostri et quinque in editione Anglicana laudati præferunt *occisionis*, Fuxensis *jugulationis*. Vulgata editio Epistolæ Pauli *ad Romanos occisionis*. Sic etiam citat sanctus Augustinus, lib. I *Retractat.*, cap. 7, et lib. IV *de Doctrina christiana*, cap. 20. Item Primasius. Vide annotationes Erasmi in hunc locum Pauli.

Supervincimus. Cum viderem pro hac voce, quæ latina non est, scriptum esse *speramus* in codice Remigiano veteri, in Gratianopolitano et in Divionensi, tum etiam in quinque quorum variæ lectiones exstant in editione Anglicana, huc valde inclinabat animus ut vocem minime latinam expungerem, eam quæ latina est substituerem, præsertim cum ea exstet in Vulgata editione Epistolæ sancti Pauli ad Romanos, et illa quoque utatur sanctus martyr in libro *de Exhortatione Martyrii* ad Fortunatum. Verum, cum viderem illum posuisse *supervincimus* in libro III *Testimoniorum*, cap. 18, eamque vocem retentam esse a Tertulliano in *Scorpiace* et a sancto Augustino, lib. IV *de Doctrina christiana*, cap. 20, et lib. II *de Civitate Dei*, cap. 23, tum etiam in epistola *Evodii ad Augustinum*, existimavi nihil esse mutandum. Sic in Psalmis sæpe legitur *supersperavi;* apud Tertullianum, in libro *de Pœnitentia, superscenditur;* apud Symmachum, lib. I, Epist. 56, *superpingo;* apud Sidonium, lib. IX, Epist. 3, *superinsvicis.* Heic interim admonendum est codicem Veronensem habere *supervincimus* in libro *ad Fortunatum*, non vero *speramus*.

V.— *Provocamus*, id est, ultro nos offerimus persecutoribus, mori optantes, ut fecerant olim martyres Lugdunenses et Viennenses apud Eusebium. Tertullianus in libro ad Scapulam : *Denique, cum omni sævitia vestra concertamus, etiam ultro erumpentes.* Vide *Acta passionis sancti Stephani Papæ et martyris* in ipso initio. Et tamen publica temporis illius disciplina prohibebat ne quis ultro se offerret, cum hoc Scriptura divina prohibeat, ut legitur in Actibus proconsularibus de martyrio Cypriani; quia non temeritas sed fides et modestia coronatur, [a] ut legitur in epistola ecclesiæ Smyrnæorum apud Eusebium, ex versione Rufini. Deinde Mensurius episcopus Carthaginensis istud ita severe prohibuit ut etiam honorari prohibuerit Christianos qui se offerrent persecutionibus non comprehensi, uti pluribus dictum a nobis est ad caput undecimum Lactantii *de Mortibus Persecutorum*. Vide etiam sanctum Ambrosium, sive quis alius auctor est (cap. 37) *Officiorum*, et concilium Eliberitanum, canone 60, et Rigaltium ad Epistolam IV Cypriani.

Fundere. Hæc est lectio veteris libri Remigiani, certe optima. Sic etiam habent tres libri veteres laudati in editione Anglicana.

Nemo hanc: Idem codex Remigianus : *Nemo hanc dilectionem nostram more dementiæ judicet.*

Quæ impedimentum gloriæ facit. Istud deest in eodem codice Remigiano.

Exercuit et probavit. Codex Divionensis et recentior Remigianus, *et probavit et probat.* In illis autem omittitur vox *exercuit.*

Galeam salutis. Istud addidimus ex vetusto Remigiano, auctoritatem quoque secuti quinque veterum exemplarium Anglicanorum.

Digitized by Google

episcopatus tui, licet interim a fratribus pro temporis conditione distractus es, tamen non defuisti, quod litteris confessores frequenter corroborasti, quod etiam sumptus necessarios de tuis laboribus justis præbuisti, quod in omnibus te præsentem quodammodo semper exhibuisti, quod in nulla officii tui parte quasi aliquis desertor claudicasti. Sed quod nos ad majorem lætitiam robustius provocavit [a] tacere non possumus, quin omni vocis nostræ testimonio prosequamur. Animadvertimus enim te congruente censura et eos digne objurgasse qui, immemores delictorum suorum, pacem a presbyteris per absentiam tuam festinata et præcipiti cupiditate extorsissent [b], et illos qui sine respectu Evangelii sanctum Domini canibus et margaritas porcis profana [c] facilitate donassent, cum grande delictum, et per totum pene orbem incredibili vastatione grassatum, non oporteat nisi, ut ipse scribis, caute moderateque tractari, consultis omnibus episcopis, presbyteris, diaconibus, confessoribus, et ipsis stantibus laicis, ut in tuis litteris et ipse testaris; ne, dum volumus importune ruinis subvenire, alias majores ruinas videamur parare: ubi enim divinus [d] sermo relinquitur, si tam facile peccantibus venia præstetur? Fovendi sunt sane ipsorum [e] animi et ad maturitatis suæ tempus nutriendi, et de Scripturis sanctis quam ingens et supra omnia peccatum commiserint instruendi. Nec hoc animentur quia multi sunt; sed hoc ipso magis reprimantur quia non pauci sunt, Nihil ad extenuationem delicti numerus impudens valere consuevit [f], sed pudor, sed modestia, sed patientia, [37] sed disciplina, sed humilitas atque subjectio [g], sed alienum de se expectasse judicium, sed alienam de suo [h] sustinuisse sententiam. Hoc est quod pœnitentiam probat; hoc est quod impresso [i] vulneri inducit cicatricem; hoc est quod dejectæ mentis ruinas erigit et attollit, quod ardentem delictorum æstuantium vaporem restinguit et finit. Non enim quæ sanorum sunt corporum medicus ægris dabit [j], ne importunus cibus tempestatem valetudinis sævientis [k] non reprimat, sed accendat; scilicet ne quod potuisset maturius jejunio extenuari [l], per impatientiam longius pasta cruditate producat [m].

VII. Eluendæ sunt igitur impio sacrificio manus inquinatæ operibus bonis [n], et nefario cibo ora misera [o] polluta pœnitentiæ sunt [p] veræ sermonibus expianda, et in secretis cordis fidelis novellandus et consecrandus est animus [q]. Crebri pœnitentium gemitus audiantur: non semel tantum, sed

LECTIONES VARIANTES.

[a] Provocasti *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2.
[b] Extorsisse dicuntur *Lam. Ebor. Bod.* 2. *NC.* 1.
[c] Prona *Ver.*
[d] Divini metus *Lam. Ebor. Bod.* 1. *NC.* 1.
[e] Lapsorum *Vat.*
[f] Imprudens contulit *Vat.*
[g] Subjectio: Hoc est *Lam. Ebor.*
[h] Sed de suo actu *Bod.* 1.
[i] Hoc impresso *Ver.*
[j] Sanis corporibus, sed ægris medicus dabitur *Lam. Ebor.* 2. *NC.* 1.
[k] Sævientis *omitt. Lam. NC.* 1. *Ebor.*
[l] Attenuante sanari *Lam. Bod.* 1, 2. *NC.* 1. Attenuari *Ver.*
[m] Videatur produci *Lam. Ebor. Bod.* 1, 2. *Ben. Manut.*
[n] Malis *Ben. Lam. Ebor. NC.* 1.
[o] Misera *omittit. Lam. NC.* 2. *Ben.*
[p] Patienter *addit. NC.* 1. Veris sermonibus *Lam. Ebor. NC.* 1. *Ben.*
[q] Novellandus est animus *Lam. Bod.* 1, 2. *Ebor. NC.* 1. *Ben*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

VI.—*Licet interim.* In eodem vetusto codice Remigiano legitur, *licet inter initia fratribus pro temporis conditione destrictis*, haud dubie pro *distractis*. Ita etiam quinque codices Anglicani.

Te congruente censura. Idem codex Remigianus, *tua congruente censura eos digne*. Ita etiam recentior Remigianus et Compendiensis.

Eos objurgasse. Respicit hic locus ad Epistolam XXII, in qua agitur de pace quam quidam turbulenti sibi datam aiebant a confessoribus et martyribus. Quæ res magnam invidiam conflaverat Cypriano, quia id aiebat factam esse contra disciplinam ecclesiasticam. Vide etiam Epist. XIV.

Per absentiam tuam. Editio Manutiana et quatuor libri veteres, *per impatientiam*. Utraque lectio potest esse bona.

Canibus. Hæc vox itemque vox *porcis* desunt in omnibus libris veteribus.

Stantibus laicis. Id est laicis qui constantes fuerant in confessione nominis, qui non cesserant tormentis, qui non sacrificaverunt idolis. Inde in Epistola sequenti scriptum est Ecclesiam esse constitutam etiam in stantibus. Vide etiam Epistolam XXX.

Ubi enim. Vetus Remigianus: *Ibi enim divinus metus relinquitur cum tam facile peccantibus venia præstatur.* Vocem *metus* habent etiam aliquot alii libri veteres.

Et de Scripturis instruendi. Hæc desunt in tribus antiquis codicibus.

Quia multi sunt. Tertullianus in initio libri *de Pudicitia: Quasi non facilius sit errare cum pluribus, quando veritas cum paucis ametur.* Hieronymus in dialogo *adversus Pelagianos: Multitudo sociorum numquam te catholicum, sed hæreticum esse demonstrabit.* Nam, ut idem alibi ait, *peccantium multitudo non quærit errori patrocinium.* Seneca in libro *de Vita beata* cap. 2: *Non tam bene cum rebus humanis agitur ut meliora pluribus placeant. Argumentum pessimi turba est.* Idem lib. 1 *de Clementia*, cap. 21: *Fecit enim consuetudinem peccandi multitudo peccantium.* Quintilianus, lib. 1, cap. 6: *Unde enim tantum boni ut pluribus quæ vera sunt placeant?* Ovidius, lib. 1 *de Arte amandi:*

Pleraque sunt semper deteriora bonis.

Matthæus Bossus in disputatione, quæ est *de Gaudio: Levitatis et pessimi erroris auctor semper est turba.* Et Cicero in initio libri *Tusculanarum quæstionum*: *Ad vitia consentiens multitudo.* Annotat Nonius Marcellus antiquos paucorum numerum posuisse pro bonis, sicut et multorum pro malis. T. Livius lib. XXI: *Pauci ac optimus quisque Hannoni assentiebantur.*

Valere. Hæc vox non habetur in editione Morelliana, et deest etiam in quinque codicibus antiquis. Pro ea autem vetus Remigianus præfert *proficere*.

Patientia. Quidam codices habent *pœnitentia*, facili et multum obvio errore, uti monuimus ad Epistolam XVII, pag. 403. Codex Gratianopolitanus et editio Morellii habent *sapientia.*

Dejectæ mentis ruinas. Vetus Remigianus, *declives et trementes ruinas erigit et extollit.*

Vaporem restinguit. Tres libri veteres habent *extinguit: Congruas escas medicus ægris dat. Non enim*, etc.

Digitized by Google

iterum fideles ex oculis lacrymæ profundantur, ut illi ipsi oculi qui male simulachra conspexerunt, quæ illicita commiserant, satisfacientibus [a] Deo fletibus delcant. Non est nisi patientia morbis necessaria. Luctantur cum suo dolore qui languent, et ita demum sperant sanitatem, si tolerantia superarint dolorem; infidelis enim cicatrix quam cito festinans medicus induxit, et ad quemlibet casum medela rescinditur [b], si non [c] fideliter de ipsa tarditate remedia præstentur: cito rursus in incendium flamma [d] revocatur, nisi totius ignis, etiam usque ad extremam scintillam, materia restinguatur; ut merito hujusmodi homines sciant sibi etiam de ipsa mora magis consuli et fideliora necessariis dilationibus remedia præstari. Cæterum, ubi erit quod custodia squalidi carceris includuntur [e] qui Christum confitentur, si sine periculo fidei sunt qui negaverunt? ubi quod in nomine Dei catenarum ambitu vinciuntur, si sine communicatione non sunt qui confessionem Dei non retinuerunt [f]? ubi quod detenti martyres gloriosas [g] animas ponunt, si qui dereliquerunt fidem periculorum et delictorum suorum non sentiunt magnitudinem? Quod si nimiam impatientiam præferunt [h] et intolerabili festinatione communicationem exposcunt, frustra querula ista et invidiosa ac nihil adversus veritatem valentia jactant petulanti et infreno ore convicia, quandoquidem licuerit illis suo jure retinere quod nunc sua sponte quæsita necessitate [i] coguntur postulare. Fides enim quæ potuit Christum confiteri, A potuit et a Christo in communicatione retineri. Optamus te, beatissime ac gloriosissime papa [j], in Domino semper bene valere et nostri meminisse.

EPISTOLA XXVII.

(Pamel., Rigalt., Baluz., XXVII. Paris., XXVI, Oxon., Lips., XXXIII.)

CYPRIANUS LAPSIS.

ARGUMENTUM. — *Argumentum hujus epistolæ infra habes Epistola* XXIX. « *Litteras*, inquit, *ad me fecerunt, pacem non dandam sibi postulantes, sed quasi jam datam sibi vindicantes, quod dicant Paulum omnibus pacem dedisse, sicut in litteris eorum quarum exemplum ad vos transmisi, legetis, simul quid et ego eis breviter rescripserim.* » *Desideratur autem lapsorum epistola ad quos rescribit.*

I. Dominus noster, cujus præcepta et monita observare debemus, episcopi honorem et Ecclesiæ suæ rationem disponens, in Evangelio loquitur [k] et dicit Petro: *Ego tibi dico quia tu es Petrus, et super istam petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferorum non vincent eam: et tibi dabo claves regni cælorum; et quæ ligaveris super terram erunt ligata et in cœlis, et quæcumque solveris super terram erunt soluta et in cœlis* (*Matth.* XVI, 18, 19). Inde per temporum et successionum vices episcoporum ordinatio et Ecclesiæ ratio decurrit, ut Ecclesia super episcopos [38] constituatur et omnis actus Ecclesiæ per eosdem præpositos gubernetur. Cum hoc itaque divina lege [l] fundatum sit, miror quosdam audaci temeritate sic

B

C

LECTIONES VARIANTES.

[a] Satisfacientes *Lam. Ebor.* 1. *NC.* 1. *Ben.*
[b] Extinguitur *Vat.*
[c] Cui non *Lam. Ebor. NC.* 1. *Ben.*
[d] Præstentur. Incendium flammæ *Lam. Ebor. NC.* 1. Lamina revocatur. *Ver.*
[e] Cæterum ubi erit quod judicia patiuntur, quod carcere includuntur *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2. *Ben.*
[f] Dei renuerunt *Lam. Ebor. NC.* 1. *Manut.*
[g] Ubi qui detenti gloriosas, *Lam. Ebor. NC.* 1. *Manut.*
[h] Præferunt minimam patientiam *Ben. Vat. Lam. Ebor. Bod.* 1, 2. *NC.* 2. Impatientiam præ se ferunt *Oxon.*
[i] Nunc necessitate *Lam. Ebor. NC.* 1.
[j] Optamus te, frater *Rigalt. Oxon.*
[k] Loquitur Ecclesiæ *Bod.* 1.
[l] Hoc ita divina lege *Bod.* 1.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

Vetus Remigianus, *morbum restinguit et finit.* Ita etiam Gratianopolitanus.

VII. — [bis] *Nisi patientia.* Idem codex Remigianus, *non est impatientia.* Ita etiam Sorbonicus, Fuxensis et Gratianopolitanus. In recentiore Remigiano et in Divionensi: *Non est nisi patientia in morbis.* Lucanus IX:

Gaudet patientia duris.

Intolerabili festinatione. Vetera exemplaria, *intolerabilem festinationem communicationis.* Sed hanc lectionem Pamelius ait esse pessimam.

Querula. Quidam libri veteres, *querelosa.*

Optamus te. Revocavimus hanc clausulam veterum editionum, quam reperimus etiam in quatuor antiquis codicibus. Nescio autem qua auctoritate Rigaltius aliam induxit, quam ego nuspiam reperi. Angli tamen eam retinuerunt.

EPIST. XXVII. — Hæc epistola in veteri libro sancti Dionysii Remensis et in uno meo est anepigrapha. In editione Morelliana dicitur esse Celerini ad lapsos. In editione Manutiana, quæ prima omnium est, et in libro Fuxensi, *Cyprianus lapsis.* Quæ est vera lectio.

I. — *Cujus præcepta.* Sequi in hoc loco placuit scripturam libri Fuxensis, quam puto esse meliorem ea quam præferunt editiones Manutii et Morellii et vetus liber mæus, ubi scriptum est, *cujus præcepta debemus metuere et observare.* Codex sancti Dionysii Remensis, *præcepta servire et observare.*

Non vincent eam. Ita etiam in libro *de Unitate Ecclesiæ*, pag. 194. Codex Fuxensis, *non prævalebunt adversus eam.* Apud Pacianum in epistola ad Symphronianum contra tractatus Novatianorum, *non convalescent adversus eam.*

Tibi dabo claves. Quamvis istic claves non dentur Petro, sed promittantur, veteres tamen existimarunt et recte, datas esse, easque solum Petrum accepisse ait Optatus, sed communicandas cum cæteris. Gerebat enim, ut ait sanctus Augustinus, totius Ecclesiæ figurata generalitate personam; et erant utique cæteri Apostoli quod fuit Petrus, pari consortio prædiți et honoris et potestatis, ut ait Cyprianus in libro *de Unitate Ecclesiæ.* Vide epistolam Stephani episcopi Larissææ ad Bonifacium papam II, editam in collectione Romana Holstenii, epistolam Mapinii episcopi Remensis apud Freherum et Duchesnium, et Franciscum Masonum lib. IV, cap. 3, 4, *de Ministerio Anglicano.*

Digitized by Google

mihi scribere voluisse, ut Ecclesiæ nomine litteras facerent, « quando [a] ecclesia in episcopo et clero et in omnibus stantibus sit constituta. » Absit enim nec Domini [b] misericordia et potestas ejus invicta patiatur ut Ecclesia esse dicatur lapsorum numerus, cums criptum sit : *Deus non est mortuorum, sed vivorum* (*Matth.* XXII, 32). Omnes quidem vivificari optamus, et ut in statum pristinum restituantur precibus nostris et gemitibus oramus. Si autem quidam lapsi Ecclesiam se volunt esse, et si apud illos atque in illis est Ecclesia, quid superest quam ut ipsi rogentur a nobis ut nos ad Ecclesiam dignentur admittere? Summissos ergo et quietos et verecundos esse oportet eos qui delicti sui memores satisfacere Deo debent, nec Ecclesiæ nomine litteras facere, cum se magis sciant Ecclesiæ scribere.

II. Scripserunt autem mihi nuper quidam de lapsis humiles et mites et trementes et metuentes Deum, et qui in Ecclesia semper gloriose et granditer operati sunt, et opus suum numquam Domino imputaverunt, scientes illum dixisse : *Et cum hæc omnia feceritis, dicite : Servi supervacui sumus, quod debuimus facere fecimus* (*Luc.* XIII, 10). Quæ illi cogitantes, et quamvis libello a martyribus accepto, ut tamen a Domino satisfactio sua admitti possit, orantes scripserunt mihi se delictum suum cognoscere et pœnitentiam veram agere, nec ad pacem temere aut importune properare, sed expectare præsentiam nostram, dicentes pacem quoque ipsam, si eam nobis præsentibus acceperint, dulciorem sibi futuram. Quibus quantum gratulatus sim Dominus testis est, qui dignatus est ostendere quid ejusmodi et tales servi de ejus benignitate mereantur. Quas litteras cum nuper acceperim, et nunc aliud scripsisse vos legerim, pete discernatis desideria vestra, et quicumque estis qui has litteras nunc misistis, nomina vestra libello subjiciatis et libellum cum singulorum nominibus ad me transmittatis. Ante est enim scire quibus rescribere habeam. Tunc ad singula quæ scripsistis pro loci et actus nostri mediocritate rescribam. Opto vos, fratres charissimi, semper bene valere et secundum Domini disciplinam quiete et tranquille agere. Valete.

EPISTOLA XXVIII.

(Pamel., Rig., Baluz., XXVIII. Paris., XXVI. Oxon., Lips., XXXIV.)

AD PRESBYTEROS ET DIACONOS.

ARGUMENTUM. — *Argumentum hujus epistolæ satis convenit cum præcedenti, ac puto eam esse de qua in sequenti epistola loquitur ; laudat enim clerum suum, quod Gaium Diddensem presbyterum, et diaconum ejus, qui lapsis temere communicabant, communione movissent, et ut de aliis quibusdam idipsum fiat hortatur.*

I. Cyprianus presbyteris et diaconibus fratribus salutem. Integre et cum disciplina fecistis, fratres charissimi, quod, consilio collegarum meorum qui præsentes erant, Gaio Diddensi presbytero et diacono ejus censuistis non communicandum, qui, communicando cum lapsis et offerendo oblationes eorum, in pravis erroribus suis frequenter deprehensi, et semel atque iterum, secundum quod mihi scripsistis, a collegis meis moniti ne hoc facerent, in præsumptione et audacia sua pertinaciter perstiterunt, decipientes quosdam fratres ex plebe nostra ; quibus nos omni humilitate [c] consultum cupimus, et quorum saluti non adulatione composita, sed sincera fide prospicimus ut vera pœnitentia et gemitu et dolore pleno Dominum [d] deprecentur, [39] quia scriptum est : *Memento unde ceciderit, et age pœnitentiam* (*Apoc.* II, 5) ; et iterum loquitur Scriptura divina : *Sic dicit Dominus : Cum conversus gemueris, tunc salvaberis, et scies ubi fueris* (*Isa.* XXX, 15).

II. Ingemiscere autem et agere pœnitentiam quomodo possunt quorum gemitibus et lacrymis intercedunt quidam de presbyteris, ut communicandum cum illis temere existiment? nescientes quia scriptum est : *Qui vos felices* [e] *dicunt, in errorem vos mittunt, et semitam pedum vestrorum turbant* (*Isa.* III, 12). Merito salubria nostra et vera consilia nihil promovent, dum blanditiis [f] et palpationibus perniciosis salu-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Voluisse, quando *Impr.*
[b] Ne Domini *Oxon.*
[c] Utilitate *Bod.* 1.
[d] Domini *Bod.* 1.
[e] Nescientes scriptum esse : Qui vos et beatos *Bod.*
[f] Blandientis *Conjic. Rigalt.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

Ut Ecclesiæ... facerent. Ista addita sunt ex libro meo vetere et ex editione Morellii. Quæ miror prætermissa fuisse a Pamelio et Rigaltio, cum absque iis sensus non sit integer. Recte ergo fecerunt Angli ista reponentes. Reinhartus omisit, quia ea non inveniebat in editione Rigaltii.

Quando Ecclesia. Verba sunt lapsorum ad Cyprianum.

Invicta. Non admonerem hanc vocem, quam præferunt editiones Manutii, Morellii, et Pamelii, quæ exstat etiam in libro meo veteri et in Gratianopolitano, positam a me esse in hoc loco, nisi Rigaltius et editio Anglicana pro ea haberent, *invidiam*, nullo sensu aut certe pessimo. Puto autem Rigaltium eam pravam lectionem accepisse ex libro Fuxensi, quo usum esse illum constat.

II. — *Benignitate.* Liber meus et editio Morelliana, *bonitatem.*

EPIST. XXVIII. — Hæc epistola primum edita est a Manutio. Pamelius nullum illius vetus exemplar habuit. Angli unum habuerunt ex bibliotheca Bodleiana. Ego unum habui ex Colbertina, quod fuit olim collegii Fuxensis. Habui etiam unum ex mea, aliud ex urbe Gratianopolitana. Porro epistola ista bis descripta est in libro Fuxensi.

I. — *Composita.* Ita codex Fuxensis et editiones Manutii et Morellii. At codex meus et Gratianopolitanus præferunt *corrupta.* Sic etiam in uno Bodleiano legi monuerunt Angli.

II. — *Blanditiis.* Tacitus lib. I Historiarum : *Blanditiæ pessimum veri affectus venenum.* [115] Et in vita Agricolæ : *Pessimum inimicorum genus laudantes.* Cicero

Digitized by Google

taris veritas impeditur, et patitur lapsorum saucia et ægra mens quod corporaliter quoque ægri et infirmi sæpe patiuntur, ut, dum salubres cibos et utiles potus quasi amaros et abhorrentes respuunt, et illa quæ oblectare et ad præsens suavia videntur esse appetunt, perniciem sibi et mortem per inaudientiam et intemperantiam provocent, nec proficiat ad salutem artificis medela vera, dum blandimentis decipit dulcis illecebra.

III. Vos itaque, secundum litteras meas fideliter et salubriter consulentes, a consiliis melioribus ne recedatis. Legite vero has easdem litteras et collegis meis, si qui aut præsentes fuerint aut supervenerint, ut unanimes et concordes ad fovenda et sananda lapsorum vulnera consilium salubre teneamus, tractaturi plenissime de omnibus cum convenire in unum per Domini misericordiam cœperimus. Interea, si quis immoderatus et præceps, sive de nostris presbyteris vel diaconibus, sive de peregrinis, ausus fuerit ante sententiam nostram communicare cum lapsis, a communicatione nostra arceatur, apud omnes nos causam dicturus temeritatis suæ quando in unum, permittente Domino, convenerimus. Desideratis quoque ut de Philumeno et Fortunato hypodiaconis et Favorino acolytho, qui medio tempore recesserunt et nunc venerunt, quid mihi videatur rescribam. Cui rei non potui me solum judicem dare, cum multi adhuc de clero absentes sint, nec locum suum vel A sero repetendum putaverunt, et hæc singulorum tractanda sit et limanda plenius ratio, non tantum cum collegis meis, sed et cum plebe ipsa universa. Expensa enim moderatione libranda et pronuntianda res est, quæ in posterum circa ministros Ecclesiæ constituat exemplum. Interim se a divisione mensurna tantum contineant, non quasi a ministerio ecclesiastico privati esse videantur, sed ut integris omnibus ad nostram præsentiam differantur [a]. Opto vos, fratres charissimi, semper bene valere. Fraternitatem universam salutate, et valete.

EPISTOLA XXIX.

(Pamel., Rigalt., Baluz., XXIX. Paris., XXXIII. Oxon., Lips., XXXV.)

AD PRESBYTEROS ET DIACONOS ROMÆ CONSISTENTES B

ARGUMENTUM. — *Clerus Romanus tertiot rëdditur de temeritate lapsorum qui pacem deposcebant.*

Cyprianus presbyteris et diaconibus Romæ consistentibus fratribus salutem. Et dilectio communis et ratio exposcit, fratres charissimi, nihil conscientiæ vestræ subtrahere de his quæ apud nos geruntur, ut sit nobis circa utilitatem ecclesiasticæ administrationis commune consilium. Nam, posteaquam ad vos litteras feci, quas nisi per Saturum lectorem et Optatum hypodiaconum, quorumdam lapsorum conspirata temeritas [b], qui pœnitentiam [c] agere et Deo satisfacere detrectant, litteras ad me fecerunt, pa-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Cognitio hæc differatur *Bod.* 1.
[b] Quorumdam prospecta temeritas *Oxon.* De quorum- C dam temeritate *Manut.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

in libro *de Amicitia* ait nullam pestem esse majorem quam adulationem, blanditiam, assentationem. Dio Chrysostomus *Orat.* III, scribit omnium vitiorum turpissimum esse adulationem. Hieronymus in epistola *ad Eustochium* de virginitate servanda : *Adulator quisque blandiens inimicus est.* Idem in *Dialogo* contra Pelagianos : *Semper insidiosa, callida, blanda est adulatio.* Sanctus Ambrosius, seu quis alius, lib. III *Officior.* cap. 16 : *Non est enim vera amicitia ubi est fallax adulatio.* Seneca dixit, Epist. XLV, adulationem esse similem avaritiæ. Apud Plutarchum exstat liber *quomodo possit adulator ab amico internosci.* Symmachus lib. I, Epist. 31 : *Quassa fide sunt qui jugiter blandiuntur.* Ovidius lib. III *Amorum, eleg.* 8 :

Impia sub dulci melle venena latent.

Placentinos vocat adulatores vetus auctor glossæ ad D capitulare Karoli M. de Causis Italiæ, ut monuimus tom. II *Capitularium* pag. 1013.

Inaudientiam. Codex Fuxensis, *inobedientiam.* Et tamen idem codex in Epistola XLII, pag. 56, habet, *quæ discordiosis et inaudientibus scandalum.* Tertullianus in libro *de Exhortatione Castitatis* dixit *obaudientiam.*

III. — *Non potui me solum.* Ita Manutius et Rigaltius. At in libro meo veteri, in Gratianopolitano et in uno Bodleiano legitur, *non puto me solum debere sententiam dare.* Sic etiam in editione Morellii, nisi quod posuit *potui* pro *puto.*

Locum suum. Ita Pamelius et cæteri. Manutius edidit, *hoc solum.* Quo etiam modo legitur in codice Fuxensi. Sic etiam reperi scriptum fuisse in uno codice Vaticano.

Sero. Hæc est lectio editionis Manutianæ et codicis Gratianopolitani. Editio Morellii et unus Bodleianus, *sorte.* In meo, *sorore*, pro *sorte*, ut opinor.

Ministros. Quamvis non dubitem quin hæc lectio sit bona, admonere tamen debeo in codice Fuxensi, in quo, ut antea dixi, Epistola ista bis descripta est, constanter scriptum esse *omnes viros.* Quo etiam modo scriptum fuisse in Veronensi mihi constat. Sed alii libri veteres et editiones præferunt *ministros.*

A divisione. Sic edidit Morellius pro eo quod editio Manutii habet, *dictione.* Sed in codice Latinii et in Veronensi, tum etiam in Fuxensi, scriptum est, *a dictione.* Meus confirmat editionem Morellii.

Mensurna. Infra Epist. XXXIV, pag. 28, *divisiones mensurnas æqualis quantitatibus partiantur.* Rufinus lib. IV, cap. 28, *centum quinquaginta denariis menstruæ præstationis.* Codex Fuxensis et Gratianopolitanus et editio Morellii *mensurantium*, meus *mensuralium.*

EPIST. XXIX — Tria istius Epistolæ, quam debemus editioni Manutianæ, exemplaria habui, unum ex bibliotheca Colbertina, quod fuit olim collegii Fuxensis, aliud ex mea, tertium ex urbe Gratianopolitana. Angli unum habuerunt ex Bodleiana.

Hypodiaconum. Postea in omnibus editionibus quæ prodierunt post Manutianam additur *fratres nostros.* Quæ verba, addita videlicet a Morellio, nos sustulimus ut superflua, quia non exstant in libris nostris veteribus. Et tamen in Gratianopolitano post *hypodiaconum* additur *fratrem nostrum.*

Quorumdam conspirata. Nescio qua auctoritate Morellius addidit *quorumdam prospecta temeritate.* Nam, præterquam quod vox *prospecta* istic necessaria non est, ea non exstat in editione Manutii, neque in ve

Digitized by Google

cem non dandam sibi postulantes, sed quasi jam data sibi vindicantes, quod dicant Paulum omnibus pacem dedisse, sicut in litteris eorum, quarum exemplum ad vos transmisi, legetis, simulque quid ego eis breviter interim rescripserim; sed et quales postea ad clerum litteras fecerim ut scire possetis, hujus quoque rei exemplum vobis misi. Quod si ultra temeritas eorum nec meis nec vestris litteris compressa fuerit, nec consiliis salubribus obtemperaverit, agemus ea quæ secundum Evangelium Dominus agere præcepit. Opto vos, fratres charissimi, semper bene valere. Valete.

EPISTOLA XXX.

(Pamel., Rigalt., Baluz., XXX. Paris., XXIX. Oxon., Lips., XXXVI. Novat. opp. ed. Jackson. p. 309.)

PRESBYTERI ET DIACONI ROMÆ CONSISTENTES AD CYPRIANUM

ARGUMENTUM. — *Ecclesia Romana sententiam suam de lapsis cum Carthaginensis decretis consentientem proponit. —Lapsis adhibita indulgentia ad Evangelii normam exigitur. — Pacem confessoribus concessam gratia tantum et favoribus inniti inde constat quod lapsi ad Episcopos remittantur. — Seditiosa pacis postulatio Felicissimi factioni imputanda.*

I. Cypriano papæ presbyteri et diacones Romæ consistentes salutem. Cum perlegissemus, frater charissime, litteras tuas, quas per Fortunatum hypodiaconum miseras, gemino sumus dolore perculsi et duplici mœrore confusi, quod neque tibi requies ulla in tantis persecutionis necessitatibus traderetur, et lapsorum fratrum immoderata petulantia usque ad periculosam verborum temeritatem producta denotaretur. Sed, quamquam nos atque animum nostrum ista quæ diximus graviter affligerent, tamen mœroris nostri tam gravem sarcinam vigor tuus et secundum evangelicam disciplinam adhibita severitas temperat [a], dum et quorumdam improbitatem juste coerces, et cohortando [b] ad pœnitentiam, viam legitimam salutis ostendis [c]. Quos quidem satis mirati sumus ad hoc usque prosilire voluisse, ut tam urgenter et tam immaturo atque acerbo tempore, in tam ingenti et immenso crimine atque delicto, pacem sibi non tam peterent quam vindicarent, immo jam et in cœlis habere se dicerent. Qui si habent, quid petunt quod tenent? Si autem non habere illos probatur hoc ipso quod petunt, cur non judicium eorum sustinent a quibus petendam pacem, quam utique non habent, putaverunt? Quod si aliunde prærogativam communicationis habere se credunt, cum Evangelio illam conferre conentur; ut ita demum firmiter valeat, si ab evangelica lege non dissonat. Cæterum, quo pacto evangelicam poterit præstare communicationem quod contra evangelicam decretum videtur veritatem? nam, cum omnis prærogativa ita demum ad indulgentiæ privilegium spectet, si ab eo cui sociari quærit non discrepet, quia ab eo cui sociari quærit discrepat, necesse est indulgentiam et privilegium societatis amittat.

II. Videant igitur quid in hoc negotio agere conentur [d]. Nam, si aliud quidem Evangelium, aliud autem martyres dicunt posuisse decretum, collidentes contra Evangelium martyres utrobique periclitabuntur. Nam et Evangelii fracta jam et jacens videbitur esse majestas, si potuit alterius decreti novitate superari, et de martyrum capite gloriosa confessionis corona detracta, si non illam de Evangelii conservatione inveniantur consecuti unde martyres fiunt; ut merito

LECTIONES VARIANTES.

[a] Temperata *Bod.* 1.
[b] Juste coercet et hortando *Oxon.*
[c] Ostendit *Oxon.*
[d] Agere cogentur *Bod.* 1.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

teribus codicibus nostris, neque in Anglicanis. Quare mirum est illam fuisse retentam in editione Anglicana.

Salubribus. Nos secuti in hoc loco sumus auctoritatem veterum exemplarium et editionem Morellii. Rigaltius et Angli prætulerunt lectionem quæ habet *salutaribus.*

[a-c] EPIST. XXX. — I. Primus Manutius edidit hanc Epistolam. Rarissima autem sunt vetera illius exemplaria. Ego duo habui, unum ex bibliotheca mea, aliud ex urbe Gratianopolitana. Angli usi sunt in ea emendanda uno Bodleiano.

Lombertus et Guillelmus Cave aiunt illam scriptam fuisse a Novatiano nomine Cleri Romani antequam is faceret schisma; sed non probant. Fortassis ita conjecerunt ex his verbis Epistolæ LII, p. 67: *Novatiano tunc scribente.* In veteri codice Remigiano annotatum est Epistolam XXVI dictatam esse a Novatiano, ut illic monuimus. Hieronymus in Epistola *de quinque Quæstionibus* ad papam Damasum, Novatianum vocat eloquentissimum virum, et in Epistola *ad Paulum Concordiensem* facit mentionem epistolarum Novatiani. Et Cyprianus ipse Epist. LII, pag. 73, *ad Antonianum*, loquens de Novatiano: *Jactet se licet et philosophiam veleloquentiam suam superbis vocibus prædicet.* Ejus habemus tractatum *de Trinitate* editum cum operibus Tertulliani.

Papæ. In libro meo veteri, in codice 199 bibliothecæ Vaticanæ et in Gratianopolitano scriptum est *papati.* Sic apud Liberatum cap. 23, quatuor vetusti codices habent *Menate* pro eo quod in editionibus legitur *Menna*, ut monuimus ad Epistolam XVI. Vide etiam notas ad Epistolam secundam, pag. 387.

Verborum temeritatem. Hic locus adjuvare potest opinionem illustrissimi episcopi Oxoniensis existimantis verba quædam minus decocta quæ exstant in Epistola XVIII confessorum *ad Cyprianum*, continere minas excommunicationis. Verum cum hujusmodi minarum nullam mentionem faciat sanctus martyr in Epistola XXIII, in qua conqueritur de temeritate Luciani, manifestum videtur verborum temeritatem quæ istic reprehenditur respicere tantum ad temeritatem notatam in Epistola præcedenti.

Quia ab eo. Antea legebatur *a Deo.* Emendavimus ex auctoritate codicum Vaticanorum citatorum in ora editionis, Manutianæ in exemplari excuso quod penes me est, tum etiam ex Gratianopolitano, et ex uno meo optimo. Sic vero scribi debere postulat etiam sensus.

II. — *Unde martyres fiunt.* Supra, Epist. XXII,

Digitized by Google

nulli magis sit competens nihil contra Evangelium decernere quam qui martyris nomen ex Evangelio laborat [a] accipere. Illud [61] præterea vellemus addiscere : si martyres non propter aliud martyres fiunt nisi ut non sacrificantes teneant Ecclesiæ usque ad effusionem sanguinis sui pacem, ne cruciatus, dolore superati, perdendo pacem, perdant salutem, quo pacto salutem quam, si sacrificassent, se habituros non putaverunt, illis existimant donandam qui sacrificasse dicantur, cum legem hanc debeant in aliis tenere quam ipsi videbantur sibi ante posuisse ? In quo negotio hoc ipsum quod pro se ipsis facere putaverunt animadvertimus contra se ipsos protulisse. Nam, si dandam illis pacem martyres putaverunt, cur ipsi non dederunt? cur illos ad episcopum, ut ipsi dicunt, remittendos censuerunt ? Is enim qui jubet fieri potest utique facere quod fieri jubet. Sed, ut intelligimus, immo, ut res ipsa loquitur et clamat, sanctissimi martyres utrobique adhibendum putaverunt temperamentum et pudoris et veritatis. Nam, quia a multis urgebantur, dum ad episcopum [b] illos remittunt, verecundiæ propriæ, ne ulterius inquietarentur, consulendum putaverunt ; et dum illis non ipsi communicant, evangelicæ legis illibatam sinceritatem custodiendam judicaverunt.

III. Tu tamen, frater, numquam pro tua charitate desistas lapsorum animos temperare et errantibus veritatis præstare medicinam, licet animus ægrorum [c] medentium respuere soleat industriam. Recens est lapsorum nuper hoc vulnus et adhuc in tumorem plaga consurgens : et idcirco certi sumus quod, spatio productioris temporis impetu isto consenescente, amabunt hoc ipsum, ad fidelem se dilatos esse medicinam, si tamen desint qui illos arment ad periculum proprium, et, in perversum instruentes, pro salutaribus dilationum [d] remediis exitiosa deposcant illis properatæ communicationis venena. Neque enim credimus sine instinctu quorumdam ausuros fuisse omnes tam petulanter sibi pacem vindicare. Novimus Carthaginensis ecclesiæ fidem, novimus institutionem, novimus humilitatem : unde etiam mirati sumus quod quædam in te per epistolam injecta durius notaremus, cum amorem vestrum mutuum et charitatem exemplis multis recipocæ affectionis in vos invicem sæpe comperissemus. Tempus est igitur ut agant delicti pœnitentiam, ut probent lapsus sui dolorem, ut ostendant verecundiam, ut monstrent humilitatem, ut exhibeant modestiam, ut de submissione provocent in se Dei clementiam, et de honore debito in Dei sacerdotem [e] eliciant in se divinam misericordiam. Quanto meliores ipsorum litteræ fuissent si pro ipsis preces stantium humilitate ipsorum adjutæ fuissent ! quoniam et facilius impetratur quod petitur quando is pro quo petitur condignus est ut quod petitur impetretur.

IV. Quod autem pertinet ad Privatum Lambesitanum, pro tuo more fecisti, qui rem nobis tamquam [f] sollicitam nuntiare voluisti; omnes enim

LECTIONES VARIANTES.

[a] Laborabat *Oxon.*
[b] Qui ad ep. *Bod.* 1.
[c] Ægrotans *Bod.* 1.
[d] Dilationis *Bod.* 1.
[e] Sacerdote *Oxon.*
[f] Tanquam *delet Oxon.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

pag. 32 : *Minime consideravit quod non martyres Evangelium faciunt, sed per Evangelium martyres fiunt.* Infra, Ep. XXXIII, pag. 46 : *Evangelium Christi legere unde martyres fiunt.* Et in libro *de Lapsis* pag. 188 : *Qui de Evangelio martyres fiunt.*

Tam petulanter, id est, commota seditione adversus præpositos ut pacem ab illis extorquerent, ut videre est in Epistola XXII, pag. 32.

III. — *Novimus institutionem.* Puto Romanos istic loqui de institutione sive initiis ecclesiæ Carthaginensis, quamsanctus Augustinus in libro *de Unitate Ecclesiæ*, cap. 15, ex eo collegit accepisse fidem Christi in initiis fundatæ Ecclesiæ quia manifestissimis testimoniis constat Ecclesiam tum fuisse toto orbe diffusam. Quod etiam sensisse Tertullianum Jiquet, ex libro ejus *adversum Judæos* et ex libro *de Præscriptionibus;* ex quo colligere licet illum existimasse ecclesiam Africanam initia fidei suæ debere Episcopis Romanis. Ait enim : *Si autem Italiæ adjaces, habes Romam, unde nobis quoque auctoritas præsto est.* Et Augustinus in epistola *ad Severinum* ait christianæ fidei auctoritatem in Africam manavisse ab Ecclesia transmarina, id est Romana. Quæ opinio confirmari potest auctoritate epistolæ quam Innocentius papa scipsit ad Decentium episcopum Eugubinum, in qua ait manifestum esse nullum instituisse ecclesias in Italia, Galliis, Hispaniis, Africa atque Sicilia, nisi eos quos venerabilis Petrus aut ejus successores constituerunt sacerdotes ; et hinc concludit ecclesias illas oportere hoc sequi quod Ecclesia Romana custodit, a qua eas principium accepisse non dubium est, ne dum peregrinis assertionibus student, *Caput institutionum videantur omittere.* Ita etiam sanctus Gregorius lib. VII, indict. I, Epist. 32, scribens ad Dominicum episcopum Carthaginensem : *Scientes præterea unde in Africanis partibus sumpserit ordinatio sacerdotalis exordium, laudabiliter agitis quod Sedem apostolicam diligendo ad officii vestri originem prudenti recordatione recurritis.* Eadem mente sanctus Leo papa ita scripsit ad episcopos per Siciliam constitutos : *Quam culpam nullo modo* [17] *potuissetis incidere, si unde consecrationem honoris accepistis, inde legem totius observantiæ sumeretis, et beati Petri apostoli sedes, quæ vobis sacerdotalis mater est dignitatis, esset ecclesiasticæ magistra rationis.* Suppar Innocentio et Leoni Salvianus non dubitabat quin ecclesia Carthaginensis instituta fuisset ab Apostolis. Ævo quoque Gregorii M. Numidæ credebant ecclesiam Africanam fundatam fuisse ab Apostolis. Porro illustrissimus episcopus Oxoniensis in notis ad librum Pontii diaconi de Vita sancti Cypriani putavit Simonem zelotem fuisse Afrorum Apostolum, Eysingrenius vero sanctum Crescentem.

Quod quædam. Difficile est certo constituere lectionem hujus loci. Sed, ut lector scire possit in quo consistat difficultas, afferam lectiones veterum librorum. In meo vetere optimo sic scriptum est, *quod quædam interpretare Epistolam injecta durius.* In Gratianopolitano vero sic, *quod quædam interprete per epistolam injectam durius.*

IV.—*Privatum Lambesitanum.* Vide *Annales Cyprianicos*, anno CCLII, § 8, et Pamelium ad Epistolam LV Cypriani.

Digitized by Google

nos decet [a] pro corpore totius Ecclesiæ, cujus per varias quasque provincias membra digesta sunt, excubare. Sed nos etiam ante litteras tuas fraus callidi hominis latere non potuit; nam, cum antehac quidam ex ipsius nequitiæ cohorte venisset vexillarius Privati Futurus, et fraudulenter litteras a nobis elicere curaret, nec quis esset latuit, nec litteras quas volebat accepit. Optamus te in Domino bene valere.

[b] EPISTOLA XXXI.

(Erasm., II, 7. Pamel., Rigalt., Baluz, XXXI. Paris., XXX, Oxon, Lips., XXX; Novatian. opp. edit. Jackson. p. 277. Galland., Biblioth. Vett. PP. III, p. 291.)

CLERI ROMANI AD CYPRIANUM.

ARGUMENTUM.—*Quod paucis epistola præcedenti, nunc latius et solide tractat Clerus Romanus, respondens alteri quoque epistolæ Cypriani, e qua verba aliquot citat, quæ exstare non putatur, obiter etiam gratias agit Cypriano pro missis litteris ad martyres et confessores Romanos. Scripta est autem, uti et præcedentes Cleri Romani, vacante Sede post martem Fabiani.*

I. Cypriano papæ presbyteri et diaconi Romæ consistentes salutem. Quamquam bene sibi conscius animus, et evangelicæ disciplinæ vigore [b] subnixus, et verus sibi in decretis [c] cœlestibus testis effectus, soleat solo Deo judice esse contentus, nec alterius aut laudes petere aut accusationes pertimescere, tamen geminata sunt laude condigni qui, cum conscientiam sciant Deo soli debere se judici, actus tamen suos desiderant etiam ab ipsis suis fratribus comprobari. Quod te, frater Cypriane, facere non mirum est, qui, pro tua verecundia et ingenita [d] industria consiliorum tuorum, nos non tam judices voluisti quam participes inveniri, ut in tuis rebus gestis laudem tecum, dum illas probamus, inveniremus, et tuorum consiliorum bonorum cohæredes [e], quia et affirmatores, esse possimus. Idem omnes credimur operati [f], in quo deprehendimur eadem omnes censuræ et disciplinæ consensione sociati.

II. Quid enim magis aut in pace tam aptum aut in bello persecutionis tam necessarium quam debitam [g] severitatem divini vigoris tenere? quam qui remiserit, instabili rerum cursu erret [h] semper necesse est, et huc atque illuc variis et incertis negotiorum tempestatibus dissipetur, et, quasi extorto de manibus consiliorum gubernaculo, navim ecclesiasticæ salutis illidat in scopulos; ut appareat non

LECTIONES VARIANTES.

[a] Nos docet *Bod.* 1.
[b] Rigore *Bod.* 1.
[c] Castris *Vat.*
[d] Et ingenita *omit. Lin.*
[e] Consiliorum hæredes *Spir. Lin.*
[f] Operari *Lin.*
[g] Quam ut debeat *Lin.*
[h] Ruat *Lin.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

Vexillarius, id est signifer seditionis, ut vocatur in Epistola LV, pag. 83, *ad Cornelium*, eo modo quo Paschasius vocatur signifer furoris in epistola concilii Aquileiensis ad Gratianum imperatorem, et eo etiam modo quo Latinus Pacatus Drepanius ducem copiarum Maximi tyranni vocavit *vexillarium sacrilegæ factionis*, in panegyrico quem dixit Theodosio Augusto, et auctor panegyrici dicti Maximiano Augusto ejus adversarium vocat *signiferum nefariæ factionis*. Sic Robertus Gervasii episcopus Senecensis in tractatu *de Schismate*, Bartholomæum archiepiscopum Barensem vocat *vexillarium schismaticæ pravitatis*, in notis ad *Vitas Paparum Avenionensium*, pag. 1270.

Futurus. Ita codex Veronensis. Miror Anglos, qui Rigaltianam editionem sequi solent, excudisse *futurus*. Pessime Reinhartus, qui, repudiata editione Rigaltii, quæ bona est, veterem revocavit et scripsit: *Privati et furto ac fraudulenter*. In libro meo veteri legitur *futuros ac fraudolenter*. Pamelius existimavit Futurum et Felicissimum esse eumdem hominem.

EPIST. XXXI. — Hæc Epistola valde mutila et nihilominus interpolata est in codice sancti Arnulphi Metensis; cui paulo post initium insertum est prolixum fragmentum ex libro *de Laude Martyrii*, nimirum ab his verbis pag. 343, *ut quantum in exprimendo*, usque ad *secum ipse convolvens*. Sed post ista redditur ad epistolam in his verbis pag. 44, *habitum nuptiarum non habentem* usque ad finem. Præterea magna pars istius Epistolæ disjuncta exstat supra in codice illo post Epistolam XVII, quæ data est ad Cornelium et incipit: *Et egisse nos*.

I.—*Quamquam... sibi*. In variis excerptis quæ exstant in calce Operum sancti Cypriani in veteri codice, qui fuit olim monasterii Fossatensis, nunc vero meus est, cum illic descriptum sit initium istius Epistolæ, sic legitur in titulo: *Incipit ad Romanos. Quamquam sibi bene conscius*. Et in fine additum est: *Explicit ad Romanos*. Sed istud falsum esse constat ex tenore ipsius Epistolæ, quæ certo scripta est a Clero Romano ad Cyprianum, uti etiam adnotatum est in codice Gratianopolitano in fronte Epistolæ: *Cleri Romani ad Cyprianum*. Et tamen Hincmarus in libro *de Prædestinatione* adversus Gothescalcum pag. 73, citat ex Epistola ad Romanos. Ex quo liquet errorem esse vetustum.

Decretis cœlestibus. Hanc lectionem reperi in octo codicibus antiquis. Angli monent in codice Vaticano legi *castris cœlestibus*. Quam lectionem merito ait Rigaltius sibi non placere. De castris cœlestibus vide quæ notantur ad Epistolam XLIV.

Dum illas probamus. Infra, Epist. LXXI, pag. 127: *Quæ salubriter suggeruntur, si sint vera et legitima, ipsa potius nostra ducamus*. Quod enim probamus nostrum facimus, ut ait imperator Justinianus in constitutione de Conceptione Digestorum. Item Cœlestinus papa, sive quis alius auctor sit collectionis cujusdam quæ inter decreta ejus circumfertur, loquens de sententiis sancti Augustini de gratia Christi, ait eas suas fecisse antistites apostolicos cum probarunt. Cassianus, lib. VI *de Incarnatione Domini*, cap. 9: *Repetamus confessionem symboli et tuam. Tua enim quæ illius, quia confessionem illius tuam confitendo fecisti*. Joannes Saresberiensis in prologo Policratici: *Quicquid ubique bene dictum est, [a] facio meum*. Idem, Epist. CCXXX: *Nonne et omnia nostra facimus quibus nostram impertimur auctoritatem*.

II. — *Navim*. Codex sancti Remigii Remensis, *navem ecclesiasticæ disciplinæ illidat*. Divionensis et recentior Victorinus, *navem Ecclesiæ fulsos illidat in scopulos*.

Digitized by Google

aliter saluti ecclesiasticæ consuli posse nisi si qui et contra ipsam faciunt, quasi quidam adversi fluctus repellantur, et disciplinæ ipsius semper custodita ratio quasi salutare aliquod gubernaculum in tempestate servetur. Nec hoc nobis nunc nuper consilium cogitatum est, nec hæc apud nos adversus improbos modo supervenerunt repentina subsidia; sed antiqua hæc apud nos severitas, antiqua fides, disciplina legitur antiqua: quoniam nec tantas de nobis laudes Apostolus protulisset [a] dicendo, *Quia fides vestra prædicatur in toto mundo* (*Rom.* I, 8), nisi jam exinde vigor iste radices fidei de temporibus illis mutuatus fuisset; quarum laudum et gloriæ degenerem [b] fuisse maximum crimen est. Minus est enim dedecoris numquam ad præconium laudis accessisse, quam de fastigio laudis ruisse: minus [c] est criminis honoratum bono testimonio non fuisse, quam honorem bonorum testimoniorum perdidisse: Minus est sine prædicatione virtutum ignobilem sine laude jacuisse [d], quam exhæredem fidei factum laudes proprias perdidisse. Ea enim quæ in alicujus gloriam proferuntur, nisi anxio et sollicito labore serventur, in invidiam maximi criminis intumescunt.

III. Hoc nos non falso dicere superiores nostræ litteræ probaverunt, in quibus vobis sententiam nostram dilucida expositione protulimus et adversus eos qui se ipsos infideles illicitâ nefariorum libellorum professione prodiderant, quasi evasuri irretientes illos diaboli laqueos viderentur, quo [e] non minus quam, si ad nefarias aras accessissent, hoc ipso quod ipsum contestati fuerant tenerentur, sed etiam adversus illos qui acta [f] fecissent, licet præsentes cum fierent non affuissent, cum præsentiam suam utique ut sic scriberentur mandando fecissent. Non est enim immunis a scelere qui ut fieret imperavit, nec est alienus a crimine [43] cujus consensu, licet non a se admissum crimen, tamen publice legitur; et cum totum fidei sacramentum in confessione Christi nominis intelligatur esse digestum, qui fallaces in excusatione præstigias quærit negavit, et qui vult videri propositis adversus Evangelium vel edictis vel legibus satisfecisse, hoc ipso jam paruit quod videri paruisse se voluit; necnon etiam contra illos quoque qui illicitis sacrificiis manus suas atque ora polluerant, pollutis ante mentibus propriis, unde etiam sunt ipsæ manus atque ora polluta, fidem nostram consensumque monstravimus. Absit enim ab Ecclesia Romana vigorem suum tam profana facilitate dimittere et nervos severitatis eversa fidei majestate dissolvere; ut, cum adhuc non tantum jaceant, sed et cadant eversorum fratrum ruinæ, properata nimis remedia communicationem utique non profutura præstentur,

LECTIONES VARIANTES.

[a] Protulit *Lin. Bod.* 2.
[b] Degeneres *Lin.*
[c] Minoris *Bod.* 1.
[d] Tacuisse *Lin.*
[e] Hoc evasuri in retinendis illos diaboli laqueos viderentur, quod *Lin.*
[f] Accepta *Lin. Bod.* 1. *Benev. Manut. Oxon. Lips.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

Antiqua... severitas. Ista, quæ addita sunt in editione Manutiana, desunt in antiquis editionibus et in duobus antiquis codicibus. Habentur autem in aliis.

Litteræ probaverunt. Postea sequitur in codice sancti Arnulphi fragmentum ex libro *de Laude Martyrii*.

III. — *Irretientes.* In uno libro meo veteri legitur *retinentes;* in Remensi sancti Dionisii, *in retinendis illis diaboli laqueis.*

Mandando. Sic in actis Collationis Carthaginensis inter Catholicos et Donatistas videmus plures episcopos mandasse collegis suis ut suam præsentiam sua pro ipsis subscriptione exhiberent. Sic, ne e longinquo tantum exempla repetantur, Natalis ab Oea sententiam dixit in Concilio Carthaginensi sub Cypriano pro se et pro Pompeio Sabratensi et Dioga Leptimagnensi, *qui mihi mandaverunt.*

Non est immunis. Cicero apud Ammianum Marcellinum lib. XXVII: *Quid enim interest inter suasorem facti et probatorem?* quod sumptum est ex secunda Philippica. Seneca, Troade: *Qui non vetuit peccare cum possit, jubet.* Et infra: *Ad auctorem redit sceleris coacti culpa.* Auctor Epistolæ *ad Celantiam*, inter Opera Hieronymi: *Quantum enim ad peccati rationem pertinet, nocuit qui et nocere disposuit.* Valerius Maximus lib. IX, caput 2: *Iniquo animo scelus intueri scelus admittere fuit.* Arator, lib. II Actuum Apostolorum: *Nec pœna sequestrat quos par culpa ligat.*

Imperavit. Hæc lectio videtur optima. Et tamen illam non inveni nisi in uno veteri libro. Cæteri et editiones Pameliauæ vetustiores habent *impetravit.* Pamelius autem mutavit, secutus conjecturam Costerii, quamvis fateatur se ubique legisse *impetravit.* Sic in Epistola XLIV Codicis Encyclii scriptum est in codice Bellovacensi, *quibus impetrare divino judicio*, pro *imperare.* Facilis error, qui admissus est etiam in alio veteri codice ejusdem ecclesiæ, in breviario nimirum Liberati cap. 18, ubi pro, *nihil impetrantes dimisit*, uti habent editiones et tres libri veteres, codex ecclesiæ Bellovacensis habet *imperantes.* Sic apud Fulgentium Placiadem lib. II *Mythol.*, ubi agit de Vulcano et Minerva, legendum est *Jupiter imperavit*, pro eo quod ibi legitur *impetravit.* Confirmat lectionem a me retentam in hoc loco Cypriani Lactantius in epitome *Divinarum Institutionum* cap. 64: *Vetus præceptum est non occidere. Quod sic accipi debet, non tamquam jubeamur ab homicidio tantum, quod olim legibus publicis jubetur, manus abstinere, sed nec jussione interposita nec verbo licebit periculum inferre.* Illum enim tormentis subdi oportere cujus consilio atque instinctu alius ad accusationem accesserit pronuntiavit imperator Constantinus in titulo Codicis Theodosiani ad legem Juliam *Majestatis.* Et apud Julium Paulum lib. V, tit. 23: *Mandatores cædis perinde ut homicidæ puniantur.* Salvianus lib. VII, cap. 19: *Potestas quippe magna et potentissima, quæ inhibere scelus maximum potest, quasi probat debere fieri, si sciens patitur perpetrari. In cujus enim manu est ut prohibeat, jubet agi si non prohibet admitti.* Ennodius lib. I Epist. V: *Fecisse scelus creditur qui potuisse facere perhibetur.* Pacianus in *Parænesi ad Pœnitentiam: Addo etiam non solas manus in homicidio plecti, sed et omne consilium quod alterius animam impegit in mortem.* Epistola episcoporum Ægypti ad Leonem imperatorem in capite VII Codicis Encyclii: *Postea etiam homicida pene manibus propriis hoc nefas efficiens, et propterea condemnandus, quando agenti qui jubet malum fieri in supplicio proximus est.*

Digitized by Google

et nova per misericordiam falsam vulnera [a] veteribus transgressionis vulneribus imprimantur, ut miseris ad eversionem majorem eripiatur et pœnitentia! Ubi enim poterit indulgentiæ medicina proficere, si etiam ipse medicus intercepta pœnitentia indulget periculis, si tantummodo operit vulnus, nec sinit necessaria temporis remedia obducere cicatricem? Hoc non est curare, sed, si dicere verum volumus, occidere.

IV. Quamquam confessorum quoque quos hic adhuc in carcerem dignitas suæ confessionis inclusit, et ad certamen evangelicum sua fides in confessione jam gloriosa semel coronavit, litteras habeas conspirantes cum litteris nostris, quibus severitatem evangelicæ disciplinæ protulerunt et illicitas petitiones ab Ecclesiæ pudore revocarunt. Nisi hoc fecissent, disciplinæ evangelicæ ruinæ non facile sarcirentur [b], præsertim cum nulli magis tam congruens esset tenorem evangelici vigoris illibatum dignitatemque servare [c], quam qui se excruciandos et excarnificandos pro Evangelio furentibus tradidissent, ne martyrii [d] honorem merito perderent, si in occasione [e], martyrii prævaricatores Evangelii esse voluissent. Nam qui id quod habet non custodit in eo ex quo illud possidet, dum id ex quo possidet violat, amittit illud [f] quod possidebat.

V. In quo loco maximas tibi atque uberes gratias referre debemus et reddimus quod illorum carceris tenebras litteris tuis illuminasti [g], quod ad illos venisti, quomodo introire potuisti, quod illorum animos sua fide et confessione robustos tuis allocutionibus litterisque recreasti, quod, felicitates eorum condignis laudibus prosecutus [h], accendisti ad multo ardentiorem cœlestis gloriæ cupiditatem, quod pronos impulisti, quod, ut credimus et optamus, victores futuros viribus tui sermonis animasti [i]; ut, quamquam hoc totum de fide confitentium [j] et de divina indulgentia venire videatur, tamen in martyrio suo tibi ex aliquo debitores facti esse videantur. Sed, ut ad id unde digressus sermo videbatur esse rursus revertatur, quales litteras in Siciliam quoque miserimus subjectas habebis: quamquam nobis differendæ hujus rei necessitas major incumbat, quibus, post excessum nobilissimæ memoriæ viri Fabiani, nondum est episcopus propter rerum et temporum difficultates constitutus, qui omnia ista moderetur [k] et eorum qui lapsi sunt possit cum auctoritate et consilio habere rationem: quamquam nobis in tam ingenti negotio placeat quod et tu ipse tractasti, prius Ecclesiæ pacem [l] sustinendam, deinde, sic collatione consiliorum cum episcopis, presbyteris, diaconis, confessoribus pariter ac stantibus laicis facta, lapsorum tractare rationem. Perquam enim nobis et invidiosum et onerosum videtur non per multos examinare quod per multos commissum videatur fuisse, et unum sententiam dicere, cum tam grande crimen per multos diffusum notetur exisse; quoniam nec firmum decretum potest esse quod non plurimorum videbitur habuisse consensum. Aspice totum orbem pene vastatum et ubique jacere dejectorum reliquias et ruinas, et idcirco tam grande expeti consilium quam late propagatum videtur esse delictum. Non sit minor medicina quam vulnus, non sint minora remedia quam funera, ut, quomodo

LECTIONES VARIANTES.

[a] Facta vulnera *Lin.*
[b] Sarcirent *Bod.* 1.
[c] Illibata dignitate servare *Vat.*
[d] Tradidissent martyris *Bod.* 1.
[e] Occisione *Lin.*
[f] Violat, violat illud *Oxon.*
[g] Animasti *Fab.*
[h] Persecutus *Oxon.*
[i] Armasti *Bod.* 1.
[j] Hanc totam confidentiam *Bod.* 1.
[k] Mederetur *Lin.*
[l] Prius; Ecclesiæ *disting. Oxon.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

Proficere. Ita emendandum esse existimavi, secutus auctoritatem veterum exemplarium et editionum pro eo quod posteriores editiones præferunt *procedere*. Sed hanc tamen ultimam lectionem ego me reperisse fateor in duobus libris meis veteribus, in Gratianopolitano et in uno Victorino, tum etiam in editione Manutiana. Codex Remensis sancti Dionysii et Lamonianus habent *prodesse*, eodem sensu.

IV. — *Martyrii honorem.* Hoc fragmentum istius Epistolæ exstat, ut diximus, in loco non suo in codice sancti Arnulphi.

V. — *Et ruinas.* Editio Spirensis et tres libri veteres non habent hæc duo vocabula. Veneta vetus habet. Duo alii libri veteres præferunt *laqueos* pro *ruinas*.

Funera. Codex sancti Arnulphi habet *vulnera*. Quæ lectio mihi videtur esse melior; [a] eamque posuissem in contextu, si tum cum hic locus cudebatur habuissem codicem illum. At si quis retinendam putat vocem *funera*, intelligere oportet mortes, seu potius cadavera mortuorum. Supra in Epistola *ad Donatum*, p. 3: *Viventes in ultroneum funus ornantur.* Funus enim frequenter sumitur pro corpore mortuo sive cadavere. Apud Virgilium, lib. IX Æneidos, *funus lacerum*, id est *cadaver dilaniatum*, ut Servius interpretatur. Juvenalis in prima Satyra:

Ducitur iratis plangendum funus amicis.

Statius initio Thebaidos, *tumulisque carentia regum funera*. Silius Italicus lib. VIII:

Fratrisque petebat
Mancini stratum sparsa inter funera corpus.

Tacitus lib. I Annalium, *ut porta triumphali duceretur funus*. Ubi vide notas Freinshemii. *Epitome* Aurelii Victoris in Diocletiano: *Funus ejus Gallieni sepulchro infertur*. Apuleius lib. VIII Metamorphoseon: *Funus vero toto feralem pompam prosequente populo deducitur ad sepulturam*. Ammianus Marcellinus lib. XVI: *Rex Chonodomarius lapsus per funerum strues*. Idem lib. XXIX: *Funus ejus per Vespillones illatum pullati præcedere honorati quamplures*. Item liber XXXI: *Imperator diris pavoribus circumseptus, paulatimque insiliens funerum moles, ad lancearios confugit*. Julius Capitolinus in Antonino philosopho: *Denique prius quam funus conderetur*. Optatus Milevitanus lib. II: *Unicuique sepulchro sufficit unum funus et clauditur*. Hieronymus in Epistola *ad Paulinum* de Institutione Monachi: *Quanti hodie sic vivendo portant sua funera, et quasi sepulchra dealbata, pleni sunt ossibus mortuorum*. Idem in *Epitaphio* Nepotiani: *Quem hæredem putavimus funus tenemus*. Idem in *Vita* Malchi monachi: *Prosecutus ergo me de monasterio quasi funus efferret*. Rufinus lib. I, c. 8, Hist. eccles.: *Funera liberorum*. Libellus precum oblatus Valentiniano et Marciano

Digitized by Google

qui ruerunt ob hoc ruerunt quod cæca temeritate nimis incauti fuerunt, ita qui hoc disponere nituntur, omni consiliorum moderamine utantur ne quid non ut oportet factum tamquam irritum ab omnibus judicetur.

VI. Uno igitur eodemque consilio, iisdem precibus et fletibus tam nos, qui usque adhuc videmur temporis istius ruinas subterfugisse, quam illi qui in has temporis videntur clades incidisse, divinam majestatem deprecantes pacem ecclesiastico nomini postulemus. Mutuis votis nos invicem foveamus, custodiamus, armemus. Oremus pro lapsis ut erigantur, oremus pro stantibus ut non ad ruinas usque tententur, oremus ut qui cecidisse referuntur, delicti sui magnitudinem agnoscentes, intelligant non momentaneam neque præproperam desiderare medicinam. Oremus ut effectus indulgentiæ lapsorum subsequatur et pœnitentia, ut, intellecto suo crimine, velint nobis interim præstare patientiam, nec adhuc fluctuantem turbent Ecclesiæ statum, ne interiorem nobis persecutionem ipsi incendisse videantur, et accedat ad criminum cumulum quod etiam inquieti fuerunt. Maxime enim illis congruit verecundia quorum in delictis damnatur mens inverecunda. Pulsent sane fores, sed non utique confringant; adeant ad limen Ecclesiæ, sed non utique transiliant [a] : castrorum cœlestium excubent portis, sed armati modestia, qua intelligant se desertores fuisse. Resumant precum suarum tubam, sed qua non bellicum clangant : arment se quidem modestiæ telis, et quem negando mortis metu fidei dimiserant clypeum resumant, sed ut contra hostem diabolum vel nunc armati, non contra Ecclesiam, quæ illorum dolet casus, armatos esse se credant. A Multum illis proficiet petitio modesta, postulatio verecunda, humilitas necessaria, patientia non otiosa. Mittant legatos pro suis doloribus lacrymas, advocatione fungantur ex intimo pectore prolati gemitus, dolorem probantes commissi criminis et pudorem.

VII. Immo, si dedecoris admissi magnitudinem perhorrescunt, si pectoris et conscientiæ suæ lethalem plagam et sinuosi vulneris altos recessus vere medica manu tractant, erubescant et petere; nisi quia majoris est rursum et periculi et pudoris auxilium pacis non petisse : sed hoc totum in sacramento, sed in ipsius postulationis lege, temporis facto temperamento, sed postulatione demissa, sed prece subdita, quoniam et qui petitur flecti debet, non incitari [b]; et sicut respici debet divina clementia, sic respici B debet et divina censura; et sicut scriptum est, *Donavi tibi omne debitum, quia me rogasti* (*Matth.* XVIII, 32), sic scriptum est : *Qui me negaverit coram hominibus, negabo et ego eum coram patre meo et coram angelis ejus* (*Matth.* X, 33). Deus enim ut est indulgens, ita est præceptorum suorum exactor, et quidem diligens; et sicut ad convivium vocat, sic habitum nuptiarum non habentem [c] ligatis manibus et pedibus extra sanctorum cœtum foras jactat. Paravit cœlum, sed paravit et tartarum : paravit refrigeria, sed paravit etiam æterna supplicia : [d] paraviti naccessibilem lucem, sed paravit etiam perpetuæ noctis vastam æternamque [d] caliginem.

VIII. Cujus temperamenti moderamen nos hic tenere C quærentes diu, et quidem multi, et quidem cum quibusdam episcopis vicinis nobis et appropinquantibus, et quos ex aliis provinciis longe positis persecutionis istius ardor ejecerat, ante constitutionem

LECTIONES VARIANTES.

[a] Ut transiliant *vetus innom. Spir.*
[b] Citari *Lin.*
[c] Non habentium manus *Bod.* 1.
[d] Et tetram *Vat.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

AA, a Basso episcopo Ephesino in concilio Chalcedonensi : *Super hæc etiam multos homines meorum diversis plagis morti tradiderunt, ita ut funera ante januas Sanctæ Dei Ecclesiæ quidam exponerent.* Ubi pro *funera* auctores editionis Romanæ posuerunt in margine *cadavera* per speciem interpretationis. Sulpitius Severus, lib. II *Sacræ Historiæ* loquens de inventione sanctæ Crucis Domini nostri Jesu Christi : *Capiunt deinde consilium ut aliquem recens mortuum crucibus admoverent. Nec mora, quasi Dei nutu funeris extincti solemnibus exequiis deferebatur, concursuque* D *omnium feretro corpus eruitur. — funus excussum, et inter spectatores suos adstitit.* Comœdia Queroli : *Et nos ipsi funus illud nescio quo ferebamus.* Sidonius lib. VII, Epist. 17 : *Sibi maximus honorandi funeris partes ipse præripit.* Idem *carmine* XVI extremo : *Seu mage funeribus mentem distractus humandis.* Cassiodorus lib. III, Epist. 19 : *Areæ ad recondenda funera.* Acta Concilii Bagaiensis, *pereuntium funeribus plena sunt littora.* Liberatus cap. 11 loquens de morte Proterii episcopi Alexandrini : *Occiditur, laniatur, ejicitur, et funus ejus incenditur; sparguntur et cineres ejus in ventos.* Assentior Livineio et Acidalio, qui pro eo quod apud Drepanium in panegyrico Theodosii A. legitur, *damnatorum fœna tractassent*, putant reponendum esse *funera.*

VI.—*Ecclesiastico nomini.* Ita nos reposuimus editionem Anglicanam et auctoritatem quorumdam veterum librorum secuti. Si quis tamen legere malit *nomine*, non repugno.

Non momentaneam. Non enim lenta remedia nec segnes medicos expetunt quædam tempora, ut apud *Q. Curtium* lib. III de se siebat magnus Alexander. Sic in Epistola concilii Chalcedonensis ad Imperatores in editione Rustici diaconi legitur : *Magnæ passiones et medicamenta fortia et medicos indigent sapientes.*

Desiderare. Duo libri veteres habent *desiderare debere medicinam.*

Pœnitentia. Antea legebatur *pœnitentiam*, eamque lectionem confirmant veteres editiones et septem vetera exemplaria. Nostram, quæ videtur esse melior, confirmant tres antiqui codices.

Mittant legatos. Tertullianus in libro *de Pœnitentia : Presbyteris advolvi et caris Dei adgeniculari, fratribus legationes deprecationis suæ injungere.*

VII.—*Convivium.* Ita scriptum est in editione Morelliana et in tribus antiquis codicibus. Veteres editiones et quinque libri veteres præferunt *convivio.*

VIII. — *Episcopis vicinis.* Qui cum viderent diversas esse in Ecclesia Christi opiniones circa lapsos, existimarent autem orienti malo occurrendum esse, Romam commearunt ut de eorum causa tractarent. Causa communis erat, quæ commovebat universam Ecclesiam. Sciebant autem illi singulis episcopis in-

Digitized by Google

episcopi nihil innovandum putavimus, sed lapsorum curam mediocriter temperandam esse credimus; ut interim, dum episcopus dari a Deo nobis sustinetur, in suspenso eorum qui moras possunt dilationis sustinere causa teneatur, eorum autem quorum vitæ suæ finem urgens exitus dilationem non potest ferre, acta pœnitentia et professa frequenter suorum detestatione factorum, si lacrymis, si gemitibus, si fletibus dolentis ac vere pœnitentis animi signa prodiderint, cum spes vivendi secundum hominem nulla substiterit, ita demum caute et sollicite subveniri, Deo ipso sciente quid de talibus faciat et qualiter judicii sui examinet pondera, nobis tamen anxie curantibus ut nec [a] pronam nostram improbi homines laudent facilitatem, nec vere pœnitentes accusent nostram quasi duram crudelitatem. Optamus te, beatissime ac gloriosissime papa, in Domino semper bene valere et nostri meminisse.

EPISTOLA XXXII.

(Erasm., III, 4. Pamel., Rigalt., Baluz., Oxon., Lips., XXXII.)

AD CLERUM CARTHAGINENSEM, DE MISSIS ROMAM ET ACCEPTIS INDE LITTERIS.

ARGUMENTUM. — *Monetur clerus Carthaginensis ut litteras Cleri Romani et Cypriani responsa communicanda curet.*

Cyprianus presbyteris et diaconibus fratribus salutem. Quales litteras ad Clerum Romæ agentem fecerim, quidque illi mihi rescripserint, quid etiam Moyses et Maximus presbyteri et Nicostratus et Rufinus [b] diaconi et cæteri cum eis confessores in custodia constituti, æque ad litteras meas rescripserint, ut scire possetis, fratres charissimi, exempla vobis legenda transmisi. Vos curate quantum potestis pro diligentia vestra ut scripta nostra et illorum rescripta fratribus nostris innotescant. Sed et si qui de peregrinis episcopi [c] collegæ mei, vel presbyteri, vel diacones [d] præsentes fuerint vel supervenerint, hæc omnia de vobis audiant; et si exempla epistolarum transcribere [e] et ad suos perferre voluerint, facultatem transcriptionis accipiant: quamvis et Saturo lectori fratri nostro [f] mandaverim ut singulis desiderantibus describendi faciat potestatem, ut in ecclesiarum statu quoquo modo interim componendo servetur ab omnibus una et fida [g] consensio. De cæteris vero quæ agenda erunt, sicut et collegis meis

LECTIONES VARIANTES.

[a] Ut in eo *Bod.* 1.
[b] Rufus *Lam.*
[c] Episcopis *Bod.* 1.
[d] Diaconi *Ar. Lam. Ebor. NC.* 2.
[e] Transferre *Neap.*
[f] Lectori nostro *Lam. Bod.* 2.
[g] Una fide *Lin. Bod.* 1. Fidea *NC.* 1. Una fida.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

cumbere ut provideant ne quid ea capiat detrimenti. Itaque ex compacto Romam profecti, non vero convocati a clero Romano, ut putavit Baronius, Synodum cum presbyteris et diaconis urbicis celebraverunt, ut firmato consilio, quemadmodum scribit in epistola XL Cyprianus, quid circa personam eorum observari deberet consensu omnium statueretur. Hinc collegit Baronius Concilium eo tempore habitum a clero Romano. Ego non contradico quin eo tempore habitum sit Romæ Concilium. Certum quippe est Concilium esse cum episcopi congregati in causa religionis consulunt in commune. Et tamen R. P. Harduinus aliter sensit. Concilii enim istius nullam mentionem facit in sua Conciliorum *editione*, quamvis Binius et Labbeus illud posuissent in suis. Sed quod ait Simon Starovolscius Concilium illud a clero Romano congregatum fuisse ad requisitionem D. Cypriani, merum commentum est.

In suspenso. Sic emendavit Morellius pro eo quod antea legebatur *in suspendio*. Unus liber meus habet *voto suspenso*.

Moras possunt. Codex Gratianopolitanus, *qui foris possunt dilectionem sustinere*. Vetustiores editiones, *foris possunt dilatione sustineri*.

Nobis tamen. Codex sancti Dionysii Remensis: *Nos autem anxie curavimus*.

Optamus. Unus codex meus vetus habet: *Opto te, frater carissime ac sanctissime, semper bene valere et nostri meminisse*. Gratianopolitanus: *Opto te, gloriosissime ac beatissime Papa, semper in Domino bene valere*.

EPIST. XXXII. — Hæc Epistola in editione Spirensi, in codice Fossatensi, in vetere Compendiensi, in Pithœano, in Beccensi, in uno Victorino, et in Michaelino inscribitur *Epistola prima ad Romanos*, in vetere Victorino, in Lætiensi, in Metensi sancti Arnulphi, et in fragmentis Bigotianis: *Epistola Cypriani ad Romanos*. Melius in recentiore Remigiano et in Divionensi: *Epistola beati Cypriani presbyteris et diaconibus Carthaginis*. Unus meus vetus: *Ad clerum Carthaginensem de his quæ ad confessores et clerum Romanum scripserat et de eorum rescriptis*. At in alio meo vetere ita scriptum est: *Ad presbyteros et diaconos Romæ consistentes*. In veteri editione Veneta: *Ad presbyteros Romæ consistentes*. Codex Remensis sancti Dionysii: *Presbyteris et diaconibus fratribus Romæ consistentibus*. Ex quodam ergo simili codice emersit lectio Rembolti, Erasmi, et Morellii, quæ habet: *Presbyteris et diaconibus Romæ consistentibus*. Pamelius voces *Romæ consistentibus* expunxit, quia ipsi ex ipso contextu constabat non ad Romanum sed ad Carthaginensem clerum has litteras dirigi.

Innotescant. Hæc lectio est optima, eamque præferunt aliquot libri veteres et editiones. At aliam, id est *innotescatis*, habent etiam aliquot libri veteres et editio Spirensis, tum etiam vetus Veneta. Est autem ea quoque optima. Vide notas ad librum Agobardi *de insolentia Judæorum*.

De per. episcopis. Codex sancti Arnulphi: *Sed et si qui peregrini episcopi*.

Et ad suos. Reliqua istius Epistolæ desunt in eodem codice sancti Arnulphi, et in eorum loco positum est prolixum fragmentum Epistolæ XXXI, pag. 42, ab his verbis, *vobis sententiam nostram dilucidu*, usque ad, *martyrii honorem*.

Saturo lectori. In editione Manutii legitur *Saturo semper lectori*, in codice sancti Dionysii Remensi et in Lamoniano, *Satyro collegæ lectori*. Verum hæ lectiones non sunt bonæ.

Una et fida. Ita ferme vetera exemplaria. Quædam tamen habent *una fide*. Ex quo fortassis colligi posset veram esse lectionem Rembolti, qui edidit *una fidei consensio*. Hanc vero lectionem retinuerunt Erasmus, Morellius, et Pamelius. Rigaltius mutavit. Mutationem Rigaltii approbavit editio Anglicana. Ego vero eorum opinioni lubenter accedo. Quippe istic non agitur

Digitized by Google

plurimis scripsi, plenius consilio communi tractabimus quando convenire in unum, permittente Domino, cœperimus. Opto vos, fratres charissimi ac desideratissimi, semper bene valere. Fraternitatem salutate. Valete.

EPISTOLA XXXIII.

(Erasm., p, 51. Pamel., Rigalt., Baluz., XXXII. Paris., XXXII. Oxon., Lips., XXXVII.)

AD CLERUM ET PLEBEM, DE AURELIO LECTORE ORDINATO.

ARGUMENTUM. — *Clero et plebi renuntiat Cyprianus Aurelium confessorem a se lectorem ordinatum, obiter virtutis illius et animi constantiam commendans, quibus etiam ulteriorem gradum in ecclesia merebatur.*

1. Cyprianus presbyteris et diaconibus et plebi universæ salutem. In ordinationibus clericis [a], fratres charissimi, solemus vos ante consulere, et mores ac merita singulorum communi consilio ponderare. Sed expectanda non sunt testimonia humana cum præcedunt divina suffragia. Aurelius frater noster, illustris adolescens, a Domino jam probatus et Deo [b] charus, in annis adhuc novellus, sed in virtutis [c] ac fidei laude provectus, minor in ætatis suæ indole, sed major in honore, gemino hic agone certavit; bis confessus, et bis confessionis suæ victoria gloriosus, et quando vicit in cursu [d] factus extorris, et cum denuo certamine fortiore pugnavit [e], triumphator et victor in prælio passionis. Quoties adversarius provocare servos Dei voluit, toties promptissimus ac fortissimus miles et pugnavit et vicit. Parum fuerat sub oculis ante paucorum, quando extorris fiebat, congressum

LECTIONES VARIANTES.

[a] De ordinationibus *Bod.* 1. Ordinandis *Pem. Corb.* Ordinationibus clericorum *Bod.* 3. *NC.* 2. *Lin.*
[b] Probatus est *Voss.* 2. Et in Deo *Oxon.*
[c] Virtute *Lem. Ebor. Lin. Bod.* 1.
[d] Vicit excursu *Corb.*
[e] Repugnavit *Lam. Lin.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

de doctrina fidei, sed de bono disciplinæ. Reinharto tamen magis placuit editio Rembolti. Illam confirmant codices Carnotensis et sancti Arnulphi.

Quando convenire. In codice Fuxensi scriptum est, *quando in unum, permittente Domino, venerimus.*

EPIST. XXXIII. — I. *Presbyteris .... universæ.* Sic etiam in Epistola sequenti. In margine libri impressi Nicolai Fabri ita scriptum est: *Ad presbyteros et diaconos et plebem universam Hipponensem.* Ex quo colligi posset hanc Epistolam fuisse encyclicam et missam fuisse ad omnes ecclesias Africanas, eas saltem quæ constitutæ erant in provincia proconsulari.

Ordinationibus clericis. Hæc est vera lectio. Quidam tamen antiqui codices habent *clericorum*, sed per speciem emendationis. Etenim in illis scriptum primo fuit *clericis*, et emendatio posita est supra lineam. In Gratianopolitano et in veteri editione Veneta legitur *In ordinandis clericis.* Codex sancti Arnulphi: *De ordinandis clericis.*

Solemus vos ante consulere. Ista disciplina tumubique recepta erat ut episcopi neminem in clerum adsciscerent nisi cum consensu cleri et plebis; idque semper servabatur, nisi magna aliqua causa subesset festinandi. Quare mirum non est episcopum Romanum qui Novatianum ordinavit presbyterum, cum id fieri cleruş universus multique ex populo justam ob hoc causam repugnarent, *ab omnibus.* ut lib. VI. cap. 31, *Hist. eccles.* scribit Rufinus, *specialem gratiam poposcisse ut sibi hoc de isto uno concederetur.* Fuit igitur specialis gratia concessa episcopo a clero et a plebe ut Novatianum ordinaret presbyterum. Et tamen Baronius mirum in modum laudans istic modestiam admirandam Summi Pontificis, cujus cum auctoritas in Ecclesia summa esset, tamen non pro animi arbitrio sed fratrum consensu solitus cuncta facere, quos sibi renitentes videret, non vi ulla aut potestate cogeret, sed submisso animo exoraret. Rhetoricatur istic Baronius, et mores illorum temporum accommodans, ut solet, ad nostros, ad facilitatem boni istius Papæ refert specialem gratiam ei factam a clero et plebe, ut manifeste patet ex ea historia. In rebus historicis non speciem expositionis quærimus, sed fidem, ut utar verbis Quintiliani.

Aurelius.... adolescens. Hinc constat hunc Aurelium esse diversum ab eo cujus mentio facta est in Epistola XXII, pag. 31.

Deo carus. Ita omnia fere vetera exemplaria. In duobus tamen legitur *Deo suo carus.* Quod Rigaltio melius arrisit. Ego puto aliam lectionem esse meliorem.

In annis novellus. Mirum non est Aurelium, qui istic dicitur in annis novellus et adolescens, factum fuisse lectorem in ecclesia Carthaginensi, cum videamus apud Victorem Vitensem lib. V cap. 9, plurimos in ea ecclesia lectores infantulos fuisse sub episcopo Eugenio.

In cursu. Ita editiones Morellii et Rigaltii. Angli posuerunt *incursu*, unica dictione, uti scriptum est in codice sancti Arnulphi et in Carnotensi. Vetus codex ecclesiæ sancti Martini Turonensis habet *excursu*, Corbeiensis *ex cursu.* Rigaltius retinuit lectionem quæ duo vocabula constituit. Et tamen in observationibus suis aliam prætulit, excursum aiens significare prolusionem ad fortius certamen, quod probat auctoritate Vegetii. Cyprianus in libro *de Lapsis*, pag. 182, ait *perfectionis incursu*; pro quo codex Fuxensis habet *impetu.* Incursus alibi quidvis aliud significat, si vera est lectio veterum codicum et veterum editionum epitomes Victoris *de Cæsaribus*, in quibus legitur Augustum, dolore permotum ob exercitum amissum trans Rhenum, cerebri vario incursu parietem pulsasse. Sed hæc lectio non placuit Andreæ Schotto, qui, insuper habita ea auctoritate, reposuit *incussu.* Certum autem est Augustum ea clade adeo consternatum fuisse ut per continuos menses barba capilloque submisso, caput interdum foribus illideret.

Passionis. Ita omnes libri veteres et omnes editiones ante Rigaltianam. Nescio autem unde ille acceperit vocem *confessionis*, quam istic posuit.

Quoties. In veteribus libris sæpissime scriptum videmus *quotiens et totiens*, etiam in iis qui continent Opera sancti Cypriani. Cum autem viderem tantum consensum veterum in retinenda scriptura illa, facile adducebar ut ego quoque ita scriberem. Abstinui tamen, ratus veram esse observationem Dionysii Lambini, viri doctissimi, qui in annotationibus suis ad orationem Ciceronis pro P. Quintio monuit debere semper scribi *quoties et toties*, errorem vero eorum qui posuerunt *quotiens et totiens* ortum esse ex consuetudine qua utebantur antiquissimi Romani, qui interdum notabant vocalem *e*, si longa esset, linea tenui et non ita longa, hoc modo, quotiẽs, totiẽs, hincque factum esset ut indocti scriptores librarii, cum existimarent lineolam illam vicem obtinere litteræ *n*, scripserint *quotiens* et *totiens.* Addit autem Lambinus hanc scripturam jampridem tacito omnium consensu ejectam et explosam esse. Vide etiam quæ de hoc argumento scripsit Antonius Augustinus, lib. II *Emendationum*, cap. 6.

Prompt. ac fortis. Hanc lectionem reperi in undecim codicibus antiquis. Alia habet *fortissimus ac promptissimus.*

Digitized by Google

fuisse, meruit et in foro congredi clariore virtute, ut post magistratus etiam proconsulem vinceret, et post exilium tormenta superaret. Nec invenio quid in eo prædicare plus debeam, gloriam vulnerum, an verecundiam morum, quod honore virtutis insignis est, an quod pudoris admiratione laudabilis. Ita et dignitate excelsus est et humilitate submissus, ut appareat illum divinitus reservatum qui ad ecclesiasticam disciplinam cæteris esset exemplo, quomodo servi Dei in confessione virtutibus vincerent, post confessionem moribus eminerent.

II. Merebatur talis clericæ ordinationis ulteriores gradus et incrementa majora, non de annis suis sed de meritis æstimandus. Sed interim placuit ut ab officio lectionis incipiat, quia et nihil magis congruit voci quæ Dominum gloriosa prædicatione confessa est, quam celebrandis [a] divinis lectionibus personare; post verba sublimia quæ Christi martyrium prolocuta sunt, Evangelium Christi legere, unde martyres fiunt; ad pulpitum post catastam venire, illic fuisse conspicuum gentilium multitudini, hic a fratribus conspici, illic auditum esse cum miraculo circumstantis populi, hic cum gaudio fraternitatis audiri. Hunc igitur, fratres dilectissimi, a me et a collegis qui præsentes aderant ordinatum sciatis. Quod vos scio et libenter amplecti et optare tales in ecclesia nostra quamplurimos ordinari. Et quoniam semper gaudium properat, nec potest moras ferre lætitia, dominico legit interim nobis, id est [b], auspicatus est pacem dum [c] dedicat lectionem. Vos orationibus frequenter insistite, et preces nostras vestris precibus adjuvate, ut Domini misericordia favens nobis, cito plebi suæ et sacerdotem reddat incolumem et martyrem cum sacerdote lectorem. Opto vos, fratres charissimi [d], in Deo Patre et Christo Jesu semper bene valere.

[47] EPISTOLA XXXIV.

(Erasm., IV, 5. Pamel., Rigalt., Baluz., XXXIV. Paris., XXXIII. Oxon., Lips., XXXIX.)

AD CLERUM ET PLEBEM, DE CELERINO LECTORE ORDINATO.

ARGUMENTI *pene ejusdem est cum præcedenti, præterquam quod multis commendet Celerini in confessione fidei constantiam. Utramque autem in secessu scriptam, ipsæ contextus circumstantiæ satis indicant.*

I. Cyprianus presbyteris et diaconibus et plebi uni-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Quam celebrantibus *Lam. NC.* 1, 2. *Lin.*
[b] Hodie *Ebor.*
[c] Auspicatus est, dum *Ebor.*
[d] Semper *add. Pem. Voss.* 2. *Lam. Lin. NC.* 1, 2. Et nostri meminisse *Lam. NC.* 1.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

II. — *Non de annis suis.* Virgilius lib. IX Æneidos : Ante annos animumque gerens curamque virilem. Nazarius in panegyrico Constantini ait : *Ostendisti cursum ætatis non expectandum in festinatione virtutis.* Et mox de Crispo, *in quo velox virtus ætatis mora non retardata pueriles annos gladiis triumphalibus occupavit.* Apud Victorem Vitensem lib. V, cap. 10, mentio est duodecim clericorum infantulorum ecclesiæ Carthaginiensis, quos Ariani suis blanditiis avocare non potuerunt a professione rectæ fidei, *et superiores suis inventi sunt annis.* Gravissimis enim tormentis afflicti sunt, et tamen ætas minor non defecit in dolore. Istud ipsum versibus elegantissimis expressit vir cum antiquis comparandus Petrus Cornelius in tragœdia Cidi. Ejus verba merentur hic describi :

Je suis jeune il est vrai, mais aux âmes bien nées
La valeur n'attend pas le nombre des années.

Ad pulpitum, id est tribunal ecclesiæ, ut infra, Epist. XXXIV, pag. 48, dicet Cyprianus. *Ambonem* posterior ætas vocavit. Concilium Laodicenum can. 15 ex interpretatione Dionysii Exigui : *De his qui debent in ambone, id est in pulpito, psallere.* Vide Ciampinum in libro *de sacris Ædificiis*, p. 15, 52, et in Collectione veterum monumentorum pag. 18. Vide etiam notas nostras *ad Capitularia* pag. 1147.

Catastam. Vide Victorem Giselinum in notis ad Hymnum Prudentii de martyribus Calagurritanis.

Gaudium properat. Hieronymus in Epistola ad Demetriadem de virginitate servanda ait omnes per Italiam et Africam, insulas audito sanctæ virginis proposito, repletas fuisse hoc rumore, et inoffenso pede gaudia longius cucurrisse. Symmachus lib. I, Epist 32, scribit difficilem esse patientiam gaudiorum. Martialis lib. VIII, epig. 21 : *Phosphore, redde diem : quid gaudia nostra moraris !* Sanctus Leo papa, Epist. 52, ad episcopos Galliæ : *Nam fratrem Ingenuum nolumus hac expectatione tardari, cum ob hoc ipsum properantius remeare debuerit, ne diutius vobis esset incognita omnium materia gaudiorum.* Cassiodorus, lib. IV, Epist. 4 : *Gaudia semper animos inquietant. Modus enim raro rebus lætis imponitur, qui magis in tristibus invenitur.* Nam, ut ait Tertullianus in libro de Pudicitia, *magis tristiora cunctantur quam læta.* Symmachus, lib. VII, Epist. 1 : *Longiora enim fiunt quæ differuntur.* Petronius de Ascylto, *Tardum est differre quod placet.* Cicero, libro quarto *quæstionum Tusculanarum*, ponit discrimen inter gaudium et lætitiam. Lactantius, lib. VI, cap. 11 : *Lætitia nihil est quam profusum gaudium.* Hieronymus in caput quartum Epistolæ ad Galatas : *Gaudium quippe esse aiunt elationem animi super his quæ digna sunt exultantis, lætitiam vero effrænati animi elationem quæ medium nesciat et in his quoque quæ vitio sunt mixta lætatur.* Vide Ludovicum Cælium Rhodiginum, lib. V, cap. 33.

Nec moras. Omnis enim nimia longa properanti mora est : ut ait Seneca in *Agamemnone*. Epistola Heronis ad Leandrum apud Ovidium : *Longa mora est nobis omnis quæ gaudia differt.* Seneca, Hercule furente : *Odit verus amor nec patitur moras.* Idem, Thebaide : *Omitto pœnas languidas longæ moræ.* Apuleius, lib. IV *Metamorphoseon* dixit impatientiam animæ. Juvenalis sat. 6 : *Impatiensque moræ silet.* Lucanus, lib. VII. *Æger quippe moræ flagransque cupidine regni.*

Dominico. In libro *de Opere et eleemosynis*, pag. 242 : *Dominicum celebrare te credis.* Epist. LXIII, p. 109. *Numquid ergo dominicum post cœnam celebrare debemus.* Vide Acta martyrum Donatistarum in libro secundo Miscellaneorum nostrorum, pag. 61, 63, 64, 66.

Id est. Ita libri octo veteres. Quidam alii habent *idem*, alii *id enim* : errore nimirum librariorum. In Carnotensi *hac die*. In recentiori Remigiano scriptum est : *Dominico legit interim nobis. Interim nobis hac die auspicatus est pacem.*

Dedicat. Id est incipit, incohat, ut palam est. An vero hinc colligi possit Aurelium, cum ei recitandi Evangelii potestas esset facta, allocutum esse et salutasse populum et pacem et benedictionem Christi Domini fidelibus condonasse, aliis excutiendum relinquo. Vide notas Albaspinei ad concilium tertium Carthaginense.

EPIST. XXXIV. — In codice 137 bibliothecæ Col-

Digitized by Google

versæ, fratribus in Domino, salutem. Agnoscenda et amplectenda sunt, fratres dilectissimi, beneficia divina, quibus Ecclesiam suam Dominus illustrare temporibus nostris et honestare dignatus est, commeatum dando bonis confessoribus suis et martyribus gloriosis, ut, qui sublimiter Christum confessi essent, clerum postmodum Christi ministeriis ecclesiasticis adornarent. Exultate itaque et gaudete nobiscum litteris [a] nostris, quibus ego et collegæ mei qui præsentes aderant, referimus ad vos Celerinum fratrem nostrum, virtutibus pariter et moribus gloriosum, clero nostro, non humana suffragatione sed divina dignatione conjunctum. Qui cum consentire dubitaret ecclesiæ, ipsius admonitu et hortatu in visione per noctem compulsus est ne negaret [b] nobis suadentibus. Cui plus licuit et coegit quia nec fas fuerat nec decebat sine honore ecclesiastico esse quem sic Dominus honoravit cœlestis gloriæ dignitate.

II. Hic ad temporis nostri prælium primus [c], hic inter Christi milites antesignanus, hic inter persecutionis initia ferventia cum ipso infestationis principe et auctore congressus, dum inexpugnabili firmitate certaminis sui adversarium vincit, vincendi cæteris viam fecit, non brevi compendio vulnerum victor, sed adhærentibus diu et permanentibus [d] pœnis longæ colluctationis miraculo triumphator. Per decem et novem dies custodia carceris septus in nervo ac ferro fuit; sed, posito in vinculis corpore, solutus ac liber spiritus mansit. Caro famis ac sitis diuturnitate contabuit, sed animam fide et virtute viventem nutrimentis spiritalibus Deus pavit. Jacuit inter pœnas pœnis suis fortior, inclusus includentibus major, jacens stantibus celsior, vincientibus firmior vinctus [e], sublimior judicantibus judicatus; et quamvis ligati nervo pedes essent, calcatus serpens et obtritus et victus est. Lucent in corpore glorioso clara vulnerum signa, eminent et apparent [f] in nervis hominis ac membris longa tabe consumptis expressa vestigia. Sunt magna, sunt mira quæ de virtutibus ejus ac laudibus fraternitas audiat. Et si aliquis Thomæ similis exstiterit qui minus auribus credat, nec oculorum fides deest ut quis quod audit et videat. In servo Dei victoriam gloria vulnerum fecit, gloriam cicatricum memoria [g] custodit.

III. Nec rudis iste aut novus est in Celerino charissimo nostro titulus gloriarum; per vestigia cognationis suæ graditur, parentibus ac propinquis suis honore consimili divinæ dignationis æquatur. Avia ejus Celerina jam pridem martyrio coronata est. Item pa-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Lectis litteris *Oxon. ex multis edd. et codd.*
[b] Est negaret *Rigalt.*
[c] Primus ingressus *Lam. Ebor. Ben. NC.* 1.
[d] Admanentibus *Corb.*
[e] Vincentibus... victus *Ebor. NC.* 4.
[f] Eminent apparenter *Lam. Bod.* 1, 3.
[g] Gloria cicatricum memoriam *Lam. Ebor. NC.* 1.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

bertinæ sic scriptum est in titulo istius Epistolæ: *Incipit Epistola sancti Cypriani episcopi de Celerino lectore ad plebem, cujus natalis celebratur tertio Nonas Februarii.* Recte. Ejus enim hac die mentio est in martyrologiis. At in ecclesia ejus nomini dicata, de qua mox dicam, festum ejus celebratur die septima Maii. In vetustissimo martyrologio monasterii Gellonensis, cum quo concordat vetus codex monasterii sancti Galli in Helvetia, nominatur eo die Celerinus, sed absque titulo, qui tamen in additionibus ad novam editionem Usuardi vocatur episcopus et confessor. In diocesi Cenomanensi exstat parochialis ecclesia sub nomine sancti Celerini ad Sartam fluvium, media, ut aiunt, via inter Bellum montem et Alenconium. Ibi est prioratus ordinis sancti Benedicti. In chartulario Cenomanensi Majoris monasterii Turonensis, a quo dependet hic prioratus, exstant plures chartæ veteres mentionem facientes hujus parochiæ sancti Celerini, et in earum una vocatur Serenicus, per errorem, ut opinor. Nam constat ecclesiam illam et castrum in eodem loco situm habuisse semper antiquitus nomen sancti Celerini, uti etiamnum habent. Ex quo colligi facile potest castrum sancti Serenici commemoratum in *Historia ecclesiastica* Orderici Vitalis esse diversum ab isto, adeoque falli eos qui sumpta auctoritate ex Orderico erroris arguunt scriptores historiarum qui mentionem faciunt belli quod fuit anno 1432 inter Francos et Anglos propter castrum sancti Celerini. In chartulario supra nominato, ut ad id redeam unde digressus sum, reperio donum quod tempore Bartholomæi abbatis fecit Hugo dominus de Brajetello. Dedit autem, annuente uxore sua, consentientibus quoque Gauffredo genero ejus et filia ejus Hervisa, *quamdam ecclesiam quam cœperat ædificare in honorem sanctæ Trinitatis in parochia sancti Celerini, ipsam ecclesiam sancti Celerini cum omnibus redditibus ad eam pertinentibus.*

I. — *Commeatum.* Id est commeatum permanendi adhuc aliquantisper in sæculo, ut explicat, et recte, Rigaltius. Hieronymus in Epistola *ad Paulam* super obitu Blæsillæ filiæ: *Itaque dum spiritus hos artus regit, dum vitæ hujus fruimur commeatu.*

Cui plus licuit. Sic distinguendum. Ut autem ita facerem sensus ipse monebat, et auctorem habui ut ita distinguerem codicem 801 bibliothecæ Colbertinæ et Nicolaum Fabrum, qui sic manu sua emendavit in libro suo impresso. Vide observationes Latini Latinii ad hunc locum.

II. —*Inclusus incl. major.* Sic Hieronymus in Epistola ad Paulinum de divinæ historiæ libris, loquens de Platone venundato, ait: *major emente se fuit.* Vide, lector, scholion Erasmi ad hunc Hieronymi locum: ridebis.

Calcatus. Hæc lectio certa est. Et tamen quidam libri veteres habent *galeatus.*

Nec oculor. Plautus:

> Plus valet oculatus testis unus quam auriti decem:
> Qui audiunt audita sciunt qui vident plane sciunt.

Moyses eremita apud Rufinum lib. XI, cap. 6: *Numquid potest verior esse fides quæ auribus capitur, quam quæ oculis pervidetur?* Contra Apuleius in initio libri primi *Floridorum* tradit Socratem in ista re non congruisse cum Plauto et ita convertisse hunc versum: Sed ista referebat ad oculos mentis, ad animi judicia. Vide Lambinum in illud Horatii ex *Arte poetica:*

> Segnius irritant animos demissa per aurem
> Quam quæ sunt oculis subjecta fidelibus.

III. — *Per vestigia cogn.* Simile quid apud Cassiodorum lib. III, Epist. VI.

Celerina. Istius Celerinæ, ut opinor, mentio exstat in libro primo Victoris Vitensis *de persecutione Africana.* Item alterius in libro inscriptionum sancti Pauli de Urbe pag. 26. Apud sanctum Augustinum in nova editione sermones 48 et 174 notantur habiti in basilica Celerinæ.

Digitized by Google

truus ejus et avunculus Laurentius [a] et Egnatius, in castris et ipsi quondam sæcularibus militantes, sed veri et spiritales Dei milites, dum diabolum Christi confessione [b] prosternunt, palmas a Domino [c] et coronas illustri passione meruerunt. Sacrificia pro eis semper, ut meministis, offerimus quoties martyrum passiones et dies anniversaria [d] commemoratione celebramus. Nec degener ergo esse nec minor poterat quem sic domesticis exemplis virtutis ac fidei provocabat familiæ dignitas et generosa [48] nobilitas. Quod si in familia sæculari prædicationis [e] et laudis est esse patricium, quanto majoris laudis et honoris est fieri in cœlesti prædicatione generosum! Non invenio quem beatiorem magis dicam, utrumne illos de posteritate tam clara, an hunc de origine gloriosa. Ita æqualiter apud eos recurrit et commeat divina dignatio, ut et illorum coronam dignitas sobolis [f] illustret, et hujus gloriam sublimitas generis illuminet.

IV. Hunc ad nos, fratres dilectissimi, cum tanta Domini dignatione venientem, testimonio et miraculo ejus ipsius qui se persecutus fuerat illustrem, quid aliud quam super pulpitum, id est super tribunal ecclesiæ, oportebat imponi, ut, loci altioris celsitate [g] subnixus, et plebi universæ pro honoris sui claritate conspicuus, legat præcepta et Evangelium Domini, quæ fortiter ac fideliter sequitur? Vox Dominum confessa in his quotidie quæ Dominus locutus est auditur. Viderit an sit ulterior gradus ad quem profici [h] in ecclesia possit. Nihil est in quo magis confessor fratribus prosit [i] quam ut, dum evangelica lectio de ore ejus auditur, lectoris fidem quisquis audierit imitetur. Jungendus in lectione Aurelio fuerat, cum quo et divini honoris societate conjunctus est, cum quo omnibus virtutis et laudis [j] insignibus copulatus est. Pares ambo, et uterque consimiles, in quantum gloria sublimes; in tantum verecundia humiles, quantum divina dignatione promoti, tantum sua quiete et tranquillitate summissi, et virtutum pariter et morum singulis exempla præbentes, et congressioni et paci congruentes, illic robore, hic pudore laudabiles.

V. In talibus servis lætatur Dominus; in ejusmodi confessoribus gloriatur, quorum secta et conversatio sic proficit ad præconium gloriæ, ut magisterium cæteris præbeat disciplinæ. Ad hoc eos Christus esse hic in Ecclesia diu voluit, ad hoc de media morte subtractos, quadam, ut ita dixerim, resurrectione circa eos facta, incolumes reservavit, ut, dum nihil in honore [k] sublimius, nihil in humilitate summissius a fratribus cernitur, hos eosdem fraternitatis secta [l] comitetur. Hos tamen lectores interim constitutos sciatis, quia oportebat lucernam super candelabrum poni, unde omnibus luceat, et gloriosos vultus in loco altiore constitui, ubi, ab omni fraternitate circumstante conspecti, incitamentum gloriæ videntibus præbeant. Cæterum presbyterii honorem designasse nos illis jam sciatis, ut et sportulis iisdem cum presbyteris honorentur, et divisiones mensurnas [m] æquatis [n] quantitatibus partiantur, sessuri nobiscum provectis et corroboratis annis suis; quamvis in nullo minor possit videri ætatis indole qui consummavit ætatem gloriæ dignitate. Opto vos, fratres charissimi et desiderantissimi, semper bene valere.

EPISTOLA XXXV.

(Erasm., IX, 10. Pamel., Rigalt., Baluz., XXXV. Paris., XXXIV. Oxon., Lips., XL.)

AD EOSDEM, DE NUMIDICO ORDINATO PRESBYTERO.

ARGUMENTUM. — *Nuntiat clero et plebi Numidicum a se ordinatum presbyterum, paucis dignitatem illius commendans.*

Cyprianus presbyteris et diaconibus et plebi uni-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Laurentinus Egnatius *Oxon.*
[b] Congressione *Oxon.*
[c] Palmas Domini *Oxon.*
[d] Anniversarios *Pem.*
[e] Majoris et laudis *Lam.*
[f] Dignitatis soboles *Lam. Ebor. NC.* 1.
[g] Celebritate *Pem.*
[h] Proficisci *Bod.* 3.
[i] Possit *Pem. Voss.* 2.
[j] Et fidei *Lam. NC.* 1. *Ebor.*
[k] In humilitate *Bod.* 1.
[l] Sectata *Oxon.* Sortita *Bod.* 3.
[m] Menstruas *Pem. Lam.*
[n] Æquales *Bod.* 1. *Ebor. NC.* 1.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

Palmas a Domino. Sic veteres editiones et quidam libri veteres. Atque ego lectionem illam puto esse meliorem ea quæ præfert *palmas Domini*, quamvis ista plurium veterum codicum auctoritate nitatur. Codex Turonensis habet *palmas a Deo*.

Egnatius. Ita codex Thuanus et aliquot alii. At in aliis vocatur *Ignatius*. Utraque lectio bona est. Pamelius scribere maluit *Ignatius*. Sed alia mens fuit Latinio, qui ait eos qui meliorum codicum fidem secuti sunt, et posuerunt *Egnatius*, recte fecisse. Vide Cotelerium in Epistolam Ignatii martyris ad Ephesios.

Et dies. Hæc desunt in codice 801 bibliothecæ Colbertinæ. Et puto posse omitti absque ullo incommodo.

Generosum. Ego non dubito quin hæc lectio sit optima. Moneo tamen *gloriosum* legi in quatuor antiquis codicibus.

Celsitate. Idem codex Colbertinus, *celsitudine.*

IV.—*Proficî.* Retinui hanc lectionem, quamvis antiquiores editiones et sex antiqua exemplaria præferant *proficisci*, quia ista nititur auctoritate plurium veterum librorum et editionum. Inveni enim illam in septem codicibus antiquis. Neutra autem bona est. Conjici posset legendum esse *præfici*. Sed hæc constructio non esset latina. Melius scriberetur *promoveri*. Verum omnes libri veteres et omnes editiones repugnant.

Aurelio. De cujus ordinatione actum est in Epistola superiore.

V.—*Fraternitatis secta.* Ita codex Pithœanus. Editiones vulgatæ, quibus consentiunt alii libri veteres, habent *fraternitas sectata*. Verum nostram lectionem esse meliorem satis constat, præsertim cum sumpta sit ex codice veteri antiquitus emendato in urbe Roma a quodam Justino, ut adnotatum est in calce Epistolæ in codice Pithœano.

Divisiones mensurnas. Multum variant libri veteres in hoc loco. Quidam enim præferunt *divisiones men-*

Digitized by Google

versæ, charissimis ac desiderantissimis fratribus, salutem. Nuntiandum [a] vobis fuit, fratres charissimi, quod pertineat et ad communem lætitiam et ad ecclesiæ nostræ maximam gloriam. Nam admonitos nos et instructos sciatis dignatione divina [b] ut Numidicus presbyter adscribatur presbyterorum Carthaginensium numero et nobiscum sedeat in clero, luce clarissima confessionis illustris [b], et virtutis ac fidei honore sublimis; qui hortatu suo copiosum martyrum [c] numerum, lapidibus et flammis necatum, ante se misit [d]; quique uxorem adhærentem lateri suo concrematam [e] simul cum cæteris, conservatam magis dixerim, lætus aspexit. Ipse semiustulatus et lapidibus obrutus et pro mortuo derelictus, dum [f] posthodum filia sollicito pietatis obsequio cadaver patris inquirit, semianimis inventus et extractus et [g] refocillatus, a comitibus quos ipse præmiserat remansit invictus [h]. Sed remanendi, ut videmus, hæc fuit causa ut eum clero nostro Dominus adjungeret et desolatam per lapsum quorumdam presbyterorum nostrorum copiam [i] gloriosis sacerdotibus adornaret. Et promovebitur quidem, cum Deus permiserit, ad ampliorem locum regionis suæ, quando in præsentiam protegente Domino venerimus. Interim quod ostenditur fiat, ut cum gratiarum actione suscipiamus hoc Dei munus, sperantes de misericordia Domini ejusmodi ornamenta complura, ut, redintegrato Ecclesiæ suæ robore, tam mites et humiles faciat in consessus nostri honore florere. Opto vos, fratres charissimi ac desiderantissimi, semper bene valere.

EPISTOLA XXXVI.

(Erasm., III, 24. Pamel., Rig., Baluz., XXXVI. Paris. XXXV. Oxon., Lips., VII.)

AD CLERUM, DE CURA PAUPERUM ET PEREGRINORUM.

ARGUMENTUM.— *Monet ne glomeratim martyres visitent, ne viduas, infirmos, pauperesve aut peregrinos negligant.*

Cyprianus presbyteris et diaconibus, fratribus charissimis, salutem. Saluto vos, fratres charissimi, per Dei gratiam incolumis, optans cito ad vos venire, ut desiderio tam meo quam vestro et omnium fratrum satisfiat [j]. Oportet nos tamen paci communi consulere et interdum, quamvis cum tædio animi nostri, deesse vobis, ne præsentia nostra invidiam et violentiam gentilium provocet, et simus auctores rumpendæ pacis, qui magis quieti omnium consulere debemus. Quando ergo vos scripseritis, rebus compositis, me venire debere, aut si ante dignatus fuerit Dominus ostendere, tunc ad vos veniam. Ubi enim mihi aut melius possit esse aut lætius quam illic ubi me Deus et credere voluit et crescere? Viduarum et infir-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Mandandum *Lam. Ebor. Bod.* 2.
[b] Confessionis muneri *NC.* 2. Confessionis et virtutis ac fidei honore *Ebor. Lin.*
[c] Gloriosum martyrem *Ben. Ver. Lam. Ebor. Lin. Bod.* 1, 2.
[d] Ante præmisit *Ben.*
[e] Igne crematam *NC.* 2.
[f] Prope modum relictus. Denique dum *Ben.*
[g] Et retractus et vix *Ver. Manut.*
[h] Refocillatus remansit invitus *Bod.* 1.
[i] Presbyterii nostri copiam *Oxon.* presbyterorum nostram copiam *Lam. Ebor. Lin. Bod.* 1.
[j] De fratribus satisfiat *S. Mich.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

surnas, alii *divisiones menstruas, divisiones mensuras, divisiones mensuriæ, divisiones mensuræ*. Hadrianus Saravia maluit *menstruas*.

EPIST. XXXV. — *Numidicus presbyter*. Retinui lectionem vulgatam. Vox *presbyter* deest in duobus antiquis codicibus. Adscribit illum Cyprianus numero presbyterorum Carthaginensium. Quod sane efficere nemo posse videtur nisi episcopus. Quare mirum videri potest quod ait Cassianus collat. IV, cap. 1. Danielem, diaconum Paphnutii presbyteri, promotum ab eo fuisse ad honorem presbyterii, nulla episcopi mentione. Verum satis commode ad hunc locum commentatur Alardus Gazæus, non fuisse Danielem promotum a Paphnutio, sed missum ad episcopum ut ab eo promoveretur. Exempla sequentium temporum allata a Gazæo fuerunt.

Presbyteror. Aliæ editiones et tria exemplaria vetera habent *presbyterii Carthaginensis*. Quæ lectio bona quoque est. Sed ea quam ego posui, quam inveni in pluribus antiquis codicibus, mihi videtur esse melior.

Martyr. numerum. In codice Thuano et in Fuxensi scriptum est *martyrem verum*. Sed hæc lectio non est bona. Gratianopolitanus habet : *Bonos martyres et veros lapidibus et flammis necatos ante se misit*.

Concrematam. Codex Lamonii, *omnino crematam*.

A comitibus. Tria exemplaria vetera præferunt *ex comitibus*, quod idem est. Ait enim Cyprianus Numidicum remansisse seu superstitem fuisse comitibus seu sociis martyrii sui, eo modo quo Dominus episcopus Antiochenus remansit ab orthodoxorum depositione, uti diximus in præfatione nostra ad concilium Chalcedonense cap. 37. Vide rursum quæ notamus ad librum *de Oratione dominica*.

Presbyter. nostr. Hanc lectionem reperi in octo codicibus antiquis et in editionibus quæ antecesserunt Pamelianam. Pamelius maluit *presbyterii nostri*. Presbyterium lapsum non est, sed presbyteri quidam. Lectio itaque nostra melior est.

Cum Deus permiserit. In quibusdam vetustis exemplaribus et editionibus legitur *cum tempus permiserit*.

Regionis. Antea legebatur *religionis*. Hanc emendationem, quæ est optima, inveni in duobus libris antiquis. Notum est autem urbes fuisse divisas in regiones. Amplior autem locus regionis recte dicitur, non vero religionis. Apud Lactantium, lib. II, c. 18 : *Non in una potius sed in summa religione quærendus est*. Pro quo quidam libri veteres habent *regione*. Item lib. IV, cap. 27, *per diversa regionum* ; pro quo codex Bononiensis a Thomasio laudatus præfert *religionum*. Lectio tamen quæ habet *religionis* potest habere bonum sensum.

EPIST. XXXVI. — Hæc epistola est ejusdem argumenti cum quinta, consule.

Ostendere. Per visionem, in somno. Modus loquendi frequenter usurpatus a Cypriano.

Aut lætius...crescere. Hæc desunt in antiquis editionibus. Hunc ergo hiatum supplevit editio Manutii, *aut lætius quam illic ubi me Dominus esse decrevit*. Morellius autem sic : *Ubi me Deus et credere voluit et crescere*. Putavit autem Pamelius illos ita supplevisse ex ingenio. Frustra. Ea enim quæ Morellius posuit exstant in uno codice Vaticano et in tribus aliis antiquis a me visis, nisi quod in uno eorum, in Fuxensi nimirum, scriptum est *secedere* pro *credere*.

Digitized by Google

morum et omnium pauperum curam peto diligenter habeatis. Sed et peregrinis, si qui indigentes fuerint, sumptus suggeratis de quantitate mea propria quam apud Rogatianum compresbyterum nostrum dimisi. Quæ quantitas ne forte jam universa erogata sit, misi eidem per Naricum acolythum aliam portionem, ut largius et promptius circa laborantes fiat operatio. Opto vos, fratres charissimi, semper bene valere et nostri meminisse. Fraternitatem vestram meo nomine salutate, et ut nostri memores sint admonete.

[a] EPISTOLA XXXVII.

(Erasm., III, 6. Pamel., Rigalt., Baluz., XXXVII. Paris., XXXVI, Oxon., Lips., XII.)

AD CLERUM, UT CONFESSORIBUS IN CARCERE CONSTITUTIS OMNIS HUMANITAS PRÆBEATUR.

ARGUMENTUM. — *Hortatur clerum suum ut omnis humanitas et cura adhibeatur circa confessores, tum vivos, tum in carcere defunctos; ut dies mortis eorum diligenter adnotentur, ad celebrandam quotannis eorum memoriam; denique ut pauperum etiam non obliviscantur.*

I. Cyprianus presbyteris et diaconibus fratribus salutem. Quamquam sciam vos, fratres charissimi, litteris meis frequenter admonitos esse ut gloriosa voce Dominum confessis et in carcere constitutis omnis diligentia præbeatur, tamen identidem vobis incumbo, ne quid ad curam desit iis quibus ad gloriam nihil deest. Atque utinam loci et gradus mei conditio permitteret ut ipse nunc præsens esse possem! promptus et libens solemni ministerio cuncta circa fortissimos fratres nostros dilectionis obsequia complerem. Sed officium meum vestra, quæso, diligentia representet, et faciat omnia quæ fieri oportet circa eos quos in talibus meritis fidei ac virtutis suæ [a] illustravit divina dignatio. Corporibus etiam omnium qui, etsi torti non sunt in carcere, tamen glorioso exitu mortis excedunt, impertiatur et vigilantia et cura propensior. Neque enim virtus eorum aut honor minor est quo minus ipsi quoque inter beatos martyres aggregentur : quod in illis est, toleraverunt quicquid tolerare parati et prompti fuerunt. Qui se tormentis et morti sub oculis Dei obtulit, passus est quicquid pati voluit [b] ; non enim ipse tormentis, sed tormenta ipsi defuerunt [c]. *Qui in me confessus fuerit coram hominibus, et ego in illo confitebor coram Patre meo qui in cœlis est* (*Matth.* x, 32), dicit Dominus [d]. Confessi sunt *Qui toleraverit usque ad finem hic salvus erit* [e] (*Ibid.*, 22), dicit Dominus. Toleraverunt, et ad finem usque incorrupta et immaculata virtutum suarum merita pertulerunt. Et iterum scriptum est : *Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ* (*Apoc.* II, 10). Usque ad mortem fideles et stabiles et inexpugnabiles perseveraverunt. Cum voluntati et confessioni nominis in carcere et in vinculis accedit [f] et moriendi terminus, consummata martyris gloria est.

II. Denique et dies eorum quibus excedunt annotate, ut commemorationes eorum inter memorias martyrum celebrare possimus : quamquam Tertullus,

LECTIONES VARIANTES.

[a] Suæ *deest in Oxon.*
[b] Potuit *Bod.*
[c] Sicut scriptum est *addit Oxon., ex Bod.* 1.
[d] Dicit Dominus *deest in Oxon.*
[e] Salvabitur *Bod.* 1.
[f] Cum voluntate et confessionis nomine in carcere accidit *Impr. Bod.* 1.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

—*Crescere.* Cælestinus papa ad episcopos per Viennensem et Narbonensem provincias constitutos : *Non mirum si contra ecclesiasticum morem faciunt qui in Ecclesia non creverunt.* Assentior autem illustrissimo episcopo Oxoniensi existimanti Carthaginem intelligi in hoc loco, ubi Cyprianus primo credidit in Christum, ubi baptizatus est, ubi crevit, factus illic episcopus.

De quantitate mea. Vide *Notas* ad postremam partem epistolæ sextæ pag. 393.

Laborantes. Pauperes, indigentes, quos Constantinus imperator in l. III, et VI, Codicis Theodos. *De episcopis et clericis* ait ecclesiarum divitiis sustentari debere. Augustinus in Sermone decimo *de Verbis Domini* laborantes dixit pro indigentibus, itemque Græcus episcopus Massiliensis ad Ruricium Lemovicensem scribens. Symmachus, lib. IV, *Epist* 18 *Interea laborantium murmur est.* Vide supra, pag. 591.

EPIST. XXXVII. — In veteri codice sancti Lamberti Lætiensis ita scriptum est in titulo istius Epistolæ : *Cyprianus ad clerum quod non posset temere Carthaginem venire, ut his confessoribus qui in carcere sunt constituti humanitas omnis præbeatur.* In Compendiensi vero : *Incipit ad clerum eo quod non posset temere Carthaginem venire propter corpora quæ in Carthagine reddiderunt.* Ista ponebantur pro captu et ingenio veterum librariorum.

I. — *Perseveraverunt.* Quidam libri veteres, et il quidem optimi, habent *pervenerunt.*

II. — *Dies eorum.* Tertullianus in libro de Corona : *Oblationes pro defunctis, pro natalitiis annua die facimus.* idem in libro de *Exhortatione castitatis* mentionem facit oblationum quæ fiebant pro defunctis et eorum spiritu. Vide scholia viri doctissimi Jacobi Billii ad Orationem Gregorii Nazianzeni in laudem Cæsarii fratris et Euchologium Goaris, pag. 143.

Tertullus. Quia sanctus Cyprianus istic ait Tertullum sibi significasse dies quibus martyres ad immortalitatem gloriosæ mortis exitu transierant, existimarunt Angli Tertullum artem notariam didicisse sub Cypriano rhetore, quem constare satis putant eam artem scisse, et notis usum esse ad acta martyrum excipienda. Verum non agitur in hoc loco de actis martyrum excipiendis, ubi notæ poterant esse necessariæ, sed tantum [sic] de significatis diebus quibus Martyres excesserant. Quod sane facile fieri potest absque usu notarum. Quare non bene ex hoc loco collegerunt Angli munus describendi acta martyrum concreditum fuisse Tertullo in persecutione Deciana. An vero Cyprianus scierit artem notariam, aliis examinandum relinquo. Alius Tertulli diaconi Ecclesiæ Romanæ mentio extat in nova nostra collectione Conciliorum pag. 1464, tempore Symmachi papæ. Eadem porro tempestate vivebat alter Tertullus civis Romanus, qui filium suum Placidum tradidit in disciplinam sancto Benedicto,

Digitized by Google

fidelissimus et devotissimus frater noster, pro cætera sollicitudine [a] et cura sua quam fratribus in omni obsequio operationis impertit, qui nec illic circa curam corporum deest, scripserit et scribat ac significet mihi dies quibus in carcere beati fratres nostri ad immortalitatem gloriosæ mortis exitu transeunt, et celebrentur hic a nobis oblationes et sacrificia ob commemorationes eorum, quæ cito vobiscum, Domino protegente, celebrabimus. Pauperibus quoque, ut sæpe jam scripsi, cura ac diligentia vestra non desit, iis tamen qui, in fide stantes et nobiscum fortiter militantes, Christi castra non reliquerunt; quibus quidem nunc major a nobis et dilectio et cura præstanda est quod nec paupertate adacti, nec persecutionis tempestate prostrati, cum Domino fideliter serviunt, cæteris quoque pauperibus exemplum fidei præbuerunt. Opto vos, fratres charissimi ac desiderantissimi, semper bene valere et nostri meminisse. Fraternitatem meo nomine salutate. Valete.

[81] EPISTOLA XXXVIII.

(Pamel., Rigalt., Baluz., XXXVIII. Paris., XXXVII. Oxon., Lips., XLI.)

AD CALDONIUM, HERCULANUM ET CÆTEROS, DE ABSTINENDO FELICISSIMO.

ARGUMENTUM. — *Felicissimus, una cum seditionis suæ sociis, a communione omnium arcendus.*

I. Cyprianus Caldonio et Herculano collegis, item Rogatiano et Numidico compresbyteris salutem. Vehementer contristatus sum, fratres charissimi, acceptis litteris vestris, ut, cum mihi propositum semper et votum sit universam fraternitatem nostram incolumem continere, et illibatum gregem, secundum quod charitas exigit, reservare, nunc nuntietis Felicissimum multa improbe et insidiose esse molitum; ut præter fraudes veteres [b] et rapinas, de quibus jampridem multa cognoveram, nunc quoque cum episcopo portionem plebis dividere, id est, a pastore oves et filios a parente separare [c], et Christi membra dissipare tentaverit. Cumque ego vos pro me vicarios miserim, ut expungeretis necessitates fratrum nostrorum sumptibus, si qui etiam vellent suas artes exercere, additamento quantum satis esset desideria eorum juvaretis, simul etiam et ætates eorum et conditiones et merita discerneretis, ut etiam nunc ego, cui cura incumbit omnes optime nosse, et dignos quosque et humiles et mites ad ecclesiasticæ administrationis officia promoverem, ille [d] intercesserit ne quis posset expungi, neve ea quæ desideraveram possent diligenti [e] examinatione discerni, comminatus sit etiam fratribus nostris qui primi expungi accesserant potentatu improbo et terrore violento quod secum in morte [f] non communicarent qui nobis obtemperare voluissent.

II. Cumque post hæc omnia, nec loci mei honore motus, nec vestra auctoritate et præsentia fractus, instinctu suo quietem fratrum turbans proripuerit se cum plurimis, ducem se factionis et seditionis principem temerario furore contestans; in quo quidem gratulor plurimos fratres ab hac audacia recessisse et vobis acquiescere maluisse, ut cum Ecclesia matre remanerent et stipendia ejus episcopo dispensante perciperent; quod quidem et cæteros pro certo scio cum pace facturos et cito ab errore temerario recessuros. Interim, cum Felicissimus comminatus sit non communicaturos in morte secum qui nobis obtemperassent, id est qui nobis communicarent, accipiat sententiam quam prior dixit, ut abstentum se a nobis sciat, quando ad fraudes ejus et rapinas, quas dilucida veritate cognovimus, adulterii etiam crimen accedit, quod fratres nostri graves viri deprehendisse se nuntiaverunt, et probaturos se asseverarunt. Quæ omnia tunc cognoscemus quando in unum cum collegis pluribus permittente Domino convenerimus. Sed

LECTIONES VARIANTES.

[a] Pro certa sollicitudine *Ver.*
[b] Fraudes suas *Bod.* 1.
[c] A pastore oves separare et filios a parente secernere *Bod.* 1.
[d] Illi *Rig.*
[e] Diligentiæ vestræ *Bod.* 1.
[f] *Sic edd. et Vat.* In monte *Manut. Morel. Pamel. Oxon. Lips.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

Immortalitatem. Codex Fuxensis, *ad immortalitatis gloriosæ palmam mortis exitu transeunt.* Salustius in Jugurtha : *Etenim nemo ignavia immortalis factus.*

Adacti. Ita plerique libri veteres et editiones. Morellius posuit *adjecti*, quam lectionem ego inveni in libro Gratianopolitano. Angli scripserunt *victi* ex fide codicis Bodleiani. Eamdem ego lectionem reperi in septem codicibus antiquis. Et tamen præfero veterem.

Pauperibus. Vetus codex Remigianus habet *fratribus.*

EPIST. XXXVIII. — Hæc epistola primum prodiit in editione Manutiana. Duo porro vetera illius exemplaria habuerunt Angli, unum ex bibliotheca Vaticana, aliud ex Bodleiana. Ego illam contuli cum quatuor antiquis; quorum unum extat in bibliotheca sancti Dionysii Remensis, aliud, quod fuit olim collegii Fuxensis, extat nunc in Colbertina, tertium in mea : quartum habui ex urbe Gratianopolitana.

I. — *Expungeretis.* Matricula necessitatum continebat nomina personarum egentium. Cujus ergo necessitas beneficentia fratrum sublevabatur, ejus et nomen expungebatur. Sic beneficentia necessitatem et cum necessitate nomen egentis expungebat. RIGALT.

Additamento. Codex Fuxensis, *exercere addidit tamen tamquam sua satis esse desideria.* Mens, *exerceret, addidi tamen tamquam sua satis essent.*

Accesserant. Codex sancti Dionysii, *arcessebantur.*

In morte. Ita veteres libri. Manutius, Morellius, et Pamelius maluerunt *in monte.* Ita etiam Angli, tamenetsi moneant in codice Vaticano scriptum esse *in morte.* Nescio autem quem istic montem apud Carthaginem comminiscatur Pamelius. Et tamen Rigaltius multum approbavit ejus opinionem. Vide quæ idem Rigaltius de monte Bellonæ scribit in addendis ad observationes suas in Tertullianum pag. 127. Baronius anno 254 legit *in monte*, et hinc repetit originem Montensium sive Donatistarum. Vide notas nostras ad caput 11 Lactantii *de Mortibus Persecutorum* et ad acta purgationis Cæciliani.

Digitized by Google

et Augendus, qui, nec Episcopum nec Ecclesiam cogitans, pariter se cum illo conspiratione et factione sociavit, si ultra cum eo perseveraverit, sententiam ferat quam ille in se factiosus et temerarius provocavit. Sed et quisquis se conspirationi et factioni ejus adjunxerit, sciat se in ecclesia nobiscum non esse communicaturum, qui sponte maluit ab ecclesia separari. Hac litteras meas fratribus nostris legite, et Carthaginem ad clerum quoque transmittite, additis nominibus eorum qui cum Felicissimo se junxerunt. Opto vos, fratres charissimi, semper bene valere et nostri meminisse. Valete.

[53] EPISTOLA XXXIX.

(Pamel., Rigalt., Baluz., XXXIX. Paris. XXXVIII. Oxon., Lips., XLII.)

CALDONII, HERCULANI, ET CÆTERORUM EPISTOLA AD CYPRIANUM, DE ABSTENTO FELICISSIMO CUM SUIS.

ARGUMENTUM. — *Quod jusserat illis epistola præcedens, perficiunt Caldonius, Herculanus ac cæteri.*

Caldonius cum Herculano et Victore collegis, item Rogatiano cum Numidico presbyteris. Abstinuimus a communicatione Felicissimum et Augendum, item Repostum de extorribus, et Irenem Rutilorum, et Paulam sarcinatricem; quod ex annotatione mea scire debuisti. Item abstinuimus Sophronium, et ipsum de extorribus, Soliassum budinarium.

EPISTOLA XL.

(Erasm., I, 8. Pamel., Rigalt., Baluz., XL. Paris., XXXIX. Oxon., Lips., XLIII.)

AD PLEBEM, DE QUINQUE PRESBYTERIS SCHISMATICIS FACTIONIS FELICISSIMI.

ARGUMENTUM. — *Quemadmodum epistola ante hanc secunda clero, sic nunc plebi nuntiat Cyprianus vitandum Felicissimum, cum suæ factionis quinque presbyteris, qui tum lapsis sine discrimine pacem dabant, tum seditionem et schisma adversum se concitarent.*

1. Cyprianus plebi universæ salutem. Quamquam, fratres charissimi, Virtius [a], fidelissimus atque integerrimus presbyter, item Rogatianus et Numidicus,

LECTIONES VARIANTES.

[a] Viritus *MR. Thu.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

II.—*Augendus.* Hic homo confundendus non est cum Augendo confessore cujus mentio est in Epistola XLVIII, pag. 62.

Carthaginem. Fuit nuper vir quidam doctus et eruditus qui locum istum existimans esse mendosum censuit hanc vocem esse amovendam ab hoc loco et scribendum esse *Romam*. Et sane argumenta ejus ita fortia sunt et valida ut necessaria videatur hæc emendatio, quamvis omnes editiones et omnia vetera exemplaria, ut ipse annotat et verum est, habeant *Carthaginem*. Quæ sententia hinc quoque confirmari posse videtur quod epistola ista scripta est in initiis schismatis Felicissimi, qui de Romano itinere cogitabat, ut in Epistola LV, pag. 85, docet Cyprianus. Et ideo operæ pretium videbatur illum prævenire et admonere clerum Romanum ne se decipi ac falli sineret fraude et perfidia hominis scelerati.

EPIST. XXXIX. — Hanc epistolam, cujus duo tantum vetera exemplaria habui, unum ex bibliotheca mea, aliud ex urbe Gratianopolitana, primum prodiit ex typographia Manutii. Variæ sunt autem opiniones ad quem vel ad quos scripta sit. Ego non dubito quin sit Caldonii reddentis Cypriano rationem eorum quæ ab eo et aliis vicariis collegis suis gesta fuerant adversus Felicissimum et socios ejus. Itaque optima est lectio librorum qui habent *debuisti*. Solus enim Caldonius scribit nomine suo et collegarum suorum. Arbitror [127] autem litteras scriptas ad clerum Romanum habuisse aliam formam et explicasse latius, ut par erat, causam Felicissimi, addita porro fuisse nomina eorum qui se Felicissimo junxerant, uti Cyprianus præscripserat. Hanc meam opinionem confirmat codex Bodleianus ab illustrissimo episcopo Oxoniensi laudatus, in quo epistola ista dicitur scripta ad Cyprianum. Cæterum assentiri non possum iis qui putant illam esse tabellam publice affixam et propositam in ecclesia Carthaginiensi. Est enim certo epistola Caldonii. Istud tamen non impedit quin aliquid simile publicatum sit in ecclesia.

Extorribus. Veteres libri et editio Manutii istic et paulo post habent *extorrentibus*. Quæ lectio confirmari potest ex iis quæ observata sunt supra ad Epistolas XIV et XVIII.

Sarcinatricem. Salmasius ad scriptores *Historiæ Augustæ*, pag. 408, scripsit *farcinatricem*, forte errore typographi. Nonius Marcellus: *Sarcinatricis, non, ut quidam volunt, sarsitricis, quasi a sarciendo, sed magis a sarcinis, quod plurimum vestium sumant, Varro onos lyras: Homines rusticos in vindemia incondita cantare sarcinatricis in machinis.*

Annotatione. Id est subscriptione. Vide novam nostram collectionem *Conciliorum*, pag. 1011, 1090.

Debuisti. Ita editio Manutii et libri veteres. Morellius et Pamelius posuerunt *debuistis*, itemque editio Anglicana. Sed ista lectio non est bona. Epistola enim est Caldonii scribentis, ut dixi, nomine suo et collegarum suorum ad Cyprianum. Rigaltius, tametsi posuerit in contextu *debuistis*, in observationibus censet legendum esse *debuisti*.

Budinarium. Vetus liber meus habet *budianarium*. At Salmasius in loco mox laudato censet reponi debere *butinarium* a voce Græca βουτίνη apud Hesychium, et inde dictum butinum, quod acetabulum significat. Si ea conjectura esset certa, facile amplecterer opinionem Salmasii, cum Quintilianus, lib. I, cap. 4, scribat quamdam cognationem esse inter litteras *t* et *d*, ac propterea facile existimarem Cyprianum heic loqui de artifice acetabulorum sive lagenarum, ut interpretatur Cangius, id est parvorum vasorum in quibus reponuntur olea, vina, et alia liquida, præsertim cum voce *butina* utatur Joannes Damascenus a Cangio citatus. Plinius, lib. XXI, cap. 34, scribit, cum acetabuli mensura dicitur, significari heminæ quartam partem, id est drachmas quindecim. Illustrissimus episcopus Oxoniensis contendit legendum esse istic apud Cyprianum *burdonarium*, qua voce significari mulionem ait. Sed hæc conjectura mihi non probatur, cum nihil in verbo *budinarium* extet ex quo ea sumi possit, præsertim cum burdonarii nuspiam reperiantur apud auctores linguæ Latinæ. Si genus illud farciminis quod nos vocamus bodinos fuisset olim in Africa et vocabulum accedens ad nostrum vulgare deprehendi posset in aliquo veteri scriptore, absoluta res esset. Verum nihil istiusmodi reperio.

EPIST. XL. — 1. *Virtius.* Ita scripsi, secutus editio-

Digitized by Google

presbyteri confessores et gloria divinæ dignationis illustres, sed et diaconi, boni viri et ecclesiasticæ administrationi per omnia obsequia devoti, cum cæteris ministris [a] plenam vobis præsentiæ suæ diligentiam præbeant, et exhortationibus assiduis singulos corroborare, sed et lapsorum mentes consiliis salubribus regere et reformare non desinant, tamen ego quantum possum admoneo et quomodo possum visito vos litteris meis. Litteris, inquam, fratres charissimi : hoc enim quorumdam presbyterorum malignitas et perfidia perfecit [b], ne ad vos ante diem Paschæ venire licuisset, dum, conjurationis suæ memores, et antiqua illa contra episcopatum meum, immo contra suffragium vestrum et Dei judicium, venena retinentes, instaurant veterem contra nos impugnationem suam, et sacrilegas machinationes insidiis solitis denuo renovant. Et quidem de Dei providentia, nobis hoc nec volentibus nec optantibus, immo et ignoscentibus et tacentibus, pœnas quas meruerant pependerunt, ut a nobis non ejecti ultro se ejicerent, ipsi in se pro conscientia sua sententiam darent, secundum vestra et divina suffragia conjurati et scelerati de Ecclesia sponte se pellerent.

II. Nunc apparuit [c] Felicissimi factio [d] unde venisset, quibus radicibus et quibus viribus staret. Hi fomenta olim quibusdam confessoribus et hortamenta tribuebant ne concordarent cum episcopo suo, ne ecclesiasticam disciplinam cum fide, et quiete juxta præcepta Dominica, continerent, ne confessionis suæ A gloriam incorrupta et immaculata conversatione servarent. Ac, ne parum fuisset corrupisse quorumdam confessorum mentes et contra sacerdotium Dei portionem ruptæ fraternitatis armare voluisse, nunc se ad lapsorum perniciem venenata sua deceptione verterunt, ut ægros, et saucios et ad capienda fortiora consilia per calamitatem ruinæ suæ minus idoneos et minus solidos, a medela vulneris sui avocent, et [e] intermissis precibus et orationibus, quibus Dominus longa et continua satisfactione placandus est, ad exitiosam temeritatem mendacio captiosæ pacis invitent.

III. Sed oro vos, fratres, vigilate contra insidias diaboli, et, pro vestra salute solliciti, contra mortiferam fallaciam diligentius excubate. Persecutio est hæc alia, et alia tentatio. Quinque isti presbyteri nihil aliud B sunt quam quinque primores illi qui edicto nuper magistratibus fuerant copulati ut fidem nostram subruerent, ut gracilia fratrum corda ad lethales [e] laqueos prævaricatione veritatis averterent. Eadem nunc ratio, eadem rursus eversio per quinque presbyteros Felicissimo copulatos ad ruinam salutis inducitur, ut non rogetur Deus, nec qui negavit Christum, eumdem Christum quem negaverat deprecetur, post culpam criminis tollatur et pœnitentia, nec per episcopos et sacerdotes Domino satisfiat, sed, relictis Domini sacerdotibus; contra evangelicam disciplinam nova traditio sacrilegæ institutionis exsurgat; cumque semel placuerit tam nobis quam confessoribus et clericis urbicis, item universis episcopis

LECTIONES VARIANTES.

[a] Ministeriis *Lam. Ebor. NC.* 1. *Thu. Mich.*
[b] Perficit *Rigalt. Vict.* Perfert *Bod.* 3.
[c] Nunc apparebit *Lin.*

C [d] Provectis *Vic. Fat.* Profectio *Thu.*
[e] Allectare *Bod.* 1. *Thu.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

nem Manutii, et quia ita scriptum vidi in multis codicibus antiquis. Quædam editiones et quidam libri veteres habent *Briccius*. Ista sunt levioris momenti. Et tamen erant annotanda.

Ecclesiasticæ administrationi. Quidam libri veteres habent *ecclesiasticæ disciplinæ administrationi*.

Præbeant. Codex Fuxensis *præstent*.

Quorumdam presbyterorum. Nominantur in Epistola LV, pag. 84, quam consule.

Conjurationis. Agitur heic de causa Felicissimi, ut patet etiam ex his quæ sequuntur et ex Epistola XLII, pag. 57 : *Quantum vero hic et ad presbyterorum quorumdam et Felicissimi causam pertinet*, etc.

Veterem contra nos. Cum Pontii diaconi testimonio constet quosdam se opposuisse electioni Cypriani, D hinc colligi posse videtur Felicissimum fuisse ex illorum numero, et fortasse principem illius factionis.

Renovant. Revocavimus antiquam lectionem, quæ nititur auctoritate plurium veterum librorum. Rigaltius posuit *revocant*, quia ita scriptum invenit in Fuxensi. Ea vero lectio extat etiam in Michaelino et in Lamoniano. Cæteri et editiones Rigaltiana antiquiores habent uti nos reposuimus. Et tamen Angli maluerunt sequi editionem Rigaltii, [126] nullum interim istius suæ opinionis testimonium referentes ex libris veteribus, immo plura adducentes in favorem antiquarum editionum Reinhartus quoque retinuit editionem Rigaltii.

Ignoscentibus. In uno codice Anglicano scriptum est *ignorantibus*. Quo etiam modo in margine libri sui impressi scripsit Nicolaus Faber.

Pependerunt. Non admonerem omnes antiquas editiones et omnia fere vetera exemplaria præferre hanc lectionem, nisi Rigaltius edidisset *rependerunt*. Quæ sane lectio nititur auctoritate codicis Veronensis et illius quem habui ex monasterio sancti Eligii Attrebatensis.

Ultro. Codex sancti Arnulphi habet *ipsi*.

II.—*Contra sacerdotium*. In uno codice Vaticano et in Lamoniano legitur *adversus dispositionem Domini et contra sacerdotium Dei*. Ubi admoneri convenit hanc lectionem non reperiri in codice Thuano, neque in Fossatensi, in quibus Angli dixerunt eam extare.

III.—*Subruerent*. Ita omnes libri veteres et editiones Rigaltiana antiquiores, si tres priores excipias, in quibus legitur *obrucrent*. Solus ex codicibus a me visis Fuxensis habet *subverterent*. Scio tamen ita quoque scriptum fuisse in Veronensi. Verum alia lectio mihi magis placet, eam porro liquet adjuvari ex lectione antiquarum editionum.

Gracilia. In codice Veronensi et in uno Anglicano scriptum est *fragilia*. Sic etiam scripsit Nicolaus Faber in margine libri sui impressi. In codice Lamonii legitur *gracilium*, tanquam si istud referendum esset ad fratres.

Clericis urbicis. Id est Romanis, quia Urbis vocabulo olim intelligebatur Roma Gentium domina, ut ait Quintilianus, lib. VI, cap. 3, et lib. VIII, cap. 12. Optatus lib. I : *Zephyrino urbico*, et lib. II, *urbica commoratio*; et apud Victorem vitensem, lib. I, c. 8, *urbici captivi*... Vide Heriberti Rosweydi notas in D. Paulinum pag. 745. In præfatione symboli editi in concilio Toletano primo legitur *cum præcepto*

Digitized by Google

vel in nostra provincia vel trans mare constitutis ut nihil innovetur circa lapsorum causam, nisi omnes in unum convenerimus, et, collatis consiliis, cum disciplina pariter et misericordia temperatam sententiam fixerimus, contra hoc consilium nostrum rebelletur, et omnis sacerdotalis auctoritas et potestas factiosis conspirationibus destruatur.

IV. Quas nunc pœnas patior, fratres charissimi, quod ipse ad vos in præsentiarum venire non possum, ipse singulos aggredi, ipse vos, secundum Domini et Evangelii ejus magisterium [a], cohortari! Non sufficerat [b] exsilium jam biennii et a vultibus atque ab oculis vestris lugubris separatio, dolor jugis et gemitus, qui me solum sine vobis continua lamentatione discruciat, lacrymæ diebus ac noctibus profluentes, quod sacerdoti quem tanto amore et ardore fecistis, necdum vos salutare, necdum complexibus vestris inhærere contingat. Accessit hic tabescenti animo nostro dolor major, quod in tanta sollicitudine ac necessitate excurrere ad vos ipse non possum, dum, per minas et per insidias perfidorum, cavemus ne advenientibus nobis tumultus illic major oriatur, et, cum paci et tranquillitati episcopus providere in omnibus debeat, ipse materiam [c] seditioni dedisse et persecutionem denuo exacerbasse videatur. Hinc tamen, fratres dilectissimi, hinc admoneo pariter et consulo ne perniciosis vocibus temere credatis, ne fallacibus verbis consensum facile commodetis, ne pro luce tenebras, pro die noctem, pro cibo famem, pro potu sitim, venenum pro remedio, mortem pro salute sumatis. Ne [d] ætas vos eorum nec auctoritas fallat, qui ad duorum presbyterorum veterem nequitiam (*Dan.* XIII) respondentes, sicut illi Susannam pudicam corrumpere et violare conati sunt, sic et hi adulterinis doctrinis Ecclesiæ pudicitiam corrumpere et veritatem evangelicam violare conantur.

V. Clamat et dicit Dominus : *Nolite audire sermones pseudoprophetarum, quoniam visiones cordis eorum frustrantur eos. Loquuntur, sed non ab ore Domini. Dicunt eis qui abjiciunt verbum Domini : Pax erit vobis* (*Hier.* XXIII, 16, 17). Pacem nunc offerunt qui ipsi non habent pacem. In Ecclesiam [e] lapsos reducere et revocare promittunt qui de Ecclesia [f] recesserunt. Deus unus est et Christus unus (*Ephes.* IV, 5), et una Ecclesia, et Cathedra una super petram Domini voce fundata. Aliud altare constitui aut sacerdotium novum fieri præter unum altare et unum sacerdotium non potest. Quisquis alibi collegerit, spargit. Adulterum est, impium [a1] est, sacrilegum est quodcumque humano furore instituitur ut dispositio divina violetur. Procul ab hujusmodi hominum contagione discedite, et sermones eorum velut cancer et pestem fugiendo vitate, præmonente Domino et dicente : *Cæci sunt duces cæcorum. Cæcus autem cæcum ducens simul in foveam cadent* (*Matth.* XV, 14). Intercedunt precibus vestris, quas [g] nobiscum diebus ac noctibus Deo funditis ut eum justa satisfactione placetis. Intercedunt lacrymis vestris, quibus commissi delicti

LECTIONES VARIANTES.

[a] Ministerium *Nic. Fab.*
[b] Nos affectat *Lam.* affecerat *Ebor. NC.* 1.
[c] Magisterium *Thu.*
[d] Nec *Pem. Bod.* 3. *Voss.* 2. *Lam. Thu. Foss. Vict.*
[e] In Ecclesia lapsos *Vict.*
[f] De Ecclesiæ communione *NC.* 1.
[g] Precibus quas *Ver.* nostris *Rig.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

Papæ urbis Romæ Leonis. At in tribus antiquissimis et præstantissimis codicibus manuscriptis, uno illustrissimæ ecclesiæ Lugdunensis, altero qui fuit Leidradi Archiepiscopi Lugdunensis, et censetur nunc in bibliotheca Seguieriana, tertio bibliothecæ Colbertinæ, in quibus continetur vetus collectio canonum facta, ut opinor, paulo post concilium Toletanum duodecimum; in tribus inquam codicibus illis deest vox *Romæ*, et legitur simpliciter *cum præcepto Papæ Urbis Leonis.* Extat Hieronymi Epistola ad Paulum urbicum, quæ incipit, *Nudius tertius*, et in Epistola Augustini ad Casulanum legitur *sermonem cujusdam urbici.* Apud Burchardum, lib. III, cap. 226; Juonem, par. III, cap. 270; et Gratianum, dist. 2, *de consecrat.*, reperitur quoddam decretum *ex concilio urbico* quod sic habet : *In altari in quo episcopus Missam celebravit, presbyter eodem die aliam celebrare non præsumat;* quod etiam reperitur in canone decimo synodi Autissiodorensis sub Aunachario. Et tamen non semper verum est vocabulum urbici significare civem Romanum. In Epistola quippe Evodii ad Augustinum civis quædam cujusdam oppidi Africæ vocatur urbica id est civis illius loci : *Sed ecce post biennium quædam vidua honesta urbica de Frigentibus.*

Trans mare. Id est Romam. Inde appellationes transmarinæ postea vetitæ in codice canonum ecclesiæ Africanæ, et ut episcopi Africæ trans mare non proficiscantur nisi consulto primæ sedis episcopo; quod et ipsum confirmatum est a papa Innocentio. Etiam transmarina judicia prohibita. Vide codicem canonum ecclesiæ Africanæ, cap. 23, 25, 56, 94.

IV.—*Quem tanto amore.* Codex sancti Eligii Attrebatensis, *quem tanto honore et amore fecistis.* Fuxensis, *tanto ardore, pari dolore.* Ubi videtur legendum *pari honore.* Vide Pontium diaconum ubi agit de electione Cypriani.

Paci et tranquillitati. Omnes fere libri veteres habent *pacem et tranquillitatem.*

Videatur. Codex Lamonii *videamur.*

V.—*Cancer.* Duo libri veteres præferunt *cancerem*, alii quatuor, *cancrum.* Michaelinus *cancerum vel cancrum.* Ego retinui vulgatam lectionem, quam plerique codices exhibent, quia locus iste ita vulgo citatur.

Super petram. Veteres editiones et XVII libri veteres ita scribunt. Manutius posuit *Petrum.* Atque eam lectionem retinuit Pamelius, testatus tamen aliam reperiri in codicibus antiquis. Hinc propagata est, in posteriores editiones, etiam in Anglicanam.[b1] Sane verum est quod adnotat Pamelius alibi frequentissime Cyprianum dicere Ecclesiam esse fundatam super Petrum, adeoque mirum non esse si etiam istic eo modo loquatur. Ego non disputo an Ecclesia fundata sit super Petrum. Id enim scio sensisse Cyprianum. Sed aio istic retinendam esse lectionem quam major veterum librorum numerus et veteres editiones præferunt. Petram quippe fuisse Christum et super hanc petram fundatam esse Ecclesiam nemo ambigit. Qua de re videquæ notamus infra ad librum *de Unitate Ecclesiæ.* Cæterum ex prava lectione quæ irrepsit in hunc locum potuit auctor Epistolæ II Pelagii II ad episcopos Istriæ accepisse quod scripsit, *qui Cathedram Petri, super quem fundata est Ecclesia, deserit.*

Digitized by Google

crimen abluitis. Intercedunt paci quam vere et fideliter de Domini misericordia postulatis, nec sciunt scriptum esse: *Et propheta ille aut somnium somnians ille qui locutus est ut errare te faceret a Domino Deo tuo, interficietur* (*Deut.* XIII, 6). Nemo vos, fratres charissimi, errare a Domini [a] viis faciat : nemo vos Christianos ab Evangelio Christi rapiat : nemo filios Ecclesiæ de Ecclesia tollat. Pereant sibi soli qui perire voluerunt : extra Ecclesiam soli remaneant qui de Ecclesia recesserunt. Soli cum episcopis non sint qui contra episcopos rebellarunt. Conjurationis suæ pœnas soli subeant qui olim, secundum vestra [b] suffragia, nunc secundum Dei judicia, sententiam conjurationis et malignitatis suæ subire meruerunt.

VI. Monet nos Dominus in Evangelio suo dicens : *Rejicitis mandatum Dei ut traditionem vestram statuatis* (*Marc.* VII, 9). Qui mandatum Dei rejiciunt et traditionem suam statuere conantur, fortiter a vobis et firmiter respuantur : sufficiat lapsis ruina una. Nemo volentes surgere sua circumventione præcipitet; nemo jacentes, pro quibus nos rogamus ut Dei manu et brachio subleventur, prosternat gravius et deprimat : nemo semianimes et ut salutem suam pristinam recipiant deprecantes, ab omni spe salutis avertat; nemo nutantibus lapsus sui caligine omne itineris [c] salutaris lumen extinguat. Instruit Apostolus dicens : *Si quis aliter docet, et non acquiescit sanis verbis Domini nostri Jesu Christi et doctrinæ ejus, stupore* [d] *elatus, discede ab hujusmodi* (*I Tim.* VI, 3-5). Et iterum dicit ipse : *Nemo vos decipiat inanibus verbis. Propterea enim venit ira Dei super filios contumaciæ. Nolite ergo esse participes eorum* (*Ephes.* V, 6, 7). Non est quod, decepti inanibus verbis, pravitatis eorum incipiatis esse participes [e]. Discedite a talibus, quæso vos, et acquiescite consiliis nostris, qui pro vobis quotidie continuas Domino preces fundimus, qui vos ad Ecclesiam revocari [f] per Domini clementiam cupimus, qui de Deo pacem plenissimam prius matri, tum et filiis ejus oramus. Cum precibus atque orationibus nostris vestras quoque orationes et preces jungite, cum fletibus nostris vestras lacrymas copulate. Vitate lupos, qui, oves a pastore secernunt. Vitate linguam diaboli venenatam, qui, ab initio mundi fallax semper et mendax, mentitur ut fallat, blanditur ut noceat, bona promittit ut malum tribuat, vitam pollicetur ut perimat. Lucent nunc quoque verba ejus, et venena manifesta sunt : pacem pollicetur, ne perveniri possit ad pacem; salutem promittit, ne qui deliquit veniat ad salutem; Ecclesiam spondet, quando id agat ut qui illi credit in totum ab Ecclesia pereat.

VII. Nunc est, fratres dilectissimi, ut et qui statis fortiter perseveretis, et stabilitatem vestram gloriosam, quam in persecutione tenuistis, perpetua firmitate servetis, et si [g] qui, circumveniente adversario, lapsi estis, in secunda hac tentatione spei et paci vestræ fideliter consulatis; et ut vobis Dominus ignoscat, a sacerdotibus Domini non recedatis, cum scriptum sit : *Et homo quicumque fecerit in superbia, ut non exaudiat sacerdotem aut judicem quicumque fuerit in diebus illis, morietur*[55] *homo ille* (*Deut.* XVII, 12). Persecutionis istius novissima hæc est et extrema tentatio, quæ et ipsa cito, Domino protegente, transibit, ut repræsenter vobis post Paschæ diem cum collegis meis; quibus præsentibus, secundum arbitrium quoque vestrum et omnium nostrum commune consilium, sicut semel placuit, ea quæ agenda sunt disponere pariter et limare poterimus. Si quis autem, pœnitentiam agere et Deo satisfacere detrectans, ad Felicissimi et satellitum ejus partes concesserit, et se hæreticæ factioni con-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Dominicis *Pem. Bod.* 1.
[b] Nostra *Nic. Fab.*
[c] Muneris *Lin.*
[d] Tumore *Erasm.*
[e] Non sit quod dec. vos. in verb. non pravitatis eorum incipiatis esse participes *Nic. Fab.*
[f] Revocare *Vict. Foss.*
[g] Et qui *Pem. Voss.* 2. *Bod.* 1, 2. *Lam.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

Interficietur. Hæc vox deest in antiquis editionibus et in omnibus antiquis codicibus quibus usus sum. Scio tamen illam fuisse in Veronensi et in Neapolitano uno. In codice Lamonii scriptum est *morietur*, eodem sensu. In uno meo vetere legitur, *ut errare te faceret a Domino tuo, et cætera.* Ex quo facile est colligere addenda fuisse nonnulla in hoc loco. Itaque cum plura addenda fuerint, non sufficiebat addere vocem *interficietur* aut *morietur.* Erasmus primus scripsit *interficietur.* Addendus autem erat integer locus ex capite XIII Deuteronomii, aut edendus ut exstat in veteribus libris, omissa voce illa.

A Domini viis. Hæc est lectio multorum veterum exemplarium et editionis Manutianæ.

Pereant sibi soli. Nescio an sit præferenda lectio unius ex vetustis codicibus bibliothecæ regiæ, in quo legitur *pereant illi soli.*

Nunc secundum. Ita editio Manutii et septem libri veteres. In recentiore Remigiano, *et secundum.* Male in Sorbonico *nec*, in Eligiano *non.* In antiquis editionibus et in sex antiquis codicibus scriptum est *olim secundum Dei judicia.*

VI. — *Ruina una.* Ita XVI libri veteres et editio Manutiana. Veteres editiones et tria exemplaria vetera habent *ruina sua.*

Non acquiescit sanis verbis. Sex libri veteres, *non acquiescit sanis sermonibus.* Sic etiam in editione vulgata Epistolæ sancti Pauli ad Ephesios.

Discede ab hujusmodi. Ita scriptum vidi in XIV exemplaribus antiquis. Reliqua multum variant.

Contumaciæ. Ita etiam Epist. LXIV, pag. 112; et in libro *de Unitate Ecclesiæ*, pag. 202. Vide *Annotationes* Erasmi ad hunc locum Pauli.

VII. — *Nunc est fratres.* Veteres editiones habent. *Nunc curandum est fratres.* Editio Manutiana expunxit vocem *curandum.* Ea vero deest in quinque antiquis exemplaribus, et videtur esse ex glossemate.

Repræsenter. Quatuor libri veteres habent *repræsentem me.*

Omnium nostrum. In plerisque vetustis exemplaribus scriptum est *animi nostri.*

Ad Felicissimi. Veteres editiones ante Manutianam et septem vetera exemplaria præferunt *ad infelicissimi.* Manutius et Morellius et octo item exemplaria vetera *in felicissimi.* Alia duo vetera, *ad felicissimi.*

Concesserit. Codex Fuxensis, *consenserit.*

Digitized by Google

junxerit, sciat se postea ad Ecclesiam redire et cum episcopis et plebe Christi communicare non posse. Opto vos, fratres charissimi, semper bene valere et circa Domini misericordiam exorandam continuis nobiscum precibus insistere.

EPISTOLA XLI.

(Erasm., II, 11. Pamel., Rigalt., Baluz., XLI. Paris., XL. Oxon., Lips., XLIV.)

AD CORNELIUM, QUOD ORDINATIONEM NOVATIANI NON RECEPERIT.

ARGUMENTUM. — *Nuntii a Novatiano missi, qui illius ordinationem ecclesiæ Carthaginensi significaverant, a Cypriano rejiciuntur.*

(Hanc epistolam ad tomum III hujusce bibliothecæ, cum epistolis S. Cornelii papæ consociandam, remisimus.)

[58] EPISTOLA XLII.

(Erasm., II, 10. Pamel., Rigalt., Baluz., XLII. Paris., XLI. Oxon., Lips., XLV. Coustant., Epist. Rom. Pontif., I, p. 137. Galland., Bibl. vett. PP., III, p. 334.)

AD CORNELIUM, DE ORDINATIONE EJUS A SE COMPROBATA ET DE FELICISSIMO.

ARGUMENTUM. — *Excusat se Cyprianus quod indubitatam fidem non habuerit ordinationi Cornelii, priusquam ad se pervenirent litteræ collegarum Caldonii et Fortunati, quibus illa legitima fuisse comprobatur : idque, ob contrariam Novatianæ partis factionem, obiter repetens, quod illi statim in ipsis primordiis non adhæserit, sed potius Cornelio, usque adeo ut criminationes contra hanc suscipere detrectarit.*

(Hanc epistolam, sicut præcedentem et sequentem, ad tomum tertium, ubi de S. Cornelii papæ epistolis, transferendam duximus.)

[59] EPISTOLA XLIII.

(Erasm., II, 9. Pamel., Rigalt., Baluz., XLIII. Paris., XLII. Oxon., Lips., XLVI. Coustant., Epist. Rom. Pont., I, p. 130. Galland., Bibl. vett. PP., p. 335.)

AD EUMDEM, QUOD AD CONFESSORES A NOVATIANO SEDUCTOS LITTERAS FECERIT.

ARGUMENTUM *Epistolæ titulus satis indicat; constat autem ex nuntio unam missam hanc epistolam et sequentem cum præsenti.*

(Vide notam duabus epistolis præcedentibus subjectam.)

EPISTOLA XLIV.

(Erasm., III, 2. Pamel., Rigalt., Baluz., XLIV. Paris., XLIII. Oxon., Lips., XLVI.)

AD CONFESSORES ROMANOS, UT AD UNITATEM REDEANT.

ARGUMENTUM. — *Confessores Romanos factione Novatiani et Novati seductos hortatur, ut ad unitatem redeant.*

Cyprianus Maximo et Nicostrato et cæteris confessoribus salutem. Cum frequenter, charissimi, cognoveritis ex litteris meis quem et confessioni vestræ honorem et fraternitati connexæ dilectionem meo sermone servaverim, credatis quæso et acquiescatis his litteris meis, quibus vobis et actui ac laudibus vestris et scribo et simpliciter ac fideliter consulo. Gravat enim me atque contristat et intolerabilis perculsi pene prostrati pectoris mœstitia perstringit cum vos illic comperissem contra ecclesiasticam dispositionem, contra evangelicam legem, contra institutionis catholicæ unitatem [a], alium episcopum fieri consensisse, id est, quod nec fas est nec licet fieri, ecclesiam aliam constitui, Christi membra discerpi, Dominici gregis animum et corpus unum discissa æmulatione lacerari. Quod quæso ut in vobis saltem illicitum istud fraternitatis nostræ discidium non perseveret, sed, et confessionis vestræ et divinæ traditionis memores, ad matrem revertamini unde prodiistis, unde ad confessionis gloriam cum ejusdem matris exultatione venistis. Nec putetis [b] sic vos Evangelium Christi asserere, dum vosmetipsos a Christi grege et ab ejus pace et concordia separatis, cum magis militibus gloriosis et bonis congruat intra domestica castra consistere, et intus positos, ea quæ in commune tractanda sunt agere ac providere. Nam,

LECTIONES VARIANTES.

[a] Catholicæ veritatem *Lam. Bod.* 2.

[b] Nec potestis *Lam. Ebor. Lin. NC.* 1, 2.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

Misericordiam. Codex Lætiensis, *clementiam.* Sed postrema ista pars deest in codice sancti Arnulphi.

[58] EPIST. XLIV. — *Nicostrato.* Diacono Ecclesiæ Romanæ, ut notat Pamelius. Erat ille socius Maximi, quem supra ad Epistolam XLI, diximus ad Ecclesiam esse reversum. Nicostratus tamen non rediit, sed factus est episcopus in Africa factione Novatianorum.

Contra ecclesiasticam. Duo libri veteres habent *divinam.* Quidam alii neque *ecclesiasticam* habent neque *divinam.* Gronovius, cap. 14 Observationum suarum in scriptoribus ecclesiasticis, ait sibi magis placere quod erat in membranis, *contra dispositionem Dei.*

Alium episcopum. Novatianum, qui Sedem apostolicam invasit post electionem Cornelii. Vide Epistolam II, Paciani *ad Sympronianum* et Henrici Valesii annotationes ad librum VI Eusebii cap. 43.

Consensisse. In antiquis editionibus et in veteri libro sancti Eligii Attrebatensis legitur *censuisse.* De illis autem constat hoc agi quos sugillat Pacianus in eadem Epistola II, *ad Sympronianum.*

Ecclesiam aliam. Quidam libri veteres habent *alteram*, eodem sensu.

Corpus unum. Vox *unum*, quæ certe necessaria non est, et omitti potest absque ullo incommodo, deest in codice Gratianopolitano.

Ad matrem revertamini. Uti eos fecisse diximus ad Epistolam XLI.

Nec putetis. Duodecim codices antiqui nostri et sex Anglicani habent *Nec potestis.*

Domestica castra. Quamvis sciam Juvenalem satyra 10 dixisse *castra domestica*, ego istic mallem *castra dominica*, ut dicit ipse Cyprianus in Epistola LIV, p. 77. Prosper, lib. II *de Promissionibus et Prædictionibus Dei*, cap. 6 : *Sic in toto lepræ macula vitiati a castris dominicis etiam ipsi pulsi sunt.* Acta martyrum Donatistarum in libro II miscellaneorum nostrorum, pag. 57 : *Ubi quisque hostem repererat, castra illic dominica collocabat.* Nicolaus Papa I, Epist. VII : *Ex laicis subito in dominicis castris impetu irrepere.* Cyprianus dixit spiritalia castra in Epistola *ad Donatum*, pag. 6 : alibi sæpe *castra Christi et castra cœlestia.*

Digitized by Google

cum unanimitas et concordia nostra scindi omnino non debeat, quia nos, Ecclesia derelicta, foras exire et ad vos venire non possumus, ut vos magis ad Ecclesiam matrem et ad nostram [a] fraternitatem revertamini, quibus possumus hortamentis petimus et rogamus. Opto vos, fratres charissimi, semper bene valere.

[59] EPISTOLA XLA.

(Erasm., IV, 8. Pamel., Rigalt., Baluz., XLV. Paris., XLIV. Oxon., Lips., XLVIII. Coustant., Epist. Rom. Pont., I, p. 131. Galland., Bibl. vett. PP., III, p. 335.)

AD CORNELIUM, DE POLYCARPO HADRUMETINO.

ARGUMENTUM. — *Hac se purgat epistola quid factum sit, ut interea dum Hadrumeti fuerit, non ad Cornelium, sed ad Clerum Romanum litteræ inde a Polycarpi Clero fuerint factæ, cum tamen antea ipse Polycarpus ad Cornelium potius scripserit. Constat autem ex ipso contextu paulo, post præcedentes hanc esse conscriptam.*

(Vide tom. III.)

[60] EPISTOLA XLVI.

(Erasm., III, 11. Pamel., Rigalt., Baluz., XLVI. Paris., XLV. Oxon., Lips., XLIX. Coustant., Epist. Rom. Pontif., I, p. 135. Galland., Biblioth. vett. PP. III, p. 337. Routh, Reliq. sacr., III, p. 6, 23.)

CORNELII AD CYPRIANUM, DE CONFESSORIBUS AD UNITATEM REVERSIS.

ARGUMENTUM. — *Cornelius Cyprianum certiorem facit de solemni, quem describit, confessorum ad Ecclesiam reditu.*

(Vid. tom. III.)

[61] EPISTOLA XLVII.

(Erasm., II, 12. Pamel., Rigalt., Baluz., XLVII. Paris., XLVI. Coustant., Epist. Rom. Pontif., I, p. 145. Galland., Bibl. vett. PP. III, p. 340.)

CYPRIANI AD CORNELIUM, RESPONSUM CONGRATULATORIUM DE ILLORUM REDITU EX SCHISMATE.

(Vid. tom. III.)

[62] EPISTOLA XLVIII.

(Erasm., III, 12. Pamel., Rigalt., Baluz., XLVIII. Paris., XLVII. Coustant., Epist. Rom. Pont., I, p. 133. Galland., Bibl. vett. PP., III, p. 336. Routh., Reliq. sacr. III, p. 5 et 18.)

A CORNELII AD CYPRIANUM, DE FACTIONE NOVATIANI CUM SUIS.

ARGUMENTUM. — *Cornelius Cypriano rationem reddit factionis Novatianæ.*

(Vid. tom. III.)

[63] EPISTOLA XLIX.

(Erasm., II, 8. Pamel., Rigalt., Baluz., XLIX. Paris., XLVIII. Coustant., Epist. Rom. Pontif., I, p. 139. Galland., Bibl. vett. PP. III, p. 338.)

CYPRIANI RESPONSUM AD CORNELIUM, DE NOVATI SCELERIBUS.

ARGUMENTUM. — *Laudat Cornelium quod opportune illum admonuerit, utpote cum postridie quam venisset ad se nocens factio, litteras illius acceperit. Deinde multis describit Novati scelera, et schisma prius in Africa ab illo concitatum.*

(Vid. tom. III.)

[64] EPISTOLA L.

(Erasm., III, 3. Pamel., Rigalt., Baluz., L. Paris., XLIX. Oxon., Lips., LIII.)

MAXIMI ET CÆTERORUM CONFESSORUM AD CYPRIANUM, DE SUO REDITU EX SCHISMATE.

ARGUMENTUM. — *Cyprianum certiorem reddunt se ad Ecclesiam rediisse.*

Cypriano fratri Maximus, Urbanus, Sidonius et Macharius salutem. Certi sumus, frater charissime, te quoque nobiscum pari voto congaudere nos [b], habito consilio, utilitatibus Ecclesiæ et paci magis consulentes, omnibus rebus prætermissis et judicio Dei servatis, cum Cornelio episcopo nostro pariter et cum universo clero pacem fecisse [c]. Cum gaudio etiam universæ Ecclesiæ, prona etiam omnium charitate, hoc factum his litteris nostris scire certissime debuisti. Oramus te, frater charissime, multis annis bene valere.

[65] EPISTOLA LI.

(Erasm., III. Pamel., Rigalt., Baluz., LI. Paris., L. Oxon., Lips., LIV.)

CYPRIANI AD CONFESSORES, DE REDITU EX SCHISMATE CONGRATULATORIA.

ARGUMENTUM. — *Gratulatur Cyprianus confessoribus Romanis de eorum reditu in Ecclesiam et litteris eorum respondet.*

I. Cyprianus Maximo presbytero, item Urbano, et Sidonio et Machario fratribus salutem. Lectis litte-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Vestram *Ben. Neap. Lam. Ebor. NC.* 1, 2.
[b] Quod nos *Lam. Ar. Ebor. Bod.* 1, 2. *NC.* 1.
[c] Fecimus *Lam. Ar.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

Lucifer Calaritanus in libro Quod moriendum sit pro Dei filio : *Nisi e castris diaboli ad exercitum in cœlestibus castris constitutum feceris transitum.*

[438] *Nostram fraternitatem.* Ita vetus editio Spirensis et aliæ. Rembolius posuit *vestram*, eaque lectio consentientes habet XVIII libros nostros veteres et septem Anglicanos. Utraque lectio bona est.

[439] EPIST. L. — *Quod nos habito.* Certum est constructionem hujus periodi non congruere. Eam tamen tales exhibent omnes libri veteres et omnes editiones ante Pamelianam. Pamelius expunxit vocem *quod* absque auctoritate, ea opinor de causa quod constructio peccabat adversus regulas grammaticæ. Sed ista ratio non sufficit. Extant enim quandoque in melioribus auctoribus, etiam in Cicerone, paria peccata. Exemplum insigne refert sanctus Augustinus, lib. II *de Doctrina Christiana* cap. 13, ubi sic legitur : *Illud etiam quod jam auferre non possum de ore cantantium populorum*, super ipsum autem floriet sanctificatio mea, *nihil profecto sententiæ detrahit. Auditor tamen peritior mallet hoc corrigi*, ut non floriet, *sed* florebit *diceretur. Nec quicquam impedit correctionem nisi consuetudo cantantium.* Sane Hieronymus in quadam Epistola *ad Augustinum* de se testatur incurrisse se in gravem reprehensionem quia in capite quarto Jonæ emendaverat locum, [440] ut sibi videbatur, vitiosum, et lectionem substituerat quam putabat esse meliorem. Posset tamen in hac Cypriani Epistola reponi *fecimus* pro *fecisse*, cum plerique codices Anglicani præferant eam lectionem.

Digitized by Google

ris vestris, fratres charissimi, quas ad me de vestra regressione et de ecclesiastica pace ac fraterna redintegratione fecistis, in tantum me lætatum esse confiteor in quantum fueram et ante lætatus quando confessionis vestræ gloriam comperi et militiæ vestræ cœlestem ac spiritalem laudem [a] gratulabundus excepi. Nam et hæc fidei [b] et laudis vestræ alia confessio est unam esse Ecclesiam confiteri, nec alieni erroris vel potius pravitatis participem fieri, repetere eadem castra unde prodistis, unde ad gerendum prælium et adversarium subigendum fortissimis viribus prosilistis. Illuc enim erant de acie trophæa referenda unde ad aciem fuerant arma suscepta, ne quos ad gloriam Christus parasset, eosdem gloriosos Christi Ecclesia non haberet. Nunc vero et vos congruentem fidei vestræ tenorem atque individuæ charitatis et concordiæ legem Dominica pace [c] tenuistis, et exemplum cæteris dilectionis et pacis vestro itinere fecistis, ut Ecclesiæ veritas et evangelici sacramenti [d] unitas, quæ a nobis tenebatur, vestro etiam consensu ac vinculo necteretur, nec confessores Christi erroris duces fierint qui virtutis et honoris auctores laudabiles extitissent.

II. Viderint quantum vobis cæteri gratulentur, vel quantum apud se ipsos singuli glorientur. Ego me et gratulari magis vobis et plus cæteris gloriari in hac vestra pacifica regressione [e] et charitate confiteor. Simpliciter enim quid in meo corde fuerit debetis audire. Dolebam vehementer et graviter angebar quod eis comunicare non possem quos semel diligere cœpissem. Posteaquam vos [f] de carcere prodeuntes schismaticus et hæreticus error excepit, sic res erat quasi vestra gloria in carcere remansisset. Illic enim resedisse [g] vestri nominis dignitas videbatur quando milites Christi non ad Ecclesiam de carcere redirent, in quem prius cum Ecclesiæ laude et gratulatione venissent.

III. Nam, etsi videntur in Ecclesia esse zizania, non tamen impediri debet aut fides aut charitas nostra, ut quoniam zizania esse in Ecclesia cernimus, ipsi de Ecclesia recedamus. Nobis tantum modo laborandum [h] est ut frumentum esse possimus, ut, cum cœperit frumentum Dominicis horreis condi, fructum pro opere nostro et labore capiamus. Apostolus in epistola sua dicit : *In domo autem magna non solum vasa sunt aurea et argentea, sed et lignea et fictilia, et quædam quidem honorata, quædam vero inhonorata* (II *Tim.* II, 20). Nos operam demus, fratres charissimi, et quantum possumus laboremus ut vasa aurea vel argentea simus [i]. Cæterum, fictilia vasa confringere Domino soli concessum est, cui et virga ferrea data est. Esse non potest major domino suo servus ; nec quisquam sibi quod soli filio pater tribuit vindicare potest, ut putet aut, ad aream ventilandam et purgandam, palam ferre [j] posse, aut a frumento universa zizania humano judicio separare [k]. Superba est ista obstinatio et sacrilega præsumptio quam sibi furor pravus [66] assumit; et, dum dominium sibi [l] semper quidam plusquam mitis justitia deposcit assu-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Cœleste et spiritale gaudium *Lin.*
[b] Hujus fidei *Ar. Lam. NC.* 1. *Ebor.*
[c] Dominicam pacem *Lam. Bod.* 2. *MR. Ar. NC.* 2. *Ebor. Mic.*
[d] Evangelii ac *Ben. Bod.* 1. *Ver.* Evangelica *Ar. Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2.
[e] Ingressione *Ar.*
[f] Postquam vos enim *Ver.*
[g] Recessisse *Ar. Lam. Ebor. NC.* 1.
[h] Fratres carissimi Laborandum *Ver.*
[i] Aut argentea esse possimus *Ver.* Vas aureum vel argenteum simus.
[j] Ferre se ventilabrum *Cod. Goulart.*
[k] Segregare *Oxon. Lips.*
[l] Et dum sibi amplius quiddam *Lin. NC.* 2. Semper quiddam *Ver. Ben. Aug.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

[66] EPIST. LI.—I. *Christus parasset.* Ita plurimi libri nostri optimi. Alii quidam et veteres editiones Pameliana antiquiores habent *Christi Ecclesia parasset.*

III. *Zizania.* Quidam codices heic et paulo post habent *zizaniam.* Gratianopolitanus : *Nam etsi videtur in Ecclesia esse zizania.* Avenas pro zizaniis dixerunt Tertullianus et Symmachus. Ita etiam putasse videtur Hyeronimus in Dialogo adversus Luciferianos. *Non solum in Ecclesia*, inquit, *morantur aves, nec mundæ tantum aves volitant, sed frumentum in agro seritur et inter nitentia cultu lappæque et tribuli et steriles dominantur avenæ.*

III.—*Frumentum esse possimus.* Augustinus, libro III *contra Cresconium*, c. 5 : *Audi Cyprianum, tolera zizania, esto frumentum.* Vide etiam Epistolam *ad Macrobium*, ubi verba Cypriani referuntur. Tertullianus, in libro de Fuga in persecutione : *Hæc pala illa quæ et nunc dominicam aream purgat, Ecclesiam scilicet, confusum acervum fidelium eventilans, et discernens frumentum martyrum et paleas negatorum.* Ignatius episcopus Antiochenus apud Eusebium, lib. III, cap. 36 : *Frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molar.* Vide Samuelem Petitum in commentario ad leges Atticas, pag. 136.

Vasa aurea. Ita nos posuimus secuti auctoritatem veterum exemplarium. Ita etiam scriptum est in Epistola LII, *ad Antonianum*, pag. 78. Sic etiam sanctus Leo in Epistola *ad Episcopos Mauritaniæ Cæsariensis.*

Ut se putet. Unus codex meus vetus habet, *putet ad aream ventilandam et purgandam paleam jam ferre se ventilabrum.* Lectio vero ista libri mei extat apud sanctum Augustinum in Epistola *ad Macrobium.* Eam quoque Goulartius invenisse se scribit in libro episcopi Acconensis. In libro sancti Arnulphi scriptum est *vindicare se putet.* Ventilabrum pro pala posuit etiam vetus interpres Matthæi. Et tamen ventilabrum instrumentum est agricolarum diversum a pala. Columelia, lib. II, cap. 10. *Nam cum acervus paleis granisque mixtus in unum fuerit congestus, paulatim ex eo ventilabris per longius spatium jactatur.* Plautus in Pœnulo : *Palas vendundas sibi ait et margas datas ut hortum fodiat atque ut frumentum metat.* Margam grammatici aiunt esse furcam qua acervi frugum fiunt. Vide notas viri doctissimi Frontonis Ducæi in Homilias sancti Basilii *in Hexaemeron.* pag. 4.

Humano judicio separare. Hanc lectionem, quam puto esse meliorem, inveni in codice Flori et in pluribus aliis. Infra in Epistola LII, pag. 74 : *paleas conetur a tritico separare.*

Furor assumit. In codice Veronensi et in Fuxensi legitur *pravus insipienter assumit.*

Digitized by Google

munt, de Ecclesia pereunt; et dum se insolenter extollunt, ipso suo tumore cæcati, veritatis lumen amittunt. Propter quod et nos temperamentum tenentes et librum Domini contemplantes, et Dei Patris pietatem ac misericordiam cogitantes, diu multumque tractatu inter nos habito justa moderatione quæ sunt agenda libravimus.

IV. Quæ omnia penitus potestis inspicere, lectis libellis quos hic nuper legeram et ad vos quoque legendos pro communi dilectione transmiseram; ubi lapsis nec censura deest quæ increpet, nec medicina quæ sanet. Sed et catholicæ [a] Ecclesiæ unitatem quantum potuit expressit nostra mediocritas. Quem libellum magis ac magis nunc vobis placere confido, quando eum jam sic legitis ut et probetis et ametis; siquidem quod nos verbis conscripsimus vos factis impletis quando ad Ecclesiam charitatis ac pacis unitate remeatis. Opto vos, fratres charissimi ac desiderantissimi, semper bene valere.

EPISTOLA LII.

(Erasm., IV, 2. Pamel., Rigalt., Baluz., LII. Paris., LI. Coustant., Epist. Rom. Pont., I, p. 159: Galland., Bibl. vett. PP. III, p. 547.)

AD ANTONIANUM, DE CORNELIO ET NOVATIANO.

ARGUMENTUM. — *Cum Antonianus, acceptis litteris a Novatiano, in partes illius animo propendere cœpisset, confirmat illum Cyprianus in priori sententia, ut nempe cum Cornelio, hoc est cum Ecclesia catholica communicare pergat. Quod ut persuadeat, totius tragediæ inter Cornelium et Novatianum historiam texit, et Cornelium virum optimum et legitime electum, Novatianum vero multis sceleribus obnoxium illegitimam electionem usurpasse docet: obiter etiam sub initium epistolæ se excusans de mutata quod ad lapsorum rationem attinet sententia, et sub finem in quo Novatiana hæresis consistat explicans.*

(Huic epistolæ opportuniorem locum dari visum est in tom. III, ubi tota Novatiani schismatis historia cum omnibus instrumentis describitur.)

[b] EPISTOLA LIII.

(Erasm., III, 23. Pamel., Rigalt., Baluz., LIII. Paris., LII. Oxon., Lips., LVI.)

AD FORTUNATUM ET ALIOS COLLEGAS, DE IIS QUI PER TORMENTA SUPERANTUR.

ARGUMENTUM. — *Consultus Cyprianus a collegis num admittendi essent ad communionem lapsi quidam per tormenta superati, respondet, quia triennio jam pœnitentiam egissent, sibi quidem videri admittendos esse, sed cum post Paschæ solemnia concilium episcoporum apud se futurum esset, se cum illis rem tractaturum.*

I. Cyprianus Fortunato, Ahymmo, Optato, Privatiano, Donatulo et Felici fratribus salutem. Scripsistis mihi, fratres charissimi, quod, cum in Capsensi civitate propter ordinationem episcopi essetis, pertulerit ad vos Superius frater et collega noster Ninum, Clementianum, Florum fratres nostros, qui in persecutione apprehensi prius fuerant, et nomen Domini confessi violentiam magistratus et populi frementis [b] impetum vicerant, postmodum cum apud proconsulem pœnis gravibus excruciarentur, vi tor-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Ecclesiæ charitatis ac pacis unitatem *Ar. Ebor.*

[b] Frequentis *Bod.* 1.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

IV.—*Catholicæ Ecclesiæ unitatem.* Respicit Cyprianus ad librum suum *de Unitate Ecclesiæ*, quem hinc constat scriptum esse eo tempore quo Novatianus schisma fecit.

Sic legitis. Imitatum ex carmine de operibus Virgilii quod Augusto tribuitur:

Laudetur, vigeat, placeat, relegatur, ametur.

Item in carmine sacrorum Bibliorum quæ Karolo calvo regi oblata sunt a Viviano abbate sancti Martini Turonensis edito in tomo II Capitularium, p. 1572:

Cujus honore rogant placeat, laudetur, ametur.

[550] EPIST. LIII. — I. *Superius.* Ita scriptum fuisse in vetustissimo codice Veronensi mihi constat, et monet etiam Rigaltius. Sic etiam edidit Manutius. Testatur autem Pamelius codicem Anglicanum quo ille utebatur habere sicut Manutius habet. Et tamen nupera editio Anglicana nullum illius lectionis vetus exemplar allegat quam Veronense. Adjuvant nihilominus illam codices Eligianus et Beccensis, in quibus scriptum est *superus*, et decem alii veteres, qui habent *super*. In exemplari editionis Basileensis anni 1540, quod fuit Jacobi Cujacii, et nunc penes me est, vir ille doctissimus scripsit in margine ex quodam [551] veteri libro *superus* ut in codice sancti Eligii et in Beccensi. Veteres editiones, etiam Morelliana et tria vetera exemplaria præferunt *nuper*. Alius *Superius* presbyter in libro secundo miscellaneorum nostrorum, pag. 101, et *Superius* stationarius apud Optatum Milevitanem in calce libri primi.

Ninum. In duobus antiquis codicibus scriptum est *Saturninum*. Saturnini mentio extat in variis epistolis apud Cyprianum. Nini nulla alibi, quod sciam, mentio habetur. Quod fortassis approbare posset lectionem horum duorum veterum librorum. Verum nulla uspiam memoria de lapsu Saturnini. Itaque aut alius fuit Saturninus, si vera est lectio, aut certe retinendum est istic nomen Nini. Episcopum fuisse hinc colligi posset quod Cyprianus eum vocat fratrem, nisi constaret persbyteros quoque ab eo vocatos fuisse fratres. Pœnituisse Ninum quod fidem fregisset testatur abunde Cyprianus; adeoque puto illum postea gloriam suam reparasse. Nam in vetustissimo martyrologio ad XVI kal. decembris notatur: *In Mauritania Nini, et* XVIII kal. januarii: *In Africa Nini*. Non dicitur fuisse martyr. Itaque existimari posset eum non esse diversum a Nino confessore, cujus mentio habetur in narratione de quodam qui vidit filium Dei. Ea narratio exstat in codice Fossatensi. Sic autem incipit: *Quidam presbyter fuit religiosus valde Airgils nomine, frequenter Missarum solemnia celebrans ad corpus sancti Nini episcopi et confessoris.*

Proconsulem, Africæ nimirum. Magnæ illum dignationis et auctoritatis fuisse liquet ex testimonio Salviani, qui, lib. VII, cap. 16, ait illum, quantum ad nomen quidem proconsulem, sed quantum ad potentiam consulem fuisse. Proconsulum Africæ multa mentio est apud veteres historiarum scriptores. Mul-

Digitized by Google

mentorum subactos esse, et de gradu gloriæ, ad quam plena fidei virtute tendebant [a], diutinis cruciatibus excidisse, nec tamen post hunc gravem lapsum non voluntate sed necessitate susceptum a pœnitentia [b] agenda per hoc triennium destitisse. De quibus consulendum putastis an eos ad communicationem jam fas esset admittere.

II. Et quidem quod ad mei animi sententiam pertinet, puto his indulgentiam Domini non defuturam quos constat stetisse in acie, nomen Domini [c] confessos esse, violentiam magistratuum et populi furentis incursum immobilis fidei obstinatione vicisse, passos esse carcerem, diu inter minas proconsulis et fremitum populi circumstantis tormentis laniantibus ac longa iteratione cruciantibus [d] repugnasse; ut quod in novissimo [e] infirmitate carnis subactum videtur, meritorum præcedentium defensione relevetur, et sit satis talibus gloriam perdidisse, non tamen debere nos eis et veniæ locum claudere atque eos a paterna pietate et a nostra communicatione privare; quibus existimamus ad deprecandam clementiam Domini posse sufficere quod triennio jugiter ac dolenter, ut scribitis, cum summa pœnitentiæ lamentatione planxerunt. Certe non puto incaute et temere his pacem committi quos videmus militiæ suæ fortitudine nec prius pugnæ defuisse, et si acies etiam denuo venerit, gloriam suam posse reparare. Nam, cum in concilio placuerit pœnitentiam agentibus in infirmitatis periculo subveniri et pacem dari, debent utique in accipienda pace præcedere quos videmus non animi infirmitate cecidisse, sed in prælio congressos et vulneratos per imbecillitatem carnis confessionis suæ coronam non potuisse perferre; maxime cum cupientibus mori non permitterentur occidi, sed tamdiu fessos tormenta laniarent quamdiu non fidem, quæ invicta est, vincerent, sed carnem, quæ infirma est [f], fatigarent.

III. Quoniam tamen scripsistis ut cum pluribus collegis [g] de hoc ipso plenissime tractem [h] et res tanta exigit majus et impensius de multorum collatione consilium, et nunc omnes fere inter Paschæ prima solemnia apud se cum fratribus demorantur, quando solemnitati [77] celebrandæ apud suos satisfecerint et ad me venire cœperint, tractabo cum singulis plenius, ut de eo quod consuluistis figatur apud nos et rescribatur vobis firma sententia multorum sacerdotum consilio ponderata. Opto vos, fratres charissimi, semper bene valere.

EPISTOLA LIV.

(Erasm., I, 2. Pamel., Rigalt., Baluz., LIV. Paris., LIII. Oxon., Lips., LVII. Constant., Epist. Rom. Pont., I, p. 167. Galland., Bibl. vett. PP. III, p. 350. Routh., Rel. sacr. III. p. 69.)

AD CORNELIUM, DE PACE LAPSIS DANDA.

ARGUMENTUM. — *Cum prius statuissent Africani episcopi in concilio quodam, ut lapsi non, nisi diu pœnitentia, acta admitterentur ad pacem, nisi forte periculum infirmitatis urgeret; jam instante nova persecutione statuerunt, omnibus qui pœnitentiam egissent pacem dandam, ut fortiores essent ad passionis prælium. Id episcoporum statutum, totius synodi nomine, nuntiat Cornelio papæ Cyprianus, atque adeo non tam ipsius Cypriani quam synodi Africanæ est hæc epistola.*

(Hanc epistolam, ut et alias omissas, inter pontificias tom. præcedentis epistolas suo loco reperies.)

[79] EPISTOLA LV.

(Erasm., I, 3. Pamel., Rigalt., Baluz., LV. Paris., LIV. Oxon., Lips., LIX. Constant., Epist. Rom. Pont., I, p. 172. Galland., Bibl. vett. PP. III, p. 352.)

AD CORNELIUM, DE FORTUNATO ET FELICISSIMO, SIVE CONTRA HÆRETICOS.

ARGUMENTUM. — *In primis monet Cornelium Cyprianus hac epistola, ut Felicissimi et Fortunati contra se calumnias non audiat, nec minis eorum terreatur, sed forti sit animo, sicuti Dei sacerdotem contra hæreticos decet; utpote qui pro more hæreticis usitato, hæresin suam et schismata incœperint ex contemptu*

LECTIONES VARIANTES.

[a] Pervenerant *Ver.*
[b] Susceptos ad pœnitentiam agendam *Thu. Mich.*
[c] Domini *deest in Oxon.*
[d] Cruciatus *Mich.*
[e] Novissima *Oxon. Rigalt.*
[f] Quæ victa est *Lam. Ebor NC.* 1.
[g] Cum plurimi collegæ *Ver.* Celebrata *Lam. Ebor. Bod.* 2,
[h] Plenius tractarem *Ebor. Lin. NC.* 1.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

tæ præterea exstant in Codice Theodosiano constitutiones Imperatorum directæ ad proconsules Africæ.

II. — *Nomen Domini.* Addidi vocem *Domini*, quamvis sciam illam non esse necessariam in hoc loco, quia ita reperi scriptum in omnibus fere vetustis exemplaribus quibus usus sum et in antiquis editionibus. Pamelius expunxit.

Novissimo. Id est postea. Sic restitui debere visum est pro eo quod Rigaltius et Angli posuerunt *novissime.* Quippe omnes libri veteres et editiones ante Rigaltianam habent eam lectionem quam ego revocavi. Quapropter miror Anglos, qui sciebant illam exstare in libris nostris veteribus, prætulisse eam quæ nuspiam habetur quam in editione Rigaltii. Quid si mendum illius editionis imputemus typographo?

Clementiam. Codex Fuxensis, *misericordiam.*

Permitterentur. Citat hunc locum Hieronymus in Vita Pauli monachi : *Verum hostis callidus tarda ad mortem supplicia conquirens animas cupiebat jugulare, et ut ipse qui ab eo passus est Cyprianus ait, volentibus mori non permittebatur occidi.* Codex Fuxensis istic apud Cyprianum habet *paterentur.* Sed Hieronymus habebat in suo exemplari *permitterentur.* Lucanus, lib. VI :

> Ah miser, extremum cui mortis munus iniquæ
> Eripitur non posse mori.

Seneca Thebaide : *Occidere est vetare cupientem mori.*

Venire cœperint. Hinc colligi posse videtur consuevisse eo tempore episcopos Africanos convenire Carthaginem apud episcopum; magnæ illius ecclesiæ, sicut episcopi Italiæ et Siciliæ apud Romanum, sed tamen necesse fuisse ut in præcipuis festivitatibus essent in suis civitatibus. Editio Anglicana male hunc locum interpretata est de synodis habendis bis in anno. Ea regula nondum inventa erat.

Digitized by Google

unius in ecclesia episcopi; obiter etiam indicans unde oriri soleant hæreses et schismata, ut merito a Morelio inscribatur CONTRA HÆRETICOS.

(Vid. not. ad Ep. præced.)

[90] EPISTOLA LVI.

(Erasm., IV, 6. Pamel., Rigalt., Baluz., LVI. Paris., LV. Oxon., Lips., LVIII.)

AD THIBARITANOS, DE EXHORTATIONE MARTYRII.

ARGUMENTUM. — *Excusat primum se Cyprianus Thibaritanis quod illos non visisset, et de persecutione imminente admonet; tum stimulos subdit ad martyrium alacriter subeundum. — Hinc proponuntur exempla piorum a mundi initio qui martyrium passi. In primis quæ omnia exempla superat Domini nostri passio. — Quid, quod stadii et theatri agones fortiter et alacriter tolerati incitamento sint ad martyrii passiones? — Demum consideretur futura merces, quæ jam superque ad omnia sustinenda animat et accendit.*

I. Cyprianus plebi Thibari consistenti salutem. Cogitaveram quidem, fratres dilectissimi, atque in votis habebam, si rerum ratio ac temporis conditio permitteret, secundum quod frequenter desiderastis, ipse ad vos venire, et quantulacumque mediocritate exhortationis nostræ præsens [a] illic fraternitatem corroborare. Sed, quoniam sic rebus urgentibus detinemur ut longe istinc excurrere et diu a plebe cui de divina indulgentia præsumus abesse non datur facultas, has interim pro me ad vos vicarias litteras misi. Nam, cum Domini instruentis dignatione instigemur sæpius et admoneamur, ad vestram quoque conscientiam admonitionis nostræ sollicitudinem perferre debemus. Scire enim debetis et pro certo credere ac tenere pressuræ diem super caput esse cœpisse et occasum sæculi atque antichristi tempus appropinquasse, ut parati omnes ad prælium stemus, nec quicquam nisi gloriam vitæ æternæ et coronam confessionis Dominicæ cogitemus. Nec putemus talia esse quæ veniunt qualia fuerunt illa quæ transierunt : gravior nunc et ferocior pugna imminet, ad quam fide incorrupta et virtute robusta parare se debeant milites Christi, considerantes idcirco se quotidie calicem sanguinis Christi bibere, ut possint et ipsi propter Christum sanguinem fundere. Hoc est enim velle cum Christo inveniri, id quod Christus et docuit et fecit imitari [b], secundum Joannem apostolum dicentem : *Qui dicit se in Christo manere, debet quomodo ille ambulavit et ipse ambulare* (I *Joa.* II, 6). Item beatus Paulus apostolus exhortatur et docet dicens : *Sumus filii. Si autem filii Dei, et hæredes Dei, cohæredes autem Christi, siquidem compatiamur, ut et commagnificemur* (*Rom.* VIII, 16, 17).

II. Quæ nunc omnia consideranda sunt nobis, ut nemo quicquam de sæculo jam moriente desideret, sed sequatur Christum, qui et vivit in æternum, et vivificat servos suos in fide sui nominis constitutos. Venit enim tempus, fratres dilectissimi, quod jampridem Dominus noster prænuntiavit et docuit advenire dicens : *Veniet hora ut omnis qui vos occiderit putet se officium Deo facere. Sed hæc facient, quoniam non cognoverunt Patrem, neque me. Hæc autem locutus sum vobis, ut cum venerit hora eorum, memores sitis quia ego dixi vobis* (*Joa.* XVI, 2-4). Nec quisquam miretur persecutionibus nos assiduis fatigari et pressuris an-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Præsentem *Ebor. Bod.* 2. *NC.* 1. Vestram *Oxon.*

[b] Fieri voluerit imitemur *Lam. Ebor.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

[90] EPIST. LVI. — I. *Plebi Thibari.* In concilio Carthaginensi habito sub sancto Cypriano adfuit Vincentius a Thibari, et collationi Carthaginensi inter Catholicos et Donatistas Victor episcopus Thibaritanus Catholicus et Victorinus episcopus Thibaritanus Donatista, qui nominantur inter episcopos provinciæ Byzacenæ. Quare existimari potest Thibarim fuisse in ea provincia, præsertim cum ex hac epistola constet eam urbem non fuisse multum remotam a Carthagine. Alioqui enim plebs illa non expetiisset a Cypriano ut ad se veniret.

Fraternitatem. Expunxi vocem *vestram*, quæ postea sequebatur in editionibus, non solum quia mihi superflua videbatur, sed in primis quia neque in antiquis exemplaribus habetur neque in antiquis editionibus. Pamelius illam adjecit ex manuscriptis, ut ipse ait, Camberonensi et Affligemensi.

Sæpius. Postea sequebatur in editionibus vox *amplius*, quam sustuli, quia neque in veteribus libris exstat neque in antiquis editionibus. Pamelius illam adjecit ex iisdem duobus libris veteribus.

Hoc est enim velle. Ista usque ad *Sumus filii* desunt in codice Beccensi. Pro his vero sequentia substituta sunt, *sacrum Christi sanguinem ad quoddam documentum Christi figuratum. Joannem quoque Baptistam atque præcursorem Domini, qui Christum in aqua tinxit, atque ab eo factus est ipse spiritus qui venit super Joannem figura quæ hodie est in nobis, sicut Apostolus hortatur nos dicens : Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui [463] nostro quod sumus filii Dei.* Et statim sequitur : *Sumus filii* etc. Sed ista alibi non reperi quam in libro Beccensi.

Id quod Christus. Quidam libri veteres habent, *si id quod Christus fieri voluit imitemur.* Etiam quidam qui habent *si id quod Christus*, non habent *imitemur.*

II. — *Officium.* Ita omnes libri nostri et Anglicani, tum etiam editiones antiquæ. Pamelius, qui posuit *obsequium*, scribit se eam vocem substituisse ex laudatis paulo ante duobus codicibus pro eo quod erat *officium.* Sane in vulgata editione Novi Testamenti legitur *obsequium.* Sed ea auctoritas nullius momenti est contra fidem tot veterum exemplarium et editionum. Contra id quoque probat retinendam non esse istic vocem *obsequium* quod constet Cyprianum alia versione usum esse quam ea quam vulgatam vocamus, et quia *officium* legitur etiam in capite 11 Epistolæ ad Fortunatum *de Exhortatione martyrii* et apud Augustinum in Epistola *ad Bonifacium comitem.* Tamen adversus ea quæ disseruimus opponi potest referri in libro III *Testimoniorum*, cap. 16, et illic legi *obsequium.* Ad quod respondeo vocabulum illud exstare sane in quibusdam codicibus antiquis, deesse in aliis, nimirum prout diverse placuit antiquis librariis. Vide annotationes Erasmi in hunc locum Joannis et in caput IX Epistolæ Pauli ad Romanos et in caput II Epistolæ ad Philippenses.

Sumus filii. Lege *Sumus filii Dei.* Error typographicus.

Memores sitis. Quatuor libri veteres habent *remi-*

Digitized by Google

gentibus frequenter urgeri, quando hæc futura in novissimis temporibus Dominus ante prædixerit, et militiam nostram magisterio et hortamento sui sermonis instruxerit, Petrus quoque apostolus ejus docuerit ideo persecutiones fieri ut probemur, et ut dilectioni Dei, justorum præcedentium exemplo, nos etiam morte et passionibus copulemur. Posuit enim in Epistola sua dicens : *Charissimi, nolite mirari ardorem accidentem vobis, qui ad tentationem vestram fit, nec excidatis tamquam novum aliquid vobis contingat; sed quotiescumque communicatis Christi passionibus, per omnia gaudete, ut et in revelatione facta claritatis ejus gaudentes exultetis. Si improperatur vobis in nomine Christi, beati estis, quia majestatis et virtutis Domini nomen in vobis requiescit, quod quidem secundum illos* [91] *blasphematur, secundum nos autem honoratur* (I *Pet.* IV, 12 14). Docuerunt autem nos Apostoli ea quæ de præceptis Dominicis et cœlestibus mandatis ipsi quoque didicerunt, Domino ipso scilicet corroborante nos et dicente : *Nemo est qui relinquat domum, aut agrum, aut parentes, aut fratres, aut sorores, aut uxorem, aut filios propter regnum Dei, et non recipiat septies tantum in isto tempore, in sæculo autem venturo vitam æternam* (*Marc.* X, 29; *Luc.* XVIII, 29, 30). Et iterum : *Beati*, inquit, *eritis cum odio vos habuerint homines, et separaverint vos, et expulerint, et maledixerint nomini vestrò quasi nequam propter Filium hominis. Gaudete in illa die et exultate : ecce enim merces vestra multa est in cœlis* (*Luc.* VI, 22, 23).

III. Gaudere nos et exultare voluit in persecutionibus Dominus, quia, quando persecutiones fiunt, tunc dantur coronæ [a] fidei, tunc probantur milites Dei, tunc martyribus patent cœli. Neque enim sic nomen militiæ dedimus ut pacem tantummodo cogitare, et detrectare et recusare militiam debeamus, quando in ipsa militia primus ambulaverit Dominus humilitatis et tolerantiæ et passionis magister, ut quod fieri docuit prior faceret, et quod pati hortatur, prior [b] pro nobis ipse pateretur. Sit [c] ante oculos vestros, fratres dilectissimi, quod qui omne judicium a Patre solus accepit et qui venturus est judicaturus, jam judicii sui et cognitionis futuræ sententiam [d] protulerit, prænuntians et contestans confessurum se coram Patre suo confitentes et negaturum negantes. Si mortem possemus evadere, merito mori timeremus : porro autem, cum mortalem mori necesse sit, amplectamur occasionem de divina promissione et dignatione [e] venientem, et fungamur exitu mortis cum præmio immortalitatis, nec vereamur occidi, quos constat quando occidimur coronari.

IV. Nec quisquam, fratres dilectissimi, cum populum nostrum fugari conspexerit metu persecutionis et spargi, conturbetur quod collectam fraternitatem non videat, nec tractantes episcopos audiat. Simul tunc omnes esse non possunt, quibus occidere non licet, sed occidi necesse est. Ubicumque in illis diebus unusquisque fratrum fuerit a grege interim necessitate temporis corpore non spiritu separatus [f], non moveatur ad fugæ illius horrorem, nec recedens et latens deserti loci solitudine terreatur. Solus non est cui Christus in fuga comes est; solus non est qui, templum Dei servans, ubicumque fuerit sine Deo non est. Et si fugientem in solitudine ac montibus latro oppresserit, fera invaserit, fames aut

LECTIONES VARIANTES.

[a] Datur coronæ *Lam. Bod.* 3.
[b] Qui prior hortatur *Bod.* 1. 4.
[c] Si ante oculos *Lam. Bod.* 1, 2, 3, 4. *Rig.*
[d] Futuram sententiam *Lam.*
[e] Divina dignatione *Lam. Ebor. Bod.* 2. *NC.* 1.
[f] Spiritu segregatus *Lin.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

niscamini. Sic etiam in editione vulgata Novi Testamenti. Verum retinenda est istic lectio quam editiones et major veterum librorum pars asserunt.

Copulemur. Reliqua istius epistolæ desunt in libro monasterii Beccensis.

Nolite mirari. Ita etiam in Epistola ad Fortunatum *de Exhortatione martyrii*, cap. 9. Sumptum est istud ex Epistola I sancti Petri, c. IV, in qua legitur, *nolite peregrinari in fervore*. Multum ab ea et Cypriani versione discedunt recentiores interpretes. Vide quæ ibi commentatur Erasmus.

Novum aliquid. Addidi vocem *aliquid* secutus auctoritatem duorum veterum librorum. Et alioqui habetur in Epistola Petri.

Aut sorores. Hæc desunt in omnibus Cypriani codicibus. Extant tamen in capite X Evangelii secundum Marcum, sed non in capite XVIII Lucæ, ubi locus iste refertur.

Septies. Legi *centies* in tribus libris veteribus, uti etiam legitur in Evangelio D. Marci. Et in aliis antiquis et in editionibus scriptum est *septies*, uti etiam in libro *de Lapsis* et lib. III *Testimoniorum* cap. 16. Sic etiam legisse Gregorium IX papam liquet ex Epistola ejus *ad Germanum patriarcham* CP. apud Odoricum Raynaldum, an. 1232, § 51.

III.—*Milites Dei*. Quatuor libri veteres habent *milites Christi*, uti amat dicere Cyprianus. Lactantius cap. 16 *de Mortibus Persecutorum : Hoc est esse discipulum Dei, hoc est militem Christi.*

Mori. Revocavimus hanc lectionem, quam et omnes libri veteres et omnes veteres editiones præferunt. Pamelius posuit *mortem* ex unico MS. et gloriam captat ex ea emendatione. Et tamen infra Epist. LVII, pag. 95, Cyprianus ait Christianos hoc ipso invictos esse *quia mori non timent*.

IV.—*Occidere non licet*. Tertullianus in Apologetico : *Si non apud istam disciplinam magis occidi liceret quam occidere*. Lucifer Calaritanus in libro *ad Constantinum* de Moriendo pro Dei Filio : *Hostis quippe Dei religionis, in qua pietas, humanitas, omnisque justitia versatur, in qua nec malum pro malo discitur reddere, in qua non occidere sed occidi propter Dei Filium docemur*... Gerohus Reicherspergensis in libro *de Corrupto Ecclesiæ statu*, pag. 215 : *Semota penitus intentione aliquem occidendi, quod a spiritualis propositi viris non licet fieri, qui malle debent occidi quam occidere*. Vide supra, pag. 402, 461.

Solus non est. Refert hunc locum sanctus Fulgentius in capite 17 libri II *ad Trasimundum*.

In solitudine et montibus. Rufinus, lib. VI, cap. 31 : *Quid vero memorem quantæ multitudines in desertis et in montibus oberrantes fame, siti, frigore, languore, latronibus, bestiisque consumptæ sunt.*

Digitized by Google

sitis aut frigus afflixerit, vel per maria præcipiti navigatione properantem tempestas ac procella submerserit, spectat militem suum Christus ubicumque pugnantem, et persecutionis causa pro nominis sui honore morienti præmium reddit quod daturum se in resurrectione promisit. Nec minor est martyrii gloria non publice et inter multos perisse, cum pereundi causa sit propter Christum perire. Sufficit ad testimonium martyrii [a] sui testis ille qui probat martyres et coronat.

V. Imitemur, fratres dilectissimi, Abel justum, qui initiavit martyria dum propter justitiam primus occiditur. Imitemur Abraham Dei amicum, qui non est cunctatus ut filium victimam suis manibus offerret, dum Deo fide devotionis [b] obsequitur. Imitemur tres pueros, Ananiam, Azariam et Misahelem, qui, nec ætate territi, nec captivitate fracti, Judæa devicta et Hierosolymis captis, in ipso regno suo regem fidei virtute vicerunt; qui, adorare statuam quam Nabuchodonosor rex fecerat jussi, et minis regis et flammis fortiores extiterunt, proclamantes et fidem suam per hæc verba [99] testantes : *Nabuchodonosor rex, non opus est nobis de hoc verbo respondere tibi. Est enim Deus, cui nos servimus, potens eripere nos de camino ignis ardentis, et de manibus tuis, rex, liberabit nos* [c]. *Et si non, notum sit tibi quia diis tuis non servimus, et imaginem auream quam statuisti non adoramus* (*Dan.* III, 16-18). Credebant se illi secundum fidem [d] posse evadere; sed addiderunt, *et si non*, ut sciret rex illos propter Deum quem colebant et mori posse. Hoc est enim robur virtutis et fidei credere et scire quod Deus a morte præsente liberare possit, et tamen mortem non timere nec cedere, ut probari fortius fides possit. Erupit per os eorum Spiritus sancti incorruptus et invictus vigor, ut appareant vera esse quæ in Evangelio suo Dominus dixit [e] : *Cum autem vos apprehenderint* [f], *nolite cogitare quid loquamini; dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini : non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis* (*Matth.* X, 19, 20). Dixit quid loqui et respondere possimus dari nobis in illa hora divinitus et offerri [g], nec nos tunc esse qui loquimur, sed Spiritum Dei Patris, qui, cum a confitentibus non discedit neque dividitur, ipse in nobis et loquitur et coronatur. Sic et Daniel cum compelleretur adorare idolum Bel, quem tunc populus et rex colebat, in asserendum [h] Dei sui honorem plena fide et libertate [i] prorupit dicens : *Nihil colo ego nisi* j *Dominum Deum meum, qui condidit cœlum et terram* (*Dan.* XIV, 4).

VI. Quid in Machabæis, beatorum martyrum gravia tormenta, et multiformes septem fratrum pœnæ, et confortans liberos suos mater in pœnis et moriens ipsa quoque cum liberis, nonne magnæ [k] virtutis et fidei documenta testantur, et nos ad martyrii triumphum suis passionibus adhortantur? Quid prophetæ, quos ad præscientiam futurorum Spiritus sanctus animavit? quid Apostoli, quos Dominus elegit? Nonne cum [l] justi occiduntur propter justitiam mori nos quoque docuerunt? Christi nativitas a martyriis infantium statim cœpit, ut ob nomen ejus a bimatu et infra qui fuerant necarentur : ætas necdum habilis ad pugnam idonea extitit ad coronam : ut appareret innocentes esse qui propter Christum necantur, infantia innocens ob nomen ejus occisa est. Ostensum est neminem esse a periculo persecutionis immunem, quando et tales martyria fecerunt. Quam vero [m] gravis causa sit hominis christiani servum pati nolle, cum prior passus sit Dominus, et pro peccatis nostris nos pati nolle, cum peccatum suum proprium non habens passus sit ille pro nobis? Filius Dei passus est ut nos filios Dei faceret, et filius hominis pati non vult ut esse Dei filius perseveret! Si odio sæculi laboramus, odium sæculi sustinuit prior Christus. Si contumelias in hoc mundo, si fugam, si tormenta toleramus, graviora expertus est mundi factor et dominus, qui et admonet dicens : *Si sæculum*, inquit, *vos odit, mementote quia me priorem vobis odiit. Si de sæculo esseiis, sæculum quod suum esset amaret : sed, quia de sæculo non estis et ego elegi vos de sæculo,*

LECTIONES VARIANTES.

[a] Testimonium martyris *Ebor. Bod.* 1, 2. *NC.* 1, 2.
[b] Fide et devotione *NC.* 2.
[c] Manibus tuis liberabit nos *Lam. Bod.* 1, 2.
[d] Fidem suam *Ebor. NC.* 2. *Lam. Bod.* 2.
[e] Edixit *Bod.* 1, 2. Dixit dicens *Lam. Bod.* 3, 4.
[f] Tradiderunt *Lam. Bod.* 2.
[g] Nobis et in illa hora divinitus offerri *Bod.* 3.
[h] Asserendo... honore *Bod.* 3.
[i] Fidei libertate *Oxon.*
[j] Nisi unum Deum *Bod.* 2.
[k] Magna *Lam. bod.* 2.
[l] Qui justi *Oxon.*
[m] Ergo *Oxon.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

Resurrectione. Veteres editiones et codex Turonensis habent *surrectione.* Ita etiam Arator, lib. I *Actuum apostolicorum.* At omnes alii libri veteres præferunt [66] *resurrectione;* eamque lectionem Angli posuerunt in sua editione. Aliæ editiones habent *persecutione*, etiam Rigaltiana. Et tamen ille in observationibus suis ait non videre se cur scriptura quæ habet *resurrectione* deleri debuerit.

Propter Christum. Unus codex Remigianus habet *pro Christo*, eodem sensu.

V. — *Abel initiavit.* Ita etiam in libro *de Bono Patientiæ*, pag. 250. Prosper, lib. I *de Promissionibus et Prædictionibus Dei* cap. 6, loquens de cæde Abelis : *Præclara hinc fulsere martyria, dum justi occiduntur ab impiis.* Vide Homiliam octavam sancti Joannis Chrysostomi adversus Judæos in nova editione, pag. 686.

Fide et libertate. Revocavimus lectionem veterum editionum, quam etiam omnes fere libri veteres exhibent. Emendationem enim Erasmi, qui posuit *fidei libertate*, in nullo alio libro reperi quam in Turonensi. Reinhartus tamen illam retinuit, aliam repudiavit.

VI. — *Ætas necdum habilis.* Vide quæ supra, p. 393, relata sunt de sancta Agnete ex Ambrosio.

Me priorem. Duo libri veteres habent *me primo.*

Digitized by Google

propterea odit vos sæculum [a]. *Mementote sermonis quem dixi vobis : Non est servus major domino suo; si me persecuti sunt, et vos persequentur* (*Joan.* xv, 18-20). Dominus et Deus noster quicquid docuit, et fecit, ut discipulus excusatus esse non possit qui discit et non facit.

VII. Neque aliquis ex vobis, fratres dilectissimi, futuræ persecutionis metu aut antichristi imminentis adventu sic terreatur, ut non evangelicis exhortationibus et præceptis ac monitis cœlestibus ad omnia inveniatur armatus. Venit antichristus, sed et supervenit Christus : grassatur et sævit inimicus, sed et statim [25] sequitur Dominus passiones nostras et vulnera vindicaturus : irascitur adversarius et minatur, sed est qui possit de ejus manibus liberare. Ille metuendus est cujus iram nemo poterit evadere, ipso prænonente et dicente : *Ne timueritis eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Magis autem metuite eum qui potest et corpus et animam occidere in gehennam* (*Matth.* x, 28). Et iterum : *Qui amat animam suam, perdet illam, et qui odit animam suam in isto sæculo, in vitam æternam conservabit illam* (*Joan.* xii, 25). Et in Apocalypsi instruit et prænonet dicens : *Si quis adorat bestiam et imaginem ejus, et accipit notam in fronte sua et in manu, bibet et ipse de vino iræ Dei mixto in poculo iræ ejus, et punietur igne et sulphure sub oculis sanctorum Angelorum et sub oculis Agni, et fumus de tormentis eorum ascendet in sæcula sæculorum, nec habebunt requiem die ac nocte quicumque adorant bestiam et imaginem ejus* (*Apoc.* xiv, 9-11).

VIII. Ad agonem sæcularem exercentur homines et parantur; et magnam gloriam computant honoris sui si illis, spectante populo et imperatore præsente, contigerit coronari. Ecce agon sublimis et magnus et coronæ cœlestis præmio gloriosus, ut spectet nos certantes Deus, et super eos quos filios facere dignatus est oculos suos pandens, certaminis nostri spectaculo perfruatur. Prœliantes nos et fidei congressione pugnantes spectat Deus, spectant Angeli ejus, spectat et Christus [b]. Quanta est gloriæ dignitas et quanta felicitas præsente [c] Deo congredi et Christo judice coronari ! Armemur, fratres dilectissimi, viribus totis et paremur ad agonem mente incorrupta, fide integra, virtute devota. Ad aciem quæ nobis indicitur Dei castra procedant : armentur integri, ne perdat integer quod nuper stetit : armentur et lapsi, ut et lapsus recipiat quod amisit. Integros honor, lapsos dolor ad prælium provocet. Armari et præparari nos beatus Paulus apostolus docet dicens : *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus potestates et principes hujus mundi et harum tenebrarum, adversus spiritus nequitiæ* [d] *in cœlestibus. Propter quod induite tota arma, ut possitis resistere in die nequissimo ; ut cum omnia perfeceritis, stetis accincti lumbos vestros in veritate, induti loricam justitiæ, et calciati pedes in præparatione evangelii pacis, assumentes scutum fidei, in quo possitis omnia ignita jacula nequissimi extinguere, et galeam salutis, et gladium spiritus, qui est sermo Dei* (*Eph.* vi, 12-17).

IX. Hæc arma sumamus, his nos tutamentis spiritalibus et cœlestibus muniamus, ut in die nequissimo, resistere diaboli minis et repugnare possimus. Induamus loricam justitiæ, ut contra inimici jacula munitum sit pectus et tutum. Calciati sint evangelico magisterio et armati pedes, ut, cum serpens calcari a nobis et obteri cœperit, mordere et supplantare non possit. Portemus fortiter scutum fidei, quo protegente quicquid jaculatur inimicus possit extingui. Accipiamus quoque ad tegumentum capitis galeam salutarem, ut muniantur aures, ne audiant edicta feralia ; muniantur oculi, ne videant detestanda si-

LECTIONES VARIANTES.

[a] De mundo... mundus *Bod.* 3.
[b] Christus ejus *Lam. Ebor. Bod.* 2. *NC.* 1.
[c] Præside *Bod.* 1, 2. *Lin. NC.* 1, 2. *Ebor.*
[d] Nequam *Ebor. NC.* 1.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

VII.— *Futuræ persecutionis metu.* Unus codex regius habet *futuram persecutionem metuat.*

Occidere in gehennam. Iidem duo libri habent *perdere.*

Imaginem ejus. Postea sequitur in codice Gratianopolitano, *magis insistere precibus et orare et primo ipsum rogare, tunc deinde Deo patri satisfacere debemus. Habemus autem advocatum et deprecatorem pro peccatis nostris Jesum Christum Dominum nostrum et Deum, si modo nos in præteritum peccasse pœniteat et confitentes atque intelligentes debita nostra, quibus nunc Domino offendimus, vel de cætero nos ambulare in viis ejus et præcepta metuere spondeamus.* Non ausus sum ista ponere in contexu, quia non videntur mihi cohærere cum argumento quid istic tractatur.

VIII. — *Pandens.* Codex Pithœi *spandens.* Forte reponendum est *expandens*, sicut sæpe vidi in pluribus libris *spectans* pro *expectans* et e contra. Vide glossarium Latinum Cangii in verbo *spando.* Ita *splendor* pro *explendor* in libro Tertulliani *de Anima*, ut notat Rigaltius. Sic in tomo II Capitularium, pag. 984, *traneis* pro *extraneis.* Sic sæpe alibi in antiquis codibus MSS. et in instrumentis publicis legi *strumenta* pro *instrumenta.* Vide Obsopœum ad Epistolam LX Senecæ.

Armari et præparari. Ita veteres editiones, undecim libri nostri veteres, sex Anglicani, et codex Flori. Ita etiam editiones Manutii et Morellii. Alia editio, quæ habet *Armat et præparat nos beatus Apostolus dicens*, placuit Pamelio, Rigaltio, et Anglis.

Tota arma. In editione Erasmi, quam secuti sunt Pamelius, Rigaltius, et Angli, additur vox *Dei.* Verum hoc additamentum nuspiam reperi in antiquis exemplaribus. In Sorbonico legitur *induite vos arma lucis.* Pithœanum habet *induite tota arma.*

Qui est sermo Dei. In tribus antiquis codicibus scriptum est, *quod est verbum Dei*, eodem sensu. Sed tamen istud admoneri debere visum est ob discrepantiam versionum.

IX.—*Galeam salutarem.* Hanc lectionem intulit Erasmus, eamque Manutius et Morellius retinuerunt. Habent autem illam tres libri veteres. At alii quinque et antiquiores editiones præferunt *spiritalem.* Ita etiam in excerptis Flori. Supra, in Epistola XXVI, pag. 36, legitur *galeam salutis.* Vide annotationes Erasmi in caput VI Epistolæ ad Ephesios.

Digitized by Google

mulachra; muniatur frons, ut signum Dei incolume A servetur; muniatur os, ut Dominum suum Christum victrix lingua fateatur. Armemus et dexteram gladio spiritali, ut sacrificia funesta fortiter respuat, ut, Eucharistiæ memor, quæ Domini corpus accepit, ipsum complectatur, postmodum a Domino sumptura præmium cœlestium coronarum.

X. O dies ille qualis et quantus adveniet, fratres dilectissimi, cum cœperit populum suum Dominus recensere et divinæ cognitionis examine singulorum merita recognoscere, mittere in [95] gehennam nocentes, et persecutores nostros flammæ pœnalis perpetuo ardore flammare, nobis vero mercedem fidei et devotionis exsolvere! Quæ erit gloria et quanta lætitia admitti ut Deum videas, honorari ut cum Christo Domino Deo tuo salutis ac lucis æternæ gaudium B capias; Abraham et Isaac et Jacob et patriarchas omnes et prophetas et apostolos et martyres salutare; cum justis et Dei amicis in regno cœlorum datæ immortalitatis voluptate gaudere; sumere illic *quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit* (I *Cor.* II, 9)! Majora enim nos accipere quam quod hic aut operamur aut patimur Apostolus prædicat dicens: *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad superventuram claritatem quæ revelabitur in nobis* (*Rom.* VIII, 18). Cum revelatio illa venerit, cum claritas super nos Dei fulserit, tam beati erimus et læti, dignatione Domini honorati, quam rei remanebunt et miseri qui, Dei desertores aut contra Deum rebelles, voluntatem fecerunt diaboli, ut eos necesse sit cum ipso simul inextinguibili igne torqueri.

XI. Hæc, fratres dilectissimi, hæreant cordibus nostris [a]. Hæc sit armorum nostrorum præparatio, hæc diurna ac nocturna meditatio, ante oculos habere et cogitatione [b] semper ac sensibus volvere iniquorum supplicia et præmia ac merita justorum, quid negantibus Dominus comminetur ad pœnam, quid contra confitentibus promittat ad gloriam. Si hæc cogitantibus ac meditantibus nobis supervenerit persecutionis dies, miles Christi præceptis ejus et monitis eruditus non expavescit ad pugnam, sed paratus est ad coronam. Opto vos, fratres charissimi, semper bene valere.

EPISTOLA LVII.

(Erasm., I, 1. Pamel., Rigalt., Baluz., LVII. Paris., LVI. Oxon., Lips., LV.)

AD CORNELIUM IN EXILIO, DE EJUS CONFESSIONE.

ARGUMENTUM. — *Laudat Cyprianus in Cornelio et plebe ejus confessionem nominis Christi ad exilium usque, hortaturque ad constantiam et mutuas pro invicem orationes, tum ob instantem certaminis diem in hac vita, tum post obitum. Meminit autem hujus epistolæ Damasus in vita Cornelii, utpote propter quam calumnia facta, occasionem necis sumpserit tyrannus.*

(Pontificiis tom. III. Epistolis hæc Cypriani merito adjungitur.)

[96] EPISTOLA LVIII.

(Erasm., III, 1. Pamel., Rigalt., Baluz., LVIII. Paris., LVI. Constant., Epist. Rom. Pont. I, p. 207.)

AD LUCIUM PAPAM ROMANUM REVERSUM AB EXILIO.

C ARGUMENTUM. — *Gratulatur Lucio Cyprianus cum col-*

LECTIONES VARIANTES.

[a] Cordibus vestris. Hæc diurna *Rig.*

[b] Habere et cogitare *Lam. Bod.* 2, 3.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

Signum Dei. In fronte positum. Lactantius, cap. 10 de Mortibus Persecutorum; *Imposuerunt frontibus suis immortale signum.* Idem lib. IV *Institut.* cap. 27: *Impositio frontibus signo*, et *quos signum immortale munierit.* Item Cyprianus in libro *de Unitate Ecclesiæ*, pag. 200: *Lepræ varietate in fronte maculatus est, ea parte corporis notatus offenso Domino ubi signantur qui Dominum promerentur.* Victor Vitensis, lib. I, cap. 14: *Frontem in qua Christus vexillum suæ fixerat crucis.* Vide Savaronem *ad Sidonium*, lib. III, Epist. 12.

Armemus et dexteram. Citat et egregie illustrat hunc locum eminentissimus Cardinalis Joannes Bona, D lib. II *Rerum liturgicarum*, cap. 17 quem consule.

Domini corpus accepit. In manu dextera videlicet. Vide quæ de ea re dixit idem eminentissimus Cardinalis in loco mox laudato. Lubenter enim utor auctoritate [465] viri optimi et doctissimi, quo ego amico gloriabar, et cui me multum debere professus sum in præfatione ad Capitularia.

Ipsum complectatur. Recentior codex Victorinus, *in ipso Dominum suum complectatur, postmodum Dominum sumptura.* Sic etiam in editione Morellii, nisi quod in extrema parte in ea scriptum est *a Domino.*

X.—*Ardore flammare.* Ita omnino scriptum est in uno libro vetere bibliothecæ regiæ. Atque ego eam lectionem facile præfero, tum quia vox est latina tum quia vocem *damnare*, quæ istic ponitur pro *flammare* in aliis vetustis exemplaribus et editionibus, suppositam fuisse arbitror a quodam librario imperito, cui satis nota non erat alia lectio. Ignorantia enim priscæ latinitatis non paucas maculas insperserunt his elegantissimis litteris imperiti librarii, ut conqueritur Josephus Scaliger in initio notarum suarum ad libros Varronis *de Re rustica.* Confirmare quoque videtur hanc emendationem locus iste ex libro *adversus Demetrianum*, pag. 224: *Cremabit addictos ardens semper gehenna.*

Quæ erit gloria. Codex Fuxensis, *quæ erit gloriæ dignitas.* Potest hanc lectionem adjuvare alter locus ex libro *adversus Demetrianum*, pag. 224: *Quæ tunc erit fidei gloria, quæ pœna perfidiæ cum judicii dies venerit.*

Cum justis. Duo libri veteres, *cum justis omnibus et Dei amicis.*

Claritatem. Idem libri duo veteres, *gloriam.* Sic sæpe librarii mutaverunt vocabula apud Cyprianum et alios veteres scriptores. Sed legendum esse *claritatem* docet ipse Cyprianus, qui locum hunc Pauli describens in Epistola LXXII, *ad Nemesianum et alios*, in Epistola *de Exhortatione martyrii*, cap. 12, et in libro III *Testimoniorum*, cap. 17, semper ponit *claritatem.*

Dei desertores... rebelles. Infra, Epist. LXXIII, p. 131: *Boni militis est adversus rebelles et hostes imperatoris sui castra defendere.* Itaque qui deserebant castra sui imperatoris adeo odiosi erant et detestabiles ut si in desertione deprehenderentur, extremo periculo subjacerent, ut ait sanctus Joannes Chrysostomus in initio Parænesis II *ad Theodorum lapsum*, et si desertorem servus proderet, liberate donaretur. Qua de re consulenda sunt quæ de desertoribus erudite scripsit Godeschalcus Stewechius ad Vegetium.

Digitized by Google

legis de reditu ab exilio, docens dilatam martyria gloriam non minuere. Deinde, indicans divinitus contigisse Cornelii martyrium et Lucii exilium, ad confundendos Novatianos, prædicit illi instans martyrium; ita Deo ordinante, ut non foris, sed apud suos consummaretur ejus martyrium.

(Vid. not. ad Epist. præced.)

[97] EPISTOLA LIX.

(Erasm., III, 8. Pamel., Rigalt., Baluz., LIX. Paris., LVIII. Oxon., Lips., LXIV. Routh., rell. scr. III, p. 74 et 116.)

AD FIDUM, DE INFANTIBUS BAPTIZANDIS.

ARGUMENTUM — *hujus epistolæ præcipuum paucis indicat D. Augustinus, Epistola* XXVIII *ad Hieronymum:* « *Beatus Cyprianus, inquit, non aliquod decretum condens novum, sed Ecclesiæ fidem firmissimam servans, ad corrigendum eos qui putabant ante octavum diem nativitatis non esse parvulum baptizandum, mox natum rite baptizari posse, cum suis quibusdam coepiscopis, censuit. Obiter tamen sub principium pacem Victori cuidam, quamvis contra decreta synodorum de lapsis datam, non revocat, sed Therapio episcopo ne deinceps id faciat interdicit.* » *E quo loco satis constat scriptam hanc epistolam post utramque synodum de lapsis quarum supra mentio Epistola* LIV. *Verum an paulo post, an longo post tempore, incertum est; in pace tamen scriptam contextus indicat.*

(Hæc epistola supra recensetur inter acta conciliorum Carthaginiensium quæ sub S. Cypriano habita fuere.)

[99] EPISTOLA LX.

(Pamel., Rigalt., Baluz., LX. Paris., LIX. Oxon., Lips., LXII.)

AD EPISCOPOS NUMIDAS, DE REDEMPTIONE FRATRUM EX CAPTIVITATE BARBARORUM.

ARGUMENTUM. — *Deplorata sub initium captivitate fratrum, Cyprianus sibi per episcopos Numidas nuntiata, mittere se dicit sestertiorum centum millia, adscriptis nominibus singulorum tum fratrum et sororum, tum collegarum, qui aliquid contribuerant. Verisimile est autem factam hanc captivitatem ab illis Barbaris, contra quos Decius in bellum profectus, interfectus est. Primi autem recens ediderunt hanc epistolam Manutius et Morelius.*

I. Cyprianus Januario, Maximo, Proculo, Victori, Modiano, Nemesiano, Nampulo, et Honorato fratribus A salutem. Cum maximo animi nostri gemitu et non sine lacrymis legimus litteras vestras, fratres charissimi, quas ad nos, pro dilectionis vestræ sollicitudine, de fratrum nostrorum et sororum captivitate fecistis. Quis enim non doleat in ejusmodi casibus, aut quis non dolorem fratris sui suum proprium non computet, cum loquatur apostolus Paulus et dicat: *Si patitur unum membrum, compatiuntur et cætera membra; si lætatur membrum unum, collætantur et cætera membra.* (I *Cor.* XII, 26). Et alio loco: *Quis infirmatur*, inquit, *et non ego infirmor* (II *Cor.* II, 29)? Quare nunc et nobis captivitas fratrum nostra captivitas computanda est, et periclitantium dolor pro nostro dolore numerandus est, cum sit scilicet adunationis nostræ corpus unum, et non tantum dilectio, sed et religio instiB gare nos debeat et confortare ad fratrum membra redimenda.

II. Nam, cum denuo apostolus Paulus dicat, *Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis* (I *Cor.* III, 16)? etiamsi charitas nos minus adigeret ad opem fratribus ferendam, considerandum tamen hoc in loco fuit Dei templa esse quæ capta sunt, nec pati nos longa cessatione et neglecto dolore debere ut diu Dei templa captiva sint, sed quibus possumus viribus elaborare et velociter gerere ut Christum judicem et Dominum et Deum [100] nostrum promereamur obsequiis nostris. Nam, cum dicat Paulus apostolus, *Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis* (*Gal.* III, 27), in captivis fratribus nostris contemC plandus est Christus, et redimendus de periculo captivitatis qui nos redemit de periculo mortis; ut qui nos de diaboli faucibus exuit, nunc ipse qui manet et habitat in nobis, de barbarorum manibus exuatur, et redimatur nummaria quantitate qui nos cruce redemit et sanguine; qui idcirco hæc fieri interim patitur ut fides nostra tentetur an faciat unusquisque pro altero quod pro se fieri vellet, si apud barbaros teneretur ipse captivus. Quis enim, non humanitatis memor et mutuæ dilectionis admonitus, si pater est, illic esse nunc filios suos computet, si maritus est, uxorem suam illic captivam teneri cum dolore pariter ac pudore vinculi maritalis existimet? Quantus vero communis omnibus nobis mœror atque cruciatus est de periculo virginum quæ illic tenentur! pro quibus non tantum libertatis, sed et pudoris jactura planD genda est, nec tam vincula barbarorum quam lenonum et lupanarium stupra deflenda sunt, ne membra Christo dicata et in æternum continentiæ honore

STEPH. BALUZII NOTÆ.

[97] EPIST. LX. — Angli aiunt hanc epistolam rarissime occurrere in antiquis exemplaribus et se nullum vidisse in quo ea reperiretur. Ego unum habui ex monasterio sancti Dionysii Remensis. Cæterum, quamquam nulla episcoporum Numidiæ neque rerum Numidicarum mentio exstet in hac epistola, tamen scriptam esse ad episcopos Numidas, ut recte censuit auctor annalium Cyprianicorum, satis constat ex inscriptione quæ exstat in editione Manutiana, ubi primum prodiit, et in codice Remensi, tum etiam ex eo quod in Epistola LXXII, pag. 128, istius mentio fieri videtur his verbis: *Item in litteris quas collegæ nostri ad episcopos in Numidia præsidentes ante fecerunt.* Eisdem quoque inscripta est Epistola LXXII. Scriptam esse nihilominus ad episcopos Mauritaniæ putavit Hadrianus Saravia in capite 11 tractatus *de Honore præsulibus et presbyteris debito.*

Captivitate. I. — Vide *Annales Cyrianicos* ad annum 253.

II. — *Pudore.* Codex Remensis, *ac vinculi maritalis amore.*

Digitized by Google

pudica virtute devota insultantium libidine et contagione fœdentur.

III. Quæ omnia istic, secundum litteras vestras, fraternitas nostra cogitans et dolenter examinans, prompte omnes et libenter ac largiter subsidia nummaria fratribus contulerunt, semper quidem secundum fidei suæ firmitatem ad opus Dei proni, nunc tamen magis ad opera salutaria contemplatione tanti doloris accensi. Nam, cum Dominus in Evangelio suo dicat, *Infirmus fui, et visitastis me*, quanto nunc quoque cum majore operis nostri mercede dicturus est: *Captivus fui, et redemistis me* (*Matth.* XXV, 36). Et cum denuo dicat, *In carcere fui, et venistis ad me*, quanto plus est cum cœperit dicere: « In carcere captivitatis fui, et clausus et vinctus apud barbaros jacui, et de carcere illo servitutis liberastis me, » cum judicii dies venerit præmium de Domino recepturi? Denique maximas vobis gratias agimus quod nos vestræ sollicitudinis et tam bonæ ac necessariæ operationis participes esse voluistis, ut offerretis nobis agros uberes, in quibus spei nostræ semina mitteremus, expectaturi messem de amplissimis fructibus qui de hac cœlesti et salutari operatione proveniunt. Misimus autem sestertia centum millia nummorum, quæ istic in ecclesia cui de Domini indulgentia præsumus, cleri et plebis apud nos consistentis collatione collecta sunt, quæ vos illic pro vestra diligentia dispensabitis.

IV. Et optamus quidem nihil tale de cætero fieri et fratres nostros, Domini majestate protectos, ab ejusmodi periculis incolumes reservari. Si tamen, ad explorandam nostri animi charitatem et examinandam nostri pectoris fidem, tale aliquid acciderit, nolite cunctari nuntiare hæc nobis litteris vestris, pro certo habentes ecclesiam nostram et fraternitatem istic universam ne hæc ultra fiant precibus orare; si facta fuerint, libenter et largiter subsidia præstare. Ut autem fratres nostros ac sorores, qui ad hoc opus tam necessarium prompte ac libenter operati sunt, ut semper operentur, in mente habeatis in orationibus vestris, et eis vicem boni operis in sacrificiis et precibus repræsentetis, subdidi nomina singulorum, sed et collegarum quoque et consacerdotum nostrorum, qui et ipsi, cum præsentes essent, et suo et plebis suæ nomine quædam pro viribus contulerunt, nomina addidi; et præter quantitatem propriam nostram, eorum quoque summulas significavi et misi, quorum omnium secundum quod fides et charitas [101] exigit, in orationibus et precibus vestris meminisse debetis. Optamus vos, fratres charissimi, semper bene valere et nostri meminisse.

EPISTOLA LXI.

(Erasm., 1, 10. Pamel., Rigalt., Baluz., LXI. Paris., LX Oxon., Lips., II.)

AD EUCHRATIUM, DE HISTRIONE.

ARGUMENTUM. — *Histrionem, si in turpi artificio persistat, communicare prohibet in ecclesia. Neque vero excusari debere quod ipse histrionicam non exerceat, quamdiu illam alios docet; aut ob rei familiaris inopiam, cum ecclesiæ sumptibus illi alimenta præstari possint; atque adeo, si Ecclesiæ Euchratii bona non sufficiant, Carthaginem monet ut veniat.*

I. Cyprianus Euchratio fratri salutem. Pro dilectione mutua et verecundia tua, consulendum me existimasti, frater charissime, quid mihi videatur de histrione quodam, qui, apud vos constitutus, in ejusdem adhuc artis suæ dedecore perseverat, et magister et doctor non erudiendorum sed perdendorum puerorum, id quod male didicit cæteris quoque insinuat, an talis debeat communicare nobiscum. Quod puto ego nec majestati divinæ nec evangelicæ disciplinæ congruere, ut pudor et honor Ecclesiæ tam turpi et

STEPH. BALUZII NOTÆ.

III.—*Sestertia.* Secuti sumus hoc editionem Manutii, Pamelii, et Rigaltii. Angli posuerunt *sestertium*, sed absque ullius vetusti codicis mentione, tantum quia Rigaltius monuerat ita scribendum esse, et propter analogiam sermonis, cum scirent veteres auctores linguæ latinæ scribere *sestertium* in numero plurali. Quod tamen non esse semper verum probant hæc verba Sosipatris Charisii: *Nec statim centies nummum dicere possumus, sed centies sestertium: nec tamen quinquaginta sestertium, sed quinquaginta sestertia dicimus.* Juvenalis Satira prima:

Simplexne furor sestertia centum
Perdere.

Et Satira quarta:

— Mullum sex millibus emit
Æquantem sane paribus sestertia libris.

[101] Vide Lambini *Annotationes* in Orationem Ciceronis pro Sex. Roscio Amerino, et Joannem Tristanum a sancto Amantio t. II commentariorum suorum, p. 576. Vide etiam Baronium, anno 254, sub finem.

IV. — *Pro certo habentes.* Codex Remensis addit *et scientes.*

EPIST. LXI. — Hanc epistolam inveni in XXIII exemplaribus antiquis. Sunt vero nonnulla ex iis quæ nomen Euchratii varie referunt. Verum fere omnia hab ent uti nos edidimus. Euchratius episcopus a Thenis interfuit concilio Carthaginensi sub Cypriano. Thenis autem vel Thenarum colonia erat in provincia Byzacena haud procul ab Usula, uti dictum est alias a nobis.

I.—*Pro dilectione.* Codex Carnotensis itemque Beccensis et editio Morellii præferunt: *Pro dilectione tua et verecundia mutua.*

Histrione. Quærit Plutarchus in libro *de Quæstionibus Romanis* cur scenici artifices Baccho sacri histriones dicantur.

Magister et doctor: id est doctor artium ludicrarum, ut in libro XIV loquitur Ammianus Marcellinus. Lactantius in *Epitome* Divinarum Institutionum, c. LXIII: *Histrionici etiam impudici gestus, quibus infames feminas imitantur, libidines quas saltando exprimunt docent.* Vide etiam lib. VI, cap. 20. Tacitus, in lib. I Annalium: *Erat in castris Percennius quidam, dux olim theatralium operarum, dein gregarius miles, procax lingua, et miscere cœtus histrionali studio doctus.* Idem in libro II Historiarum scribit habuisse Vitellium apud se scurras, histriones, et aurigas, *quibus ille amicitiarum dehonestamentis mire gaudebat.*

Gestus turpes. Vide Theodoretum, lib. IV, cap. 22 *Historiæ religiosæ.*

Magisterio impudicæ artis. Apuleius, in *Apologia* sua: *Negatur enim quicquam histrionis habuisse præter impudicitiam.*

Quod puto ego. Nescio qua ratione motus Pamelius

Digitized by Google

infami contagione fœdetur. Nam, cum in Lege [a] prohibeantur viri [b] induere muliebrem vestem et maledicti ejusmodi judicentur, quanto majoris est criminis, non tantum muliebria indumenta accipere, sed et gestus quoque turpes et molles et muliebres magisterio impudicæ artis exprimere?

II. Nec excuset se quisquam si a theatro ipse cessaverit, cum tamen hoc cæteros doceat. Non potest enim videri cessasse qui vicarios substituit et qui pro se uno plures succedaneos suggerit, contra institutionem Dei, erudiens et docens quemadmodum masculus frangatur [c] in feminam et sexus arte mutetur, et diabolo divinum plasma maculanti per corrupti atque enervati corporis delicta placeatur. Quod si penuriam talis et necessitatem paupertatis obtendit, potest, inter cæteros qui alimentis Ecclesiæ sustinentur, hujus quoque necessitas adjuvari, si tamen contentus sit frugalioribus sed innocentibus [d] cibis. Nec putet salario se esse redimendum ut a peccatis cesset, quando hoc non nobis sed sibi præstet. Cæterum, quantum velit [e] inde quærat qualis quæstus est qui de convivio Abraham et Isaac et Jacob homines rapit, et, male ac perniciose in sæculo saginatos, ad æternæ famis ac sitis supplicia deducit. Et ideo, quantum potes, ab hac eum pravitate et dedecore ad viam innocentiæ atque ad spem vitæ æternæ revoca, ut sit contentus Ecclesiæ sumptibus, parcioribus quidem, sed salutaribus. Quod si illic ecclesia non sufficit ut laborantibus præstet alimenta, poterit se ad nos transferre, et hic quod [f] sibi ad victum atque ad vestitum necessarium fuerit accipere, nec alios extra ecclesiam mortalia docere, sed ipse salutaria in ecclesia discere. Opto te, frater charissime, semper bene valere.

[102] EPISTOLA LXII.

(Erasm., I, II. Pamel., Rigalt., Baluz., LXII. Paris., LXII. Oxon., Lips., IV.)

AD POMPONIUM, DE VIRGINIBUS.

ARGUMENTUM. — *Cyprianus cum collegis aliquot Pomponio collegæ respondet, virgines quæ statum continenter et firmiter tenere decreverant, repertas tamen postea in eodem lecto cum masculis, si virgines adhuc repertæ fuerint, communione recepta, admittendas ad Ecclesiam; sin secus, cum non mariti sed Christi sint adulteræ, ad plenam pœnitentiam cogendas: quæ vero obstinatæ perseverant de Ecclesia ejiciendas: obiter interjiciens disciplinæ genus quo contineri possint in officio virgines, et quædam de excommunicandi potestate in Ecclesia.*

I. Cyprianus, Cæcilius, Victor, Sedatus, Tertullus, cum presbyteris qui præsentes aderant, Pomponio fratri salutem. Legimus litteras tuas, frater charissime, quas per Paconium fratrem nostrum misisti, postulans et desiderans ut tibi rescriberemus quid nobis de iis virginibus videatur quæ cum semel statum suum continenter et firmiter tenere decreverint, detectæ sint postea in eodem lecto pariter mansisse cum masculis, ex quibus unum diaconum esse dicis, plane easdem quæ se cum viris dormisse confessæ

LECTIONES VARIANTES.

[a] Lege Dei *Lam. Ebor. Bod.* 2.
[b] Prohibeatur vir *Lam. Bod.* 2.
[c] Fingatur *MR.*
[d] Frugalioribus et innocentibus cibis *NC.* 1, 2. *Lam.*
Ebor. Lin.
[e] Quantum vult *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2.
[f] Et id quod *Lam. Ebor. Bod.* 2.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

ex unico codice Cauchii mutavit lectionem superiorum editionum, quæ est hæc nostra. Illam enim exhibent omnia vetera exemplaria. Et probabile est ita factum esse in libro Cauchii per errorem librarii, ut sæpe accidit in libris veterum, præcipue vero in operibus sancti Cypriani, quorum nulla reperiuntur antiqua exemplaria in quibus non exstent istiusmodi errores.

II. — *Succedaneos.* Ita veteres editiones et undecim libri veteres. Hoc porro vocabulum exstat apud Plautum, apud quem, prout variant interdum libri veteres, scriptum quandoque reperitur *succidaneos.* Quæ est lectio novem veterum exemplarium sancti Cypriani. Vide A. Gellium, lib. IV, cap. 6.

Sexus arte mutetur. Constitutio Constantii et Constantis in titulo Codicis Theodosiani de adulteris, *ubi sexus perdidit locum.* Seneca, Epist. CXXII : *Non videtur tibi contra naturam vivere qui commutavit cum feminis vestem?* Quintilianus, lib. V, cap. 9, ait signum esse mollis et parum viri si vir muliebrem vestem sumpserit. Portentosam historiam de exoleto Neronis narrat Dio Chrysostomus Orat. XX. Vide Guillelmi Beveregii annotationes in canonem XIII synodi Gangrensis.

Quærat. Quatuor libri veteres habent *acquirat.* Cæterum omnes fere libri veteres sequentia distinguunt ab hoc verbo et alteram periodum inchoant. Quod nos existimavimus esse sequendum.

Vitæ æternæ. Sic emendavimus ex codice Fuxensi et Gratianopolitano, cum antea male legeretur *vitæ suæ.* Infra, Epist. LXXI, pag. 127 : *Quando una sit Ecclesia, quæ vitæ æternæ gratiam consecuta.* Et tamen quidam libri veteres habent *vitæ suæ.*

Frater charissime. Hæc est vera lectio, quam exhibent multa vetera exemplaria manuscripta et antiquæ editiones, etiam Morelliana, et ea quoque quam Simon Goulartius emisit post Pamelianam. At Pamelius, qui *fili* videbat scriptum in Manutiana, ita scripsit in sua. Et hinc ea prava lectio derivata est in editionem Rigaltii et in Anglicanam. Quod ideo visum est admonere ne quis deinceps in hoc fallatur. Nam is qui nuper composuit vitam sancti Cypriani, ea falsa scriptura deceptus, hinc capi posse [172] putavit argumentum ad asserendam dignitatem episcopi Magno, ad quem Epistola LXXVI, scripta est, tamenetsi ibi Cyprianus eum vocet filium, non fratrem, ut solet scribens ad episcopos. Sciebat enim Euchratium fuisse episcopum. Et nihilominus videbat illum appellari filium in calce istius Epistolæ.

EPIST. LXII. — I. *Pomponio*, Episcopo Dionysianensi in provincia Byzacena. Interfuit concilio Carthaginensi sub Cypriano. Concilio Cabarsussitano subscripsit Fortunatus episcopus Dionysianensis. In collatione Carthaginensi inter Catholicos et Donatistas adfuit Victor episcopus Dionysianensis Donatista, qui profitetur se non habere adversarium. Quamquam id negatum est statim ab Aurelio episcopo Macomadiensi catholico.

Cum presbyteris. In uno libro meo veteri legitur *presbyteris Romanis.*

Cum semel statum. Restituimus lectionem veterum

Digitized by Google

sint asseverare se integras esse. Circa quam rem, A quoniam consilium nostrum desiderasti, scias nos ab evangelicis et apostolicis traditionibus non recedere quominus fratribus et sororibus nostris constanter et fortiter consulatur [a], et per omnes utilitatis et salutis vias ecclesiastica disciplina servetur [b], cum Dominus loquatur et dicat : *Et dabo vobis pastores secundum cor meum, et pascent vos pascentes cum disciplina* (*Hier.* III, 15); et iterum scriptum sit, *Disciplinam qui abjicit infelix est* (*Sap.* III, 11); et in Psalmis quoque Spiritus sanctus admoneat et instruat dicens : *Continete disciplinam, ne forte irascatur Dominus, et pereatis a via recta, cum exarserit cito ira ejus super vos* (*Psal.* II, 12).

et ætas adhuc lubrica per omnia frænari a nobis et regi debent, ne diabolo insidienti et sævire cupienti ad nocendum detur occasio, quando et Apostolus dicat : *Nolite locum dare diabolo* (*Ephes.* IV, 27). Liberanda est vigilanter de periculosis locis navis, ne inter scopulos et saxa frangatur. Exuenda est velociter de incendio sarcina prius quam flammis supervenientibus concremetur; nemo diu tutus [c] est periculo proximus; nec evadere diabolum [d] servus Dei poterit, qui se diaboli laqueis implicavit. Intercedendum est cito talibus ut separentur dum adhuc separari innocentes possunt, quia dividi postmodum nostra intercessione non poterunt postea quam conscientia gravissima cohæserunt. Denique, quam graves multorum ruinas hinc fieri videmus, et per hu-

II. Primo igitur in loco, frater charissime, et præpositis et plebi nihil aliud elaborandum est quam ut B jusmodi illicitas et periculosas conjunctiones corqui Deum timemus, cum omni observatione disciplinæ divina præcepta teneamus, nec patiamur errare fratres nostros et pro arbitrio et ructu suo vivere, sed ad vitam singulis fideliter consulere, nec pati virgines cum masculis habitare; non dico simul dormire, sed nec simul vivere, quando et sexus infirmus

rumpi plurimas virgines cum summo animi nostri dolore conspicimus. Quod si ex fide se Christo dicaverunt, pudicæ [e] et castæ sine ulla fabula perseverent, et ita fortes et stabiles præmium virginitatis expectent. Si autem perseverare nolunt vel non possunt, melius est ut nubant quam in ignem delictis

LECTIONES VARIANTES.

[a] Fortiter consuleremus per *Lin.*
[b] Per omnes vias ecclesiasticæ disciplinæ *Bod.* 1, 2. Omnes utilitates et salutes ecclesiasticæ disciplinæ *Ebor. Lam. N C.* 1.
[c] Diuturnus *Bod.* 1.
[d] Diaboli manus *Lin. NC.* 2.
[e] Si pudice *Bod.* 2.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

libronum quibus nos usi sumus. Sic etiam in uno Bodleiano legi testatur editio Anglicana. Rigaltius ediderat, *cum in statu suo esse et continentiam firmiter tenere decreverint.* Quam lectionem ego in exemplari C meo editionis Manutianæ vidi scriptam in margine et illic adnotatum eam esse ex codice Veronensi, cum quo consentire etiam videtur Fuxensis, in quo sic legitur, *cum semel in statu essent, continentiam firmiter tenere decreverint.*

II. — *Ructu.* Antea legebatur *fructu*, non solum in editionibus, sed etiam in libris antiquis. Rigaltius monuit scriptum esse *ructu* in Veronensi, eamque lectionem pronuntiavit esse verissimam. Ego contra putabam esse falsissimam. Quid enim, aiebam, commune arbitrio cum ructu, quo res inhonesta significatur, quam Stoici, ut Cicero testatur, æquo passu incedere volebant cum crepitu; Columella, lib. VI, cap. 6, cum sonitu ventris; Hieronymus, in Epistola *ad Principiam virginem* et in libro II *adversus Jovinianum* cum crepitu ventorum qui oritur ex ventre pleno et exæstuanti? Conjiciebam itaque legendum fortean esse *cum arbitrio et ritu*, ut apud Hieronymum in libro II *adversus Jovinianum*, vel *nutu*, ut apud T. Livium, lib. IV : *sub nutu atque arbitrio*, et apud Cy- D prianum Epist. LXIX, ubi legitur Christum Ecclesiam gubernare suo arbitrio et nutu. Sed cum animadvertissem vocabulum *ructus* in eodem sensu positum esse a Pontio diacono *in Vita sancti Cypriani*, amplexus sum lectionem quam Rigaltius ait esse verissimam. Hæc sunt verba Pontii : *Absit ut malum hoc intra conscientiam religiosæ mentis admittam ut de tam beatissimo Martyre ructus hominis judicaret.*

Virgines cum masculis. Hieronymus in Epistola ad Paulum Concordiensem : *Unum miser locutus, quod virgines sæpius debirent cum mulieribus esse quam cum masculis, totius oculos urbis offendi, cunctorum digitis notor.* Vide Homiliam sancti Joannis Chrysostomi adversus eos qui apud se virgines subintroductas habent, itemque ejusdem Homiliam; Quod regulares fœminæ viris cohabitare non debeant.

Exuenda est. Costerius, ut testatur Pamelius, existimabat legendum esse *eruenda*, uti ego reperi in duobus libris veteribus optimis. Sed hanc conjecturam pluribus argumentis refellit Gronovius, cap. XIV *Observationum* suarum in Scriptoribus ecclesiasticis.

Periculo proximus. Hieronymus, in Epistola ad Paulam de interpretatione alphabeti Hebraici : *Nemo, ut beatus Cyprianus ait, salis tutus periculo proximus.* Idem in Epistola de Vitando suspecto Contubernio : *Securius est perire posse quam juxta periculum non perisse.*

Ut separentur. Nescio quo modo factum est ut hæc verba et ea quæ sequuntur, *postea quam conscientia gravissima cohæserat*, omissa sint in editione Rigaltii, cum exstent in omnibus anterioribus editionibus et in omnibus libris nostris veteribus, tum etiam in sex Anglicanis. Quo magis mirum est Anglos eam quoque partem omisisse in sua editione. Vetus codex Remigianus et Fuxensis habent *conscientiæ glutino cohæserunt.* Hieronymus in Epistola *de Vitando suspecto Contubernio : Si peccatorum vos existimarem glutino cohæsisse.*

[a] *Sine ulla fabula.* Id est re passim vulgata, ut ait Varro libro V, *de Lingua Latina.* Horatius, *Satyra* I :

Mutato nomine de te
Fabula narratur.

Petronius in Historia matronæ Ephesinæ : *Una igitur in tota civitate fabula erat.* Apulcii *Apologia : Mulier sancte pudica, tot annis viduitatis sine culpa, sine fabula.* Ovidius lib. II *Tristium :*

Strinxerit ut nomen fabula nulla tuum.

Lib. IV, *Eleg.* 10 :

Nomine sub nostro fabula nulla fuit.

Amorum lib. III, Eleg 1 :

Fabula, nec sentis, tota jacteris in urbe.

Lib. II *de Arte amandi :*

Ut quamque attigeris, fabula turpis erit.

Possem multa similia exempla proferre. Sed ista sufficiunt.

Melius est ut nubant. Inde ansam sumunt Prote-

Digitized by Google

suis [a] cadant. Certe nullum fratribus aut sororibus scandalum faciant, cum scriptum sit : *Si cibus scandalizat fratrem, non manducabo carnem in sæculum* [b], *ne fratrem scandalizem* (I *Cor.* VIII, 13).

III. Nec aliqua putet se posse [c] hac excusatione defendi quod et inspici et probari possit an virgo sit, cum et manus obstetricum et oculi sæpe fallantur, et si incorrupta inventa fuerit [103] virgo ea parte sui qua mulier potest esse, potuerit tamen ex alia corporis parte peccasse quæ corrumpi potest et tamen inspici non potest. Certe ipse concubitus, ipse complexus, ipsa confabulatio et inosculatio, et conjacentium duorum turpis et fœda dormitio, quantum dedecoris et criminis confitetur! Si superveniens maritus spon-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Pro delictis *Lam. Ebor. NC.* 1.
[b] In æternum *Lam. Ebor. Bod.* 2. *Lin.*
[c] Posse *deest in Oxon.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

stantes declamitandi adversus vota. Sed si ex verbis Cypriani sequitur tolerata olim in nonnullis ecclesiis fuisse virginum connubia, probata fuisse minime sequitur. Nam S. Augustinus, qui de nonnullis virginibus ait, *melius nuberent quam urerentur*, lib. *de Virginit.*, cap. 34, probat ex Scripturis *non solum capessere nuptias, sed etiamsi non nubatur, nubere velle damnabile* esse virginibus, lib. *de Bono Viduitatis*, cap. 9. Sed sancti Doctoris verba referenda sunt. *Multas*, inquit in lib. *de Virginit.* cap. 34, *earum revocat a nubendo, non amor præclari propositi, sed aperti dedecoris timor, veniens et ipse de superbia, qua formidatur magis hominibus displicere, quam Deo. Hæc igitur quæ nubere volunt, et ideo non nubunt quia impune non possunt, quæ melius nuberent quam urerentur, id est, quam occulta flamma concupiscentiæ in ipsa conscientia vastarentur, quas pœnitet professionis et piget confessionis, nisi correctum cor dirigant, et Dei timore rursus libidinem vincant, in mortuis deputandæ sunt.* Et in libro *de Bono Viduitatis*, cap. IX : *In conjugali quippe vinculo si pudicitia conservatur, damnatio non timetur : sed in viduali et virginali continentia, excellentia muneris amplioris expetitur; qua expetita et electa et voti debito oblata, jam non solum capessere nuptias, sed etiamsi non nubatur, nubere velle damnabile est. Nam ut hoc demonstraret Apostolus, non ait*, cum in deliciis egerint, in Christo *nubunt, sed*, nubere volunt : habentes, *inquit*, damnationem; quoniam primam fidem irritam fecerunt : *etsi non nubendo, tantum volendo : non quia ipsæ nuptiæ vel talium damnandæ judicantur, sed damnatur propositi fraus, damnatur fracta voti fides, damnatur non susceptio a bono inferiore, sed ruina ex bono superiore : postremo damnantur tales, non quia conjugalem fidem posterius inierunt, sed quia continentiæ primam fidem irritam fecerunt* (I *Tim.*, v, 11, 12). Quam non violabilia vota crediderit Cyprianus perspici potest ex hac ipsa epistola, et ex sexagesima et libro *de Habitu Virginum*. Corruptas virgines non mariti sed Christi adulteras esse declarat, pag. 103 et 172. Hinc eis tam gravem pœnitentiam imponendam esse duxit. Eas sese Christo dicavisse et tam carne quam mente Deo vovisse docet, pag. 174, eorumque membra Christo dicata esse, et in æternum continentiæ honore pudica virtute devota, pag. 100.

III. — *Oculi sæpe fallantur.* Sic antiquæ editiones, septem vetera exemplaria nostra, et duo Anglicana. Alia duo nostra et duo item Anglicana habent *oculos sæpe fallat.* Alia sex nostra et editio Manutii, *oculus sæpe fallatur.* Notum est illud : *Frons, oculi, vultus persæpe mentiuntur.*

Mulier potest esse. Mulieris nomen generale est et in universum significat feminas expertas venerem et inexpertas, id est virgines. Hinc illud Hieronymi in Epistola de vitando suspecto Contubernio : *Mulieres cito senescunt, præsertim quæ juxta viros sunt.* Ad quam rem apposite Ovidius, lib. III *de Arte amandi :*

> Adde quod et partus faciunt breviora juventæ
> Tempora.

Attamen sæpe vocabulum mulieris sumitur pro iis tantum quæ viros expertæ sunt, ut istic et apud Tertullianum, in libro *de Virginibus velandis*. Quintilianus, lib. VI, cap. 1, tradit Ciceronem, cum eum quidam objurgarent quod sexagenarius Popilium virginem duxisset, respondisse : *Cras mulier erit.* Ulpianus, in lib. *Alioquin* Dig. *de contrah. empt.* ait : *Quid si ego me virginem emere putarem, cum esset mulier, emptio valebit. In sexu enim non est erratum.* Lactantius, lib. I, cap. 17 : *Si virgo fuit primo, postea mulier.* Hieronymus in libro *adversus Helvidium*, in primo libro *adversus Jovianum*, et in Epistola ad Eustochium *de Virginitate* servanda, refert locum Pauli apostoli ex capite septimo prioris Epistolæ ad Corinthios, ubi pro eo quod in editione Vulgata scriptum est, *mulier innupta et virgo*, vetus interpres posuit : *Divisa est virgo et mulier.* Atque hunc locum ex illa veteri versione citat etiam Tertullianus in libro *de Virginibus velandis.* Ex quo apparet veterem hunc interpretem mulierem vocasse eam quæ virgo non est. Idem sensit sanctus Ambrosius, seu quis alius, lib. III *Offic.* cap. 8, scribens, *mulieres suas et pueros direptioni futuros.* Optatus Milevitanus, lib. II : *Inde revertentes Urbanus Formensis et Felix* [47b] *Idicrensis invenerunt matres quas de castimonialibus fecerant mulieres.* Hinc *nova mulier* apud Catullum in carmine *de Attine.* M. Cato, apud A. Gellium, lib. XVII, cap. 6. Voconiam legem suadens his verbis usus est : *Principio vobis mulier magnam dotem attulit.* Hieremiæ cap XV : *Mulieres in Sion humiliaverunt et virgines in civitatibus Juda.* Nos Lemovices etiamnum mulierem, *Moulier*, vocamus feminam in matrimonio constitutam, deducto videlicet vocabulo a voce latina. *mollier*, quam Varro apud Lactantium, cap. 12 *de Opificio Dei*, ait ita vocatam a mollitie. Itali dicunt *moglie.* Vide to. II *Capitularium* p. 796.

Corrumpi possit. Ita omnes editiones et omnes fere libri nostri veteres, tum etiam tres Anglicani. Tres tamen habent *violari.* Vocem autem istam primus in contextum Cypriani intulit Rigaltius. Emendationem nostram esse bonam hinc quoque colligi potest quod paulo supra in hac epistola scriptum est, *corrumpi plurimas virgines.*

Inosculatio. Hæc est lectio veterum editionum et septem exemplarium, quam puto esse bonam, quamvis eam, quod sciam, non agnoscant antiqui Latini. Nam eo modo dici potest inosculatio quo videmus antiquos vocasse inoculationem genus insitionis quæ fit per implastrationem; cum oculus unius arboris alteri adhibetur, seu oculus in arbore aperitur, ut videre est apud Plinium et Columellam. Sic inosculatio est applicatio osculi ad osculum. Manutius et qui postea secuti sunt posuerunt *osculatio.* Quam lectionem ego reperi in septem libris veteribus. Hieronymus, lib. I adversus Rufinum : *Hebræi juxta linguæ suæ proprietatem dèosculationem pro veneratione ponunt.* Ecce in Hieronymo vocabulum æque rarum in lingua latina ac inosculatio.

Si superveniens maritus. Apud Xenophontem, lib. V de Pædia Cyri : *Si quis uxori suæ ita morem gereret ut illam faceret magis amicam quam tibi, num te hoc beneficio lætum redderet?* Vide quæ in simili argumento dixit Venantius a Timisa in concilio Carthaginensi sancti Cypriani, p. 335.

Digitized by Google

sam suam jacentem cum altero videat, nonne indignatur et fremit et per zeli dolorem fortassis et gladium in manum sumit? Quid Christus et Dominus et judex noster, cum virginem suam sibi dicatam et sanctitati suæ destinatam jacere cum altero cernit, quam indignatur et irascitur, et quas pœnas incestis ejusmodi conjunctionibus comminatur, cujus ut gladium spiritalem et venturum judicii diem unusquisque fratrum possit evadere omni consilio providere et elaborare debemus? Et cum omnes omnino disciplinam tenere oporteat, multo magis præpositos et diaconos curare hoc fas est, qui exemplum et documentum cæteris de conversatione et moribus suis præbeant. Quomodo enim possunt integritati et continentiæ præesse, si ex ipsis incipiant corruptelæ et vitiorum magisteria procedere?

IV. Et idcirco consulte et cum vigore fecisti, frater charissime, abstinendo diaconum qui cum virgine sæpe mansit, sed et cæteros qui cum virginibus dormire consueverant. Quod si pœnitentiam hujus illiciti concubitus sui egerint et a se invicem recesserint, inspiciantur interim virgines ab obstetricibus diligenter; et, si virgines inventæ fuerint, accepta communicatione, ad Ecclesiam admittantur, hac tamen interminatione, ut si ad eosdem masculos postmodum reversæ fuerint, aut si cum eisdem in una domo et sub eodem tecto simul habitaverint, graviore censura ejiciantur, nec in Ecclesiam postmodum tales facile recipiantur. Si autem de eis aliqua corrupta fuerit deprehensa, agat pœnitentiam plenam, quia quæ hoc crimen admisit, non mariti, sed Christi adultera est, et ideo æstimato justo tempore postea, exomologesi facta, ad Ecclesiam redeat. Quod si obstinate perseverant, nec se ab invicem separant, sciant se cum hac sua impudica obstinatione numquam a nobis admitti in Ecclesiam posse, ne exemplum cæteris ad ruinam delictis suis facere incipiant. Nec putent sibi vitæ aut salutis constare rationem si episcopis et sacerdotibus obtemperare noluerint, cum in Deuteronomio Dominus Deus dicat:

STEPH. BALUZII NOTÆ.

Zeli dolorem. Ita omnes libri veteres et omnes editiones. Rigaltius posuit *livorem*, eamque lectionem retinuerunt Angli, quamvis fateantur *dolorem* legi in octo codicibus antiquis. Illud tamen moneo, codicem Veronensem et Fuxensem habere *livorem*. Hinc ergo accepit Rigaltius.

Præpositos et diaconos. Vulgo Cyprianus præpositorum vocabulum adaptat episcopis. Heic tamen videtur loqui de presbyteris, conjungens eos cum diaconis. Clarius infra, Epist. LXV, pag. 113: *Meminisse autem diaconi debent quoniam Apostolos id est episcopos et præpositos Dominus elegit.* Certe presbyteri gubernabant Ecclesiam cum episcopo. Testis Cyprianus, qui nihil quod esset alicujus momenti agebat nisi coacto presbyterio. Clerus Romanus sic de se loquitur, pag. 7: *Et cum incumbat nobis, qui videmur esse præpositi et vice pastoris custodire gregem.* Sic etiam Celerinus loquens de clero Romano: *Quarum jam causa audita, præceperunt eas præpositi tantisper sic esse donec episcopus constituatur.* Cyprianus in Epistola XI, quæ est ad Martyres et Confessores, eadem voce clerum suum designat. *Sed præpositorum est*, inquit, *præceptum tenere et vel properantes, vel ignorantes instruere, ne qui ovium pastores esse debent, lanii fiant.* Presbyteri vocantur etiam sacerdotes a Cypriano, velut cum ait, in Epistola XXXV, pag. 49. Numidicum in vita remansisse, ut eum Dominus clero Carthaginensi adjungeret, et desolatam per lapsum quorumdam presbyterorum copiam gloriosis sacerdotibus adornaret. Vide *Epistolam* XL, pag. 53.

IV.—*Diaconum qui cum virgine.* Vide epistolam Hieronymi *ad Sabinianum diaconum.*

Inspiciantur interim. Ita etiam apud Ivonem, par. VII, cap. 128. Sed apud Gratianum, XXVII, q. I, cap. *Quid si pœnitentiam*, legitur *iterum*. At glossa monet alibi legi *interim* quæ est vera lectio.

Inspiciantur virgines. Cum omnia quæ ad virgines spectant debeant esse casta et pudica, miror eam mentem sedisse interdum antiquis ut juberent eas inspici per obstetrices, ut sciri posset an virgines essent, ut fecit sanctus Cyprianus. Immo eo usque audaciæ olim processum est ut, teste Clemente Alexandrino in libro septimo *Stromatum*, quidam dicerent Mariam virginem, postquam peperisset, inspectam ab obstetricibus, inventam fuisse virginem. Adversus hanc fabulam vehementer exardescit Matthæus Bossus, libro primo, Epist. LXXVII, *ad Polycletum*. Hunc tamen morem diu retentum fuisse in Ecclesia Dei facile probari potest. Sanctus Ambrosius, in Epistola *ad Syagrium episcopum* narrat historiam Indiciæ virginis Veronensis; quæ cum accusata fuisset impudicitiæ, [478] et Syagrius eam ab obstetricibus inspici et videri vellet, rejecta est ejus postulatio, cum bonis testimoniis probatum fuisset illam inoffensi virginem muneris esse. Sanctus Augustinus, lib. III de Civitate Dei cap. 18: *Obstetrix virginis cujusdam integritatem manu velut explorans, sive malevolentia, sive inscitia, sive casu, dum inspicit, perdidit.* Nam *inspectio ipsa sæpe etiam falsum deprehendit*, ut ait Quintilianus, lib. V. cap. 6. Recte itaque Rigaltius ad hunc locum sancti Cypriani dixit inspectionem virginum esse turpe negotium et virginitatem occidi inter manus obstetricum. Ars enim obstetricum est valde obscura et incerta in rebus istis; et Laurentius Joubertus, lib. V *Errorum popularium* cap. 4, contendit nihil certi statui posse ex inspectione ejus partis qua virgo mulier esse potest. Victor Vitensis, lib. II, cap. 7, loquens de persecutione Hunerici regis Vandalorum: *Præcepit deinde sacras virgines congregari, dirigens Vandalos cum suæ gentis obstetricibus ad inspicienda et contrectanda contra jura verecundiæ verecunda pudoris.* Vide Matthæum Bossum, in Epistola ad Polycletum paulo ante laudata. Vide etiam caput *Proposuisti* in titulo Decretalium de Probationibus.

Sub eodem tecto. Hieronymus in Epistola de Vitando suspecto Contubernio: *Separentur domus vestræ, dividaturque convivium, ne maledici homines sub uno tecto vos manentes lectulum quoque criminentur habere communem.*

Habitaverint. Codex Fuxensis, *habitare voluerint.*

Postmodum tales facile. Ita octo libri nostri veteres, quinque Anglicani, et veteres editiones. Vox *tales* deest in sex aliis vetustis exemplaribus. Major pars veterum exemplarium et editionum persuasit ut eam reponeremus.

Aliqua corrupta. Veteres editiones et sex vetera exemplaria habent *aliquæ corruptæ.* Vetus Remigianum et Fuxense, *aliquæ contumaces fuerint.* Ita etiam Pithœanum. Sed in isto supra vocem *contumaces* scriptum est per speciem emendationis *corruptæ.* Lectio quæ habet *contumaces* adjuvari potest ex iis quæ paulo post sequuntur, *superbi et contumaces necantur.*

Digitized by Google

Et homo quicumque fecerit in superbia, ut non exaudiat A *sacerdotem aut judicem quicumque fuerit in diebus illis, morietur homo ille, et omnis populus eum audierit timebit, et non agent impie etiam nunc* (*Deut.* XVII, 12, 13). Interfici Deus jussit sacerdotibus suis non obtemperantes et judicibus a se ad tempus constitutis non obaudientes [a]. Et tunc quidem gladio occidebantur, quando adhuc et circumcisio carnalis manebat. Nunc autem, quia circumcisio spiritalis esse apud fideles servos Dei cœpit, spiritali gladio superbi et contumaces necantur dum de Ecclesia ejiciuntur. Neque enim vivere foris possunt, cum domus Dei una sit, et nemini salus esse nisi in Ecclesia possit. Indisciplinatos autem perire, dum non audiunt nec obtemperant salubribus præceptis, testatur Scriptura divina quæ dicit : *Non diligit indisciplinatus* B *castigantem se. Qui autem oderunt correptiones, consumentur turpiter* (*Prov.* XV, 12, 10).

V. Ergo, ne indisciplinati consumantur et pereant da operam, frater charissime, et, quantum potes, consiliis salutaribus [b] fraternitatem regas et singulis ad salutem suam consulas. Arcta et angusta est via per quam ingredimur ad vitam, sed summus et magnus est fructus cum [ad] pervenimus ad gloriam [c]. Qui se semel castraverunt propter regnum cœlorum, Deo per omnia placeant, nec sacerdotes Dei aut Ecclesiam Domini scandalo suæ pravitatis offen- C dant [d]. Et si ad præsens a nobis quidam ex fratribus nostris contristari videntur, nos tamen in salutari persuasione maneamus, scientes et Apostolum dixisse: *Ergo ego inimicus factus vobis sum verum dicens vobis* (*Gal.* IV, 16)? Quod si obtemperaverint nobis, lucrati sumus fratres, et eos ad salutem pariter et dignitatem nostro sermone formavimus. Si autem quidam de perversis obtemperare noluerint, sequamur eumdem Apostolum dicentem : *Si hominibus placerem, Christi servus non essem* (*Gal.* I, 10). Si quibusdam suadere non possumus ut eos Christo placere faciamus, nos certe, quod nostrum est, Christo Domino et Deo nostro, præcepta ejus servando, placeamus. Opto te, frater charissime ac desideratissime, in Domino bene valere.

EPISTOLA LXIII.

(Erasm., II, 3. Pamel., Rigalt., Baluz., LXIII. Paris., LXII Oxon., Lips., LXIII.)

AD CÆCILIUM DE SACRAMENTO DOMINICI CALICIS.

ARGUMENTUM. — *Docet Cyprianus, contra aquarios, in calice Dominico non aquam solam, sed vinum aqua mixtum esse offerendum; per eam in Scripturis Baptismum, minime vero Eucharistiam designari. Typis ex Veteri Testamento sumptis, usus viii in Sacramento corporis Dominici illustratur, popu-*

LECTIONES VARIANTES.

[a] Judicii sui sic tempus constituit non obedientibus et *Bod.* 1.

[b] Salubribus *Lam. Ebor.*

[c] Fructus pervenientis ad gloriam *Bod.* 1.

[d] Scandalo se fratribus offerant *Lam. Bod.* 2. *NC.* 1.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

Salubribus præceptis. Veteres editiones et duo libri veteres præferunt *consiliis salutaribus.* At omnes alii libri habent *præceptis.* Post verbum *salubribus* nihil aliud ex ista epistola exstat in codice sancti Arnulphi, et eorum quæ desunt loco adjecta sunt consequenter duo fragmenta aliarum epistolarum, unum nimirum ex Epistola LXIV, *ad Epictetum*, et aliud ex Epistola LXXI, *ad Stephanum* usque ad finem.

V. — *Ingredimur.* Rigaltius posuit *gradimur*, ex libro nimirum Veronensi, cum quo consentit etiam Fuxensis. Vetus Remigianus habet *graditur.* Veram lectionem quam nos revocavimus exhibent omnia alia vetera exemplaria, septem Anglicana, et omnes D editiones Rigaltiana antiquiores. Recte itaque fecit Reinhartus retinens lectionem veterum editionum. Angli thalberunt *gradimur.*

Lucrati sumus fratres. Ista non reperi nisi in tribus codicibus antiquis. Alii, id est quatuordecim nostri et septem Anglicani, ita ferme habent, *gratissimum est nobis. Stare eos ad salutem pariter nostro sermone formavimus.* Difficile est inter ista constituere quid scripserit Cyprianus. Ego, si licet conjecturam facere, existimarem legendum esse ut in antiquis libris et editionibus : *Quod si obtemperaverint, gratissimum est nobis. Stantes eos ad salutem pariter dignatione nostri sermonis formavimus.*

Christo Domino. Hanc lectionem præferunt septem vetera exemplaria. Alia octo et quatuor Anglicana habent *Christi Domini et Dei nostri præcepta servantes placeamus.*

EPIST. LXIII. — Sanctus Augustinus citat hanc epistolam et ex ea magnum fragmentum affert lib. IV *de Doctrina christiana*, cap. 21. Ac sicut dixerat Cypriani Epistolam *ad Donatum* ornatum esse spumeo verborum ambitu, sic istam ait scriptam esse submisso dicendi genere. Contra Goulartius putat Cyprianum istic vehementem fuisse.

I. — *Ad Cæcilium.* Quamvis id quod dicturus sum videri possit aliquibus exigui momenti, dicam tamen. Posteditum librum Lactantii *de Mortibus Persecutorum* fuere qui disputarent [476] an Cæcilii nomen scribendum esset cum diphthongo vel sine diphthongo. Ego vero aio plurimos veteres operum sancti Cypriani codices, et in his etiam Seguierianum omnium nostrorum vetustissimum, plures inscriptiones antiquas, et nummos veteres habere diphthongum. Novæ tamen hujus disputationis præsidio fretus vir clarissimus, qui nuper nova editione donavit hunc librum Lactantii, hoc illius nomen scripsit absque diphthongo, ea de causa quod ita scriptum videbat in veteri codice ex quo liber ille emissus est in publicum, non animadvertens plurimos sæpe errores contra orthographiam admissos esse a veteribus librariis et in antiquis inscriptionibus et nummis. Contendit autem vir optimus, ut id quoque dicam, librum illum non esse Lactantii, quia nomen ejus non habetur in veteri libro, omissum videlicet a librario festinante qui, ut in simili causa dixit Sirmondus vir istarum rerum peritissimus, cum omnia scriptoris istius nomina brevitatis studio describere nollet, pro ultimo, quod proprium erat, id potius imperite delegit quod primo loco occurrebat. Cum hanc viri celeberrimi observationem, qua ego usus eram, non inveniret novus ille editor in Sidonio Sirmondi, me in suspicionem malæ fidei trahere voluit, tamquam si falso usus essem auctoritate Sirmondi et id probarem quod susceperam probandum, non facturus haud dubie si legisset brevem istius præfationem de nominibus propriis mediæ ætatis editam in initio notarum ad Sidonium. Vellem autem ut vir doctissi-

Digitized by Google

lumque christianum per aquæ symbolum intelligi declaratur.

I. Cyprianus Cæcilio fratri salutem. Quamquam sciam, frater charissime, episcopos plurimos, ecclesiis Dominicis in toto mundo divina dignatione præpositos, evangelicæ veritatis ac Dominicæ traditionis tenere rationem, nec ab eo quod Christus magister et præcepit et gessit humana et novella institutione [a] decedere; tamen, quoniam quidam, vel ignoranter vel simpliciter, in calice Dominico sanctificando et plebi ministrando non hoc faciunt quod Jesus Christus Dominus et Deus noster, sacrificii hujus auctor et doctor fecit et docuit, religiosum pariter ac necessarium duxi has [b] ad vos litteras facere; ut, si quis in isto errore adhuc tenetur [c], veritatis luce perA specta, ad radicem atque originem traditionis Dominicæ revertatur. Nec nos putes, frater charissime, nostra et humana conscribere aut ultronea voluntate hoc nobis audacter assumere, cum mediocritatem nostram semper humili et verecunda moderatione teneamus. Sed quando aliquid Deo inspirante et mandante præcipitur, necesse est Domino servus fidelis obtemperet, excusatus apud omnes quod nihil sibi arroganter assumat, qui offensam Domini timere compellitur, nisi faciat quod jubetur.

II. Admonitos autem nos scias [d] ut in calice offerendo Dominica traditio servetur, neque aliud fiat a nobis quam quod pro nobis Dominus prior fecerit, ut calix qui in commemorationem ejus offertur, mixtus vino offeratur. Nam cum dicat Christus, *Ego*

LECTIONES VARIANTES.

[a] Humanam et novellam institutionem *Bod.* 3, 4.
[b] Duxi de hoc *Lam. NC.* 1, *Bod.* 1, 2, 3, 4.
B
[c] Tenebratur *NC.* 2. *Vat.*
[d] Vos scialis *August.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

mus et optimus Christophorus Matthæus Pfaffius non scripsisset in præfatione ad editionem Epitomes Lactantii, nullum antiquum codicem operum Lactantii habere nomen Lucii Cæcilii. Nam ego diu ante quam ista editio Epitomes prodiret monueram exstare hoc Lutetiæ in bibliotheca regia duos antiquissimos codices, in quorum uno vocatur Lucius Cæcilius, in alio Lucius Cælius. Quod eodem redit.

Cæcilio fratri. Episcopo, ut reor, Biltensi in provincia proconsulari. Quippe Cæcilius a Bilta interfuisse reperitur concilio Carthaginensi sub Cypriano. Alius est Cæcilius presbyter qui Cyprianum ad agnitionem veræ divinitatis a sæculari errore corC rexit. Illum enim e vivis excessisse ante Cyprianum, cui conjugem ac liberos suos de sæculo excedens commendavit, planum est ex libro quem Pontius diaconus scripsit de Vita Cypriani. Hanc historiam in contrarium convertit Baronius aiens, Pontii testimonio male usus, Cyprianum, cum Christi religionem amplexus esset, charissimam conjugem et dulcissimos liberos commendasse Cæcilio presbytero. Idem Baronius existimavit hunc presbyterum fuisse aliquando magistrum Diadumeni Imperatoris. Verum hanc illius opinionem non posse esse veram ostendit vir doctissimus Pearsonius in annalibus Cyprianicis.

Has ad vos. Melius, ut opinor, in libro Beccensi, *de hoc ad te.* Nondum videram hunc librum cum ista epistola excudebatur.

Nostra et humana. Hanc lectionem præfert codex Seguierianus. Carnotensis et editio Morellii, *nostra et humana mente.* Fuxensis, *hac humana mente*, omissis illis *nostra et*, quæ etiam desunt in Corbeiensi D et in Turonensi. Beccensis, *nostra et humana conscientia.* Bodleiani duo, *humana et novellam institutionem.* Vide observationes Rigaltii.

Tenetur. Non adnotassem varias hujus loci lectiones quæ reperiuntur in vetustis exemplaribus, nisi Rigaltius monuisset legisse se in quibusdam libris veteribus *tenebratur*, eamque lectionem prætulisset vulgatæ. Invenit autem illam in margine editionis Manutianæ, ubi quidam studiosus adnotavit varias lectiones ex codicibus Italiæ, et monuit *tenebratur* scriptum esse in Vaticanis duobus. At ego, qui tot vetera exemplaria contuli cum operibus Cypriani, in duobus tantum inveni *tenebratur.* Omnia alia habent *tenetur*, *teneretur*, *tenebatur*, aut *teneantur.* Ceterum arbitror nemini placere posse opinionem Rigaltii. Cicero in Oratione de Consulatu suo dixit: *Nescio quis me tenet error.* Et in Oratione pro Marcello: *Etsi aliqua culpa tenear erroris humani.* Ovidius lib. III. Metamorphoseon,

Tantus tenet error amantem.

Virgilius lib. X. Æneidos dixit teneri malo errore.

Quando aliquid. Fragmentum istud refert Paschalis II Papa in Epistola ad Pontium abbatem Cluniacensem, quæ edita est in tomis Conciliorum.

Inspirante. Ita antiquæ editiones. Vocem *aspirante*, quam Rigaltius substituit, non alibi reperi. Angli, tametsi viderent in codicibus suis antiquis scriptum esse *inspirante*, retinuerunt editionem Rigaltii. Reinhartus rejecit. Exstat in epistola papæ Paschalis.

[477] II. —*Commemorationem.* Ita veteres editiones Manutiana antiquiores, sex libri nostri veteres, et quinque Anglicani, tum etiam Rhabanus, lib. I *de Institutione Clericorum*, cap. 31, ubi refert hunc Cypriani locum. Recte, ut opinor. Nam in capite XXII Evangelii *secundum Matthæum* et in capite XI prioris Epistolæ beati Pauli *ad Corinthios* Christus, cum institueret sacramentum Eucharistiæ, dixisse fertur discipulis suis: *Hoc facite in meam commemorationem.* Dissimulandum tamen non est lectionem Manutii, id est *commemoratione*, inveniri in octo libris veteribus. Pamelius et Reinhartus posuerunt *commemorationem*, Rigaltius *commemoratione.* Et tamen idem Rigaltius in calce istius epistolæ, ubi ista repetuntur, bis scripsit *commemorationem.* Angeli retinuerunt lectionem Rigaltii.

Mixtus vino offeratur. Concilium Carthaginense III, canone 24: *Ut in sacramento corporis et sanguinis Domini nihil amplius offeratur quam Dominus tradidit, hoc est panis et vinum aquæ mixtum.* Vinum autem poni debet in majori quantitate quam aqua, ut scribit etiam Richardus archiepiscopus Armachanus, lib. IX, cap. 9, *de Quæstionibus Armenorum.* Quare cum contra fieret olim in regno Succiæ, Honorius Papa III, scribens ad archiepiscopum Upsalensem, vetuit ne deinceps fieret, inquiens id perniciosum, valde esse. Ejus ea de re constitutio exstat in libris *Decretalium* et in quinta compilatione. Vide Emmanuelis Gonzales commentarium in titulum Decretalium *de Celebratione Missarum.* Singularis est constitutio synodalis Didaci Escolani episcopi Majoricensis edita anno 1659, his verbis: *Cum sacrosanctum altaris sacrificium, in quo fons omnis sanctitatis et nitoris retinetur, minus decenter peragatur dum vinum rubrum consecratur, cum sic mundities altaris vix conservari possit, ideo hortamur omnes hujus diocesis presbyteros ut posthac vino albo in celebratione missarum utantur.*

Digitized by Google

sum vitis vera (*Joa.* xv, 1), sanguis Christi non aqua est utique, sed vinum. Nec potest videri sanguis ejus, quo redempti et vivificati sumus, esse in calice quando vinum desit calici, quo Christi sanguis ostenditur, qui Scripturarum omnium sacramento ac testimonio prædicetur [a].

III. Invenimus enim et in Genesi circa sacramentum in Noe hoc idem præcucurrisse et figuram Dominicæ passionis illic extitisse quod vinum bibit, quod inebriatus est (*Gen.* ix, 21), quod in domo sua nudatus est, quod fuit recubans nudis et patentibus femoribus, quod nuditas illa patris a medio filio denotata est et foras nuntiata, a duobus vero, majore et minore, contecta, et cætera quæ necesse non est exequi, cum satis sit hoc solum [105] complecti, quod Noe, typum futuræ veritatis ostendens, non aquam sed vinum biberit, et sic imaginem Dominicæ passionis expresserit.

IV. Item in sacerdote Melchisedech sacrificii Dominici [b] sacramentum præfiguratum videmus, secundum quod Scriptura divina testatur et dicit: *Et Melchisedeh, rex Salem, protulit panem et vinum* (*Gen.* xiv, 18). Fuit autem sacerdos Dei summi, et benedixit Abraham. Quod autem Melchisedech typum Christi portaret, declarat in Psalmis Spiritus sanctus ex persona Patris ad Filium dicens: *Ante luciferum genui te. Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech* (*Psal.* cix, 4, 5). Qui ordo utique hic est de sacrificio illo veniens et inde descendens, quod Melchisedech sacerdos Dei summi fuit, quod panem et vinum obtulit, quod Abraham benedixit. Nam quis magis sacerdos Dei summi quam Dominus noster Jesus Christus, qui sacrificium Deo Patri obtulit, et obtulit hoc idem quod Melchisedech obtulerat, id est panem et vinum, suum scilicet corpus et sanguinem? Et circa Abraham benedictio illa præcedens ad nostrum populum pertinebat. Nam, si Abraham Deo credidit et deputatum est [c] ei ad justitiam (*Gen.* xv, 6.), utique quisquis Deo credit et fide vivit, justus invenitur, et jam pridem in Abraham fideli benedictus et justifi-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Testimonio effusus prædicatur *Oxon.*
[b] Sacramenti Dominici mysterium præfiguratum *Aug.*
[c] Reputatum *NC.* 1, 2. *Ebor.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

1 *Sanguis Christi non est aqua.* Non legerat haud dubie hunc Cypriani locum Innocentius Papa VIII, cum Norvegis permisit ut sacrificium missæ celebrarent sine vino. Quod illum eis concessisse testatur Raphael Volaterranus, lib. VII, pag. 159. *Norvegiæ Innocentii* VIII *pont. concessione permissum sine vino calicem sacrificare, quod ob immensa frigora vinum in ea regione importatum acescat. Cujus rei gratia legatio missa.* In vetusto missali ms. ecclesiæ sancti Martini Turonensis legi sequentia: *Si per negligentiam evenerit ut perlecto canone et peracta consecratione nec vinum nec aqua reperiatur in calice, statim debet infundi utrumque, et sacerdos iterabit consecrationem ab illo loco canonis, scilicet*, Simili modo postea quam cœnatum est, » *usque ad finem, ita tamen ut illas duas cruces omittat quas singulariter fecerit super panem. Quod si de simplici vino vel de aqua sine vino fiat consecratio, vinum reputatur pro sacramento, sed aqua non reputatur. Et ideo ista negligentia de aqua major est et majori pœnitentia emendanda.* Armeni, ut tradit Guido de Perpiniano, aiebant aquam non esse miscendam vino in sacramento altaris, et si aqua ponatur, dicebant nullum sacramentum esse. Hunc eorum errorem confutavit Eugenius Papa IV, apud Odoricum Raynaldum an. 1439, § 15. Etiam lacte pro vino usos esse quosdam antiquitus in sacrificio missæ ostendit Joannes Baptista Casalius in opere *de Veteribus sacris Christianorum Ritibus*, c. 11, ubi tractat de calicis usu. Vide etiam Epistolam Joannis S. R. E. diaconi *ad Senarium* cap. 12, in tomo I Musei Italici Mabillonii, pag. 75, et notas Cotelerii in librum VIII *Constitutionum Apostolicarum*, c. 8.

Vivificati. Unus codex regius et Rhabani editiones habent *justificati*. At duo codices manuscripti bibliothecæ regiæ et Colbertinæ, in quibus habentur libri Rhabani *de Institutione Clericorum*, præferunt *vivificati*. Et hæc est vera lectio.

III.—*Recubans.* Ita veteres editiones et plerique libri veteres et editio Reinharti. Pamelius scripsit *recumbens*, auctoritate sumpta, ut opinor, ex Rhabano. Quippe nullum veterem librum laudat ex quo acceperit hanc lectionem. Rigaltius illam invenit in Corbeiensi. Sane lectio Pamelii, sumpta videlicet, ut dixi, ex Rhabano, habetur in codice 4064 bibliothecæ regiæ et in codice 584 Colbertinæ, in quibus exstat hic Rhabani liber. At codex 4063, ejusdem bibliothecæ regiæ et duo Colbertini sane vetustissimi et optimi, in quibus idem liber exstat, præferunt *recubans*.

Denotata. Ita veteres editiones et plerique libri veteres. In uno regio, in uno item Anglicano, in Gratianopolitano, in Fuxensi, in duobus a Pamelio laudatis, et apud sanctum Augustinum legitur *denudata*, in capite nono Geneseos et apud Rhabanum *nudata*, id est patefacta, revelata. In vetustis tamen Rhabani codicibus scriptum est *notata*. Hieronymus in Dialogo adversus Luciferianos: *Nudatum patrem irrisit major filius et minor texit.* Tertullianus in libro de Cultu Feminarum: *Bonum non amat tenebras, gaudet videri, et in ipsas denotationes exultat*, id est ostensiones, ut recte interpretatur Pamelius. Cassianus, Collat. 12, c. 9: *Si qua forte inverecundius fuerint denudata,* [176] id est denotata. Itaque istic voces *denotatæ* et *denudatæ* habent eamdem significationem. Alio sensu apud Tertullianum lib. I, *ad Nationes* cap. 10, ubi vide notas Gothofredi.

IV.—*Genui te.* Postea sequitur in antiquis editionibus et in quinque antiquis codicibus: *Juravit Dominus et non pœnitebit eum.* Verum ea desunt in aliis codicibus antiquis, etiam in Veronensi et in Seguieriano et apud Rhabanum. Habentur tamen in Psalmo cix, ex quo locus iste sumptus est et in libro primo *Testimoniorum* cap. 17. Manutius expunxit, Morellius reposuit, Pamelius rejecit. Pamelianam editionem secutæ sunt posteriores. Certe absque illo additamento, quod superfluum videtur recte constat sensus. Epistola *ad Demetriadem* edita inter opera Hieronymi, quam quidam viri docti putant esse Pelagii: *Melchisedech sacerdos Dei legitur, cujus meritum ex hoc facile intelligi potest quod multo post futurum Domini Sacramentum ante signaverit ac sacrificio panis et vini mysterium corporis et sanguinis expressit et sacerdotii sui typo Christi Sacramentum figuravit.* Citat autem hunc Cypriani locum Alcuinus in Epistola ad Karolum M. edita in libro primo miscellaneorum nostrorum. De temporali porro sacerdotio Christi vide Matthæum Bossum, lib. I, Epist. 77, *ad Polycletum*.

Digitized by Google

catus ostenditur, sicut beatus apostolus Paulus probat dicens : *Credidit Abraham Deo, et deputatum* [a] *est ei ad justitiam* (*Gal.* III, 6, 7). Cognoscitis ergo quia qui ex fide sunt, hi sunt filii Abrahæ. Providens autem Scriptura quia ex fide justificat gentes Deus, prænuntiavit Abrahæ quia benedicentur in illo omnes gentes (*Gen.* XII, 3). Igitur qui ex fide sunt benedicti sunt cum fideli Abraham. Unde in Evangelio invenimus de lapidibus excitari, id est de gentibus colligi filios Abrahæ (*Matth.* III, 9). Et cum Zachæum laudaret Dominus, respondit et dixit : *Salus hodie domui huic facta est, quia et hic filius est Abrahæ* (*Luc.* XIX, 9). Ut ergo in Genesi per Melchisedech sacerdotem benedictio circa Abraham posset rite celebrari, præcedit ante imago sacrificii Christi, [b] in pane et vino scilicet constituta; quam rem perficiens et adimplens Dominus panem et calicem mixtum vino obtulit, et qui est plenitudo veritatis veritatem præfiguratæ imaginis adimplevit.

V. Sed et per Salomonem Spiritus sanctus typum Dominici sacrificii [c] ante prænonstrans [d] immolatæ hostiæ et panis et vini sed et altaris et Apostolorum faciens mentionem, *Sapientia*, inquit, *ædificavit sibi domum, et subdidit columnas septem. Mactavit suas hostias, miscuit in cratera vinum suum, et paravit mensam suam. Et misit servos suos, convocans cum excelsa prædicatione ad crateram dicens : Qui est insipiens declinet ad me. Et egentibus sensu dixit : Venite, edite de meis panibus, et bibite vinum quod miscui vobis* (*Prov.* IX, 1-5). Vinum mixtum declarat, id est calicem Domini aqua et vino mixtum prophetica voce prænuntiat, ut appareat in passione Dominica id esse gestum quod fuerat ante prædictum.

VI. In benedictione quoque Judæ hoc idem significatur, ubi et illic Christi figura exprimitur, quod a fratribus suis laudari et adorari haberet, quod inimicorum dorsa cedentium atque fugientium manibus, quibus crucem pertulit et mortem vicit, compressurus fuisset, quodque ipse sit leo de tribu Juda, et recubet dormiens [e] in passione, et surgat, et sit ipse spes gentium. Quibus Scriptura divina adjungit et dicit : *Lavabit in vino stolam suam et in sanguine uvæ amictum suum* (*Gen.* XLIX, 11). Quando autem sanguis uvæ dicitur, quid aliud quam vinum calicis Dominici sanguinis ostenditur?

VII. Necnon et apud Esaiam hoc idem Spiritus sanctus de Domini passione testatur dicens : *Quare rubicunda* [106] *sunt vestimenta tua, et indumenta tua velut a calcatione torcularis pleni et percalcati* (*Isa.* LXIII, 2)? Numquid rubicunda vestimenta aqua potest facere, aut in torculari aqua est quæ pedibus calcatur vel prælo exprimitur? Vini utique mentio [f] ideo ponitur ut Domini sanguis intelligatur [g], et quod in calice Dominico postea manifestatum est

LECTIONES VARIANTES.

[a] Reputatum *NC.* 1, 2. *Ebor.*
[b] Sacrificii in pane *Bod.* 1, 2, 3. *NC.* 1, 2. *Lin. Ebor.*
[c] Sacramenti *Lam. Bod.* 2. *Ebor. NC.* 1.
[d] Præmonstrat *Oxon.*
[e] Recubans et dormiens in passione et surgens *Lin.*
[f] Vinum itaque mixtum *Ebor. NC.* 2.
[g] Vino intelligatur *Lam. Bod.* 1, 2, 3, 4. *Ebor. NC.* 1.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

Providens autem. Antiquæ editiones et quinque libri veteres habent *prævidens*. Utraque lecti obona est.

Benedicti sunt. Veteres editiones et quidam libri veteres præferunt *benedicentur*. Verum lectionem vulgatam, quæ nostra etiam est, confirmant editiones Manutii, Morellii, et Pamelii, tum etiam tredecim vetera exemplaria.

Plenitudo veritatis. Ita nos restituimus ex fide trium veterum exemplarium, in quibus sic scriptum est, *plenitudo veritatis veritatem præfiguratæ imaginis adimplevit*. Cyprianus, Epist. 74, p. 171 : *Consuetudo sine veritate vetustas erroris est. Propter quod, relicto errore, sequamur veritatem*, et paulo post, *quam veritatem nobis Christus ostendens in Evangelio suo dixit : Ego sum veritas*. Citatur hic locus apud Gratianum, dist. 8, ex Epistola Gregorii ad Wimundum episcopum Aversanum, itemque alius ex Epistola ad Pompeium. Vide notas nostras ad Gratianum, pag. 443. Redeo nunc in viam. Tertullianus in libro de Virginibus velandis : *Dominus noster Christus veritatem se non consuetudinem nominavit*. Confirmat hanc emendationem nostram codex Fuxensis, in quo ita scriptum est, *qui est plenitudo veritatis præfiguratam imaginem adimplevit*, ubi excidit vocabulum *veritatem*, quod alii codices habent. Vetustum autem esse hunc errorem hinc colligi potest, quod cum nonnulli qui describebant opera sancti Cypriani legerent *præfiguratæ imaginis*, viderent porro periodum non esse integram, addiderunt vocem *rem*, ita scribentes, *veritatis præfiguratæ imaginis rem adimplevit*. Sic enim scriptum est in tribus antiquis exemplaribus. Videntur autem moti ad hanc vocem addendam, quia paulo ante legitur, *quam rem perficiens et adimplens Dominus*.

V. — *Prænonstrans immolatæ.* Vetus codex Remigianus, *prænuntians immolare Christus*.

Subdidit. Ne quid dissimulem, facile mutassem hanc lectionem, eamque prætulissem quam reperi in codice sancti Eligii Attrebatensis, in quo legitur *excidit*. Quo etiam modo scriptum est in capite nono Proverbiorum. Nam vox *subdidit* non significat id quod dicere voluit Salomon. Verum non sum ausus mutare contra tot veterum librorum et editionum auctoritatem, præsertim cum videam scriptum *subdidit* in libro III *Testimoniorum*, et quia Prosper, sive quis alius, in libro II de *Promissionibus et Prædictionibus Dei*, c. 2, ita etiam legit. Sanctus Augustinus, lib. VII *de Civitate Dei*, cap. 20, legit *suffulsit*, et in capite II Epistolæ ad Galatas *substituit*. Quid si istic apud Cyprianum poneretur *subscidit* pro *subdidit*? Vide notas Flaminii Nobilii ad caput IX Proverbiorum.

Mactavit. Quatuor libri veteres habent *occidit*, editio vulgata sacræ Scripturæ *immolavit*. Vide iterum Nobilium.

Servos suos. Ita etiam lib. II Testimoniorum cap. 2. In libro Proverbiorum scriptum est *ancillas suas* in editione vulgata. At in Græco LXX, legitur δούλους.

[679] *Excelsa.* Unus codex regius *magna*, vetus Remigianus *Sublimi*. Vel hinc liquet quantum sibi licentiæ et auctoritatis arrogaverint antiqui librarii.

VI. — *Recubet.* Soleo, ut vides, lector, adnotare frequenter hanc veterum librariorum audaciam, quæ magna fuit etiam in hoc loco. Quidam enim libri veteres habent *recubet dormiens*, alii *recubat dormiens*, alii *recumbit, recubuit, recubans dormiat, recubans et dormiens, et recubavit*.

Digitized by Google

Prophetis annuntiantibus prædiceretur [a]. Torcularis quoque calcatio et pressura taxatur, quia, quomodo ad potandum vinum veniri non potest nisi botrus calcetur ante et prematur, sic nec nos sanguinem Christi possemus bibere [b], nisi Christus calcatus prius fuisset et pressus, et calicem prior [c] biberet, in quo [d] credentibus propinaret.

VIII. Quotiescumque autem aqua sola in Scripturis sanctis nominatur, Baptisma prædicatur, ut apud Esaiam significari videmus : *Nolite*, inquit, *priora meminisse et antiqua nolite reputare : ecce ego facio nova quæ nunc orientur, et cognoscetis* [e], *et faciam in deserto viam, et flumina in loco inaquoso* [f] *ad-aquare genus meum electum, plebem meam, quam acquisivi, ut virtutes meas exponeret* (*Isa.* XLIII, 18-21). Prænuntiavit illic per prophetam Deus quod apud Gentes in locis quæ inaquosa prius fuissent, flumina postmodum redundarent et electum genus Dei, id est per generationem Baptismi filios Dei factos, adaquarent. Item, denuo præcanitur et ante prædicitur Judæos, si sitierint et Christum quæsierint, apud nos esse potaturos, id est Baptismi gratiam consecuturos : *Si sitierint*, inquit, *per deserta adducet illos,* [g] *aquam de petra producet illis, findetur petra, et fluet aqua, et bibet* [h] *plebs mea* (*Isa.* XLVIII, 21). Quod in Evangelio adimpletur, quando Christus, qui est petra, finditur ictu lanceæ in passione : qui et admonens quid per prophetam sit ante prædictum clamat et dicit : *Si quis sitit, veniat et bibat. Qui credit in me, sicut Scriptura dicit* [i], *flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ* (*Joan.* VII, 37-39). Atque, ut magis posset esse manifestum quia non de calice sed de Baptismo illic loquitur Dominus, addidit Scriptura dicens : *Hoc autem dixit de Spiritu quem acceperi erant qui in eum credebant.* Per Baptisma enim Spiritus sanctus accipitur, et sic a baptizatis et Spiritum sanctum consecutis ad bibendum calicem Domini pervenitur. Neminem autem moveat quod, cum de Baptismo loquatur Scriptura divina, sitire nos dicit et bibere, quando et Dominus in Evangelio dicat : *Beati esurientes et sitientes justitiam* (*Matth.* V, 6); quia quod avida et sitienti cupiditate susceipitur, plenius et uberius hauritur. Sicut et alio loco ad Samaritanam mulierem Dominus loquitur dicens [j] : *Omnis qui biberit ex aqua ista, sitiet iterum : qui autem biberit ex aqua quam ego dedero, non sitiet in æternum* (*Joan.* IV, 13, 14). Quo et ipsum Baptisma salutaris aquæ significatur [k], quod semel scilicet sumitur, nec rursus iteratur. Cæterum calix Domini in Ecclesia semper et sititur et bibitur.

IX. Nec argumentis plurimis opus est, frater charissime, ut probemus appellatione aquæ Baptisma significatum semper esse et sic nos intelligere debere [l], quando Dominus adveniens Baptismi et Calicis manifestaverit veritatem, qui aquam illam fidelem, aquam vitæ æternæ, præceperit credentibus in Baptismo dari, calicem vero docuerit exemplo magisterii sui vini et aquæ conjunctione misceri. Calicem etenim sub die passionis accipiens, benedixit et dedit discipulis suis dicens : *Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Dico vobis, non bibam amodo ex ista creatura vitis usque in diem illum quo vobiscum bibam novum vinum in regno Patris mei* (*Matth.* XXXVI, 28, 29). Qua in parte invenimus calicem mixtum fuisse quem Dominus ob-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Prædicatur *Lin. Bod.* 1, 2. *Ebor. NC.* 1. Prædicetur *NC.* 2.
[b] Possumus *Bod.* 1. Ebibere *Lin. NC.* 1.
[c] Prius *NC.* 2.
[d] In quem *Bod.* 2.
[e] Cognoscetis veritatem *Lam. Bod. Ebor. NC.* 1.
[f] Loca inaquosa *Lam. Ebor. NC.* 1.
[g] Illis aquam *Bod.* 1, 2. *Ebor. Lin. NC.* 1.
[h] Bibetis, plebs *Bod.* 1.
[i] Sicut scriptum est *Lam.*
[j] Loquitur et dicit *Lam.*
[k] Significatum *Bod.* 3.
[l] Debemus *NC.* 2.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

VIII.—*Præcanitur.* Bona est haud dubie lectio earum editionum quæ habet *præcinitur.* Mihi tamen visum est reponendam esse lectionem veterum editionum et tredecim veterum exemplarium. Sane codex sancti Albini habet *præcanitur.* Sed emendatum est antiquitus et positum *præcinitur.* In uno meo veteri scriptum est *præcinitur.*

Prædicitur. Et hoc quoque sequi placuit scripturam veterum editionum et veterum librorum nostrorum, quibus consentiunt etiam aliquot Anglicani. In Veronensi scriptum erat *prædicatur.*

Findetur. Quamvis sciam omnes editiones et omnes fere veteres libros habere *findetur*, facile prætulissem lectionem Fuxensis, in quo scriptum est *scindetur*, quia in capite XLVIII. Isaiæ, ad quod respicit hic locus, legitur : *Aquam de petra produxit eis, et scidit petram, et fluxerunt aquæ.* At cum viderem in libro quoque primo *Testimoniorum*, cap. 12, scriptum esse *findetur*, non sum ausus mutare.

Beati esurientes. Ita omnes editiones et sex libri veteres, inter quos nomino Seguierianum. Recte profecto. Nam in libro III *Testimoniorum* cap. 1, legitur : *Beati qui esuriunt justitiam* ; ubi editio Anglicana monet scriptum esse in octo codicibus antiquis : *Beati esurientes et sitientes.* Admonendum tamen existimavi decem antiqua exemplaria istic præferre, *Beati sitientes et esurientes.*

IX.—*Hic est enim.* Hæc est lectio omnium fere veterum exemplarium. Tria tamen vetera et antiquæ editiones præferunt *Hoc est enim.* Quo etiam modo Nicolaus Faber in margine exemplaris sui editionis Pamelianæ adnotavit se legisse in vetustissima editione quam ipse habebat.

Novi testamenti. Vox *novi* deest in tredecim codicibus antiquis.

Novum vinum. Vox *vinum* deest in Evangelio Matthæi, apud Hieronymum in titulo quæstionis secundæ *ad Hedibiam*, in undecim codicibus antiquis, et in editionibus Manutii et Morellii. Deesse etiam constat in novem Anglicanis. Lectio vulgata, quæ habet *Cum illud bibam vobiscum novum in regno patris mei*, magis placuit Pamelio, qui testatus est se eam invenisse in codice Affligemensi. Apud Varronem, libro V de Lingua latina : *Novum vetus vinum bibo.*

Digitized by Google

tulit [107], et vinum fuisse quod sanguinem suum dixit. Unde apparet sanguinem Christi non offerri si desit vinum calici, nec sacrificium Dominicum [a] legitima sanctificatione celebrari nisi oblatio et sacrificium nostrum responderit passioni. Quomodo autem de creatura vitis novum vinum cum Christo in regno Patris bibemus, si in sacrificio Dei Patris et Christi vinum non offerimus, nec calicem Domini Dominica traditione miscemus?

X. Beatus quoque apostolus Paulus, a Domino electus et missus et prædicator veritatis evangelicæ constitutus, hæc eadem in Epistola sua ponit dicens [b] : *Dominus Jesus in qua nocte tradebatur accepit panem, et gratias egit* [c] *et fregit et dixit : Hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur. Hoc facite in meam commemorationem. Simili modo* [d] *et calicem, postquam cœnatum, est accepit dicens : Hic calix novum testamentum* [e] *est in meo sanguine. Hoc facite, quotiescumque biberitis, in meam commemorationem. Quotiescumque enim ederitis panem istum et calicem biberitis, mortem Domini annuntiabitis quoadusque veniat* (I *Cor.* XI, 23-26). Quod si et a Domino præcipitur [f], et ab Apostolo ejus hoc idem confirmatur et traditur, ut quotiescumque biberimus, in commemorationem Domini hoc faciamus quod fecit et Dominus, invenimus [g] non observari a nobis quod mandatum est, nisi eadem quæ Dominus fecit nos quoque faciamus, et calicem Domini pari [h] ratione miscentes a divino magisterio non recedamus. Ab evangelicis autem præceptis omnino recedendum non esse [i], et eadem quæ magister docuit et fecit discipulos quoque observare et facere debere, constantius et fortius alio in loco beatus Apostolus [j] docet dicens : *Miror quod sic tam cito demutamini* [k] *ab eo qui vos vocavit ad gratiam, ad aliud evangelium, quod non est aliud, nisi si sunt aliqui qui vos conturbant et volunt convertere Evangelium Christi. Sed, licet aut nos aut Angelus de cœlo aliter annuntiet præterquam quod annuntiavimus vobis, anathema sit. Sicut prædiximus, et nunc iterum dico : Si quis vobis annuntiaverit præterquam quod accepistis, anathema sit* (*Gal.* I, 6-9).

XI. Cum ergo neque ipse Apostolus neque Angelus de cœlo annuntiare possit aliter aut docere præterquam quod semel Christus docuit et Apostoli ejus annuntiaverunt, miror satis unde hoc usurpatum sit ut, contra evangelicam et apostolicam disciplinam, quibusdam in locis aqua offeratur in Dominico calice, quæ sola Christi sanguinem non possit exprimere. Cujus rei sacramentum nec in Psalmis tacet Spiritus sanctus faciens mentionem dominici calicis et dicens : *Calix tuus inebrians perquam optimus* [l] (*Psal.* XXII, 5). Calix autem qui inebriat, utique vino mixtus est [m] : neque enim aqua inebriare quemquam potest. Sic autem calix Dominicus inebriat ut et Noe in Genesi vinum bibens inebriatus est. Sed, quia ebrietas Dominici calicis et sanguinis non est talis qualis est ebrietas vini sæcularis, cum diceret Spiritus sanctus in Psalmo, *Calix tuus inebrians*, addidit *perquam optimus*, quod scilicet calix Dominicus sic bibentes inebriat ut sobrios faciat, ut mentes ad spiritalem sapientiam redigat, ut a sapore isto sæculari ad intellectum Dei unusquisque resipiscat, et quemadmodum vino isto

LECTIONES VARIANTES.

[a] Dominum *Bod.* 3, 4. *Ebor. NC.* 1, 2. *Lin.*
[b] Ponit et dicit *Lam. Bod.* 1, 2.
[c] Gratias egit et *Lam. Ebor. NC.* 1, 2. Agens fregit et *Oxon.*
[d] Similiter *Lam.*
[e] Hic est calix novi testamenti *Lam. Lin. Ebor.*
[f] Præcipiatur *Bod.* 3.
[g] Inveniemus *Bod.* 1.
[h] Calicem pari *Bod.* 1, 2, 3. *Lam. Ebor NC.* 1, 2. *Lin.*
[i] Non est *Lam. Bod.* 2.
[j] Beatus Paulus docet *Lin.*
[k] Transferimini *NC.* 2.
[l] Quam peroptimus *Oxon.*
[m] Mixtus sit oportet. Neque enim aqua sola *Lin.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

Offerri. Codex Monasteriensis addit *aut et celebrari.*

Si desit vinum. Codex Fuxensis, *nisi vinum calici misceatur.*

X.— *Gratias egit.* Hæc est lectio omnium editionum quæ Pamelianam antecesserunt. Pamelius autem ex unico codice Camberonensi mutavit et edidit *gratias agens fregit.* Quo etiam modo nos scriptum vidimus in Eligiano et in Remensi sancti Dionysii. At cum omnes fere libri nostri veteres et etiam Anglicani præferant lectionem quam Pamelius rejecit, existimavimus illam esse revocandam. Sed sive hoc, sive alio modo legas, sensus est idem ; adeoque retinenda erat vetus lectio.

Aliter annuntiet. In codice Seguieriano scriptum est *evangelizaverit.*

XI.— *Perquam.* Ita istic et paulo post scriptum est in octodecim exemplaribus nostris et in sex Anglicanis. Quo etiam modo legisse Joachimum Vadianum videre est in libro II Aphorismorum ejus de Eucharistia. Ita quoque habent editiones Pameliana antiquiores. Pamelius itaque omnium primus posuit *quam peroptimus*, aiens verisimile esse hanc esse genuinam Cypriani lectionem. Sed ego puto illum in hoc errasse. *Perquam* etenim adverbium est quod emphasis causa præponi solet, et quo usus est Cyprianus Epist. III, pag. 8 : *Perquam enim grave est*, et in Epistola XXXI, pag. 43 : *Perquam enim nobis et invidiosum et onerosum videtur*, etiam in editione Pamelii. Et ut exempla sumamus de sæculari litteratura, Cicero in libro II de *Oratore* dixit : *Perquam optanda nobis varietas et incredibilis illa vis dicendi Carneadis.* Valerius Maximus, lib. VII, cap 4 : *Perquam optimo genere consilii.* A. Gellius, lib. I, cap. 4 : *Antonius Julianus rhetor perquam fuit honesti atque amœni ingenii.* Vide etiam Quintillianum, lib. VIII, *in Proœmio*, et c. 3, et lib IX, c. 1. Dissimulandum interim non est usum me esse quatuor exemplaribus antiquis in quibus scriptum [480] est *quam peroptimus.* Porro quod ait Pamelius Remboltum fuisse primum qui scripserit *perquam optimus*, id certe verum non est. Nam ea lectio habetur in editione Spirensi et in veteri Veneta, quæ multo antiquiores sunt ea quam Remboltus emisit.

Redigat. Codex Fuxensis et unus Bodleianus, *reducat.* Unus meus et Monasteriensis, *ad spiritalem amorem redigat.*

Sapore. Diverse scribitur hic locus. In editionibus Pameliana antiquioribus, in novem libris nostris veteribus, in tribus Anglicanis, in Camberonensi quoque quem laudat Pamelius, legitur *sopore.* At *sapore* præferunt alia novem vetera exemplaria nostra et

Digitized by Google

communi mens solvitur et anima relaxatur et tristitia omnis exponitur, ita, epotato [a] sanguine Domini et poculo salutari, exponatur memoria veteris hominis, et fiat oblivio conversationis pristinæ sæcularis, et mœstum pectus ac triste, quod prius peccatis angentibus premebatur, divinæ indulgentiæ lætitia resolvatur; quod tunc demum potest lætificare in Ecclesia Domini bibentem, si quod bibitur [108] Dominicam teneat veritatem.

XII. Quam vero perversum est quamque contrarium ut, cum Dominus in nuptiis de aqua vinum fecerit (*Joan.* II, 7), nos de vino aquam faciamus, cum sacramentum quoque rei illius admonere et instruere nos debeat ut in sacrificiis Dominicis vinum potius offeramus. Nam, quia apud Judæos defecerat gratia spiritalis, defecit et vinum : vinea enim Domini sabaoth domus erat Israël (*Isa.* v, 7). Christus autem, docens et ostendens gentium populum succedere, et in locum quem Judæi perdiderant nos postmodum merito fidei pervenire, de aqua vinum fecit, id est, quod ad nuptias Christi et Ecclesiæ, Judæis cessantibus, plebs magis gentium conflueret et conveniret ostendit. Aquas namque populos significare [b] in Apocalypsi Scriptura divina declarat dicens : *Aquæ quas vidisti, super quas sedet meretrix illa, populi et turbæ et gentes ethnicorum sunt et linguæ* (*Apoc.* XVII, 15). Quod scilicet perspicimus et in sacramento calicis contineri.

XIII. Nam, quia nos omnes portabat Christus, qui et peccata nostra portabat, videmus in aqua populum intelligi, in vino vero ostendi [c] sanguinem Christi. Quando autem in calice vino aqua miscetur, Christo populus adunatur, et credentium plebs ei in quem credidit copulatur et conjungitur. Quæ copulatio et conjunctio aquæ et vini sic miscetur in calice Domini ut commixtio illa non possit ab invicem separari. Unde et Ecclesiam, id est plebem in Ecclesia constitutam, fideliter et firmiter in eo quod credidit perseverantem, nulla res separare poterit a Christo quominus hæreat semper et maneat individua dilectio. Sic autem in sanctificando calice [d] Domini offerri aqua sola non potest, quomodo nec vinum solum potest. Nam, si vinum tantum quis offerat, sanguis Christi incipit esse sine nobis : si vero aqua sit sola, plebs incipit esse sine Christo. Quando autem utrumque miscetur et adunatione confusa sibi invicem copulatur, tunc sacramentum spiritale et cœleste perficitur. Sic vero calix Domini non est aqua sola aut vinum solum, nisi utrumque sibi misceatur, quomodo nec corpus Domini potest esse farina sola aut aqua sola, nisi utrumque adunatum fuerit et copulatum et panis unius compage solidatum. Quo et ipso sacramento populus noster ostenditur adunatus; ut, quemadmodum grana multa in unum collecta et commolita et commixta panem unum faciunt, sic in Christo, qui est panis cœlestis, unum sciamus esse corpus, cui conjunctus sit noster numerus et adunatus.

XIV. Non est ergo, frater charissime, quod aliquis existimet sequendam esse quorumdam consuetudinem, si qui in præteritum in calice Dominico aquam solam offerendam putaverunt. Quærendum est enim ipsi

LECTIONES VARIANTES.

[a] Et potato *Lam. Ebor.* Et poto *Ver. Bened.* Potans *Lin.* Potus sanguinem *NC.* 2. Epoto *Oxon.*
[b] Aquis... Significari *NC.* 2.
[c] Ostendit *Rigalt.*
[d] Calicem *Lin. NC.* 1, 2.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

duo laudata a Pamelio. Dubitatum autem fuisse olim quonam modo scribendum esset colligi videtur ex uno libro meo vetere, in quo scriptum est *sopore* et supra lineam *vel sapore*. Prætulit autem Pamelius *sapore* ex conjectura olim sua, quam gavisus est invenisse se confirmatam auctoritate codicum Affligemensis et Coloniensis.

Dominicam teneat veritatem. Codex Fuxensis, *Dominica mente teneat veritatem.*

XII. — *Apud Judæos.* Ista quæ statim sequuntur usque ad *de aqua vinum* desunt in libro Beccensi et in eorum loco ista posita sunt. *Nam quæ apud Judæos offerebantur spiritualem intellectum significabant. Quæ Judæi in veteri testamento offerebant, omnia nunc completa sunt, quia lex vetus umbra fuit. Postmodum Dominus in Novum Testamentum in Cana Galileæ coram Judæis de aqua*, etc.

Et turbæ. Ista non habentur in capite XVII Apocalypsis. Porro pro *et turbæ* codex Remensis sancti Dionysii habet *et tribus.*

XIII. — *Videmus in aqua.* Hæc verba, quæ certo non sunt Julii Papæ, ex Julio tamen refert Eugenius IV in *Confessione missa ad Armenos* apud Odoricum Raynaldum an. 1439, § 15. At Regino, lib. I, cap. 66, citat ex concilio Wormaciensi, cap 29, ubi exstat in canone quarto in editionibus conciliorum. Vide notas ad Reginonem, pag. 550.

Credentium plebs. Codex veronensis, *credentium plebi sanguini ejus in quem credidit copulatur et conjungitur.*

Ut commixtio. In codice Beccensi scriptum est, *ut commixtio illa non ab invicem separetur et unitas intelligatur Ecclesiæ, id est plebis in Ecclesia constituta, si fideliter et firmiter in eo quod credidit perseveraverit, quam nulla res separare poterit ut nec ex eo quod minus erat semper maneat individua dilectione.*

Individua dilectio. Hanc lectionem, quæ est optima, reperi in quatuordecim libris veteribus et in editione Pamelii, qui primus illam protulit. At editiones Manutii et Morellii et codex Beccensis habent *individua dilectione.* Veteres editiones et quatuor libri veteres, *in divina dilectione.* Ea lectio melior est quam ego retinui. Nam et in Epistola LVII, pag. 96 : *Perseveret apud Dominum nostra dilectio.*

Nam si vinum. Puto Paschasium Radbertum, cum eo loco uteretur, Cypriani verba mutasse ut illa faceret sua. Sic enim posuit in capite XI libri de Corpore et Sanguine Domini : *Nam si vinum sine aqua offeratur, sanguis Christi incipit esse sine nobis. Si autem aqua sola, jam plebs videtur esse sine Christo. Quando autem utrumque miscetur et conjungitur, tunc recte mysterium Ecclesiæ spiritaliter perficitur.*

Cœleste perficitur. Reliqua istius epistolæ descripta non sunt in libro Beccensi.

Sanctificando. Duo libri nostri veteres et duo Anglicani præferunt *sacrificando.*

Grana multa. Infra, Epist. LXXVI, pag. 153 : *Nam quando Dominus corpus suum panem vocat de multorum granorum adunatione congestum.*

Et commolita. Hæc desunt in excerptis Flori, exstant tamen in codice Seguieriano.

Digitized by Google

quem sint secuti. Nam, si in sacrificio quod Christus obtulit, non nisi Christus sequendus est, utique id nos obaudire et facere oportet quod Christus fecit et quod faciendum esse mandavit, quando ipse in Evangelio dicat: *Si feceritis quod mando vobis, jam non dico* [a] *vos servos, sed amicos* (*Joan.* xv, 14, 15). Et quod Christus debeat solus audiri, Pater etiam de cœlo contestatur dicens: *Hic est filius meus dilectissimus* [b] *in quo bene sensi, ipsum audite* (*Matth.* xvii, 5). Quare, si solus Christus audiendus est, non debemus attendere quid alius ante nos faciendum esse putaverit, sed quid qui ante omnes est Christus prior fecerit. Neque enim hominis consuetudinem sequi oportet, sed Dei veritatem, cum per Esaiam prophetam Deus loquatur et dicat: *Sine causa autem colunt me, mandata et doctrinas hominum docentes* (*Isa.* xxix, 13). Et iterum Dominus in Evangelio hoc idem repetat dicens: [100] *Rejicitis mandatum Dei, ut traditionem vestram statuatis* (*Marc.* vii, 13). Sed et alio in loco ponit et dicit: *Qui solverit unum ex mandatis istis mininis, et sic docuerit homines, minimus vocabitur in regno cœlorum* (*Matth.* v, 19). Quod si nec minima de mandatis Dominicis licet solvere, quanto magis tam magna, tam grandia, tam ad ipsum Dominicæ passionis et nostræ redemptionis sacramentum pertinentia fas non est infringere, aut in aliud quam quod divinitus institutum sit humana traditione mutare? Nam, si Jesus [c] Christus Dominus et Deus noster ipse est summus [d] sacerdos Dei Patris, et sacrificium Patri se ipsum primus obtulit [e], et hoc fieri in sui commemorationem [f] præcepit, utique ille sacerdos vice Christi vere fungitur qui id quod Christus fecit imitatur, et sacrificium verum et plenum tunc offert in Ecclesia Deo Patri, si sic incipiat offerre secundum quod ipsum Christum videat obtulisse.

XV. Cæterum omnis religionis et veritatis disciplina subvertitur, nisi id quod spiritaliter præcipitur fideliter reservetur [g], nisi si in sacrificiis matutinis hoc quis veretur ne per saporem vini redoleat sanguinem Christi. Sic ergo incipit et a passione Christi in persecutionibus fraternitas retardari, dum in oblationibus discit de sanguine ejus et cruore confundi. Porro autem Dominus in Evangelio dicit: *Qui confusus me fuerit, confundetur* [h] *eum Filius hominis.* (*Marc.* viii, 38). Et Apostolus quoque loquitur dicens: *Si hominibus placerem, Christi servus non essem* (*Gal.* i, 10). Quomodo autem possumus propter Christum sanguinem fundere, qui sanguinem Christi erubescimus bibere?

XVI. An illa sibi aliquis contemplatione blanditur, quod, etsi mane aqua sola offerri videtur, tamen, cum ad cœnandum venimus, mixtum calicem offerimus. Sed cum cœnamus ad convivium nostrum plebem convocare non possumus, ut sacramenti veritatem fraternitate omni præsente celebremus. Atenim non mane, sed post cœnam, mixtum calicem obtulit Dominus. Numquid ergo Dominicum post cœnam celebrare debemus, ut sic mixtum calicem frequentandis

LECTIONES VARIANTES.

[a] Non dicam *Lam. Bod.* 1, 2. *NC.* 2. *Ebor.*
[b] Dilectus *Bod.* 2. *Ebor. NC.* 1, 2.
[c] Nam Jesus *Bod.* 1.
[d] Ipse summus *Bod.* 1.
[e] Deo patri seipsum obtulit *Lam. Ebor. NC.* 1.
[f] Commemoratione *Bod.* 1, 2. *Lin. Ebor. NC.* 1, 2.
[g] Specialiter percipitur et fideliter observatur *Vat.*
[h] Confusus me fuerit, coram hominibus confundet eum *Bod.* 2. *NC.* 1. *Ebor.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

XIV.—*Si solus Christus.* Citat hunc locum Gratianus dist. 8, cap. *Si solus*, cap. *Si consuetudinem*, et cap. *Consuetudo.* Ad locum autem istum Cypriani, ubi dicit solum Christum audiendum esse, Joannes cardinalis de Turrecremata ait vocem *solus* non excludere papam vel prælatos vel alios doctores aut prædicatores bonos, sed tantum antichristos, id est contrarios Christo, qui contraria prædicant.

Alius ante nos. Ita scriptum reperimus in septem codicibus antiquis. Veteres editiones, etiam Manutiana et Morelliana, *quod aliquis ante nos.* Ita etiam codex [481] Thuanus et Carnotensis et duo libri veteres laudat in editione Pameliana. In Fuxensi scriptum est *alius aliquid ante*, in Turonensi *aliud aliquis*, in Corbeiensi *alius aliquis.*

Neque enim. Codex Monasteriensis, *nec alterius hominis consuetudinem sequi quemquam oportet.*

Traditione mutare. Unus codex regius habet *ratione præcipitare.*

XV.—*Redoleat sanguinem.* Postea codex Corbeiensis addit, *flagrantem ab infideli conscientia odor umbris matutinis fuerit agnitus et cognoscatur esse Christianus dum nos sanguine Christi confundimur.* Quod ego miror animadversum non fuisse a Rigaltio. Hanc additionem inveni etiam in codice Turonensi et in Fuxensi. Sed non habetur in Seguieriano omnium vetustissimo. Hieronymus in Epistola *ad Nepotianum* de Vita Clericorum: *Numquam vinum redoleas, ne audias illud philosophi: Hoc non est osculum porrigere, sed vinum propinare.* Tertullianus in Apologetico: *Idcirco et osculum propinquis offerre etiam necessitas erat, ut Spiritu judicarentur. At nunc in feminis præ vino nullum liberum est osculum.* Respicit ad mores Romanarum mulierum, quibus non licebat bibere vinum, ut docent Plinius, lib. xiv, c. 13, et A Gellius, lib. x, cap. 23. De Moribus autem Christianorum, de quibus agitur in hoc Cypriani loco, vide Petavii animadversiones ad Epiphanium, pag. 265; et Josephum Vicecomitem, lib. iii *de Missæ Ritibus*, pag. 236.

Qui confusus. Ita plerique libri veteres. At in uno Remigiano, in Divionensi, et in Gratianopolitano legitur: *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebitur eum filius hominis.* Sic etiam in Pithœano nisi quod illic legitur *confundet* pro *confitebitur.* At in libro *de Lapsis*, p. 190, scribit: *Qui me confusus*, etc. Vide Pamelii notas ad hunc locum.

XVI.— *Dominicum celebrare*, id est sacrificia divina offerre, sacrificare, ut recte explicat Pamelius. Alibi Dominicum significat Ecclesiam in quam Christiani convenirebant ad celebranda mysteria. Vide Baronium, ad diem 25 Decembris, Cardinalem Bonam, lib. i, cap. 3 et 19 *Rerum Liturgicarum*, et glossarium Latinum Cangii. Acta martyrum Donastistarum in libro ii, Miscellaneorum nostrorum, pag. 66. *An nescis, Satanas, in Dominico Christianum et in Christiano Dominicum constitutum?* Aliud videtur esse Dominicum in Epistola falsa synodi Nicænæ *ad Sylvestrum Papam* edita in collectione Merlini.

Post cœnam. Vide Durantum lib. ii, cap 51 *de Ritibus Ecclesiæ Catholicæ.*

Digitized by Google

dominicis offeramus? Christum offerre opportebat circa vesperam diei, ut hora ipsa sacrificii ostenderet occasum et vesperam mundi, sicut in Exodo scriptum est : *Et occident illum omne vulgus synagogæ filiorum Israel ad vesperam* (*Exod.* XII, 6). Et iterum in Psalmis : *Allevatio manuum mearum sacrificium vespertinum* (*Psal.* CXL, 2). Nos autem resurrectionem Domini mane celebramus.

XVII. Et quia passionis ejus mentionem in sacrificiis omnibus facimus (passio est enim Domini sacrificium quod offerimus), nihil aliud quam quod ille fecit facere debemus. Scriptura enim dicit : *Quotiescumque enim ederitis panem istum et calicem istam biberitis, mortem Domini annuntiabitis quoadusque veniat* (*I Cor.* II, 26). Quotiescumque ergo calicem in commemorationem Domini et passionis ejus offerimus, id quod constat Dominum fecisse faciamus. Et viderit, frater charissime; si quis de antecessoribus nostris vel ignoranter vel simpliciter non hoc observavit et tenuit quod nos Dominus facere exemplo et magisterio suo docuit, potest simplicitati ejus de indulgentia Domini venia concedi. Nobis vero non poterit ignosci, qui nunc a Domino admoniti et instructi sumus ut calicem Dominicum vino mixtum, secundum quod Dominus obtulit, offeramus ; et de hoc quoque ad collegas nostros litteras dirigamus, ut ubique lex evangelica et traditio Dominica servetur, et ab eo quod Christus et docuit et fecit non recedatur.

XVIII. Quæ ultra jam contemnere et in errore pristino perseverare, quid aliud est quam incurrere in objurgationem [110] Domini increpantis in Psalmo et dicentis : *Ad quid exponis justificationes meas et assumis testamentum meum per os tuum? Tu autem odisti disciplinam, et abjecisti sermones meos retro. Si videbas furem, concurrebas ei, et inter mœchos particulam ponebas* (*Psal.* XLIX, 16-18). Exponere enim justificationes et testamentum Domini, et non hoc idem facere quod fecerit Dominus, quid aliud est quam sermones ejus abjicere et disciplinam Dominicam contemnere, nec terrena sed spiritalia furta et adulteria committere, dum quis de evangelica veritate furatur Domini nostri verba et facta, corrumpit atque adulterat præcepta divina? Sicut apud Hieremiam scriptum est : *Quid est*, inquit, *paleis ad triticum? Propter hoc ecce ego ad prophetas, dicit Dominus, qui furantur verba mea unusquisque a proximo suo, et seducunt populum meum in mendaciis suis et in erroribus suis* (*Hier.* XXIII, 28, 30, 32). Item apud eumdem alio loco : *Et mœchata est*, inquit, *in lignum et lapidem* [a], *et in his omnibus non est reversa ad me* (*Hier.* IX, 10). Quod furtum et adulterium ne in nos etiam eadat cavere sollicite et timide ac religiose observare debemus. Nam, si sacerdotes Dei et Christi sumus, non invenio quem magis sequi quam Deum et Christum debeamus, quando ipse in Evangelio maxime dicat : *Ego sum lumen sæculi. Qui me secutus fuerit, non ambulabit* [b] *in tenebris, sed habebit lumen vitæ* (*Joan.* VIII, 12). Ne ergo in tenebris ambulemus, Christum sequi et præcepta ejus observare debemus, quia et ipse in alio loco, mittens Apostolos, dixit : *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra. Ite ergo et docete omnes Gentes, tingentes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, docentes eos observare omnia quæcumque præcepi* [c] *vobis* (*Matth.* XXIII, 18-20). Quare si in lumine Christi ambulare volumus, a præceptis et monitis ejus non recedamus, agentes gratias quod, dum instruit in futurum quid facere debeamus, de præterito ignoscit quod simpliciter erravimus. Et quia jam secundus ejus adventus nobis appropinquat, magis ac magis benigna ejus et larga dignatio corda nostra luce veritatis illuminat.

XIX. Religioni igitur nostræ congruit et timori et

LECTIONES VARIANTES.

[a] De ligno et lapide *NC.* 2.
[b] Non ambulat *Ebor.*
[c] Mandavi *NC.* 2.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

XVII.— *Scriptura enim.* Undecim libri veteres, et in his Seguierianus, omissa mentione panis, ita referunt hunc locum : *Scriptura enim dicit ut quotiescumque calicem in commemorationem Domini et passionis*, etc.

Et viderit. Rursum hic locus ostendit audaciam, negligentiam et oscitantiam veterum librariorum. Quidam enim libri veteres habent *et viderit*, alii, *et videris, sed vide, sed videris, sed videamus.* Aliquas enim harum lectionum falsas esse necesse est.

XVIII. — *Increpantis.* Quatuor antiqui codices ita distinguunt, *objurgationem Domini. Increpantis vox est in Psalmo.*

Concurrebas ei. Sic etiam Epist. LXIII, pag. 120, ubi locus iste refertur, Tertullianus in libro *de Spectaculis* et quidam libri veteres habent *concurrebas cum eo.* Quo etiam modo legitur in Epistola Siricii Papæ *ad Himerium.* Quidam alii *simul currebas cum eo.* Quam lectionem Pamelius ait se invenisse in codice Affligemensi et in Coloniensi.

Particulam. In quibusdam exemplaribus antiquis, legitur *portionem.* Quo etiam modo scriptum est in Epistola LXVIII, et in Epistola Siricii.

Ad Prophetas. In duobus libris veteribus scriptum est *pseudoprophetas.* Quod fortassis est melius. Nam Cyprianus in libro *de Unitate Ecclesiæ*, pag. 197, referens alium locum ex eodem capite Hieremiæ legitur dixisse : *Nolite audire sermones pseudoprophetarum.*

Lumen sæculi. Retinui hanc lectionem, quia illam inveni in sexdecim codicibus antiquis. Alioqui prætulissem eam quæ habet *lux mundi*, quam et veteres editiones et quinque libri veteres exhibent, nisi quod in Carnotensi scriptum est *mundi vel sæculi.* Κόσμος enim, quod est in Græco, significat proprie mundum. *Unde et Græci*, inquit Tertullianus in Apologetico, *nomen mundo* Κόσμου *accommodaverunt.* Ita etiam sanctus Hilarius, in libro 1 *de Trinitate.* Plinius, lib. II, cap. 4 : *Nam quem* Κόσμον *Græci nomine ornamenti appellaverunt, eum et nos a perfecta absolutaque elegantia mundum.* Vide Ludovicum [183] Cælium Rhodiginum, lib. I, cap. 5. Quamquam verum est scriptores ecclesiasticos sæpe usurpare sæculum pro mundo.

Tingentes. Quinque libri veteres et Affligemensis a Pamelio laudatus habent *baptizantes*, eodem sensu. Sic placuit librariis mutare pro arbitrio suo dictiones sancti Cypriani.

Digitized by Google

ipsi loco atque officio sacerdotii nostri, frater charissime, in Dominico calice miscendo et offerendo custodire traditionis Dominicæ veritatem, et quod prius apud quosdam videtur erratum, Domino monente, corrigere; ut, cum in claritate sua et majestate cœlesti venire cœperit, inveniat nos tenere quod monuit, observare quod docuit, facere quod fecit. Opto te, frater charissime, semper bene valere.

EPISTOLA LXIV.

(Erasm., 1, 7. Pamel., Rigalt., Baluz., LXIV. Pariss., LXIII. Oxon., Lips., LXV.)

AD EPICTETUM ET PLEBEM ASSURITANORUM, DE FORTUNATIANO QUONDAM EORUM EPISCOPO.

ARGUMENTUM. — *Monet Epictetum et plebem Assuritanorum ut Fortunatianum, quondam episcopum, sed lapsum, ad episcopatum redire non permittant; tum aliis de causis, tum quod statutum esset ne episcopi lapsi ad priorem gradum admitterentur.*

I. Cyprianus Epicteto fratri et plebi Assuras [a] consistenti salutem. Graviter et dolenter motus sum, fratres charissimi, quod cognoverim Fortunatianum quondam apud vos episcopum post gravem lapsum ruinæ suæ pro integro nunc agere velle et episcopatum sibi vindicare cœpisse. Quæ res contristavit me, primo propter ipsum, qui miser, vel diaboli tenebris in totum excœcatus, vel quorumdam sacrilega persuasione deceptus, cum debeat satisfacere et ad Dominum exorandum diebus ac noctibus lacrymis et [111] orationibus et precibus incumbere, audet sibi adhuc sacerdotium quod prodidit vindicare, quasi post aras diaboli accedere ad altare Dei fas sit, aut non majorem in se iram et indignationem Domini in die judicii provocet, qui, cum fidei et virtutis dux fratribus esse non potuerit, perfidiæ et audaciæ et temeritatis magister existat, et qui non docuit fratres in prælio fortiter stare, doceat eos qui victi et prostrati sunt nec rogare, cum Dominus dicat: *Illis fudistis libamina, et illis imposuistis sacrificia; super hæc omnia ergo* [a] *non indignabor? dicit Dominus* (*Isa.* LVII, 6). Et alio loco: *Sacrificans diis eradicabitur, nisi Domino soli* (*Exod.* XXII, 19). Item Dominus denuo loquitur et dicit: *Adoraverunt eos quos fecerunt digiti eorum, et curvatus est homo et humiliatus est vir, et non laxabo illis* (*Isa.* II, 8, 9). In Apocalypsi quoque legimus iram Domini comminantis et dicentis: *Si quis adorat bestiam et imaginem ejus, et accipit notam in fronte sua et in manu, bibet et ipse de vino iræ Dei mixto in poculo iræ ejus, et punietur igne et sulphure sub oculis sanctorum Angelorum et sub oculis Agni, et fumus de tormentis eorum in sæcula sæculorum ascendet, nec habebunt requiem die ac nocte qui adorant bestiam et imaginem ejus* (*Apoc.* XIV, 9-11).

II. Cum ergo hæc tormenta, hæc supplicia in die judicii Dominus comminetur iis qui diabolo obtemperant et idolis sacrificant, quomodo se putat posse agere pro Dei sacerdote qui obtemperavit et servivit diaboli sacerdotibus? aut quomodo putat manum suam transferri posse ad Dei [b] sacrificium et precem Domini quæ captiva fuerit sacrilegio et crimini, quando in Scripturis divinis Deus ad sacrificium prohibeat accedere sacerdotes etiam in leviori crimine constitutos, et in *Levitico* dicat (XXI, 17): *Homo in quo fuerit vitium et macula non accedet offerre dona Deo.* Item in *Exodo* (XIX, 22): *Et sacerdotes qui accedunt ad Dominum Deum sanctificentur, ne forte derelinquat illos Dominus.* Et iterum: *Et cum* [c] *accedunt ministrare ad altare sancti, non adducent in se delictum, ne moriantur* (*Ibid.* XXIX, 43). Qui ergo

LECTIONES VARIANTES.

[a] Asturas *Lin. Thu. Foss. Corb.*
[b] Dei *deest in Corb.*
[c] Qui accedunt *Bod. 1, 2. Lam. Ebor. NC. 1, 2. Lin.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

XIX. — *Opto te.* Vetus Remigianus: *Semper vale in Deo Domino, frater charissime.*

EPIST. LXIV. — I. *Epicteto*, episcopo Assuritano in provincia proconsulari. Illi in ea cathedra successisse Victorem liquet ex concilio Carthaginensi sancti Cypriani. In concilio Bagaiensi damnatus est Prætextatus episcopus Assuritanus, in cujus loco Donatistæ posuerunt Rogatum; in Collatione Carthaginiensi inter Catholicos et donatistas adfuit Evangelus, episcopus ecclesiæ Assuritanæ Catholicus.

Fratres charissimi. Tres libri veteres præferunt *frater charissime.* Quæ lectio potest esse bona. Quippe epistola scripta est ad episcopum et plebem, et potuit Cyprianus eo modo scribere quo scripsisse reperitur Epist. LVII, *ad Cornelium*: quæ cum scripta sit ex æquo ad Cornelium et ad omnem Ecclesiam Romanam, tamen inquit *Cognovimus frater charissime*, et mox stylum convertit Cyprianus ad omnes, qui propterea fratres charissimi vocantur paulo post. Ea discrepantia lectionum in Cypriano videtur orta esse ex notis. Nam animadverti *frater charissime* et *fratres charissimi* quandoque ita scribi in antiquis codicibus F. K. et FF. CC. eo modo quo *dilectissimi* vidi sæpe scriptum DD.

Fortunatianum, quem apostasia dejecerat ab episcopatu, cum sacrificasset idolis. Unde in codice sancti Arnulphi, cum scriptum fuisset *apepiscopum* scriptum est supra lineam *apostatam* eadem, ut videtur, manu. Propterea ergo Cyprianus eum ait quondam episcopum fuisse, nunc non esse. Similem loquendi modum adnotavimus in Epistola LIX, p. 97, de Victore quondam presbytero.

Quod prodidit. Codex sancti Arnulphi *perdidit.*

Fidei et virtutis. Quamvis hæc lectio, quam et veteres editiones et duodecim libri veteres præferunt, sit optima, silere tamen non debeo editionem Morellianam et quinque libros veteres habere *virtutis et fidei.*

II. — *Diaboli sacerdotibus.* Codex Fuxensis, *diabolo aut sacerdotibus ejus.*

Sacrilegio et crimini. Codex Gratianopolitanus, *quæ capta fuerat sacrilegio et crimine.* Corbeiensis, *sacrilegiorum et criminum.* Quæ lectio videtur esse melior, si vox *captiva* retineatur. Hieremiæ cap. XLIX, *captivos filiorum Ammon.* Neque enim dicitur servus domino, sed servus domini. Hinc apud Ciceronem servi legum, seditionum, cupiditatum. Idem dicendum de captivis, qui sui juris non sunt.

Ad altare sancti. Ita omnes fere libri veteres, etiam Anglicani, et editiones omnes ante Erasmicam, in qua legitur *ad altare sanctum.* Quamquam hanc quoque lectionem præferant duo libri veteres. Rigaltius, omissa voce *altare*, posuit *ad sanctum*, auctoritate, ut ipse ait, codicis Veronensis, quod ego tamen non in-

Digitized by Google

gravia in se delicta adduxerunt, id est, qui idolis sacrificando sacrilega sacrificia fecerunt, sacerdotium Dei sibi vindicare non possunt, nec ullam in conspectu ejus precem pro fratribus facere, quando in Evangelio scriptum sit : *Deus peccatorem non audit; sed si quis* [a] *Deum coluerit et voluntatem ejus fecerit, illum audit* (*Joan.* IX, 31). Quamvis sic quorumdam pectora tenebrarum ingruentium [b] profunda caligo cæcaverit, ut de præceptis salubribus nihil lucis admittant, sed semel a recto limite veri itineris aversi, per præceps et per abruptum [c] criminum suorum nocte atque errore rapiantur.

III. Nec mirum si consilia nostra aut Domini præcepta nunc abnuunt qui Dominum negaverunt : stipes et oblationes et lucra desiderant, quibus prius insatiabiles incubabant ; et cœnis atque epulis etiam nunc inhiant, quarum crapulam superstite nuper in dies cruditate ructabant, nunc manifestissime comprobantes nec ante se religioni, sed ventri potius et quæstui profana cupiditate servisse. Unde et ipsam venisse perspicimus et credimus de Dei exploratione censuram, ne apud altare consistere et contrectare ulterius perseverarent pudorem incesti, fidem perfidi, religionem profani, divina terreni, sancta sacrilegi. Quod ne tales ad altaris impiamenta et contagia fratrum denuo redeant, omnibus viribus excubandum est, et omni vigore nitendum ut quantum possumus ab hac eos sui sceleris audacia retundamus, ne adhuc agere pro sacerdote [d] conentur qui ad mortis extrema dejecti, ultra lapsos laicos [e] ruinæ majoris pondere proruerunt.

IV. Si vero apud insanos furor [113] insanabilis perseveraverit, et, recedente Spiritu sancto, quæ cœpit cæcitas in sua nocte permanserit, consilium nobis erit singulos fratres ab eorum fallacia separare, et, ne quis in laqueos erroris incurrat, ab eorum contagione secernere, quando nec oblatio sanctificari illic possit ubi Spiritus sanctus non sit, nec cuiquam Dominus per ejus orationes et preces prosit qui Dominum ipse violavit. Quod si Fortunatianus, aut immemor criminis sui per diaboli cæcitatem, aut minister et servus diaboli factus ad decipiendam fraternitatem, in hoc suo furore permanserit, vos quantum potestis elaborate, et in hac caligine diaboli sævientis fratrum mentes ab errore revocate, ne alienæ dementiæ facile consentiant, ne se desperatorum delictis participes faciant, sed teneant integri salutis suæ et integritatis conservatæ a se et custoditæ perpetuum tenorem.

V. Lapsi vero magnitudinem delicti sui cognoscentes, a deprecando Domino non recedant, nec Ecclesiam catholicam, quæ una et sola est a Domino constituta, derelinquant ; sed, satisfactionibus im-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Si qui *Oxon.*
[b] Irruentium *Lin. NC.* 1.
[c] Abrupta *Bod.* 1.
[d] Agere sacerdotem *Lin.*
[e] Lapsus laicos *Oxon.*
[f] Consecrata *Ver.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

veni in margine exemplaris mei editionis Manutianæ, et lectionem illam ait esse rectissimam, non animadvertens hunc eumdem locum infra Epist. LXVIII, pag. 117 et Epist. LXII, pag. 129 editum à semetipso fuisse eodem omnino modo quo ego istic restitui. Is qui scripsit codicem Fuxensem posuit *ad altare Domini*, quod confirmat emendationem nostram. Ait autem Pamelius reperire se non potuisse quem Scripturæ locum citet Cyprianus. Goulartius vero ait alludere eum ad varia Mosis dicta in Exodo, præsertim de sacerdotum altari Jehovæ inservientium officio. Recte profecto. Nam locus iste sumptus est ex capite XXVIII Exodi secundum versionem Septuaginta interpretum. In editione nostra Vulgata sacræ Scripturæ legitur : *Vel quando appropinquant ad altare ut ministrent in sanctuario, ne iniquitatis rei moriantur.* Versio qua sanctus Martyr usus est dilucidior est et facilior ad intelligendum sensum hujus loci. Hieronymus in Dialogo *adversus Luciferianos* legebat, *cum accedunt ministrare sancta.* Quæ lectio multum accedit ad eam quæ citatur ex codice Veronensi.

Quorumdam pectora. Codex Gratianopolitanus, *quosdam peccatores.*

III.—[113] *Cruditate.* Hieronymus in Epistola ad Rusticum monachum, *erumpentem cruditatem, quæ parens libidinum est.* Salvianus lib IV, cap. 3, *cruditate, distenderis*, ubi codex Corbeiensis habet *crudelitate;* lib. VII, cap. 16, *alios cruditate distentos*, ubi codex Colbertinus habet *crudelitate.* Et apud Avitum Viennensem Epist. LXXXV, *gentium distantia cruditatem.* Pro quo in codice Viennensis Marnæsii scriptum est *crudelitate.* Crudelitatem itaque et cruditatem antiqui librarii quandoque commutabant.

Ad altaris impiamenta. Hic in primis locus ostendit audaciam et inscitiam veterum librariorum. Codices enim Fuxensis, Metensis, sancti Arnulphi, et Gratianopolitanus habent *impia mente*, Monasteriensis *amplas mentes ;* Divionensis et unus Remigianus *per simplus mentes* unus meus vetus, *per simplicia merita.* Quarum lectionum nulla bona est. Sex Anglicani habent *ad altaris sanctificationem impia mente accedunt*, ubi vox *sanctificationem* addita videtur a librario non intelligente quod scribebat.

Impiamenta. Festus Pompeius : *impiatus, sceleratus.* Vocabulum deductum a verbo *impio*, quod significat committere crimen adversus pietatem. Unde apud Plautum *Rudente* legitur : *Si erga parentem aut deos impiavi ;* quod interpretes exponunt ac si Plautus dixisset : Si impius fui erga parentes. Apuleius, lib. I Metamorphoseon : *Ut adhuc credam cruore me esse humano aspersum atque impiatum*, et lib. II, *Habetis itaque reum tot cædibus impiatum.* Contra dicebant etiam Piamentum. Plinius lib. XXV, cap. 4 : *Hac evulsa scrobem repleri vario genere frugum religio est ad terræ piamentum*, et cap. 9; *Favis ante et melle terræ ad piamentum datis;* lib. XXXVII, cap. 1, *satis piamenti in unius gemmæ voluntario damno videretur.* PIARE vetus verbum est quod invenitur apud Plautum, Horatium, Senecam, alios. Significat autem purgare vel expiare.

Et omni vigore nitendum. Cum ista exstent in omnibus antiquis editionibus, in omnibus codicibus nostris et in Anglicanis, mirum est excidisse in Rigaltiana. Reinhartus et Angli reposuerunt.

IV.— *Sed teneant.* In uno codice regio legitur, *sed teneant integri salutis suæ tenorem et integritatis conservent et custodiant perpetuum vigorem.* Melius in codice sancti Arnulphi, *salutis suæ tenorem et integritatis conservatæ a se et custoditæ perpetuum vigorem.* Atque ita reponendum esse puto. In Gratianopolitano desunt hæc, *integri salutis suæ tenorem.*

Digitized by Google

morantes et Domini misericordiam deprecantes, ad Ecclesiam pulsent, ut recipi illic possint ubi fuerunt, et ad Christum redeant, a quo recesserunt. Nec audiant eos qui se fallaci [a] et mortali seductione decipiunt, cum scriptum sit: *Nemo vos decipiat inanibus verbis. Propterea enim venit ira Dei super filios contumaciæ. Nolite ergo esse participes eorum* (*Ephes.* v, 6, 7). Ergo contumaces et Deum non timentes et ab Ecclesia in totum recedentes nemo comitetur. Quod si quis impatiens fuerit ad deprecandum Dominum qui offensus est, et nobis obtemperare noluerit, sed desperatos et perditos secutus fuerit, sibi imputabit [b] cum judicii dies venerit. Quomodo enim deprecari in die illo Dominum poterit qui et ante hoc Christum et nunc quoque Ecclesiam Christi negavit et, episcopis sanis et integris et viventibus non obtemperans, comitem se et participem morientibus præbuit? Opto vos, fratres charissimi ac desiderantissimi, semper bene valere.

EPISTOLA LXV.

(Erasm., III, 9. Pamel., Rigalt., Baluz., LXV. Pariss., LXIV. Oxon., Lips., III.)

AD ROGATIANUM, DE DIACONO QUI CONTRA EPISCOPUM CONTENDIT.

ARGUMENTUM. — *Rogatianum episcopum monet Cyprianus, ut diaconi superbiam qui illum contumeliis exacerbaverat coerceat, et audaciæ suæ pœnitentiam agere cogat, ea occasione denuo repetens quæcumque de sacerdotali sive episcopali potestate supra dicta sunt Epistola* LV. *Quo autem tempore scripta sit, non satis constat, nisi quod in eadem synodo scriptam cum sequenti, initium utriusque epistolæ simile persuadeat.*

I. Cyprianus Rogatiano fratri salutem. Graviter et dolenter commoti sumus ego et collegæ mei qui præsentes aderant, frater charissime, lectis litteris tuis, quibus de diacono tuo conquestus es quod, immemor sacerdotalis loci tui et officii, ac ministerii sui oblitus, contumeliis et injuriis suis te exacerbaverit. Et tu quidem honorifice circa nos et pro solita tua humilitate fecisti, ut malles de eo nobis conqueri, cum, pro episcopatus vigore et cathedræ auctoritate, haberes potestatem qua posses de illo statim vindicari, certus quod collegæ tui omnes gratum [c] haberemus quodcumque circa diaconum tuum contumeliosum sacerdotali potestate fecisses, habens circa hujusmodi homines præcepta divina, cum Dominus Deus in Deuteronomio dicat: *Et homo quicumque fecerit in superbia ut non exaudiat sacerdotem aut judicem, quicumque fuerit in diebus illis, morietur homo ille, et omnis populus*

LECTIONES VARIANTES.

[a] Qui se falsa *Bod.* 1. *NC.* 2.
[b] Imputabitur *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. *Ebor.*
[c] Ratum *Erasm.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

V.—*Fallaci et mortali.* Ita Erasmus et quatuor libri veteres. At vetustiores editiones et quatuor item libri veteres habent *falsa et mortali seductione.*

Seductione. Ita reponendum esse permotus sum auctoritate veterum editionum et omnium fere veterum librorum. Nam vocem *circumventione*, quam Erasmus invexit, non reperi nisi in tribus antiquis codicibus. Angli testantur illam non fuisse in suis.

Desiderantissimi. Ista, quæ exstant in undecim codicibus antiquis et in antiquis editionibus, quæ vero Erasmus expunxit, ac postea alii omiserunt, ego restitui, eam etiam ob causam quod scio Cyprianum frequenter ea formula usum esse in scribendo. Præter auctoritatem veterum exemplarium sancti Cypriani, in quibus semper vidi scriptum *desiderantissimi*, exstat apud Sponium pag. 208, inscriptio vetus quæ sic etiam habet. Item apud Julium Capitolinum in Albino, *fratri amantissimo et desiderantissimo.* In editionibus Epistolarum sancti Leonis Papæ *ad Eutychem* legitur: *Dilectissimo filio Eutycheti.* At in codicibus Rustici diaconi legitur *Desiderantissimo filio Eutychi;* et in calce pro *dilectissime fili* legitur *fili desiderantissime*, ut monui in mea Conciliorum editione pag. 1011. Ibidem pag. 1514, legi *desiderantissimis*, in Epistola Cyrilli *ad Monachos* edita in actis concilii quinti, ubi vulgo scriptum est *desiderantissimis.* Et sane cum ista vox descendat a participio *desiderans*, necesse est ut scribamus *desiderantissimus.* Benedictini nostri ita interdum scripserunt in sua editione Operum sancti Augustini.

EPIST. LXV. — Hanc Epistolam fere totam integram exscripsit et suam fecit Goffridus abbas Vindocinensis lib. IV, Epist. XXII, scribens *ad Amblardum* abbatem sancti Martialis Lemovicensis, mutatis mutandis. Nam quæ istic de diacono superbo dicuntur, ea Goffridus [584] transtulit ad monachum contumacem et contumeliosum in abbatem suum. Alterius diaconi superbi vocati Maximiani mentio est apud Augustinum in libro *de Correctione Donatistarum*, cap. 4, et in Epistola *ad Bonifacium comitem.*

De diacono. Retinuimus hanc inscriptionem, quam et veteres editiones præferunt et omnes fere libri veteres. Quidam habent *de diacono* tantum, alii *de diacono ejus*, alli denique *de diacano contumaci.*

I.—*Rogatiano.* Episcopo Novensi in Mauritania. Interfuit concilio Carthaginensi sub Cypriano. Collationi Carthaginensi inter Catholicos et Donatistas adfuit Felix episcopus Novensis Catholicus. Alia fuit Nova in Mœsia secunda, cujus episcopus Petrus nominatur in codice encyclio cap. 19, in editione nostra; cap. 12, in editione Harduini, qui sequi noluit nostram, sed turbavit ordinem institutum ab eo qui primus collegit Epistolas in codice encyclio contentas. Et tamen sciebat me conquestum esse de iis qui Romanæ Conciliorum editioni præfuerunt quod mutassent ordinem veterem contra mentem ejus qui collegit Epistolas encyclias.

Collegæ mei. Angli, qui vocem *mei* legebant in suis codicibus manuscriptis, illam tamen omiserunt in sua editione. Quod cur ita fecerint divinare non potui, nisi quod puto illos, ut sæpe alias, voluisse retinere lectiones editionis Rigaltianæ. Agnoscere tamen facile poterant erratum istic esse in editione illa; indicante etiam errorem Epistola sequenti, in cujus initio scriptum est: *Graviter commoti sumus ego et collegæ mei qui præsentes aderant.* Cæterum vocem a Rigaltio et Anglis omissam præferunt omnes editiones antiquæ, XVIII libri nostri veteres, et etiam quidam Anglicani. Itaque si deest in aliquibus, qui sane sunt pauci, existimandum est id evenisse per indiligentiam et oscitantiam librariorum.

De diacono tuo. Si lectio libri Lamoniani et alius *cum*

Digitized by Google

audierit timebit, et non agent impie etiam nunc (*Deut.* XVII, 12). Et ut sciamus hanc Dei vocem[113] cum vera et summa majestate ejus [a] processisse ad honorandos ac vindicandos sacerdotes suos, cum adversus Aaron sacerdotem tres de ministris, Chore et Dathan et Abiron, ausi sunt superbisse et cervicem suam extollere et sacerdoti præposito se adæquare, hiatu terræ absorpti ac devorati, pœnas statim sacrilegæ audaciæ persolverunt. Nec soli illi, sed et cæteri ducenti quinquaginta qui eis comites ad audaciam fuerunt, prorumpente a Domino igne consumpti sunt, ut probaretur sacerdotes Dei ab eo qui sacerdotes facit vindicari. In libro quoque Regnorum, cum Samuel sacerdos a Judæorum populo ob senectutem, sicut tu modo, contemneretur, exclamavit iratus Dominus et dixit: *Non te spreverunt, sed me spreverunt* (I *Reg.* VIII, 7). Et ut hoc ulcisceretur, excitavit eis Saul regem, qui eos injuriis gravibus affligeret, et per omnes contumelias et pœnas superbum populum calcaret et premeret, ut contemptus sacerdos de superbo populo ultione divina vindicaretur.

II. Sed et Salomon in Spiritu sancto constitutus testatur et docet quæ sit sacerdotalis auctoritas et potestas, dicens: *Ex tota anima tua time Deum, et sacerdotes ejus sanctifica.* Et iterum [b]: *Honora Deum ex tota anima tua, et honorifica* [c] *sacerdotes ejus* (*Eccli.* VII, 29, 31). Quorum præceptorum memor beatus apostolus Paulus, secundum quod in Actibus Apostolorum legimus, cum ei diceretur: *Sic insilis in sacerdotem Dei maledicendo, respondit et dixit* [d]: *Nesciebam, fratres, quia pontifex est. Scriptum est enim: Principem populi tui non maledices* (*Act.* XXIII, 4). Dominus etiam noster ipse Jesus Christus, rex et judex et Deus noster, usque ad passionis diem servavit honorem pontificibus et sacerdotibus, quamvis illi nec timorem Dei nec agnitionem [e] Christi servassent. Nam, cum leprosum emundasset, dixit illi: *Vade, et monstra te sacerdoti, et offer donum* (*Matth.* VIII, 4). Humilitate ea qua nos quoque esse humiles docuit, sacerdotem adhuc appellabat quem sciebat esse sacrilegum. Item sub ictu [f] passionis cum alapam accepisset, et ei diceretur, *Sic respondes pontifici*, nihil ille contumeliose locutus est in personam pontificis, sed magis innocentiam suam tuitus est dicens: *Si male locutus sum, exprobra* [g] *de malo. Si autem bene, quid me cædis* (*Joan.* XVIII, 23)? Quæ omnia ab eo ideo facta sunt humiliter atque patienter ut nos humilitatis ac patientiæ haberemus exemplum. Docuit enim sacerdotes veros legitime et plene honorari, dum circa falsos sacerdotes ipse talis exstitit.

III. Meminisse autem diaconi debent quoniam Apostolos, id est episcopos et præpositos, Dominus elegit, diaconos autem, post ascensum Domini in cœlos, Apostoli sibi constituerunt episcopatus sui et Ecclesiæ ministros. Quod si nos aliquid audere contra Deum possumus, qui episcopos facit, possunt et contra nos audere diaconi, a quibus fiunt. Et ideo oportet diaconum [h] de quo scribis agere audaciæ suæ pœnitentiam, et honorem sacerdotis agnoscere et episcopo præposito suo plena humilitate satisfacere. Hæc sunt enim initia hæreticorum et ortus atque conatus schismaticorum male cogitantium, ut sibi placeant, ut præpositum superbo tumore contemnant. Sic de Ecclesia receditur, sic altare profanum foris collocatur, sic contra pacem Christi et ordinationem atque unitatem Dei rebellatur. Quod si ultra te contumeliis

LECTIONES VARIANTES.

[a] Ejus *omit. Oxon.*
[b] Dicit *add. Lam. Bod.* 1, 2.
[c] Et honora *Bod.* 1.
[d] Respondit dicens *Bod.* 2, *Lam.*
[e] Dignationem *Bod.* 1.
[f] Subditus *Lin.*
[g] Testimonium improba *Lam. Ebor. Bod.* 3, *NC.* 1, 2.
[h] Oportet Cassium diaconum *Lin.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

veteris in editione Anglicana laudati certa est, diaconus ille vocabatur Cassius. Concilio Carthaginensi sub Cypriano interfuit Cassius episcopus Macomadiensis.

Superbisse. Hanc lectionem inveni in tribus tantum libris veteribus. Habetur tamen in antiquis editionibus. Manutius posuit *superbi esse.* Sic etiam septem libri nostri veteres et septem Anglicani. Morellius scripsit *superbire.*

Probaretur. Ita duodecim libri nostri veteres et septem Anglicani. Veteres editiones ante Pamelianam habent *probarentur.* Ipse emendavit ex quatuor codicibus manuscriptis et veteri excuso pro eo quod Remboltus ediderat *probarentur.* In quo falsus est Pamelius. Nam editio quoque Spirensis et Veneta vetus habent eamdem lectionem; eamque nos etiam invenimus in octo exemplaribus manuscriptis.

II. — *Populi tui.* Septem libri veteres habent *plebis tuæ.* At in Epistola LV, pag. 80, et in Epistola LXIX, pag. 122, et lib. III *Testimoniorum*, cap. 12, scriptum est *populi tui.* Sic etiam legitur in editione vulgata Novi Testamenti, cap. XXIII Actorum. Vide supra pag. 454.

Dominus etiam. Hunc locum valde decurtatum et mutilum refert Juo parte V, cap. 355, et Gratianus dist. 93. Correctores Romani suppleverunt ex Epistola Cypriani.

Sub ictu passionis. Tertullianus in libro *de Oratione* dixit *sub instantia passionis*, ut recte monuit Rigaltius, qui refert locum similem ex sermone VIII sancti Leonis *de Passione Domini.* At Pamelius edidit *substantia passionis.* Quo etiam modo scriptum est in libro Agobardi bibliothecæ regiæ.

Exprobra. Sic etiam in Epistola LXIX, *ad Florentium* pag. 122. Apud Hieronymum lib. II, *adversus Pelagianos* legitur *argue de zelo seu de peccato.*

Quæ omnia. Vide notas nostras ad Agobardum pag. 107.

III. — *Diaconi.... Apostoli constituerunt.* Vide Tertullianum in libro *de Exhortatione Castitatis.*

Ascensum. Ita sexdecim libri veteres. Editione antiquæ et etiam Morelliana habent *ascensam*, eo modo quo Tertullianus et Cyprianus scribere solent defensam. pro defensione et remissam pro remissione. Verum vocem *ascensam* istic non reperi nisi in quatuor antiquis codicibus. Unus habet *ascensionem.*

Et honorem sacerdotis. Codex Beccensis, *et ut honorem sacerdotis agnoscat.* Carnotensis, *ut honorem sacerdotis agnoscat.* Metensis sancti Arnulphi, *et honorem sacerdotis agnoscat.*

Digitized by Google

suis exacerbaverit et provocaverit, fungeris circa eum potestate honoris tui, ut eum vel deponas vel abstineas. Nam, si apostolus Paulus ad Timotheum scribens dixit : *Juventutem tuam nemo despiciat* [a] (I *Tim.* IV, 12), quanto magis tibi a collegis tuis dicendum est : « Senectutem tuam nemo despiciat. » Et quoniam [sic] scripsisti quemdam cum eodem diacono tuo se miscuisse et superbiæ ejus atque audaciæ participem esse, hunc quoque, et si qui alii tales exstiterint et contra sacerdotem Dei fecerint, vel coercere poteris vel abstinere : nisi quod hortamur et monemus ut peccasse se potius intelligant et satisfaciant, et nos propositum nostrum tenere patiantur. Magis enim optamus et cupimus contumelias et injurias singulorum clementi patientia vincere, quam sacerdotali licentia vindicare. Opto te, frater charissime, semper bene valere.

EPISTOLA LXVI.

(Erasm., I, 9. Pamel., Rigalt., Baluz., LXVI. Paris., LXV. Oxon., Lips., I.)

AD CLERUM ET PLEBEM FURNIS CONSISTENTEM, DE VICTORE QUI FAUSTINUM PRESBYTERUM TUTOREM NOMINAVIT.

ARGUMENTUM. — *Cum, contra concilii episcoporum statutum, Geminius Victor testamento tutorem sive curatorem suum nominasset Geminium Faustinum presbyterum, prohibet pro illo offerri aut sacrificium pro dormitione illius celebrari; obiter, exemplo Leviticæ tribus, deducens clericos molestiis sæcularibus immiscere se non debere.*

I. Cyprianus presbyteris et diaconibus et plebi Furnis consistentibus salutem. Graviter commoti sumus ego et collegæ mei qui præsentes aderant, et compresbyteri nostri qui nobis assidebant [b], fratres charissimi, cum cognovissemus quod Geminius Victor frater noster de sæculo excedens Geminium Faustinum presbyterum tutorem testamento suo nominaverit, cum jam pridem in concilio episcoporum statutum sit ne quis de clericis et Dei ministris tutorem vel curatorem [c] testamento suo constituat, quando singuli divino sacerdotio honorati et in clerico ministerio constituti non nisi altari et sacrificiis deservire et precibus atque orationibus vacare debeant. Scriptum est enim : *Nemo militans Deo obligat* [d] *se molestiis* [e] *sæcularibus, ut possit placere ei cui se probavit* (II *Tim.* II, 4). Quod cum de omnibus dictum sit, quanto magis molestiis et laqueis sæcularibus obligari non debent qui divinis rebus et spiritalibus [f] occupati, ab ecclesia recedere et ad terrenos et sæculares actus vacare non possunt? Cujus ordinationis et religionis formam levitæ prius in lege tenuerunt, ut, cum terram [g] dividerent et possessiones partirentur undecim tribus, Levitica tribus, quæ templo et altari et ministeriis divinis vacabat, nihil de illa divisionis portione perciperet, sed, aliis terram colentibus, illa tantum Deum coleret, et ad victum atque alimentum suum ab undecim tribubus de fructibus qui nascebantur decimas perciperet [h]. Quod totum fiebat de auctoritate et dispositione divina, ut qui operationibus divinis insistebant, in nulla re avocarentur, nec cogitare aut agere sæcularia cogerentur. Quæ nunc ratio et forma in clero tenetur, ut qui in Ecclesia Domini ordinatione clerica promoventur, in nullo ab administratione divina avocentur, nec molestiis et negotiis

LECTIONES VARIANTES.

[a] Contemnat *Lam. NC.* 1, *Ebor.*
[b] Assistebant *Foss. Spir. Remb.* Nobiscum *Thu. Corb.*
[c] Custodem *Lam. Ebor. Ben.*
[d] Implicat *Foss.*
[e] Negotiis *Lam. Ebor. Lin. NC.* 1, 2.
[f] Bonis rebus *Bod.* 2. *Ebor. NC.* 2. *Lam.* Qui spiritualibus *Impr.*
[g] Et cum terram *Thu.*
[h] Reciperet *Oxon.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

[sic] *Circa eum.* Quamvis hæc lectio ferri possit, mallem tamen eam quam quinque exemplaria vetera præferunt, in quibus scriptum est *contra eum*. Ego enim sæpe vidi scriptum in antiquis codicibus *circa* pro *contra* ut e diverso. Nihil tamen volui mutare.

EPIST. LXVI. — I. *Furnis.* Collationi Carthaginensi inter Catholicos et Donatistas adfuit Florentius episcopus Furnitanus Donatista, concilio vero Carthaginensi sub Bonifactio episcopo Simon episcopus plebis Furnitanæ. Eo vero tempore quo hæc scribebat Cyprianus Furnitanorum episcopus erat Geminius, ut docent acta concilii Carthaginensis habiti sub Cypriano, idem fortasse qui Geminius Victor istic nominatur, ut conjecit Pamelius, quem refellit Pearsonius in annalibus Cyprianicis ad annum 249.

In concilio. Nulla, quod sciam, istius concilii mentio habetur alibi quam in hac Epistola. Rigaltius putavit hæc Cypriani verba transcripta ab illo esse ex decreto concilii. Nescio autem an ea sententia possit esse vera. Vide Julium Nigronium in Tractatu XIV Ascetico, cap. 2.

Clerico ministerio. Hanc lectionem, quam undecim libri veteres exhibent, præfero, quia puto illam melius convenire cum stylo Cypriani. Et tamen difficile est constituere veram lectionem hujus loci. Veteres enim editiones et quatuor libri veteres habent *clericali ministerio*, editio Manutiana et undecim libri veteres *clerico ministerio*, cum quibus consentit vetus Remigianus, quamvis illic per errorem scriptum sit *cleri comministerio*. Fuxensis et Beccensis habent *cleri ministerio*, Pithœanus *clericorum ministerio*.

Quanto magis molestiis. Rigaltius posuit *quanto magis clerici molestiis*. Verum vocem *clerici* non agnoscunt aliæ editiones, excepta Anglicana, quæ Rigaltianam imitatur, neque vetera exemplaria. Certe supervacanea est et inutilis. Itaque recte Reinhartus illam expunxit. Nos secuti sumus vetera exemplaria et veteres editiones

Ordinatione clerica. Et hanc quoque lectionem præfero ob congruentiam cum stylo sancti Cypriani, quamvis eam non repererim nisi in quinque libris veteribus et in editione Manutiana. Morelliana et unus vetus codex regius habent *ordinatione clericali*, Veronensis et alii octo *ad ordinationem clericam*, veteres editiones et octo vetera exemplaria *ad ordinationem clericalem*: Editio mea confirmatur etiam auctoritate Cypriani, qui Epist. XXXIII, pag. 46, dixit : *Merebatur talis clericæ ordinationis ulteriores gradus.* Item in versione Epistolæ Firmiliani, pag. 149 : *Sibi potestatem clericæ ordinationis assumentes.*

Digitized by Google

sæcularibus alligentur, sed in honore [a] sportulantium fratrum, tamquam decimas ex fructibus accipientes, ab altari et sacrificiis non recedant, sed die ac nocte cœlestibus rebus et spiritualibus serviant.

II. Quod episcopi antecessores nostri religiose considerantes et salubriter providentes, censuerunt ne quis frater excedens ad tutelam vel curam clericum nominaret, ac si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo [b], nec sacrificium pro dormitione ejus celebraretur. Neque enim apud altare Dei meretur nominari in sacerdotum prece qui ab altari sacerdotes et ministros voluit avocare. Et ideo Victor, cum, contra formam nuper in concilio a sacerdotibus datam, Geminium Faustinum presbyterum [115] ausus sit tutorem constituere, non est quod pro dormitione ejus apud vos fiat oblatio, aut deprecatio aliqua nomine ejus in Ecclesia frequentetur, ut sacerdotum [c] decretum religiose et necessarie factum servetur a nobis, simul et cæteris fratribus detur exemplum ne quis sacerdotes et ministros Dei altari ejus et Ecclesiæ vacantes ad sæculares molestias devocet. Observari enim de cætero poterit ne ultra hoc fiat circa personam clericorum, si quod nunc factum est fuerit vindicatum. [d] Opto vos, fratres charissimi, semper bene valere.

EPISTOLA LXVII.

(Erasm., III, 13. Pamel., Rigalt., Baluz., LXVII. Paris., LXVI. Lips., Oxon., LXVIII. Coustant., Epist. Rom. Pont. 4. p. 211.)

AD STEPHANUM, DE MARCIANO ARELATENSI, QUI NOVATIANO CONSENSIT.

ARGUMENTUM. — *Cum Martianus, Arelatensis episcopus, Novatiani sectam secutus multos seduxisset, et se communione cæterorum episcoporum per schisma separasset, monet Stephanum, summum Pontificem, ut pro sua auctoritate, absente illo, alium in locum ejus substituat, et tum lapsis tum per illum seductis, acta pœnitentia, pax detur, et ad Ecclesiam reditus concedatur.*

[117] EPISTOLA LXVIII.

(Erasm., I, 4. Pamel., Rigalt., Baluz., LXVIII. Paris., LXVII. Oxon., Lips., LXVII. Routh. Rell. Scr., III, p. 77 et 122.)

AD CLERUM ET PLEBES IN HISPANIA CONSISTENTES, DE BASILIDE ET MARTIALE.

ARGUMENTUM. — *Cum Basilides et Martialis, episcopi, lapsi essent et libellis idololatriæ contaminati, laudat Cyprianus cum coepiscopis clerum et plebem Hispaniarum, quod in locum eorum Sabinum et Felicem legitima electione substituissent; præsertim cum, juxta Cornelii statutum, episcopi lapsi ad pœnitentiam quidem agendam admitti possent, sed a sacerdotali honore prohiberentur, obiter etiam quædam attingens de veteri electionis episcoporum ritu. Sub Stephano autem scriptam esse, contextus indicat.*

[121] EPISTOLA LXIX.

(Erasm., IV, 9. Pamel., Rigalt., Baluz., LXIX. Paris., LVIII. Oxon., Lips., LXVI.)

AD FLORENTIUM PUPIANUM, DE OBTRECTATORIBUS.

ARGUMENTUM. — *Purgat se apud Florentium Pupianum Cyprianus de variis ab illo objectis criminibus; et animi ejus levitatem arguit, quod tam temere obtrectatoribus crediderit. Ex eo autem quod dicit se jam tum sex annis episcopatu functum, satis constat sub Stephano scriptam.*

I. Cyprianus, qui et Thascius, Florentio, cui et Pupiano, fratri salutem. Ego te, frater, credideram tandem jam ad pœnitentiam converti, quod in præteritum tam infanda, tam turpia, tam etiam gentilibus execranda aut audisses de nobis temere aut credidisses. Porro autem etiam nunc in litteris tuis animadverto eumdem te adhuc esse qui prius fueras, eadem te de nobis credere et in eo quod credideris perseverare, et, ne forte claritatis et martyrii tui dignitas nostra communicatione maculetur, in mores nostros diligenter inquirere, et post Deum judicem,

LECTIONES VARIANTES.

[a] Donaria *NC.* 2.
[b] Pro eo sacrificium, nec pro dormitione *Lam. Ebor. Eod.* 2. *NC.* 1, 2.
[c] Oblatio aliqua nomine ejus in Ecclesia, ut sacerdotum *Bod.* 1. *Thu.* Aut delegatio aliqua nomine ejus *Corb.*
[d] *Desunt seqq. in Lam. Ebor. NC.* 1; *et quidem formula ista valedictoria in mss. plerisque perpetuo abest.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

II. — *Pro dormitione.* Hoc loco rursum observanda est inscitia et incuria veterum librariorum. Duo libri veteres pro *dormitione* habent *ordinatione*, falso et inepto sensu. Idem dicendum de voce *deprecatio*, quæ paulo post sequitur, pro qua in libro Corbeiensi et in Fuxensi legitur *delegatio*. Angli monent ita quoque scriptum esse in Thuano. Quod verum non est. Quippe hæ duæ voces, *aut deprecatio*, in illo desunt, et nihil in earum loco positum est.

Dormitione. Mortis nomen, ut ad Epistolam tertiam observat Rigaltius, quantum poterant evitabant Christiani ob spem resurrectionis et vitæ sempiternæ. Itaque pro mortuo dicebant præmissum, et pro morte obitum, excessum, dormitionem, et assumptionem, uti facile esset probare testimoniis Tertulliani, Cypriani, Hieronymi, et aliorum. Vide annotationes Erasmi in caput IX Lucæ. Assumptionem Petri, assumptionem Pauli et cæterorum sæpe reperi in antiquis codicibus qui continent vitas sanctorum. Nota est controversia quæ ævo nostro emersit in ecclesia Parisiensi propter Assumptionem beatissimæ virginis Mariæ. Non est hujus loci eam retractare. Illud tantum dicam : Joannem Papam XXII putasse illam nondum in cœlum ivisse et illam non intraturam in gaudium domini sui ante diem judicii. Vide notas nostras ad vitas Paparum Avenionensium, pag. 789.

Sacerdotes et ministros. Codex Fuxensis, *sacerdotes et Dei ministros ab altario ejus et ecclesia evacuant ad sæculares molestias devocant.*

Ministros. Editiones Erasmi et Morellii addunt *suos levitas.* Ego hanc Epistolam inveni in XIX exemplaribus antiquis, et in nullo eorum reperi hoc additamentum. Recte ergo fecerunt Manutius et alii illud abjicientes.

[493] EPIST. LXIX. — 1. *Pupiano.* Joannes Tristanus a sancto Amantio in tomo secundo Commentariorum

Digitized by Google

qui sacerdotes facit, te velle, non dicam de me (quantus enim ego sum [a]) ! sed de Dei et Christi judicio judicare. Hoc est in Deum non credere, hoc est rebellem adversus Christum et adversus Evangelium ejus existere, ut cum ille dicat : *Nonne duo passeres asse vœneunt ? et neuter eorum cadit in terram sine Patris voluntate* (*Matth.* x, 29), et probet majestas ejus et veritas sine conscientia et permissu Dei etiam minora non fieri, tu existimes sacerdotes Dei sine conscientia ejus in Ecclesia ordinari ? Nam credere quod indigni et incesti sint qui ordinantur, quid aliud est quam credere [b] quod non a Deo nec per Deum sacerdotes ejus in Ecclesia constituantur ?

II. An putas majus esse de me meum quam Dei testimonium, cum Dominus ipse doceat et dicat testimonium non esse verum si quis ipse de se testis existat, eo quod unusquisque utique sibi faveat [c], nec contra se aliquis infesta et adversa depromat, fides vero sincera sit veritatis [d], si in prædicationibus nostris alius sit prædicator ac testis : *Si testimonium*, inquit, *dixero de me, testimonium meum non est verum. Alius est enim qui testis est de me* (*Joan.* v, 31, 32). Quod si ipse Dominus, omnia [e] postmodum judicaturus [f], noluit de testimonio suo sibi credi, sed maluit de judicio ac testimonio Dei Patris probari, quanto magis hoc servos ejus observare oportet, qui judicio ac testimonio Dei non probantur tantum, sed etiam gloriantur. Prævaluit autem apud te contra divinam sententiam et contra conscientiam nostram, fidei suæ viribus nixam, inimicorum et malignorum commentum, quasi apud lapsos et profanos et extra Ecclesiam positos, de quorum pectoribus excesserit Spiritus sanctus, esse aliud possit nisi mens prava et fallax lingua et odia venenata et sacrilega mendacia ; quibus qui credit, cum illis necesse est inveniatur cum judicii dies venerit.

III. Quod vero dixisti sacerdotes humiles esse debere, quia et Dominus et Apostoli ejus humiles fuerunt, humilitatem meam et fratres omnes et gentiles quoque optime norunt et diligunt ; et tu quoque noveras et diligebas, [123] cum adhuc in Ecclesia esses et mecum communicares. Quis autem nostrum longe est ab humilitate, utrumne ego, qui quotidie fratribus servio, et venientes ad Ecclesiam singulos benigne et cum voto et gaudio suscipio? an tu, qui te episcopum episcopi et judicem judicis [g] ad tempus a Deo dati constituis ? cum Dominus Deus in Deuteronomio dicat : *Et homo quicumque fecerit in superbia ut non exaudiat sacerdotem aut judicem, quicumque fuerit in diebus illis, morietur homo ille, et omnis populus cum audierit timebit, et non agent impie etiam nunc* (*Deut.* xvii, 12, 13). Et iterum ad Samuelem loquitur et dicit : *Non te spreverunt, sed me spreverunt* (III *Reg.* viii, 7). Et adhuc Dominus in Evangelio, cum ei dictum esset, *Sic respondes Pontifici*, custodiens et docens sacerdotalem [h] honorem servari oportere, contra Pontificem nihil dixerit, sed innocentiam suam tantummodo purgans responderit dicens : *Si male locutus sum, exprobra de malo. Si autem bene, quid me cædis* (*Joan.* xviii)? Item beatus Apostolus, cum ei dictum esset, *Sic insilis in sacerdotem Dei maledicendo* (*Act.* xxiii, 4, 5), nihil contumeliose locutus sit adversus sacerdotem, quando et potuerit se constanter exerere adversus eos qui Dominum crucifixissent et qui jam Deum et Christum et templum et sacerdotium perdidissent [i] ; sed, quamvis in falsis et spoliatis sacerdotibus umbram tamen ipsam inanem sacerdotalis nominis cogitans dixerit : *Nesciebam, fratres, quia pontifex est. Scriptum est enim : Principem populi* [j] *tui non maledices* (*Exod.* xxii, 23).

IV. Nisi si sacerdos tibi fui ante persecutionem, quando mecum communicabas, post persecutionem sacerdos esse desivi. Persecutio enim veniens te ad summam martyrii sublimitatem provexit, me autem

LECTIONES VARIANTES.

[a] Sum *deest* in *Spir. Innom. Erasm.*
[b] Contendere. *Lam. Ebor. Bod.*, 2. *NC.* 1, 2. *Ben. Neap.* Concedere *Ver.*
[c] Placeat *Ver.*
[d] Sincera sit si veritas *Lin.*
[e] Cum omnia *Lam. NC.* 1. Qui omnia *Pem. Bod.* 1.
[f] Judicaturus sit *Lam. Lin. Bod.*, 1, 2. *Ebor. NC.* 1, 2.
[g] Episcopum episcopo, et judicem judici *Bod.* 2. *Lam. Ebor.*
[h] Sacerdotibus *Lin. NC.* 2.
[i] Amisissent *Lin. NC.* 2.
[j] Plebis *Bod.* 1, 2. *Lam. Ebor. Lin. NC.* 1, 2.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

suorum pag. 493 suspicatur legi heic posse *Pupienus*, quia in *Historia Augusta* invenit plures ita nominatos. (Crediderim Pupianum invidisse Cypriano Cæcilii nomen et per contemptum Thascii titulo salutasse, quo inter gentiles noscebatur. Oxon.)

Minora. Codex Carnotensis, *minima.*

II.—*Fides vero sincera.* Codex sancti Arnulphi : *Fides vero incerta sit veritatis, nisi alius sit prædicator et testis.*

Testis est de me. Codex Fuxensis, *testificat de me.*

Fidei suæ viribus. Ita legi in undecim antiquis exemplaribus et in editionibus Manutii et Morellii. Spirensis, Veneta vetus, Erasmica, et alia quinque exemplaria vetera habent *Dei juribus*, haud dubie per errorem librariorum. Nam sæpe in antiquis codicibus manuscriptis vidi scriptum *juribus* pro *viribus* et e converso.

III.—*Quia et Dominus.* Codex sancti Arnulphi, *quia et Apostoli humiles fuerunt.*

Exerere. Idem codex *experiri.*

Populum. Retinui hanc lectionem, quia convenit cum pluribus antiquis codicibus, et quia ita legitur in Epistola lv, pag. 81, et in Epistola lxv, pag. 115. Et tamen *plebis tuæ* scriptum est in duodecim vetustis exemplaribus nostris et in septem Anglicanis, in veteribus editionibus, et etiam in Manutiana et Morelliana.

Persecutio enim. Codex sancti Arnulphi : *Persecutio enim te venientem ad summam.*

IV.—*Me autem.* Multum variant in hoc loco libri veteres. In Divionensi quippe, in Metensi sancti Arnulphi, et in Lamoniano scriptum est : *Me autem proscriptionis honore depressit, cum magis publice legeretur : Si quis de bonis Cæcilii Cypriani episcopi.* Sic etiam fere unus meus vetus. Unus Remigianus sic : *Me autem cum proscriptio Cæcilii Cypriani legeretur,*

Digitized by Google

proscriptionis onere depressit, cum publice legeretur : « *Si quis tenet vel possidet de bonis Cæcilii Cypriani episcopi Christianorum* ; » ut etiam *qui non credebant Deo episcopum constituenti, vel diabolo crederent* [a] *episcopum proscribenti*. Nec hæc jacto, sed dolens profero, cum te judicem Dei constituas et Christi, qui dicit ad Apostolos, ac per hoc ad omnes præpositos qui Apostolis vicaria ordinatione succedunt : *Qui audit vos, me audit ; et qui me audit, audit eum qui me misit. Et qui rejicit vos, me rejicit et eum qui me misit* (*Luc.* XI).

V. Inde enim schismata et hæreses obortæ sunt et oriuntur, dum episcopus, qui unus est et Ecclesiæ præest, superba quorumdam præsumptione contemnitur, et homo dignatione Dei honoratus indignus hominibus judicatur. Quis enim hic est superbiæ tumor, quæ arrogantia animi, quæ mentis inflatio, ad cognitionem suam præpositos et sacerdotes vocare, ac nisi apud te purgati fuerimus et sententia tua absoluti, ecce jam sex annis nec fraternitas habuerit episcopum, nec plebs præpositum, nec grex pastorem, nec Ecclesia gubernatorem, nec Christus antistitem [b], nec Deus sacerdotem. Subveniat Pupianus et sententiam dicat et judicium Dei et Christi in acceptum referat, ne tantus fidelium [c] numerus, qui sub nobis arcessitus est, sine spe salutis et pacis exisse videatur, nec novus credentium populus nullam per nos consecutus esse Baptismi et Spiritus sancti gratiam judicetur, ne tot lapsis et pœnitentibus pax data et communicatio nostra examinatione concessa judicii tui auctoritate solvatur. Annue aliquando et dignare pronuntiare de nobis et episcopatum nostrum cognitionis tuæ auctoritate firmare, ut Deus et Christus ejus agere tibi gratias possint quod per te sit antistes et rector altari eorum pariter et plebi restitutus.

VI. Apes habent regem et ducem pecudes, et ei fidem servant : latrones mancipi [d] obsequio pleno [123] humilitatis obtemperant. Quanto simpliciores et meliores vobis sunt brutæ pecudes et muta animalia, et cruenti licet ac furentes inter gladios atque inter arma prædones ? Præpositus illic agnoscitur et timetur quem non sententia divina constituit, sed in quem factio perdita et nocens caterva consensit.

VII. Dixisti sane scrupulum tibi esse tollendum de animo, in quem incidisti. Incidisti, sed tua credulitate irreligiosa ; incidisti, sed tua mente et voluntate sacrilega, dum incesta, dum impia, dum nefanda contra fratrem, contra sacerdotem facile audis, libenter credis, aliena mendacia quasi propria et privata defendis ; nec recordaris scriptum esse : *Sepi aures tuas spinis, et noli audire linguam nequam* (*Eccli.* XXVIII, 28). Et iterum : *Malus obaudit linguæ iniquorum, justus autem non intendit labiis mendacibus* (*Prov.* XVII, 4). Quare in hunc scrupulum non inciderunt martyres sancto Spiritu pleni et ad con-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Credebat... crederet *Bod.* 1, 2. *Lam. Ebor. Lin. NC.* 1, 2.

[b] Spiritus sanctus antistitem *Lin.*

[c] Novus credentium *Bod.*, 1, 2. *Lam. Ebor. Lin. NC.*, 1, 2.

[d] Et fidem servant latrones, mancipi *Oxon.* Mancipia *Lam. Bod.*, 1, 2. *Ebor. NC.* 1.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

Si quis tenet possidet, honore depressit, cum magis publice legeretur : Si quis tenet [sic] *de bonis Cæcilii Cypriani episcopi Christianorum, proscribatur, ut etiam*, etc.

Onere. Sex libri nostri veteres duo Anglicani, et Veronensis habent *honore*, ut in locis paulo ante laudatis tria *horrore*. Vide observationes Rigaltii.

Episcopi Christianorum. Erasmi editio addit *proscribatur*. Quod ego nuspiam inveni quam in Remigiano quem paulo ante laudavi. Sed illic omnia sunt valde confusa et permixta.

Vicaria ordinatione. Vide notas nostras ad *Lupum Ferrariensem* pag. 422, 425, 427.

V. — *Inde enim*. Veteres editiones et Morelliana et octo vetera exemplaria habent : *Unde enim schismata et hæreses obortæ sunt et oriuntur nisi dum episcopus*. Nos secuti sumus auctoritatem plurium veterum exemplarium.

Indignus hominibus. Hanc lectionem confirmant undecim libri veteres et editiones Manutii et Morellii. At antiquæ et duo libri manuscripti præferunt *ab indignis hominibus*. Sic Paulinus episcopus Treverensis indignus Ecclesia ab episcopis Arrianis judicatus est, ut monuimus ad Lupum Terrariensem, pag. 486.

Nec fraternitas. Codex Fuxensis, *nec clerus habuerit episcopum*. Quam lectionem ego lubenter præferrem, si plurium veterum librorum auctoritate niteretur.

Et communicatio. Quatuor libri veteres, *et lege communicationis tradita*.

Cognitionis tuæ auctoritate. Tres libri veteres, *cognitionis tuæ judicio reformare*. Duo alii, *cognitionis tuæ vigore reformare*. Ita etiam Sorbonicus, nisi quod in eo vox *vigore* excidit librario. In Thuano scriptum est *cognitionis tuæ victore formare*. In Lamegniano *cognitionis tuæ victorem*. Quæ omnia videantur innuere legendum fortean esse *cognitionis tuæ vigore*.

VI. — *Et ducem pecudes*. Quidam libri veteres istic omittunt vocem *pecudes*, et *judicem* scriptum habent pro *ducem*.

Latrones mancipi. Id est principi, duci suo, seu præposito, ut dicet paulo post Cyprianus. Lucifer Calaritanus, in Apologia secunda pro sancto Athanasio : *Ex fructibus tuis, Imperator Constanti, non esse Christianus sed plane manceps latronum esse cognoscaris*. Mancipem operarum dixit Suetonius in Vespasiano eum qui ex Umbria in Sabinis ad culturam agrorum quotannis commeare solebat. Prudentius in Carmine de sancto Vincentio martyre custodem carceris vocat mancipem : *Tum ipse manceps carceris et vinculorum janitor*. Cicero lib. I Officiorum : *Etiam leges latronum esse dicuntur quibus pareant, quas observent*. Item in Oratione pro domo sua : *Postremo ne in prædæ quidem societate mancipem aut prædonem factum reperire potest*. Cælius Calcagninus lib. I, Epist. 21, mancipes interpretatur, conductores redemptoresque vectigalium. Vide Jacobi Gothofredi notas ad librum primum Tertulliani, *ad Nationes* cap. 9.

Quanto simpliciores. Quinque libri veteres habent : *Quanto simpliciora et meliora vobis sunt bruta et crudeles ac furentes*. In uno vero in quo eadem lectio reperitur scriptum, est *muta* pro *bruta*. Fuxensis : *Quanto simpliciores et meliores bruta animalia*.

Digitized by Google

spectum Dei et Christi ejus passione jam proximi, qui ad Cyprianum episcopum litteras de carcere direxerunt, sacerdotem Dei agnoscentes et contestantes ei. Quare in hunc scrupulum non inciderunt tot episcopi collegæ mei, qui vel cum de medio recederent [a] proscripti sunt, vel apprehensi in carcerem conjecti et in catenis fuerunt, aut qui, in exilium relegati, illustri itinere ad Dominum profecti sunt, aut qui quibusdam locis animadversi cœlestes coronas de Domini clarificatione sumpserunt. Quare in hunc scrupulum non inciderunt de plebe ista nostra quæ apud nos est, et nobis de Dei dignatione commissa est, tot confessores quæstionati et torti et insignium vulnerum et cicatricum memoria gloriosi, tot virgines integræ, tot laudabiles viduæ, ecclesiæ denique universæ per totum mundum nobiscum unitatis vinculo copulatæ? Nisi si omnes [b] isti communicantes mecum, secundum quod scripsisti, polluto nostro ore polluti sunt et spem vitæ æternæ communicationis nostræ contagione perdiderunt. Pupianus solus integer, inviolatus, sanctus, pudicus, qui nobis miscere se noluit, in paradiso atque in regno cœlorum solus habitabit.

VIII. Scripsisti quoque quod Ecclesia nunc propter me portionem sui in disperso habeat, quando omnis Ecclesiæ populus et collectus sit et adunatus et individua concordia sibi junctus, soli illi foris remanserint qui, etsi intus essent, ejiciendi fuerant, nec patiatur Dominus, populi sui protector et tutor, triticum de area sua diripi, sed solæ possint paleæ de Ecclesia separari, quando et Apostolus dicat: *Quid enim si exciderunt a fide quidam illorum?* *Numquid infidelitas illorum fidem Dei evacuavit? Absit. Est enim Deus verax, omnis autem homo mendax* (*Rom.* III, 3, 4). Et Dominus quoque in Evangelio, cum eum loquentem discipuli derelinquerent, conversus ad duodecim dixit: *Numquid et vos vultis ire? Respondit ei Petrus dicens: Domine, ad quem ibimus* [c]*? Verbum vitæ* [d] *æternæ habes: et nos credimus et cognovimus quoniam tu es Filius Dei vivi* (*Joan.* VI, 67). Loquitur illic Petrus, super quem ædificanda fuerat Ecclesia, Ecclesiæ nomine docens et ostendens quia, etsi contumax ac superba obaudire nolentium multitudo discedat, Ecclesia tamen a Christo non recedit, et illi sunt Ecclesia plebs sacerdoti adunata et pastori suo grex adhærens. Unde scire debes episcopum in Ecclesia esse et Ecclesiam in episcopo, et si quis cum episcopo non sit, in Ecclesia non esse; et frustra sibi blandiri eos qui pacem cum sacerdotibus Dei non habentes obrepunt et latenter apud quosdam communicare se credunt, quando Ecclesia, quæ catholica et una est, scissa non sit neque divisa, sed sit utique connexa et cohærentium [125] sibi invicem sacerdotum glutino copulata.

IX. Quamobrem, frater, si majestatem Dei, qui sacerdotes ordinat, cogitaveris; si Christum [e], qui arbitrio et nutu ac præsentia sua et præpositos ipsos et Ecclesiam cum præpositis gubernat, aliquando respexeris, si de innocentia sacerdotum, non humano odio, sed divino judicio crediderit, si temeritatis et superbiæ atque insolentiæ tuæ agere vel sero pœnitentiam cœperis, si Deo et Christo ejus, quibus sacrificia et quibus puro atque immaculato ore sacrificia

LECTIONES VARIANTES.

[a] Recesserunt *Bod.* 1.
[b] Nisi omne *Lam. Ebor. Lin. Bod.* 2. *NC.* 1.
[c] Imus *Rigalt. contra mss. et edd.*
[d] Verba vitæ *Oxon.*
[e] Ordinat Christi *Lam. Lin. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 1. *Spir. Innom.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

VII.—*Tot episcopi.* Revocavi lectionem veterum editionum, quæ confirmatur auctoritate veterum exemplarium. Manutius et Morellius posuerunt *coepiscopi*. Quæ lectio reperitur in septem antiquis codicibus.

Quæstionati. Id est quæstioni appliciti. Carnifices vocantur quæstionarii in veteri versione concilii Ephesini et apud Marium Mercatorem. Vide supra, p. 408.

Solus integer. Sic Hieronymus in Epistola ad *Pammachium*, alloquens Joannem Hierosolymitanum, ait: *Tu beatissimus Papa et fastidiosus antistes, solus dives, solus sapiens, solus nobilis ac disertus, conservos tuos et redemptos sanguine Domini tui rugata fronte et obliquis oculis despicis.* Contrario sensu Socrates apud Apuleium in libro primo *Metamorphoseon* vocatur integer, sanus, incolumis.

VIII.—*Ejiciendi forent.* Rufinus in Psal. XXIV, loquens de hujusmodi hominibus, ait: *Non solum enim foris, sed etiam in ipsa intus Ecclesiæ communione non desunt inimici.*

Ædificanda. Sic omnino scribendum est. Nondum enim cum hæc dicta a Petro sunt, Christus ei sponsionem fecerat de ædificanda super ipsum Ecclesia. Hanc autem lectionem præferunt plures antiqui codices et veteres editiones. Vide annotationes Erasmi in caput XVI Matthæi.

[125] *Ecclesiæ nomine.* Quia Petrus gerebat totius Ecclesiæ figurata generalitate personam, ut ait Augustinus. Inutiliter se torquent qui argumentum hoc alio transferre conantur.

Obaudire nolentium. Ita veteres editiones et quatuor libri veteres. Ita etiam apud Nicolaum de Cusa lib. XI, cap. 14 *de Concordantia* Ecclesiæ Catholicæ. Manutius posuit *volentium*. Quod etiam placuit Morellio, Pamelio, et Rigaltio, qui tameu in *Erratis* annotavit legendum esse *nolentium*. Id vero non animadverterunt Angli, qui alioqui fere semper sequuntur editionem Rigaltii. Posuerunt enim in sua *volentium*. Reinhartus amplexus est emendationem Rigaltii. Hæc autem est vera lectio. Alia ferri non potest.

Scire debes. Apud Juonem parte V, cap. 360, et apud Gratianum VII, q. 1 citatur ex Epistola Cypriani ad *Pupianum* sive ad *Papinianum*, ut alii scripsere. Correctores Romani emendaverunt et monuerunt exstare in Epistola ad *Florentium Pupianum*. Ex hoc loco Joannes de Turre Cremata sumpsit argumentum invehendi in episcopos titulares, qui neque ecclesiam habent neque plebem, de quibus nos nuper nonnulla satis curiosa diximus lib. III, cap 19, Historiæ Tutelensis. De his tollendis actum est anno 1547, die sabbati quinta Februarii in *Concilio Tridentino*, quod ab iis multa damna et incommoda sustineat Ecclesia et nullam vel modicam utilitatem recipit, ut ex codice MS. archivi Vaticani docuit Odoricus Raynaldus an. 1547, §. 76. De iis etiam tollendis actum postremo est ad relationem illustrissimi viri Francisci Bosqueti episcopi Lodovensis anno 1656, in conventu Ecclesiæ Gallicanæ. Vide *Acta*, pag. 300, 344.

Episcopum in Ecclesia. Certissimum est episcopum

Digitized by Google

et in persecutione pariter et in pace indesinenter offero, plenissime satisfeceris, communicationis tuæ poterimus habere rationem, manente tamen apud nos divinæ censuræ respectu et metu, ut prius Dominum meum consulam an tibi pacem dari et te ad communicationem Ecclesiæ suæ admitti sua ostensione et admonitione permittat.

X. Memini enim quid jam mihi sit ostensum, immo quid sit servo [a] obsequenti et timenti de Dominica et Divina auctoritate præceptum; qui, inter cætera quæ ostendere et revelare dignatus est, et hoc addidit: « Itaque qui Christo non credit [b] sacerdotem facienti, et postea credere incipiet [c] sacerdotem vindicanti. » Quamquam sciam somnia ridicula et visiones ineptas quibusdam videri, sed utique illis qui malunt contra sacerdotes credere quam sacerdoti. Sed nihil mirum; quando de Joseph fratres sui dixerunt: *Ecce somniator ille venit: nunc ergo venite, occidamus illum* (*Gen.* XXXVII, 19, 20), et somniator postea quod somniaverat consecutus sit, et occisores ac venditores confusi sint; ut qui verbis prius non credidissent, factis postmodum crederent. De iis autem quæ tu egisti vel in persecutione vel in pace stultum est ut velim te judicare, quando tu magis judicem te nostri constitueris. Hæc pro animi mei pura conscientia et pro Domini et Dei mei fiducia rescripsi. Habes tu litteras meas, et ego tuas. In die judicii ante tribunal Christi utrumque recitabitur [d].

EPISTOLA LXX.

(Erasm., I, 2. Pamel., Rigalt., Baluz., Oxon., Lips., LXX. Paris., LXIX. Routh., Reli. scr. III, p. 84 et 135.)

AD JANUARIUM ET CÆTEROS EPISCOPOS NUMIDAS, DE BAPTIZANDIS HÆRETICIS.

ARGUMENTUM.— *Argumentum hujus et sequentis epistolæ habes tertia post hanc epistola ad Stephanum in hæc verba:* « *Baptismum non esse quo hæretici utuntur, nec quemquam apud eos qui Christo adversantur per gratiam Christi posse proficere, diligenter nuper expressum est in epistola quæ ad Quintum, collegam nostrum in Mauritania constitutum super ea rescripta est; item in litteris quas collegæ nostri ad episcopos in Numidia præsidentes ante fecerunt, cujus utriusque epistolæ exempla subdidi.* » *Utriusque etiam fit mentio in epistola ad Jubaianum, et hujus epistola sequenti.*

[126] EPISTOLA LXXI.

(Erasm. *ad Quintinum*, p. 337. Pamel., Rigalt., Baluz., Oxon. Lips. LXXI Paris., LXX.)

AD QUINTUM, DE HÆRETICIS BAPTIZANDIS.

ARGUMENTUM.— *Respondetur Quinto, in Mauritania episcopo, consulenti de hæreticis baptizandis.*

I. Cyprianus Quinto fratri salutem. Retulit ad me, frater charissime, Lucianus compresbyter noster te desiderasse ut significaremus tibi quid sentiamus de his qui apud hæreticos et schismaticos baptizati videntur. De qua re quid nuper in concilio plurimi coepiscopi, cum compresbyteris qui aderant, censue-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Quid servo *Oxon.*
[b] Crederet *Impr.*
[c] Incipit *Rigalt.*
[d] Utræque recitabuntur *Oxon.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

in Ecclesia esse et Ecclesiam in episcopo. Ecclesia enim est plebs sacerdoti adhærens. Fuit quidam scriptor non incelebris qui desinente Christi sæculo XVI, ita explicaret hunc Cypriani locum ac si Cyprianus sensisset summum Pontificem esse supra concilium, cum tamen nulla istic mentio fiat Episcopi Romani neque concilii. Sic sæpe fit ut zelus abripiat homines in opiniones detortas.

X.— *Quid mihi sit ostensum.* Vetustis illis temporibus revelationes accipiebantur in somno, ut patet ex Tertulliano, Cypriano, Rufino, et aliis. Postea, cum Religio Christiana libertate integra fruebatur, Christus, beata virgo Maria, Petrus apostolus, et cæteri sancti se conspicuos præbuerunt piis et credulis hominibus et cum eis loquebantur facie ad faciem sicut amicus loqui solet ad amicum suum. Harum visionum infinita exstant exempla in Historia Ecclesiastica. SanctusVincentius Ferrarii Sermone in Octava Innocentium: *Multa somnia sunt quæ creduntur divinæ revelationes et sunt illusiones.* Vide supra, pag. 452.

Somnia. Ammianus Marcellinus, lib. XV, tradit doctos quosdam doluisse quod apud Atlanteos nati non essent, ubi memorantur somnia non videri. Idem testatur Martianus Capella, lib. VI, in Descriptione interioris Africæ.

Visiones ineptas. Ælius Spartianus in Adriano, cum narrasset historiam de muliere quadam quæ dicebat somnio se monitam ut insinuaret Adriano ne se occideret, addit Marium Maximum commemorare hæc per simulationem facta. Nam ethnici multum tribuebant nocturnis illis visionibus, ut patet ex extrema parte Metamorphoseon Apuleii, ex libro secundo T. Livii, Valerio Maximo, et aliis. Quintilianus, lib. IV, cap. 2: *Somniorum et superstitionum colores ipsa jam facilitate auctoritatem perdiderunt.* Vide etiam Lactantium lib. II, cap. 8, et præfationem Nicolai Gerbelii ad librum *Pastoris.*

Utrumque recitabitur. Ita veteres editiones, duodecim libri nostri veteres, et unus Bodleianus. Manutius edidit: *utræque recitabuntur.* Quamvis autem sciam lectionem illam extare in tribus antiquis exemplaribus et posse esse bonam, non dubito quin ea præferenda sit quam retinui.

[126] EPIST. LXXI. — I. Hujus Epistolæ prima editio debetur Erasmo, qui illam edidit anno 1519. Verum quia exstat extra ordinem Epistolarum, et posita est post libros *Testimoniorum*, post Epistolas ad Jubaianum et ad Pompeium, non animadvertens Eckius illam esse extra numerum Epistolarum, cum illius exemplar haberet, ex ea tamquam inedita fragmentum attulit in libro II, cap. 1, de Primatu Papæ, et quædam ejus verba describit ex libro II Augustini *contra Donatistas*, cap. 1. Emendavi illam collatione facta cum sexdecim codicibus antiquis.

Quinto fratri. Episcopum fuisse in Mauritania docebit sequens epistola.

Lucianus. Illum ego esse puto qui scripsit Epistolas XVI et XXI, cujus etiam mentio habetur in Epistola XXII.

In concilio. Vide Epistolam LXX ad Numidas.

Digitized by Google

rimus ut scires, ejusdem epistolæ exemplum tibi misi. Nescio etenim qua præsumptione ducuntur quidam de collegis nostris, ut putent eos qui apud hæreticos [a] tincti sunt, quando ad nos venerint, baptizari non oportere, eo quod dicant unum Baptisma esse : quod unum scilicet ideo est, quia Ecclesia una est, et esse Baptisma extra Ecclesiam non potest. Nam, cum duo baptismata esse non possint, si hæretici vere baptizant, ipsi habent baptisma. Et qui hoc illis patrocinium de auctoritate sua præstat, cedit illis et consentit ut hostis et adversarius Christi habere videatur abluendi et purificandi et sanctificandi hominis potestatem. Nos autem dicimus eos qui inde veniunt non rebaptizari apud nos, sed baptizari. Neque enim accipiunt illic aliquid ubi nihil est; sed veniunt ad nos ut hic accipiant ubi et gratia et veritas omnis est, quia et gratia et veritas una est. Porro autem quidam de collegis nostris malunt hæreticis honorem dare quam nobis consentire; et dum, unius Baptismi asseveratione, baptizare venientes nolunt, sic aut duo baptismata ipsi faciunt, dum et apud hæreticos baptisma esse dicunt, aut certe, quod est gravius, hæreticorum sordidam et profanam tinctionem vero et unico et legitimo Ecclesiæ catholicæ Baptismo præponere et præferre contendunt, non considerantes scriptum esse : *Qui baptizatur a mortuo, quid proficit lavatio ejus* [b] (*Eccli.* XXXIV, 30)? Manifestum est autem eos qui non sunt in Ecclesia Christi inter mortuos computari, nec posse ab eo vivificari alterum [127] qui ipse non vivat, quando una sit Ecclesia, quæ vitæ æternæ gratiam consecuta et vivit in æternum et vivificat Dei populum.

II. Et dicunt se in hoc veterem consuetudinem sequi, quando apud veteres hæreseos et schismatum prima adhuc fuerint initia, ut hi illic essent qui de Ecclesia recedebant, et hic baptizati prius fuerant; A quos tunc tamen, ad Ecclesiam revertentes et pœnitentiam agentes, necesse non erat baptizare. Quod nos quoque hodie observamus, ut quos constet hic baptizatos esse et a nobis ad hæreticos transiisse, si postmodum, peccato suo cognito et errore digesto, ad veritatem et matricem redeant, satis sit in pœnitentiam manum imponere; ut quia ovis jam fuerat [c], hanc ovem abalienatam et errabundam in ovile suum pastor recipiat. Si autem qui ab hæreticis venit, baptizatus in Ecclesia prius non fuit, sed alienus in totum et profanus venit, baptizandus est ut ovis fiat, quia una est aqua in Ecclesia sancta quæ oves faciat. Et idcirco, quia nihil potest esse commune mendacio et veritati, tenebris et luci, morti et immortalitati, antichristo et Christo, B per omnia debemus Ecclesiæ catholicæ unitatem tenere, nec in aliquo fidei et veritatis hostibus cedere.

III. Non est autem de consuetudine præscribendum, sed ratione vincendum. Nam nec Petrus, quem primum Dominus elegit, et super quem ædificavit Ecclesiam suam, cum secum Paulus de circumcisione postmodum disceptaret, vindicavit sibi aliquid insolenter aut arroganter assumpsit, ut diceret se primatum tenere et obtemperari a novellis et posteris sibi potius oportere. Nec despexit Paulum quod Ecclesiæ prius persecutor fuisset, sed consilium veritatis admisit, et rationi legitimæ quam Paulus vindicabat facile consensit (*Gal.* II, 14); documentum scilicet nobis et concordiæ et patientiæ tribuens, ut non pertinaciter nostra amemus, sed quæ aliquando C a fratribus et collegis nostris utiliter et salubriter suggeruntur, si sint vera et legitima, ipsa potius nostra ducamus [d]. Cui rei Paulus quoque prospiciens, et concordiæ et paci fideliter consulens, in epistola sua posuit dicens : *Prophetæ autem duo aut tres loquantur, et cæteri examinent. Si autem alii revelatum fuerit sedenti, ille prior taceat* (I *Cor.* XIV, 29, 30).

LECTIONES VARIANTES.

[a] Et schismaticos *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2.
[b] Lavatione *Bod.* 1. *Lin.*
[c] Ovis fuerat *Oxon.*
[d] Ipsa potius amplectamur *Thu.* Ista *Foss.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

Quidam de collegis, ut Florentius cognomento Pupianus, ut patet ex Epistola LXIX ad eum scripta.

Quod unum scilicet. Retinui lectionem quinque veterum librorum, quæ mihi videtur esse optima. Erasmus et alii post eum posuerunt, *quod unum scilicet in Ecclesia Catholica est. Quæ Ecclesia si est una, esse extra Ecclesiam Baptisma non potest.* Quidam libri veteres habent *præter Ecclesiam.*

Duo baptismata. Editiones Erasmi et Morellii addunt *aut multa.* Verum ea desunt in quatuordecim libris veteribus. Habentur tamen in Corbeiensi. Arator lib. II Actuum Apostolicorum : *Quid geminum Baptisma cupis simulare profana.* Optatus, lib. I : *Vides ergo, fratrer Parmeniane, hæreticos a domo veritatis extorres solos habere varia et falsa baptismata, quibus inquinatus non possit abluere, immundus emundare, supplantator erigere.* Ubi nemo non videt legendum esse *supplantatus.*

Hostis et adversarius. Sic restituimus hunc locum pro eo quod aliæ editiones habent *hostes et adversarii*, quia ita scriptum vidimus in omnibus antiquis codicibus.

[128] *Qui baptizatur.* Hunc morem explicat sanctus Joannes Chrysostomus in initio Homiliæ XL, in primam Pauli Epistolam ad *Corinthios.* Vide Rigaltii observationes ad librum Tertulliani de *Resurrectione carnis*, Christophorum Justellum in notis ad *Canonem* XII *synodi Antiochenæ*, Fridericum Spanhemium et Joannem Harduinum in dissertationibus quas emiserunt *de Baptismo pro mortuis.* Vide etiam præfationem Amboesii *ad Abælardum*, pag. 24.

II.—*Abalienatam.* Tres libri veteres habent *abigeatam*, octo alii *abjectam*, alius *abuctam*, unus regius *abjectum et tremebundam in ovile.* Rigaltius magis probat *abigeatam.*

III. — *Nam nec Petrus.* Refert hunc locum sanctus Augustinus in initio libri secundi *de Baptismo* adversus Donatistas.

Se primatum tenere. In glossemate libri *de Unitate Ecclesiæ : Primatus Petro datur ut una Christi Ecclesia et una Cathedra esse monstretur.* Vide illic observationes Rigaltii.

Digitized by Google

Qua in parte docuit et ostendit multa singulis in melius revelari, et debere unumquemque, non pro eo quod semel imbiberat et tenebat pertinaciter congredi, sed, si quid melius et utilius extiterit, libenter amplecti. Non enim vincimur quando offeruntur nobis meliora, sed instruimur, maxime in his quæ ad Ecclesiæ unitatem pertinent et spei ac fidei nostræ veritatem; ut nos sacerdotes Dei, et Ecclesiæ ejus de ipsius dignatione præpositi sciamus remissam peccatorum non nisi in Ecclesia dari posse, nec posse adversarios Christi quidquam sibi circa ejus gratiam vindicare.

IV. Quod quidem et Agrippinus, bonæ memoriæ vir, cum cæteris coepiscopis suis qui illo in tempore in provincia Africa et Numidia Ecclesiam Domini gubernabant, statuit et librato consilii communis examine firmavit. Quorum sententiam et religiosam et legitimam et salutarem, fidei et Ecclesiæ catholicæ congruentem, nos etiam secuti sumus. Et quales super hac re litteras fecerimus ut scires, exemplum earum ad notitiam tam tuam quam [a] coepiscoporum nostrorum qui illic sunt, pro communi dilectione, transmisimus. Opto te, frater charissime, semper bene valere.

[128] EPISTOLA LXXII.

(Erasm., II, 1. Pamel., Rigalt., Baluz., Oxon., Lips., LXXII. Paris., LXXI. Constant., Epist. Rom. Pont., I, p. 216. Routh. Reli. scr. III, p. 88 et 144.)

AD STEPHANUM PAPAM, DE CONCILIO.

ARGUMENTUM. — *Cyprianus cum collegis in concilio quodam, nuntiat Stephano Romano Pontifici, a sese statutum esse, tum ut ob hæreticis ad Ecclesiam revertentes baptizentur, tum ut alia conditione non recipiantur episcopi aut presbyteri ab iisdem venientes, quam ut communicarent laici.*

[129] EPISTOLA LXXIII.

(Erasm. ad Jubaian. *de Hæret. bapt.*, p. 522. Pamel., Rigalt., Baluz. Oxon. Lips., LXXIII. Paris., LXXII.)

AD JUBAIANUM, DE HÆRETICIS BAPTIZANDIS.

ARGUMENTUM *hujus epistolæ habes initio synodi Carthagin., supra tom.* III, *in hæc verba : Cyprianus dixit : « Audistis, collegæ dilectissimi, quid mihi Jubaianus coepiscopus noster scripserit, consulens mediocritatem nostram de illicito et profano hæreticorum baptismo, et quid ego ei rescripserim, censens scilicet quod semel atque iterum et sæpe censuimus, hæreticos ad Ecclesiam venientes, Ecclesiæ baptismo sanctificari et baptizari oportere. » Pertinet itaque etiam hæc ad errorem Cypriani et coepiscoporum.*

(Eam porro, sicut et præcedentem, inter magnæ Rebaptismatis causæ monumenta demandavimus. Vide t. III.)

[130] EPISTOLA LXXIV.

(Erasm. *ad Pompeium* contra epist. Stephani, p. 332. Pamel., Rigalt., Baluz., LXXIV. Paris., LXXIII. Oxon., Lips., LX.)

AD POMPEIUM CONTRA EPISTOLAM STEPHANI DE HÆRETICIS BAPTIZANDIS.

ARGUMENTUM *hujus Epistolæ istud est apud D. Augustin. lib.* V contra Donatist., *cap.* 23 : « *Ad Pompeium inquit etiam scribit Cyprianus de hac eadem re, ubi aperte indicat Stephanum, quem Romanæ Ecclesiæ episcopum tunc fuisse didicimus, non solum sibi ad ista non consensisse, verum etiam*

LECTIONES VARIANTES.

[a] Tuam tamquam *Rod.* 2.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

IV.—*Agrippinus bonæ memoriæ vir.* Citat hunc locum sanctus Augustinus lib. II *de Baptismo* contra Donatistas, cap. 9. Sed ego non invenio in hoc loco Cypriani quod Augustinus paulo ante ait Cyprianum dixisse consuetudinem de recipiendis hæreticis absque novo Baptismo quasi *cæpisse corrigi* per Agrippinum, et mox de suo ait eam *per Agrippinum corrumpi cæpisse, non corrigi.* Ista explicanda sunt. Ait Augustinus quæstionem de repetitione Baptismi nondum ætate Cypriani fuisse pertractatam diligenter, sed tamen saluberrima consuetudine tenuisse Ecclesiam, Romanam videlicet, ut planum est ex Epistola *Firmiliani*, in ipsis quoque schismaticis et hæreticis corrigere quod pravum erat, non iterare quod datum esset. Alia erat consuetudo ecclesiæ Africanæ. Et quia Papa Stephanus nihil afferebat ad confirmandam opinionem suam quam consuetudinem, sugillat Cyprianus hanc disputandi methodum, et ait Epist. LXXI, p. 127 et Epist. LXXIV, pag. 141, agendum esse ratione, non consuetudine, quam vocat erroris vetustatem. Nam quamvis consuetudo legem imitetur et non minus quam quod scriptum est usurpetur, tamen non de longa consuetudine præscribendum est, nisi sit rationabilis et per tantum temporis duraverit quod ejus initium non teneatur in hominum memoria. Consuetudinem enim aiunt jurisconsulti esse usum rationabilem competenti tempore firmatum, nullo actu contrario interruptum. Cyprianus contra consuetudini Romanorum, quam aiebat non dimanare de fonte Apostolico, ut agnovit etiam Baronius, opponebat consuetudinem veritatis, quam putabat esse in ecclesia Africana. Sane Augustinus ait consuetudinem cedere debere veritati manifestatæ. Et quia illa non erat manifestata ævo Cypriani, ut quæ nondum pertractata fuerat diligenter, propterea illum excusat, et putat illum recepturum fuisse veritatem, si tum ea fuisset manifestata, uti postea fuit in Consilio plenario. Cæterum istic adnotandum est diu ante Cyprianum receptam fuisse disciplinam de baptizandis hæreticis ad Ecclesiam venientibus, ut dicemus in notis ad *Concilium Carthaginense*, adeoque falsum fuisse Nicephorum Callistum cum scripsit Cyprianum primum fuisse qui baptizandos esse censuerit hæreticos. Addam in hoc loco Gregorium Papam VII, usum esse auctoritate Cypriani adversus consuetudinem cujus usus contrarius est veritati, quia quælibet consuetudo, quantumvis vetusta, quantumvis vulgata, veritati est postponenda. Exstat ea Gregorii, Epistola apud *Gratianum*, dist. VIII, cap. *Si consuetudinem.*

Librato. Tres libri veteres, *librato consilio communi.* Alii septem et editio Erasmi, *librata consilii communis examinatione.* Qui scribendi modus exstat etiam in initio Epistolæ sequentis.

Digitized by Google

contra scripsisse atque præcepisse. » *De qua rursum cap.* 25 : « *Jam illa quæ in Stephanum iratus effudit retractare nolo, quia et opus non est ; eadem quippe ipsa dicuntur quæ jam satis discussa sunt ; et ea præterire melius est, quæ periculum perniciosæ dissensionis habuerunt. Stephanus autem et abstinendos putaverat qui de suscipiendis hæreticis priscam consuetudinem convellere conarentur. Iste autem quæstionis ipsius difficultate permotus, et sanctis charitatis visceribus largissime præditus, in unitate eis manendum qui diversa sentirent. Ita quamvis commotius, sed tamen fraterne indigneter, vicit tamen pax Christi in cordibus eorum, ut in tali discrepatione nullum inter eos malum schismatis oriretur.* » *Hactenus ille ; quæ prolixius citavimus, eo quod antidoti sint loco, adversus eos qui hinc schisma suum a Romano Pontifice confirmare nituntur.— Hanc autem epistolam, ut et præcedentem, inter ejusdem rebaptizantium dissidii instrumenta reperies, eod. t.* III. EDD.

[152] EPISTOLA LXXV.

(Pamel., Rigalt., Baluz., Oxon., Lips., LXXV. Paris., LXXIV. Routh. *Script. Ecclesiasticor. Opusc. præcip.*, 1, p. 221.)

FIRMILIANI, EPISCOPI CÆSAREÆ CAPPADOCIÆ, AD CYPRIANUM, CONTRA EPISTOLAM STEPHANI.

ARGUMENTUM.—*Argumenti prorsus ejusdem est cum præcedenti, sed paulo vehementius et acerbius quam episcopum deceat scripta, ea potissimum, quantum suspicor, de causa, quod ad Firmilianum, Helenum et cæteros illarum partium episcopos Stephanus aliam quoque epistolam scripserat, se illis non communicaturum quamdiu in ea sententia de baptizandis hæreticis persisterent : uti ex Epistola Dionysii Alexandrini ad Xistum Stephani successorem docet Eusebius Hist. Eccles., lib.* VII, *c.* 4. *Atque adeo fortassis consultius foret, nunquam editam fuisse hanc Epistolam, ita ut putem consulto illam omisisse Manutium. Verum quum a Morellio evulgata sit, prætermittere nolui : tum quod res quasdam memorandas contineat, tum quod Antidoti loco esse queant verba Epistolæ dicti Dionysii ad Stephanum, quam habet dicti lib. c.* 3 *Eusebius, et repetit latius Nicephorus Hist. Eccles. lib.* VI, *c.* 7, *ex quibus Palinodiam illum (quod aiunt) cecinisse constat :* « *Scito (inquit) frater,* « *orientales atque etiam ulteriores ecclesias, quæ* « *antea dissidebant, ad unitatem esse reductas, omnesque utique earum antistites unanimes et consentientes, supra modum de pace et concordia quæ* « *præter expectationem accidit lætari : Demetrianum in primis Antiochenum, Theoctistum Cæsariensem, Mazabenem Eliensem Alexandri defuncti* « *successorem, Marinum Tyrium, Heliodorum Laodicensem qui in locum Thelymedris surrogatus est,* « *Helenum Tharsensem, et ecclesias Ciliciæ omnes,* « *Firmilianum, et Cappadociam omnem. Præcipuos* « *enim Episcoporum nominavi, ne epistola longior* « *fiat. neve multis verbis sim molestior. Sed et universæ Syriæ et Arabiæ, Mesopotamia ipsa, Pontus,* « *Bythinia : et (ut semel dicam) exultant, ubique* « *omnes, concordia et fraterna charitate glorificantes Deum.* » *Hactenus Dionysius. Cui similia videre est apud D. Hieronymum contra Luciferianos, et apud D. Aug., l.* III *contra Cresc. Gramm., c.* 1, 2 *et* 3, *ubi ex ipsa confessione Donatistarum refert, Orientales Episcopos rescidisse seu potius correxisse suum judicium, quo eis placuerat, de ista Baptismi quæstione Cypriano et Africano Concilio consentire oportere.—De hujus cæterarumque Epistolarum quæ ad litem rebaptizantium pertinent, indole, authentia auctoritate et tenore vide sis quæ tomo præcedenti disputantur.* EDD.

[153] EPISTOLA LXXVI.

(Erasm., I, 6 [I-XI], et IV, 7 [XII-XVI]. Pamel., Rigalt., Baluz., LXXVI. Paris., LXXV., Oxon., Lips., LXIX.)

AD MAGNUM DE BAPTIZANDIS NOVATIANIS ET DE IIS QUI IN LECTO GRATIAM CONSEQUUNTUR.

ARGUMENTUM. — *Prior Epistolæ pars ejusdem est argumenti cum præcedentibus præterquam quod hic inculcat de Novatianis quod in genere prius de omnibus hæreticis dixerat ; obiter etiam insinuans successionem legitimam in Cathedra Petri, notam esse qua cognosci possit Ecclesia. Secunda parte (quam hactenus perperam pro alia Epistola editam titulus satis indicat) æque verum Baptismum esse docet, qui per aspersionem in lecto fit, atque qui per immersionem fit in Ecclesia. Vide tom.* III, *col.*

[154] EPISTOLA LXXVII.

(Erasm., III, 25. Pamel., Rigalt., Baluz., LXXVII. Paris., Oxon., Lips., LXXVI.)

AD NEMESIANUM ET CÆTEROS MARTYRAS IN METALLO CONSTITUTOS.

ARGUMENTUM. — *Miris præconiis effert martyres ad metallum damnatos, singulis tormentis singula solatia pulchra antithesi opponens. In exilio autem scriptam colligere est, ex illis verbis : Nisi me ob confessionem nominis relegatum præfiniti termini arcerent.*

I. Cyprianus Nemesiano, Felici, Lucio, alteri Felici, Litteo, Poliano, Victori, Jaderi Dativo coepiscopis, item compresbyteris et diaconibus, et cæteris fratribus in metallo constitutis martyribus Dei patris omnipotentis et Jesu Christi Domini et Dei conservatoris nostri æternam salutem. Gloria quidem vestra poscebat, beatissimi ac dilectissimi fratres, ut ad conspectum atque ad complexum vestrum venire ipse deberem, nisi me quoque ob confessionem nominis relegatum præfiniti loci termini coercerent. Sed

STEPH. BALUZII NOTÆ.

[147] EPIST. LXXVII. — 1. *In metallo.* Siguensi in Epistola XXX. De Christianis damnatis ad metalla vide Baronii notationes ad diem 16 Februarii.

Confessionem nominis. Veteres editiones et tres

Digitized by Google

quomodo possum repræsento me vobis, et ad vos, A etiamsi corpore et gressu venire non datur, dilectione tamen et spiritu venio, exprimens litteris animum meum, quo in istis virtutibus et laudibus vestris lætus exulto, participem me computans vobis, etsi non passione corporis, consortio charitatis. An ego possim tacere et vocem meam silentio premere cum de charissimis meis tam multa et gloriosa cognoscam quibus vos divina dignatio honoravit, ut ex vobis pars jam martyrii sui consummatione præcesserit meritorum suorum coronam de Domino receptura, pars adhuc in carcerum claustris sive in metallis et vinculis demoretur [a], exhibens per ipsas supplicorum moras corroborandis fratribus et armandis majora documenta, ad meritorum titulos [b] ampliores tormentorum tarditate proficiens, habitura tot mercedes in cœlestibus præmiis quot nunc dies numerat in pœnis ? Quæ quidem vobis, fortissimi ac beatissimi fratres, pro merito religionis ac fidei vestræ accidisse non miror, ut vos sic Dominus ad gloriarum sublime fastigium clarificationis suæ honore provexerit, qui semper in Ecclesia ejus custodito fidei tenore viguistis, conservantes firmiter Dominica mandata, in simplicitate innocentiam, in charitate concordiam, modestiam in humilitate, diligentiam in administratione, vigilantiam in adjuvandis laborantibus, misericordiam in fovendis pauperibus, in defendenda veritate constantiam, in disciplinæ severitate censuram. Ac, ne aliquid ad exemplum bonorum factorum deesset in vobis, etiam in confessione nunc [159] vocis et passione corporis fratrum mentes ad divina C martyria provocatis, duces vos exhibendo virtutis, ut, dum grex pastores suos sequitur et quod fieri a præpositis cernit imitatur, paribus obsequiorum meritis a Domino coronetur.

II. Quod autem, fustibus cæsi prius graviter et afflicti, per ejusmodi pœnas initiastis confessionis vestræ gloriosa primordia, execranda nobis ista res non est. Neque enim ad fustes christianum corpus expavit, cujus est spes omnis in ligno. Sacramentum salutis suæ Christi servus agnovit. Redemptus ligno ad vitam æternam ligno provectus est ad coronam. Quid vero mirum si vasa aurea et argentea in metallum, id est auri et argenti domicilium, dati estis, nisi quod nunc metallorum natura conversa est, locaque quæ aurum et argentum dare ante consueverant, accipere cœperunt. Imposuerunt quoque compedes pedibus vestris, et membra felicia ac Dei templa infamibus vinculis ligaverunt, quasi cum corpore ligetur et spiritus [c], aut aurum vestrum ferri B contagione maculetur. Dicatis Deo hominibus et fidem suam religiosa virtute testantibus ornamenta sunt ista, non vincula ; nec Christianorum pedes ad infamiam copulant, sed clarificant ad coronam. O pedes feliciter vincti, qui non a fabro sed a Domino resolvuntur ! o pedes feliciter vincti, qui in itinere salutari ad paradisum diriguntur ! o pedes in sæculo ad præsens legati, ut sint semper apud Dominum liberi ! o pedes compedibus et traversariis interim cunctabundi, sed celeriter ad Christum glorioso itinere cursuri [d] ! Quantum vult hic vel invida crudelitas vel maligna, nexibus vos suis et vinculis teneat, cito a terris et pœnis istis ad cœlorum regna venietis. Non fovetur in metallis lecto et culcitris corpus, sed refrigerio et solatio Christi fovetur. Humi jacent C fessa laboribus viscera ; sed pœna non est cum Christo jacere. Squalent sine balneis membra situ et sorde deformia ; sed spiritaliter intus abluitur quod foris carnaliter sordidatur. Panis illic exiguus : at *non in solo pane vivit homo, sed in sermone Dei*

LECTIONES VARIANTES.

[a] Metallis demoretur *Lam. Ebor. Bod.* 2. *NC.* 1.
[b] Martyrii titulos *Pem. Voss.* 2.
[c] Ligetur et Christus *Lam. Ebor. Bod.* 2. *NC.* 1.
[d] Recursuri hanc *Bod. NC.* 1. *Ebor.* Curritur *Pem.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

libri veteres addunt nomen Christi. Manutius expunxit. Recte sane. Non exstat enim in XIX libris antiquis. Necessarium non esse patet ex multis locis similibus apud Cyprianum. Vide Pamelium.

Corpore et gressu. Codex Fuxensis et unus Anglicanus, *coporeo gressu.*

Habitura tot mercedes. Sulpitius Severus in Epistola D ad Claudiam sororem : *Quantum in cœlestibus beatitudinem virginitas sancta possideat, præter Scripturarum testimonia, Ecclesiæ etiam consuetudine edocemur, qua dicimus peculiare illi subsistere meritum cujus est specialis consecratio.* Hæc epistola edita antea fuerat inter opera Hieronymi. Immo in codice 1128 bibliothecæ Colbertinæ inserta est Epistola *ad Eustochium* de Virginitate servanda. In concilio vero Aquisgranensi anni 816, lib. II, cap. 6, dicitur esse sancti Athanasii, itemque in appendice Codicis Regularum editi ab Holstenio.

Numerat. Ego præfero eam lectionem pro eo quod antea legebatur *numerantur.* Eam porro restitutionem confirmant quindecim libri veteres ; eamque confirmari posse puto etiam auctoritate duorum Anglicanorum, in quibus scriptum est *numerant.* Quo etiam modo leg in quibusdam nostris.

Custodito fidei tenore. Ita sex libri veteres. Alii quatuor habent *custoditæ* [sic] *fidei tenore viguistis.* Sic etiam septem Anglicani. Alii tres, *custoditæ fidei vigorem tenuistis.* Vide Pamelium.

Dominica mandata. Duo libri veteres habent *divina,* eodem sensu.

Exhibendo virtutis. Codex sancti Arnulphi *virtutibus.*

II. — *Gloriosa primordia.* Antea legebatur *religiosa.* Sic etiam habet codex sancti Arnulphi. Lectio quam ego substinui melius mihi convenire videtur cum stylo et cum sententia sancti Martyris. Inveni autem illam in quinque antiquis exemplaribus.

Metallorum natura conversa. Rufinus lib. II, cap. 6, *Per idem tempus Ecclesia, velut persecutionis igne conflante, purior auri metallo refulgebat.*

Dicatis Deo hominibus. Hunc locum illustrant ea quæ in simili argumento notavit Cotelerius in Epistolam sancti Ignatii ad Ephesios.

Pedes copulant. Seneca cap. 11, de Tranquillitate animi : *Vinctas ad sodalitium manus copulatas intercidit.*

Traversariis. Ita editio Morellii et duodecim libri veteres. Alii quinque et editio Manutii habent *transversariis.* Vide glossarium Latinum Cangii.

Digitized by Google

(*Deut.* VIII, 3). Vestis algentibus deest ; sed qui Christum induit, et vestitus abundanter et cultus est. Semitonsi capitis capillus horrescit; sed, cum sit caput viri Christus, qualecumque illud caput deceat necesse est quod ob Domini nomen insigne est. Omnis ista deformitas detestabilis et tetra gentilibus, quali splendore pensabitur? Sæcularis hæc et brevis pœna quam clari et æterni honoris mercede mutabitur, cum, secundum beati Apostoli vocem transformaverit Dominus corpus humilitatis nostræ conformatum corpori claritatis suæ (*Philip.* III, 21) ?

III. Sed nec in illo, fratres dilectissimi, aliqua potest aut religionis aut fidei jactura sentiri quod illic nunc sacerdotibus Dei facultas non datur offerendi et celebrandi sacrificia divina. Celebratis, immo atque offertis sacrificium Deo et pretiosum pariter et gloriosum et plurimum vobis ad retributionem præmiorum cœlestium profuturum, cum Scriptura divina loquatur et dicat : *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum Deus non despicit* (*Psal.* L, 18). Hoc vos sacrificium Deo offertis, hoc sacrificium sine intermissione die ac nocte celebratis, hostiæ facti Deo, et vosmetipsos sanctas atque immaculatas victimas exhibentes, sicut Apostolus adhortatur et dicit : *Oro ergo vos, fratres, per misericordiam Dei, ut constituatis corpora vestra hostiam vivam, sanctam, placentem Deo, nec configuremini sæculo huic, sed transformemini in renovatione sensus, ad probandum quæ sit voluntas Dei bona et placens et perfecta* (*Rom.* XII, 1 ; *Phil.* III, 21).

IV. Hoc est enim quod præcipue Deo placeat, hoc est in quo majoribus [160] meritis ad promerendam voluntatem Dei opera nostra proveniant; hoc est quod solum Domino [a] de beneficiis ejus grandibus et salutaribus fidei ac devotionis nostræ obsequia retribuant, prædicante in Psalmis et contestante Spiritu sancto : *Quid retribuam*, inquit, *Domino pro omnibus quæ tribuit mihi ? Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo. Pretiosa in conspectu Domini mors justorum* [b] *ejus* (*Psal.* CXV, 12, 13, 15). Quis non libenter et prompte [c] calicem salutis accipiat? quis non appetat gaudebundus et lætus in quo aliquid et ipse Domino suo retribuat ? quis non pretiosam in conspectu Domini mortem fortiter et constanter excipiat, placiturus ejus oculis qui nos in congressione nominis sui constitutos desuper spectans, volentes comprobat, adjuvat dimicantes, vincentes coronat, retributione bonitatis ac pietatis paternæ [d] remunerans in nobis [e] quidquid ipse præstitit, et honorans quod ipse perfecit?

V. Ipsius enim esse quod vincimus et quod ad maximi certaminis palmam, subacto adversario, pervenimus declarat et docet Dominus in Evangelio suo dicens : *Cum autem vos tradiderint, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini ; dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis* (*Matth.* X, 19, 20). Et iterum : *Ponite in cordibus vestris non præmeditari excusare. Ego enim dabo vobis os et sapientiam cui non poterunt resistere adversarii vestri* (*Luc.* XXI, 14, 15). In quo quidem et credentium magna fiducia est et culpa gravissima perfidorum non credere ei qui se opem suam daturum confitentibus pollicetur, nec rursus eumdem timere qui æternam pœnam negantibus comminatur.

VI. Quæ vos omnia, fortissimi ac fidelissimi milites Christi, insinuastis fratribus nostris, implentes [f] factis quod verbis ante docuistis, futuri maximi in regno cœlorum, pollicente Domino et dicente : *Qui fecerit et sic docuerit, maximus vocabitur in regno cœlorum* (*Matth.* V, 19). Denique exemplum vestrum secuta, multiplex plebis portio confessa est vobiscum pariter et pariter coronata est, connexa vobis vinculo fortissimæ charitatis, et a præpositis suis nec carcere nec metallis separata. Cujus numero nec virgines desunt, quibus ad sexagenarium fructum centenus accessit (*Matth.* XIII, 8), quasque ad cœlestem coro-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Domino de omnibus *Vos.* 2. *Lam. Ebor.*
[b] Sanctorum *Lam. Ebor. Bod.* 1.
[c] Libenter et prospere *NC.* 2.
[d] Bonitatis paternæ *Lam. Bod.* 2. *Ebor. NC.* 1.
[e] In bonis *Lam. Bod.* 2. *NC.* 1. *Ebor.*
[f] Complentes *Bod.* 1, 2. *Lam. Ebor. NC.* 1, 2.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

Infra Epist. LXXVIII, pag. 161, *Semitonsis capitis capillaturam adæquasti*. Annotat vir doctissimus Joannes Morinus in Exercitatione XV, *de Tonsura clericali*, cap. 1, § 9, tonderi et radi ignominiosum servitutisque insigne fuisse ; id quod probat pluribus exemplis. Honorius et Theodosius AA. l. IV Codicis Theodosiani, *de Habitu quo uti oporteat intra urbem*, aiunt : *Majores crines, indumenta pellium etiam in servis, inter urbem sacratissimam præcipimus inhiberi.* Vide concilium Epaonense canone 39. Romani enim tonsa barba et capite incedere solebant, ut annotavit Baronius in tomo primo Annalium ecclesiasticorum.

III.—In codice Flori, *sacrificia. Vos divina celebratis.* In codice vero Lamonii, *sacrificandi officia divina.*

Placentem Deo. Codex Veronensis addit, *rationabile ministerium vestrum.*

IV. — *Gaudebundus.* Ita veteres libri et editiones. Alii habent *gaudibundus*, quod idem est. Apuleius, lib. VIII Metamorphoseon, *soboli novorum maritorum gaudibundus.* In libro de Passione Maximiani et Isaac martyrum Donatistarum, qui editus est a doctissimo viro Ludovico Ellies du Pin, legitur : *Hoc illi miraculum gaudebundus cunctis præsentibus demonstravit.* Ex eo fonte orta sunt plurima similia vocabula, ut *nudabundus* in Epistola Cypriani ad Donatum, *cruciabundus* in Epistola XV, ad Cornelium, *turchinabundus* et *turckabundus* apud Quintilianum ; apud Suetonium *ludibundus, gratulabundus, osculabundus*, apud Senecam *reptabundus*, apud A. Gellium *amorabundus, stomachabundus*, et *errabundus*, apud Apuleium *bacchabundus, murmurabundus, imaginabundus, munerabundus.* Abundat autem hic auctor similibus vocabulis, quæ necesse non est commemorare. Apud Q. Curtium *bacchabundus.* Apud Nonium Marcellum, *vitabundus.*

Constitutos. Tres libri veteres exegerunt ut adderemus hoc vocabulum. Sed tamen puto non esse necessarium.

Digitized by Google

nam gloria gemina provexit. In pueris quoque virtus major ætate annos suos confessionis laude transcendit, ut martyrii vestri beatum gregem et sexus et ætas omnis ornaret.

VII. Qui nunc vobis, dilectissimi fratres, conscientiæ victricis vigor, quæ sublimitas animi, quæ in sensu exultantia, qui triumphus in pectore, unumquemque vestrum stare ad promissum Dei præmium, de judicio Dei esse securum, ambulare in metallis, captivo quidem corpore, sed corde regnante [a], scire Christum secum esse præsentem, gaudentem tolerantia servorum suorum per vestigia et vias suas ad regna æterna gradientium? Exspectatis quotidie læti profectionis vestræ salutarem diem, et jam jamque [b] de sæculo recessuri, ad martyrum munera et domicilia divina properatis, post has mundi tenebras visuri candidissimam lucem, et accepturi majorem passionibus omnibus et conflictationibus claritatem, Apostolo contestante et dicente: *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad superventuram claritatem quæ revelabitur in nobis* (*Rom.* VIII, 18). Plane, quia nunc vobis in precibus efficacior sermo est, et ad impetrandum quod in pressuris petitur facilior oratio est, petite impensius et rogate ut confessionem omnium nostrum dignatio divina consummet, ut de istis tenebris et laqueis mundi nos quoque vobiscum integros et gloriosos Deus liberet, ut qui charitatis [161] et pacis vinculo copulati contra hæreticorum injurias et pressuras gentilium simul stetimus pariter in regnis cœlestibus gaudeamus. Opto vos, beatissimi ac dilectissimi fratres, in Domino bene valere et nostri semper et ubique meminisse.

EPISTOLA LXXVIII.

(Pamel., Rigalt., Baluz., LXXVIII. Paris., Oxon., Lips., LXXXII.)

NEMESIANI, DATIVI, FELICIS ET VICTORIS RESPONSUM AD CYPRIANUM.

ARGUMENTUM. — *Epistola hæc et duæ sequentes nihil aliud quam responsa continent ad epistolam præcedentem, utpote quæ gratiarum actionem continent, tum pro consolatione litteraria, tum pro subsidio una misso. Ex eo autem quod tres diversæ epistolæ rescriptæ sunt ad unicam Cypriani, colligere est in diversis metalli fodinis constitutos fuisse episcopos qui eas scribunt. Quod confirmat Epistola* LXXX, *ubi certi metalli fit mentio.*

I. Cypriano fratri Nemesianus, Dativus Felix, et Victor in Domino æternam salutem. Semper magnis sensibus pro temporis conditione litteris tuis locutus es, Cypriane dilectissime; quibus assidue lectis et pravi corriguntur et bonæ fidei homines corroborantur. Dum enim non desinis tractatibus tuis sacramenta nudare, sic nos in fide [c] facis crescere et de sæculo homines ad credulitatem accedere. Nam quæcumque bona in multis libris tuis intulisti, nescius ipsum te nobis designasti; es enim [d] omnibus hominibus in tractatu major, in sermone facundior, in consilio sapientior, in patientia simplicior, in operibus largior, in abstinentia sanctior, in obsequio humilior, et in actu bono innocentior. Scis ei ipse, charissime, nostrum optabile votum esse quod te videamus, doctorem et amatorem nostrum, ad coronam magnæ confessionis pervenisse.

LECTIONES VARIANTES.

[a] Corde regnantem scire *Lam. Bod.* 2. *Ebor.*
[b] Et etiam *Voss.* 2.
[c] Fidem *Voss.* 2.
[d] Etenim omnibus *NC.* 2.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

VI. — *Gemina.* Ita veteres editiones, quatuordecim libri nostri, et septem Anglicani. Alia lectio, quæ habet *geminata*, quam Erasmus invexit, Manutius et Morellius retinuerunt, exstat in quinque codicibus antiquis.

In pueris quoque. Infra Epist. LXXXI, pag. 464, *Pueros etiam vobis gloriosa confessione sociavit divina dignatio.* Multa virtutis ac fidei puerorum exempla nobis subministrat antiquitas. Ex multis quæ proferri possent afferam tantum nonnulla illustriora. Apud Eusebium videmus Pontium quindecim annorum puerum martyrio affectum cum Blandina martyre Lugdunensi, et Dioscorum quindecim quoque annorum puerum sub Decio multa passum apud Alexandriam pro nomine Christi. Prudentius in Carmine de sancto Romano martyre Antiocheno, celebrat incredibilem fere constantiam pueri adhuc lactentis. In Actis Martyrum Donatistarum editis in libro secundo miscellaneorum nostrorum pag. 70, cap. 15, mentio est Hilariani parvuli fortiter passi pro nomine Christi. Victor Vitensis commemorat filium cujusdam nobilis Carthaginensis annorum circiter septem post multos cruciatus demersum in gurgite. In Passione vero beatissimorum Martyrum [519] qui VI nonas julii passi sunt apud Carthaginem sub Hunerico rege Vandalorum nominatur infantulus nomine Maximus cum illis excruciatus et extinctus. Sufficiunt hæc exempla.

Exultantia. Quinque libri veteres præferunt *exultatio.*

De judicio Dei. Quamvis hanc lectionem non invenerim nisi in tribus libris veteribus, non dubito tamen quin sit melior quam ea quæ habet *de judicii die.* Et tamen illa exstat in pluribus antiquis codicibus. Quod ideo annoto ut si quis illam præferat, sciat se posse facere cum auctoritate.

In metallis. Ita veteres editiones et XXVII libri veteres., Rufinus lib. VII, cap. 7, *in metalla destinatos*, et lib. IV, cap. 23, *per metalla fratribus relegatis.* Manutius posuit *in metallo.*

EPIST. LXXVIII. — I. *Et amatorem.* Ista duo vocabula non habentur in editione Manutii, qui primus hanc epistolam edidit. Desunt etiam in codice Moyssiacensi, in Fuxensi, et in Lamoniano. Exstant autem in pluribus aliis antiquis, etiam in Veronensi et in editione Morelliana. Emendabo autem, data occasione, locum valde mendosum in Epistola XXXV Aviti episcopi Viennensis, qui sic habet: *Nam per majorem domus Tullii, qui amorem tuum Dominum meum Sigismundum a patre tuo*, etc. Multum torsit hic locus virum præstantissimum Jacobum Sirmondum. Neque id hercle injuria. At si Sirmondus vidisset veterem librum Petri Marnæsii senatoris Gratianopolitani, nullum in explicatione hujus loci laborem habuisset. Sic enim scriptum est in libro illo veteri: *Nam per majorem domus tuæ, qui damnatorem domnum meum*

Digitized by Google

II. Nam, quasi bonus et verus doctor, quid nos discipuli secuti apud præsidem dicere deberemus, prior apud acta proconsulis pronuntiasti, et tuba canens Dei milites, cœlestibus armis instructos, ad congressionis prælium excitasti, et in acie prima pugnans spiritali gladio diabolum interfecisti, agmina quoque fratrum hinc et inde verbis tuis composuisti, ut insidiæ inimico undique tenderentur, et cadaveris ipsius publici hostis nervi concisi calcarentur. Crede nobis, charissime, quoniam non est a centesimo præmio minor tua innocens anima, quæ nec sæculi primos impetus timuit, nec ire in exsilium recusavit, nec relinquere civitatem dubitavit, nec in deserto loco commorari [a] horruit; et, quoniam multis documentum confessionis dedit, ipsa martyrum prior duxit. Alios enim ad martyria facienda exemplo suo provocavit; et non tantum martyrum de sæculo jam excedentium socia esse cœpit, sed cum et futuris cœlestem amicitiam copulavit.

III. Agunt ergo tibi nobiscum damnati maximas apud Deum gratias, Cypriane dilectissime, quod litteris tuis laborantia pectora recreasti, fustibus vulnerata membra curasti, compedibus pedes ligatos resolvisti, semitonsis capitis [b] capillaturam adæquasti, tenebras carceris illuminasti, montes metalli in planum deduxisti, naribus etiam fragrantes [c], flores imposuisti, et tetrum odorem fumi exclusisti [d]. Fecit autem et prosecutum ministerium tuum et Quirini dilectissimi nostri quod per Herennianum hypodiaconum, et Lucianum et Maximum et Amantium acolytos distribuendum misisti [e] quæcumque necessitatibus corporum defuerant expediri. Simus ergo orationibus nostris alterutrum adjutores, et rogemus, sicut mandasti, ut Deum et Christum et Angelos in omnibus actibus nostris habeamus fautores. Optamus A te, domine frater [162], semper bene valere et nostri meminisse. Saluta omnes qui tecum sunt. Omnes nostri qui nobiscum sunt te amant et salutant, et videre desiderant.

EPISTOLA LXXIX.

(Erasm., IV, 7. Pamel., Rigalt., Baluz., LXXIX. Paris., Oxon., Lips., LXXVIII.)

AD EUMDEM LUCII ET CÆTERORUM MARTYRUM RESPONSUM.

ARGUMENTI *esse ejusdem cum præcedenti, verba ipsa epistolæ demonstrant, atque adeo non Lucii Romani Pontificis, sed Lucii martyris et episcopi Africani epistola est, multo minus autem Cypriani ad Lucium Papam.*

B I. Cypriano fratri et collegæ, Lucius et qui mecum sunt fratres, omnes in Domino salutem. Exultantibus nobis et lætantibus in Deo quod nos ad congressionem [f] armaverit et in prælio victores sua dignatione fecerit, supervenerunt litteræ tuæ, frater charissime, quas per Herennianum hypodiaconum et Lucianum et Maximum et Amantium acolythos misisti nobis; quibus lectis, recipimus [g] in vinculis laxamentum, in pressura solatium et in necessitate præsidium, et excitati [h] sumus et robustius animati ad si quid amplius fuerit pœnarum. Nam ante passionem a te sumus ad gloriam provocati, qui prior nobis ducatum ad confessionem nominis Christi præbuisti [i]. Nos vero, secuti vestigia confessionis tuæ, parem gra-
C tiam tecum speramus. Nam qui prior est in cursu prior est et ad præmium; et qui prior occupasti de quo cœpisti, inde hoc nobis communicasti, demonstrans scilicet individuam charitatem [j], quia semper nos dilexisti; ut quibus unus fuit spiritus in conjunctione

LECTIONES VARIANTES.

[a] Morari *Lin. NC.* 2.
[b] Capitibus *Lin.*
[c] Flagrantibus *Voss.* 2.
[d] Discussisti *Pem. NC.* 2. *Voss.* 2.
[e] Mandasti *Pem.*
[f] In congressione *Ar.*, et ad congressionem *Lam. Bod.* 2.
[g] Recepimus *Oxon.*
[h] Exercitati *Ar. NC.* 1.
[i] Tribuisti *Bod.* 2. *NC.* 1. *Ebor.*
[j] Inde eamdem *NC.* demonstrationem scilicet individuæ charitatis *Ar. Voss.* 2. *Lin. Bod.* Demonstrasti scilicet individuam *Pem.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

Sigismundum a patre tuo, etc. Ubi tamen reponendum est *amatorem* pro *damnatorem*. Similis emendatio fortassis adhibenda est Epistolæ XI Nicolai Papæ I, in
D qua legitur: *Apparet te minus saluti communi quam sorti privatæ intendere.* Nam in veteri codice ms. monasterii sancti Remigii Remensis scriptum est *quam amori privato.*

II. —*Cadaveris.* Duo libri veteres habent *cadavera ipsius publici hostis et nervi concisi calcarentur.* Sic etiam tres Anglicani. Ita quoque habuisse Veronensem omnium antiquissimum mihi compertum est. His auctoritatibus fultus constitui veram lectionem. Nam præterea certum est non esse plura cadavera in uno hoste.

III.—*Per Herennianum.* Codex Remensis sancti Dionysii, *per Felicem Herennianum hypodiaconum et Lucianum et Maximum et Augustum et Amandum presbyterum distribuendum*, etc. Sic etiam ferme in duobus Anglicanis. Hunc Herennianum Baronius putat illum esse per quem Cyprianus, cum esset exul, pecuniarum subsidia misit ad confessores ad metalla damnatos.

EPIST. LXXIX. — Difficile est certo definire an hæc epistola Cypriani sit, an vero Lucii, quamvis videantur esse Cypriani potius quam Lucii. In tribus enim antiquis codicibus dicitur scripta a Cypriano ad Lucium et qui cum eo sunt, in aliis vero Lucii ad Cyprianum. Duo autem tribuunt Lucio episcopo Romano. Existimat tamen Pamelius hunc Lucium esse diversum ab eo qui fuit episcopus Romanus. Ea vero Pamelii opinio hinc confirmari posse videtur quod si epistola ista est Cypriani, cum missa sit per eosdem qui attulerant eam quæ scripta est *ad Nemesianum*, missa videtur in Africam ad quemdam Lucium. Certe in Epistola LXXVII Cypriani *ad Martyres in metallo constitutos*, pag. 158, Lucius nominatur inter episcopos Afros ad quos ea scripta est.

I.— *Parem gratiam.* Duo libri veteres habent *parem gloriam.*

Digitized by Google

pacis, esset precum tuarum [a] gratia et una corona confessionis.

II. Accessit autem tibi, frater charissime, ad confessionis coronam retributio operum abundans mensura, quam accipies a Domino in die remunerationis, qui et te nobis litteris tuis repræsentasti, ut pectus illud tuum candidum et beatum, quod semper novimus, manifestares, et secundum latitudinem ejus nobiscum laudes Deo diceres, non quantum nos meremur audire, sed quantum tu potes dicere. Tuis enim vocibus et quæ minus in nobis instructa erant exornasti et confirmasti ad sustentationem earumdem passionum quas patimur, securi de præmio cœlesti et de corona martyrii et de regno Dei, ex prophetia quam litteris tuis Spiritu sancto plenus spopondisti. Hoc totum [b] fiet, dilectissime, si nos orationibus tuis in mente habueris, quod te facere confido, sicut et nos utique facimus.

III. Accepimus itaque, frater desiderantissime, id quod a Quirino et a te ipso misisti sacrificium [c] ex omni opere mundo. Sicut et Noe obtulit Deo, et delectatus est Deus in odorem suavitatis, et respexit in sacrificium ejus, ita et in vestrum respiciat et delectetur [d] reddere vobis hujus tam boni operis mercedem. Peto autem ut litteras quas ad Quirinum [e] fecimus transmitti præcipias. Opto te, frater charissime ac desiderantissime, semper bene valere et nostri meminisse. Saluta omnes qui tecum sunt. Vale [f].

[163] EPISTOLA LXXX.

(Pamel., Rigalt., Baluz., LXXX. Paris., Oxon., Lips., LXXIX.)

FELICIS, JADERIS, POLIANI, ET CÆTERORUM MARTYRUM RESPONSUM AD CYPRIANUM.

ARGUMENTUM. — *Martyres supra dicti subsidium a Cypriano transmissum grati agnoscunt.*

Cypriano charissimo et dilectissimo Felix, Jader, Polianus, una cum presbyteris et omnibus nobiscum commorantibus apud metallum Siguense, æternam in Domino salutem. Resalutamus te, frater charissime, per Herennianum [g] hypodiaconum, Lucianum et Maximum fratres nostros fortes et incolumes adjuvantibus orationibus tuis; a quibus accepimus oblationis nomine non minimam quantitatem una cum litteris tuis quas scripsisti, in quibus dignatus es de verbis cœlestibus nos tamquam filios confortare. Et Deo Patri omnipotenti per Christum ejus gratias egimus et agimus quod sic confortati et corroborati sumus per tuam allocutionem, petentes de animi tui candore ut nos assiduis orationibus tuis in mente habere digneris, ut confessionem vestram et nostram, quam Dominus in nobis conferre dignatus est, suppleat. Saluta omnes qui tecum commorantur. Optamus te, frater charissime, in Deo semper bene valere. Felix scripsi. Jader subscripsi. Polianus legi. Dominum meum Eutychianum [h] saluto.

EPISTOLA LXXXI.

(Erasm., IV, 1. Pamel., Rigalt., Baluz., LXXXI. Paris., LXXX. Oxon., Lips., VI.)

CYPRIANI AD SERGIUM ET ROGATIANUM ET CÆTEROS CONFESSORES IN CARCERE CONSTITUTOS.

ARGUMENTUM. — *Rogatianum et collegas confessores, in carcere constitutos consolatur, et exemplo Rogatiani senioris et Felicissimi martyrum animos illis addit. In exilio scriptam epistola ipsa indicat.*

I. Cyprianus Sergio et Rogatiano et cæteris confessoribus in Domino perpetuam salutem. Saluto vos, fratres charissimi ac beatissimi, optans ipse quoque conspectu vestro frui, si me ad vos pervenire loci conditio permitteret. Quid enim mihi optatius et lætius posset accidere quam nunc vobis inhærere, ut

LECTIONES VARIANTES.

[a] Unitarum *Oxon.*
[b] Hoc tamen *Ar.* Tantum *Bod.* 2.
[c] Vestrum *add. Lin. NC.* 2.
[d] Respiciet et delectabitur. *Ver.* Reddens *Lin. NC.* 2.
[e] Cyrinum *Ver.*
[f] Præcipias. Vale *Sem. Voss.* 2. *Bod.* 1.
[g] Victorium, Herenn. *Imp.*
[h] Eutychianum *abest in codd. Lam. Ebor. NC.* 2.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

II.—*Quas patimur.* Codex Veronensis, octo libri nostri, et duo Anglicani præferunt uti nos edidimus. Antea legebatur *quas patienter ferimus.* Sed eam lectionem ego puto ortam esse ex prurigine corrigendi.

[163] EPIST. LXXX. — Hujus epistolæ prima editio facta est in officina typographica Manutii. Ea autem editio Victorium Herenniano præponit. Sed nomen Victorii non comparet in ullo veterum codicum cum quibus ego contuli opera sancti Cypriani, neque in editionibus quæ postea secutæ sunt, una excepta Rigaltiana et ea quam procuravit Reinhartus.

Siguense. Ita libri duo veteres. Alii sex habent *Singuense*, Manutius *Sibuense.* Vir clarissimus Dominus Bernardus a Montefalcone in tomo II novæ suæ collectionis Patrum Græcorum, edidit Cosmæ Indicopleustæ librum, *de Christianorum Opinione de mundo*, ubi lib. II, pag. 142, Cosmas loquens de veteri tabula Ptolemæi Evergetæ, commemorat illum in Ægyptum profectum subegisse Agamen et Siguen. Unde fortassis colligi posset confessores fuisse projectos in solitudines Ægypti. At Baronius anno 260 putat intelligendum esse de metallo Sigensi in Mauritania Tingitana. Quod fortasse melius est.

Quas scripsisti. Quinque libri veteres, quinque item Anglicani, et editiones Manutii et Morellii habent *quas misisti*, eodem sensu.

Tamquam filios. Tres libri veteres addunt *tuos.*

Felix scripsi. Istud additum est ex editione Anglicana. Non inveni enim in aliis editionibus neque in libris nostris. Itaque si vera est lectio, uti eam puto veram, Epistolam scripsit hic Felix qui priore loco nominatur inter episcopos a quibus Epistola scripta est. Jader, qui secundo loco nominatur, subscripsit; Polianus, qui tertio, legit.

EPIST. LXXXI. — 1. *Sergio.* Ita edidit Pamelius et alii post eum; eamque lectionem exhibent tria vetera exemplaria. Alia habent *Seagrio* vel *Sengeio.* In Remigiano vetere: *Cyprianus Sergio et Rogatiano et Victori et Felicissimo et cæteris confessoribus.* Quod autem nonnulli veteres libri et editiones habent *ad Rogatianum juniorem*, id male positum esse recte

Digitized by Google

complecteremini me manibus illis quæ puræ et innocentes et Dominicam fidem servantes sacrilega obsequia respuerunt? Quid jucundius et sublimius quam osculari nunc ora vestra, quæ gloriosa voce Dominum confessa sunt, conspici etiam præsentem ab oculis vestris, qui, despecto sæculo, conspiciendo Deo digni extiterunt? Sed, quoniam huic lætitiæ interesse facultas non datur, [a] has pro me ad aures et ad oculos vestros vicarias litteras mitto, quibus gratulor pariter et exhortor ut in confessione cœlestis gloriæ fortes et stabiles persevcretis, et ingressi viam Dominicæ dignationis, ad accipiendam coronam spiritali virtute pergatis [b], habentes Dominum protectorem et ducem qui dixit: *Ecce vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem mundi* [c] (*Matth.*, XXVIII, 20). O beatum carcerem, quem illustravit vestra præsentia! o beatum carcerem, qui homines mittit ad cœlum! o tenebras lucidiores sole ipso et luce hac mundi clariores, ubi modo constituta sunt! Dei templa et sanctificanda divinis confessionibus membra vestra.

II. Nec quicquam versetur in [161] cordibus et mentibus vestris quam divina præcepta et mandata cœlestia, quibus vos ad tolerantiam passionis Spiritus sanctus semper animavit. Nemo mortem cogitet, sed immortalitatem, nec temporariam pœnam, sed gloriam sempiternam, cum scriptum sit: *Pretiosa est in conspectu Domini mors justorum* [d] *ejus* (*Psal.* CXV, 15). Et iterum: *Sacrificium Deo* [e] *spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum Deus non despicit* (*Psalm.* L, 19). Et iterum, ubi loquitur Scriptura divina de tormentis quæ martyres Dei consecrant et in ipsa passionis probatione sanctificant: *Et si coram hominibus tormenta passi sunt, spes eorum immortalitate plena est. Et in paucis vexati, in multis bene disponentur, quoniam Deus tentavit illos, et invenit illos dignos se. Tamquam aurum in fornace probavit illos et quasi holocausti hostiam accepit illos, et in tempore erit respectus illorum. Fulgebunt justi, et tamquam scintillæ in arundineto discurrent. Judicabunt nationes et dominabuntur populis, et regnabit eorum dominus in perpetuum* (*Sap.* III, 4-8). Quando ergo judicaturos vos et regnaturos cum Christo Domino cogitatis, exultetis necesse est et futurorum gaudio præsentia supplicia calcetis, scientes ab initio mundi sic institutum ut laboret istic in sæculari conflictatione justitia, quando in origine [f] statim prima Abel justus occiditur, et exinde justi quique et Prophetæ et Apostoli missi. Quibus omnibus Dominus quoque in se ipso constituit exemplum, docens ad suum regnum non, nisi eos qui se per [h] viam suam secuti sint, pervenire dicens: *Qui amat animam suam in isto sæculo, perdet illam. Et qui odit animam suam in isto sæculo, in vitam æternam conservabit illam* (*Joa.* XII, 25). Et iterum: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam vero non possunt occidere: magis autem metuite eum qui potest et animam et corpus occidere in gehennam* (*Matth.* X, 28). Paulus etiam nos adhortatur ut qui ad Domini promissa venire cupimus, imitari Dominum in omnibus debeamus: *Sumus*, inquit, *filii Dei. Si autem filii, et hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, siquidem compatiamur, ut et commagnificemur* [h]. (*Rom.* VIII, 16). Addidit etiam comparationem præsentis temporis et futuræ claritatis dicens: *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad superventuram*

LECTIONES VARIANTES.

[a] Interesse non datur *Lam.*
[b] Vitæ coronam spiritali virtute *Ebor. Pem. Lam. Bod.* 1, 2, 3.
[c] Sæculi *Lam. Ebor. Bod.* 2.
[d] Sanctorum *Lam. Bod.* 2. *Ebor. NC.*
[e] Sacrificium Dei *Bod.* 1.
[f] In origine mundi *Bod.* 3.
[g] Eos qui semper *Bod. Lam. Ebor. NC.* 1.
[h] Ut sic glorificemur *Veron.* Ut et commagnificemur, *Bod.* 1, 2. *Lam. Lin. Ebor.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

censuerunt Angli, qui hanc suam sententiam multis rationibus ostenderunt esse veram. Sergii porro nomen non habetur in codice Vaticano 195, neque in Gratianopolitano, neque demum in Lamoniano. Non exstitisse etiam in veteri codice optimo liquet ex annotatione Nicolai Fabri posita in exemplari editionis Pamelianæ, ubi vir doctissimus monuit in eo codice legi simpliciter *Rogatiano et cæteris confessoribus*, uti etiam habetur in codice sancti Arnulphi.

Complecteremini me. Hæc est vera lectio, quam confirmant omnes fere libri veteres et omnes editiones antiquæ. Pamelius tamen, ea auctoritate insuperhabita, mutavit et edidit, *ut complecterer manus illas*, tantum quia lectionem illam invenerat adjectam ad marginem codicis Affligemensis. Eam quam nos revocamus præferunt octodecim libri nostri et decem Anglicani. Pamelio favent duo tantum.

Dominum confessa. Codex Burgundicus, *nomen Domini confessa.*

O beatum carcerem. Tertullianus in libro *ad Martyras* loquens de eorum carcere ait: *Si enim recogitemus ipsum magis mundum carcerem esse, exisse vos e carcere quam in carcerem introisse intelligemus.* Et mox addit de carcere: *Habet tenebras, sed lumen estis ipsi. Habet vincula, sed vos Deo soluti estis.* Arator, lib. II *Actuum apostoloricum*:

> O felix de clade locus, cui clara refulgent
> Lumina pro tenebris.

Dei mittit. Duo libri veteres, *homines dimittit ad cœlum.* Vetus Remigianus, *homines Dei dimittit ad cœlum.*

II. — *Tolerantiam.* Illustrat hunc locum Holstenius in notis ad Passionem sanctarum Perpetuæ et Felicitatis, ubi auctor ponit sufferentiam pro eo quod Cyprianus dixit [821] tolerantiam. Vox est Africana; quæ reperitur etiam in Actis martyrum Donatistarum in libro II miscellaneorum nostrorum, pag. 60, et sequentibus. Vide glossarium Latinum Cangii.

Fulgebunt..... discurrent. Hæc desunt in undecim codicibus manuscriptis et in editione Manutii. Decrant etiam in capite 12 Epistolæ ad Fortunatum *de Exhortatione martyrii.* Nos reposuimus.

In gehennam. Reliqua istius epistolæ desunt in codice sancti Arnulphi, et in eorum quæ desunt loco substituta est consequenter magna pars Epistolæ *ad Antonianum*, incipiendo ab his verbis pag. 71: *Exomologesis apud inferos non est*, etc., usque ad finem

Digitized by Google

claritatem quæ revelabitur in nobis (*Ibid.* 18). Cujus claritatis gloriam cogitantes, pressuras omnes et persecutiones tolerare nos convenit, quia, etsi sunt multæ pressuræ justorum, ex omnibus tamen liberantur qui in Deum fidunt.

III. Beatas etiam feminas quævobiscum sunt in eadem confessionis gloria constitutæ, quæ, Dominicam fidem tenentes et sexu suo fortiores, non solum ipsæ ad gloriæ coronam proximæ sunt, sed et cæteris quoque feminis exemplum de sua constantia præbuerunt. Ac, ne quid deesset ad gloriam numeri vestri [a], ut omnis vobiscum et sexus et ætas esset in honore, pueros etiam vobis gloriosa confessione sociavit divina dignatio, repræsentans nobis tale aliquid quale Ananias, Azarias et Misahel illustres pueri aliquando fecerunt; quibus inclusis in caminum [b] cesserunt ignes et refrigerium flammæ dederunt, præsente cum illis Domino et probante quod in confessores et martyres ejus nihil posset gehennæ ardor operari, sed quod qui in Deum crederent [c], incolumes semper et tuti in omnibus perseverarent. Et consideretis diligentius peto, pro vestra religione, quæ apud pueros fides fuerit, quæ promereri Dominum plenius potuit. Ad omnia enim parati, sicut omnes esse debemus, aiunt regi: *Nabuchodonosor rex, non opus est nobis de hoc verbo respondere tibi. Est enim Deus, cui nos servimus, potens eripere nos de camino ignis ardentis,* [165] *et de manibus tuis, rex, liberabit nos. Et si non, notum tibi sit quoniam diis tuis non servimus et imaginem auream quam statuisti non adoramus* (*Dan.* III, 16-18). Cum se crederent et pro fide sua scirent posse etiam de præsenti supplicio liberari, jactare hoc tamen et vindicare sibi noluerunt dicentes, *Et si non*, ne minor esset confessionis virtus sine testimonio passionis. Addiderunt posse omnia Deum facere, sed tamen non in hoc fidere ut liberari in præsentia vellent, sed illam libertatis et securitatis æternæ gloriam cogitarent.

IV. Quam fidem vos quoque retinentes et die ac nocte meditantes, toto cordo ad Deum prompti, contemptu præsentium futura tantummodo cogitatis, ut ad fructum regni æterni et ad complexum et osculum Domini et conspectum venire possitis, ut sequamini in omnibus Rogatianum presbyterum, gloriosum senem, viam vobis [d] ad gloriam temporis nostri religiosa virtute et divina dignatione facientem, qui cum Felicissimo fratre nostro quieto semper et sobrio excipiens ferocientis populi impetum, primum hospitium vobis in carcere præparavit, et metator quodam modo vester, nunc quoque vos antecedit. Quod ut

LECTIONES VARIANTES.

[a] Numero vestro *Neap.* Muneris vestri *Ver. Ebor. Lin.*
[b] In camino *Lam.*
[c] In Deum se crederent *Bod.* 1, 2. *Lam. NC.* 1, 2.
[d] Viam nobis *Oxon.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

Epistolæ *ad Antonianum*, et in calce scriptum est: *Ad Antonianum de Cornelio et Novatiano explicit.* Sic etiam in Thuano. Porro Epistolæ *ad Antonianum* prima pars desideratur in utroque codice, et incipit uterque ab his verbis *exomologesis apud inferos non est*, etc.

Claritatem. Codex Fuxensis, *gloriæ coronam.*

III.—*Sexu suo fortiores.* Infra, in libro *de Habitu virginum*, pag. 175: *Fortior femina viris torquentibus invenitur.* Lactantius lib. v, cap. 13: *Ecce sexus infirmus et fragilis ætas dilacerari et toto corpore utrique perpetitur.* Hieronymus in Epistola ad Eustochium de Custodia Virginitatis: *Beata martyr Agnes et ætatem vicit et tyrannum et titulum castitatis martyrio consecravit.* Idem in Epistola de Muliere septies icta: *Mulier sexu infirmior, virtute fortior.* Eusebius, lib. VI, cap. 41, refert historiam sanctæ Apolloniæ. Rufinus eam quoque referens, lib. VI, cap. 31, cum dixisset illam sponte prosiliisse in ignem quem persecutores minabantur, addit: *Ita ut perterrerentur etiam ipsi crudelitatis auctores quod promptior inventa est ad mortem femina quam persecutor ad pœnam.* Vide etiam historiam Blandinæ martyris apud eumdem Eusebium. Florus, lib. II, cap. 15, meminit cujusdam feminæ Carthaginensis quæ in excidio urbis Carthaginensis, a culmine se domus in medium misit incendium, eo tempore quo se quadraginta millia virorum dediderunt duce Asdrubale. Ait ergo Florus: *Quanto fortius femina.* Ælius Spartianus de Zenobia uxore Odenati ait: *Quæ multorum sententia fortior marito fuisse perhibetur.* Statius, lib. IX, Thebaidos:

Ipsa nihil metuens, sexusque oblita minoris.

Refrigerium. Ita veteres editiones et quatuor libri veteres. Manutius edidit *refrigerii locum.* Quo etiam modo legitur in undecim codicibus et in editione Morellii.

De hoc verbo. Codex Pithœanus, *de hoc sermone.* Et tamen Cyprianus Epist. LV, *ad Thibaritanos*, in capite XI Epistolæ ad Fortunatum *de Exhortatione martyrii*, et lib. III *Testimoniorum*, cap. 10, semper ponit *de hoc verbo.* Itaque mutandum istic non fuit. Vide annotationes Erasmi ad caput primum Evangelii secundum Joannem.

IV. — *Cogitatis.* Hunc locum nos emendavimus ex fide duorum veterum exemplarium.

Metator vester. Vocabulum hoc, quod diversas habet significationes, ortum est ex agricolarum arte. Sic enim vocantur qui arbores in seminario vel arbusto disponunt et ordine quodam digerunt, origine ducta a meta, id est agrorum termino seu linea a qua incipit mensura ad disponendas arbores. Istic accipitur de eo qui præcedens milites castra locat, hospitia præparat. Vegetius, lib. II, cap. 7, *Metatores, qui præcedentes locum eligunt castris.* Nonius Marcellus: *Metari, parare. Unde et metatores.* Præfatio Celsi *in Altercationem* Jasonis et Papisci: *Frequentatur ubique aut manifestat prophetatio cunctorum qui sancto Spiritu præmonente adventus Domini metatores esse soliti sunt.* Victor Vitensis, lib. V, cap. 12: *Vel superare posset aqua mendax tantæ voluntatis propositum, quod jam homo Dei metantibus lacrymis miserat legatum in cœlum.* Idem vocantur mensores in titulo Codicis Theodosiani *de Metatis.* Lucianus, in Epistola *ad Celerinum*, pag. 50, vocat Decium metatorem antichristi. Quem locum male Rigaltius transtulit ad artem agricolarum, tamquam si Lucianus ita scribens respexisset ad lineam sive funiculum metatoris arbores suas disponentis. (Veget., *Instit. rei mil.*, II, 7: Metatores dicuntur, qui præcedentes locum castris idoneum eligunt. GOLDAST.)

Antecedit. Certum est metatores vocatos fuisse antecessores, quia antecedunt milites ut eis hospitia

Digitized by Google

consummetur in vobis, assiduis orationibus Dominum deprecamur, ut, initiis ad summa pergentibus, quos confiteri fecit, faciat et coronari. Opto vos, fratres charissimi ac beatissimi, in Domino semper bene valere et ad coronam cœlestis gloriæ pervenire. Victor diaconus et qui mecum sunt vos salutant.

EPISTOLA LXXXII.

(Pamel., Rigalt., Baluz., LXXXII. Paris., LXXXI. Oxon., Lips., LXXX.)

AD SUCCESSUM, DE NUNTIIS ROMA REVERSIS PERSECUTIONEM NUNTIANTIBUS.

ARGUMENTUM. — *Nuntiat Successo episcopo Cyprianus, persecutione acriori jam decreta per Valerianum imperatorem (haud dubie cum Gallieno), passum Romæ Xistum pontificem* VIII *idus Augusti, idque ut collegis cæteris significet petit, quo suum quisque gregem ad martyrium animet. Cum autem paulo post mense septembri passus sit Cyprianus, non dubium quin sub finem vitæ scripta sit hæc epistola.*

I. Cyprianus Successo fratri salutem. Ut non vobis in continenti scriberem, frater charissime, illa res fecit, quod universi clerici sub ictu agonis constituti, recedere istinc omnino non poterant, parati omnes pro animi sui devotione ad divinam et cœlestem gloriam. Sciatis autem eos venisse quos ad Urbem propter hoc miseram, ut quomodocumque de nobis rescriptum fuisset, exploratam sibi veritatem ad nos perferrent. Multa enim varia et incerta opinionibus ventilantur. Quæ autem sunt in vero ita se habent. Rescripsisse Valerianum ad senatum ut episcopi et presbyteri et diacones in continenti animadvertantur, senatores vero et egregii viri et equites Romani [a], dignitate amissa, etiam bonis spolientur; et, si ademptis facultatibus christiani esse perseveraverint, capite quoque mulctentur; matronæ vero, ademptis bonis, in exsilium relegentur; Cæsariani autem quicumque vel prius confessi fuerant vel nunc confessi fuerint, confiscentur et vincti in Cæsarianas possessiones descripti [b] mittantur. Subjecit etiam Valerianus imperator orationi suæ exemplum litterarum quas ad præsides provinciarum de nobis fecit : quas litteras quotidie speramus venire, stantes secundum fidei firmitatem ad passionis tolerantiam, et expectantes de ope et indulgentia Domini vitæ æternæ coronam. Xistum autem in cimiterio animadversum sciatis octavo iduum augustarum die, et cum eo diacones quatuor [c]. Sed et huic persecutioni quotidie insistunt præfecti in Urbe; ut, si qui sibi oblati fuerint, animadvertantur, et bona eorum [166] fisco vindicentur.

II. Hæc peto per vos et cæteris collegis nostris innotescant, ut ubique hortatu eorum possit fraternitas corroborari et ad agonem spiritalem præparari, ut singuli ex nostris non magis mortem cogitent quam immortalitatem, et, plena fide ac tota virtute Domino dicati, gaudeant magis quam timeant in hac confes-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Et *delevit Lips. editor, suadente Nemdro Kg.* 1, p. 141, n. 3, *cui adsensit Muenterus primord. Eccl. Afric.* p. 171, *n.* 1.

[b] Et scripti *Ver.*

[c] Quarto *Ver.* Cum eodem quartum *Oxon.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

præparent. Itaque castrensi vocabulo usus est sanctus Cyprianus. Vide Vegetium.

Victor Diaconus. Hæc addita sunt ex vetusto codice Remigiano.

[122] EPIST. LXXXII. — Hujus Epistolæ, cujus prima editio debetur Manutio, habui decem vetera exemplaria. Pamelius habuit duo. Angli nullum habuerunt.

I. — *Successo*, Episcopo ab Abbir Germaniciana, qui interfuit concilio Carthaginensi sub Cypriano. Martyrio vitam finiisse docent *Acta passionis* sanctorum Montani, Lucii et aliorum edita a sociis Bollandianis et Theoderico Ruinarto.

Illa res fecit. Sic legendum apud Ruricium, lib. II, Epist. 14. Apud Cæsarium Arelatensem in Exhortatione ad charitatem : *Illa vel maxime res facit.*

Sub ictu agonis. Acta sanctorum martyrum quæ mox citavimus : *Negavit esse in passionis ictu dolorem.* Vide quæ dicta sunt supra ad Epistolam XXVI, *in ipso initio* pag. 412.

Clerici. Per quos mitti consueverant Epistolæ ecclesiasticæ, ut alii animadverterunt et satis notum est vel ex unico Cypriano. Hieronymus in Epitaphio Paulæ: *Misit tibi per clericum suum epistolam.*

Parati omnes. Editio Morelliana et quinque libri veteres, *parati omnes pro animatione divina et cœlesti corona.*

Valerianum. Vide notas nostras ad caput V Lactantii *de Mortibus Persecutorum.*

Xistum. Pontius diaconus in Vita sancti Cypriani : *Jam de Xisto bono et pacifico sacerdote ac propterea beatissimo Martyre ab Urbe nuntius venerat.* Vide Annales Cyprianicos et dissertationem XI Cyprianicam Dodwelli. Hieronymus in Epistola ad Ctesiphontem adversus Pelagianos; *Evagrius Ponticus confudit Xistum Pythagoreum cum Sixto martyre et episcopo Romanæ Ecclesiæ.*

Mulctentur. Tres libri veteres habent *puniantur*, duo *plectantur.*

Octavo iduum. Quinque libri veteres præferunt *quinto.* Sed in martyrologiis scriptum est *octavo*, in Gestis pontificalibus *sexto.*

Diacones quatuor. Scio istic legi in quibusdam veteribus libris et in posterioribus editionibus *et cum eodem Quartum.* At ego præfero lectionem Manutii et Morellii, et puto veterum librorum lectionem qui habent *Quartum* ortam esse ex prava lectione hujus loci Cyprianici. Error autem ortus est, ut opinor, ex eo quod in quodam libro veteri scriptum erat in compendio *et cum eo d.* IV. quemadmodum ego quoque vidi scriptum IV. in uno veteri libro. Ex quo sequentes librarii fecerunt *et cum eodem Quartum.* Nam sunt aliqui libri veteres qui habent tantum *et cum eodem quatuor*, omissa voce *diacones.* Certum est porro nullam Quarti mentionem alibi reperiri quam apud martyrologos, qui citant Epistolam Cypriani. Certum quoque est Felicissimum et Agapitum diaconos decollatos fuisse cum Xisto. Quare puto falsam esse animadversionem Pamelii censentis nullo modo defendi posse lectionem Manutii et Morellii. Sane istic commemorantur quatuor diaconi cum Xisto passi. Et tamen duo tantum cum eo decollati dicuntur in Actis ejus. In Gestis vero pontificalibus, quæ citantur etiam, in antiquis martyrologiis, scriptum est sex cum illo passos esse. Sed ista repugnantia nullius est momenti. Felicissimus et Agapitus mortem obierunt cum Xisto, reliqui aliquo ex diebus sequentibus.

Digitized by Google

sione; in qua sciunt Dei et Christi milites non perimi, sed coronari. Opto te, frater charissime, semper in Domino bene valere.

EPISTOLA LXXXIII.

(Pam., Rigalt., Baluz., LXXXII. Paris., LXXXI. Oxon., Lips., LXXXI.)

AD CLERUM ET PLEBEM, DE SUO SECESSU, PAULO ANTE PASSIONEM.

ARGUMENTUM. — *Cum jam, sub finem vitæ, ad hortos suos reverso Cypriano nuntiaretur missos esse qui se Uticam ad supplicium pertraherent, secessit. Ne vero metu mortis id fecisse crederetur, hac epistola causam reddit, ut nempe non alibi quam Carthagine, in conspectu suorum, martyrium subiret.*

I. Cyprianus presbyteris et diaconibus et plebi universæ salutem. Cum perlatum ad nos fuisset, fratres charissimi, commentarios esse missos qui me Uticam perducerent, et consilio charissimorum persuasum esset ut de hortis nostris interim secederemus, justa interveniente causa, consensi, eo quod congruat episcopum in ea civitate in qua Ecclesiæ Dominicæ præest, illic Dominum confiteri et plebem universam præpositi præsentis confessione clarificari. Quodcumque enim sub illo confessionis momento confessor episcopus loquitur, aspirante Deo, ore omnium loquitur. Cæterum mutilabitur honor ecclesiæ nostræ tam gloriosæ, si ego episcopus alterius ecclesiæ præpositus, accepta apud Uticam super confessione sententia, exinde martyr ad Dominum proficiscar, quandoquidem ego et pro me et pro vobis apud vos confiteri et ibi pati, et exinde ad Dominum proficisci, orationibus continuis deprecer et votis omnibus exoptem et debeam. Expectamus ergo hic, in secessu abdito constituti, adventum proconsulis Carthaginem redeuntis, audituri ab eo quid imperatores super Christianorum laicorum et episcoporum nomine mandaverint, et dicturi quod ad horam Dominus dici voluerit.

II. Vos autem, fratres charissimi, pro disciplina quam de mandatis Dominicis a me semper accepistis, et secundum quod me tractante sæpissime didicistis, quietem et tranquillitatem tenete, nec quisquam vestrum aliquem tumultum fratribus moveat, aut ultro se gentilibus offerat. Apprehensus enim et traditus loqui debet; siquidem in nobis Dominus positus illa hora loquatur, qui nos confiteri magis voluit quam profiteri [a]. Quid autem de cætero nos observare conveniat antequam in me super confessione nominis Dei proconsul sententiam ferat, instruente Domino in commune disponemus. Incolumes vos, fratres charissimi, Dominus noster in Ecclesia sua permanere faciat et conservare dignetur. Ita fiat per suam misericordiam [b].

[167] Tres epistolæ quæ sequuntur inter epistolas Cypriani reperiuntur in quibusdam libris antiquis *.

EPISTOLA CORNELII PAPÆ AD CYPRIANUM.

Dilectionis tuæ non delectabilia et contra fidei regulam scripta suscepi, in quibus nauseas recognovi, et venena sermonum adversus catholicam per totum orbem diffusam Ecclesiam horribilibus a te superseri zizaniis non laudavi. Quæ peto velociter tollas ac prædamnes. Quod prius quidem te facere oportebat quam in mundo lethale virus aspersum simplicium et innocentium interficeret mentes. Non ergo dignum

LECTIONES VARIANTES.

[a] Temere profiteri *Vat.* 1.

[b] *Hæc ultima verba rejiciunt Oxon. Lips.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

EPIST. LXXXIII. — I. *Commentarios.* Manutius, cui prima Epistolæ istius editio debetur, et Morellius posuerunt *frumentarios*; quam lectionem præfert etiam codex Remensis sancti Dionysii. Omnes alii et duo laudati a Pamelio habent *commentarios*. Istam lectionem sibi magis probari dixit Pamelius, et tamen edidit *frumentarios*. Commentarii sive commentarienses, quorum multa mentio in Codice Theodosiano, ubi vocantur nequissimi, ii erant, ut ait Julius Firmicus in libro *de Institutione Matheseos*, quibus damnatorum [513] cura committebatur, vel carcerum custodes, quos nos vocamus geolarios, *geôliers*. Sic enim recte explicantur in Actis primi ingressus Joannis d'Orleans, episcopi Aurelianensis, in urbem suam anno 1522; *Episcopatus Aurelianensis carcerum commentarienses sive geolarios*. Iisdem, ut ait idem Firmicus, publicarum catenarum cura demandabatur; de quibus vide etiam Ludovicum Cælium Rhodiginum lib. IX, cap. 34. Recte ergo Cyprianus ait missos esse commentarios qui eum Uticam perducerent. Iidem lictores vocantur in Epistola Hieronymi de Muliere septies icta: *Turbatur tali nuntio urbs propinqua, et tota lictorum caterva glomeratur, e quibus medius, ad quem damnatorum cura pertinebat, erumpens*, etc. De frumentariis vide notas Andreæ Schotti ad Aurelium Victorem; Henricum Valesium ad librum VI, cap. 30, Hist. Eccles. Eusebii, et glossarium Latinum Cangii. Alio sensu Jacobus Billius in scholiis ad Orationem Gregorii Nazianzeni *de Plaga Grandinis*, frumentarios eos vocat qui idcirco frumentum emunt ut fratres suos opprimant.

De hortis nostris. Vide quæ de hortis istis dicta sunt ad Epistolam VI, pag. 393.

II. — *Proconsul sententiam ferat.* Quinque libri veteres, *proconsulis sententia feriat.*

In commune. Quamquam ista lectio sit optima, non displicet tamen ea quam codex 2442 bibliothecæ Colbertinæ et Fuxensis exhibent. Exhibent autem *in comminus*, id est cum simul erimus, cum in unum convenerimus. Cum autem frequenter observaverim codices Veronensem et Fuxensem præferre easdem lectiones, hæc mea observatio fulcitur etiam testimonio istius loci. Veronensis enim habebat *comminus*. Quo etiam modo scriptum vidi apud Suetonium *in Vita Cæsaris*. Apollonius apud Rufinum, lib. V. Hist. Eccles., cap. 18, *aut si confidunt, in cominus veniant.*

Ita fiat. Istud addidimus ex libro Fuxensi.

* Quamvis nolim præstare has tres epistolas esse Cypriani, putavi tamen debere me illas edere in hoc loco, quia referuntur in quibusdam veteribus libris Epistolarum sancti Cypriani. Viri docti illas examinabunt. Prima, quæ est Cornelii Papæ, inventa est, ut ad Epistolam LXX. dictum est, in duobus libris veteribus, secunda in codice Fuxensi bibliothecæ Colbertinæ, tertia in eodem codice Fuxensi et in eo qui servatur Remis in abbatia sancti Dionysii.

Digitized by Google

ést rebaptizare. Ergo eradica et extrica, ut diximus, florulentis sermonibus atque dignis per posteriorem epistolam priora scripta, quæ contra catholicam fidem servare censuerunt genimina viperarum. Non enim decet tantæ urbis antistitem excellentissimumque doctorem ut, dum putas hæresis baptisma prædamnandum, verum Baptisma sermonibus maculare audias quæ doles contra Apostolum scilicet repugnare dicentem : *Unus Deus, una fides, unum Baptisma.*

AD PLEBEM CARTHAGINIS.

Cyprianus plebi Carthagini consistenti æternam in Domino salutem. Gratias quidem agimus Deo Patri et Domino Jesu Christo, qui vos adunatos atque in conventicula restituit. Propter quam rem memoravimus et scriptum beatissimorum martyrum atque confessorum voluimus ad consilium nostrum servare. Jubet desuper majestas atque Spiritus sanctus, cujus in nobis gratia testis est salutaris. Nam, cum tractaret de traditoribus, jubet tam in Evangelio quam in Apostolo, tam in Psalmis quam in Prophetis et cæteris Scripturis : *Scrutamini* (*Joa.* v, 39). Quo scrutato a nobis, inventis [a] ab iis qui Scripturas sanctas tradiderunt non mereri eos congredi consilium nostrum, id est consilium habitare. Nemo est enim qui hoc consilium condreatur [b] non cœlestem spectet. Ac propterea memoravimus ut ii qui taliter Scripturas tractaverunt ad statum plebis et judicium ab ipsis porrectum, nec aliqua actio ab ipsis promi, sed nec etiam ad statum sacrificii neque plebis esse proximi; qui utique, jam dudum derelicta plebe, nudata altaria, prompta sacrificia [c]. Merito hæc memorantes cum mœstitia atque dolore animi profici teste ad Dominum quod debuimus statuere, quam omnes disceptationes et dissensiones et hæreses et scandala hauserant, ne ulterius provocent se homines seu minus fidei seu Scripturis leves sint et lectores id statuimus atque statuimus [d], atque statuto nostro recedi nolumus, ut si qui tradidit præpositus huic plebi mereantur antistitem administrantem altari ac corpore integro. Iis vero jussimus a quibus et sacrificium offerri jubemus, merito præceptis iis [168] obtemperari debet, nec aliud fiet quam statim evangelica vox sincera cata Johannem loquitur : *Nolo*, inquit, *de manibus vestris sacrificia, quia non venistis ad me cum hostia munda.* Qui utique hostiam mundam non offert, hostia de manibus ejus non ascendit. Nam iterum legimus : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (*Joan.* I, 1). Qui per Verbum finctionem finxerint dare res inhabitabiles apud illos seu veras scripturas sanctas seu fictas, qui dat vocem et qui dat desideria proxima, qui utique finget tradere supplebit traditionem. Merito negantes volumus interim veniam habere confitentes patres. Nam qui dicit se Scripturas non habere, utique paratus fuit et torqueri, quorum exempla habemus. Tertio negaverunt, et sacramentum non tradiderunt. Hi autem qui nec interrogati obtulerunt, interim usque ad statum consilii laici communicabunt. Verumtamen in statum consilii quod Scriptura sancta promoverit, secundum sententiam fixam sanctis et amicis Dei suppleri volumus, cum jam testes et proximi aliquid jam dudum statuerant nostri antecessores. Ob quam rem necesse est nos testibus consentire complecti et supplere. Opto vos in Domino semper bene valere. Amen. Deo gratias.

AD TURASIUM PRESBYTERUM.

Cyprianus benedicto et dilectissimo parenti Turasio in Domino æternam salutem. Charitatis tuæ scripta percepi, quibus animum tuum dolore commotum de filiæ dormitione cognovi. Non aliud principaliter admiratus sum quam christiani pectoris in te jactatam fuisse virtutem, ut animum flecteres ad dolorem. Stupeo murum fidei penetratum vulneribus orbitatis, quem sepire debuerat spes resurrectionis et regni cœlestis. Numquam spes cum dolore concordat, nec fides aliquando sentit quacumque jacturam. Resurgere credimus mortuos, et plangimus : quid faceremus, si mori tantummodo sine resurrectione præciperet Deus? Voluntas utique ejus sola sufficeret ad solatium, cui nullum præponendum scimus affectum. Quod dederat abstulit qui creaverat. Quid certas plangere quod ad tempus acceperas? Commodaverat ut haberes quantocumque tempore voluisset, et cum vellet rursus auferret. Nihil abstulit tuum qui recipere dignatus est proprium. Creditum suum recipere decuerat creditorem, et nihil aliud decet quam creditori suo gratias agere mutuantem. Sic Job legimus quam sequamur devotissimam vocem : *Dominus*, inquit, *dedit, Dominus abstulit. Sicut Domino placuit, ita factum est. Sit nomen Domini benedictum* (*Job* I, 21). Parum ergo non erat hæc sola consolatio contra luctum quod nemo lugere debeat cum aliquid reddiderit alienum, quia fas non erat apud alium detineri quod domino suo fuerat necessarium. Additur consolationis alia providentia, quæ jaculis occurrat orbitatis. Gaudere debuimus de sæculo recedentibus, si sæculi contra nos inimicitias sentiremus, et plangimus beneficia Domini, qui nobis quod præstat infirmitati nostræ præstat. Periclitari volebat adhuc qui dolet aliquem dormientem, et inter fluctus vitæ præsentis videre cupiebat miserum laborare. Ad quid christianum et fidelem animam putas intra carcerem mundi remorari debuisse, cui totus mundus naufragium est? [169] Tantis et talibus tempestatibus vitæ tot impugnationes diaboli, tot corporis bella, tot clades sæculi, tot calamitates evasit. Et lacrymas fundis, quasi nescias quid in te ipse quotidie patiaris. Propter quod Dominus sic admonet Apostolos suos di-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Inventum est *conjicit Baluz.*
[b] Congrediatur *forte. Edd.*
[c] *Forte* dereliquerunt. *Edd.*
[d] Atque statuimus. *Hæc supersunt ac psalma amanuensis redolent. Edd.*

Digitized by Google

cens : *Si me diligeretis, gauderetis, quoniam vado ad patrem* (*Joan.* XIV, 28). Plane mortuum Lazarum flevit, sed non tuis lacrymis. Resurrectionis promissor dolere non poterat, ne fidem perfidiam faceret quam docebat. Doluit Lazarum non dormientem, sed potius resurgentem, et flebat quem cogebatur, propter salvandos alios et confundendos incredulos, ad sæculum revocare. Hanc vitam dans Dominus ingemiscebat, quam tu doles esse sublatam. Contra lacrymas ejus pugnant lacrymæ tuæ, et amor tuus amori ejus non convenit. Fletus ejus non habet parem. Ille nolebat reddere laboribus quem dilexerat, et tu amare te credis cui laborum volebas adhuc restare tormenta? Cæterum, si putas eum mortuum Lazarum doluisse, ante non permisisset exire qui repellere poterat mortem, aut certe non fleret qui mortuum resuscitandi postmodum habuerat potestatem. Unde apparet eum sola ea causa fuisse commotum, quod ad hostilem vitam charissimum suum revocare denuo propter crediturus aliquos vel confundendos incredulos urgebatur. Denique sic subsecutus est Dominus dicens : *Ergo, Pater, ut credant quia tu me misisti*, ait clara voce : *Lazare, prodi foras* (*Joan.* XI, 43). Et factum est. Gaudere ergo debes unde ille coactus est flere, ne videaris dormientis felicitatibus invidere. Ab alieno mundo ad proprium transivit, transivit ad Dominum, et de hostili patria ad paternam patriam migravit ad cœlum, dicente Apostolo : *Scimus*, inquit, *quoniam, si terrena domus nostra hujus corporis resolvatur, quod habitationem habemus non manu factam æternam in cœlis* (II *Cor.* V, 1). Caruit ergo domo, quam nec nosse debuerat ; caruit malis civibus, quorum odia sustinebat, ne adhuc peregrinaretur in terra contraria, sicut Apostolus memorat dicens : *Quamdiu sumus in hoc sæculo, peregrinamur a Domino* (*Ibid.*, 6). Non nobis ergo debet luctus incumbere, quisquis a peregrinatione redire meruerit ad propriam regionem, maxime cum non inanis et vacuus redire noscatur qui christianitatis mercatus est lucrum, propter quod venit ad mundi commercium. Negotium explicavit, rediit, et Deo debitum solvit. Comparavit propter quam descenderat emptionem, et ad Dominum regredi properavit, cui offerat mercem, ut comparatæ mercis tam securitatem accipiat quam honorem. Et ego, inquies, nulla promissorum cœlestium dubitatione conturbor, sed sola separatione morientis æstuans desolatus solatio pii pignoris jactor. Excusatio hæc est sine dubio fragilitatis humanæ, quæ patrocinari non potest diffidentiæ. Si enim desolationem homines ferre non valerent, numquam prorsus a se sua pignora dimisissent. Destitutos se a morientibus conqueruntur, et vivos filios aut propter litteras aut propter honores aut propter negotia peregrinis regionibus credunt, et, gaudent tota vita sine affectibus commorari, dummodo capiant quod de suis cupiunt pignoribus adipisci ; et ut ad palatia pergant, peregrinantur. Ad studia dignitatis navigant acquirenda, vel causas patrimonii explicandas er labores et pericula roficiscentes impellunt, nec secum vacare quos diligunt patiuntur. Et ut ad palatium cœli, ad studia Christi, ad honorem vitæ perpetuæ, ad patrimonium possessionis æternæ [170] cum securitate valeant pervenire, nemo filios suos libenter a se gratulatur abscedere. Propter incerta per incerta filium vel fratrem vel parentem peregrinari unusquisque compellit, et propter certa per certa suorum aliquem proficisci nullus admittit. Ad comparanda peccata gaudent tam parentes a filiis quam filii a parentibus separari provocante diabolo, ad indulgentiam percipiendam nolunt ab invicem Deo vocante discerni, ut appareat non pro nostra ratione nos dolere quemcumque videmur amittere, sed indicium magis ostendere diffidentiæ, qui non sustinemus nostrorum profectiones ad Dominum, quorum peregrinationes in sæculo gratulamur. Quia credimus mundi lucris, toleramus divisa nostri corporis membra. Si crederemus Dei promissis, post abscessionem nostrorum nihil aliud quam gratias debuerant resonare nostri pectoris gaudia. Mihi crede, semper in omnibus incredulitas mœret, et sicut non potest nosse fides quod doleat, sic diffidentia sola doloribus tenetur ancilla. Nam si dormientes dicimus, dormientes utique credere debemus, non mortuos, sed requiescentes interim secundum vocem Domini fideliter loquentis : *Omnis*, inquit, *qui credit in me, licet moriatur, vivet* (*Joan.*, XI, 25). Si cui medicus homo promitteret quicquam, sine dubio promissioni ejus negare non poterit omnino lætitiam. Nunc quia Dominus Christus fabricator et resuscitator promittit, non times plangere, ut fideliorem Christo pariter et potentiorem medicum videaris in promissionibus judicare. Sed destitutam, dicis, doleo senectutem, quia debueram meos liberos potius antecedere, ne in laboribus remanerem. Quando de spiritualibus bonis quodcumque tractatur, nihil est omnino de carnalibus ante oculos reponendum. Ego tibi melius profiteor evenisse, quoniam non carnalem sed spiritualem circa te considero fidelitatem. Tu te dicis de alicujus pignoris obitu in senectute confectum. Ego contra comprobo sublevatam senectutem tuam. Amputavit Dominus sollicitudinem quæ te torquebat de viva filia ne periret. Melius utique nunc mortuam sæculo redisse ad Dominum vivam quam vivam sæculo dolores forsitan apud Dominum mortuam. Gaude tibi quod christianam mereberis sequi, quam secutus in cœlo gaudeas rursus amplecti. Non te deseruit, sed præcessit ; et ne doleret excedentem patrem suscipere festinavit. Non amisisti tua nutrimenta. Si luctum horrueris et senex tuum obtulisse pignus Domino deputare poteris, potes secundum votum habere post Abraham, si non potes primum, ut quod ille non trepidavit offerre, tu saltem videaris de sublato gaudere. Ab illo Dominus postulavit, a te tulit. Ille jussioni paruit, tu voluntati consensisti. Ille per illicitam legem naturæ quem Dominus sibi probavit devotum, te saltem per licitam conditionem religionis annotet religiosum, advocet religiosum. Nam sive voluntate nec necessitate compelleris devotionis Domino ali-

Digitized by Google

quid exhibere, in qua parte te christianum poteris approbare. Erubescat incredulitas nostra cum gentilibus, si Domino vult esse subjecta. Communis est nobis cum illis exitus mortis, et dolores illorum superamus doloribus nostris. Quid ageremus si peculiariter aliquid exigeretur a nobis quod ad dedecus nostrum pertineret? Gentiles dolores sæpe contemnunt, cum non ad promissa cœlestia sed ad pœnas tartari rapiantur. Et nos [171] plangimus euntes ad cœlum. Consideret christianus talis quid deinceps mereatur qui nec imitari contendit exempla sanctorum, nec contemptum habere gentilium. Illi luctus desperando despiciunt, et nos sperando despicere conamur. Denique vendere liberos sæpe non dubitant, ut vivos, quod pejus est, spernant. Et nos nec defunctorum obitus sublevant. Et nos sublatos captivitati et libertate donatos volumus servire. Filios suos intrepide mortalibus tradunt, et nos de nostro simul et suos liberos et nostros liberandos dimittere sacrilega mente cunctamur, quasi tutius apud homines judicemus magis quam penes Dominum commendari aliquem filiorum. Pudendum nescio quid christianus est apud gentiles opprobrii; quibus pejores sine dubio judicantur quos pares habere non dicam meliores fuerat putare criminosum. Christiani nolunt vel gratulatione suos deducere ad bona, gentiles tradere non cunctantur ad mala. Postremo vel cum ipsa felicitate nostrorum morientium cogamur animum flectere, et desideriis eorum desideria nostra incipiant repugnare. Lætantur illi qui exeunt venientes ad requiem. Lætemur et nos cum ipsis, saltem computantes nostrorum exeuntium beatitudinem. Si religiosus vel novitius qui evasit, si non potes vel exulta quia placuisse cognoscis participium tui sanguinis Christo, maxime quod vel de occasione debeas tolerare Domini voluntatem, cui non potes contradicere. Et cum sit omnibus communis hic casus, vanus dolor est, qui nec primus videtur esse nec solus. Sed dicis : Nullus me de mea desolatione mentis angor exulcerat, sed pro delictis parvuli morientis humanitatis affectus impulsat. Nec hoc licet commovere animum christianum, ne contra Christi imperia luctetur. Quid est inter quoscumque et qualescumque filios dimisisse, quos jubeamur a Domino pro causa devotionis odisse, Melius nunc salvat animam suam moriens. Relinquit in pace, ne persecutionem dimittere cum suo interitu non valeret, ipse illi auxiliatur in mundo quorum mater habitat in cœlo, et qui matri subvenit, et filiis pro certo succurrit. Postremo vide si habeat aliquis dolore concidi, ubi sine aliquo remedio potest aliquis fatigari. Sapienter debet dolere qui dolet, ne perdat sine causa quod dolet. Nunc autem contra luctum sumenda sunt arma, ut spes nostra possit habere victoriam. Principaliter quod Dominus voluit suscipere gratulemur. Denique quia hoc omnibus in mundo commune additur, privatum particulare nostrum quod ad requiem revocamur. Sequitur consummatio omnium gaudiorum, quæ in resurrectione invicem nobis Domino reformante reddetur, sicut Apostolus pollicetur : *Nolumus igitur ignorare vos, fratres, de dormientibus, ut non contristemini sicut et cæteri qui spem non habent. Si enim credimus quod Jesus mortuus est et resurrexit, sic et eos qui dormierunt in Jesu adducet cum eo* (I *Thess.* IV, 12). Hæc tibi, benedicte, pro charitate mutua transmisi. Cæterum scio te bene valere, alios consolari. Tunc te orbitas non inveniet penetrabilem, si alios contra illam non cessabis armare. Opto te, frater charissime, semper bene valere et nostri meminisse.

Digitized by Google

THASCII CÆCILII CYPRIANI

EPISCOPI CARTHAGINENSIS ET MARTYRIS

OPERUM PARS II.

OPUSCULA.

LIBER DE HABITU VIRGINUM.
LIBER DE LAPSIS.
LIBER DE UNITATE ECCLESIÆ.
LIBER DE ORATIONE DOMINICA.
AD DEMETRIANUM.
DE IDOLORUM VANITATE.
DE MORTALITATE.
DE OPERE ET ELEEMOSYNIS
DE BONO PATIENTIÆ.
DE ZELO ET LIVORE.
AD FORTUNATUM, DE EXHORTATIONE MARTYRII.
AD QUIRINUM, TESTIMONIA CONTRA JUDÆOS, LIBRI III.

[173] LIBER DE HABITU VIRGINUM.

ARGUMENTUM. — *Pontius in vita D. Cypriani paucis* A *hujus libri argumentum complectitur : « Quis, inquit, virgines ad congruentem pudicitiæ disciplinam et habitum sanctimonia dignum, velut frœnis quibusdam lectionis Dominicæ coerceret? » Primum, ut paulo fusius argumentum explicem, disciplinæ encomium celebrat, et ejus utilitatem Scripturis comprobat, deinde, gloriam, decus et merita virginitatis, et earum quæ virginitatem suam Christo voverant et dicaverant prosecutus, continentiam non in sola carnis integritate, sed et in cultus et ornatus honore docet consistere : neque vero divitias superfluam cultus curam excusare apud eas quæ jam sæculo renuntiaverant; quin potius, cum moderandum justo fine cultum præscribat nuptis fœminis Apostoli, multo id magis observare virginem oportere; etsi itaque locupletes sint, cogitare* B *debere utendum quidem divitiis, sed ad bonas artes, ad illa quæ præcepit Deus, expendendas nempe in pauperes. Post hæc, ornamentorum ac vestium insignia prostitutis potius feminis convenire quam virginibus, docet ex Apoc.; ex Isaiæ quoque* III *cap., quam Deum offendant tam varia, tam sumptuosa muliebria ornamenta deducit. Atque adeo, a superfluo ornatu ad fucorum diversa genera transitum faciens, non virginibus dumtaxat, sed et nuptis illa prorsus interdicit, utpote quæ impune laturæ non sint, quod facturam Dei reformare, transfigurare et adulterare nitantur. Porro etiam illa virginibus interdicit quæ negligentia in usum venerant, tum nuptiis ne intersint, tum ut promiscuas balneas non adeant. Brevi denique epilogo, quid boni contineat continentiæ virtus, quove malo careat, tribus, quod aiunt, verbis prosecutus, librum hoc epiphonemate concludit : « Durate fortiter, spiritaliter pergite, pervenite feliciter; tantum mementote tunc nostri cum incipiet in vobis virginitas honorari. »* PAMELIUS.

I. Disciplina custos spei, retinaculum fidei, dux

STEPH. BALUZII NOTÆ.

[a] Antea legebatur *De disciplina et habitu Virginum.* Coactus sum mutare propter auctoritatem veterum exemplarium, in primis vero Seguerianæ, omnium antiquissimi, et quia eo modo librum istum citat sanctus Augustinus, lib. IV *de Doctrina Christiana*, cap. 21. De illo ita scribit Hieronymus in Epistola ad Eustochium de Custodia Virginitatis : *Legas Tertullianum ad amicum philosophum et de Virginitate alios libellos et beati Cypriani volumen egregium.* Idem in Epistola ad Demetriadem de Virginitate servanda : *Certe et beatus Cyprianus egregium de Virginitate volumen edidit.* Quæ etiam reperiuntur in Epistola 79 Hildeberti. Hanc nostram mutationem in titulo istius libri confirmari dosse puto auctoritate Cassiani, qui libros quos edidit de Institutione Monachorum vocavit *de Habitu Monachorum.* Sic enim legitur in codice Corbeiensi : *Incipit liber primus de Habitu Monachorum.* Et in fine : *De Habitu Monachorum liber primus explicit.* Sic etiam in codice 782 bibliothecæ Colbertinæ. Immo in editione Antuerpiensi Christophori Plantini legitur in initio : *Liber primus de Habitu Monachi.* Exstat insignis liber sancti Joannis Chrysostomi *de Virginitate.*

1.—*Disciplina custos spei.* T. Livius, lib. XXXIV *Disciplina custos infirmitatis.* Cyprianus in Epistola *ad Donatum*, pag. 2, *Timor innocentiæ custos.* Cicero in Oratione in L. Calpurnium Pisonem : *Vetus illa magistra pudoris et modestiæ severitas censoria.* Apuleius, lib. IX Metamorphoseon : *Inimica fidei, hostis pudicitiæ.* Pulchra pudicitiæ commendatio exstat apud Ludovicum Cælium Rhodiginum, lib. VII, cap. 27.

Digitized by Google

itineris salutaris, fomes ac nutrimentum bonæ indolis, magistra virtutis, facit in Christo manere semper ac jugiter Deo vivere et ad promissa [a] cœlestia et ad divina præmia pervenire. Hanc et sectari salubre est, et aversari ac negligere lethale. In Psalmis loquitur Spiritus sanctus [b] : *Continete disciplinam, ne forte irascatur Dominus, et pereatis a* [c] *via recta*, [d] *cum exarserit cito* [e] *ira ejus super vos* (*Psal.* II, 12). Et iterum : *Peccatori autem dixit Deus. Ad quid* [f] *exponis justificationes meas, et assumis testamentum meum per os tuum? Tu autem odisti disciplinam et abjecisti sermones meos retro* [g] (*Psal.* XLIX, 16, 17). Et denuo legimus : *Disciplinam qui abjicit, infelix est* (*Sap.* III, 11). Et de Salomone mandata Sapientiæ monentis accepimus : *Fili, ne neglexeris disciplinam Domini, nec defeceris ab eo correptus; quem enim diligit Deus corripit* [h] (*Prov.* III, 11, 12). Si autem Deus quem diligit corripit et ad hoc corripit ut emendet, fratres quoque, et maxime sacerdotes, non oderunt sed diligunt eos quos corripiunt ut emendent. quando et Deus per Hieremiam ante prædixerit et tempora nostra significaverit dicens : *Et dabo vobis pastores secundum cor meum, et pascent vos pascentes cum disciplina* (*Hier.* III, 15).

II. Quod si in Scripturis sanctis frequenter et ubique disciplina præcipitur, et fundamentum omne religionis ac fidei de observatione ac timore profiscitur, A quid cupidius appetere, quid magis velle ac tenere nos convenit, quam ut, radicibus fortius fixis, et domiciliis nostris super petram robusta mole solidatis, inconcussi ad procellas et turbines sæculi stemus, ut ad Dei munera per divina præcepta veniamus, considerantes pariter ac scientes quod templa Dei sint membra nostra, ab omni fœce contagionis antiquæ lavacri vitalis [i] sanctificatione purgata, nec violari ea aut pollui fas sit, quando qui violat et ipse violetur. Eorum nos templorum cultores et antistites sumus. Serviamus illi cujus esse jam cœpimus. Paulus in Epistolis suis dicit [j] quibus nos ad curricula vivendi per divina magisteria formavit : *Non estis vestri. Empti enim estis pretio magno* [k]. *Clarificate* [l] *et portate Deum in corpore vestro* (1 *Cor.* VI, 19, 20) Clarificemus et portemus Deum puro et mundo corpore B et observatione meliore; et qui per sanguinem Christi redempti [m] sumus, per omnia servitutis obsequia Redemptoris imperio pareamus, demusque operam ne quid immundum et profanum templo Dei inferatur, ne offensus sedem quam inhabitat derelinquat. Sospitantis [n] Domini verba sunt et docentis, curantis pariter et monentis : *Ecce*, inquit, *sanus factus es, jam noli peccare, ne quid tibi deterius fiat* (*Joan.* V, 14). Dat vivendi tenorem, dat innocentiæ legem, postquam contulit sanitatem; nec habenis liberis et solutis va-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Semper et ad promissa *Ar. NC.* 1. *Bod.* 2. *Ebor. Lam. Var.* 3. *MR.* 2.
[b] Sanctus, dicens *Ver.*
[c] De via *Bod.* 1.
[d] Via justa *Lam. Ebor. NC.* 2. *Corb. Thu.*
[e] In brevi *Vat.* 2.
[f] Ut quid *Vel. Innom. Voss.* 1. *Bod.* 1. *Thu. Foss.*
[g] Retrorsum *Pem. Bod.* 4. Post se *NC.* 2.
[h] Sic corripit *Foss.*
[i] Salutaris *Ar. NC.* 1. *Ebor. Lam. MR. sic ad Donatum.*
[j] Ponit et dicit *Foss.* Quibus nos successibus *Voss.*, 3.
[k] Empti estis magno *Bod.* 2, 4. *NC.* 1. *Voss.* 1, 2. *Pem. Lam. Ebor. Ver. MR.* C
[l] Glorificate *Oxon.*
[m] Christi Domini nostri redempti *Thu. Foss.*
[n] Hospitantis *Bod.* 4. Suscitantis *Voss.* 3.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

[a] *Aversari.* Codex sancti Arnulphi et Beccensis itemque editio Morellii habent *adversari.* Ita etiam Thuanus et Fossatensis, ut recte annotatum est in editione Anglicana.

[b] *A via recta.* In codice sancti Arnulphi scriptum est *justa* et supra lineam *vel recta.*

Ad quid exponis. Idem codex et Beccensis *Ut quid.* Ita etiam editio Morelliana.

II.— *Scripturis sanctis.* In editione Erasmi et in iis quæ postea secutæ sunt additur consequenter *tam veteribus quam novis*, quam additionem Rigaltius ait esse superfluam. Sane non exstat in antiquis editionibus; idque verum esse annotat Pamelius, sed tamen monet codices manuscriptos eam habere. Ego vero testari possum me illam in tanto numero veterum exemplarium cum quibus opera sancti Cypriani contuli non reperisse nisi in uno recentiore sancti Victoris Parisiensis. Certe non exstat in Seguieriano neque in Epistola Pelagii II ad episcopos Istriæ, ubi hoc fragmentum refertur. Editio, profecto quæ dicitur Gravii illam habet, sed minutiore charactere, et in margine notatur ea verba alibi non haberi, id est alibi quam in editione Erasmi, quæ emersit ante illam quæ dicitur Gravii. Lombertus, qui gallice vertit opera sancti Martyris, illam omisit in sua versione. Angli etiam expunxerunt.

Dei munera. Antea scriptum erat *Christi munera.* Quæ sane lectio bona est. Verum quoniam editio Morelliana et omnes libri veteres quos ego vidi, duobus duntaxat exceptis, legunt *Dei munera*, arbitratus sum cedendum esse auctoritati tot veterum exemplarium, præsertim cum infra in libro *adversus Demetrianum*, pag. 223, ita etiam scriptum sit. Et licet in libro *de Unitate Ecclesiæ*, pag. 195, legatur *Christi præmia*, non inde colligi potest in isto loco retinendam esse vocem *Christi*, quamvis ea quoque lectio bona sit.

Quibus nos. In tribus antiquis codicibus legitur *quibus nos successimus.* Sed verbum *successimus*, quod certe non est hujus loci, deest in omnibus aliis.

Clarificate. Ita septemdecim libri veteres, et mox *clarificemus.* Non monuissem me ita scripsisse, nisi alia lectio, quæ habet *glorificate et glorificemus*, prævaluisset in omnibus editionibus, excepta Morelliana. D Prætuli porro istam propter auctoritatem veterum exemplarium, et quia ita loqui amat sanctus Cyprianus.

Mundo corpore. In libro Flori scriptum erat *mundo pectore.*

Demusque operam. Hæc desunt in codice sancti Arnulphi.

Tenorem. Ita emendavimus ex fide codicis Burgundici pro eo quod veteres editiones habent *morem*, tredecim libri nostri et quinque Anglicani *timorem.* Quo præjudicio freti Angli *timorem* posuerunt. Sed ego eam lectionem puto esse falsissimam, eam vero quam præfert codex Burgundicus verissimam. Confirmare illam videtur Plinius in Panegyrico, ubi loquens de uxore et sorore Trajani ait : *Idem utrique propositum, idem vitæ tenor.* Cyprianus ipse, Ep. LXIV, ait : *Teneant integri salutis suæ perpetuum tenorem*, uti nos emendavimus ope libri Fuxensis. Statius in Lacrymis Hetrusci, *atque ævi sine labe tenor.* Tacitus in

Digitized by Google

gari postmodum patitur, sed ipsis potius quibus sanatus fuerat mancipato gravius comminatur, quod sit scilicet minor culpa deliquisse ante cum necdum nosses disciplinam Dei, nulla sit venia [a] ultra delinquere postquam Deum nosse cœpisti. Et quidem hæc tam viri quam mulieres, tam pueri quam [17] puellæ, sexus omnis atque omnis ætas observet, et curet, pro religione et fide quam Deo debet, ne quod sanctum et pœrum de Domini dignatione percipitur, minus sollicito timore teneatur.

III. Nunc nobis ad virgines sermo est; quarum quo sublimior gloria est, major et cura est. Flos est ille [b] ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum gratiæ spiritalis, læta indoles, laudis et honoris opus integrum atque incorruptum, Dei imago respondens ad sanctimoniam Domini, illustrior portio gregis Christi. Gaudet [c] per illas atque in illis largiter floret Ecclesiæ matris gloriosa fœcunditas; quantoque plus copiosa virginitas numero suo addit, tanto plus gaudium matris [d] augescit. Ad has loquimur, has adhortamur affectione potius quam potestate; non quod, extremi et minimi [e] et humilitatis nostræ admodum conscii, aliquid [f] ad censuram licentiæ vindicemus, sed quod [g], ad sollicitudinem [h] magis cauti [i], plus de diaboli infestatione timeamus.

IV. Neque enim inanis hæc cautio est et vana formido quæ ad salutis viam consulit, quæ Dominica et vitalia præcepta custodit, ut quæ se Christo dicaverint, et a carnali concupiscentia recedentes tam carne quam mente se Deo voverint, consumment opus suum magno præmio destinatum, nec ornari jam aut placere cuiquam nisi domino suo studeant, a quo et mercedem virginitatis expectant, dicente ipso : *Non omnes capiunt verbum, sed illi quibus datum est. Sunt enim spadones qui ex utero matris sic nati sunt, et sunt spadones qui coacti sunt ab hominibus, et sunt spadones qui se ipsos castraverunt propter regnum cœlorum* (*Matth.* XIX, 11, 12). Denuo quoque per hanc Angeli vocem continentiæ munus ostenditur, virginitas prædicatur : *Hi sunt qui cum mulieribus se non coinquinaverunt. Virgines enim permanserunt. Hi sunt qui sequuntur Agnum quocumque ierit* (*Apoc.* XIV, 4). Neque enim tantum masculis continentiæ gratiam [j] Dominus repromittit et feminas præterit, sed, quoniam femina viri portio est et ex eo sumpta atque formata est, in Scripturis fere omnibus ad protoplastum Deus loquitur, quia sunt duo in carne una et in masculo simul significatur et femina.

V. Quod si Christum continentia sequitur, et regno Dei virginitas destinatur, quid est illis cum terreno cultu et cum ornamentis, quibus dum hominibus placere gestiunt, Deum offendunt, non cogitantes esse prædictum : *Qui hominibus placent confusi sunt, quoniam Deus nihil fecit illos* (*Psal.* LII, 6), et Paulum quoque gloriose et sublimiter prædicasse [k] : *Si hominibus placere vellem* [l], *Christi servus non essem* (*Gal.* I, 10). Continentia vero et pudicitia non in sola carnis integritate consistit, sed etiam in cultus et ornatus honore pariter ac pudore, ut, secundum Apostolum, quæ innupta est sancta sit et corpore et spiritu. Instruit nos Paulus et docet dicens [m] : *Cœlebs cogitat ea quæ sunt Domini, quomodo placeat Deo : qui*

LECTIONES VARIANTES.

[a] Non facitis venia *Voss.* 3.
[b] Hæ sunt ecclesiastici germinis flores *NC.* 1. *Lam. Ebor. Oxon.*
[c] Et per illos *Pem.*
[d] Addit gaudium matris *Thu. Corb. Foss.*
[e] Potestates, extremi et minimi *Ar.*
[f] Consili tale quid *Bod.* 2. *Lam. Ebor. Ben. NC.* 1.
[g] Nec quod *Voss.* 1. *Bod.* 1, 2, 4. *Thu. Corb.* Nec quo *MR.* Quod *Foss.*
[h] Sollicitudinem pertinet *Ver.*
[i] Ex ultra nati *Lin.* Matris nati *Man.*
[j] Continentiam Dominus *MR.*
[k] Paulo prædicante *Bod.* 4. *Ver.* Paulus quoque prædicat *Voss.*, 3.
[l] Si hominibus placerem *Lam. NC.* 1. *Voss.* 1. *Corb.*
[m] Paulus et dicit *Oxon.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

Vita Agricolæ : *Idem præturæ tenor.* Item Cyprianus Epist. XXV pag. 33 scripsit *disciplinæ tenor*, Epist. LII, pag. 72, *tenorem gloriæ.* Epist. LI, pag. 65, Epist. LXXVII, pag. 138, *custodito fidei tenore.* Arnobius, lib. II, *Virtutum omnium servamus atque integramus tenorem.* Lactantius, lib. V, cap. 9, *Pietas in summo regulam tenens tenorem suum servat.* Dido in Epistola ad Æneam apud Ovidium :

Durat in extremum vitæque novissima nostri
Prosequitur fati qui fuit ante tenor.

Sunt alia multa exempla istiusmodi apud eumdem Ovidium, Suetonium, Valerium Flaccum, Lucretium, Virgilium, et alios, a quibus referendis abstineo. Addam tamen locum Pontii diaconi in Vita Cypriani prout legitur in codice Bodleiano, *concupiscentiam sanctimoniæ tenore calcaret*, pro eo quod editiones habent *vigore.*

Minus sollicito. Codex Turonensis, *minus caute et sollicito timore.*

Teneatur. Post ista Pamelius adjecit ex Codice Camberonensi, *quia scriptum est : Qui perseveraverit usque in finem hic salvus erit.* At ego additamentum illud delevi, quia illud nuspiam inveni in codicibus antiquis cum quibus contuli opera sancti Martyris, et deest etiam in novem Anglicanis.

III.—[aaa] *Nunc nobis ad virgines.* Refert hunc locum sanctus Augustinus lib. VI *de Doctrina christiana*, cap. 21.

Sanctimoniam. Codex sancti Arnulphi *sanctimonium.* Vide supra, pag. 407.

Copiosa. Apud Augustinum *gloriosa*, in codice Floriacensi illic citato *generosa.* Sic etiam Morellius in veteri codice.

IV.—*Spadones.* Vide annotationes Erasmi in caput XIX Matthæi.

Angeli vocem. Duo libri veteres habent *archangeli*, novem *evangelii.* Sic etiam vidit Morellius in veteri codice.

V.—*Continentia vero.* Vide quæ de continentia diximus supra, ad Epistolam LII, pag. 442.

Cœlebs cogitat. Ita etiam lib. III Testimoniorum cap 32. At Hieronymus in Epistola ad Eustochium *de Virginitate servanda* aliter refert hunc locum ex quadam veteri versione hoc modo : *Qui sine uxore est sollicitus est ea quæ Domini sunt quomodo placeat Domino. Qui autem cum uxore est sollicitus est ea quæ sunt hujus mundi quomodo placeat uxori. Divisa est mulier et virgo. Quæ non est nupta cogitat quæ sunt Domini, ut sit sancta corpore et spiritu.* Verum idem Hieronymus in libro primo *adversus Jovinianum* im-

Digitized by Google

autem matrimonium contraxit, cogitat ea quæ sunt mundi hujus, quomodo placeat uxori. Sic et virgo et mulier innupta cogitat ea quæ sunt Domini, ut sit sancta et corpore et spiritu (1 *Cor.* VII, 32-34). Virgo non esse tantum sed et intelligi debet et credi. Nemo cum virginem viderit [a], dubitet an virgo sit. Parem te integritas in omnibus præstet, nec bonum mentis corporis cultus infamet. Quid ornata, quid compta procedit, quasi maritum aut habeat aut quærat? Timeat potius placere, si virgo est, nec periculum sui appetat quæ ad meliora et divina se servat. Quæ virum non habent, cui placere se simulent, integræ et puræ non tantum corpore sed etiam spiritu perseverent. Neque enim fas est virginem ad speciem formæ suæ comi aut de carne et de ejus [178] pulchritudine gloriari, cum nulla sit illi magis quam adversus carnem colluctatio et vincendi corporis ac domandi obstinata certatio.

VI. Paulus forti ac sublimi voce proclamat : *Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.* (*Gal.* VI, 14) : et virgo in Ecclesia de specie carnis ac de corporis pulchritudine gloriatur! Addit Paulus et dicit : *Qui enim sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis* (*Gal.* V, 24) : et quæ se concupiscentiis carnis et vitiis renuntiasse profitetur, in iisdem quibus renuntiaverat, invenitur! Deprehenderis virgo, detegeris. Aliud esse te jactas, et aliud affectas. Maculis te concupiscentiæ carnalis aspergis [b], cum integritatis candidata sis et pudoris. *Clama,* inquit Esaiæ Deus : *Omnis caro fœnum, et omnis claritas ejus ut flos fœni. Aruit fœnum, et flos decidit : sermo autem Domini manet in æternum* (*Isa.* XL, 6-8.) Neminem christianum decet, et maxime virginem non decet, claritatem ullam computare [c] carnis et honorem, sed solum appetere sermonem [d] Dei, bona in æternum mansura complecti. Aut si in carne sit gloriandum, tunc plane quando in nominis [e] confessione cruciatur, quando fortior femina viris torquentibus invenitur, quando ignes aut cruces aut ferrum aut bestias patitur ut coronetur. Illa sunt carnis pretiosa monilia, illa corporis ornamenta meliora.

VII. Sed sunt aliquæ divites et facultatum ubertate locupletes, quæ opes suas præferant et se bonis suis uti debere contendant. Sciant primo illam divitem esse quæ in Deo dives est, illam esse locupletem quæ locuples in Christo est, bona illa esse quæ sunt spiritalia, divina, cœlestia, quæ nos ad Deum ducant, quæ nobiscum apud Deum perpetua possessione permaneant. Cæterum, quæcumque terrena sunt in sæculo accepta et hic cum sæculo remansura [f], tam contemni debent quam mundus ipse contemnitur, cujus pompis et deliciis jam tunc renuntiavimus cum meliore transgressu ad Deum venimus. Joannes nos excitat et hortatur spiritali et cœlesti voce contestans : *Nolite,* ait, *diligere mundum neque ea quæ in mundo sunt* [g]. *Si quis dilexerit mundum, non est charitas Patris in illo : quoniam omne quod in mundo est, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum,*

LECTIONES VARIANTES.

[a] Virginem videt *Oxon.* Videret *Lin. Voss.* 1. *Lam. Ebor.*
[b] Carnis aspergis *Bod.* 4.
[c] Proponere *Ar. Lam. NC.* 1. *Ebor. Bod.* 2. *Ben.*
[d] Verbum *Bod.* 4. *Foss.*
[e] Nominis Christi *NC.* 1. *Lam. Bod.* 2. *Ben.*
[f] In sæculo et sæculo remansura *Bod.* 1. Accepta *Lam. Ebor.*
[g] Aut ea quæ in mundo sunt *Pem. Voss.* 2.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

probat hanc versionem et ait illam non esse apostolicæ veritatis. Et tamen in libro *adversus Helvidium* referens eumdum locum ait : *Quid oblatras, quid repugnas! Vas electionis loquitur, Divisa est, dicens, mulier et virgo.* Eadem versione usum esse Tertullianum liquet ex libro ejus de *Virginibus velandis.*

Sic et virgo. In codice sancti Arnulphi, in Beccensi, et in editione Morellii legitur : *Sic et mulier et virgo innupta.*

Dubitet an virgo sit. In codice Gratianopolitano legitur, *dubitet an nupta aut virgo sit.* Tertullianus in libro de Virginibus velandis : *Difficile mulier semel fit quæ non timet fieri quæque jam facta potest virginem mentiri sub Deo.* Apud Dionem Cassium, lib. XXXVII, legimus Cæsarem uxorem suam suspectam adulterii repudiasse, non quod crederet quæ de ea ferebantur, sed quod diceret non posse se eam conjugem habere quæ semel adulterii commissi suspecta haberetur, pudicæ enim esse non modo ut ne quid peccet, sed ne suspicionem quidem ullam turpem de se præbeat.

Parem. Codex Seguierianus, *Talem te integritas.*

Non tantum corpore. Dissimulare non debeo decem et novem vetera exemplaria, et in eis Seguierianum, habere *non solum corporaliter sed spiritaliter.* Lectionem vulgatam non reperi nisi in antiquis editionibus et in duobus libris veteribus. Retinui tamen eam quia est elegantior, quamvis sciam in libro de *Oratione Dominica*, pag. 204, pro eo quod illic scriptum est *magis spiritalis*, quosdam veteres libros habere *spiritalior.*

Comi. Ita plerique libri veteres. Sic etiam apud Aldelmum in libro *de Laude Virginitatis.* Non displicet tamen alia lectio, *comam nutrire.* Infra, in hoc ipso libro, pag. 178, *Quod ornari te putas, quod putas comi, impugnatio est ista divini operis.*

VI.—*Cum integritatis.* Duo libri veteres, *cum affectu integritatis.* Alii tres, *cum integritate candida sis et pudore.*

Candidata. Ita editio Erasmi, cum antea legeretur *candida.* Quam lectionem ego deprehendi in undecim libris veteribus. Aliam reperi in editionibus Manutii et Morellii et in aliis octo codicibus. Tertullianus in libro II *ad Uxorem* dixit : *Ipse Dei candidatus est timore.* Et in libro de Baptismo : *Agebatur itaque Baptismus pœnitentiæ quasi candidatus remissionis et sanctificationis in Christo subsecuturæ.*

Sermo. Plerique libri veteres, ut frequenter alibi, habent *verbum.* Vide supra, pag. 465, et notas ad Epistolam LXXXI, pag. 521.

VII.—*Possessione.* Veteres editiones et decem libri veteres *mansione.*

Contestans. Ita scriptum vidi in plerisque codicibus manuscriptis. Quidam tamen et veteres editiones præferunt *corroborans.* Infra in libro *de Lapsis*, pag. 183, *Dei servos cœlesti voce corroborans.*

Digitized by Google

et ambitio sæculi, quæ non est a Patre, sed ex concupiscentia sæculi. Et mundus transibit et concupiscentia ejus. Qui autem fecerit voluntatem Dei, manet [a] *in æternum, quomodo et Deus manet in æternum.* (I *Joan.* II, 15-17). Æterna igitur et divina sectanda sunt, et omnia de Dei voluntate facienda sunt, ut Domini nostri vestigia et magisteria divina sectemur [b], qui monuit et dixit : *Non descendi de cœlo ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui me misit* (*Joa.* VI, 38). Quod si non est major domino suo servus et liberatori debet obsequium [c] liberatus, qui esse cupimus christiani, debemus quod Christus dixit et fecit imitari. Scriptum est, et legitur et auditur et in exemplum nostri Ecclesiæ ore celebratur : *Qui dicit se in Christo manere debet quomodo ille ambulavit et ipse ambulare* (I *Joan.* II, 6). Ambulandum est igitur vestigiis paribus, æmula ingressione nitendum est. Tunc respondet [d] ad fidem nominis sectatio veritatis, et credenti præmium datur [e] si quod creditur et geratur.

VIII. Locupletem te dicis et divitem. Sed divitiis tuis Paulus occurrit, et ad cultum atque ornatum tuum justo fine moderandum sua voce præscribit : *Sint*, inquit, *mulieres cum verecundia et pudicitia componentes se, non in tortis crinibus, neque auro, neque margaritis, aut veste pretiosa, sed ut decet mulieres promittentes castitatem per bonam conversationem* (I *Tim.* II, 9). [176] Item Petrus ad hæc eadem præcepta consentit et dicit : *Sit in muliere non exterior ornamenti aut auri aut vestis cultus, sed cultus cordis* (I *Pet.* III, 3-4). A Quod si illi mulieres quoque admonent coercendas et ad ecclesiasticam disciplinam religiosa observatione moderandas quæ excusare cultus suos soleant per maritum [f], quanto id magis observare virginem fas est, cui nulla ornatus sui competat venia, nec derivari in alterum possit mendacium culpæ [g], sed sola ipsa remaneat in crimine.

IX. Locupletem te dicis et divitem. Sed non omne quod potest debet et fieri, nec desideria prolixa et de sæculi ambitione nascentia ultra honorem ac pudorem virginitatis extendi, cum scriptum sit : *Omnia licent, sed non omnia expediunt ; omnia licent, sed non omnia ædificant* (I *Cor.* X, 23). Cæterum, si tu te sumptuosius comas, et per publicum notabiliter incedas, oculos in te juventutis illicias, suspiria adolescentium post te trahas, concupiscendi libidinem nutrias, B suspirandi fomenta succendas, ut, etsi ipsa non pereas, alios tamen perdas, et velut gladium te et venenum videntibus præbeas, excusari non potes quasi mente casta sis et pudica. Redarguit te cultus improbus et impudicus ornatus, nec computari jam potes inter puellas et virgines Christi, quæ sic vivis ut possis adamari.

X. Locupletem te dicis et divitem. Sed jactare divitias suas virginem non decet, cum dicat Scriptura divina : *Quid nobis profuit superbia, aut quid divitiarum jactatio* [h] *contulit nobis ? transierunt omnia illa tamquam umbra* (*Sap.* V, 8) ; et Apostolus rursum moneat et dicat : *Et qui emunt sic sint quasi non ementes, et qui possident quasi non possidentes, et qui hoc*

LECTIONES VARIANTES.

[a] Manebit *Thu.*
[b] Divina *omitt. Oxon. et Man. ex codd. Ver. Lam. Ebor. Lin. Voss.* 2. Sectamur *Ar. Lam. Lin. Bod.* 1, 2.
[c] Officium *Bod.* 1, 3, 4.
[d] Respondebit *Ar. Bod.* 1, 2, 4. *MR.*
C
[e] Dabitur *Ben. MR.*
[f] Maritos *Voss.* 1.
[g] Mendacii culpa *Bod.* 1.
[h] Jactantia *Thu.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

Christus dixit. Ita omnes libri veteres, uno Thuano excepto, in quo legitur *fecit.* Ita etiam Erasmus. Melior est autem lectio veterum. Respicit enim istic Cyprianus ad verba Christi paulo ante descripta.

VIII.—*Justo fine.* Codex Thurnus, *justificatione.* Ita etiam codex sancti Arnulphi.

IX.—*Si te sumptuosius.* Hieronymus in Epistola ad Lætam de Institutione filiæ : [826] *Cave ne aures ejus perfores, ne cerussa et purpurisso consecrata Christo ora depingas*, etc. Idem in Epistola ad Furiam de Viduitate servanda : *Quid facit in facie Christianæ purpurissus et cerussa?* Vide in libro IV T. Livii historiam de virgine Vestali accusata propter cultum amœniorem. In noctibus Festalanis Matthæi Bossi exstat ejus exhortatio ad Bessarionem ne feminea ornamenta Bononiensibus restituantur. Vide etiam Epistolam VI ejusdem Matthæi.

Oculos in te. Tertullianus in libro de Virginibus velandis : *Ejusdem libidinis est videre et videri.* Sulpitius Severus Dial. 2, cap. 12 : *Mulieris prima virtus est non videri.* Valerius Maximus lib. IV, cap 5, tradit Spurinam excellentis pulchritudinis adolescentem, cum mira specie complurium feminarum illustrium sollicitaret oculos, oris decorem vulneribus confudisse quia nolebat formam suam esse irritamentum alienæ libidinis. Idem, lib. VI, cap. 3, ait C. Sulpitium Gallum dimisisse uxorem quod eam capite aperto foris versatam cognoverat. *Lex enim, inquit, tibi tantum meos præfinit oculos quibus formam tuam approbes. Ulterior tui conspectus superavacua irritatione accersitus in suspicione et crimine subhærent necesse est.*

Suspirandi fomenta. Mirum est quanta sit in hoc loco discrepantia in codicibus manuscriptis. Duo habent *suspirandi*, octo et editio Manutii *sperandi*, unus *pereundi*, item unus *stipandi*, alius *stuprandi*, alius denique *peccandi.* Apud Aldelmum in libro de Laude Virginitatis : *spirandi*, forte pro *suspirandi.* Tertullianus in libro de Cultu feminarum : *Suspiria adolescentium post se trahat.* Hieronymus in Epistola ad Eusthochium de Virginitate servanda : *Hæ sunt quæ per publicum notabiliter incedunt et furtivis oculorum nutibus adolescentium greges post se trahunt.* Idem in Epistola ad Geruntiam de Monogamia : *Ne propositum viduæ exquisitior cultus infamet. Ne oculorum nutibus et hilaritate vultus juvenum post se greges trahat.*

Velut gladium. Tertullianus, lib. II de Cultu feminarum : *Perit enim ille simul ut tuam formam concupierit, et facta es tu gladius illi.* Vide Homiliam sancti Joannis Chrysostomi : *Quod regulares feminæ viris cohabitare non debeant.*

X.— *Non ementes.* Quamvis sciam hoc segmentum non exstare in prima Epistola Pauli *ad Corinthios*, ex qua sumptus est hic locus, quamvis sciam illud raro reperiri in antiquis codicibus operum sancti Cypriani, tamen addidi, quia illud inveni in Pithœano, cui consentit Camberonensis a Pamelio laudatus, et quia

Digitized by Google

mundo utuntur, quasi non utantur [a]. *Præterit enim figura hujus mundi* (I *Cor.* VII, 30, 31). Petrus etiam, cui oves suas Dominus pascendas tuendasque commendat, super quem posuit et fundavit Ecclesiam [b], aurum quidem sibi esse et argentum negat (*Act.* III, 6), sed esse se dicit Christi gratia divitem, esse fide ejus et virtute locupletem, quibus multa magnalia cum miraculo faceret, quibus ad gratiam gloriæ bonis [c] spiritalibus abundaret. Has opes, has divitias possidere non potest quæ se divitem sæculo mavult esse quam Christo.

XI. Locupletem te dicis et divitem, et utendum putas iis quæ possidere te Deus voluit. Utere, sed ad res salutares; utere, sed ad bonas artes [d]; utere, sed ad illa quæ Deus præcipit, quæ Dominus ostendit. Divitem te sentiant pauperes, locupletem te sentiant indigentes; patrimonio tuo Deo fœnera: Christum ciba. Ut virginitatis perferre gloriam liceat, ut ad Domini præmia venire contingat, multorum precibus exora. Commenda illic thesauros tuos ubi fur nullus effodiat, quo nullus insidians grassator irrumpat. Possessiones tibi sed cœlestes magis compara, ubi fructus tuos juges ac perennes et ab omni contactu injuriæ sæcularis immunes [e] nec rubigo atterat, nec grando cædat, nec sol urat, nec pluvia corrumpat. Nam delinquis et hoc ipso in Deum, si ad hoc tibi ab illo divitias datas credis ut illis non salubriter perfruaris. Nam et vocem Deus homini dedit [f], et tamen non sunt idcirco [g] amatoria cantanda nec turpia; et ferrum esse ad culturam terræ Deus voluit, nec homicidia sunt idcirco facienda; aut quia thura et merum et ignem Deus instituit, sacrificandum est inde idolis; vel quia abundant pecudum greges in agris tuis, victimas et hostias diis immolare debebis. Alioqui tentatio est patrimonium grande, nisi ad usus bonos census operetur, ut patrimonio [h] suo unusquisque locupletior magis redimere debeat quam augere delicta.

XII. Ornamentorum ac vestium insignia et lenocinia formarum [177] non nisi prostitutis et impudicis feminis congruunt, et nullarum fere pretiosior cultus est quam quarum pudor vilis est. Sic in Scripturis sanctis, quibus nos instrui Dominus voluit et moneri, describitur civitas meretrix, compta pulchrius et ornata, et cum ornamentis suis ac propter ipsa potius ornamenta peritura. *Et venit*, inquit, *unus ex septem Angelis habentibus phialas septem, et aggressus est me dicens: Veni, ostendam tibi damnationem meretricis magnæ sedentis super aquas multas, cum qua fornicati sunt reges terræ. Et duxit me in spiritu. Et vidi mulierem sedentem super bestiam; et mulier illa amicta erat pallio purpureo* [i] *et coccineo, et adornata erat auro et lapidibus pretiosis et margaritis, tenens poculum in manu sua plenum execrationum et immunditiæ* [j] *et fornicationis totius terræ* (*Apoc.* XVII, 1-4). Fugiant [k] castæ virgines et pudicæ incestarum cultus, habitus impudicarum, lupanarium insignia, ornamenta meretricum.

LECTIONES VARIANTES.

[a] Utantur eo *Ar. Lam. NC.* 1. *Ebor.*
[b] Ecclesiam suam *Bod.* 4.
[c] Donis *Bod.* 4.
[d] Salutares et ad bonas artes *Lam. Lin. Foss.*
[e] Immunes, nec judex ambiat nec quæsitor inquirat *Vat.* 1.
[f] Hominibus dedit *Lin.*
[g] Idcirco *omitt. Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 1, 2.
[h] Et patrimonio *Thu.*
[i] Pallium purpureum *Lin. NC.* 1. *Pem. Ver. Neap. Thu. Corb.*
[j] Omnia immunditiæ *Ver.*
[k] Fugiant, fugiant *Ver.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

Cyprianus, lib. III. *Testimoniorum* cap. 11, eumdem locum describens etiam hoc segmentum refert. Ego enim, ut antea dixi, in emendandis sancti Martyris operibus non quæro quid reperiatur in codicibus sacrorum Bibliorum, sed quid Cyprianus scripserit. Videtur autem ille voluisse sensum facere integrum cum ista addidit.

XI.—*Patrimonio tuo.* Pamelius et post eum Rigaltius posuerunt *patrimonium tuum Deo fœnera.* Quam lectionem inveni in quatuor exemplaribus antiquis. Veteres editiones et undecim vetera exemplaria habent: *Patrimonia tua Deo fœnera.* Lectionem autem quam ego retinui præferunt duodecim libri veteres et editio Manutiana, itemque Anglicana.

Amatoria cantanda. Seneca rhetor in præfatione Controversiarum: *Cantandi saltandique nunc obscœna studia effeminatos tenent.* Quintilianus: lib. I, cap. 2: *Omne convivium obscœnis cantibus strepit, pudenda dictu spectantur.* Concilium Veneticum, can. 11: *Presbyteri, diaconi, atque subdiaconi nuptiarum evitent convivia, nec iis admisceantur ubi amatoria cantantur et turpia.* Sic etiam in canone 37 concilii Agathensis; Burchardus, lib. II, cap. 134 hoc decretum synodi Agathensis refert *ex dictis Augustini.* Sic etiam Ivo Carnotensis, parte 6, cap. 209. At Gratianus recte ex concilio Agathensi. In concilio Trosleiano, cap. 11, prohibentur turpia cantica. Hieronymus, in Epistola ad Lætam de Institutione filiæ: *Turpia verba non intelligat, cantica mundi ignoret.* Ælius Spartianus tradit Adrianum Imperatorem scripsisse cantica amatoria.

Ferrum ad culturam. Ovidius, lib. II. Tristium:

Et latro et cautus præcingitur ense viator.
Ille sed insidias, hic sibi portat opem.

Quintilianus, lib. II, cap. 16: *Non fabricetur militi gladius. Potest uti eodem ferro latro.* Tertullianus, [627] in libro de Spectaculis: *Ferrum Dei res est. Numquid tamen in hominis necem auctor ista providit?*

XII.— *Civitas meretrix.* Nescio quid heic faciat vox *civitas.* Non enim agitur de civitate aliqua in Apocalypsi, sed de meretrice magna. Videtur igitur Cyprianus accepisse ex libro II Tertulliani *de Cultu feminarum*, ubi legitur: *Illa civitas valida quæ super montes septem et plurimas aquas præsidet.* Idem civitatem etiam prostitutam vocat in libro *de Resurrectione carnis.* In capite primo Isaiæ legitur: *Quomodo facta est meretrix civitas fidelis.* Hieronymus in Epistola ad Eustochium de Custodia Virginitatis: *Ne fiat obsecro civitas meretrix fidelis Sion.* Vide Estium in caput illud Apocalypsis.

Ornamenta meretricum. Vide Nicolai Abrami notas ad Orationem Ciceronis pro M. Cælio, pag. 491, et commentarium Joannis Bourdelotii ad Petronium, pag. 277.

Digitized by Google

XIII. Clamat etiam Spiritu sancto plenus Esaias, et filias Sion auro et argento ac veste corruptas increpat et objurgat perniciosis opibus affluentes et a Deo [a] per sæculi delicias recedentes: *Exaltatæ sunt*, ait, *filiæ Sion, et ambulaverunt alto collo* [b], *et nutu oculorum et incessu pedum trahentes tunicas, et pedidibus simul ludentes. Et humiliabit Deus principales filias Sion, et revelabit Dominus habitum earum, et auferet Dominus gloriam vestis illarum et ornamenta earum et crines et cincinnos et lunulas et discriminalia et armillas et botronatum et dextralia et annulos et inaures et serica contexta cum auro et hyacintho. Et erit pro odore suavitatis pulvis, et pro cingulo reste cingeris, et pro ornamento capitis aureo calvitium habebis* [c] (*Isa.* III, 16-24). Hoc Deus culpat, hoc denotat. Hinc corruptas esse virgines, hinc a cultu vero atque divino descivisse pronuntiat. Exaltatæ ceciderunt [d], comptæ turpitudinem fœditatemque meruerunt. Sericum et purpuram [e] indutæ Christum induere non possunt. Auro et margaritis et monilibus adornatæ ornamenta cordis ac pectoris perdiderunt. Quis non id execretur et fugiat quod alii fuerit exitio [f]? quis id appetat et assumat quod ad necem alterius pro gladio fuerit et telo? Si hausto poculo moreretur ille qui biberat, venenum scires esse quod ille potavit. Si, accepto cibo, qui acceperat interiret, scires esse lethale quod acceptum potuit occidere, nec ederes inde nec biberes unde interiisse alios ante conspiceres. Nunc quanta ignorantia veri [g] est, animi quanta dementia, id velle quod et nocuerit semper et noceat, et putare quod inde ipsa non percas unde alios periisse cognoscas!

XIV. Neque enim Deus coccineas aut purpureas oves fecit, aut herbarum succis et conchyliis tingere et colorare lanas docuit, nec distinctis auro lapillis et margaritis contexta serie et numerosa com-

LECTIONES VARIANTES.

[a] A Domino *Voss.* 3.
[b] Processerunt alta cervice *Neap. Foss.* Incesserunt *Ben.*
[c] Calvitiam habebunt *Pem. Voss.* 1
[d] Exaltatæ, inquit, ceciderunt *Veron.*
[e] Serico et purpura *Vat.* 3. *Foss.*
[f] Aliis fuerit *Foss.* exitium *Voss.* 1.
[g] Tui *Foss.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

XIII.—*Veste corruptas.* Ita omnes veteres libri et editiones. Et tamen Erasmus putabat vocem *corruptas* esse male positam, et conjecerat legendum esse *comptas*. Paulo post Cyprianus dicet, *hinc corruptas esse virgines* et mox *corruptæ turpitudinem fœditatemque meruerunt.*

Sæculi delicias. Quatuor libri nostri et unus Anglicanus habent *divitias.*

Lunulas. Etiam masculi lunulas gestabant, non sane in capite, sed in calceis, ut docet Plutarchus in quæstionibus Romanis. Nos quoque in juventute nostra portavimus lunulas in calceis. Vide Ludovicum Cælium Rhodiginum, lib. XI, cap. 28.

Discriminalia. Hieronymus in Apologia Adversus Rufinum: *Linguam veriloquam discriminali acu confodiebat.* In Apologia Apuleii *capilli discriminandi.* Ovidius, lib. III de Arte amandi:

Longa probat facies capitis discrimina puri.

Quærit Plutarchus in libro *de Quæstionibus Romanis* cur Romani nuptarum comam discriminant hastæ cuspide. Vide lexicon Martinii et glossarium Latinum Cangii.

Armillas. Hieronymus in Epistola ad Eustochium de Acceptis ab ea munusculis: *Armillæ sunt brachiorum.* Sic etiam Diodorus Siculus, lib. V, agens de Gallis. Tertullianus, lib. I de Cultu feminarum: *Circulos ex auro, quibus brachia arctantur.* Idem Hieronymus, in Epistola ad Demetriadem de Virginitate servanda, *Astrictas habent manicas.* Vide Cotelerii notas ad librum primum *Constitutionum Apostolicarum*, cap. 3.

Botronatum. Si Cyprianus reddidisset verba Isaiæ secundum ordinem quem tenent in libro Isaiæ, facile hinc esset intelligere quid significet hoc vocabulum. Verum alia versione, ut apparet, usus est, aut verborum ordinem turbavit. Vide Salmasium in exercitationibus Plinianis, pag. 763, et in notis ad scriptores Historiæ Augustæ, pag. 539, et lexicon Martinii. Vide Etiam etymologicum Vossii in verbo *botrus.*

Dextralia. Numerorum cap. XXXI, *annulos et dextraria ac murænulas.* Lucifer Calaritanus in libro de Non parcendo delinquentibus in Deum: *Debemus vereri regni tui diadema, inaurem etiam et dextrocherium.* Ubi Joannes Tilius episcopus Meldensis, cui debemus primam editionem operum Luciferi, dixit dextrocherium sibi videri esse dictionem ex Latino et Græco compositam pro ornamento quodam in manu dextra. Vide Salmasium ad scriptores Historiæ Augustæ, pag. 251, et lexicon Martinii et glossarium Latinum Cangii. Vide etiam Ludovicum Cælium Rhodiginum, lib. V, cap. 13.

Inaures. Infra, in hoc ipso libro, pag. 477, *An vulnera inferri auribus Deus voluit.* Et iterum infra, pag. 479, *Non inferantur auribus vulnera.* Tertullianus, lib. II de Cultu feminarum: *Scrupulosa Deus auribus vulnera intulit, et tanti habuit vexationem operis sui et cruciatus infantiæ innocentis tunc primum dolentis ut ex illis ad ferrum nati corporis cicatricibus grana nescio quæ penderent.* Hieronymus, in Epistola ad Lætam de Institutione filiæ: *Cave ne aures ejus perfores.* Idem in Epithaphio Marcellæ: *Auribus perforatis rubri maris pretiosissima grana suspendere.* Plinius, lib. XII, cap. 1. *Ad hæc excogitata sunt aurium vulnera, nimirum quoniam parum est collo crinibusque gestari nisi ingererentur etiam corpori.* Gregorius Nazianzenus in Carmine *ad Olympiadem* eam monet ne aurium ornatum ponat in margaritis. Vide Diodorum Siculum, lib. V, ubi agit de Panchaia.

XIV.— *Colorare lanas.* Tertullianus, in libro primo de Cultu feminarum: *Medicamenta ex fuco quibus lanæ colorantur.* Virgilius, Ecloga IV:

Nec varios discet mentiri lana colores.

Horatius lib. III, od. 3.

Neque amissos colores
Lana refert medicata fuco.

Hieronymus in Epistola ad Lætam de Institutione filiæ: *Lanarum conchylia quis in pristinum candorem revocet?*

[838] *Lapillis.* Quamvis codices antiqui et editiones ita habeant, ego puto scribendum esse *capillis.* Solebant antiqui miscere auri ramenta cum capillis ut magis flavi apparerent. Quippe flavus color, ut liquet etiam ex testimonio Virgilii in libro IV Æneidos, in pretio erat ad pulchritudinem oris et capitis. Docet illud Julius Capitolinus in Vero: *Dicitur sane tantam habuisse curam flaventium capillorum ut capilli auri ramenta respergeret quo magis coma illuminata flavesceret.* Idem in Commodo: *Fuit forma quidem corporis justa, capite semper fucato et auri ramentis illuminato.* Trebellius Pollio in Gallieno: *Crinibus suis auri scobem aspersit.* Auctor Epistolæ *ad Demetriadem* editæ inter opera Hieronymi: *Hæc est illis per dies singulos cura præcipua, implicare auro crinem et ardentes concharum lapides capitis honorem facere.* Martianus Ca-

Digitized by Google

page digestis monilia instituit, quibus cervicem quam fecit absconderes, ut operiatur illud quod Deus in homine formavit, et conspiciatur id desuper quod diabolus adinvenit. An vulnera inferri auribus Deus voluit, quibus innocens adhuc infantia et mali sæcularis ignara crucietur, ut postea de aurium cicatricibus et cavernis pretiosa grana dependeant, gravia etsi non suo pondere, mercium tamen [a] quantitate? Quæ omnia peccatores [b] et apostatæ angeli suis artibus prodiderunt quando, ad terrena contagia devoluti, a cœlesti vigore recesserunt. Illi et oculos circumducto nigrore fucare et genas mendacio ruboris inficere et mutare adulterinis [c] coloribus crinem et expugnare omnem oris et capitis veritatem corruptelæ suæ impugnatione docuerunt.

XV. Et quidem isto in loco, pro timore [178] quem nobis fides suggerit, pro dilectione quam fraternitas exigit, non virgines tantum aut viduas, sed et nuptas puto et omnes omnino feminas admonendas quod opus Dei et factura ejus, et plastica adulterari nullo modo debeat adhibito flavo colore [d], vel nigro pulvere, vel rubore [e], aut quolibet denique lineamenta nativa cor-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Pondere, tamen *Neap. Bod.* 2.
[b] Prævaricatores *NC.* 2.
[c] Adulteris *Ver. Corb.*
[d] Facturam ejus et plasma adulterare nullo modo debeant *Ar. Lam. NC.* 1 *Voss.* 1.
[e] Vel rubore *deest in MR.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

pella, lib. I: *Juno quoque expurgatioris auri splendente vena addiderat crinibus sociale vinculum.* Idem paulo post ait Phœbum vocari auricomum. *Nam solis augustum caput*, inquit, *radiis perfusum circumactumque flammantibus velut auratam cæsariem rutili verticis imitatur.* Hinc apud Tacitum, lib. IV Histor., *Crinis rutilatus.* Virgilius, lib. XI Æneidos, *pro crinali auro.* Ovidius, lib. III *Amorum*, Eleg. 12:

Virgineæ crines auro gemmaque premuntur.

Ibidem, eleg. 14:

Nec tamen ater erat, nec erat color aureus illis.
Sed quamvis neuter, mixtus uterque color.

Item in Epistola Cydippes ad Acontium: *Ipse dedit gemmas digitis et crinibus aurum.* Virgilius, l. IV Æneidos:

Fronde premit crinem fingens atque implicat auro.

Tibullus, lib. I, Eleg. 10: *Auro ne polluę formam.* Plinius, lib. III, cap. 1: *Virorum crinibus aurum implexum.* Seneca Medea: *Gemmarum nitor distinguit aurum quo solent cingi comæ.* Idem Hercule Oeteo: *Quid nudus auro crinis et gemma jacet.* Prudentius in *Hamartigenia; Aureolisque riget coma texta catenis.* Apud Apuleium, lib. V *Metamorphoseon*, Venus irrita adversus filium ait: *Tunc injuriæ meæ litatum crediderim cum comas ejus, quas istis manibus meis subinde aurea nitore perstrinxi, deraserim.* Et libro decimo: *Adest Inculentus puer nudus, flavis crinibus usquequaque conspicuus, et inter comas ejus aurea pinnulæ cognatione simili sociatæ prominebant.* Vide Bordelotii notas *ad Petronium*, pag. 241.

Post edita a nobis opera Cypriani, post emendationem hujus loci a me tentatam, inveni tandem veram lectionem in veteri et optimo codice monasterii Beccensis, in quo diserte scriptum est *capillis.* Itaque emendatio certa est. Illam porro posuissem in contextu hujus operis Cyprianici, si codicem Beccensem, qui sero venit in manus meas, habuissem eo tempore quo locus iste cudebatur a typographo.

Alia fraude, ut in capite primo libri sui secundi ait Valerius Maximus, utebantur mulieres Romanæ, quæ, quo formam suam concinniorem efficerent, summa cum diligentia capillos cinere rutilabant. Sosipater Charisius, lib. I: *Muliebre ministerium cinerarius dicitur. Nam Cato in originibus, Mulieres, inquit, nostræ capillum cinere ungitabant ut rutilus esset crinis.* Concilium Eliberitanum, canone 67: *Prohibendum est ne qua fidelis vel caticumina aut comatos aut viros cinerarios habeant.* Hæc synodi verba refero uti scripta sunt in tribus antiquissimis et optimis codicibus manuscriptis et in editione Garsiæ Loaisæ. Quod ideo annoto quia Ferdinandus de Mendoza hanc lectionem sibi non probari ait quia ratio et reliqui codices manuscripti congruunt cum editione vulgata, in qua scriptum est *comicos aut viros scenicos.* Vide quæ Joannes Ludovicus de la Cerda notavit ad librum secundum Tertulliani *ad Uxorem*, pag. 642. Contra in capite II *Threnorum* Hieremiæ legimus filias Sion squalidas et desolatas conspersisse cinere capita sua, nimirum ut dedecorarent formam suam, et sic ostenderent miserabilem statum suum.

Ex his quæ annotavi de capillis auro mixtis puto sumi posse conjecturam ut emendetur locus Juvenalis ex Satyra in qua depingit pravos mores Messalinæ, quam ait nudam papillis auratis constitisse in lupanari. Pro quo facile crederem legendum esse *capillis.* Non video enim quid dicere voluisset Juvenalis, si scripsisset papillas fuisse auratas. Quid enim facit aurum in papillis ad libidinem? Conjecturam porro illam adjuvari posse puto ex eo quod Juvenalis paulo ante dixit illam nigrum flavo crinem abscondisse galere. Recte enim flavus color convenit cum auro, ut ostendunt loca veterum relata supra. Et Ovidius, lib. XV. *Metamorphoseon* dixit capillos auro similes, id est flavos. (Baluz. emendavit *capillis*, parum caute ac sensu prorsus invito. GOLDHORN.)

Absconderes. Tres libri veteres habent *abscondere-ret.* Sic etiam Morellius.

Circumducto nigrore. Codex sancti Albini, *circumducto nigrore pulveris.* Tertullianus, in libro I de Cultu feminarum: *Illum ipsum nigrum pulverem quo oculorum* [179] *exordia producuntur.* Apud Commodianum, Instructione 60, legitur, *Oculos fuligine relinitis.*

Genas mendacio. Origenes, homilia I in Canticum canticorum: *Pulchritudo quippe mulierum in genis dicitur esse quam plurimum.* Plinius, lib. XI, cap. 37, loquens de genis: *Pudoris hæc sedes. Ibi maxime ostenditur rubor.* Ovidius, in libro *de Medicamine faciei:*

Nec cerusa tibi nec nitri spuma rubentis
Desit....

Seneca, lib. V, Controv. 6: *Mulicbrem vestem sumpsit, capillos in feminæ habitum composuit, oculos puellari lenocinio circumdedit, coloravit genas.* Apuleius in *Apologia sua* dixit *purpurissatas genas.* Commodianus, Instruct. 59: *Nec non et inducis malis medicamina falsa*, et Instruct. 60: *Malas medicatis quodam superducto rubore.* Hodie nihil vulgatius. Id vero ab Italis ad nos pervenisse adnotatum est in Thesauro linguæ Latinæ; ubi legitur purpurissimo olim usas fuisse mulieres ad labra et genas tingendas, *quemadmodum hodie plerumque apud Italos fieri videmus.*

Corruptelæ impugnatione. Erasmus mallet *impigmatione, unde pigmenta dicta videntur*, ut ille ait. Sed ego impigmationem alibi non legi.

XV. — *Plastica adulterari.* Tertullianus, lib. II de Cultu feminarum: *Displicet nimirum illis plastica Dei.* Et paulo ante dixerat: *Nam etsi accessimus decor non est ut felicitas corporis, ut divinæ plasticæ accessio.* Et in libro de Spectaculis: *Plasticam Dei supergressa.*

Flavo colore. Juvenalis Satira 6:

Digitized by Google

rumpente medicamine. Dicit Deus [a] : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudem nostram.* (*Gen.* I, 26). Et audet quisquam mutare et convertere quod Deus fecit? Manus Deo inferunt quando id quod ille formavit reformare et transfigurare contendunt, nescientes quia opus Dei est omne quod nascitur, diaboli quodcumque mutatur [b]. Si quis pingendi artifex vultum alicujus et speciem et corporis qualitatem æmulo colore signasset, et, signato jam consummatoque simulacro, manus alius inferret, ut jam formata, jam picta quasi peritior reformaret, gravis prioris artificis injuria et justa indignatio videretur. Tu te existimas impune laturam tam improbæ temeritatis audaciam, Dei artificis offensam? Ut enim impudica circa homines et incesta fucis lenocinantibus non sis, corruptis violatisque quæ Dei sunt, pejor adultera detineris. Quod ornari te putas, quod putas comi, impugnatio est ista divini operis, prævaricatio est veritatis [c].

XVI. Monentis Apostoli vox est : *Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi* [d]. *Nam et pascha nostrum immolatus est Christus. Itaque festa celebremus* [e], *non in fermento vetere, neque in fermento malitiæ et nequitiæ, sed in azymis sinceritatis et veritatis* (I *Cor.* v, 7). Num sinceritas perseverat et veritas quando quæ sincera sunt polluuntur colorum adulteriis [f], et adulterinis medicaminum fucis [g] in mendacium vera mutantur? Dominus tuus dicit : *Non potes facere capillum unum album aut nigrum* (*Matth.* v, 36) : et tu ad vincendam Domini tui vocem vis te esse potiorem? Audaci conatu et sacrilego contemptu crines tuos infieis, malo præsagio futurorum capillos jam tibi flammeos auspicaris, et peccas, proh nefas! capite [h], id est corporis parte meliore. Et cum scriptum sit de Domino : *Caput autem ejus et capilli erant albi velut lana aut nix* (*Apoc.* I, 14), tu execraris canitiem, detestaris alborem qui sit ad Domini caput similis.

XVII. Non metuis, oro, quæ talis es, ne, cum resurrectionis dies venerit, artifex tuus te non recognoscat, ad sua præmia et promissa venientem removeat et excludat, increpans vigore censoris et judicis dicat : Opus hoc meum non est, nec imago nostra est. Cutem falso medicamine polluisti, crinem adultero colore mutasti, expugnata est mendacio facies, figura corrupta est, vultus alienus est. Deum videre non poteris, quando oculi tui non sunt quos Deus fecit, sed quos diabolus infecit. Illum tu sectata es, rutilos atque depictos oculos serpentis imitata es, de inimico tuo compta, cum illo pariter et arsura. Hæc, oro, cogitanda non sunt Dei servis? non die semper ac nocte metuenda? Viderint quid sibi nuptæ per placendi studium de conjugum solatio blandiantur; quos dum in excusationem suam proferunt, ad societatem criminosæ consensionis adsciscunt. Virgines certe, quibus hic sermo nunc consulit, quæ se ejusmodi artibus compserint, inter virgines non putem debere numerari, sed tamquam contactas oves et morbidas pecudes [i] a sancto et puro grege virginitatis arceri, ne contagio suo cæteras polluant dum si-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Cum dicat Deus *Lin.*
[b] Quod additur et mutatur *Ar. Neap. Bod.* 4.
[c] Impugnatio veritatis *NC.* 1. *Pem.*
[d] Azyma *Ver. Neap.*
[e] Itaque epulemur *Voss.* 3.
[f] Coloribus adulteriis *Bod.* 2.
[g] Medicaminum succis *Lam. Bod.* 1. Adulterinis *delet Oxon.*
[h] Proh nefas! in caput *Bod.* 1.
[i] Pecudes *deest in NC.* 2.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

flavo crinem abscondente galero. Dio Chrysostomus Orat. 21, ait Achillis comam fuisse flavam. Apuleius lib. II de Asino aureo ; *rubor temperatus, flavum et inaffectatum capillitium.* Idem lib. V : *Per istos cinnameos et undique pendulos crines tuos.* Ovidius, lib. III, *de Arte amandi* :

Femina canitiem germanis inficit herbis,
Et melior vero quæritur arte color.

Opus Dei est. Imitatus est magistrum suum Cyprianus. Tertullianus enim in libro II, *de cultu feminarum* ait : *Quod nascitur opus Dei est. Ergo quod fingitur diaboli negotium est.*

Manus Deo inferunt. Tertullianus ibidem : *Ille indubitate hujusmodi ingenia concinnavit ut in vobis pareat manus vos quodam modo Deo inferre.*

Si quis pingendi. Citat hunc locum sanctus Augustinus lib. IV *de Doctrina christiana*, cap. 21.

XVI. — *Capillos flammeos.* Tertullianus ibidem, *male ac pessime sibi auspicantur flammeo capite.* Vide lib. III Observationum Cuperi, cap. 14.

Capilli erant albi. Passio sanctarum Perpetuæ et Felicitatis : *Et vidimus in eodem loco sedentem quasi hominem canum niveos habentem capillos.*

XVII. — *Te non recognoscat.* Julius Firmicus in libro de Errore profanarum religionum : *Cum cohors vestra ad tribunal judicantis Dei accesserit, nihil vobiscum afferetis quod Deus qui vos fecit agnoscat.* Hieronymus in Epistola ad Furiam *de viduitate servanda : Qua fiducia erigit ad cœlum vultus quos conditor non agnoscit.* Apud Victorem Vitensem lib. V, cap. 9, extat objurgatio Murittæ diaconi Carthaginiensis ad Elpidoforum olim christianum, cui fuerat delegatum membra confessorum Christi suppliciis grassantibus laniare. Ad illum ergo ait inter cætera Muritta Deum non agniturum illum, cum venerit dies extremus, et dicturum : *Non conspicio vultum signaculi mei, characterem non video Trinitatis.* Imperator Constantinus in titulo Codicis Theodosiani de Pœnis : *Si quis in ludum fuerit vel in metallum pro criminum deprehensorum qualitate damnatus, minime in ejus facie scribetur, dum et in manibus et in suris possit pœna damnationis una scriptione comprehendi, quo facies, quæ ad similitudinem pulchritudinis cœlestis est figurata, minime maculetur.*

Depictos oculos. Plinius lib. XI, cap. 37 : *Palpebræ in genis homini utrinque. Mulieribus etiam infectæ quodam modo. Tanta est dedecoris affectatio ut tingantur oculi quoque.* Hieronymus in Epistola ad Furiam *de Viduitate servanda* ait : *Nec orbes*, id est oculos, *stibio fuliginatos.*

Metuenda. Erasmus monuit alibi legi *meditanda* quam lectionem ego reperi in libro Fuxensi.

Digitized by Google

mul degunt, ne perdant alias quæcumque perierunt. A lis, auribus, lingua minuit illa quæ habebat.

XVIII. Et quoniam continentiæ bonum [a] quærimus, perniciosa quæque et infesta vitemus [b]. Nec illa prætereo quæ, dum [179] negligentia in usum veniunt, contra pudicos et sobrios mores licentiam sibi de usurpatione fecerunt. Quasdam non pudet nubentibus interesse, et in illa lascivientium libertate sermonum colloquia incesta miscere, audire quod non decet, quod non licet [c] dicere, observari et esse præsentes inter verba turpia et temulenta convivia quibus libidinum fomes accenditur, sponsa ad patientiam stupri, ad audaciam sponsus animatur. Quis illi in nuptiis locus est cui [d] animus ad nuptias non est, aut voluptaria [e] illic et læta esse quæ possunt ubi et studia et vota diversa sunt? Quid illic discitur, quid videtur? Quantum a proposito suo virgo deficit, B quando pudica quæ venerat impudica discedit? Corpore licet virgo ac mente permaneat, ocu-

XIX. Quid vero quæ promiscuas balneas adeunt, quæ oculis ad libidinem curiosis pudori ac pudicitiæ corpora dicata prostituunt? quæ cum viros atque a viris nudæ vident turpiter ac videntur, nonne ipsæ illecebram vitiis præstant? nonne ad corruptelam et injuriam suam desideria præsentium sollicitant et invitant? Viderit, inquis, qua illuc mente quis veniat, mihi tantum reficiendi corpusculi cura est et lavandi. Non te purgat ista [f] defensio, nec lasciviæ et petulantiæ crimen excusat. Sordidat lavatio, ista non abluit, nec emundat membra, sed maculat. Impudice tu neminem conspicis, sed ipsa conspiceris impudice. Oculos tuos turpi oblectatione non polluis; sed, dum oblectas alios, ipsa polleueris. Spectaculum de lavacro facis. Theatro [g] sunt fœdiora quo convenis. Verecundia illic omnis exuitur, simul cum amictu

LECTIONES VARIANTES.

[a] Donum *Voss.* 1.
[b] Vitamus *Oxon ex* 4 *codd.* Incesta *Lam.*
[c] Quod non licet,... quod non decet *Voss.* 1. *Bod.* 2.
[d] Quis illis,... quibus *Lin. Bod.* 4.
[e] Voluntaria *Thu.*
[f] Sordida ista *Pem. Voss.* 2.
[g] Theatra *Voss.* 1. *Vetus Innom.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

XVIII. — *Nubentibus interesse.* Damnat virgines christianas quæ nuptiis intererant, ubi sane multa etiam in conventibus honestioribus fiunt quæ non videntur congruere [880] professis virginitatem. Nam fescennina quæ cantabantur in nuptiis maximam licentiam et lasciviam exhibebant. Ista fortiter in hoc loco exequitur sanctus Martyr. Hieronymus in Epistola ad Demetriadem *de Virginitate servanda: Stridor Punicæ linguæ procacia tibi fescennina cantabit.* Sed de fescenninis vide Muretum *ad Catullum.* Immo C sanctus Gregorius Nazianzenus hortatur Olympiadem, quæ maritata erat, ne ad nuptiale convivium eat, ubi et perpotatur et denique infacetis facetiis indulgetur. Omne enim convivium, ut lib. I, cap. 2, ait Quintilianus, obscœnis cantibus strepit, pudenda dictu spectantur. Et Prudentius in *Hamartigenia* dixit: *Convivale calentis carmen nequitiæ.*

In illa lascivientium. Ita habent undecim libri veteres et editio Manutii. Non displicet tamen lectio veterum editionum, in quibus scriptum est, *inter illam lascivientem libertatem.* Habetur autem illa in quinque libris veteribus. Codex Beccensis habet, *in illa libertate convivantium.* Lascivam licentiam dixit Horatius lib. I, Od. 19.

Ad audaciam sponsus. Hildebertus, Epist. 36: *Nesciunt virgines quid ex maritali licentia muliebris sustineat infirmitas.* Descriptio licentiæ maritalis exstat in veteri epigrammate quod exstat inter notas Salmasii *ad Scriptores historiæ augustæ*, pag. 285. D

Quando pudica. Hic locus in exemplaribus manuscriptis et in vulgatis editionibus diverso modo legitur. Etenim nonnulla eorum habent *quomodo pudica quæ venerat impudica discedit.* Alia contrario sensu, *quando impudicior quæ venerat impudica discedit.* Ego præfero priorem lectionem, eam etiam ob causam quod Cyprianus in simili argumento scribit *ad Donatum* pag. 4: *Quæ pudica fortasse ad spectaculum matrona processerat de spectaculo revertitur impudica.* Sic Martialis lib. I, *Epigr.* 30, loquens de Levina casta et ad balneas adultera ait: *Penelope venit, abit Helena.* Alia Rigaltio mens fuit. Nam tamenetsi in contextu posuerit lectionem, quam ego præfero, in observationibus suis eam magis probat, quæ habet *impudicior quæ venerat, pudica discedit.* Hieronymus in Epistola ad Salvinam de servanda Viduitate: *Tenera res in feminis fama pudicitiæ est.* In Epistola Oeonis *ad Paridem* apud Ovidium:

Nulla reparabilis arte
Læsa pudicitia est. Deperit illa semel.

Quid enim, inquit Lucretia apud T. Livium, *salvi est mulieri amissa pudicitia?* Seneca Hippolyto: *Mens impudicam facere non casus solet.*

XIX. — *Promiscuas balneas.* Olim feminas lavari cum viris signum esse adulteræ putabant, ut videre est apud Quintilianum lib. V, cap. 9. Hieronymus in Epistola ad Lætam *de Institutione filiæ: Mihi omnino in adulta virgine lavacra displicent, quæ se ipsam debet erubescere et nudam videri non posse.* Et paulo post ait illam e contrario balnearum fomentis sopitos ignes suscitare. Balnearum enim calor, ut idem scribit in Epistola ad Furiam *de Viduitate servanda*, novum adolescentulæ sanguinem incendit. Idem in Epistola *ad Rusticum monacum: Balnearum fomenta non quærat qui calorem sanguinis jejuniorum cupit frigore extinguere.* Ælius Spartianus tradit Adrianum Imperatorem lavacra pro sexibus separavisse. Et Julus Capitolinus scribit M. Antoninum philosophum lavacra mista submovisse. Ælius vero Lampridius docet Alexandrum Severum balnea mista Romæ exhiberi prohibuisse, et eunuchos nihil in palatio curare voluisse nisi balneas feminarum Concilium Laodicenum canone 30: *Quod non oporteat sacris officiis deditos aut clericos aut continentes vel omnem laicum christianum lavacra cum mulieribus celebrare, quia hæc apud gentes reprehensio prima est.* Recte profecto. Nam, ut ait Ovidius in libro III de Arte amandi: *Celant furtivos balnea multa jocos;* ubi puto legendum *mista.* Vide Patavii animadversiones ad Epiphanium *in hæresi* 30, quæ est Ebionitarum, Cotelerium in notis ad Constitutiones apostolicas pag. 131, editionis parisiensis, et Beveregium in annotationibus *ad canonem* 77 *Trullanum.*

Verecundia exuitur. Herodotus lib. I: *Mulier exuta tunica verecundiam exuit.* Hieronymus lib. I. *adversus Jovinianum? Scribit Herodotus quod mulier cum veste deponit et verecundiam.* Rufinus lib. I. in Oseam: *A vultu suo verecundiam, quæ solet obscœnitati impedimentum esse, depulerat.* Plinius lib. XXXV, cap. 10 mentionem facit novæ nuptæ verecundia notabilis. Justinus lib. XIV tradit Olympiadem matrem Alexandri M.

Digitized by Google

vestis honor corporis ac pudor ponitur, denotanda et contrectanda virginitas revelatur. Jam nunc considera an, cum vestita es, verecunda sis inter viros talis cui ad inverecundiam proficit audacia nuditatis.

XX. Sic ergo frequenter Ecclesia virgines suas plangit, sic ad infames earum ac detestabiles fabulas ingemiscit, sic flos virginum extinguitur, honor continentiæ ac pudor cæditur [a], gloria omnis ac dignitas profanatur ! Sic se expugnator inimicus per artes suas inserit ; sic insidiis per occulta fallentibus diabolus obrepit. Sic, dum ornari cultius, dum liberius evagari virgines volunt, esse virgines desinunt, furtivo dedecore corruptæ, viduæ antequam nuptæ, non mariti sed Christi adulteræ ; quam fuerant præmiis ingentibus virgines destinatæ, tam magna supplicia pro amissa virginitate sensuræ.

XXI. Audite itaque me [b], virgines, ut parentem ; audite, quæso, vos timentem pariter ac monentem ; audite utilitatibus et commodis vestris fideliter consulentem. Estote tales quales vos Deus artifex fecit : A estote tales quales vos manus Patris instituit : maneat in vobis facies incorrupta, cervix pura, forma sincera. Non inferantur auribus vulnera, nec brachia includat aut colla de armillis et monilibus catena pretiosa ; sint a compedibus aureis pedes liberi, crines nullo colore fucati, oculi conspiciendo Deo digni. Celebrentur lavacra cum feminis, quarum inter vos pudica [c] lavatio est. Nuptiarum festa improba et convivia lasciva [d] vitentur, quorum periculosa contagio est. Vince vestem, quæ virgo es : vince aurum, quæ carnem vincis et sæculum. Non est ejusdem [e] non posse a majoribus vinci et imparem minoribus inveniri. *Arcta* [f] *et angusta est via quæ ducit ad vitam* (*Matth.* VII, 14) durus et arduus [g] est limes qui tendit ad gloriam (*Ib.* 13). Per hunc viæ limitem martyres pergunt, eunt B virgines, justi quique gradiuntur. Lata et spatiosa itinera vitate. Lethales illic illecebræ et mortiferæ voluptates. [180] Illic diabolus blanditur ut fallat, arridet ut noceat, illicit ut occidat. Primus, cum centeno, martyrum fructus est, secundus, sexagenarius, vester est.

LECTIONES VARIANTES.

[a] Cæditur *Neap.* Ponitur *Vat.* 1, 2, 3.
[b] Me *deest in Oxon.*
[c] In vos pudica *Impress. fere omnes.* Debet in vos *Oxon.*
[d] Temulenta *Ver.*
[e] Ejusdem virtutis et animi *Voss.* 2.
[f] *Addit Lin.* Parem se integritas præstat in omnibus, nec bonum virginitatis cultus infamet.
[g] Arctus *Bod.* 2.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

expirantem capillis et veste crura contexisse ne quid posset in corpore ejus indecorum videri. Et Q. Curtius lib. v ait feminarum Babyloniæ convivia ineuntium in principio fuisse modestum habitum, deinde summa quæque amicula exuisse paulatimque pudorem profanasse, ad ultimum ima corporum. Qua de re vide Ludovicum Cælium Rhodiginum lib. v, cap. 11. A Gellius lib. XV, cap. 10 scribit ex Plutarcho Milesios virgines Milesias quæ sine ulla evidenti causa vitam suspendio amitterent, decrevisse ut quæ corporibus suspensis demortuæ forent, eæ omnes nudæ cum eodem laqueo quo essent præcinctæ efferrentur, et post id decretum virgines voluntariam mortem non petisse pudore solo deterritas tam inhonesti funeris. Claudam notas istas insigni loco Valerii Maximi, qui lib. IV. cap. 5 ait verecundiam esse parentem omnis honesti consilii, tutelam solemnium officiorum, magistram innocentiæ, eamque omni tempore favorabilem præ se ferre vultum. Idem lib. VI, cap. 1 pudicitiam ait esse virorum pariter ac feminarum præcipuum firmamentum. At non solum in feminis vituperabatur nuditas, sed etiam in viris. Narrat enim Massurius Sabinus apud A. Gellium lib. X, cap. 15 flaminem dialem non potuisse tunicam intimam exuere nisi in locis tectis, ne sub cœlo tamquam in oculis Jovis nudus esset.

Pudor ponitur. Quamvis ita scriptum sit in omnibus fere libris manuscriptis et in editionibus, mallem tamen scriptum fuisse *cæditur*, uti legitur in uno codice Remigiano et in Beccensi, et uti se legisse in veteribus aliquot libris testantur Morellius et Pamelius. Nam paulo post istic video scriptum, *honor continentiæ ac pudor cæditur.* Hanc lectionem confirmare videtur etiam codex Camberonensis apud Pamelium, itemque alius Neapolitanus in margine exemplaris mei Manutianæ editionis notatus, in quibus scriptum erat *læditur.* Et tamen, quamquam ea vera sint, non sum ausus mutare contra [531] tot veterum codicum et editionum auctoritatem. Gregorius Nazianzenus in carmine *ad Olympiadem* ait pudoris jacturam flagitiorum omnium certissimam esse parentem.

Denotanda. Id est denudanda. Vide notas ad Epistolam LXIII, pag. 477.

Contrectanda. Dissimulandum non est *conspectanda* scriptum esse in uno libro vetere, laudato in margine editionis Lugdunensis anni 1544, in quo descriptæ C sunt variæ lectiones ex pluribus antiquis codicibus manuscriptis.

Verecunda sis. Codex Burgundicus, *verecunda sit virginitas inter viros.*

XX.—*Expugnator.* Veteres editiones et quinque libri veteres habent *expugnatus.* Quæ lectio potest esse bona. Ego tamen aliam præfero, tum quia habetur in editionibus Manutii et Morellii et in duodecim antiquis codicibus, tum etiam quia infra in libro *de lapsis* legitur pag. 184 : *Hostem nunc et expugnatorem domesticum non haberent.*

Viduæ antequam nuptæ. Hieronymus in Epistola ad Eustochium de servanda Virginitate : *Videas plerasque viduas antequam nuptas infelicem conscientiam mentita tantum veste protegere.* In Apologia Apuleii : *Fortasse adhuc vidua antequam nupta domi sedisset.* Ovidius lib. II, Fastorum, *viduæ cessate puellæ.*

XXI.—*Timentem.* Hanc lectionem præferunt omnes D fere veteres libri et editiones. Pamelius posuit *docentem* ; quam lectionem ego reperi in sex codicibus antiquis, in quorum uno primo scriptum fuit *timentem*, sed postea id deletum est ut scriberetur *docentem.* Alii numero viginti habent *timentem.* Ait ergo Cyprianus timere se pro virginibus Deo dicatis, si non observaverint vitam proposito suo congruentem ; adeoque illas admonet ut in incœpto perseverent.

Quæ virgo es. Postea sequitur in editione Erasmi, ex qua aliæ acceperunt, *quæ Deo servis.* At ego, cum istud non invenerim nisi in uno veteri libro, desit autem in omnibus aliis, id est viginti, in primis vero in Seguieriano, existimavi non esse Cypriani et additum fuisse a quodam studioso, fortassis in margine, per speciem interpretationis. Itaque expunxi.

Cum centeno. Retinui hanc lectionem, quia extat in omnibus antiquis codicibus, etiam in Seguieriano, et

Digitized by Google

Ut apud martyres [a] non est carnis et sæculi cogitatio, nec parva et levis et delicata congressio, sic et in vobis, quarum ad gratiam [b] merces secunda est, sit et virtus ad tolerantiam proxima. Non est ad magna facilis ascensus. Quem sudorem perpetimur, quem laborem, cum conamur ascendere colles et vertices montium? Quid, ut ascendamus ad cœlum? Si præmium pollicitationis attendas, minus est quod laboras. Immortalitas perseveranti [c] datur, perpetua vita promittitur, regnum Dominus pollicetur.

XXII. Servate [d], virgines, servate quod esse cœpistis, servate quod eritis. Magna vos merces manet, præmium grande virtutis, munus maximum castitatis. Vultis scire quo malo careat et quid boni teneat continentiæ virtus? *Multiplicabo*, inquit mulieri Deus, *tristitias tuas et gemitus tuos, et in tristitia* [e] *paries filios, et conversio tua ad virum tuum, et ipse tui dominabitur* (*Gen.* III, 16). Vos ab hac sententia liberæ estis, vos mulierum tristitias et gemitus non timetis. Nullus vobis de partu circa filios metus est, nec maritus est dominus, sed dominus [f] vester et caput Christus est ad instar et vicem masculi. Sors vobis et conditio communis est. Domini vox est in illa dicentis: *Filii sæculi hujus generant et generantur. Qui autem habuerint dignationem sæculi illius et resurrectionis a mortuis, non nubunt, neque matrimonium faciunt. Neque enim incipient mori: æquales enim sunt Angelis Dei, cum sint filii resurrectionis* (*Luc.* XX, 31-36). Quod futuri sumus jam vos esse cœpistis. Vos resurrectionis gloriam in isto sæculo jam tenetis, per sæculum sine sæculi contagione transitis. Cum castæ perseveratis et virgines, Angelis Dei estis æquales. Tantum maneat et duret solida et illæsa virginitas, et ut cœpit fortiter, jugiter perseveret; nec monilium aut vestium quærat ornamenta, sed morum. Deum spectet et cœlum, neque oculos ad sublime porrectos ad carnis et mundi concupiscentiam deprimat aut ad terrena [g] deponat.

LECTIONES VARIANTES.

[a] Martyrem *Oxon.* Martyras *Thu. Corb.*
[b] Ad gratiam *Bod.* 1, 2. *Thu. Foss. Corb. MR.*
[c] Perseverantibus *Bod.* 1.
[d] Servate quod debetis *Foss.*
[e] Cum tristitia *Ver.*
[f] Dominus, Dominus Deus vester. *Bod.* 1, 2, 4.
[g] Nec ad terrena *Bod.* 2.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

in editionibus quæ Manutianam antecesserunt. Prudentius in Carmine *de sancta Agnete* ait:

Cingit coronis interea Deus
Frontem duabus martyris innubæ.
Unam decemplex edita septies
Merces perenni lumine conficit.
Centenus extat fructus in altera.

In codice Pithœano et in Veronensi legitur istic: *Primus cum centesimo*. Hieronymus in [332] Epistola ad Eustochium de servanda Virginitate: *Centesimus et sexagesimus fructus de uno sunt semine castitatis*. Joannes Saresberiensis lib. VIII, Policratici cap. 11: *Non tamen quod conjugali detraham castitati, sed centesimum aut sexagesimum fructum, licet de radice tricesimi oriatur, minime arbitror tricesimo comparandum.*

Sexagenarius. Prudentius l. II *adversus Symmachum:*

Sunt et virginibus pulcherrima præmia nostris.

Et mox:

Hic decies seni rediguntur in horrea fructus.

Cogitatio. Ita omnes fere libri veteres. Duo tamen habent *colluctatio*. In Veronensi scriptum primo fuit *colluctatio*, sed supra lineam scriptum est *cogitatio*.

XXII.—*Non nubunt.* Codex Fuxensis, *non nubent neque nubentur*. Seguierianus et unus alius vetus *non nubuntur* tantum. Nubendi vocabulum sæpe reperitur in obscœnis, ut post Lipsium annotavit vir doctissimus Joannes Seldenus lib. V, cap. 4 *de jure naturali et gentium*, et nos quoque alibi monuimus. Et ita videtur etiam sensisse Servius grammaticus in secundum Æneidos: *Innuptæ, quæ nunquam nubit. Nam virgo potest et nubere*. Tertullianus lib. IV, adversus Marcionem: *Manente matrimonio nubere adulterium est*. Idem in *Apologetico* agens de Incarnatione Christi ait Dei Filium nullam de impudicitia habere matrem, *etiam quam videbatur habere non nupserat*. Ubi manifestum est vocem *nupserat* positam esse pro coitione mulieris cum viro. Alioqui falsum esset quod ait Tertullianus, cum certum sit Mariam matrem Christi ductam fuisse a Josepho, nuptam fuisse Josepho, uxorem ejus fuisse, et propterea Christum existimatum filium fabri, quia filius ejus mulieris erat quæ fabri uxor erat, quia filius est quem nuptiæ demonstrant. Hinc in scholiis sancti Cyrilli de Incarnatione Domini cap. 25 legitur: *Natus est enim ex virgine, et solus habet matrem innuptam*, id est virginem, quæ non congressa erat cum marito. Nam et Rufinus lib. 1, cap. 6 *Hist. eccles.*, innuptam dixit pro virgine. Pro quo Hieronymus in initio libri *adversus Helvidium* dixit Mariam fuisse matrem antequam nuptam, quia nimirum conceperat ex Spiritu sancto antequam ex sponsa fieret uxor Josephi. Et sanctus Ambrosius in Epistola *de Bonoso episcopo* accusato in synodo Capuensi quod diceret Mariam virginem habuisse plures liberos: *Neque enim elegisset Dominus Jesus nasci per virginem, si eam judicasset tam incontinentem fore ut illud genitale dominici corporis, illam aulam regis æterni concubitus humani semine coinquinasset*. Cæterum, ut id quoque obiter dicam, Rigaltius arbitratus est hunc locum ex *Apologetico* Tertulliani sic scribendum esse ut dicatur Christum nullam *de pudicitia* habere matrem, quia videbat Latinum Latinium et Pamelium ita legisse in quibusdam vetustis exemplaribus. Ego contra puto retinendam esse lectionem vulgatam, quæ vetustissimorum et optimorum codicum auctoritate nititur, ut sensus sit Christi matrem nullam impudicitiæ labem, non quidem obscœnæ attrectationis injuriam, ut Rufini verbis utar, passam esse, quippe quæ numquam cum marito exercuerit conjugale commercium, sive, ut loquar cum Lactantio, nunquam per voluptatis illecebras copulata est cum marito. Vide Erasmi annotationes in hunc locum Matthæi.

Jam vos esse cœpistis. Hieronymus in expositione psalmi XLIV, *ad Principiam: Sexus devoratur a virgine. Christum portat in pectore. Jam possidet quod futura est*. Idem in Epistola ad Eustochium de Custodia virginitatis: *Gaude soror, gaude filia, gaude mi virgo, quia quod aliæ simulant tu vere esse cœpisti.*

Gratiam. Hanc lectionem præferunt omnes fere libri veteres et veteres editiones. Manutius maluit *gloriam*. Hinc acceperunt posteriores editiones. Ego tot veterum exemplarium et editionum contra scribentium auctoritatem contemnere non audeo. Si quis tamen mavult *gloriam*, judicio suo fruatur.

Castæ perseveratis et virgines. Hieronymus in Epistola ad Eustochium de Custodia virginitatis: *Et quia maritorum expertæ sunt dominatum, castæ vocantur et nonnæ*. Quid sint nonnæ quære in glossario Latino Cangii.

Digitized by Google

XXXIII. Prima sententia crescere et generare præcepit, secunda continentiam suasit. Cum adhuc rudis mundus et inanis est [a], copiam [b] fœcunditate generantes propagamur, et crescimus ad humani generis augmentum : cum jam refertus est orbis et mundus impletus, qui capere continentiam possunt, spadonum more viventes, castrantur ad regnum. Nec hoc jubet Dominus, sed hortatur ; nec jugum necessitatis imponit, quando maneat voluntatis arbitrium liberum. Sed cum habitationes multas apud Patrem suum dicat (*Joan.* XIV, 2), melioris habitaculi hospitia demonstrat. Habitacula ista meliora vos petitis, carnis desideria castrantes, majoris gratiæ præmium in cœlestibus obtinetis. Omnes quidem qui ad divinum lavacrum Baptismi sanctificatione perveniunt, hominem illic veterem gratia lavacri salutaris exponunt, et innovati Spiritu sancto, a sordibus contagionis antiquæ iterata nativitate purgantur. Sed nativitatis iteratæ vobis major sanctitas et veritas competit, quibus desideria jam carnis et corporis nulla sunt. Sola in vobis quæ sunt virtutis et spiritus ad gloriam remanserunt [c]. Apostoli vox est, quem Dominus vas electionis suæ dixit, quem ad promenda [d] mandata cœlestia Deus misit : *Primus homo*, inquit, *de terræ limo, secundus homo de cœlo* [e]. *Qualis ille de limo, tales et qui de limo ; et qualis cœlestis, tales et cœlestes. Quomodo portavimus imaginem ejus qui de limo est, portemus et imaginem ejus qui de cœlo est* (I *Cor.* XV, 47-49) Hanc imaginem virginitas portat, portat integritas, [181] sanctitas portat et veritas ; portant disciplinæ Dei memores, justitiam cum religione retinentes, stabiles in fide, humiles in timore, ad omnem tolerantiam fortes, ad sustinendam injuriam mites, ad faciendam misericordiam faciles, fraterna pace unanimes atque concordes.

XXIV. Quæ vos singula, o bonæ virgines, observare, diligere, implere debetis ; quæ Deo et Christo vacantes, ad Dominum, cui vos dicastis, et majore et meliore parte præceditis. Provectæ annis, junioribus facite magisterium : minores natu, præbete comparibus incitamentum. Hortamentis vos mutuis excitate, æmulis de virtute documentis ad gloriam provocate. Durate fortiter, spiritaliter pergite, pervenite feliciter. Tantum mementote tunc nostri, cum incipiet in vobis virginitas honorari.

LECTIONES VARIANTES.

[a] Esset *Oxon. ex omnibus mss.* Est *Impr.*
[b] Copiosa *Ar.* Copia fœcunditatis *Bod.* 1, 2. *Ver. Voss.* 1.
[c] Ad gloriam *deest in Ar. MR.*
[d] Promerenda *MR.*
[e] Secundus de cœlo *Thu. Foss. Corb.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

XXIII. — *Habitationes.* Codex Fuxensis *mansiones.* Quod fortasse melius est. Nam in capite XIV, Evangelii secundum Joannem, ad quod istic respicit Cyprianus, legitur in editione vulgata : *In domo patris mei mansiones multæ sunt.* Sed hæc meminisse oportet Cyprianum alia versione usum esse quam ea qua nos utimur.

Ad divinum lavacrum. Ita posui secutus fidem unius libri mei veteris. Atque ea lectio mihi videtur optima. Nam alia est admodum intricata, quæ ita habet : *Omnes quidem qui ad divinum munus et patrium Baptismi sanctificatione perveniunt.* Quid [sic] enim hæc facit vox *patrium ?* Et tamen illa habetur in codice Seguieriano et in sex aliis. Alii septem et veteres editiones præferunt *patrimonium*, Beccensis *patriam.* Sed nullum horum vocabulorum congruit huic loco, mea quidem sententia. Si quis tamen horum alterutrum retinere voluerit, non repugno.

Quomodo portavimus. Refert hanc postremam libri istius partem sanctus Augustinus lib. IV *de Doctrina christiana* cap. 21.

XXIV. — *Minores natu præbete.* Post ista Pamelius, cui præiverat editio quæ dicitur Gravii, adjecit ex codice Affligeniensi et ex Coloniensi, *majoribus ministerium ;* idque optime quadrare ait. Ego non disputo an optime quadret. Illud tantum aio, me ideo expunxisse hæc duo vocabula, quia illa non inveni in antiquis editionibus, neque in ullo eorum veterum exemplarium quibus usus sum, id est viginti septem.

Virginitas honorari. Id est, cum in vobis Dominus martyrium cœperit honorare, ut scriptum est in libro *de Laude martyrii*, pag. 352, quando ignes aut cruces, ut ait in hoc ipso libro *de Habitu virginum*, pag. 175, sanctus Martyr, aut ferrum vel bestias patiemini ut coronam martyrii accipiatis. Prudentius in Carmine *de suncto Fructuoso* episcopo Tarraconensi : *Carcer christicolis gradus coronæ est.* Hieronymus in Quæstione XI ad Hedibiam : *Triumphus Dei est passio martyrum et pro Christi nomine cruoris effusio et inter tormenta lætitia.* Virginitas igitur incipit honorari cum virgo christiana incipit pati pro nomine Christi. Cyprianus in libro *de Unitate Ecclesiæ*, pag. 201 : *Confessio exordium gloriæ est, non meritum jam coronæ, nec perficit laudem, sed initiat dignitatem*, et Epist. LXXVII, *ad Martyres*, pag. 159 : *Fustibus cæsi prius graviter et afflicti per ejusmodi pœnas initiastis confessionis vestræ gloriosa primordia.* Inde illa querela Secundæ virginis et martyris, quæ cum videret Rufinam sororem suam flagellari, clamavit ad judicem : *Cur sororem meam gloria afficis, me vero ejus gloriæ non pateris esse participem ?* Celerinus in Epistola *ad Lucianum*, pag. 29 : *Sic coronet te cujus nomen confessus es.*

LIBER DE LAPSIS.

ARGUMENTUM. — *Pollicitus erat frequenter Cyprianus, ubi primum pax Ecclesiæ reddita foret, se certius quid scripturum de ratione lapsorum : hoc igitur libro promissis satisfacit. Et in primis, ob oculos*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

DE LAPSIS. — Libri istius, ut ab aliis jam observatum est, mentionem facit ipse Cyprianus Epist. LI pag. 66, et Pontius diaconus in vita ejus, tum etiam sanctus Augustinus et sanctus Fulgentius in locis infra notatis. Addunt aliqui Eusebium Cæsariensem, sed falso. Decepit eos indiligentia. Cum enim Ruf-

Digitized by Google

posita cum gaudio tam insperata Ecclesiæ pace, et confessorum cæterorumque stantium in fide constantia et deinde cum dolore summo lapsorum ruinis, ac persecutionis præteritæ causis explicatis, disciplinæ nempe neglectu et peccatis fidelium; graviter increpat lapsos quod, ad prima statim verba minantis inimici idolis sacrificaverint, et non potius, juxta Christi consilium, secesserint: item quod jam sacrificiis maculati, contra Evangelii legem, ante expiata delicta, ante exomologesin criminis factam vim inferrent corpori et sanguini Domini, et communicationem ac pacem a quibusdam presbyteris sine episcopi sententia extorquerent. Deterritos proinde vindicta divina lapsorum aliquot qui indigne communicarant (obiter interjecta mentione libellaticorum, quod a crimine non excusarentur), et animatos eorum exemplo qui, quamvis nullo sacrificii aut libelli facinore constricti, quoniam tamen de hoc vel cogitaverunt, hoc ipsum apud sacerdotes Dei dolenter et simpliciter confitentes, exomologesin faciebant; ad confessionem delicti, ad pœnitentiam publicam, ad satisfactionem plenam multis hortatur. Postremo vitari monet Novatianos, confutans Scripturis aliquot illorum hæresin.

[t] I. Pax ecce, dilectissimi fratres, Ecclesiæ reddita est et, quod difficile nuper incredulis ac perfidis impossibile videbatur, ope atque ultione divina securitas nostra reparata est. In lætitiam mentes redeunt, et, tempestate pressuræ ac nube [a] discussa, tranquillitas ac serenitas refulserunt. Dandæ laudes Deo, et beneficia ejus ac munera cum gratiarum actione celebranda, quamvis agere gratias nostra vox [b] nec in persecutione cessaverit. Neque enim tantum inimico licere potest ut non, qui Dominum toto corde et anima et virtute diligimus [c], benedictiones ejus et laudes semper et ubique cum gloria prædicemus. Exoptatus votis omnium dies venit, et, post longæ noctis horribilem tetramque caliginem, Domini luce radiatus mundus eluxit [d].

II. Confessores, præconio boni nominis [e] claros et virtutis ac fidei laudibus gloriosos, lætis conspectibus intuemur, sanctis osculis adhærentes, desideratos diu inexplebili cupiditate complectimur. Adest militum Christi cohors candida, qui persecutionis urgentis ferociam turbulentam stabili congressione fregerunt, parati ad patientiam carceris, armati ad tolerantiam mortis. Repugnastis [f] fortiter sæculo, spectaculum gloriosum præbuistis Deo [g], secuturis fratribus fuistis exemplo. Religiosa vox Christum [h] locuta est, in quem se semel credidisse confessa est. Illustres manus, quæ non nisi divinis operibus assueverant, sacrificiis sacrilegis restiterunt. Sanctificata ora cœlestibus cibis, post corpus et sanguinem Domini, profana contagia et idolorum reliquias respuerunt. Ab impio sceleratoque velamine, quo illic velabantur sacrificantium capita captiva, caput vestrum liberum mansit. Frons cum signo Dei pura, diaboli coronam ferre non potuit, coronæ se Domini reservavit. Quam vos læte sinu [i] suo excipit [j] mater Ecclesia de prælio revertentes! quam beata, quam gaudens portas suas aperit, ut adunatis agminibus intretis, de hoste prostrato trophæa referentes! Cum triumphantibus viris et feminæ veniunt, quæ cum sæculo dimicantes [k], sexum quoque vicerunt. Veniunt et geminata militiæ suæ gloria virgines, et pueri annos suos virtutibus transeuntes. Necnon et cætera stantium multitudo

LECTIONES VARIANTES.

[a] Nube discussa et caligine discissa *Ar. NC.* 1. *Bod.* 2. *Lam. Ebor.* Tempestate pressa *Voss.* 3. Nube et caligine *Oxon. Rigalt.*

[b] Nostra vox convenit *Bod.* 4.

[c] Nos qui Deum toto corde et animo diligimus, benedictiones ejus et laudes non *Voss.* 3.

[d] Eluxit et confessores *Bod.* 4.

[e] Numinis *Ben.* Luminis *Ar. Voss.* 1. *Lam. Bon.* 3.

[f] Repugnantes *Bod.* 1, 3.

[g] Deum secuturis *Voss.* 1.

[h] Christi *Bod.* 1. 4.

[i] Lætos in sinum *Voss.* 1, 2, 3. Læto sinu *Oxon. Impr.*

[j] Excepit *Bod.* 1, 4, *Lam.*

[k] Cum sæculo sexum quoque *Bod.* 1. 3. 4. *Lam. Ebor. Voss.* 1. 3. *Thu. Corb. Vat.* 2. *MR.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

nus latine verterit Historiam ecclesiasticam Eusebii, credentes illum eam vertisse simpliciter et nihil addidisse de suo, sibi persuaserunt ea quæ in interprete leguntur de hoc Cypriani libro exstare etiam apud Eusebium. Quod verum non est. Hæc sunt verba Rufini: *Cyprianus de his*, id est de Lapsis *librum magnificentissime scriptum edidit, in quo et Lapsos ad pœnitentiam cohortandos et contradicentes alienos esse a Christi visceribus statuit.* Hunc porro librum et librum *de Unitate Ecclesiæ* frequenter citat Venericus Vercellensis episcopus.

I. — *Pax ecclesiæ reddita.* Post obitum Decii, ut ostendit Pearsonius in Annalibus Cyprianicis.

Nube. Rigaltius addidit *et caligine.* Sed hanc additionem, quæ haud dubie est ex glossemate, non agnoscunt aliæ editiones nec libri veteres. Reperta est in duobus tantum, in uno nimirum regio, ex quo puto Rigaltium accepisse, et in Moyssiacensi.

Votis omnium. Codex Fuxensis, *vocibus et votis omnibus.*

II.—*Cohors candida.* Tertullianus in libro 1 ad Uxorem: *Tota illa Ecclesia candida de sanctitate conscribitur.* Ubi vide Rigaltium. Idem Tertullianus in libro de Corona: *Et de martyrii corona laurea melius coronandus.* Vide notas Joannis Ludovici de la Cerda pag. 649. De massa candida vide Baronium an. 261 et 303.

Sacrificiis sacrilegis. Septem libri veteres habent *sacrificiis ac sacrilegiis.*

Reservavit. Duo libri veteres *mancipavit.*

Sexum vicerunt. Supra, Epist. xxxi, pag. 164 *sexu suo fortiores.* Ubi vide notas.

Annos suos virtutibus. Ita veteres editiones, viginti et tres libri nostri, et quatuor Anglicani. In uno regio et in Moyssiacensi legitur, *annos suos continentiæ virtutibus.* Cum autem vox *continentiæ* desit in tam multis antiquis codicibus, cum non conveniat [sic] huic loco, ut ait Latinius, nobis visum est illam esse delendam. Sane Pamelius illam adjecit ex editione quæ dicitur Gravii et ex quodam veteri libro. Verum idem Latinius jampridem pronuntiavit eam auctoritatem tanti non esse ut persuadere possit vocem hanc esse retinendam.

Stantium. Veteres editiones, codex Seguierianus, Gratianopolitanus, recentior Victorinus, et unus Va-

Digitized by Google

vestram gloriam sequitur, proximis et pene conjunctis laudis insignibus vestigia vestra comitatur. Eadem et in illis sinceritas cordis, eadem fidei tenacis integritas. Inconcussis præceptorum cœlestium radicibus [183] nixos et evangelicis traditionibus roboratos, non præcepta exilia, non destinata tormenta, non rei familiaris damna, non corporis supplicia terruerunt. Explorandæ fidei præfiniebantur dies. Sed qui sæculo renuntiasse se meminit, nullum sæculi diem novit; nec tempora terrena jam computat qui æternitatem de Deo sperat.

III. Nemo [a], fratres dilectissimi, nemo hanc gloriam mutilet, nemo incorruptam stantium firmitatem maligna obtrectatione debilitet. Cum dies negantibus [b] præstitutus excessit, quisquis professus intra diem non est, Christianum se esse confessus est [c]. Primus est victoriæ titulus, gentilium manibus apprehensum Dominum confiteri : secundus ad gloriam gradus [d] est cauta secessione subtractum Domino reservari [e]. Illa publica, hæc privata confessio est. Ille judicem sæculi vincit, hic contentus Deo suo judice conscientiam puram cordis integritate custodit. Illic, fortitudo promptior, hic sollicitudo securior. Ille appropinquante hora sua, jam maturus inventus est; hic fortasse dilatus est qui, patrimonio derelicto, idcirco secessit quia non erat negaturus : confiteretur utique si fuisset et ipse detentus.

IV. Has martyrum cœlestes coronas, has confessorum gloriæ spirituales, has stantium fratrum maximas eximiasque virtutes mœstitia una contristat, quod avulsam nostrorum viscerum partem violentus inimicus populationis suæ strage dejecit. Quid hoc loco faciam, dilectissimi fratres? fluctuans vario mentis æstu, quid aut quomodo dicam? Lacrymis magis quam verbis opus est ad exprimendum [f] dolorem quo corporis nostri plaga deflenda est, quo populi aliquando numerosi multiplex lamentanda jactura est. Quis enim sic durus aut ferreus, quis sic fraternæ charitatis [g] oblitus, qui inter suorum multiformes ruinas et lugubres ac multo squalore deformes reliquias constitutus siccos oculos tenere prævaleat, nec, erumpente statim fletu, prius gemitus suos lacrymis quam voce depromat? Doleo, fratres, doleo vobiscum, nec mihi ad leniendos dolores meos integritas propria et sanitas privata blanditur, quando plus pastor in gregis sui vulnere vulneretur. Cum singulis pectus meum copulo, mœroris et funeris pondera luctuosa participo. Cum plangentibus plango, cum deflentibus defleo, cum jacentibus jacere me credo. Jaculis illis grassantis [h] inimici mea simul membra percussa sunt, sævientes gladii per mea viscera transierunt. Immunis et liber a persecutionis incursu fuisse non potest animus. In prostratis fratribus et me prostravit affectus.

V. Habenda tamen est, fratres dilectissimi, ratio veritatis, nec sic mentem debet et sensum persecutionis infestæ tenebrosa [i] caligo cæcasse, ut nihil remanserit lucis et luminis unde divina præcepta perspici possint. Si cladis causa cognoscitur, et medela vulneris invenitur. Dominus probari familiam suam voluit; et quia traditam nobis divinitus disciplinam pax longa corruperat, jacentem fidem et pene [j], ut

LECTIONES VARIANTES.

[a] Nemo, fratres, nemo *Voss.* 1. *Lam. MR.*
[b] Negantium *Voss.* 1. 3.
[c] Se non est confessus? *Lam.*
[d] Gradus est, cum quis se *Voss.* 1.
[e] Servavit *Voss.* 1.
[f] Extendendum *Ar. Lam. Ben. Ebor. NC.* 2. *Bod.* 2.
[g] Sic cladis *Lam.*
[h] Grassantibus *Lin. NC.* 2.
[i] Infestæ illecebrosa *Voss.* 1. 3.
[j] Et ut pene *Lam. Bod.* 2.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

ticanus habent *circumstantium*. Sed hæc lectio bona non est. Lamodianus habet *adstantium*.

Damna. Hæc vox deest in antiquis editionibus et in tredecim libris veteribus. Erasmus adjecit. Non reperi nullem illam nisi in quinque codicibus. Retinui tamen, quia videtur necessaria.

Explorandæ. Hanc lectionem exhibent sexdecim vetera exemplaria. Codex Remensis sancti Dionysii habet : *Expugnandæ fidei præfigebantur dies*. Burgundicus, *prænuntiabantur*. Veteres editiones, *pertimebantur*.

III. — *Cauta secessione*. De hac secessione sancti Martyris sic scribit inter alia Pontius diaconus : *Sequitur ut probemus secessum illum non hominis pusillanimitate conceptum, sed, sicuti est, vere fuisse divinum*. Sic de Paulo eremita ait Hieronymus : *Cum persecutionis procella denotaret, in villam remotiorem et secretiorem recessit*. Vide librum Tertulliani *de Fuga in persecutione*.

IV. — *Durus aut ferreus*. Cicero Actione II in Verrem : *Quis tam fuit illo tempore durus ac ferreus, quis tam inhumanus*. Juvenalis *Satira* I :

Nam quis iniquæ
Tam patiens urbis tam ferreus ut teneat se!

Incursu. Codex Fuxensis *impetu*. Paulo post in hoc ipso libro, *nec prostratus est persecutionis impetu*. Vide quæ *de incursu* notavimus ad Epistolam XXIII, pag. 421.

In prostratis. Optatus lib. I, *nonnullos funestam prostravit in mortem*.

V. — *Pax longa corruperat*. Sanctus Augustinus in Epistola ad Bonifacium comitem ; *Decuit enim eos sollicitudo quos negligentes securitas fecerat*. Sulpitius Severus lib. II sacræ Historiæ : *Plerique eorum longa rursum pace corrupti*. Et infra : *Rursum corrupti longæ pacis malo idolis libaverunt*. Velleius Paterculus lib. II, *Pannonia insolens longæ pacis bonis*. Et Tacitus lib IV *Annalium* tradit Pisonem fuisse pace incuriosum. Juvenalis Sat. VI : *Nunc patimur longæ pacis mala*. Lucanus lib. V : *Longaque in pace quietos bellorum primus sparsit furor*. Modestus in libro de Vocabulis rei militaris : *Longa securitas pacis homines partim ad delectationem otii, partim ad civilia traduxit officia*. Cæsar lib. II de Bello civili : *Multitudo insolens diuturnitate otii*. Cassianus lib. V, cap. 19 : *Scilicet ne pacis otio miles Christi lentescens incipiat oblivisci constitutionum suarum gloriosa certamina, ac securitatis inertia dissolutus præmiorum stipendiis ac triumphorum meritis defraudetur*. Sanctus Leo Papa sermone II in solemnitate Epiphaniæ : *Vigilanter cavenda sunt illa discrimina quæ de otio ipsius pacis oriuntur*. Vide notas nostras ad librum VI Salviani.

Digitized by Google

ita dixerim, dormientem censura cœlestis erexit; cumque nos peccatis nostris amplius mereremur, clementissimus Dominus sic cuncta moderatus est, ut hoc omne quod gestum est exploratio potius quam persecutio videretur.

VI. Studebant augendo patrimonio singuli, et, obliti quid credentes aut sub Apostolis ante fecissent aut semper facere deberent, insatiabili cupiditatis ardore ampliandis facultatibus incubabant. Non in sacerdotibus [a] religio devota, non in ministris [b] fides integra, non in operibus misericordia, non in moribus disciplina. Corrupta barba in viris, in feminis forma fucata, adulterati post Dei [188] manus oculi, capilli mendacio colorati. Ad decipienda corda simplicium callidæ fraudes, circumveniendis fratribus subdolæ voluntates. Jungere cum infidelibus vinculum matrimonii, prostituere gentilibus [c] membra Christi. Non jurare tantum temere, sed adhuc etiam pejerare: præpositos superbo tumore contemnere; venenato sibi ore maledicere, odiis pertinacibus invicem dissidere. Episcopi plurimi, quos et hortamento esse oportet cæteris et exemplo, divina procuratione contempta, procuratores rerum sæcularium fieri, derelicta cathedra, plebe deserta, per alienas provincias oberrantes, negotiationis quæstuosæ nundinas [d] aucupari, esurientibus in Ecclesia fratribus, habere argentum largiter

LECTIONES VARIANTES.

[a] Sacerdotiis *Bod.* 1. 4.
[b] Ministeriis *Bod.* 2. 4. *Thu. Foss. Lam. Manut. Gronov. Lips.*
[c] Prostituere cum gentibus *NC* 1. *Pem.*
[d] Quæstuosas nundinas *Bod.* 4.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

Amplius mereremur. Ita antiquæ editiones. Erasmus scripsit *amplius pati mereremur;* quod ego reperi in quatuor antiquis exemplaribus. Gravii quæ dicitur editio id quoque habuit, sed minutiore charactere scriptum, ut intelligi daretur dubium videri an esset Cypriani. Vox autem *pati* non invenitur in octodecim exemplaribus nostris neque in quinque Anglicanis, neque in editionibus Manutii et Morellii. Ego suppositam arbitror a quodam sciolo qui putaret sensum non esse integrum absque illo vocabulo, sicut Freinshemius ad librum II Historiarum Taciti, ubi legitur *incipi victoriam ratus*, existimat vocem *ratus* adjectam esse ab aliquo extraneo, qui deesse aliquid heic putabat. Erasmi tamen editio posset adjuvari ex eo quod paulo post sequitur, *quid non perpeti tales pro peccatis ejusmodi mereremur.*

VI. *In ministris.* Duo libri veteres habent *ministeriis.*

Capilli mendacio colorati. Infra in hoc libro, pag. 191, *et quæ capillos tuos inficis.* Ovidius lib. III, de Arte amandi: *Femina canitiem germanis inficit herbis.* Martialis lib. VI, Epigr. 57: *Mentiris fictos unguento Phœbe capillos.* Columella in præfatione librorum *de Re rustica*: *Capitum et capillorum concinnatores non solum ipse audivi, sed et ipse vidi.* Vide notas ad librum *de Habitu virginum* in verbo *lapillis*, pag. 528.

Jungere cum infidelibus. Citat hunc locum sanctus Augustinus, lib. I [555] *de Conjugiis adulterinis* cap. 21: *Quamvis beatissimus Cyprianus inde non dubitet nec in levibus peccatis constituat jungere cum infidelibus vinculum matrimonii, atque id esse dicat prostituere gentilibus membra Christi.* Item in libro *de Fide et Operibus* cap. 19, ubi hinc colligit quædam uno sæculo tolerata esse quæ in alio non licebant. Sane Tertullianus docet unam fidei regulam esse immutabilem, cætera vero correctionis et disciplinæ admittere novitatem correctionis. Vide rursum sanctum Augustinum in Epistola ad Bonifacium *de variis Consuetudinibus Ecclesiarum et provinciarum.* Hieronymus lib. I *contra Jovinianum*: *Junguntur gentilibus et templa Christi idolis prostituunt.* Idem in Epistola ad Eustochium *de Custodia virginitatis*: *Si autem et illæ quæ virgines sunt ob alias tamen culpas virginitate corporum non salvantur, quid fiet illis quæ prostituerunt membra Christi?* Concilium Arelatense primum canone 11: *De puellis fidelibus quæ gentilibus junguntur placuit ut aliquanto tempore a communione separentur.* Vide Rigaltii observationes in librum II Tertulliani *ad Uxorem.* In titulo Codicis Theodosiani *de Nuptiis gentilium*, præcipitur ut nulli provincialium, cujuscumque ordinis aut loci fuerit, cum barbara sit uxore conjugium, nec ulli gentilium provincialis femina copuletur, et si contra factum fuerit, capitaliter expletur. Gentiles istic, ut recte observat Jacobus Gothofredus, non dicuntur respectu fidei seu religionis, verum respectu Romanorum, barbari, et speciatim ii qui ex variis gentibus felicitatem Romanam sequentes se ad imperium contulerant. Itaque provincialibus opponuntur, id est Romanis, non etiam Christianis.

Hortamento. Hæc est editio Manutii, cum superiores editiones haberent *ornamento.* Lectionem Manutianam inveni in duodecim vetustis codicibus. Alia extat in aliis septem, in editione Morelliana, et apud sanctum Augustinum lib. III *contra Crescon.* cap. 36. Vide quæ in simili casu adnotavi ad Epistolam XV, pag. 401. In Concilio Toletano III, canone 10, legitur *hortamento concilii* et alibi *ornamento.*

Procuratores. Vetitum istud semper in Ecclesia Dei. Insignis est in ea causa locus in canone 16, concilii Carthaginensis habiti P. C. Honorii XII et Theodosii VIII, extatque apud Gratianum 21, q. 2: *Placuit ut episcopi.* Vide *Epitomem juris pontificii* Antonii Augustini lib. IV, tit. 73, et notas nostras ad librum Agobardi *de modo Reiminis ecclesiastici.* Vide etiam invectivam Jacobi Cardinalis Papiensis adversus Joannem Cardinalem Attrebatensem. Sulpitius Severus lib. I *Historiæ sacræ*, cum dixisset levitis nullam potestatem datam, quo liberius servirent Deo, addit: *Equidem hoc exemplum non tacitus præterierim, legentumque ministris ecclesiarum libenter ingesserim. Etenim præcepti hujus non solum immemores sed etiam ignari mihi videntur. Tanta hoc tempore animos eorum habendi cupido, velut tabes, incessit. Inhiant possessionibus, prædia excolunt, auro incubant, emunt venduntque, quæstui per omnia student.* Vide sanctum Gregorium lib. VIII, Epist. XI, *adversus Basilium episcopum Capuanum.* Hieronymus in Epistola ad Nepotianum *de Vita clericorum*: *Procuratores et dispensatores domorum alienarum quomodo possunt esse clerici qui proprias jubentur contemnere facultates?* Quo referri etiam possunt ea quæ diximus in notis ad Capitularia, pag. 1169.

Derelicta cathedra. Contra regulas ecclesiasticæ disciplinæ. Vide concilia Africana.

In Ecclesia fratribus. In editione Pamelii adjectum est *non subvenire.* Sed ego additamentum illud non reperi in veteribus libris a me visis neque in Anglicanis. Sane Pithœanus habet *nihil tribuere.* Quo etiam modo scriptum quoque fuisse in Camberonensi testatur Pamelius. Et tamen minime necessarium mihi videtur hoc additamentum. Reprehendit Cyprianus episcopos qui cum viderent fratres in Ecclesia esurientes, aurum et argentum sitiebant. Dixi aurum et argentum, quia in uno libro meo veteri scriptum est: *Esurientibus in Ecclesia fratribus aurum habere largiter velle*, et in alio *argentum* pro

Digitized by Google

velle, fundos insidiosis fraudibus rapere, usuris multiplicantibus fœnus augere. Quid non perpeti tales pro peccatis ejusmodi mereremur, cum jam pridem præmonuerit ac dixerit censura [a] divina : *Si dereliquerint* [b] *legem meam et in judiciis meis non ambulaverint, si justificationes meas profanaverint et præcepta mea non observaverint, visitabo in virgâ facinora eorum et in flagellis delicta eorum* [c] (*Psal.* LXXXVIII, 31-33).

VII. Prænuntiata sunt ista nobis et ante prædicta. Sed nos, datæ legis et observationis immemores, id egimus per nostra peccata, ut, dum Domini mandata contemnimus, ad correctionem [d] delicti et probationem fidei remediis severioribus veniremus. Nec saltem sero conversi ad Domini timorem sumus, ut hanc correptionem nostram probationemque divinam patienter et fortiter subiremus [e]. Ad prima statim verba minantis inimici maximus fratrum numerus fidem suam prodidit ; nec prostratus est persecutionis impetu, sed voluntario lapsu se ipse prostravit. Quid oro inauditum, quid novum venerat, ut, velut incognitis [f] atque inopinatis rebus exortis, Christi sacramentum temeritate præcipiti solveretur ? Nonne hæc et Prophetæ ante et Apostoli postmodum nuntiaverunt ? nonne justorum pressuras et gentilium semper injurias pleni sancto Spiritu prædicaverunt ? nonne fidem nostram semper armans et Dei servos cœlesti voce corroborans dicit Scriptura divina : *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies* (*Deut.* VI, 13 ; *Matth.* IV, 10). Nonne, iram divinæ indignationis ostendens et pœnæ metum præmonens, denuo dicit : *Adoraverunt eos* [g] *quos fecerunt digiti eorum ; et curvatus est homo et humiliatus est vir, et non laxabo illis* (*Isa.* II, 8). Et iterum Deus loquitur dicens : *Sacrificans diis eradicabitur, nisi Domino soli* (*Exod.* XXII, 19). In Evangelio quoque postmodum Dominus, in verbis doctor et consummator [h] in factis, docens quid fieret, et faciens quodcumque docuisset, quicquid nunc geritur et geretur nonne ante præmonuit ? Nonne et negantibus [i] æterna supplicia et salutaria confitentibus præmia ante constituit ?

VIII. Exciderunt quibusdam, proh nefas ! omnia et de memoria recesserunt. Non expectaverunt saltem ut ascenderent apprehensi, ut interrogati negarent [j]. Ante aciem multi victi, sine congressione prostrati ; nec hoc sibi reliquerunt, ut sacrificare idolis viderentur inviti. Ultro ad forum currere, ad mortem sponte properare, quasi hoc olim cuperent, quasi amplecterentur occasionem datam quam semper optassent. Quot illic [k] a magistratibus vespera urgente dilati sunt ? quot, ne eorum differretur interitus, etiam rogaverunt ? Quam vim potest talis obtendere, qua crimen suum purget, cum vim magis ipse fecerit ut periret ? Nonne, quando ad Capitolium sponte ventum est, quando ultro ad obsequium diri facinoris accessum est, labavit [l] gressus, caligavit aspectus, tremuerunt viscera, brachia conciderunt ? nonne sensus.

LECTIONES VARIANTES.

[a] Scriptura *Voss.* 1, 2.
[b] Filii *add. Voss.* 1.
[c] Iniquitates eorum et in flagellis delicta eorum ; misericordiam autem ab eo non dispergam ab eis. *Voss.* 3.
[d] Correptionem *Ar. Lam. Voss.* 1.
[e] Patienter subiremus *Voss.* 3. *Lin.*
[f] Ignotis *Voss.* 1.
[g] Adoraverint deos *Voss.* 3. *p.*
[h] Doctor, consummatur in factis *Thu. Foss.*
[i] Futura sua *Bod.* 4.
[j] Expectaverunt saltem ut interrogati rogarent, ut thus accenderent *Voss.* 3. *Impr.*
[k] Quod illic *Voss.* 4. quid illi *Oxon.*
[l] Lapsus est *Boss.* 1.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

aurum. Sed, quod jugulum petit, sanctus Augustinus hunc eumdem locum referens in Epistola *ad Macrobium*, lib. III, *adversus Cresconium*, cap. 36, et lib. IV *de Baptismo contra Donatistas*, cap. 9, non habet hoc additamentum. Deest etiam apud Venericum episcopum Vercellensem in libro *de Unitate Ecclesiæ* et apud Thomam Valdensem in Doctrina X *de Sacramentalibus*. Hieronymus in Epistola ad Nepotianum de Vita clericorum : *Gloria episcopi est pauperum inopiæ providere. Ignominia omnium sacerdotum est propriis studere divitiis.* Vide Prosperum sive Julianum Pomerium lib. III *de Vita contemplativa* [336], cap. 24.

Fundos rapere. Citat hunc locum sanctus Augustinus lib. IV *de Baptismo contra Donatistas*, cap. 10, et in Epistola *ad Macrobium*. Julianus Pomerius lib. I *de Vita contemplativa*, cap. 13, loquens de episcopis : *Fundorum terminos sine termino cupiditatis extendunt, et se passim exquisitis deliciis dedunt quæ animum corpusque debilitant.* De Potamio Olyssiponæ episcopo ita legitur in libello precum Marcellini et Faustini : *Sed et Potamio non fuit inulta sacræ fidei prævaricatio. Denique cum ad fundum properat quem pro impia fidei subscriptione ab Imperatore meruerat impetrare, dans novas pœnas linguæ per quam blasphemaverat, in via moritur, nullos fructus fundi vel visione percipiens.* Hieronymus in Epistola ad Nepotianum de Vita clericorum : *Turpe est ante fores sacerdotis Christi crucifixi et pauperis, et qui cibo quoque vescebatur alieno, lictores consulum et milites excubare, judicemque provinciæ melius apud te prandere quam in palatio.* Cui loco recte adjungi possunt ea quæ Ammianus Marcellinus lib. XXVII, dicit de conviviis episcoporum Romanorum sui temporis, quos ait epulas curasse profusas, adeo ut eorum convivia regales superarent mensas. Vide supra pag. 444.

Justificationes. Novem libri nostri et sex Anglicani et editio Morelliana præferunt *justitias*.

VIII. — *Ascenderent apprehensi.* Hæc est lectio editionis Anglicanæ, quam confirmant vetera exemplaria, quam vero Rigaltius in observationibus suis ait esse verissimam. Cæterum Manutius et Morellius non fuere primi qui eam induxerunt, ut putasse videtur Rigaltius. Habetur enim in antiquis editionibus. Vide quæ notamus ad Epistolam VI, pag. 392.

Ad forum. Et hinc in Capitolium. Nam supra pag. 407, adnotatum est forum fuisse juxta Capitolium.

Negarent. Post hæc Manutius et Pamelius addunt *ut thus accenderent*. Sed hanc lectionem merito reprobat Rigaltius, quamvis eam retinuerit. Quippe nuspiam reperitur in antiquis exemplaribus, nisi quod Angli unum citant ex bibliotheca Vaticana.

Quam semper. Sexdecim libri veteres et editio Morellii habent *libenter*.

Quot ne eorum. Codex Seguierianus, *quod ut*

Digitized by Google

[184] obstupuit, lingua hæsit, sermo defecit? Stare illic [a] potuit Dei servus, et loqui et renuntiare Christo, qui jam diabolo renuntiaverat et sæculo? Nonne ara illa quo moriturus accessit rogus illi fuit? nonne diaboli altare, quod fœtore tetro fumare ac redolere conspexerat, velut funus et bustum vitæ suæ horrere ac fugere debebat [b]? Quid hostiam tecum, miser, quid victimam immolaturus imponis? ipse ad aram hostia, victima ipse venisti; immolasti illic salutem tuam, spem tuam, fidem tuam funestis illis ignibus concremasti.

IX. Ac multis proprius interitus satis non fuit. Hortamentis mutuis in exitium [c] populus impulsus est, mors invicem lethali poculo propinata est; ac, ne quid deesset ad criminis cumulum, infantes quoque, parentum manibus vel impositi vel attracti, amiserunt parvuli quod in primo statim nativitatis exordio fuerant consecuti. Nonne illi cum judicii dies venerit dicent: Nos nihil mali [d] fecimus, nec, derelicto cibo et poculo Domini, ad profana contagia sponte properavimus. Perdidit nos aliena perfidia, parentes sensimus parricidas. Illi nobis Ecclesiam matrem, illi patrem Deum negaverunt; ut, dum, parvi et improvidi et tanti facinoris ignari, per alios ad consortium criminum jungimur, aliena fraude caperemur.

X. Nec est, proh dolor! justa aliqua et gravis causa quæ tantum facinus excuset. Relinquenda erat patria et patrimonii facienda jactura. Cui enim nascenti atque morienti non relinquenda quandoque patria et patrimonii sui facienda jactura est? [e] Christus non relinquatur, salutis ac sedis æternæ jactura timeatur. Clamat ecce per prophetam Spiritus sanctus: *Discedite, discedite, exite inde, et immundum nolite tangere. Exite de medio ejus, separamini* [f], *qui fertis vasa Domini* (*Isa.* LII, 11). Et qui vasa sunt Domini ac templum Dei, ne immundum tangere et feralibus cibis pollui violarique cogantur, non exeunt de medio nec recedunt! Alibi quoque vox auditur e cœlo, prænonens quid Dei servos facere conveniat dicens: *Exi de ea, populus meus, ne particeps sis delictorum ejus et ne perstringaris plagis ejus* (*Apoc.* XVIII, 4), Qui exit et cedit [g], delicti particeps non fit; plagis vero et ipse perstringitur qui socius criminis invenitur. Et ideo Dominus in persecutione secedere et fugere mandavit, atque, ut id fieret, et docuit et fecit. Nam, cum corona de Dei dignatione descendat, nec possit accipi nisi fuerit hora sumendi, quisquis in Christo manens interim cedit, non fidem negat, sed tempus [h] expectat: qui autem cum non secederet cecidit, negaturus remansit.

XI. Dissimulanda, fratres dilectissimi, veritas non est, nec vulneris nostri materia et causa reticenda. Decepit multos patrimonii sui amor cæcus, nec ad recedendum parati aut expediti esse potuerunt quos facultates suæ velut compedes ligaverunt. Illa fuerunt remanentibus vincula, illæ catenæ quibus et virtus retardata est, et fides pressa, et mens vincta [i], et anima præclusa, ut serpenti terram, secundum Dei sententiam, devoranti præda et cibus fierent qui terrestribus inhærerent. Et idcirco Dominus, bonorum magister et prænonens in futurum [j]: *Si vis*, inquit, *perfectus esse, vade, vende omnia tua, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlis; et veni, sequere me.* (*Matth.*, XIX, 21). Si hoc divites facerent, per divitias suas [k] non perirent; thesaurum in cœlo reponentes, hostem nunc et expugnatorem [l] domesticum non haberent. Esset in cœlo cor et animus et sensus, si thesaurus esset in cœlo: nec vinci a sæculo posset qui unde vinceretur [m], in sæculo non haberet. Sequeretur Dominum solutus et liber [n], ut Apostoli et sub Apostolis multi et nonnulli sæpe fecerunt, [185] qui, et rebus suis et parentibus

LECTIONES VARIANTES.

[a] Illic quomodo *Voss.* 2. Illic num *Bod.* 2.
[b] Debuerat *Voss.* 1.
[c] Exitum suum *Oxon.*
[d] *Nescio cur Baluz. hic interponat* mali *Goldh.*
[e] Jactura est? Ut Christus *Oxon.*
[f] Nundamini *Man.* Qui portatis *Lin. Bod.*
[g] Et secedit *Pem. Lin. Voss.* 3.
[h] Horam *Voss.* 3.
[i] Fides prodita et mens victa *Voss.* 1.
[j] *Sic* XI *Mss.* Et prænonens et consulens *Oxon.*
[k] Non suas *Lam. Thu. Foss. Voss.*
[l] Hostem nunc expugnatorem *Oxon.*
[m] Vinciretur *Emendat Gronov. Obs. mon. p.* 40.
[n] Securus et liber *Bod.*, 4.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

interrogati negarent, ne eorum differretur interitus et rogaverunt.

Brachia conciderunt. Codex Seguierianus, *membra conciderunt.*

Immolaturus. Quidam libri veteres et veteres editiones habent *immolaturus vel supplicaturus.* Itaque quidam librarius antiquus scripsit *immolaturus.* Alius supra lineam, ut tum solebat, scripsit *vel supplicaturus.* Ex his duabus lectionibus ii qui postea secuti sunt eam elegerunt quæ illis magis placebat. Ego præfero eam quæ habet *immolaturus*, quam non dubito fuisse primam. Nam et mox sequitur: *Immolasti hic salutem tuam.* Aliam lectionem adjuvare possunt hæc verba Tertulliani ex libro *de Jejuniis*: *Saccis voluti et cinere conspersi idolis suis invidiam supplicem objiciunt.*

IX. — *Infantes quoque.* Citat hunc locum sanctus Augustinus in Epistola *ad Bonifacium episcopum.* Optatus lib. III: *Omnibus locis templum erat aut scelus. Inquinabantur prope morientes senes, ignorans polluebatur infantia, manibus parvi pueri portabantur ad nefas, parentes incruenta parricidia facere cogebantur.*

Amiserunt parvuli. Hunc quoque locum refert sanctus Augustinus in Epistola *ad Bonifacium episcopum*, ut Cypriani testimonio probet parvulis apud Deum non officere parentum perfidiam.

Aliena fraude caperemur. Ita sex libri veteres et sanctus Augustinus. Plerique tamen libri habent *morerentur*, quinque *aliena morte morerentur.*

XI. — *Illæ catenæ.* Sanctus Augustinus Tractatu X in Evangelium Joannis: *Erit tibi avaritia catena pedum.*

Qui terrestribus. Pamelius adjecit *cupiditatibus*, parum firmis testimoniis. Idem paulo post simili auctoritate addidit *et consulens* post vocem *prænonens.* Sed ista non extant in antiquis codicibus neque in antiquis editionibus. Angli tamen ea retinuerunt, quamvis his carerent eorum libri. Vox *cupiditatis* addita haud dubie est a quodam studioso qui infra legebat, *qui terrenis cupiditatibus prægravantur.*

Digitized by Google

derelictis, individuis Christo nexibus adhæserunt. A

XII. Sequi autem Christum quomodo possunt qui patrimonii vinculo detinentur ? Aut quomodo cœlum petunt, et ad sublimia et alta conscendunt qui, terrénis cupiditatibus degravantur ? Possidere se credunt qui potius possidentur, census sui servi, nec ad pecuniam suam domini, sed magis pecuniæ mancipati. Hoc tempus, hos homines Apostolus denotat dicens : *Qui autem volunt divites fieri, incidunt in tentationem et muscipulam* [a] *et desideria multa inutilia et nocentia* [b], *quæ mergunt hominem in perditionem et in interitum. Radix enim omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes erraverunt a fide et inseruerunt se doloribus multis* (I *Tim.*, VI, 9). Dominus autem quibus nos præmiis ad contemptum rei familiaris invitat ? Parva hæc et exigua hujus temporis damna quibus mercedibus pensat ? *Nemo est*, inquit, *qui relinquat domum aut agrum, aut parentes aut fratres, aut uxorem aut filios, propter regnum Dei, et non recipiat septies tantum in isto tempore, in sæculo autem venturo vitam æternam* (*Marc.* X, 29). Quibus cognitis et de Domini pollicentis veritate compertis, non tantum timenda non est ejusmodi sed et optanda jactura, ipso denuo Domino [c] prædicante et monente : *Beati eritis cum persecuti vos fuerint* [d], *et separaverint vos et expulerint, et maledixerint nomini vestro ut nequam propter Filium hominis. Gaudete in illa die et exultate ; ecce enim merces vestra multa est in cœlis* (*Luc.* VI, 22).

XIII. Sed tormenta postmodum venerant, et cruciatus graves reluctantibus imminebant. Queri de tormentis potest qui per tormenta superatus est ? Potest excusationem doloris obtendere qui victus est in dolore ? Potest rogare talis et dicere : « Certare quidem fortiter volui, et, sacramenti mei memor, devotionis ac fidei arma suscepi ; sed me in congressione pugnantem cruciamenta varia et supplicia longa vicerunt. Stetit mens stabilis et fides fortis, et cum torquentibus pœnis immobilis diu anima luctata est : sed, cum, durissimi judicis recrudescente sævitia, jam fatigatum nunc flagella [e] scinderent, nunc contunderent fustes, nunc equuleus extenderet, nunc ungula effoderet, nunc flamma torreret, caro me in colluctatione deseruit, infirmitas viscerum cessit, nec animus sed corpus in dolore defecit. » Potest cito [f] proficere ad veniam causa talis. Potest ejusmodi excusatio esse miserabilis. Sic hic [g] Casto et Æmilio aliquando Dominus ignovit ; sic, in prima congressione devictos, victores in secundo prælio reddidit, ut fortiores ignibus fierent qui ignibus ante cessissent, et unde superati essent, inde superarent. Deprecabantur illi non lacrymarum miseratione sed vulnerum, nec sola lamentabili voce, sed laceratione corporis et dolore. Manabat pro fletibus sanguis, et pro lacrymis cruor semiustulatis visceribus defluebat. B

XIV. Nunc vero quæ vulnera ostendere victi pos-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Muscipulam diaboli *Voss.* 3.
[b] Multa et nocentia *Oxon ex MSS.*
[c] Et Deo *Voss.* 1. 3.
[d] Fuerint homines *Ar. Bod.* 2, 3.

C

[e] Flagella adhuc *Bod.* 1, 3, 4.
[f] Cito *deest in Voss.*
[g] Sic sic *Lam. Voss.* 1. *Foss. Spir. Imp. nup.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

XII. — *Possidere se credunt.* Vide supra pag. 384.

Nec ad pecuniam. Quinque libri veteres habent *nec pecuniæ suæ.* Alii duo, *nec ad pecuniam domini, sed ipsi potius pecuniæ* [537].

Erraverunt. Revocavimus necessario hanc lectionem, quam Manutius eliminaverat ponens *naufragaverunt.* Quamquam illius mutationis primus auctor non est Manutius, cum ea lectio jam extaret in margine editionis quæ dicitur esse Gravil. Ea quam nos reposuimus extat in antiquis editionibus et in decem et novem vetustis exemplaribus. Manutianam non inveni nisi in quinque. Pamelius, quamvis eam retinuerit in contextu, magis aliam probat in observationibus suis. In uno vero libro ex more veterum librariorum scriptum est *naufragaverunt et erraverunt.* Et tamen Cyprianus in libro *de oratione dominica*, pag. 210 ; *in libro de Opere et Eleemosynis*, pag. 240 ; et lib. III *Testimoniorum* cap. 61, habet *naufragaverunt à fide.*

Septies. Quatuor libri veteres et editio Manutiana habent *centies*

XIII. — *Venerant.* Ita veteres editiones et XXVII libri veteres, in quibus pono Veronensem et Seguierianum, nisi quod eorum tres habent *venerunt.* Erasmus scripsit *ventura erant.*

In dolore. Codex Lamonii *per dolorem.* Quod fortasse melius est. Vide Epistolam in Basilii *ad Amphilochium*, ubi tractat de iis qui non ferentes dolores ad negationem Christi tracti sunt.

Reluctantibus. Quatuor libri veteres præferunt *in luctationibus*, alius *in luctaminibus.*

Congressione. Codex Fuxensis *colluctatione.*

Fatigatum. Morellius et Pamelius addunt *jam lassum corpus.* Sed ego delevi, quia non reperi in ullo veteri libro quam in Beccensi. Sed tamen in variis lectionibus positis ab erudito quodam in marginibus editionis Lugdunensis anni 1544, adnotatum vidi contra hunc locum *jam lassum.* Cæsar lib. I de bello Gallico dixit *verberibus exanimatum corpus.*

In dolore defecit. Hieronymus in caput I Epistolæ Pauli apostoli ad Galatas : *In martyrio non eadem pœna plectitur qui absque colluctatione et tormentis statim prosilivit ad negandum et ille qui inter equuleos, fidiculas, ignesque distortus compulsus est quod credebat negare.* Et in caput VI : *Si quis pro Christi nominis confessione cruciatus alium in tormentis viderit denegasse, compatiatur vulneribus negatoris, et non tam illum victum quam se victisse mœretur.*

D

Casto et Æmilio. Kalendarium vetus ecclesiæ Carthaginensis editum a Mabillonio : XI *Kal. Junias sanctorum Casti et Æmilii.* In martyrologiis Bedæ et aliorum legitur eadem die : *In Africa Casti et Æmilii, qui per ignem passionis martyrium consummaverunt. Scribit Cyprianus in libro de Lapsis.* Extat inter Sermones sancti Augustini Sermo *in natali plurimorum martyrum* incipiens : *Sanctorum martyrum*, quem nuperi editores operum sancti Augustini collegerunt ex indiculo Possidii dictum esse in natali sanctorum Casti et Æmilii.

Victores in secundo. Sic sanctus Joannes Chrysostomus, in initio secundæ Parænesis *ad Theodorum lapsum* ait multos qui vi tormentorum fracti Christum negaverant, redintegrato certamine martyrii coronam reportasse.

Semiustulatis. Codex Lamonii *seminusti lateris.*

XIV. — *Quas plagas.* Codex Seguierianus, *quam vim, quas plagas.*

Digitized by Google

sunt, quas plagas hiantium viscerum, quæ tormenta membrorum, ubi non fides congressa cecidit, sed congressionem perfidia prævenit? Nec excusat oppressum necessitas criminis ubi crimen est voluntatis. Nec hoc ideo dico ut fratrum causas onerem, sed ut magis fratres ad precem satisfactionis instigem : nam, cum scriptum sit, *Qui vos felices dicunt, in errorem vos mittunt, et semitas pedum vestrorum turbant* (*Isa.* III, 12), qui peccantem blandimentis [a] adulantibus palpat, peccandi fomitem subministrat; nec comprimit delicta ille, sed nutrit. At qui consiliis fortioribus redarguit simul atque instruit fratrem, promovet ad salutem. *Quos diligo*, inquit Dominus, *redarguo et castigo* (*Apoc.* III, 19). Sic oportet et [186] Dei sacerdotem non obsequiis decipientibus fallere, sed remediis salutaribus providere. Imperitus est medicus qui tumentes vulnerum sinus manu parcente contrectat, et in altis recessibus viscerum virus inclusum dum servat exaggerat. Aperiendum vulnus est et secandum, et, putraminibus amputatis, medela fortiore curandum. Vociferetur et clamet licet et conqueratur æger impatiens A per dolorem, gratias aget postmodum cum senserit sanitatem.

XV. Emersit enim, fratres dilectissimi, novum [b] genus cladis; et, quasi parum persecutionis procella sævierit, accessit ad cumulum sub misericordiæ titulo malum fallens et blanda pernicies. Contra Evangelii vigorem, contra Domini [c] ac Dei legem temeritate quorumdam laxatur incautis communicatio, irrita et falsa pax, periculosa [d] dantibus et nihil accipientibus profutura. Non quærunt sanitatis patientiam, nec veram de satisfactione medicinam. Pœnitentia de pectoribus excussa est, gravissimi extremique delicti memoria sublata est. Operiuntur morientium vulnera, et plaga lethalis altis et profundis visceribus infixa, dissimulato dolore, contegitur. A diaboli aris revertentes, ad sanctum Domini sordidis et infectis nidore B manibus accedunt. Mortiferos idolorum cibos adhuc pene ructantes, exhalantibus etiam nunc scelus suum faucibus et contagia funesta redolentibus, Domini corpus invadunt, quando occurrat Scriptura divina, et clamet et dicat : *Omnis mundus manducabit carnem*,

LECTIONES VARIANTES.

[a] Verbis *Voss.* 3.
[b] In nos novum *Voss.* 3.
[c] Contra Deum et Dei *Voss.* 3.
[d] Perniciosa *Ebor.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

Imperitus est medicus. Tertullianus, in libro de pœnitentia : *Miserum est secari et cauterio exuri et pulveris alicujus mordacitate cruciari. Tamen quæ per insuavitatem medentur, ea ei emolumento curationis offensam sui excusant et præsentem injuriam superventuræ utilitatis gratia commendant.* Idem in Scorpiace : *Et est plane quasi sævitia medicinæ de scapello deque cauterio, C de sinapis incendio; non tamen secari et inuri et exedi idcirco malum, quia dolores utiles affert.* Et infra : *Ululans denique ille et gemens et mugiens inter manus medici postmodum eadem mercede cumulabit, et artifices optimos prædicabit et sævos jam negabit.* Lucifer Calaritanus in libro de Moriendo pro Dei Filio : *Quid enim licet ferro medicus secet, cauterio urat, sinapis incendio ad omnem dolorem ægrum deducat, tamen nec secari, exuri, exedi, morderique esset inimicum, quippe quod idcirco bonum sit quia dolores inutiles auferat per adhibitos salutis causa dolores.* Cassianus Collat. VI, cap. 6. *Etenim sectio vel ustio salutaris quæ illis qui ulcerum contagione putrefacti sunt pie infertur a medico mala a tolerantibus creditur.* Pacianus in Parænesi ad Pœnitentiam : *Prudentes ægri medicos non verentur ne in occultis quidem corporum partibus etiam [538] secaturos, etiam perusturos. Meminimus quosdam remota etiam et verecunda membrorum non erubescentes in ferro et cauterio et gravissima illa pulveris mordacita e durasse.* Istud Fulgentius Placiades lib. I. Mythol. vocat chirurgicæ lanienam. Hieronymus in Epistola ad Marcellam de Onaso : *Medici quos vocant chirurgicos crudeles putantur et miseri sunt. Annon est miseria alienis non dolere vulneribus et mortuas carnes inclementi secare ferro?* Idem in Epistola ad Amandum presbyterum : *Putridæ carnes ferro indigent et cauterio; nec est medicinæ culpa, sed vulneris, cum crudelitate clementi non parcit medicus ut parcat, sævit ut misereatur.* Idem in Epistola ad Matrem et Filiam : *Putridæ carnes ferro curantur et cauterio.* Siricius Papa in Epistola ad Himerium : *Ferro necesse est excindantur vulnera quæ fomentorum non senserint medicinam.* Ennodius in Vita Epiphanii : *Numquam a medico ad plenissima curationum æger adductus est ab illo qui primum putrita ferro membra desecuit et latentem penitus a sinu viscerum produxit illuviem.* Xenophon in libro V de Pædia Cyri ait medicos eos qui gravius laborant urere et secare, ut eos curent. Prudentius in Carmine *de Romano* martyre :

> Putate ferrum triste chirurgos meis
> Inferre costis quod secat salubriter.
> Non est amarum quo reformatur salus.

Ovidius lib. I, Metamorphoseon :

> Cuncta prius tentanda, sed immedicabile vulnus
> Ense recidendum est, ne pars sincera trahatur.

Idem lib. I, de Remedio amoris :

> Ut corpus redimas ferrum patiaris et ignes.

Vociferetur. Tertullianus lib. II adversus Marcionem : *Quid enim si medicum dicas esse debere, ferramenta vero ejus accuses quod secent et inurant et amputent et constrictent, quando sine instrumento artis medicus esse non possit?* Hieronymi nomine Epistola scripta ad Amicum ægrotum : *Manus medici multa cædendo conferunt sanitatem non sine murmure patientis.*

Æger impatiens. Supra Epist. XXVI pag. 37 : *Non est nisi patientia morbis necessaria.*

Cum senserit sanitatem. Julius Firmicus in libro de Errore profanarum religionum : *Sic homo recepta sanitate et salute sibi reddita quicquid ægrotantis corporis vitio invitus passus est, hoc totum pro utilitate sua factum esse stantis animi judicio confitetur.* Innocentius Papa III, lib. XI, Epist. 211 : *Ideoque si morbum tuum, quod absit, invenerimus induratum, violentiori nos coges insistere medicinæ, juxta quod necessaria cura deposcet; cujus asperitatem etsi forsan in præsenti refugias, sanitate tamen recepta, ipsius collaudabis effectum, ac peritum quoque medicum benedices.* Seneca lib. V de Beneficiis, cap. 20 : *Non est spectandum an doleat aliquis beneficio accepto, sed an dolere debeat.*

XV. — *Irrita et falsa pax.* Cicero, lib, X Epistolarum ad Atticum, Epist. 1 : *De pace idem sentio quod tu, simulationem esse apertam, parari autem bellum acerrimum.* Vide supra pag. 457.

Sanitatis patientiam. Liber Flori *pœnitentiam.* Et mox pro *medicina* codex Lamonianus habet *pœnitentiam.*

Excussa. Ita duodecim libri veteres. Alii undecim et veteres editiones *exclusa.* Utraque lectio bona est. Codex Fossatensis : *Pœnitentia de peccatoribus exclusa*

Digitized by Google

et anima quæcunque manducaverit ex carne sacrificii salutaris quod est Domini, et immunditia ipsius super ipsum est, peribit anima illa de populo suo (*Levit.* VII, 20). Apostolus item testetur et dicat [a] : *Non potestis calicem Domini bibere et calicem dæmoniorum, non potestis mensæ Domini communicare et mensæ dæmoniorum* (I *Cor.* X, 21). Idem contumacibus et pervicacibus comminatur et denuntiat dicens : *Quicumque ederit panem aut biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini* (I *Cor.* XI, 27).

XVI. Spretis his omnibus atque contemptis, ante expiata delicta, ante exomologesin factam criminis, ante purgatam conscientiam sacrificio et manu sacerdotis, ante offensam placatam indignantis Domini et minantis, vis infertur corpori ejus et sanguini, et plus modo in Dominum manibus atque ore delinquunt, quam cum Dominum negaverunt [b]. Pacem putant esse quam quidam verbis fallacibus venditant. Non est pax illa, sed bellum; nec Ecclesiæ jungitur qui ab Evangelio separatur. Quid injuriam beneficium vocant? quid impietatem vocabulo pietatis appellant? Quid eis qui fiere jugiter et rogare Dominum suum debent, intercepta pœnitentiæ lamentatione, communicare se simulant? Hoc sunt [c] ejusmodi lapsis quod grando frugibus, quod turbidum sidus arboribus, quod armentis pestilens vastitas, quod navigiis sæva tempestas. Solatium æternæ spei [d] adimunt, arborem a radice subvertunt, sermone morbido ad lethale contagium serpunt, navem scopulis, ne in portum perveniat, illidunt. Non concedit pacem facilitas ista sed tollit, nec communicationem tribuit, sed impedit ad salutem. Persecutio est hæc alia et alia tentatio, per quam subtilis inimicus impugnandis adhuc lapsis [e] occulta populatione grassatur, ut lamentatio conquiescat, ut dolor sileat, ut delicti memoria evanescat, ut comprimatur pectorum [f] gemitus, statuatur fletus oculorum, nec Dominum, graviter offensum, longa et plena pœnitentia deprecetur, cum scriptum sit : *Memento unde ceciderit, et age pœnitentiam* (*Apoc.* II, 5).

XVII. Nemo se fallat, nemo se decipiat. Solus Dominus misereri potest. [187] Veniam peccatis quæ in ipsum commissa sunt, solus potest ille largiri qui peccata nostra portavit, qui pro nobis doluit, quem Deus tradidit pro peccatis nostris. Homo Deo esse non potest major; nec remittere aut donare indulgentia sua servus potest, quod in Dominum delicto graviore commissum est, ne adhuc lapso et hoc accedat ad crimen si nesciat esse prædictum : *Maledictus homo qui spem habet* [g] *in homine* (*Hier.* XVII, 5). Dominus orandus est, Dominus nostra satisfactione placandus est, qui negantem negare se dixit, qui omne judicium de Patre solus accepit. Credimus quidem posse apud judicem plurimum martyrum merita et opera justorum, sed cum judicii dies venerit, cum, post occasum sæculi hujus et mundi, ante tribunal Christi populus ejus adstiterit.

XVIII. Cæterum, si quis, præpropera festinatione temerarius remissionem peccatorum dare, se cunctis putat posse [h], aut audet Domini præcepta rescindere, non tantum nihil prodest sed et obest lapsis. Provocasse est iram, non servasse sententiam, nec misericordiam prius Dei deprecandam putare, sed contempto Domino de sua facultate præsumere. Sub ara Dei animæ occisorum martyrum clamant magna voce

LECTIONES VARIANTES.

[a] Comminetur et denuntiet *Bod.* 1, 2, 3, 4.
[b] *Verba* ante offensam... negaverunt *inter* contemptis *et ante* expiata *Ver. Impr. præter Baluz. interponunt. Oxon. nullam ad h. l. varietatem lectionum affert.*
[c] Hæc sunt *Ar. Bod.* 1, 2, 3.
[d] Solatium spei *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Voss.* 1. adimunt radice
[e] Impugnandis hominibus *Voss.* 2, 4. *Pem.*
[f] Peccatorum *Lin. Voss.* 1.
[g] Confidit *Ar. Bod.*, 2. *Ben.*
[h] Dare se cunctis posse *Imp.* Dare se posse *Bod.* 2.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

est vel excussa. Utramque lectionem protulit librarius, ut lector intelligeret liberum sibi esse eam præferre quæ sibi magis arrideret, ut sæpe accidit in libris veteribus.

Immunditia ipsius. Ita etiam lib. III. *Testimoniorum*, cap. 94. At Cassianus lib. VI, cap. 8 Collat. XII, cap. 2, et Collat. XXII, cap. 5, legit, *in quo est immunditia, peribit coram Domino.*

XVI. — *Spretis his omnibus.* Restituimus hunc locum uti reperitur in antiquis exemplaribus, in editione Morelliana, et in ea quæ dicitur Gravii. In quo secuti sumus consilium Rigaltii; qui quamvis retinuerit in contextu veterem lectionem, pronuntiat in observationibus suis illam quam nos revocavimus esse verissimam.

Ante exomologesim factam. Nimirum apud sacerdotes Dei, ut ait infra Cyprianus in hoc libro, pag. 190. Rufinus in Psal. XXXI : *Licet autem Deus dimittat peccata ex quo homo in voluntate pœnitet, tamen confitendum est ministris Ecclesiæ* Vide Socratem lib. V, cap. 19, cum annotationibus Henrici Valesii. Vide etiam infra in notis ad paginam 209, *peccare nec satisfacere.* [189]

Verbis fallacibus. Codex Seguierianus *fallentibus.*

Arborem. Hæc vox deest in sexdecim codicibus antiquis et in antiquioribus editionibus. Deerat etiam in alio veteri, sed addita est postea supra lineam. Epistola nomine Hieronymi scripta ad Amicum ægrotum : *Non enim est arbor solida nec robusta nisi quæ assidui turbinis incursione stipitibus concussis huc atque illuc inclinata tentatur, in quam sæpe ventorum turbinum flamen incurrat. Ipsis enim vexationibus constringitur, premitur, fixisque radicibus citius roboratur.*

XVII.—*Solus Dominus misereri potest.* Tertullianus in libro de Baptismo : *Sed neque peccatum dimittit neque spiritum indulget nisi solus Deus.* Item in libro de pudicitia : *Quis enim dimittit delicta nisi solus Deus?* Sanctus Joannes Chrysostomus Homilia IV in caput I Matthæi, ait neminem posse peccata dimittere nisi solummodo Divinam Naturam. Guido de Perpiniano scribens adversus Errores Armenorum ait : *Dicunt etiam quod homo non remittere potest peccata nisi solus Deus.* Ruricius, lib. II, Epist. 41 : *Præstabit, ut credimus, misericordia ipsius ut qui pœnitendi vobis animum inspirare dignatus est, qui solus potest et sanare corrupta et reparare collapsa et delere commissa.* Vide Maldonati Tractatum *de Sacramentis*, pag. 255, secundæ editionis.

Plurimum martyrum. Veteres editiones et octo libri veteres habent *plurimum valere martyrum.* Sed vox *valere* non extat in aliis antiquis.

XVIII.—*Facultate.* Veteres editiones et novem libri

Digitized by Google

dicentes : *Quousque, Domine, sanctus et verus, non judicas et vindicas sanguinem nostrum de his qui in terris inhabitant* (*Apoc.* VI, 10) ? Et requiescere ac patientiam tenere adhuc jubentur. Et quemquam posse aliquis existimat remittendis passim donandisque peccatis bonum fieri contra judicem velle, aut prius quam vindicetur ipse alios posse defendere? Mandant martyres aliquid fieri; sed si justa, si licita, si non contra ipsum Dominum a Dei sacerdote [a] facienda, si obtemperantis facilis et prona consensio, si petentis fuerit religiosa moderatio. Mandant aliquid martyres fieri [b] ; sed, si scripta non sint in Domini lege quæ mandant, ante est ut sciamus illos de Deo impetrasse quod postulant, tunc facere quod mandant. Neque enim statim videri potest de divina majestate concessum, quod fuerit humana pollicitatione promissum.

XIX. Nam et Moyses pro peccatis populi petiit, nec tamen peccantibus veniam cum petisset accepit : *Precor*, ait, *Domine, deliquit populus hic delictum grande, et fecerunt sibi deos aureos ; et nunc, si dimittis eis, delictum dimitte ; sin autem, dele me de libro quem scripsisti* [c]. *Et dixit Dominus ad Moysen : Si quis deliquerit* [d] *ante me, deleam eum de libro meo* (*Exod.* XXXII, 31). Ille amicus Dei, ille facie ad faciem locutus sæpe cum Domino, quod petiit impetrare non potuit, nec Dei indignantis offensam sua deprecatione placavit. Hieremiam Deus laudat et prædicat dicens : *Prius quam te formarem in utero novi te, et prius quam exires de vulva sanctificavi te, et prophetam in gentibus posui te* (*Hier.* I, 5). Et eidem pro peccatis populi deprecanti frequentius et oranti, A *Noli*, ait [e], *orare pro populo hoc, et noli postulare pro eis in prece et oratione, quia non exaudiam in tempore in quo invocabunt me, in tempore afflictionis suæ* (*Hier.* XI, 14). Quid vero justius Noe, qui cum repleta esset terra peccatis, solus inventus est justus in terris ? Quid gloriosius Daniele ? quid illo ad facienda martyria in fidei firmitate robustius, in Dei dignatione felicius [f], qui toties et cum confligeret vicit, et cum vinceret supervixit ? Quid Job in operibus promptius, in tentationibus fortius, in dolore patientius, in timore submissius, in fide verius ? Nec his tamen, si rogarent, concessurum se Deus dixit. Cum propheta Ezechiel pro delicto populi deprecaretur, *Terra*, inquit, *quæcumque peccaverit mihi ut delinquat delictum, extendam manum* B *meam super eam, et obteram stabilimentum* [188] *panis et immittam in eam famem, et auferam ab ea hominem et pecora. Etsi fuerint tres viri hi in medio ejus, Noe, Daniel et Job, non liberabunt filios neque filias, ipsi soli salvi erunt* (*Ezech.* XIV, 13). Adeo [g] non omne quod petitur in præjudicio petentis [h] sed in dantis arbitrio est ; nec quicquam sibi usurpat et vindicat humana sententia, nisi annuat et censura divina.

XX. In Evangelio Dominus loquitur dicens : *Qui confessus me fuerit coram hominibus* [i], *et ego confitebor eum coram Patre meo qui in cœlis est. Qui autem me negaverit, et ego negabo eum* (*Luc.* XII, 8). Si negantem non negat, nec confitentem confitetur. Non potest Evangelium in parte consistere et in parte nutare : aut C utrumque oportet valeat, aut utrumque vim veri-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Ad Dei sacerdotem.
[b] Fieri? Si *Oxon.*
[c] Libro tuo *Lam.* Quem scripsi. *Voss.* 1.
[d] Deliquerit *Voss.* 1. *Pem.*
[e] Ait Dominus *Oxon.*
[f] Facilius *Voss.* 2.
[g] A Deo *Voss.* 2.
[h] In preces judicio potentis *Voss.* 1.
[i] Coram hominibus *Bod.* 4.
[j] Confitentem non *NC.* 4. *Lin.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

veteres, etiam Seguierianus, præferunt *facilitate*. Alii quatuor *felicitate*, nimirum, ut opinor, pro *facilitate*.

Bonum. Pamelius posuit *dignum*, nescio qua auctoritate. Ego sane *bonum* vidi scriptum in omnibus antiquis editionibus et in omnibus libris veteribus.

Vindicetur. Falluntur profecto qui putant hanc vocem istic accipiendam esse eo sensu quo accipitur apud Optatum cum loquitur de ossibus cujusdam martyris nondum vindicati. Istic enim vox illa referri per consequentiam necessariam debet ad ea quæ antecedunt, ex quibus liquet existimasse Cyprianum plurimum posse apud judicem merita martyrum et opera justorum, sed cum judicii dies venerit, cum post occasum sæculi hujus et mundi ante tribunal Christi populus ejus adstiterit. Et mox Cyprianus affert locum ex Apocalypsi in quo animæ martyrum occisorum sub ara Dei constitutæ postulant a Deo vindictam de persecutoribus suis. Alia erat causa martyrum nondum occisorum, quos Cyprianus ait non posse remittere neque donare peccata, neque ipsos posse alios defendere antequam ipsi vindicentur, uti postulabant animæ martyrum occisorum. Eodem sensu Epist. LVI, pag. 93, ait Dominum passiones nostras et vulnera vindicaturum. Vide etiam extremam partem libri *de Bono patientiæ*, pag. 255. Tertullianus in libro de Fuga in persecutione : *Potes itaque te martyrem vindicare, scientes esse magnum vin-* D *dicari ab eo*. Lucifer Calaritanus in Apologia I pro sancto Athanasio : *Talis mos est Dei cultoribus ut totum reservent Deo, scientes esse magnum vindicari ab eo*. Vide Rigaltii observationes ad librum Tertulliani *de Oratione*. Julius Capitolinus in Pertinace dixit : *Aliquot etiam mortuos vindicavit*. Quod tamen referri non potest ad mortuos vindicatos in sensu Optati.

Si non contra. Rigaltius istic ait ista sic uno tractu perducenda, *si non contra ipsum Dominum a Dei sacerdote facienda sit obtemperantis facilis et prona consensio*, hancque scripturam putat esse verissimam. Laudat autem codicem Veronensem, in quo scriptum erat *sit* pro *sunt*. Sic etiam in editione Morelliana. At in Seguieriano legitur : *Mandant aliquid martyres fieri, si justa, si licita, si non contra ipsum Dominum a Dei sacerdote facienda. Sit obtemperantis facilis et prona consensio, si petentis fuerit religiosa moderatio.* Ita etiam ferme codex sancti Arnulphi.

XIX.—*Fecerunt sibi deos aureos*. Hæc desunt in antiquis editionibus et in quatuordecim codicibus manuscriptis. Exstant tamen in aliis septem, et in quibusdam additur *et argenteos*, quod deest in Fuxensi et in editione Morellii. In capite IV Epistolæ ad Fortunatum de Exhortatione martyrii legitur : *Fecerunt sibi deos aureos*. In libro vero I Testimoniorum, cap. 1 : *Fecerunt sibi deos aureos et argenteos*. In capite XXXII Exodi, *fecerunt*que *sibi deos aureos*.

Digitized by Google

tatis amittat : si negantes rei criminis non erunt, nec confitentes præmium virtutis accipient. Porro, si fides quæ vicerit coronatur, necesse est ut victa perfidia puniatur. Ita martyres, aut nihil possunt si Evangelium solvi potest, aut si Evangelium non potest solvi [a], contra Evangelium facere non possunt qui de Evangelio martyres fiunt. Nemo, fratres dilectissimi, nemo infamet martyrum dignitatem [b], nemo eorum glorias destruat et coronas. Manet incorruptæ fidei robur incolume; nec dicere aliquid aut facere contra Christum potest, cujus et spes et fides et virtus et gloria omnis in Christo est. Ut ab episcopis contra mandatum Dei fiat auctores esse non possunt qui ipsi Dei mandata fecerunt. An quisquam major Deo aut divina bonitate clementior, qui aut infectum velit quod passus est Deus fieri, aut quasi illi minus potestatis ad protegendam Ecclesiam suam fuerit, auxilio nos suo putet posse servari?

XXI. Nisi si hæc ignaro Deo gesta sunt, aut non permittente [c] illo omnia ista venerunt, cum doceat indociles et admoneat immemores Scriptura divina, quæ loquitur dicens : *Quis dedit in direptionem Jacob et Israel iis qui prædabantur illum? Nonne Deus, cui peccaverunt? Et noluerunt in viis ejus ambulare neque audire legem ejus : et superduxit super eos iram animationis suæ* (*Isa.* XLII, 24). Et alibi testatur ac dicit : *Numquid non valet manus Dei ut salvos faciat, aut gravavit aurem ut non exaudiat? Sed peccata vestra inter vos et Deum separant, et propter delicta vestra avertit faciem a vobis ne misereatur* (*Isa.* CIX, 1). Delicta potius nostra reputemus, actus nostros et [d] animi secreta revolventes, conscientiæ merita ponderemus. Redeat in cor nostrum non ambulasse nos in viis Domini et abjecisse legem Dei, præcepta ejus et monita salutaria numquam servare voluisse.

XXII. Quid de eo boni sentias, quem timorem fuisse apud eum, quam fidem credas quem corrigere nec metus potuit, quem persecutio ipsa non reformavit? Alta et erecta cervix nec quia cecidit inflexa est. Tumens animus et superbus nec quia victus est fractus est. Jacens stantibus et integris vulneratus miratur; et quod non statim Domini corpus inquinatis manibus accipiat, aut ore polluto Domini sanguinem bibat, sacerdotibus sacrilegus irascitur. Atque, o tuam [e] nimiam, furiose, dementiam! Irasceris ei qui abs te avertere iram Dei nititur; ei [f] minaris qui pro te Domini misericordiam deprecatur, qui vulnus tuum sentit quod ipse non sentis, qui pro te lacrymas fundit, quas forsitan ipse non fundis. Oneras adhuc crimen et cumulas; et cum sis ipse implacabilis [g] ad antistites et sacerdotes Dei, putas circa te Dominum posse placari?

XXIII. Accipe potius et admitte quæ loquimur. Quid surdæ aures salutaria præcepta non audiunt quæ monemus? quid cæci oculi pœnitentiæ jter non vident quod ostendimus? quid perculsa [h] et alienata [189] mens remedia vitalia non percipit quæ de Scripturis cœlestibus et discimus et docemus? Aut si incredulis quibusdam minor fides est futurorum, vel præsentibus terreantur. Ecce eorum qui negaverunt quæ supplicia conspicimus, quos eorum tristes exitus flemus? Nec hic esse sine pœna possunt, quamvis necdum dies venerit pœnæ. Plectuntur interim [i] quidam, quo cæteri corrigantur. Exempla sunt omnium tormenta paucorum.

XXIV. Unus ex his qui sponte Capitolium negaturus ascendit, postquam Christum negavit obmutuit. Pœna inde cœpit unde cœpit et crimen; ut nec rogare jam posset qui verba ad precum misericordiam non haberet. Alia in balneis constituta (hoc enim crimini ejus et malis deerat [j], ut et ad balneas statim pergeret quæ lavacri vitalis gratiam perdidisset), illic ab immundo spiritu immunda correpta, laniavit dentibus linguam qua fuerat vel pasta impie vel locuta. Postquam sceleratus cibus sumptus est, in perniciem suam rabies oris armata est. Ipsa sui carnifex exstitit, nec diu superesse postmodum potuit : doloribus ventris et viscerum cruciata, defecit.

XXV. Præsente ac teste me ipso accipite quid evenerit. Parentes forte fugientes, dum trepidi minus consulunt, sub nutricis alimento parvulam filiam re-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Si Evangelium solvi potest, aut si non potest solvi contra *Lin. Lam. NC.* 1, 2. *Pem. Ebor. Voss.* 1. *Eod.* 1, 2, 3, 4.
[b] Nemo hanc gloriam mutilet *Bod.* 3.
[c] Aut permittente *Lin.*
[d] Actus nostri *Bod.* 1, 2, 4.
[e] Ob tuam *Bod.* 1, 2. 3. *Voss.* 2.
[f] Nititur et *Bod.* 1, 2, 3.
[g] Implacabilis irasceris *Oxon.* Ad sacerdotes Dei irasceris, et *Lin. Vos.*
[h] Præclusa *Pem. Voss.* 1, 2. *NC.* 2. *Bod.* 2.
[i] In terra *NC.* 2.
[j] Non deerat *Lam. Ebor. NC.* 1.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

XX.—*Dilectissimi.* Tres libri veteres : *Nemo, fratres dilectissimi, nemo hanc gloriam mutilet neque infamet.*

XXIII.—*Flemus.* Codex Burgundicus addit *et dolemus.* Sic etiam in Vaticano scriptum esse inveni adnotatum in editione Anglicana [sic].

Dies venerit pœnæ. Codex Seguierianus, *judicii dies venerit.*

Corrigantur. Sic Erasmus et alii post eum. Quæ lectio sane bona est. Et tamen antiquæ editiones et tredecim libri nostri itemque tres Anglicani præferunt *dirigantur.*

XXIV. — *Precum.* Istud quoque mutare oportuit propter auctoritatem veterum exemplarium et editionis Spirensis. Erasmus primus posuit *precandum.* Sed ego lectionem illam non reperi nisi in codice Turonensi. Cæterum pro *misericordiam* Fuxensis habet *medelam.*

Correpta laniavit. Erasmus scripsit *correpta cecidit laniavit.* At vocem *cecidit* nullus veterum librorum nostrorum agnoscit, nisi quod duo ex illis habent *concidit.* Non extare etiam in Veronensi et in Beneventano, itemque in Seguieriano, mihi compertum est.

XXV. *Minus.* Pamelius postea vocem *sibi* posuit

Digitized by Google

liquerunt; relictam nutrix detulit ad magistratus. Illi ei, apud idolum quo populus confluebat, quod carnem necdum posset edere per ætatem, panem mero mixtum, quod tamen et ipsum de immolatione pereuntium supererat, tradiderunt. Recepit filiam postmodum mater. Sed facinus puella commissum tam loqui et indicare non potuit, quam nec intelligere prius potuit nec arcere. Ignoratione igitur obreptum est ut sacrificantibus nobis eam secum mater inferret. Sed enim puella mixta cum sanctis, precis nostræ et orationis impatiens, nunc ploratu concuti, nunc mentis æstu cœpit fluctuabunda jactari, et velut tortore cogente, quibus poterat indiciis conscientiam facti in simplicibus adhuc annis rudis anima fatebatur. Ubi vero solemnibus adimpletis calicem diaconus offerre præsentibus cœpit, et accipientibus cæteris locus ejus advenit, faciem suam parvula instinctu divinæ majestatis avertere, os labiis obturantibus premere, calicem recusare. Perstitit tamen diaconus, et reluctanti licet de sacramento calicis infudit. Tunc sequitur singultus et vomitus. In corpore atque ore violato Eucharistia permanere non potuit. Sanctificatus in A Domini sanguine potus de pollutis visceribus erupit. Tanta est potestas Domini, tanta majestas! Secreta tenebrarum sub ejus luce detecta sunt, sacerdotem Dei nec occulta crimina fefellerunt.

XXVI. Hoc circa infantem quæ ad eloquendum alienum circa se crimen necdum habuit ætatem. At vero ea quæ, ætate provecta et in annis adultioribus constituta, sacrificantibus nobis latenter obrepsit, non cibum sed gladium sibi sumens, et velut quædam venena lethalia intra fauces et pectus admittens, angi et anima exæstuante concludi postmodum cœpit. Et pressuram non jam persecutionis sed delicti sui passa, palpitans et tremens concidit. Impunitum diu non fuit nec occultum dissimulatæ conscientiæ crimen. Quæ fefellerat hominem, Deum sensit ultorem. Et B cum quædam arcam suam, in qua Domini sanctum fuit, manibus indignis [a] tentasset aperire, igne inde surgente deterrita est ne auderet attingere. Et quidem alius [b], quia et ipse maculatus sacrificio a sacerdote celebrato partem cum cæteris [c] ausus est latenter accipere, sanctum Domini edere et contrectare non potuit, cinerem ferre se apertis [100] manibus inve-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Inquinatis *Pem. Voss.* 2.
[b] Et cum alius *Bod.* 1.
[c] Cæteris accipientibus *Pem. Voss.* 2.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

ex conjectura Cauchii, fassus eam non reperiri in aliis exemplaribus. Ego sane nuspiam illam inveni in iis quibus usus sum.

Panem mero. Ita omnes libri veteres et editiones. Pithœanus tamen habet *panem mordidit mixtum.*

Arcere. Quatuor libri veteres præferunt *cavere.* In C uno tamen scriptum est *arcere* et supra lineam *vel cavere.*

Rudis anima. Infra, in libro de Bono Patientiæ, pag. 251 : *Ploratu et gemitu rudis anima testatur.* Tertullianus in Apologetico : *Fugientem animam novam expecta, excipe rudem sanguinem.* Hieronymus in Epistola ad Ctesiphontem adversus Pelagianos : *Asseris posse hominem esse sine peccato, si velit, et post gravissimum somnum ad decipiendas rudes animas frustra conaris adjungere non absque Dei gratia.*

Fatebatur. Duo libri veteres *testabatur.*

Calicem diaconus. Vide Beveregium ad canonem II synodi Ancyranæ. Similem ferme historiam de quadam juvencula Araba natione narrat Prosper in libro inscripto *Dimidium temporis*, cap. 6.

Obturantibus. Ita quindecim libri veteres et editiones Manutii et Morellii. Veteres et octo vetera exemplaria habent *obdurantibus.* Quæ discrepantia orta est ex commutatione litterarum.

XXVI.—*Sacrificantibus nobis.* Hanc lectionem exhi- D bent octo codices antiqui et editio Morellii. Sed veteres editiones, etiam Manutiana, et tredecim libri veteres non habent vocem *nobis*, quam ergo arbitror non esse necessariam. Non sum tamen ausus expungere, quia non officit sententiæ sancti martyris. Simile quid habetur in libro Lactantii *de Mortibus Persecutorum*, cap. 10, ubi *quidam ministrorum scientes Dominum, cum adsisterent immolanti, imposuerunt frontibus immortale signum.* Qui locus nullam habet difficultatem. Quippe ministri scientes Dominum non possunt esse alii quam Christiani, præsertim cum statim Lactantius dicat illos imposuisse frontibus suis signum crucis. Et tamen fuit nuper qui existimaret hunc loquendi modum esse ambiguum, dubium enim esse an ministri illi fuerint ministri Diocletiani aut Christiani. Christianos porro fuisse ostendunt etiam ea quæ sequuntur in hoc loco Lactantii, tum etiam alius locus ejus ex libro IV *divinarum institutionum*, cap. 27, ubi de hac ipsa re agens scribit, *quidam ministrorum nostrorum sacrificantibus dominis adsisterent.*

Intra. Non admonerem me mutasse pro eo quod Pamelius posuit *inter*, nisi ita me facere coegisset auctoritas veterum exemplarium. Quippe omnia, si duo tantum excipias, habent *intra.* Ita etiam habet editio Morellii.

Pectus admittens. Pamelius secutus auctoritatem codicis Camberonensis posuit *pectus sanguinem admittens.* Eam lectionem retinuit Rigaltius, Angli expunxerunt. Recte. Non extat enim in libris nostris neque in duobus Petavianis ab Albertino citatis.

Arcam suam. Hospinianus, lib. II, cap. 5, de Templis afferens hunc locum sancti Cypriani multum disputat adversum nos, propterea quod Eucharistiam concludimus in arca sive techa vel armario, et ait nullum de includenda Eucharistia mandatum exstare vel Christi vel Apostolorum. Inutiliter profecto scripta illa sunt ab Hospiniano. Nam nos id facile concedimus. In illa Ecclesiæ novitate, cum illa inter persecutores suos degeret, et in occulto Christiani peragerent divina mysteria, locus non erat tutus et certus in quo concludi posset Eucharistia. Itaque distribuebatur fidelibus a ministris, et unusquisque partem suam deferebat domum ut communionem acciperet. At postea, cum totus orbis factus fuisset christianus, decens et congruens visum est in loco certo et tuto eam reponere [561] ut ea statim distribueretur sumere volentibus, non in occulto, ut in primis ecclesiæ sæculis, sed palam et publice et statim cum quis cuperet.

Domini sanctum. Id est Eucharistia, quam in initiis christianæ religionis unusquisque domum ferebat ut sibi ipse libere communionem corporis Christi impertiretur. Tertullianus in libro II ad Uxorem : *Non sciet maritus quid secreto ante omnem cibum gustes.* Vide quæ notamus ad librum de Bono patientiæ.

Manibus indignis. Codex Veronensis, unus meus, et duo Anglicani habent *inquinatis.*

Digitized by Google

nit. Documento unius ostensum est Dominum recedere cum negatur, nec immerentibus ad salutem prodesse quod sumitur, quando gratia salutaris in cinerem sanctitate fugiente mutatur. Quam multi quotidie [a] pœnitentiam non agentes, nec delicti sui conscientiam confitentes, immundis spiritibus adimplentur, quam multi usque ad insaniam mentis excordes dementiæ furore quatiuntur? Nec necesse est ire per exitus singulorum, cum per orbis multiformes ruinas tam delictorum pœna sit varia quam delinquentium multitudo numerosa. Unusquisque consideret, non quid alius passus sit, sed quid pati et ipse mereatur. Nec evasisse se credat, si eum interim pœna distulerit, cum timere plus debeat quam sibi Dei judicis ira servavit [b].

XXVII. Nec sibi quominus agant pœnitentiam blandiantur qui etsi nefandis sacrificiis manus non contaminaverunt, libellis tamen conscientiam polluerunt. Et illa professio denegantis contestatio est christiani quod fuerat [c] abnuentis. Fecisse se dixit quidquid alius faciendo commisit. Cumque scriptum sit, *Non potestis duobus dominis servire* (*Matth.* VI, 24), servivit sæculari domino qui obtemperavit ejus edicto; magis obaudivit humano imperio quam Deo. Viderit an minore vel dedecore vel crimine apud homines publicaverit quod admisit. Deum tamen judicem fugere et vitare non poterit, cum dicat Spiritus sanctus in Psalmis : *Quod est imperfectum meum viderunt oculi tui, et in libro tuo omnes scribentur* (*Psal.* CXXXVIII, 16). Et iterum : *Homo videt in facie*, A *Deus autem in corde* [d] (I *Reg.* XVI, 7). Ipse quoque Dominus præmoneat et præstruat dicens : *Et scient omnes ecclesiæ quia ego sum scrutator renis et cordis* (*Apoc.* II, 23). Perspicit ille abdita, et secreta atque occulta considerat. Nec Dei oculos potest aliquis evadere dicentis : *Ego Deus approximans, et non Deus de longinquo. Si absconditus fuerit homo in absconditis, ego ergo non videbo eum* [e]? *Nonne cœlum et terram ego impleo* (*Hier.* XXIII, 23)? Videt ille corda et pectora singulorum, et judicaturus est, non tantum de factis, sed et de verbis et de cogitationibus nostris, omnium mentes voluntatesque conceptas in ipsis adhuc clausi pectoris latebris intuetur.

XXVIII. Denique quanto et fide majores et timore meliores sunt qui quamvis nullo sacrificii aut libelli B facinore constricti, quoniam tamen de hoc vel cogitaverunt, hoc ipsum apud sacerdotes Dei dolenter et simpliciter confitentes, exomologesin conscientiæ faciunt, animi sui pondus exponunt, salutarem medelam parvis licet et modicis vulneribus exquirunt, scientes scriptum esse : *Deus non deridetur* (*Gal.* VI, 7). Derideri et circumveniri Deus non potest nec astutia aliqua fallente deludi. Plus immo delinquit qui secundum hominem Deum cogitans evadere se pœnam criminis credit, si non palam crimen admisit. Christus in præceptis suis dicit : *Qui confusus me fuerit, confundet eum filius hominis* (*Marc.* VIII, 38). Et Christianum se putat qui Christianus esse aut confunditur [f] aut veretur? Quomodo potest esse cum Christo qui ad Christum pertinere aut erubescit aut metuit?

LECTIONES VARIANTES.

[a] Quotidie immundi *Bod.*, 1, 2, 3, 4. *Spir.*
[b] Ira Dei reservavit *Bod.*, 1, 2, 3, 4. *Lam. Ebor. Lin. NC.*, 1. Censura *Oxon.*
[c] Quod eum fuerat *Lam.*
C
[d] In cor *Ver. Ben.*
[e] Non videbo eum? Videt ille *Ben. Lam. Ebor. NC.*, 1.
[f] Aut *deest in Oxon.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

Sanctitate fugiente. Codex Seguierianus, *sancto inde fugiente.* Paulo ante dixit, *In qua Domini sanctum fuit.* Itaque ista lectio videtur esse melior. Sed non sum ausus mutare, quia reliqui libri præferunt *sanctitate.* Ea quippe lectio bonum quoque sensum constituit. Captabo autem hanc occasionem ut emendem extremam partem Epistolæ tertiæ Pelagii II ad episcopos Istriæ, ubi legitur *sanctitate servante.* Pro quo scribendum esse *servavit* docet vetus codex ex quo illa edita est. Ibidem paulo ante addenda sunt tria vocabula quæ exciderunt veteri librario. Legendum igitur : *Qui de iterando baptismate scripserat, in unitate catholica defunctum perhibuit.* Ita Augus- D tinus in libro *de unico Baptismo*, cap. 12.

Pœnitentiam non agentes... confitentes. Ista primum emersere e typographia Manutii. Inveni in tribus antiquis codicibus. Desunt autem in sexdecim et in editione Morellii.

Quam sibi. Antea in omnibus editionibus et in omnibus fere codicibus manuscriptis legebatur *quem.* Facile erat existimare reponendum esse *quam.* Et tamen eam lectionem, quam puto esse verissimam, nuspiam reperi nisi in codice Remensi sancti Dionysii. Unus Anglicanus præfert *quæ.*

Ira. Hæc est scriptura viginti veterum exemplarium nostrorum et octo Anglicanorum. Eorum auctoritas mihi persuasit ut ita ponerem pro eo quod editiones habent *censura*, quamvis hæc quoque lectio bona sit et reperiatur in quibusdam libris veteribus.

XXVII. — *Fugere.* Antea legebatur *subterfugere;* quam lectionem ego arbitror esse optimam; verum auctoritas veterum librorum exegit ut mutarem. Sunt autem numero XVI comprobantes hanc mutationem.

Absconditis. Duæ sunt hujus loci lectiones in codicibus manuscriptis. Quidam enim habent *absconditis*, alii *abditis.* Utraque lectio bona est.

Nonne cœlum impleo. Hæc desunt in antiquis editionibus et in quindecim codicibus antiquis.

Conceptas. Codex Fuxensis, *contemplans.* Quæ lectio non est mala.

XXVIII. — *Fide majores.* Veteres editiones, decem libri nostri, et sex Anglicani præferunt *fide majore et timore meliore.* Alii sexdecim ita quoque habent, nisi quod in illis scriptum est *meliores.* Quatuor habent *majores.* Epitome Lactantii cap. 43 : *Ingrato populo ab hæreditate summoto, aliam sibi plebem fideliorem de exteris gentibus congregaret.*

Qui confusus. Ita veteres editiones et tredecim libri veteres. Tres alii habent : *Qui confusus me fuerit, confundam et ego eum coram Patre meo qui in cœlis est.* Beccensis, *Qui confusus fuerit me coram hominibus, confundet.* Contra, in aliis duobus scriptum est : *Qui me confessus fuerit, confitebitur eum filius hominis.* Sic etiam supra, Epist. IX, pag. 18. At lectio quæ habet *Qui confusus* extat etiam supra, epist. LXIII, pag. 109. Ego puto hanc discrepantiam esse imputandam temeritati librariorum.

Digitized by Google

Minus plane peccaverit non videndo idola, nec sub oculis circumstantis atque insultantis populi sanctitatem fidei profanando, non polluendo manus suas funestis sacrificiis, nec sceleratis cibis ora maculando. Hoc eo proficit ut sit minor culpa, non ut innocens conscientia. Facilius potest ad veniam criminis pervenire. Non est tamen immunis a crimine. Nec cesset in agenda pœnitentia atque in Domini misericordia deprecanda, ne quod minus esse in qualitate delicti [a] videtur, in neglecta satisfactione cumuletur.

XXIX. Confiteantur singuli, quæso vos, fratres dilectissimi, [191] delictum suum, dum adhuc qui deliquit in sæculo est, dum admitti confessio ejus potest, dum satisfactio et remissio facta per sacerdotes apud Dominum grata est. Convertamur ad Dominum mente tota; et, pœnitentiam criminis veris doloribus exprimentes, Dei misericordiam deprecemur. Illi se anima prosternat [b], illi mœstitia satisfaciat [c], illi spes omnis incumbat. Rogare qualiter debeamus dicit ipse: *Revertimini*, inquit, *ad me ex toto corde vestro, simulque et jejunio et fletu et planctu; et scindite corda vestra, et non vestimenta vestra* (*Joel* II, 12). Ad Dominum toto corde redeamus. Iram et offensam ejus jejuniis, fletibus, planctibus, sicut admonet ipse, placemus.

XXX. Lamentari eum putamus ex toto corde, jejuniis, fletibus, planctibus Dominum deprecari, qui ex primo criminis die lavacra quotidie cum feminis celebrat, qui, epulis affluentibus pastus et sagina largiore distentus, cruditates suas postridie ructat, nec cibos et potus suos cum pauperum necessitate communicat? Qui hilaris ac lætus incedit, quomodo mortem suam deflet? Cumque scriptum sit, *Non corrumpetis effigiem barbæ vestræ* (*Levit.* XIX, 27), barbam vellit et faciem suam comit? Et placere nunc cuiquam studet qui Deo displicet? An illa ingemiscit et plangit cui vacat cultum pretiosæ vestis induere nec indumentum Christi quod perdidit cogitare, accipere pretiosa ornamenta et monilia elaborata [d], nec divini et cœlestis ornatus damna deflere? Tu, licet indumenta peregrina et vestes sericas induas, nuda es. Auro te licet et margaritis gemmisque condecores, sine Christi decore deformis es. Et quæ capillos tuos inficis, vel nunc in doloribus desine; et quæ nigri pulveris ductu [e] oculorum liniamenta depingis, vel nunc lacrymis oculos tuos ablue. Si quem de tuis charum [f] mortalitatis exitu perdidisses, ingemisceres dolenter et fleres, facie inculta, veste mutata, neglecto capillo, vultu nubilo, ore dejecto indicia mœroris ostenderes. Animam tuam, misera [g], perdidisti, spiritaliter mortua supervivere hic tibi et ipsa ambulans funus tuum portare cœpisti; et non acriter plangis, non jugiter ingemiscis, non te vel pudore criminis vel continuatione lamentationis abscondis! Ecce pejora adhuc peccandi vulnera, ecce majora delicta, peccasse nec satisfacere, deliquisse nec delicta deflere.

XXXI. Ananias, Azarias, Misahel, illustres ac nobiles pueri, quominus exomologesin Deo facerent nec inter flammas et camini exæstuantis incendia quieverunt. Bene sibi licet conscii et Dominum fidei ac timoris obsequio sæpe promeriti, humilitatem tamen tenere et Domino satisfacere nec inter ipsa gloriosa virtutum suarum martyria destiterunt. Loquitur Scriptura divina: *Stans*, inquit, *Azarias precatus est, et aperuit os suum, et exomologesin faciebat Deo simul cum sodalibus suis in medio ignis* (*Dan.* III, 25). Daniel quoque, post fidei atque innocentiæ suæ multiplicem gratiam, post dignationem Domini circa virtutes ac laudes suas sæpe repetitam, jejuniis adhuc promereri Deum nititur, in sacco et in cinere volutatur, exomologesin faciens dolenter et dicens: *Dominus Deus magnus et fortis et metuendus, qui servas testamentum tuum et miserationes eis qui te diligunt et con-*

LECTIONES VARIANTES.

[a] Minus esse delicti *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2. *Len.*
[b] Illi se prosternat *Ben.*
[c] Illius majestati satisfaciat *Voss.*, 1.
[d] Laborata *Lips. Gronov. ex codd. mss.*
[e] Nigro pulveris ductu *Ver.* Inductu *Pem.*
[f] *Sic codd. novem.* Caris *Oxon.*
[g] Animam tuam miseram *Voss.*, 1, 2. *Pem. Lin.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

XXIX.—*Quæso vos, fratres.* Post ista sequebatur in libro Veronensi: *Confiteatur unusquisque delictum suum.*

Dum admitti confessio. Post mortem enim non admittitur. Exomologesis apud inferos non est, ut ait Cyprianus. Vide Pamelium.

Corde vestro. Codex Pithœanus addit *et ex tota anima vestra.*

XXX.—*Cum feminis.* Ita omnes editiones ante Pamelianam. Pamelius itaque expunxit has voces, tum quia illas non reperiebat in suis codicibus manuscriptis, tum quia iis opus non esse credebat. Sane desunt in tredecim nostris. Verum exstant in aliis quindecim et in uno Anglicano. Non video autem cur expungi debeant, cum videam supra, in libro *de Habitu Virginum*, pag. 179, balnea promiscua cum viris et feminis interdici virginibus. Hinc enim colligitur feminas lavare consuevisse cum viris. Vide notas ad librum *de Habitu Virginum*, pag. 530.

[191] *Barbam vellit.* Vide lib. III *Testimoniorum*, cap. 84; Savaronem et Sirmondum *ad Sidonium* lib. IV, Epist. 24. Vide etiam Franciscum Georgium Venetum in libro *de Harmonia mundi*, cantico II, cap. 6, et notas nostras *ad Gratianum* dist. 22, cap. *Prohibete*, pag. 453.

Peccandi vulnera. Codex Lamonii habet *genera.*

Peccasse nec satisfacere. Quintillianus, lib. XI, cap. 1, *Tulissimum ergo pœnitentiæ confessio et satisfactio culpæ.* Tertullianus in libro de Pœnitentia: *Confessio enim satisfactionis consilium est.* Vide supra, pag. 538, *ante exomologesim factam.*

XXXI.—*In sacco.* Quinque libri veteres præferunt *in cilicio et sacco*, Seguierianus *in cinere, in cilicio.* Infra, in fine hujus libri, pag. 192, *strato sacco adhærere in cinere et cilicio et sordibus.* Tertullianus in libro de Pœnitentia dixit, *sacco et cineri incubare, corpus sordibus obscurare, et in asperitudine sacci et horrore cineris.* Saccus, ut ait Hieronymus in Epistola ad Marcellam *de Muneribus acceptis*, est signum orationis atque jejunii.

Qui servas. Veteres editiones et quatuor libri veteres addunt *et disponis.* Alii tres habent quidem *disponis*, sed non habent *servas.*

Digitized by Google

servant imperia tua; peccavimus, facinus admisimus, impii fuimus, transgressi sumus, ac deseruimus præcepta tua et judicia tua; non audivimus verba puerorum tuorum Prophetarum quæ locuti sunt in nomine tuo super reges nostros et omnes gentes et super omnem terram. Tibi, Domine, justitia [a], *nobis autem confusio* (*Dan.* IX, 4-7).

XXXII. Hæc mites, hæc simplices, hæc innocentes in promeranda Dei majestate [193] fecerunt; et nunc satisfaccere et Dominum rogare detrectant qui Dominum negaverunt! Quæso vos, fratres, acquiescite salubribus remediis, consiliis obedite melioribus; cum lacrymis nostris vestras lacrymas jungite, cum nostro gemitu vestros gemitus copulate. Rogamus vos, ut pro vobis Deum rogare possimus. Preces ipsas ad vos prius vertimus, quibus Deum pro vobis ut misereatur oramus. Agite pœnitentiam plenam, dolentis ac lamentantis animi probate mœstitiam.

XXXIII. Nec vos quorumdam moveat aut error improvidus aut stupor vanus, qui, cum teneantur in tam gravi crimine, percussi sunt animi cæcitate, ut nec intelligant delicta nec plangant. Indignantis Dei major hæc plaga est, sicut scriptum est: *Et dedit illis Deus spiritum transpunctionis* (*Isa.* XXIX, 10). Et iterum: *Dilectum veritatis non receperunt ut salvi fierent; ac propterea mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio, ut judicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed sibi placent in injustitia* (II *Thess.* II, 10). Injuste sibi placentes et transpunctæ mentis alienatione dementes Domini præcepta contemnunt, medelam vulneris negligunt [b], agere pœnitentiam nolunt. Ante admissum facinus improvidi, post facinus obstinati, nec prius stabiles, nec postmodum supplices. Quando debuerant stare, jacuerunt; quando jacere et prosternere se Deo debent, stare se opinantur. Pacem sibi ultro nemine dante sumpserunt. Falsa pollicitatione seducti, et apostatis ac perfidis juncti, errorem pro veritate suscipiunt. Communicationem non communicantium ratam ducunt; hominibus contra Deum credunt, qui contra homines Deo non crediderunt.

XXXIV. Ejusmodi homines quantum potestis effugite [c], perniciosis contactibus adhærentes salubri cautione vitate. Sermo eorum sicut cancer serpit, colloquium velut contagium transilit, noxia et venenata persuasio persecutione ipsa pejus interficit. Illic superest pœnitentia quæ satisfaciat; qui autem pœnitentiam criminis tollunt, satisfactionis viam claudunt. Ita fit ut, dum temeritate quorumdam vel promittitur salus falsa vel creditur, spes veræ salutis adimatur.

XXXV. Vos vero, fratres dilectissimi, quorum timor in Deum pronus est, et in ruina licet animus constitutus, mali sui memor est, pœnitentes ac dolentes peccata vestra perspicite, gravissimum conscientiæ crimen agnoscite, ad intelligentiam delicti vestri oculos cordis aperite, nec desperantes misericordiam Domini, nec tamen jam veniam vindicantes. Deus, quantum patris pietate, indulgens [d] semper [e] et bonus est; tantum judicis majestate metuendus est. Quam magna deliquimus, tam granditer defleamus. Alto vulneri diligens et longa medicina non desit. Pœnitentia crimine minor non sit. Putasne tu Dominum cito [f] posse placari, quem verbis perfidis abnuisti, cui patrimonium præponere maluisti, cujus templum sacrilega contagione violasti? putas facile eum misereri [g] tui, quem tuum non esse dixisti? Orare oportet impensius et rogare, diem luctu transigere, vigiliis noctes ac fletibus ducere, tempus omne lacrymosis lamentationibus occupare, stratos [h] solo adhærere, in cinere et cilicio et sordibus volutari, post indumentum Christi perditum nullum jam velle vestitum, post diaboli cibum malle jejunium, justis operibus incumbere, quibus peccata purgantur, eleemosynis frequenter insistere, quibus a morte animæ liberantur. Quod adversarius auferebat Christus acci-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Gloria *addunt edd. ab Erasmo ad Oxon. usque.*
[b] Negligentes *Lam. Ebor. Bod.* 2.
[c] Fugite *Oxon. codd. Pem. NC.* 2.
[d] Clemens *Pem. Voss.* 2.
[e] Semper, semper et bonus *Pem.*
[f] *Sic octo codd. Anglic.* Cito *deest in impr. vett.*
[g] Posse misereri tui *Pem.*
[h] Strato solo *Affluut Thu. Foss.* Stratos solo adhærere cineri *Oxon. Lips.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

Tibi, Domine, justitia. Erasmus edidit: *Tibi, Domine, gloria, tibi justitia.* Sed ego vocem *gloria* nuspiam reperi in codicibus manuscriptis. Non exstat autem in capite III Prophetiæ Danielis, ex quo ista sumpta sunt.

XXXIII.—*Gravi crimine.* Quatuordecim libri nostri et octo Anglicani præferunt hanc lectionem pro eo quod alibi scriptum est *grandi.*

XXXIV.—*Transilit.* Ita vulgo libri veteres et editiones. Quidam tamen aliter habent. In duobus enim legitur *transfigit*, in alio demum *transcingit.*

Illic superest. Pamelius posuit *illic sola supersit* ex manuscriptis et veteri excusso. At vox *sola*, quæ inutilis est, deest in omnibus libris nostris præter unum Gratianopolitanum et in septem Anglicanis.

XXXV.—*Orare oportet.* Beatus Rhenanus, cum multa de Pœnitentia et Confessione dixisset in argumento libri Tertulliani *de Pœnitentia*, demum velut complementum observationum suarum describit hunc Cypriani locum. Interim admoneo argumentum illud Beati Rhenani deesse in posterioribus editionibus operum Tertullianicorum.

Quod adversarius auferebat. Infra in libro *de Opere et Eleemosynis*, pag. 243: *Patrimonium Deo creditum nec respublica eripit nec fiscus invadit.* Sanctus Augustinus, in libro L *Homiliarum*, Homilia 48: *Hoc tollit fiscus quod non accipit Christus.* Vide eumdem, Enarratione in Psal. CXLVI. Lactantius, c. 8 de Mortibus Persecutorum: *Cruentissimus fiscus male partis opibus affluebat.* Plinius in Panegyrico Trajani: *Sæpius vincitur fiscus, cujus mala causa nunquam est nisi sub bono principe.* In Epitome Victoris legitur Trajanum fiscum vocasse lienem, quod eo crescente artus reliqui tabescant. Symmachus in relatione pro ara Victoriæ: *Fiscus bonorum principum non sacerdotum damnis, sed hostium spoliis au-*

Digitized by Google

piat. Nec teneri jam nec amari patrimonium debet, quo quis et deceptus et victus est. Pro hoste vitanda res, pro latrone fugienda, pro gladio metuenda possidentibus [193] et veneno : ad hoc tantum profuerit quod remansit ut inde crimen et culpa redimatur. Incunctanter et largiter fiat operatio, census omnis in medelam vulneris erogetur, opibus [a] et facultatibus nostris qui de nobis [b] judicaturus est Domino fœneretur. Sic sub Apostolis fides viguit : sic primus credentium populus Christi mandata servavit. Prompti erant, largi erant [c], distribuendum per Apostolos totum dabant, et non talia delicta redimebant.

XXXVI. Si precem toto corde quis faciat, si veris pœnitentiæ lamentationibus [d] et lacrymis ingemiscat, si ad veniam delicti sui Dominum justis et continuis operibus inflectat, misereri talium potest qui et misericordiam suam protulit dicens : *Cum conversus ingemueris, tunc salvaberis, et scies ubi fueris* (*Isa.* XXX, 15). Et iterum : *Nolo mortem morientis* [e], *dicit Dominus, quantum ut revertatur et vivat* (*Ezech.* XXXIII, 11.) Et Johel propheta pietatem Domini, Domino ipso monente, declarat [f] : *Revertimini*, inquit, *ad Dominum Deum vestrum, quoniam misericors et pius est et patiens et multæ miserationis, et qui sententiam flectat adversus malitias irrogatas* (*Joel.* II, 13). Potest ille indulgentiam dare, sententiam suam potest ille deflectere. Pœnitenti, operanti, roganti potest clementer ignoscere, potest in acceptum referre quidquid pro talibus et petierint martyres et fecerint sacerdotes. Vel si quis plus cum suis satisfactionibus moverit, si ejus iram, si indignantis offensam justa deprecatione placaverit, dat ille et arma rursum quibus victus [g] armetur, reparat et corroborat vires quibus fides instaurata vegetetur. Repetet certamen suum miles, iterabit aciem, provocabit hostem, et quidem factus ad prælium fortior per dolorem. Qui sic Deo satisfecerit, qui pœnitentia facti sui, qui pudore delicti [h], plus et virtutis et fidei de ipso lapsus sui dolore conceperit, exauditus et adjutus a Domino, quam contristaverat, nuper lætam faciet Ecclesiam ; nec jam solam Dei veniam merebitur, sed et coronam.

LECTIONES VARIANTES.

[a] Operibus *Lin. Pem. NC.* 2. *Bod.* 3.
[b] Qui de bonis *Thu. Voss.*
[c] Largi erant ad distribuendum *Pem.*
[d] Lamentis *Lam. Ebor.*
[e] Peccatoris *Lin.*
[f] Declarat dicens *Bod.* 2. *Lam. Ebor.*
[g] Virtus armetur *Bod.* 1.
[h] Pœnitentiam facti sui, qui pudorem delicti *Bod.* 1, 3, 4. *Thu.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

getur. Novella Anthemii A. de Bonis vacantibus : *Neque enim aliud imperatoriæ majestati videtur accommodum quam commune jus omnibus reservare subjectis et nihil amplius bonis licere principibus nisi quod liceat privatis.* Ammianus Marcellinus lib. XXVIII, agens de præfectura Olybrii, ait : *Calumniarum acerrimus insectator, fisci lucra unde poterat intercidens.*

Veneno. Quædam editiones habent *vendenda*, eamque lectionem magis probat Pamelius. Nostram probant sexdecim libri nostri et undecim Anglicani. Neque dubium esse potest quin sit verissima. Eamdem præferunt omnes veteres editiones, etiam Manutiana et Morelliana.

Domino fœneretur. Ita scribere placuit ideo quia ita loquitur Cyprianus in libro *de Habitu Virginum*, pag. 167. Sic etiam habent quidam libri veteres et editio Spirensis, tum etiam Veneta vetus. Hieronymus in Dialogo adversus Luciferianos : *Deo fœnerat.* Martialis, lib. I, Epig. 44 : *Hæc omnis fœnerat una deos.*

XXXVI.—*Deflectere.* Codex Moyssiacensis addit *delicta remittere.*

Dat ille arma. Codex Lamonii : *Dat ille arma justitiæ quibus justus armetur.*

Dei veniam merebitur. Id est consequetur, ut ait Lactantius, lib. IV, cap. 17.

LIBER
DE UNITATE ECCLESIÆ.

ARGUMENTUM. — *Occasione schismatis Novatiani, ut suos Carthaginienses deterreret, alioqui non multum ab illo abhorrentes, propter Novatum et alios quosdam suæ Ecclesiæ presbyteros totius tragœdiæ auctores, librum hunc conscripsit Cyprianus. Atque in primis, postquam, adversus illorum insidias communitos, ad constantiam hortatus est, hereseon causam esse docet quod caput Ecclesiæ non quæritur, primatus Petri contemnitur, et cathedra ac Ecclesia una et Episcopatus unus deseritur. Deinde tum Scripturis tum figuris Veteris et Novi Testamenti unitatem Ecclesiæ comprobat. Porro Novatiani ambitionem in invadendo Episcopatu Romano, velut aliud agens, paucis prosecutus, late deducit*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

[193] Cum in editione Anglicana præclare ostensum sit et probatum verum hujus libri titulum esse DE UNITATE ECCLESIÆ, uti citatur ab antiquis, et uti præferunt omnes fere veteres libri, etiam Seguierianus, eam sententiam, quæ mihi videtur esse optima, sequi placuit. Illud tantum addam, Franciscum Balduinum in Epistola *ad Lucanium* sive *Calvinum* præfixa ejus Annotationibus in Optatum testari se, dum Tridenti esset, id ipsum legisse in codice Aquilo Antonii Augustini.

Digitized by Google

servant imperia tua; peccavimus, facinus admisimus, impii fuimus, transgressi sumus, ac deseruimus præcepta tua et judicia tua; non audivimus verba puerorum tuorum Prophetarum quæ locuti sunt in nomine tuo super reges nostros et omnes gentes et super omnem terram. Tibi, Domine, justitia [a], *nobis autem confusio* (*Dan.* IX, 4-7).

XXXII. Hæc mites, hæc simplices, hæc innocentes in promeranda Dei majestate [152] fecerunt; et nunc satisfaccre et Dominum rogare detrectant qui Dominum negaverunt! Quæso vos, fratres, acquiescite salubribus remediis, consiliis obedite melioribus; cum lacrymis nostris vestras lacrymas jungite, cum nostro gemitu vestros gemitus copulate. Rogamus vos, ut pro vobis Deum rogare possimus. Preces ipsas ad vos prius vertimus, quibus Deum pro vobis ut misereatur oramus. Agite pœnitentiam plenam, dolentis ac lamentantis animi probate mœstitiam.

XXXIII. Nec vos quorumdam moveat aut error improvidus aut stupor vanus, qui, cum teneantur in tam gravi crimine, percussi sunt animi cæcitate, ut nec intelligant delicta nec plangant. Indignantis Dei major hæc plaga est, sicut scriptum est : *Et dedit illis Deus spiritum transpunctionis* (*Isa.* XXIX, 10). Et iterum : *Dilectum veritatis non receperunt ut salvi fierent; ac propterea mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio, ut judicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed sibi placent in injustitia* (II *Thess.* II, 10). Injuste sibi placentes et transpunctæ mentis alienatione dementes Domini præcepta contemnunt, medelam vulneris negligunt [b], agere pœnitentiam nolunt. Ante admissum facinus improvidi, post facinus obstinati, nec prius stabiles, nec postmodum supplices. Quando debuerant stare, jacuerunt; quando jacere et prosternere se Deo debent, stare se opinantur. Pacem sibi ultro nemine dante sumpserunt. Falsa pollicitatione seducti, et apostatis ac perfidis juncti, errorem pro veritate suscipiunt. Communicationem non communicantium ratam ducunt; hominibus contra Deum credunt, qui contra homines Deo non crediderunt.

XXXIV. Ejusmodi homines quantum potestis effugite [c], perniciosis contactibus adhærentes salubri cautione vitate. Sermo eorum sicut cancer serpit, colloquium velut contagium transilit, noxia et venenata persuasio persecutione ipsa pejus interficit. Illic superest pœnitentia quæ satisfaciat; qui autem pœnitentiam criminis tollunt, satisfactionis viam claudunt. Ita fit ut, dum temeritate quorumdam vel promittitur salus falsa vel creditur, spes veræ salutis adimatur.

XXXV. Vos vero, fratres dilectissimi, quorum timor in Deum pronus est, et in ruina licet animus constitutus, mali sui memor est, pœnitentes ac dolentes peccata vestra perspicite, gravissimum conscientiæ crimen agnoscite, ad intelligentiam delicti vestri oculos cordis aperite, nec desperantes misericordiam Domini, nec tamen jam veniam vindicantes. Deus, quantum patris pietate, indulgens [d] semper [e] et bonus est; tantum judicis majestate metuendus est. Quam magna deliquimus, tam granditer defleamus. Alto vulneri diligens et longa medicina non desit. Pœnitentia crimine minor non sit. Putasne tu Dominum cito [f] posse placari, quem verbis perfidis abnuisti, cui patrimonium præponere maluisti, cujus templum sacrilega contagione violasti? putas facile eum misereri [g] tui, quem tuum non esse dixisti? Orare oportet impensius et rogare, diem luctu transigere, vigiliis noctes ac fletibus ducere, tempus omne lacrymosis lamentationibus occupare, stratos [h] solo adhærere, in cinere et cilicio et sordibus volutari, post indumentum Christi perditum nullum jam velle vestitum, post diaboli cibum malle jejunium, justis operibus incumbere, quibus peccata purgantur, eleemosynis frequenter insistere, quibus a morte animæ liberantur. Quod adversarius auferebat Christus acci-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Gloria *addunt edd. ab Erasmo ad Oxon. usque.*
[b] Negligentes *Lam. Ebor. Bod.* 2.
[c] Fugite *Oxon. codd. Pem. NC.* 2.
[d] Clemens *Pem. Voss.* 2.
[e] Semper, semper et bonus *Pem.*
[f] *Sic octo codd. Anglic.* Cito *deest in impr. vett.*
[g] Posse misereri tui *Pem.*
[h] Strato solo *Affluat Thu. Foss.* Stratos solo adhærere cineri *Oxon. Lips.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

Tibi, Domine, justitia. Erasmus edidit : *Tibi, Domine, gloria, tibi justitia.* Sed ego vocem *gloria* nusquam reperi in codicibus manuscriptis. Non exstat autem in capite III Prophetiæ Danielis, ex quo ista sumpta sunt.

XXXIII.—*Gravi crimine.* Quatuordecim libri nostri et octo Anglicani præferunt hanc lectionem pro eo quod alibi scriptum est *grandi.*

XXXIV.—*Transilit.* Ita vulgo libri veteres et editiones. Quidam tamen aliter habent. In duobus enim legitur *transfigit*, in alio demum *transcingit.*

Illic superest. Pamelius posuit *illic sola superest* ex manuscriptis et veteri excusso. At vox *sola*, quæ inutilis est, deest in omnibus libris nostris præter unum Gratianopolitanum et in septem Anglicanis.

XXXV.— *Orare oportet.* Beatus Rhenanus, cum multa de Pœnitentia et Confessione dixisset in argumento libri Tertulliani *de Pœnitentia*, demum velut complementum observationum suarum describit hunc Cypriani locum. Interim admoneo argumentum illud Beati Rhenani deesse in posterioribus editionibus operum Tertullianicorum.

Quod adversarius auferebat. Infra in libro *de Opere et Eleemosynis*, pag. 243 : *Patrimonium Deo creditum nec respublica eripit nec fiscus invadit.* Sanctus Augustinus, in libro L *Homiliarum*, Homilia 48 : *Hoc tollit fiscus quod non accipit Christus.* Vide eumdem, Enarratione in Psal. CXLVI. Lactantius, c. 8 de Mortibus Persecutorum : *Cruentissimus fiscus male partis opibus affluebat.* Plinius in Panegyrico Trajani : *Sæpius vincitur fiscus, cujus mala causa nunquam est nisi sub bono principe.* In Epitome Victoris legitur Trajanum fiscum vocasse lienem, quod eo crescente artus reliqui tabescant. Symmachus in relatione pro ara Victoriæ : *Fiscus bonorum principum non sacerdotum damnis, sed hostium spoliis au-*

Digitized by Google

piat. Nec teneri jam nec amari patrimonium debet, quo quis et deceptus et victus est. Pro hoste vitanda res, pro latrone fugienda, pro gladio metuenda possidentibus [193] et veneno : ad hoc tantum profuerit quod remansit ut inde crimen et culpa redimatur. Incunctanter et largiter fiat operatio, census omnis in medelam vulneris erogetur, opibus [a] et facultatibus nostris qui de nobis [b] judicaturus est Domino fœneretur. Sic sub Apostolis fides viguit : sic primus credentium populus Christi mandata servavit. Prompti erant, largi erant [c], distribuendum per Apostolos totum dabant, et non talia delicta redimebant.

XXXVI. Si precem toto corde quis faciat, si veris pœnitentiæ lamentationibus [d] et lacrymis ingemiscat, si ad veniam delicti sui Dominum justis et continuis operibus inflectat, misereri talium potest qui et misericordiam suam protulit dicens : *Cum conversus ingemueris, tunc salvaberis, et scies ubi fueris* (*Isa.* XXX, 15). Et iterum : *Nolo mortem morientis* [e], *dicit Dominus, quantum ut revertatur et vivat* (*Ezech.* XXXIII, 11.) Et Johel propheta pietatem Domini, Domino ipso monente, declarat [f] : *Revertimini*, inquit, *ad Dominum Deum vestrum, quoniam misericors et pius est et patiens et multæ miserationis, et qui sententiam flectat adversus malitias irrogatas* (*Joel.* II, 13). Potest ille indulgentiam dare, sententiam suam potest ille deflectere. Pœnitenti, operanti, roganti potest clementer ignoscere, potest in acceptum referre quidquid pro talibus et petierint martyres et fecerint sacerdotes. Vel si quis plus cum suis satisfactionibus moverit, si ejus iram, si indignantis offensam justa deprecatione placaverit, dat ille et arma rursum quibus victus [g] armetur, reparat et corroborat vires quibus fides instaurata vegetetur. Repetet certamen suum miles, iterabit aciem, provocabit hostem, et quidem factus ad prælium fortior per dolorem. Qui sic Deo satisfecerit, qui pœnitentia facti sui, qui pudore delicti [h], plus et virtutis et fidei de ipso lapsus sui dolore conceperit, exauditus et adjutus a Domino, quam contristaverat, nuper lætam faciet Ecclesiam; nec jam solam Dei veniam merebitur, sed et coronam.

LECTIONES VARIANTES.

[a] Operibus *Lin. Pem. NC.* 2. *Bod.* 3.
[b] Qui de bonis *Thu. Voss.*
[c] Largi erant ad distribuendum *Pem.*
[d] Lamentis *Lam. Ebor.*
[e] Peccatoris *Lin.*
[f] Declarat dicens *Bod.* 2. *Lam. Ebor.*
[g] Virtus armetur *Bod.* 1.
[h] Pœnitentiam facti sui, qui pudorem delicti *Bod.* 1, 3, 4. *Thu.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

getur. Novella Anthemii A. de Bonis vacantibus : *Neque enim aliud imperatoriæ majestati videtur accommodum quam commune jus omnibus reservare subjectis et nihil amplius bonis licere principibus nisi quod liceat privatis.* Ammianus Marcellinus lib. XXVIII, agens de præfectura Olybrii, ait : *Calumniarum acerrimus insectator, fisci lucra unde poterat intercidens.*

Veneno. Quædam editiones habent *vendenda*, eamque lectionem magis probat Pamelius. Nostram probant sexdecim libri nostri et undecim Anglicani. Neque dubium esse potest quin sit verissima. Eamdem præferunt omnes veteres editiones, etiam Manutiana et Morelliana.

Domino fœneretur. Ita scribere placuit ideo quia ita loquitur Cyprianus in libro *de Habitu Virginum*, pag. 167. Sic etiam habent quidam libri veteres et editio Spirensis, tum etiam Veneta vetus. Hieronymus in Dialogo adversus Luciferianos : *Deo fœnerat.* Martialis, lib. I, Epig. 44 : *Hæc omnis fœnerat una deos.*

XXXVI.—*Deflectere.* Codex Moyssiacensis addit *delicta remittere.*

Dat ille arma. Codex Lamonii : *Dat ille arma justitiæ quibus justus armetur.*

Dei veniam merebitur. Id est consequetur, ut ait Lactantius, lib. IV, cap. 17.

LIBER
DE UNITATE ECCLESIÆ.

ARGUMENTUM. — *Occasione schismatis Novatiani, ut suos Carthaginienses deterreret, alioqui non multum ab illo abhorrentes, propter Novatum et alios quosdam suæ Ecclesiæ presbyteros totius tragœdiæ auctores, librum hunc conscripsit Cyprianus. Atque in primis, postquam, adversus illorum insidias communitos, ad constantiam hortatus est, hereseon causam esse docet quod caput Ecclesiæ non quæritur, primatus Petri contemnitur, et cathedra ac Ecclesia una et Episcopatus unus deseritur. Deinde tum Scripturis tum figuris Veteris et Novi Testamenti unitatem Ecclesiæ comprobat. Porro Novatiani ambitionem in invadendo Episcopatu Romano, velut aliud agens, paucis prosecutus, late deducit*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

[193] Cum in editione Anglicana præclare ostensum sit et probatum verum hujus libri titulum esse DE UNITATE ECCLESIÆ, uti citatur ab antiquis, et uti præferunt omnes fere veteres libri, etiam Seguierianus, eam sententiam, quæ mihi videtur esse optima, sequi placuit. Illud tantum addam, Franciscum Balduinum in Epistola *ad Lucanium* sive *Calvinum* præfixa ejus Annotationibus in Optatum testari se, dum Tridenti esset, id ipsum legisse in codice Apulo Antonii Augustini.

Digitized by Google

neque pro eorum paucitate contra Ecclesiam quidquam facere illud Matth. XVIII : « *Ubicumque fuerunt duo vel tres collecti in nomine meo*, etc.; *neque martyrium illis posse prodesse extra Ecclesiam. Post hæc docet non mirari eos oportere quod vigerent hæreses, jam olim a Christo prædictæ* (*obiter interjectis schismaticorum suppliciis*); *neque quod confessores quidam Romani schismati consentirent, quippe cum ante obitum nemo beatus sit, et in ipso Apostolorum cœtu Judas proditor exstiterit; vitanda item schismaticorum et hæreticorum consortia. Ad pacem denique et unanimitatem per Scripturas hortatur.*

I. Cum moneat Dominus et dicat : *Vos estis sal terræ* (*Matth.* v, 13), cumque esse nos jubeat ad innocentiam simplices, et tamen cum simplicitate prudentes (*Ib.* x, 16), quid aliud, fratres dilectissimi, quam providere nos convenit, et sollicito corde vigilantes, subdoli hostis insidias intelligere pariter et cavere ne qui Christum sapientiam Dei Patris induimus, minus sapere in tuenda salute videamur? Neque enim persecutio sola metuenda est [a] et ea quæ subruendis ac dejiciendis Dei servis aperta impugnatione grassantur [b]. Facilior cautio est ubi manifesta formido est, et ad certamen animus ante præstruitur quando se adversarius confitetur. Plus metuendus [c] est et cavendus inimicus cum latenter obrepit, cum, per pacis imaginem fallens, occultis accessibus serpit; unde et nomen serpentis accepit. Ea est ejus semper astutia, A ea est circumveniendi hominis cæca et latebrosa fallacia. Sic ab initio statim mundi fefellit, et, verbis [194] mendacibus blandiens, rudes animas incauta credulitate decepit. Dominum ipsum tentare conatus, quasi obreperet rursus et falleret, latenter accessit. Intellectus tamen est et retusus [d]; et ideo prostratus, quia agnitus atque detectus.

II. Unde nobis exemplum datum est veteris hominis viam fugere, vestigiis Christi viventis [e] insistere; ne denuo incauti in mortis laqueum revolvamur, sed, ad periculum providi [f], accepta immortalitate potiamur. Immortalitate autem potiri quomodo possumus, nisi ea quibus mors expugnatur et vincitur, Christi mandata servemus, ipso monente et dicente : *Si vis ad vitam venire, serva mandata* (*Matth.* XIX, 17). Et B iterum : *Si feceritis quæ* [g] *mando vobis, jam non dico vos servos, sed amicos* (*Joan.* XV, 14, 15). Hos denique fortes dicit et stabiles, hos super petram robusta mole [h] fundatos, hos contra omnes tempestates [i] et turbines sæculi immobili et inconcussa firmitate solidatos. *Qui audit*, inquit, *verba mea et facit ea, similabo eum viro sapienti qui ædificavit domum suam supra petram. Descendit pluvia, venerunt* [j] *flumina, flaverunt venti et impegerunt in domum illam, et non cecidit; fundata enim fuit* [k] *super petram* (*Matth.* VII, 24, 25). Verbis igitur ejus insistere, quæcumque et docuit et fecit discere et facere debemus. Cæterum credere se in Christum [l], quomodo dicit qui non facit quod Christus facere præcepit? Aut unde perveniet

LECTIONES VARIANTES.

[a] Metuenda est ea quæ .... grassantur *Voss.* 1. *Impr.* C *Ver. Neap. Thu. Foss.*
[b] Ea quæ...grassatur *Oxon.* e 10 *edd. Minus probat Lips.*
[c] Timendus *Sulisb. Bod.* 1, 2, 3. *Cambron.*
[d] Retrusus *Lam. NC.* 1, 2. *Ebor. Vat.* 4.
[e] Vincentis *alii. Baluz. nescio cur.*
[f] Providi et cauti *Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2. *Ben.*
[g] Si feceritis quod *Ebor. Voss.* 1. *Pem. Lam. NC.* 1.
[h] Robusta et solida *Voss.* 1, 3.
[i] Molestias omnes *Spir.*
[j] Advenerunt *Lam. Ebor. Pem. Ar. Ver. MR. Voss.* 3. Et venerunt *Thu. Foss.*
[k] Erat *Lam. Pem. Ebor. NC.* 1.
[l] Credere se Christo *Thu. Voss.* 3.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

1. *Induimus.* Ita duodecim libri nostri et unus Vossianus. Quæ sane lectio melior est quam alia quæ habet *induimur*. Infra, in hoc ipso libro, pag. 196, *Tunica connexa ostendit populi nostri, qui Christum induimus, concordiam cohærentem.* Sic pro eo quod in veteri interpretatione Irenæi in præfatione libri primi legebatur et *in barbarum sermonem plerumque vacamur*, quæ lectio certe falsa est, ut ostendit vir doctissimus Dominus Renatus Massuetus; ille reposuit *vacamus*, adnotans hunc errorem fuisse facilem propter affinitatem litterarum *s* et *r*, et propterea proclive fuisse D festinantibus scribis posteriorem pro priori scribere.

Facilior cautio. Demosthenes in I Philippica scribit nihil esse formidabile præcaventibus; Cicero, lib. I *Officiorum*, leviora esse quæ repentino aliquo modo accidunt quam ea quæ meditata et præparata inferuntur. Et lib. III Tusculanarum Quæstionum : *Ergo id quidem non est dubium quin omnia quæ mala putantur sint imprævisa graviora.* Rufinus, in Psal. XLV : *Gravius ferunt tela quæ prævisa non sunt.* Vide librum *de Zelo et Livore*, pag. 255. Vide etiam supra, pag. 466.

Manifesta. Manutius posuit *manifestior*, nescio qua auctoritate. Nam et veteres editiones et XXI libri nostri, in quibus nomino Seguierianum, et octo Anglicani præferunt *manifesta*. Ego vero arbitror eam lectionem esse meliorem. Paulo post legitur, pag. 194 : *Cavenda sunt autem non solum quæ sunt aperte manifesta.*

Confitetur. Ita omnes editiones Pameliana antiquiores, viginti sex exemplaria nostra, et quinque Anglicana. Pamelius ex fide codicis Camberonensis scripsit *profitetur*. Cui ego non possum assentiri. Notum est illud Petronii : *Habes confitentem reum;* et illud Ciceronis in quadam Epistola ad Atticum : *Cum homines nefarii de patrio parricidio confiterentur.*

Circumveniendi hominis. In uno veteri codice Colbertino legitur *circumveniendis hominibus.* Sic etiam in duobus Anglicanis.

Latebrosa. Unus codex regius et unus Anglicanus habent *tenebrosa*.

II. —*Dico.* Pamelius scripsit *dicam*, eamque lectionem ait esse meliorem. Idem tamen supra, pag. 108, Epist. LXIII *ad Cæcilium*, in qua idem locus est descriptus, edidit *dico*. Quo etiam modo scriptum est in omnibus fere libris antiquis et in editionibus quæ Pamelianam antecesserunt. Fatendum tamen est quinque libros veteres habere *dicam*.

Super petram. Id est super Christum et fidem quæ in eum est. Hieronymus in Explanatione Psalmi XLIV ad Principiam : *Super petram Christum stabili ratione fundata est Ecclesia.* Vide sanctum Augustinum Sermone LXXVI de Verbis Evangelii secundum Matthæum, Sermone CCXCV in Natali apostolorum Petri et Pauli, et lib. I *Retract.*, cap. I; tum etiam Hincmarum Remensem in Epistola *ad Laudunensem*, cap. V, pag. 402.

Digitized by Google

ad præmium fidei, qui fidem non vult servare mandati? Nutet necesse est et vagetur, et, spiritu erroris abreptus, velut pulvis quem ventus excutit ventiletur; nec ambulando proficiet ad salutem, qui salutaris viæ non tenet veritatem.

III. Cavenda sunt autem, fratres dilectissimi [a], non solum quæ sunt aperta atque manifesta [b], sed et astutæ fraudis subtilitate fallentia. Quid vero astutius, quidve subtilius, quam ut Christi adventu detectus ac prostratus inimicus, postquam lux Gentibus venit et sospitandis hominibus salutare lumen effulsit, ut surdi auditum gratiæ spiritalis admitterent, aperirent ad Deum oculos suos cæci, infirmi æterna sanitate [c] revalescerent, claudi ad Ecclesiam currerent, muti claris vocibus et precibus orarent, videns ille idola derelicta et per nimium credentium populum sedes suas ac templa deserta, excogitaverit novam fraudem, ut sub ipso christiani nominis titulo fallat incautos? Hæreses invenit et schismata, quibus subverteret fidem, veritatem corrumperet, scinderet unitatem. Quos detinere non potest in viæ veteris cæcitate, circumscribit et decipit novi itineris errore. Rapit de ipsa Ecclesia homines; et, dum sibi appropinquasse jam lumini atque evasisse sæculi noctem videntur, alias nescientibus tenebras rursus infundit, ut cum Evangelio Christi et cum observatione ejus et lege non stantes, Christianos se vocent, et ambulantes in tenebris habere se lumen existiment, blandiente adversario atque fallente, qui, secundum Apostoli vocem, transfigurat se velut angelum lucis (II *Cor.* XI, 14), et ministros suos subornat velut ministros justitiæ, asserentes noctem pro die, interitum pro salute, desperationem sub obtentu spei, perfidiam sub prætextu fidei, antichristum sub vocabulo Christi; ut, dum verisimilia mentiuntur, veritatem subtilitate frustrentur. Hoc eo fit, fratres dilectissimi, dum ad veritatis originem non reditur, nec caput quæritur, nec magistri [d] cœlestis doctrina servatur.

IV. Quæ si quis consideret et examinet, tractatu longo atque argumentis opus non est. Probatio est ad fidem facilis compendio veritatis. Loquitur Dominus ad Petrum : *Ego tibi dico*, inquit, [e] *quia tu es Petrus, et*

LECTIONES VARIANTES.

[a] *Hæc duo verba desunt in* 13 *codd. Anglic.*
[b] Aperte manifesta *Voss.* 3. *Spir.*
[c] Salute *Lam. Ebor. NC.*, 1.
[d] Magisterii *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2. *rer.*
[e] Inquit, Petre *Voss.* 2.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

III.—*Ad veritatis originem.* Quamvis hæc lectio bona sit, ego tamen mallem *unitatis*, uti scriptum est paulo post *Unitatis ejusdem originem*, quam Unitatem statim fortissime urget sanctus Martyr. Tertullianus in *libro de Præscriptionibus* adversus hæreticos : *Omne genus ad originem suam censeatur necesse est.* Etiam pro eo quod vulgo legitur in initio Epistolæ XLII, pag. 56 : *Sanctitas ac veritas pariter exigebat.* Codex Remensis sancti Dionysii habet *Unitas.* Et *vinculo Unitatis* legimus in Epistola *Firmiliani*, pag. 143. Arnulphus episcopus Lexoviensis dixit in concilio Turonensi : *Nisi Ecclesia habuerit unitatem, non erit una. Si una non fuerit, non erit.* Sed hanc unitatem ita interpretatur Joannes de Turre Cremata in *Summa de Ecclesia*, lib. III, cap 30, ut attendenda sit ad unam supremam potestatem regitivam totius Ecclesiæ quæ est in Papa. Ego malo loqui cum sancto Cypriano, [515] quam vanas illas et detortas theologorum scholasticorum interpretationes sequi quæ antiquitati ignotæ fuere.

IV.—*Loquitur Dominus.* Quoniam locus iste, ut interpolatus est, fundamentum est maximæ inter nos et adversarios nostros controversiæ, necessarium mihi videtur ut cum illum sic interpolatum non posuerim in contextu ubi esse non debet, referam uti est in editione Manutiana et in Rigaltiana. Sic ergo habet : « Loquitur Dominus ad Petrum. *Ego tibi dico*, inquit, *quia tu es Petrus, et super istam petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non vincent eam. Et tibi dabo claves regni cœlorum, et quæ ligaveris super terram erunt ligata et in cœlis, et quæcumque solveris super terrum erunt soluta et in cœlis.* Et eidem post resurrectionem suam dicit : *Pasce oves meas.* Et quamvis Apostolis omnibus post resurrectionem parem potestatem tribuat et dicat, *Sicut misit me Pater et ego mitto vos, accipite Spiritum sanctum, si cui remiseritis peccata remittentur illi, si cujus tenueritis tenebuntur,* tamen ut Unitatem manifestaret, unam Cathedram constituit, et unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit. Hoc erant utique et cæteri Apostoli quod fuit Petrus pari consortio præditi et honoris et potestatis. Sed exordium ab Unitate proficiscitur, et Primatus Petro datur ut una Christi Ecclesia et Cathedra una monstretur. Et pastores sunt omnes, et grex unus ostenditur, qui ab Apostolis omnibus unanimi consensione pascatur, ut Ecclesia Christi una monstretur, etc. » Et paulo post : « Hanc Ecclesiæ Unitatem qui non tenet, tenere se fidem credit? Qui Ecclesiæ reluctatur et resistit, qui cathedram Petri, super quem fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse confidit? » Fatendum est hunc locum sic exstare non solum in antiquo codice Marcelli II, quo usus est Onuphrius Panvinius, sed etiam, quod est majoris auctoritatis et momenti, in Epistola secunda Pelagii papæ II *ad episcopos Istriæ* : ut merito hinc colligi debere videatur hæc quæ mihi videntur hodie non esse Cypriani, esse antiqua, et ea vere esse Cypriani creditum esse ævo Pelagii, id est, ante mille annos. Sed tamen scriptura quam in contextu sequimur, non solum editionibus Manutiana antiquioribus, sed etiam codicum manuscriptorum auctoritate. Duo in primis memorabiles Veronensis et Seguierianus. De Veronensi testati sunt jamdudum Latinius et Aldus Manutius Pauli filius, scriptum fuisse ante mille annos : Seguierianum quoque, quo ego utor, constat omnium qui eum viderunt judicio et consensu scriptum quoque esse ante mille annos. Latinius ait hoc additamentum, quod e textu expunximus, non reperiri in septem codicibus Vaticanis. Ego vidi septem et viginti in quibus pariter deest. Verba Cypriani sine additamento relata et citata fuerunt a Callixto II scribente ad Humbaldum archiepiscopum Lugdunensem, a Cardinalibus in oppido Liburno congregatis anno 1408, et a correctoribus Romanis, qui in sua editione hunc locum ediderunt eo modo quo relatus est a Gratiano, quamvis scirent illum aliter habere in editione Manutiana. His addendum puto codicem Epistolarum Pelagii ad episcopos Istriæ, qui unicus est, non esse scriptum ævo Pelagii, sed post quingentos ad minus annos ab ejus excessu. Ex quo sequitur codices operum sancti Cypriani, qui clausulam illam non habent, ejusdem saltem auctoritatis esse ac codicem Epistolarum Pelagii. Addo verisimile videri codices Germanorum illam non habuisse ævo Venerici Vercellensis episcopi.

Digitized by Google

super hanc [a] *petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferorum non vincent eam. Et tibi* [b] *dabo claves* [105] *regni cœlorum : et quæ* [c] *ligaveris super terram, erunt ligata et in cœlis; et quæcumque solveris super terram, erunt soluta et in cœlis* (*Matth.* XVI, 18, 19). Et iterum eidem post resurrectionem suam dicit : *Pasce oves meas* (*Joan.* XXI, 15). Super illum unum [d] ædificat Ecclesiam suam, et illi pascendas mandat oves suas [e]. Et quamvis Apostolis omnibus post resurrectionem suam [f] parem potestatem tribuat [g] et dicat, *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos : accipite Spiritum sanctum; si cujus* [h] *remiseritis peccata, remittentur illi, si cujus tenueritis, tenebuntur* [i] (*Joan.* XX, 21-23), tamen, ut unitatem [j] manifestaret, unam cathedram constituit [k], unitatis ejusdem originem [l] ab uno inci- A pientem [m] sua auctoritate [n] disposuit. Hoc erant utique et cæteri Apostoli quod fuit Petrus [o], pari consortio præditi et honoris et potestatis, sed exordium ab unitate proficiscitur [p], et primatus Petro datur [q], ut una Christi Ecclesia et cathedra una monstretur [r]. Et pastores sunt omnes, et grex unus ostenditur, qui ab Apostolis omnibus unanimi consensione pascatur, ut Ecclesia Christi una monstretur. Quam unam Ecclesiam etiam in Cantico canticorum Spiritus sanctus ex persona Domini designat et dicit : *Una est columba mea, perfecta mea, una est matri suæ, electa genitrici suæ* (*Cant.* VI, 8). Hanc Ecclesiæ unitatem [s] qui non tenet, tenere se fidem credit ? Qui Ecclesiæ renititur et resistit, qui cathedram Petri, super quem fundata est Ecclesia, deserit [t], in Ecclesia se

LECTIONES VARIANTES.

[a] *Sic Ar. Bod.* 4. *Impr.* Istam *Oxon.*

[b] Eam tibi dabo *Thu. Voss.*

[c] Quæcumque *Pem.*

[d] *Sic Pem. Voss.* 2, 3. *Impr. vett. et recentiores.* Super unum *Oxon. cum Spir. Vet. innom. Rem. Erasm. Grav. Morel. Bod.* 1, 2, 3, 4. *Lam. Ebor. Voss.* 1. *NC.* 1. *Lin. Paris. Ben. Uncinis inclusit Lips. ed. hæc verba :* Super illum... oves suas.

[e] Et illi pascendas mandat oves suas. *Hæc omisit Oxon. ed.*

[f] Post resurrectionem suam *deest in Oxon. et* 4 *cod. Pem. Paris. Voss.*, 2. *Bod.*, 4.

[g] Tribuat et dicat. *Spir. et innom. Pem. Erasm. Grav. Morel. Pamel. Rig* Tribuat potestatem, unam tamen cathedram constituit et unitatis originem atque rationem sua auctoritate disposuit. Hæc erant utique et cæteri quod et Petrus, sed primatus. *Bod.* 4.

[h] *Sic codd.* 5 *Anglic.* Si cui *Oxon. et cæt. vett. edd.*

[i] Retenta erunt *Lam.*

[j] Ut unitatem, unitatis ejusdem originem ab uno incipientem manifestaret *MR.*

[k] Unam cathedram constituit. *Sic Mamt. Pamel. et Bod.*

B *Rigalt.* 1. *Impr. cod. Pem. Voss.* 2. *Vatic.* 1. *Camberon. Hæc omiserat Baluzius, nec restituit D. Maranus, dum cætera revocaret ; uncinis ut spuria secludit Lips.*

[l] Unitatis ejus idem originem *Paris.*

[m] Uno incipiente *Bod.* 1, 4.

[n] Originem sua auctoritate *Pem. Voss.* 2.

[o] Quod et Petrus, sed primatus *Bod.* 4.

[p] *Ar. Lam. Ebor. Lin. NC.* 1, 2. *Ren. Voss.* 1. *Bod.* 1, 2 *habent* Proficiscitur, ut una Ecclesia. *Inde Oxon. et Lips.*

[q] Primatus Petro datur. *codd. Pem. Voss.* 2. *Vat.* 1. *Bod.* 3. *Impr. fere omnes.* Et primatus...pascatur. *Uncinis includuntur hæc verba ac spuria in notis dicuntur ab edd. Lips.*

[r] Ut una Christi — quam unam *Pamel. Rigalt. impressi perplures. Codd. Anglic. Pem. Voss.* 2. *Vatic.* 1. Pascatur. Ut Ecclesia Christi una monstretur. Quam *Mamt.* Proficiscitur ; ut Ecclesia una monstretur *Oxon.*

[s] *Sic Pamel. Rigalt. Oxon.* Hanc Petri unitatem *Pem. Voss.* 2. Pauli unitatem *Bod.* 4.

[t] *Sic Pem. Voss.* 1. *Vat.* 1. *Bod.* 3 *et plures edd.* Resistit, in Ecclesia *Oxon.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

—*Hæc rationum momenta, de quibus Critici judicabunt, Baluzium adduxerant, ut nonnulla ex hoc testimonio expungeret. Sed reposita fuere in textu, propterea quod servata fuerunt in omnibus editionibus, quæ in Gallia ab annis centum et quinquaginta prodierunt, etiam in Rigaltiana. Quin etiam necesse fuit in Baluzii Notis non pauca mutare, ac plura essent mutata, id si commode fieri potuisset.* MARAN. — *Equidem non pauca fuisse mutata, immo et omissa in notis Baluzii testantur perplures eo loci deficientes paginæ ; at legitima sane anxietate fuisse correptum clar. Baluzii editorem haud erit ambiguum cuique notas superstites catholica trutina perpendenti ; erit forsitan qui vel plura non fuisse omissa desideraverit, præsertim si notam modo subjiciendam « de Sponso Ecclesiæ » penitus introspiciat. Has vero et similes alias eruditionis haud ita sanæ, licet copia non spernendæ symbolas salvandas esse duximus, ne hoc integrum Baluzianæ editionis corpus, omnibus notum et vulgari fama commendatum, læderetur. At quæ hinc et inde corrigenda sint emendare si vis, videsis tom. præcedenti dissertationes et notas de Auctoritate Pontificali apud Africanos.* EDD.

Primatus Petro datur. Ait Latinius quæcumque hoc sunt addita omnia esse ex marginalibus summulis in contextum non semel, sed diversis temporibus tandem relata, apparere autem ex eo varietatem quod quæ exstant vetustissima exemplaria, ea paucissimas vel nullas ejusmodi summulas insertas habent, quod facile videtur ex codice Veronensi, quem Latinius contendebat ævo suo scriptum fuisse ante mille annos, cum in eo nihil istius modi appareat, et in septem aliis Vaticanis desint omnia. Addit summulas illas marginales fuisse et ex Cypriani verbis collectas C esse cuivis facile esse intelligere, vel ex ea tantum summula quam in manuscripto codice Cardinalis Hosii fuisse docet Pamelius, in quo scriptum erat consequenter in contextu : *Hic Petro primatus datur.* [517] Quod enim ex Cypriano, subdit Latinius, diligens et studiosus lector collegerat ad locum statim facilinsque inveniendum, id in margine paucis verbis adnotarat, ut fortassis etiam indicem eorum tamquam capitum et locorum communium texeret : Ex quibus collegit idem vir doctissimus et emunctæ naris criticus retinendam in contextu fuisse lectionem vetustiorum et plurium codicum, et indicari tamen oportuisse quæ in recentioribus reperta erant, sed non statim in Cypriani contextum referri. Similem observationem reperi in annotationibus Dionysii Lambini *in Cluentinam Ciceronis* et in II *Catilinariam.*

Pastores sunt omnes. Id est episcopi omnes sunt pastores gregis Christi. Hinc videmus apud Cyprianum et alibi illos se invicem vocare fratres et collegas. Postea humilitas, quæ præcipua debet esse in episcopo virtus, ut patet ex Epistola LXIX Cypriani, effecit ut episcopi se vocarent servos servorum Dei, etiam sanctus Papa Gregorius et alii aliquot episcopi Romani post eum, sed non omnes donec ad ultima tempora ventum est. Vide Joannem Sarisberiensem, lib. VIII *Policratici*, cap. 23. D

Hanc Ecclesiæ unitatem. Ivo part. V, cap. 361, posuit : *Petri Unitatem qui non tenet.* Imitatum ex glossemate.

Resistit. Pamelius addidit, *qui cathedram Petri, super quem fundata est Ecclesia*, quæ exstant etiam in Epistola secunda Pelagii II, *ad episcopos Istriæ* et in *Actis* Alexandri III, apud Baronium, tum etiam

Digitized by Google

esse confidit? quando et beatus apostolus Paulus hoc idem doceat et sacramentum unitatis ostendat dicens : *Unum corpus et unus spiritus, una spes vocationis vestræ, unus Dominus, una fides, unum Baptisma, unus Deus* (*Ephes.* IV, 4-6).

V. Quam unitatem firmiter tenere et vindicare debemus, maxime episcopi, qui in Ecclesia præsidemus, ut episcopatum quoque ipsum unum atque indivisum probemus. Nemo fraternitatem mendacio fallat, nemo fidei veritatem perfida prævaricatione corrumpat. Episcopatus unus est, cujus a singulis in solidum pars tenetur. Ecclesia quoque una est, quæ in multitudinem latius incremento fœcunditatis extenditur. Quomodo solis multi radii, sed lumen unum; et rami arboris multi, sed robur unum tenaci radice fundatum [a]; et cum de fonte uno rivi plurimi A defluunt, numerositas licet diffusa videatur exundantis copiæ largitate, unitas tamen servatur in origine. Avelle radium solis a corpore, divisionem lucis [b] unitas non capit : ab arbore frange ramum, fractus germinare non poterit : a fronte præcide rivum, præcisus arescit. Sic et Ecclesia Domini luce perfusa per orbem totum radios suos porrigit; unum tamen lumen est, quod ubique diffunditur, nec unitas corporis separatur. Ramos suos in universam terram copia ubertatis extendit, profluentes largiter rivos latius expandit [c]; unum tamen caput est et origo una, et una mater fœcunditatis successibus copiosa. Illius fœtu nascimur, illius lacte nutrimur, spiritu ejus animamur.

VI. Adulterari non potest sponsa Christi, incor- B rupta est et pudica. Unam domum novit, unius cubi-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Sed arbor una, tenaci radice fundata. *Pem. Voss.* 2. *Ver. Mun.*

[b] Corporis lucis *Ben. NC.* 1. *Lam. Pem. Bod.* 2. Non recipit *Voss.* 3.

[c] Profluentes rivos *Lam. Ebor.* latius pandit. *Thu.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

apud Ivonem in loco paulo ante laudato et apud Gratianum dist. 93, ubi correctores Romani adnotant verba hæc quæ a Gratiano et Ivone referuntur, exstare in uno codice Vaticano operum sancti Cypriani, itemque in altero monasterii sancti Salvatoris Bononiæ. Verum non habentur in antiquis editionibus neque in libris nostris antiquis. Sane adnotatum est in editione Anglicana exstare in quatuor vetustis codicibus Anglicanis. Pamelius testatur se invenisse in Camberonensi. Cyprianus Epist. XL, pag. 53, *Cathedra una super petram Domini voce fundata.*

Unum corpus. Descripsit hunc locum, citans Cyprianum, Paulus papa II, in Epistola scripta *ad Archiepiscopum Colossensem*, anno 1460, 14 Kal. Augusti : *Quia unum corpus et unus spiritus omnes sumus, qui unum Dominum, unum Deum, unam fidem prædicamus et colimus. Unde et Unitatem firmiter tenere et vindicare debemus omnes episcopi, ut episcopatum quoque, ut beatus inquit Cyprianus, unum et individuum comprobemus.* Illud interim hoc admoneo, scriptum quoque esse *individuum comprobemus* in codice Burgundico. Ex quo apparet Paulum papam usum esse quodam simili exemplari.

V.—*Nemo fraternitatem.* Istis verbis, sed paululum mutatis et mutilatis, tamquam suis usus est Pius papa II, in conventu Mantuano, ut videre est in tomo nono Spicilegii Dacheriani, pag. 312.

Episcopatus unus est. Hanc pericopen omisit Pius II, in conventu Mantuano. Poterat tamen ea non inutiliter uti secundum eorum sententiam qui episcopum unum interpretantur de episcopo Romano, qui ex D illorum opinione est sponsus Ecclesiæ Catholicæ, id est universalis, ut notavimus supra, pag. 436. Vide Bellarminum, lib. II *de Romano Pontifice*, cap. 16, et Epistolam LXXIII Stanislai Hosii Cardinalis, qui unum sacerdotem interpretatur cum quem vocare solemus vicarium Christi.

Quomodo solis. Ista et alia plura loca istius operis Cypriani Hildebertus episcopus Cenomanensis tamquam sua, nulla Cypriani mentione, posuit in Sermone *de Pace* in nova editione, pag. 709.

Ab arbore frange. Citat hunc locum sanctus Augustinus Sermone CCLXXXI, cap. 20; et lib. III, *contra Cresconium*, cap. 33.

Præcisus arescit. In tomo IX Spicilegii Dacheriani legitur *decrescit.* At in vetustis schedis ex quibus edita est hæc oratio Pii diserte scriptum est *arescit.* Sic etiam in nova editione Hildeberti, pag. 710.

VI. — *Adulterari non potest.* Refert hunc locum sanctus Fulgentius lib. I, cap. 1, *de Remissione peccatorum.* Ego cum viderem in hoc Cypriani loco et in aliorum veterum scriptorum lucubrationibus Ecclesiam vocari sponsam Christi, Christum vero sponsum, et quidem unicum, legerem autem in eodem loco Cypriani sponsam Christi, quam ille non dereliquit, non derelinquit, neque derelinquet, aut a se abjiciet vel alienabit, quam ei desponsavit Pater, ut in libro IX, Epist. II, ait Petrus abbas Cellensis, quam Innocentius papa III, lib. I, Epist. IV, ait a Christo desponsatam fuisse; cum [sic] legerem, in- C quam, in hoc Cypriani loco sponsam Christi adulterari non posse, ipsosque etiam Romanos Pontifices, Bonifacium istius nominis primum, Leonem quoque istius nominis primum in Epistola *ad Anatolium*, Leonem IX in Epistola *ad Robertum abbatem Casæ-Dei* in Arvernis, Alexandrum III, in Epistola *ad Bononienses*, æmulum ejus Octavianum in Epistola encyclica *de Electione sua*, Innocentium III, in plurimis Epistolis suis, Honorium III in Epistola *ad regem Portugalensem*, Clementem V, in concilio Viennensi, Cardinales ad imperatorem Fridericum scribentes, apud Baronium an. 1159, § LXIII, et alios vocare Ecclesiam unius viri Christi sponsam, Christum verum et unicum sanctæ Ecclesiæ sponsum, putabam hinc colligi non immerito posse Ecclesiam esse univiram, uti dictum a me est olim in Notis *ad Agobardum.* Videbam præterea eam, quam Tertullianus in ipso initio libri *ad Martyras* vocat dominam matrem Ecclesiam, vocatam fuisse matrem et dominam Romani Pontificis a Paschali II, in concilio Lateranensi et a Clemente V, in concilio Viennensi. Unde recte, ut mihi videbatur, colligebam illam non posse esse sponsam ejus cujus mater esset et domina. Et tamen inventi sunt postea, qui dicerent Papam quoque esse sponsum Ecclesiæ, non solum Romanæ, quod est extra controversiam, sed etiam totius seu universalis Ecclesiæ. Quod sensisse Gregorium Papam X, liquet ex decretis ejus editis in concilio Lugdunensi. Postea Joannes Monachi Cardinalis in cap. *Felicis* de Pœnis in Sexto, cum dixisset unam esse Ecclesiam, extra quam nullus salvatur, statim addit : *Et istius est sponsus Papa.* Deinde Joannes Andreæ in cap : *Pia consideratione* de Excessibus in Sexto, ait Papam esse generalem sponsum Ecclesiæ. Eugenius Papa IV, scribens ad Carolum VII, regem Francorum apud Odoricum Raynaldum an. 1427, § XXIV, ait se esse verum Vicarium Jesu Christi atque

Digitized by Google

culi sanctitatem casto pudore custodit. Hæc nos Deo servat, hæc filios regno quos generavit assignat. Quisquis ab Ecclesia segregatus, adulteræ jungitur, a promissis Ecclesiæ separatur : nec perveniet ad Christi præmia, qui relinquit Ecclesiam Christi. Alienus est, profanus est, hostis est. Habere jam non potest Deum patrem, qui Ecclesiam non habet matrem. Si potuit evadere quisquam qui extra arcam Noe fuit, et qui extra Ecclesiam foris [a] fuerit evadit. Monet Dominus et dicit : *Qui non est mecum, adversus me est ; et qui non mecum colligit, spargit* (*Matth.* XII, 30). Qui pacem Christi et concordiam rumpit, adversus Christum facit. Qui alibi præter Ecclesiam colligit Christi Ecclesiam spargit. Dicit Dominus : *Ego et* A *Pater unum sumus* (*Joan.* X, 30). Et iterum de Patre et Filio et Spiritu [196] sancto scriptum est : *Et hi tres unum sunt* (I *Joan.* V, 7). Et quisquam credit hanc unitatem de divina firmitate venientem, sacramentis cœlestibus cohærentem, scindi in Ecclesia posse et voluntatum collidentium divortio separari? Hanc unitatem qui non tenet, Dei legem non tenet, non tenet Patris et Filii fidem, vitam non tenet et salutem [b].

VII. Hoc unitatis sacramentum, hoc vinculum concordiæ inseparabiliter cohærentis ostenditur quando in Evangelio tunica Domini Jesu Christi non dividitur omnino nec scinditur, sed sortientibus de veste Christi quis Christum [c] indueret, integra vestis accipitur, et incorrupta atque indivisa tunica possidetur. Lo-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Ecclesiæ fores *Thu.*

[b] Veritatem non tenet ad salutem *Oxon. Pem. Ar. Bod.* 2. *Lam. Ebor. NC.* 1. Nec salutem *Voss.* 3.

[c] Potius indueret *Ita vett. edd. et multi codd. Baluz.*

B potius *omisit. Id vero retinendum, inquit Lips. editor, quoniam ita optime significatur, in quo omnis hujus argumenti vis posita est.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

unicum Ecclesiæ suæ sponsum. Ægidius cardinalis Viterbiensis in oratione ad Julium papam II habita in concilio Lateranensi anno 1511, V Non. Maii : *Appello ergo te, Juli, pontifex maxime. Summus ille te appellat Deus, qui suam te gerere in terris vicem voluit, qui a tanto jampridem senatu te unum delegit qui nonum usque in annum Ecclesiæ suæ te sponsum defendit.* Sic Odoricus Raynaldus in epistola dedicatoria tomi XIII *Annalium Ecclesiasticorum* ad Innocentium X, ait Ecclesiam toto orbe diffusam esse illius sponsam. Vidit Alexander a Turre magnam esse in ea re difficultatem, magnum periculum, si diceretur Ecclesiam non esse univiram, item si negaretur Papam esse sponsum Ecclesiæ universalis. Itaque C cum in libro IV, cap. 14, *de fulgenti radio ecclesiasticæ Hierarchiæ* dixisset Christum esse unicum ac singularem Ecclesiæ sponsum, quod esse videtur verissimum, vellet tamen Papam quoque, quem vocat œcumenicum Ecclesiæ episcopum, esse etiam sponsum Ecclesiæ universalis, confugit ad sophistarum argutias et subtilitates, et ex sensu illorum dixit duos esse sponsos Ecclesiæ, unum invisibilem, id est Christum, et alium visibilem, id est Papam. Quo nihil fingi potest ineptius. Quid enim fingi potest ineptius quam dicere mulierem duobus viris esse matrimonio junctam, uni vero, alteri imaginario. Et tamen Bellarminus, lib. II, cap. 31, *de Romano Pontifice*, ausus est ita existimare, inquiens illum ita dici sponsum Ecclesiæ loco Christi ut Christi vicarium et ministrum. Non bene profecto merentur de Romano Pontifice qui vanas illas et futiles opiniones comminiscuntur. Contentus est ille sua suprema dignitate, qua nulla excelsior, excellentior, eminentior, atque D sublimior est in orbe terrarum, cui nulla potestas æquari potest, ut ait Pius papa II ad Carolum VII regem Francorum scribens apud Bzovium an. 1461, § IX. Christus est sponsus, Ecclesia sponsa, pontifex Romanus amicus sponsi. Eam Christus ascensurus in cœlum, ut ait sanctus Augustinus, commendavit discipulis suis, non ut amet aliquem ipsorum, sed ipsum tamquam sponsum, illos tamquam sponsi amicos. Præclare ergo sanctus Bernardus in Epistola CXCI, in editione Mabillonii scribens nomine episcoporum ad Innocentium papam ait : *Tibi commissa est sponsa Christi, amice sponsi. Tuum est eamdem uni viro virginem castam exhibere Christo.* Idem Eugenium papam III monuit non debere illum, si amicus sponsi esset, vocare Ecclesiam principem suam, sed principem, sicut Hieronymus Eustochium, quæ virginitatem suam Christo dicaverat, ideo ait se vocare dominam, quippe sponsam domini sui. Virgines enim quæ se Christo consecrarunt Ecclesia vocare solet sponsas Christi, ut etiam olim scribebat sanctus Fulgentius episcopus Ruspensis ad Probam de Virginitate : *Unus omnium sacrarum virginum sponsus.* Rectissime Innocentius papa III in sermone III *de Consecratione Pontificis*, cum disseruisset de unione sacramentali Christi et Ecclesiæ, [551] Christum autem vocasset sponsum, se vero dixisset amicum sponsi, subjunxit se esse sponsum Romanæ Ecclesiæ. Addo etiam Alypium et Augustinum scribentes ad Julianam diserte vocare Christum *universæ Ecclesiæ unicum sponsum.*

Si potuit evadere. Hoc loco usus est Alexander III adversus imperatorem Fridericum, ut patet ex ejus *Actis* apud Baronium an. 1164, § XLI.

Et hi tres unum sunt. Vide Erasmum in caput quintum Epistolæ primæ Joannis, Notas Anglorum ad hunc locum, et Richardum Simonem in *Historia critica Novi Testamenti* tom. I, cap. 18, pag. 212. Vide etiam *Itinerarium* R. P. Edmundi Martene parte II, pag. 79.

VII.—*Quis Christum.* Scio Manutium et alios post eum, uno Morellio excepto, posuisse *ipsam* pro *Christum*, uti etiam ego vidi scriptum in uno veteri libro, et *eam* in aliis duobus veteribus. At ego, qui video libros nostros veteres XXV et quatuor Anglicanos itemque omnes veteres editiones habere *Christum*, arbitratus sum eam lectionem, quæ bonum sensum constituere potest, esse retinendam, ut sensus sit voluisse Cyprianum dicere sortitos fuisse milites quis Christum indueret, id est vestem qua Christus fuerat indutus, improprio sane usu, sed tamen vero. Eodem fere modo Paulus Apostolus eos qui in Christo baptizati sunt Christum scribit induisse, id est habuisse indumentum Christi, ut interpretatur Hieronymus. Quo etiam loquendi modo utitur Cyprianus in libro *de Lapsis*, pag. 192. Hic error apud Cyprianum haud dubie ortus est ex eo quod in antiquo quodam exemplari, cui ego vidi simile, scriptum erat XPM, et is qui ex illo codice descripsit opera sancti Martyris, cum legere nesciret has notas, imperite posuit *ipsam*, respiciens ad tunicam. Alii deinde posuerunt *eam*, putantes haud dubie hanc vocem melius huic loco congruere quam *ipsam*. Nam certum est veteres librarios qui sancti Martyris opera descripserunt per licentiam sæpe suam mutasse verba Cypriani et alia similia supposuisse, quemadmodum pluribus exemplis ostendimus in his notis. Hinc orta tot synonyma quæ apud Cyprianum occurrunt in veteribus libris.

Indivisa. Ita undecim libri nostri et septem Argli-

Digitized by Google

quitur ac dicit Scriptura divina : *De tunica autem, quia de superiore parte non consutilis, sed per totum textilis fuerat, dixerunt ad invicem : Non scindamus illam, sed sortiamur de ea cujus sit* (*Joan.* XIX, 23, 24). Unitatem illa [a] portabat de superiore parte venientem, id est de cœlo et a Patre venientem, quæ ab accipiente ac possidente scindi omnino non poterat, sed totam simul et solidam [b] firmitatem inseparabiliter obtinebat. Possidere non potest indumentum Christi qui scindit et dividit Ecclesiam Christi. Contra denique cum, Salomone moriente, regnum ejus et populus scinderetur, Achias propheta Jeroboam regi obvius factus in campo, in duodecim scissuras vestimentum suum discidit dicens : *Sume tibi decem scissuras, quia hæc dicit Dominus : Ecce scindo regnum de manu Salomonis, et dabo tibi decem sceptra, et duo sceptra erunt ei propter servum meum David et propter Hierusalem civitatem quam elegi ut ponam nomen meum illic* (III *Reg.* XI, 31, 32, 36). Cum duodecim tribus Israel scinderentur, vestimentum suum propheta Achias discidit. At vero, quia Christi populus non potest scindi, tunica ejus per totum textilis et cohærens divisa a possidentibus non est. Individua, copulata, connexa [c] ostendit populi nostri, qui Christum induimus, concordiam cohærentem. Sacramento vestis et signo [d] declaravit Ecclesiæ unitatem.

VIII. Quis ergo sic est sceleratus et perfidus, quis sic discordiæ furore vesanus, ut aut credat scindi posse aut audeat scindere unitatem Dei, vestem Domini, Ecclesiam Christi? Monet ipse in Evangelio suo et docet dicens : *Et erit unus grex et unus pastor* (*Joan.* X, 16). Et esse posse uno in loco aliquis existimat aut multos pastores aut plures greges? Apostolus item Paulus, hanc eamdem nobis insinuans unitatem, obsecrat et hortatur dicens : *Obsecro*, inquit, *vos, fratres, per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut id ipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata. Sitis autem compositi in eodem sensu et in eadem sententia* (I *Cor.* I, 10). Et iterum dicit : *Sustinentes invicem in dilectione, satis agentes servare unitatem spiritus in conjunctione pacis* [e] (*Ephes.* IV, 2, 3). Stare tu et vivere putas posse de Ecclesia recedentem, sedes sibi alias et diversa domicilia condentem, cum dictum sit ad Rahab, in qua præformabatur Ecclesia : *Patrem tuum et matrem tuam et fratres tuos et totam domum patris tui colliges ad te ipsam in domum tuam, et omnis qui exierit ostium domus tuæ foras, reus sibi erit* (*Josue* II, 18, 19). Item sacramentum Paschæ nihil aliud in Exodi lege contineat [f] quam ut agnus, qui in figura Christi occiditur, in domo una edatur. Loquitur Deus dicens : *In domo una comedetur, non ejicietis de domo carnem foras* (*Exod.* XII, 46). Caro Christi et sanctum Domini ejici foras non potest, nec alia ulla [g] credentibus præter unam Ecclesiam domus est. Hanc domum, hoc unanimitatis [h] hospitium designat et denuntiat Spiritus sanctus in Psalmis dicens : *Deus qui inhabitare facit unanimes in domo* (*Psal.* LXVII, 7). In domo Dei, in Ecclesia Christi, unanimes habitant, concordes et simplices perseverant.

IX. Idcirco et in columba venit Spiritus sanctus : simplex animal et lætum, non felle amarum, non morsibus sævum, non unguium laceratione [i] [197] violentum, hospitia humana [j] diligere, unius domus consortium nosse; cum generant, simul filios edere, cum commeant, volatibus invicem cohærere, communi conversatione vitam suam degere, oris osculo concordiam pacis agnoscere, legem circa omnia unanimitatis implere. Hæc est in Ecclesia noscenda simplicitas, hæc charitas obtinenda, ut columbas dilectio fraternitatis imitetur, ut mansuetudo et lenitas agnis et ovibus æquetur. Quid facit in pectore christiano luporum feritas et canum rabies et venenum lethale serpentum et cruenta sævitia bestiarum? Gratulandum est cum tales de Ecclesia separantur, ne co-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Unitatem ille *Lam. Ebor. NC. Pem. Bod.* 1, 2, 3. *Paris. Voss.* 3. *Thu. Foss. Spir.*
[b] Semel solida firmitatem *Paris.* Semel et solidam *Oxon.*
[c] Individua copula, connexa *Voss.* 3. *Inuom.*
[d] Vestris declaravit *Foss. Spir.*
[e] Vinculo pacis *Voss.* 3.
[f] Continet *Pem. Voss.* 2. Continetur *Voss.* 3.
[g] Nec alia una *Lam. Ebor. NC.* 1.
[h] Unitatis *Voss.* 1.
[i] Non morsibus lætum, non ungulatum *Thu. Foss. Spir.*
[j] Hospitia consuevit *Lam. Ebor. Ben. NC.* 1.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

cani, melius profecto quam alii, in quibus scriptum est *individua*. Individuum est quod non potest dividi, indivisum quod non est divisum. Certum est autem vestem Christi potuisse dividi et non fuisse divisam. Tamen postea Cyprianus eamdem tunicam appellat individuam, ratione nimirum argumenti quod tractabat, ut ostenderet concordiam populi Christiani individuam et perpetuam esse debere. Rufinus in Psal. XXI : *Quod vero inconsutilem et meliorem non diviserunt, Ecclesiæ concordiam figuraverunt.* Tertullianus in extremo libro de Patientia : *Cum ergo Spiritus Dei descendit, individua patientia comitatur eum.* Dubitare autem licet an vera sit narratio Ruperti, sancti Antonini, et aliorum quorumdam scribentium tunicam inconsutilem factam fuisse a beata Virgine Maria. (*Cui tamen traditioni suffragatur haud ignobile D. Gerberonii ea de re opusculum cui titulus :* Hist. de la robe sans couture de N.-S.-J.-C. qui est révérée dans l'Egl. du Mon. des Bénéd. d'Argenteuil, 1676, in-12. Edd.)

VIII.—*Et erit unus.* Omnes fere libri veteres habent *et erunt.*

Schismata. Tres libri veteres, *dissensiones.* Sic etiam in veteri libro legisse se monet Morellius.

Totam domum patris. Codex Beccensis : *Totam familiam tuam colliges.*

Sanctum Domini. Id est Eucharistia, ut antea diximus, pag. 541.

IX.—*Simplex animal.* Tertullianus in libro de Anima : *Spiritus figura columbæ delapsus in hominem, ut natura Spiritus sancti declararetur per animal simplicitatis et innocentiæ, quod etiam corporaliter ipso felle careat columba.* Rufinus, in Psal. LXVII : *Sancta Ecclesia merito dicitur columba, quia fel amaritudinis non habet, et quia virtute simplicitatis pollet.*

Ne columbas, ne oves. Supra, Epist. LVII, pag. 95, dixit de diabolo : *Unum primo aggressus, ut lupus ovem secernere a grege, ut accipiter columbam ab agmine volantium separare tentaverat.* Crudeliter inimicus fuisse videtur episcopis sui temporis Joannes Rus-

Digitized by Google

lumbas, ne oves Christi sæva sua et venenata contagione prædentur. Cohærere et conjungi non potest amaritudo cum dulcedine, caligo cum lumine, pluvia cum serenitate, pugna cum pace, cum fœcunditate sterilitas, cum fontibus siccitas, cum tranquillitate tempestas. Nemo existimet bonos de Ecclesia posse discedere : triticum non rapit ventus, nec arborem solida radice fundatam procella subvertit; inanes paleæ tempestate jactantur, invalidæ arbores turbinis incursione evertuntur. Hos execratur et percutit Joannes apostolus dicens : *Ex nobis exierunt, sed non fuerunt ex nobis : si enim fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum* [a] (I *Joan.* II, 19).

X. Hinc hæreses et factæ sunt frequenter et fiunt, dum perversa mens non habet pacem, dum perfidia discordans non tenet unitatem [b]. Fieri vero hæc Dominus permittit et patitur, manente propriæ libertatis arbitrio, ut, dum corda nostra et mentes nostras veritatis discrimen examinat, probatorum fides integra manifesta luce clarescat. Per Apostolum prænonet Spiritus sanctus et dicit : *Oportet hæreses esse, ut probati manifesti sint in vobis* (I *Cor.* XI, 19). Sic probantur fideles, sic perfidi deteguntur. Sic et ante judicii diem hic quoque jam justorum atque injustorum animæ dividuntur, et a frumento [c] paleæ separantur. Hi sunt qui se ultro apud temerarios convenas [d] sine divina dispositione præficiunt, qui, se præpositos sine ulla ordinationis lege constituunt, qui, nemine episcopatum dante, episcopi sibi nomen assumunt; quos designat in Psalmis Spiritus sanctus sedentes in pestilentiæ cathedra (*Psal.* I, 1), pestes et lues fidei, serpentis ore fallentes, et corrumpendæ veritatis artifices, venena lethalia linguis pestiferis evomentes; quorum sermo ut cancer serpit (II *Tim.* II, 17), quorum tractatus pectoribus et cordibus singulorum mortale virus infundit.

XI. Contra ejusmodi clamat Dominus, ab his refrænat et revocat errantem plebem suam, dicens : *Nolite audire sermones pseudoprophetarum, quoniam visiones cordis eorum frustrantur eos. Loquuntur, sed non ab ore Domini. Dicunt eis qui abjiciunt verbum Dei : Pax erit vobis et omnibus ambulantibus in voluntatibus suis. Omnis qui ambulat in errore cordis sui, non venient super eum mala. Non locutus sum ad eos, et ipsi prophetaverunt. Si stetissent in substantia mea, et audissent verba mea, et si docuissent populum meum, convertissem eos a malis cogitationibus eorum* (*Hier.* XXIII, 16, 17, 21, 22). Hos eosdem denuo Dominus designat et denotat dicens : *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et effoderunt sibi lacus detritos, qui non possunt aquam portare* (*Ibid.* II, 13). Quando aliud baptisma præter unum esse non possit, baptizare se posse opinantur. Vitæ fonte deserto, vitalis et salutaris aquæ gratiam pollicentur. Non abluuntur illic [e] homines, sed potius sordidantur; nec purgantur delicta, sed immo cumulantur. Non Deo nativitas illa, sed diabolo filios generat. Per mendacium nati Veritatis promissa non capiunt : de perfidia procreati fidei gratiam perdunt. Ad pacis præmium [198] venire non possunt, qui pacem Domini discordiæ furore ruperunt.

XII. Nec se quidam vana interpretatione decipiant quod dixerit Dominus : *Ubicumque fuerint duo aut tres collecti in nomine meo, ego cum eis sum* (*Matth.* XVIII, 19, 20). Corruptores Evangelii atque interpretes falsi extrema ponunt et superiora prætereunt, partis memores, et partem [f] subdole comprimentes; ut ipsi ab Ecclesia scissi sunt, ita capituli unius sententiam scindunt : Dominus enim, cum discipulis suis unanimitatem suaderet et pacem : *Dico*, inquit, *vobis quoniam, si duobus ex vobis convenerit in terra, de omni re quacumque petieritis, continget vobis a Patre meo qui in cœlis est. Ubicumque enim fuerint duo aut tres collecti in nomine meo, ego cum eis sum* (*Ibid.*), ostendens non multitudini, sed unanimitati deprecantium plurimum tribui. *Si duobus*, inquit, *ex vobis convenerit in terra;* unanimitatem prius posuit, concordiam pacis

LECTIONES VARIANTES.

[a] Mansissent nobiscum *Thu. Foss.*
[b] Dum perversa mens non tenet unitatem *Ar.*
[c] A tritico *Voss.* 3.
[d] Conventus *Voss.* 3.
[e] Illis *Oxon.*
[f] Partim memores et partim *Bod.* 1. *Voss.* 1. *Paris. Thu.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

brochius in cap. 135 Commentarii sui *in tabernaculum fœderis*, comparans eos accipitri, aiens illos populum Domini non ut pastores, sed sæcularium more regere ac moderari. Et addit : *Et ut accipiter pullos suos, dum valent, ad captandam prædam volare compellit, et est ferus ac crudelis, ita perversi prælati pullos suos, id est eos qui ipsorum funguntur munere, prædas ubicumque possint agere compellunt. Semper enim ubi rerum temporalium lucra sperunt, versuti, rigidi, ac crudeles sunt, cum tamen Deus omnipotens prælatis Ecclesiæ haud secus omni interdixerit inclementia ac crudelitate, quam Judæis omni accipitrum genere.* Vide etiam Nicolaum de Cusa, lib. III *de Concordantia Catholica*, cap. 29.

[198] *Amaritudo cum dulcedine.* Cornelius Celsus, lib. IV, cap. 9 : *Dulcia omnia inimica sunt.* Arnobius, lib. VII : *Neque enim in dulcedinem vertere amaritudo se potest.* Hieronymus, in præfatione Epistolæ ad Algasiam : *Aliis dulcia placent, nonnullos subamara delectant. Horum stomachum acida renovant, illorum falsa sustentant.* Vide notas nostras ab librum quintum Salviani.

X — *Sine divina.* Ut Novatianus Romæ adversus Cornelium. Vide quæ de Luciano notamus ad Epistolam XVI, pag. 403.

Tractatus. Antea legebatur *tractus* in antiquis editionibus. Rembolius edidit *tactus.* Quæ lectio magis arrisit Erasmo, Manutio, Pamelio, et Rigaltio, sed non Morellio, qui posuit *tractatus.* Quæ est vera lectio, quam confirmant XXVI libri nostri et decem Anglicani, tum etiam editio Venetâ anni 1547. Hanc vero lectionem tamenetsi Rigaltius non posuerit in contextu, ait tamen in observationibus suis ita scribi omnino debere. Hoc judicium secuta est editio Anglicana.

XII. — *Corruptores Evangelii.* Rufinus, in Psal. CX, explicans adversus hæreticos hæc verba, *quoniam ecce peccatores incenderunt arcam*, ait, *id est sanctam Scripturam suis erroribus et suis sensibus applicaverunt.* Idem, lib. V *Hist. Eccles.*, cap. 28 : *Scripturas autem divinas absque ulla timoris Dei reverentia corruperunt.*

Digitized by Google

ante præmisit, ut conveniat nobis fideliter et firmiter docuit. Quomodo autem potest ei cum aliquo convenire cui cum corpore ipsius Ecclesiæ et cum universa fraternitate non convenit? quomodo possunt duo aut tres in nomine Christi colligi quos constat a Christo et ab ejus Evangelio separari? Non enim nos ab illis, sed illi a nobis recesserunt. Et cum hæreses et schismata postmodum nata sint, dum conventicula sibi diversa constituunt, veritatis caput atque originem reliquerunt. Dominus autem de Ecclesia sua [a] loquitur, et ad hos qui sunt in Ecclesia loquitur, ut si ipsi concordes fuerint, si, secundum quod mandavit et monuit, duo aut tres licet, collecti unanimiter oraverint, duo aut tres licet sint, impetrare possint de Dei majestate quod postulant. *Ubicumque fuerint duo aut tres collecti in nomine meo, ego*, inquit, *cum eis sum*, cum simplicibus scilicet atque pacatis [b], cum Deum timentibus et Dei præcepta servantibus. Cum his duobus vel tribus licet esse se dixit, quomodo et cum tribus pueris in camino ignis fuit (*Dan.* III), et quia in Deum simplices atque inter se unanimes permanebant, flammis ambientibus medios spiritu roris animavit. Quomodo Apostolis duobus in custodia clausis (*Act.* V), quia simplices, quia unanimes erant, ipse adfuit, ipse, resolutis carceris claustris, ut verbum quod fideliter prædicabant multitudini traderent, ad forum rursus imposuit. Quando ergo in præceptis suis ponit et dicit: *Ubi fuerint duo aut tres collecti in nomine meo, ego* [c] *cum eis sum*, non homines ab Ecclesia dividit qui instituit et fecit Ecclesiam, sed exprobrans discordiam perfidis, et fidelibus pacem sua voce commendans, ostendit magis esse secum duobus aut tribus unanimiter orantibus quam cum dissidentibus plurimis, plusque impetrari posse paucorum concordi prece quam discordiosa oratione multorum [d].

XIII. Ideo et cum orandi legem daret, addidit dicens: *Et cum steteritis ad orationem, remittite si quid habetis adversus aliquem, ut et Pater vester qui in cœlis est remittat vobis peccata* (*Marc.* XI, 25). Et ad sacrificium cum dissensione venientem revocat ab altari, et jubet prius concordare cum fratre, tunc cum pace redeuntem Deo munus offerre (*Matth.* V, 24), quia nec ad Cain munera respexit Deus (*Gen.* IV, 5): neque enim pacatum habere Deum poterat, qui cum fratre pacem per zeli discordiam non habebat. Quam sibi igitur pacem promittunt inimici fratrum, quæ sacrificia celebrare se credunt æmuli sacerdotum? An secum esse Christum cum collecti fuerint opinantur, qui extra Christi Ecclesiam colliguntur?

XIV. Tales etiamsi occisi in confessione nominis fuerint, macula ista nec sanguine abluitur: inexpiabilis et gravis culpa discordiæ nec passione purgatur. Esse martyr [199] non potest qui in Ecclesia non est: ad regnum pervenire non poterit qui eam quæ regnatura est derelinquit. Pacem nobis Christus dedit, concordes atque unanimes esse præcepit, dilectionis et charitatis fœdera incorrupta atque inviolata servari mandavit. Exhibere se non potest martyrem qui fraternam non tenuit charitatem. Docet hoc et contestatur Paulus apostolus dicens: *Et si habuero fidem ita ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum. Et si in cibos pauperum distribuero omnia mea, et si tradidero corpus meum ut ardeam, charitatem autem non habeam, nihil proficio. Charitas magnanima est, charitas benigna est, charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non irritatur, non cogitat malum* [e], *omnia diligit, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Charitas numquam excidit* [f] (I *Cor.* XIII, 2, 5, 7, 11). Numquam, inquit, excidit charitas. Hæc enim semper in regno erit, hæc in æternum fraternitatis sibi cohærentis unitate durabit. Ad regnum cœlorum non potest pervenire discordia; ad præmia Christi [g], qui dixit, *Hoc est mandatum meum, ut diligatis invicem, quemadmodum dilexi vos* (*Joan.* XV, 12), pertinere non.

LECTIONES VARIANTES.

[a] Ad Ecclesiam suam loquitur *Voss.* 1.
[b] Pacificus *Ver.* Placatis *Voss.* 3.
[c] Ego, inquit, cum eis *Ar. Paris. Bod.* 1, 2, 3, 4. *Lam. Lin.*
[d] Concordantium pacem quam discordantium orationem multorum *Voss.* 3.
[e] Non agit perperam, non inflammata, non gaudet super injustitiam *Lam. Lin.*
[f] Excidet *habent codd.* IX *Anglic.*
[g] Nec præmium Christi. *Ar. Lam. Ebor. Voss.* 1, 2, 3. *NC.* 1. *Paris. Thu. Foss. Oxon.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

XIII.—*Pacatum.* Tres libri veteres habent *placatum*. Alii tres et vetustiores editiones addunt *vel pacem apud Deum*. Sed ea desunt in aliis editionibus et in quindecim antiquis exemplaribus. Recte autem Pamelius existimat irrepsisse in textum ex margine. Ego facilius crediderim addita fuisse supra lineam in codicibus antiquis, uti sæpe factum fuisse monuimus supra. Codex Turonensis habet: *Neque enim habere pacem apud Deum poterat*. Fuxensis: *Neque enim pacem Domini habere poterat*. In Epistola secunda Pelagii II *ad Episcopos Istriæ*, legitur: *Neque enim habere pacatum Dominum poterat*. Aliter hunc Cypriani locum expressit Ludovicus Romanus in sermone quem habuit in concilio Basilecensi. Sic enim posuit: *Neque enim Deum habere pacatum poterit qui cum fratre pacem non habet, sed zeli discordiam*.

XIV.—*Tales etiamsi*. Ad hunc locum vir doctissimus Joannes Pearsonius episcopus Cestrensis in *Vindiciis Epistolarum sancti Ignatii*, cap. 9, censet respexisse sanctum Joannem Chrysostomum, homilia undecima in Epistolam ad *Ephesios*, cum ait virum quemdam sanctum dixisse ne martyrii quidem sanguinem posse peccatum schismatis eluere.

Ut ardeam, ita etiam lib. III *Testimoniorum*, cap. 5. At Hieronymus in caput quintum Epistolæ *ad Galatas* refert, in veteri versione, pro *ardeam* legi *glorier*. Et videtur Hieronymus præferre eam lectionem, cum paulo post dicat illam quæ habet *ardeam* esse errorem qui apud nostros inolevit.

Charitas magnanima. Ita etiam in libro *de Zelo et Livore*, pag. 250, in libro *de Bono patientiæ*, pag. 252; et lib. III *Testimoniorum*, cap. 3. Vide annotationes Erasmi in hunc locum Epistolæ primæ Pauli *ad Corinthios*.

Pertinere non poterat. Plerique libri veteres præferunt, *ad Christum pertinere non poterit qui dilectionem*. Retinuimus eorum lectionem qui plures numero sunt.

Digitized by Google

poterit qui dilectionem Christi perfida dissensione violavit. Qui charitatem non habet, Deum non habet. Joannis beati apostoli vox est : *Deus*, inquit, *dilectio est; et qui manet in dilectione, in Deo manet* [a], *et Deus in illo manet* (I *Joan.* IV, 16). Cum Deo manere non possunt qui esse in Ecclesia Dei unanimes noluerunt. Ardeant licet flammis et ignibus traditi vel objecti bestiis animas suas ponant, non erit illa fidei corona, sed pœna perfidiæ ; nec religiosæ virtutis exitus gloriosus, sed desperationis interitus. Occidi talis potest, coronari non potest. Sic se christianum esse profitetur quomodo et Christum diabolus sæpe mentitur, ipso Domino præmonente et dicente : *Multi venient in nomine meo dicentes : Ego sum Christus, et multos fallent* (*Marc.* XIII, 6). Sicut ille Christus non est, quamvis fallat in nomine, ita nec christianus videri potest qui non permanet in Evangelii ejus et fidei veritate.

XV. Nam et prophetare et dæmonia excludere [b] et virtutes magnas in terris facere sublimis utique et admirabilis res est, non tamen regnum cœleste consequitur quisquis in his omnibus invenitur, nisi recti et justi itineris observatione gradiatur. Denuntiat Dominus et dicit : *Multi mihi dicent in illo die : Domine, Domine, nonne in tuo nomine prophetavimus, et in tuo nomine dæmonia exclusimus, et in nomine tuo virtutes magnas fecimus? Et tunc dicam illis : Numquam vos cognovi ; recedite a me, qui operamini* [c] *iniquitatem* (*Matth.* VII, 22, 23). Justitia opus est ut promereri quis possit Deum judicem : præceptis ejus et monitis obtemperandum est, ut acciiant merita nostra mercedem. Dominus in Evangelio suo, cum spei et fidei nostræ viam compendio breviante dirigeret : *Dominus Deus tuus*, inquit, *Deus unus est ;* et : *Diliges Dominum Deum tuum de toto corde tuo, et de tota anima tua, et de tota virtute tua. Hoc est primum mandatum ; et secundum simile huic : Diliges proximum tuum tamquam te* [d]. *In his duobus præceptis tota lex pendet et prophetæ* (*Marc.* XII, 29-31). Unitatem simul et dilectionem magisterio suo docuit, prophetas omnes et legem præceptis duobus inclusit. Quam vero unitatem servat, quam dilectionem custodit aut cogitat, qui, discordiæ furore vesanus, Ecclesiam scindit, fidem destruit, pacem turbat, charitatem dissipat, sacramentum profanat?

XVI. Malum hoc, fidelissimi fratres, jam pridem cœperat ; sed nunc crevit ejusdem mali infesta clades, et exsurgere ac pullulare plus cœpit hæreticæ perversitatis et schismatum venenata pernicies, quia et sic [200] in occasu mundi fieri oportebat, prænuntiante per Apostolum nobis et prænionente Spiritu sancto : *In novissimis*, inquit, *diebus aderunt tempora molesta, et erunt homines sibi placentes, superbi, tumidi, cupidi, blasphemi, parentibus inobedientes, ingrati, impii, sine affectu, sine fœdere* [e], *delatores, incontinentes, immites, bonum non amantes, proditores, procaces, stupore inflati* [f], *voluptates magis quam Deum diligentes, habentes deformationem religionis, virtutem autem ejus abnegantes. Ex iis sunt qui repunt in domos, et prædantur mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur variis desideriis, semper discentes et numquam ad scientiam veritatis pervenientes. Et quomodo Jannes et Mambres restiterunt Moysi, sic et hi resistunt Veritati, sed non proficient* [g] *plurimum. Imperitia enim eorum manifesta erit omnibus, sicut et illorum fuit* (II *Tim.* III, 1-9). Adimplentur quæcumque prædicta sunt, et appropinquante jam sæculi fine, hominum pariter ac temporum probatione [h] venerunt. Magis ac magis adversario sæviente error fallit, extollit stupor, livor incendit, cupiditas excæcat, depravat impietas, superbia inflat, discordia exasperat, ira præcipitat.

XVII. Non tamen nos moveat aut turbet [i] multorum nimia et abrupta perfidia, sed potius fidem nostram, prænuntiante rei veritate, corroboret [j]. Ut quidam tales esse cœperunt, quia hæc ante prædicta sunt, ita cæteri fratres ab ejusmodi caveant, quia et hæc ante prædicta sunt, instruente Domino et dicente : *Vos*

LECTIONES VARIANTES.

[a] In Deo manet. Cum Deo. *Pem. Lin. Voss.* 1. *NC.* 2.
[b] Expellere *Lam. Ebor. Lin. Rod.* 2.
[c] Operabamini *NC* 1, 2 *Pem. Voss.* 2. *Thu.*
[d] Te ipsum *Pem. Lin. Voss.* 3.
[e] Sine misericordia *Voss.* 3.
[f] Inflati, superbi *Ar.* Ambitiosi *Voss.* 1. 3.
[g] Veritati, sed non proficient *Ar. Lam. Ebor. Lin. Thu. Foss. Ben. NC.* 1. *Voss.* 1. *Thu.*
[h] Probationes *Ver. Voss.* 3.
[i] Terreat *Voss.* 1. 3. Ruina et obrupta *NC.* 1, 3.
[j] Fidem nostram prænovitas corroboret *Ben.* Prænuntiatæ rei *Paris.* Rei veritate, res ipsa *Vat.* 3.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

XV.—*Virtutes magnas facere.* Vide notas nostras ad librum Agobardi *de Privilegio et Jure sacerdotii.*

XVI.—*Fidelissimi.* Ita omnes veteres editiones, viginti libri nostri, et septem Anglicani. Morelius posuit *dilectissimi.* Sed hanc lectionem ego non inveni nisi in tribus antiquis codicibus. Et tamen Pamelius eam retinuit, tum quia illam invenit in margine editionis quæ dicitur Gravii et in codice Camberonensi, tum etiam quia vocem *fidelissimi* incognitam esse ait Cypriano. Quod verum non est. Quippe in pluribus antiquis exemplaribus scriptum in pluribus locis animadverti *fidelissimi* pro eo quod in aliis legitur *dilectissimi.*

Parentibus inobedientes. Codex Thuanus : *Parentibus in dicto inobedientes.* Ita etiam codex sancti Arnulphi et Carnotensis. At Beccensis habet, *parentibus in dicto non audientes.* Sex libri nostri et duo Anglicani præferunt *inaudientes*, quidam, *obaudientes.* Apud Tertullianum in libro *de Exhortatione Castitatis* lego *obaudientiam.* Vide Gronovium, cap XIV observationum suarum in *Scriptoribus Ecclesiasticis.*

Resistunt veritati. Postea additur in additione quæ dicitur Gravii, *homines* [583] *corrupti sensu, reprobi circa fidem.* Sed ego illa in nullo eorum veterum exemplarium reperi quibus utor. Desunt etiam in quibusdam Anglicanis et in antiquis editionibus ; eaque desiderari in manuscriptis, excepto Coloniensi, et in excusis omnibus testatur Pamelius, qui addit ea omitti potuisse a Cypriano. Scio sane illa haberi in Epistola secunda Pauli *ad Timotheum.* Sed non ideo necesse est ut ponantur in contextu Cypriani, cum non exstent in antiquis exemplaribus lucubrationum ejus. Neque enim ille semper describit integra loca quæ accipit ex Epistolis Pauli, et interdum quædam addit quæ in illis non exstant, ut supra observatum est, pag. 526.

Digitized by Google

autem cavete, ecce prædixi vobis omnia (*Marc.* XII, 23). Vitate, quæso vos, fratres, ejusmodi homines, et a latere atque auribus vestris perniciosa colloquia velut contagium mortis arcete, sicut scriptum est : *Sepi aures tuas spinis, et noli audire linguam nequam* (*Eccli.* XXVIII, 28). Et iterum : *Corrumpunt ingenia bona confabulationes pessimæ* (I *Cor.* XV, 33) : Docet Dominus et admonet a talibus recedendum. *Cæci sunt*, inquit, *duces cæcorum. Cæcus autem cæcum ducens, simul in foveam cadunt* (*Matth.* XV, 14). Aversandus est talis atque fugiendus quisquis fuerit ab Ecclesia separatus. Perversus est hujusmodi et peccat, et est a semetipso damnatus (*Tit.* III, 11). An esse sibi cum Christo videtur qui adversus sacerdotes Christi facit, qui se a cleri ejus et plebis societate secernit? Arma ille contra Ecclesiam portat, contra Dei dispositionem repugnat. Hostis altaris, adversus sacrificium Christi rebellis, pro fide perfidus, pro religione sacrilegus, inobsequens servus, filius impius, frater inimicus, contemptis episcopis et Dei sacerdotibus derelictis, constituere audet aliud altare, precem alteram illicitis vocibus facere, Dominicæ hostiæ veritatem per falsa sacrificia profanare, nec scire quoniam qui contra ordinationem Dei nititur, ob temeritatis audaciam, divina animadversione punitur.

XVIII. Sic Chore et Dathan et Abiron, qui sibi contra Moysen et Aaron sacerdotem sacrificandi licentiam vindicare conati sunt, pœnas pro suis statim conatibus pependerunt (*Num.* XVI, 27). Terra, compagibus ruptis, in profundum sinum patuit, stantes atque viventes recedentis soli hiatus absorbuit. Nec tantum eos qui auctores fuerant Dei indignantis ira percussit, sed et cæteros ducentos quinquaginta participes ejusdem furoris et comites, qui coagulati cum iisdem simul ad audaciam fuerant, exiens a Domino ignis properata ultione consumpsit, admonens scilicet et ostendens contra Deum fieri quidquid improbi fuerint ad destruendam ordinationem Dei humana voluntate conati. Sic et Ozias rex, cum thuribulum ferens (II *Paral.* XXVI, 19), et contra legem Dei sacrificium sibi violenter assumens, resistente sibi Azaria sacerdote, obtemperare nollet et cedere, divina indignatione confusus et lepræ varietate in fronte maculatus est (IV *Reg.*, V), ea parte [201] corporis notatus offenso Domino ubi signantur qui Dominum promerentur. Et filii Aaron, qui imposuerunt altari ignem alienum, quem non præceperat Dominus, in conspectu statim Domini vindicatis extincti sunt.

XIX. Quos imitantur scilicet atque sectantur qui, Dei traditione contempta, alienas doctrinas appetunt et magisteria humanæ institutionis inducunt; quos increpat Dominus et objurgat in Evangelio suo dicens : *Rejicitis mandatum Dei, ut traditionem vestram statuatis* (*Marc.* VII, 9). Pejus hoc crimen est quam quod admisisse lapsi [a] videntur; qui tamen in pœnitentia criminis constituti Deum plenis satisfactionibus deprecantur. Hic Ecclesia quæritur et rogatur, illic Ecclesiæ repugnatur. Hic potest necessitas fuisse, illic voluntas tenetur in scelere. Hic qui lapsus est sibi tantum nocuit, illic qui hæresim vel schisma facere conatus est multos secum trahendo decepit. Hic animæ unius est damnum, illic periculum plurimorum. Certe peccasse se hic et intelligit, et lamentatur et plangit; ille tumens in pectore suo, et in ipsis sibi delictis placens, a matre filios segregat, oves a pastore sollicitat, Dei sacramenta disturbat : et cum lapsus semel peccaverit, ille quotidie peccat. Postremo lapsus, martyrium postmodum consecutus, potest re-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Hi qui sacrificaverunt *Pem. Voss.* 2

STEPH. BALUZII NOTÆ.

XVII.—*A semetipso, damnatus.* In codice Burgundico consequenter additur : *A semetipsis damnati sunt qui se ab Ecclesia Christi separant.* Et mox post hæc verba, *adversus sacerdotes Christi*, subiungitur in eodem veteri codice : *Cum Christo esse non videbitur qui contra sacerdotem Christi facit.* Verum nemo non videt hæc esse mera glossemata quæ ex ora libri irrepserunt in textum. Cæterum ea in nullo alio libro reperiuntur quam in Burgundico, et nulla editio ea habet. Unde interim colligitur non statim transferenda esse in textum quæ in antiquis codicibus reperiuntur inserta lucubrationibus veterum scriptorum et decocto judicio in iis utendum esse. Vide annotationes Erasmi in caput tertium Epistolæ Pauli ad *Titum*.

A cleri. Codex Veronensis, *ab Ecclesia ejus et plebe.* Lamonianus, *qui se a clericis ejus et plebe.*

Nec scire. Hæc scriptura habetur in omnibus antiquis codicibus et editionibus, nisi quod in codice Burgundico scriptum est, *Nescit quoniam.* Quidam vero, sed pauci, *ne scire.* Manutius edidit *nec dignatur scire.* Quod ab eo recte factum ait Pamelius ad vitandum hyperbaton, admonens interim vocem *dignatur* non exstare in manuscriptis. Sane ego illam in nullo eorum veterum exemplarium quibus utor reperi. Deest etiam in septem Anglicanis, ut minime dubitandum sit quin expungi debeat.

XVIII. — *Cedere.* Editio Manutiana habet *credere.* Quæ lectio potest esse bona. Verum cum illa non inveniatur nisi in quinque codicibus antiquis, alia exstet in antiquis editionibus et in XXI libris veteribus, placuit sequi exemplum editionis Anglicanæ, in qua scriptum est *cedere.*

Ubi signantur. Id est in fronte, uti dictum est paulo ante. Hieronymus, in *Præfatione* in librum Job : *Ego christianus, et de parentibus christianis natus, et vexillum Crucis in mea fronte portans.* Vide Hospinianum lib. II *de Templis*, cap. 10, pag. 164; et notas nostras ad librum Lactantii de *Mortibus persecutorum.*

XIX. —*Pejus hoc crimen est.* Codex Gratianopolitanus : *Pejus hoc crimen est quam quod hi qui sacrificaverunt admisisse lapsi videntur.* Verum istud glossema est quod ex ora libri irrepsit in textum. Auctor Epistolæ secundæ Pelagii II, *ad Episcopos Istriæ*, ut ista quadrarent cum suo proposito, scripsit : *Pejus schismatis crimen est.*

In peccato suo. Codex Flori, *in pectore suo.* Istic errore typographi scriptum est *peccatore.* Emendandum est.

Postmodum. Ita omnes libri veteres. Editiones antiquæ habent *primitionem*, etiam Erasmica. Quod ideo annoto quia valde mirum est hunc hominem, peritissimum videlicet linguæ latinæ, qui non potuit ignorare hanc vocem non esse latinam et nihil significare, qui præterea sciebat alibi legi *postmodum*;

Digitized by Google

gni[a] promissa percipere; ille, si extra Ecclesiam fuerit occisus, ad Ecclesiæ non potest præmia pervenire.

XX. Nec quisquam miretur, dilectissimi fratres, etiam de confessoribus quosdam ad ista procedere[b], inde quoque aliquos tam nefanda quam gravia peccare. Neque enim confessio immunem facit ab insidiis diaboli, aut contra tentationes et pericula et incursus atque impetus sæculares adhuc in sæculo positum perpetua securitate defendit. Cæterum numquam in confessoribus fraudes et stupra et adulteria postmodum videremus, quæ nunc in quibusdam videntes ingemiscimus et dolemus. Quisquis ille confessor est, Salomone major aut melior aut Deo charior non est : qui tamen quamdiu in viis Domini ambulavit, tamdiu gratiam quam de Domino fuerat consecutus obtinuit; postquam dereliquit Domini viam, perdidit et gratiam Domini. Et ideo scriptum est[c] : *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam* (*Apoc.* III, 11). Quod utique Dominus non minaretur auferri posse coronam justitiæ, nisi quia, recedente justitia, recedat necesse est et corona.

XXI. Confessio exordium gloriæ est, non meritum jam coronæ; nec perficit laudem, sed initiat dignitatem. Cumque scriptum sit, *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* X, 22), quidquid ante finem fuerit gradus est quo ad fastigium salutis ascenditur, non terminus quo jam culminis summa teneatur. Confessor est; sed post confessionem periculum majus est, quia plus adversarius provocatus est : confessor est; hoc magis stare debet cum Domini Evangelio per Evangelium gloriam consecutus a Domino. Ait enim Dominus : *Cui multum datur, multum quæritur ab eo; et cui plus dignitatis adscribitur, plus de illo exigitur servitutis*[d] (*Luc.* XII, 48). Nemo per confessoris exemplum pereat, nemo injustitiam, nemo insolentiam, nemo perfidiam de confessoris moribus discat. Confessor est. Sit humilis et quietus, sit in actu suo cum disciplina modestus; ut qui Christi confessor dicitur, Christum quem confitetur imitetur. Nam, cum dicat ille : *Qui se extollit humiliabitur, et qui humiliat se exaltabitur* (*Luc.* XVIII, 14), et ipse a Patre exaltatus sit, quia se in terris Sermo et Virtus et Sapientia Dei Patris humiliavit, quomodo potest extollentiam diligere qui et nobis humilitatem sua lege mandavit, et ipse a Patre amplissimum nomen præmio humilitatis accepit? Confessor est Christi, sed si non [302] postea blasphemetur per ipsum majestas et dignitas Christi. Lingua Christum confessa non sit maledica, non sit turbulenta, non conviciis et litibus perstrepens audiatur, non contra fratres et Dei sacerdotes, post verba laudis[e], serpentis venena jaculetur. Cæterum, si culpabilis et detestabilis postmodum fuerit, si confessionem suam mala conversatione prodegerit, si vitam suam turpi fœditate maculaverit, si, Ecclesiam denique, ubi confessor factus est, derelinquens et unitatis concordiam scindens, fidem primam perfidia posteriore mutaverit, blandiri sibi per confessionem non potest, quasi sit electus ad gloriæ præmium, quando ex hoc ipso magis creverint merita pœnarum.

XXII. Nam et Judam inter Apostolos Dominus elegit, et tamen Dominum Judas postmodum prodidit. Non tamen ideirco Apostolorum fides et firmitas cecidit quia proditor Judas ab eorum societate defecit. Sic et hic non statim confessorum sanctitas et dignitas comminuta est quia quorumdam fides fracta est. Beatus Paulus apostolus in Epistola sua loquitur : *Quid enim si exciderunt a fide quidam illorum? numquid infidelitas illorum fidem Dei evacuavit? Absit. Est enim Deus verax, omnis autem homo mendax* (*Rom.* III, 3, 4). Stat confessorum pars major et melior in fidei suæ robore et in legis ac disciplinæ Dominicæ veritate; nec ab Ecclesiæ pace discedunt qui se in Ecclesia gratiam consecutos de Dei dignatione meminerunt; atque hoc ipso ampliorem consequuntur fidei

LECTIONES VARIANTES.

[a] Regni cœlorum *Lam. Ebor. Bod.* 2. *Ben.*
[b] Ad istam dissensionem procedere *Bod.* 3. Prosilire *Ver.*
[c] Et ideo *Lam. Ebor. NC.* 1, 2. *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Paris. Voss.* 1, 2. Et ideo in Apocalypsi Dominus ad Joannem graviter comminatus *Ver. Manut.*
[d] Officium servitutis *Bod.* 3.
[e] Verba laudis et confessionis *Ver.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

mirum est, inquam, illum pravam lectionem retinuisse in contextu, bonam posuisse in margine. Editio quæ dicitur Gravii præfert eam quæ bona est. Inde exortæ sunt aliæ editiones.

XX. — *Gratiam Domini.* Post hæc verba Manutius addidit, *sicut scriptum est : Et excitavit Dominus Satanam ipsi Salomoni; et ideo in Apocalypsi Dominus ad Joannem graviter comminatur.* Quæ Rigaltius ait esse in veteri libro Veronensi. Pamelio non placuit hæc additio Manutii, nimirum quia, ut ille ait, Dominus in illo loco non loquitur ad Joannem, sed ad Angelum Philadelphiæ. Itaque Pamelius retinuit quidem eam additionem, sed delevit ea quæ referuntur ex *Apocalypsi.* Ita etiam Rigaltius. Ego vero omnia supprimo, quia illa non inveni in ullo veterum exemplarium nostrorum, quia desunt in undecim Anglicanis et in editionibus Manutiana antiquioribus.

XXI. — *Ascenditur.* Codex sancti Dionysii Remensis *extenditur.* Pro quo fortassis legendum, est *excenditur*, ut apud Tacitum, lib. XIII, Annalium *excendere suggestum imperatoris* et lib. XV, *postea escendere.*

[302] *Confessor per Evangelium.* Supra, epist. XXX, pag. 40 : *Si non illam de Evangelii conservatione inveniantur consecuti unde martyres fiunt.* Ubi vide notas nostras, pag. 416.

Prodegerit. Hanc lectionem habent codex Veronensis et sexdecim libri nostri. Eam primus invexit Pamelius, editionem Gravii, ut ipse ait, secutus. Ego tamen in illa editione legi *prodiderit.* Hæc vero postrema lectio habetur in omnibus editionibus quæ Pamelianam antecesserunt et in decem codicibus antiquis. Puto autem illam esse meliorem. Supra, epist. LXXIV, pag. 61 : *Proditores fidei et Ecclesiæ Catholicæ impugnatores.* Retinui ergo lectionem quæ plurium veterum librorum auctoritate nititur. Nam et illa quoque bona est.

Digitized by Google

suæ laudem, quod, ab eorum perfidia segregati qui junceti confessionis consortio fuerunt [a], a contagio criminis recesserunt, vero [b] illuminati Evangelii lumine, pura et candida Domini luce radiati, tam sunt in conservanda Christi pace laudabiles, quam fuerunt in diaboli congressione victores.

XXIII. Opto equidem, dilectissimi fratres, et consulo pariter et suadeo ut, si fieri potest, nemo de fratribus pereat et consentientis populi corpus unum gremio suo gaudens mater includat [c]. Si tamen quosdam schismatum duces et dissensionis auctores, in cæca et obstinata dementia permanentes, non potuerit ad salutis viam consilium salubre revocare, cæteri tamen vel simplicitate capti, vel errore inducti, vel aliqua fallentis astutiæ calliditate decepti, a fallaciæ vos laqueis solvite, vagantes gressus ab erroribus liberate, iter rectum viæ cœlestis agnoscite. Contestantis Apostoli vox est : *Præcipimus vobis*, inquit, *in nomine Domini nostri Jesu Christi ut recedatis ab omnibus fratribus ambulantibus inordinate et non secundum traditionem quam acceperunt a nobis* (II *Thess.* III, 6). Et iterum dicit : *Nemo vos decipiat inanibus verbis. Propterea enim venit ira Dei super filios contumaciæ* [d]. *Nolite ergo esse participes eorum* (*Ephes.* V, 6, 7). Recedendum est a delinquentibus, vel immo fugiendum, ne, dum quis male ambulantibus jungitur, et per itinera erroris et criminis graditur, a via veri itineris exerrans, pari crimine et ipse teneatur. Deus unus est, et Christus unus, et una Ecclesia ejus, et fides una, et plebs una in solidam corporis unitatem [e] concordiæ glutino copulata. Scindi unitas non potest, nec corpus unum discidio compaginis separari, divulsis laceratione visceribus, in frusta discerpi. Quidquid a matrice discesserit, seorsum vivere et spirare non poterit, substantiam salutis amittit.

XXIV. Monet nos Spiritus sanctus et dicit : *Quis est homo qui vult vitam et amat videre dies optimos? Contine linguam tuam a malo, et labia tua ne loquantur insidiose. Declina a malo et fac bonum, quære pacem et sequere eam* (*Psal.* XXXIII, 13-15). Pacem quærere debet et sequi filius pacis, a dissensionis malo continere linguam [203] suam debet qui novit et diligit vinculum charitatis. Inter sua divina mandata [f] et magisteria salutaria, passioni jam proximus Dominus addidit dicens : *Pacem dimitto vobis, pacem meam do vobis* (*Joan.* XIV, 27). Hanc nobis hæreditatem dedit, dona omnia suæ pollicitationis et præmia in pacis conservatione promisit. Si cohæredes Christi sumus, in Christi pace maneamus [g]. Si filii Dei sumus, pacifici esse debemus. *Beati*, inquit, *pacifici, quoniam ipsi filii Dei vocabuntur* (*Matth.* V, 9). Pacificos esse oportet Dei filios, corde mites, sermone simplices, affectione concordes, fideliter sibi unanimitatis nexibus cohærentes.

XXV. Hæc unanimitas sub Apostolis olim fuit. Sic novus credentium populus Domini mandata custodiens, charitatem suam tenuit. Probat Scriptura divina quæ dicit : *Turba autem eorum qui crediderant anima et mente una agebant* [h] (*Act.* IV, 32). Et iterum : *Et erant perseverantes omnes unanimes* [i] *in oratione cum mulieribus et Maria quæ fuerat mater Jesu et fratribus ejus* (*Act.* I, 14.). Et ideo, quia efficacibus precibus orabant, ideo impetrare cum fiducia poterant quodcumque de Domini misericordia postulabant.

XXVI. In nobis vero sic unanimitas diminuta est, ut et largitas operationis infracta est [j]. Domos tunc et fundos venumdabant, et thesauros sibi in cœlo reponentes, distribuenda in usus indigentium pretia Apostolis offerebant. At nunc de patrimonio nec decimas damus; et cum vendere jubeat Dominus, eminus potius et angemus. Sic in nobis emarcuit vigor fidei, sic credentium robur elanguit. Et idcirco Dominus, tempora nostra respiciens, in Evangelio suo dicit : *Filius hominis cum venerit, putas inveniet fidem in terra* (*Luc.* XVIII)? Videmus fieri quod ille prædixit. In Dei timore, in lege justitiæ, in dilectione, in opere fides nulla est : nemo futurorum metum cogitat; [k] diem Domini et iram Dei et incredulis ventura supplicia et statuta perfidis æterna tormenta nemo considerat : quod metueret [l] conscientia nostra, si crederet; quia non credit omnino, nec metuit. Si

LECTIONES VARIANTES.

[a] Atque hoc ipso majorem consequuntur fidei suæ laudem, imo ampliorem, quod..... segregati quibus junceti confessionis consortio fuerunt *Ver. Paris.* Qui junctis confessionibus *Paris.*

[b] Steterunt vero *Bod.* 3. At vero *Bod.* 1, 2.

[c] Mater Ecclesia *Voss.* 3.

[d] Diffidentiæ *Ar. Lam.*

[e] Unitate *Bod.* 1. 4.

[f] Inter sua denique mandata *Ver.*

[g] In Christi pacem abeamus *Cor.* Maneamus *Ar.*

[h] Animam et mentem unam habebant *Bod.* 3.

[i] Perseverantes unanimes *Lam. Ebor. Lin.*

[j] Ut largitas operationis infracta. Domos *Ver.* Infracta sit *Voss.* 3.

[k] Metum cogitat, diem *Bod.* 1, 4. *Impr.*

[l] Quod quidem metueret *Voss.* 1. Quod metueret *Ver.* Quidquid metueret *Ben.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

XXIV.—*Insidiose.* Codex Compendiensis habet *dolose*, quatuor alii *dolum*, Burgundicus *iniquitatem*, Eligianus *mendacium*.

Hæreditatem dedit. Manutius, *hæreditatem Christus dedit.* Sed vocem *Christus*, quæ sane necessaria non est, non agnoscunt libri veteres, neque veteres editiones.

Cohæredes. Fatendum est majorem veterum librorum partem habere simpliciter *hæredes* et lectionem quam ego retineo exstare in septem tantum et in vetustis editionibus, inter quas pono Morellianam. Quamvis vero major veterum librorum pars habeat *hæredes*, ego aliam lectionem præfero, quia in capite VIII Epistolæ Pauli *ad Romanos*, ex qua sumptus est hic locus, legitur : *Si autem filii et hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.* Sic etiam refertur hic locus Epist. LVI, pag. 90, et epist. LXXXI, pag. 164, et in Epistola ad Fortunatum *de Exhortatione Martyrii*, cap. II, et lib. III *Testimoniorum*, cap. 16.

XXV.—*Quæ fuerat.* Revocavi hanc lectionem, quam et omnes fere libri veteres et editiones Pameliana antiquiores habent. Pamelius posuit *fuit* ex codice ms. et quia ita legebat in libro *de Oratione Dominica.* At ego lectionem illam non reperi nisi in codice Remensi sancti Dionysii. Postea videbimus, pag. 556, Pamelium posuisse *fuit* in libro *de Oratione Dominica*,

Digitized by Google

autem crederet, et cavêret : si caveret, evaderet. Excitemus nos quantum possumus, dilectissimi fratres, et, somno inertiæ veteris abrupto, ad observanda et gerenda Domini præcepta vigilemus. Simus tales quales esse nos ipse præcepit dicens : *Sint lumbi vestri accincti et lucernæ ardentes in manibus vestris ; et vos similes hominibus expectantibus dominum suum quando veniat a nuptiis, ut cum venerit et pulsaverit aperiant ei. Beati servi quos adveniens Dominus invenerit vigilantes* (*Luc.* XII, 35-37). Accinctos nos esse oportet, ne, cum expeditionis dies [a] venerit, impeditos nos et implicitos apprehendat. Luceat in bonis operibus nostrum lumen et fulgeat, ut ipsum nos ad lucem claritatis æternæ de hac sæculi nocte perducat. Expectemus solliciti semper et cauti adventum Domini repentinum, ut, quando ille pulsaverit, evigilet fides nostra, vigilantiæ præmium de Domino receptura. Si hæc mandata serventur, si hæc monita et præcepta teneantur, opprimi dormientes diabolo fallente non possumus, servi vigiles Christo dominante regnabimus [b].

LECTIONES VARIANTES.

[a] Proditionis dies *Pem. Imp.*

[b] Regnabimus. Amen *Voss.* 3.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

XXVI. — *Impeditos et implicitos.* Pamelius scripsit *impeditos nos et implicitos.* Quam sane lectionem reperi in tribus antiquis exemplaribus. Sed vocem *nos* non agnoscunt reliqui neque veteres editiones. Et alioqui sensus est integer absque illo vocabulo. Itaque delevi.

---

[205] LIBER

DE ORATIONE DOMINICA.

ARGUMENTUM. — *Tres complectitur partes tractatus S. Cypriani de Oratione Dominica, in quo librum Tertulliani de Oratione imitatur. In priore ostendit Orationem Dominicam esse omnium excellentissimam, summe spiritualem et ad impetrandum efficacissimam. In altera vero parte Dominicæ Orationis complectitur explicationem, septemque ejus partes præcipuas, Tertulliani vestigiis inhærens, decurrit. Demum in tertia parte Orationis conditiones expendit, docetque Orationem esse debere, 1° perseverantem et assiduam, exemplo Christi Domini ; 2° vigilantem ac toto corde effusam, exemplo sacerdotis qui « ante orationem præfatione præmissa parat fratrum mentes dicendo :* Sursum corda, *et respondet plebs :* Habemus ad Dominum ; » *3° bonis operibus et eleemosynis consociatam, Tobiæ instar et Cornelii ; 4° omnibus diei horis ac præsertim tribus ab Ecclesia Orationi destinatis, tertia nimirum, sexta et nona, mane nec non et vespere esse orandum.* EDD.

I. EVANGELICA præcepta, fratres dilectissimi, nihil aliud sunt quam magisteria divina, fundamenta ædificandæ spei [c], firmamenta corroborandæ fidei, nutrimenta fovendi cordis, gubernacula dirigendi itineris, præsidia obtinendæ salutis ; quæ, dum dociles credentium mentes in terris instruunt, ad cœlestia regna perducunt. Multa et per Prophetas servos suos dici Deus voluit et audiri ; sed quanto majora [d] quæ Filius loquitur, quæ Dei sermo qui in Prophetis fuit propria voce testatur, non jam mandans ut paretur venienti via, sed ipse veniens, et viam nobis aperiens et ostendens ; ut qui, in tenebris mortis errantes, improvidi et cæci prius fuimus, luce gratiæ luminati, iter vitæ duce et rectore [e] Domino teneremus.

II. Qui inter cætera salutaria sua monita et præcepta divina quibus populo suo consulit ad salutem, etiam orandi ipse formam dedit, ipse quid precaremur monuit et instruxit. Qui fecit vivere, docuit et orare, benignitate ea scilicet qua et cætera dare et conferre dignatus est ; ut, dum prece et oratione [f] quam Filius docuit apud Patrem loquimur, facilius audia-

LECTIONES VARIANTES.

[c] Fundamenta corroborandæ fidei, nutrimenta ædificandæ spei, firmamentum fovendi cordis *Voss.* 3.

[d] Meliora *Voss.* 2. *Pem.*

[e] Iter viæ duce *Lin. NC.* 2. *Bod.* 1, 2, 4.

[f] Orationem *Voss.* 3.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

[205] DE ORATIONE DOMINICA. — Sanctus Hilarius episcopus Pictaviensis, c. 5 Commentarii in *Matthæum*, sic loquitur de libro isto : *De orationis autem sacramento necessitate nos commentandi Cyprianus sanctæ memoriæ liberabit.* Sanctus Augustinus in Epistola ad Valerianum : *Legimus eis etiam librum beatissimi martyris Cypriani de Oratione Dominica, et ostendimus quemadmodum docuerit omnia quæ ad mores nostros pertinent, quibus recte vivimus, a Patre nostro qui in cœlis est exposcenda, ne de libero præsumentes arbitrio a divina gratia decidamus.* Ejusdem argumenti librum habemus apud Tertullianum. In concilio Gerundensi statutum est ut omnibus diebus post matutinas et vesperas Oratio Dominica proferatur. Et tamen postea nonnulli sacerdotes, ut in canone decimo concilii Toletani quarti legitur, inventi sunt qui Dominicam Orationem non quotidie sed dic tantum dominica dicerent. Vide Weseli Gansfortii Groningensis Tractatum *de Oratione.*

Digitized by Google

mur. Jam prædixerat horam venire quando veri adoratores adorarent Patrem in spiritu et veritate (*Joan.* IV, 23), et implevit quod ante promisit; ut qui spiritum et veritatem de ejus sanctificatione [a] percepimus, de traditione quoque ejus vere et spiritaliter adoremus. Quæ enim potest esse magis spiritalis oratio quam quæ a Christo nobis data est, a quo nobis et Spiritus sanctus missus est? Quæ vera magis apud Patrem precatio quam quæ a Filio, qui est Veritas, de ejus ore prolata est? ut aliter orare quam docuit non ignorantia sola sit, sed et culpa, quando ipse posuerit et dixerit : *Rejicitis mandatum Dei, ut traditionem vestram statuatis* (*Marc.* VII, 8).

III. Oremus itaque, fratres dilectissimi, sicut magister Deus [b] docuit. Amica et familiaris oratio est Deum de suo rogare, ad aures ejus ascendere Christi oratione. Agnoscat Pater Filii sui verba cum precem facimus. Qui habitat intus in pectore, ipse sit et in voce. Et cum ipsum habeamus apud Patrem advocatum pro peccatis nostris (I *Joan.* II, 1), quando peccatores pro delictis nostris petimus, advocati nostri verba promamus. Nam, cum dicat quia quodcumque petierimus a Patre in nomine ejus dabit nobis, (*Joan.* XVI, 23), quanto efficacius impetramus quod petimus in Christi nomine, si petamus ipsius oratione?

IV. Sit autem orantibus sermo et precatio cum disciplina, quietem continens et pudorem. Cogitemus nos sub conspectu Dei stare. Placendum est divinis oculis et habitu corporis et modo [c] vocis. Nam, ut impudentis est clamoribus strepere, ita contra congruit verecundo modestis precibus orare. Denique magisterio suo Dominus secreto orare nos præcepit, in abditis et semotis locis, in cubiculis ipsis, quod magis convenit fidei; ut sciamus Deum ubique esse præsentem, audire omnes et videre, et majestatis suæ plenitudine in [203] abdita quoque et occulta penetrare, sicut scriptum est : *Ego Deus approximans, et non Deus de longinquo. Si absconditus fuerit homo in absconditis, ego ergo non videbo eum? Nonne cœlum et terram ego impleo* [d] (*Hierem.* XXIII, 23, 24)? Et iterum : *In omni loco oculi Dei speculantur bonos et malos* (*Prov.* XV, 3). Et quando in unum cum fratribus convenimus, et sacrificia divina cum Dei sacerdote celebramus, verecundiæ et disciplinæ memores esse debemus, non passim ventilare preces nostras inconditis vocibus, nec petitionem commendandam modeste Deo tumultuosa loquacitate jactare, quia Deus non vocis sed cordis auditor est. Nec admonendus est clamoribus qui cogitationes hominum videt, probante Domino et dicente : *Quid cogitatis nequam in cordibus vestris* (*Luc.* V, 22)? Et alio loco : *Et scient omnes ecclesiæ quia ego sum scrutator renis et cordis* (*Apoc.* II, 23).

V. Quod Anna, in primo Regnorum libro, Ecclesiæ typum portans, custodit et servat; quæ Dominum non clamosa petitione [e], sed tacite et modeste intra ipsas pectoris latebras precabatur. Loquebatur prece occulta, sed manifesta fide; loquebatur, non voce, sed corde, quia sic Deum sciebat audire : et impetravit efficaciter quod petiit, quia fideliter postulavit. Declarat Scriptura divina quæ dicit : *Loquebatur in corde suo, et labia ejus movebantur, et vox ejus non audiebatur; et exaudivit eam Deus* (I *Reg.* I, 13). Item legimus in Psalmis : *Dicite in cordibus et in stratis vestris, et transpungimini* (*Psal.* IV, 5). Per Hieremiam quoque hæc eadem Spiritus sanctus suggerit et docet dicens : *In sensu autem tibi debet* [f] *adorari Deus* (*Baruch.* VI, 5).

VI. Adorans autem, fratres dilectissimi, nec illud ignoret quemadmodum in templo cum Pharisæo Publicanus oraverit, non allevatis in cœlum impudenter oculis, nec manibus insolenter erectis, sed pectus suum pulsans, et peccata intus inclusa contestans, divinæ misericordiæ implorabat auxilium. Et cum

LECTIONES VARIANTES.

[a] Satisfactione *pro* sanctificatione *Oxon.*
[b] Magister Dominus *Ar.* Magister docuit *Bod.* 2, 3.
[c] Modulo vocis *Victor. Voss.* 2.
[d] Impleo, dicit Dominus *Victor.*
[e] Clamosa voce, nec petitione *Ebor.*
[f] Tibi debemus adorare *Paris.* In sensu autem tibi esse debet adoratio Domini. *Ver.* In corde autem *Vict.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

II. — *Magis spiritalis.* Pamelius monuit scriptum esse *spiritalior* in quatuor antiquis codicibus. Ego quoque ita reperi in sex. Vide notas ad librum *de Habitu Virginum*, pag. 525.

Quæ a Christo. Manutius posuit *quæ vere a Christo.* Sed ego vocem *vere*, quæ non habetur in antiquis editionibus neque in veteribus libris nostris, et inutilis est, abjeci. Nemo quippe dubitare potest quin Oratio Dominica composita sit a Christo. Editio quoque Anglicana eam vocem rejecit.

III.— *Deum de suo rogare.* Seneca, Epist. 10 : *Audacter Deum roga, nihil de alieno rogaturus.*

Christi oratione. Secuti in hoc loco sumus editionem Rigaltii, quam ipse veram esse probat ratione et exemplo. Nititur autem ea plurium veterum librorum auctoritate.

IV.—*Denique Magisterio.* Citat hunc locum sanctus Fulgentius lib. II *ad Trasimundum*, cap. 16.

Abditis et semotis. Veteres editiones et tres libri veteres præferunt *abditis et secretis vel semotis*, ut lector eam lectionem acciperet quam mallet. Itaque quidam habebant *in abditis et secretis*, alii *in abditis vel semotis.*

Cogitationes hominum. Vox *hominum* deest in antiquissima editione hujus libri quam habeo, in quibusdam editionibus, et in quibusdam codicibus antiquis. Certe non est necessaria.

V.—*Labia ejus movebantur.* Horatius, lib. I Epist., 16: *Labra moves metuens audiri.* Persius, Sat. 5 : *Labra moves tacitus*, id est, *clam bene precando*, ut ait Volscus interpretans hunc locum. Sic Judith commendatur quod oraret cum lacrymis et labiorum motu in silentio. Augustinus in libro quinquaginta Homiliarum, Homilia XXIII : *Tacita loquebatur, non sermone rogabat, sed devotionem ostendebat.* Alio sensu apud Petronium Quartilla *commovebat valgiter labra.*

Dicite in cordibus. Quatuor libri veteres, et in his Seguierianus, habent : *Dicite in cordibus vestris et in cubilibus vestris compungimini.* Quod congruit cum versione vulgata psalmi IV.

Digitized by Google

sibi Pharisæus placeret, sanctificari hic magis meruit qui sic rogavit, qui spem salutis non in fiducia[a] innocentiæ suæ posuit, cum innocens nemo sit, sed peccata confessus humiliter oravit, et exaudivit orantem qui humilibus ignoscit. Quæ Dominus in Evangelio suo ponit et dicit : *Homines duo ascenderunt in templum orare*[b], *unus pharisæus et unus*[c] *publicanus. Pharisæus*[d] *cum stetisset, talia apud se precabatur*[e] *: Deus, gratias tibi ago quia non sum sicut cæteri homines, injusti, raptores, adulteri, quomodo et publicanus iste. Jejuno bis in sabbato, decimas do omnium quæcumque possideo. Publicanus autem de longinquo stabat, et neque oculos volebat ad cœlum levare, sed percutiebat pectus suum dicens : Deus, propitius esto mihi peccatori. Dico*[f] *vobis, descendit hic justificatus in domum suam magis quam ille pharisæus. Quia omnis qui se extollit*[g] *humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur* (*Luc.* XVIII, 10-14).

VII. Quæ nos, fratres dilectissimi, de divina lectione discentes, postquam cognovimus qualiter ad orationem accedere debeamus, cognoscamus, docente Domino, et quid oremus. *Sic*, inquit, *orate :* PATER NOSTER QUI ES IN CŒLIS, SANCTIFICETUR NOMEN TUUM, ADVENIAT REGNUM TUUM, FIAT VOLUNTAS TUA[h] SICUT IN CŒLO ET IN TERRA : PANEM NOSTRUM QUOTIDIANUM DA NOBIS HODIE, ET DEMITTE[i] NOBIS DEBITA NOSTRA SICUT ET NOS REMITTIMUS DEBITORIBUS NOSTRIS; ET NE NOS PATIARIS[j] INDUCI IN TENTATIONEM, SED LIBERA NOS A MALO. AMEN (*Matth.* VI, 9-13).

VIII. Ante omnia, pacis doctor atque unitatis magister singillatim noluit et privatim precem fieri, ut quis cum precatur, non pro se tantum precetur. Non enim dicimus, *Pater meus qui es in cœlis*, nec *Panem meum da mihi hodie;* nec dimitti sibi tantum unusquisque debitum postulat, aut ut in tentationem non inducatur, atque a malo liberetur, pro se[206] solo rogat. Publica est nobis et communis oratio ; et quando oramus, non pro uno sed pro toto populo oramus, quia totus populus unum sumus. Deus pacis et concordiæ magister, qui docuit unitatem, sic orare unum pro omnibus voluit quomodo in uno omnes ipse portavit. Hanc orationis legem servaverunt tres pueri in camino ignis inclusi, consonantes in prece, et spiritus consensione concordes. Quod declarat Scriptura divinæ fidei : et dum docet quomodo oraverint tales[k], dat exemplum quod imitari in precibus debeamus, ut tales esse possimus : *Tunc ille tres*, inquit, *quasi ex uno ore hymnum canebant et benedicebant Dominum* (*Dan.* III, 51). Loquebantur quasi ex uno ore, et nondum illos Christus docuerat orare. Et ideirco orantibus fuit impetrabilis et efficax sermo, quia promerebatur Dominum pacifica et simplex et spiritalis oratio. Sic et Apostolos cum discipulis post ascensum Domini invenimus orasse : *Erant*, inquit, *perseverantes omnes unanimes in oratione cum mulieribus et Maria quæ fuerat mater Jesu, et fratribus ejus* (*Act.* I, 14). Perseverabant in oratione unanimes, orationis suæ et instantiam simul et concordiam declarantes[l] : quia Deus, *qui inhabitare facit unanimes in domo*[m] (*Psal.* LXVII, 7), non admittit in divinam et æternam domum nisi eos apud quos est unanimis oratio.

LECTIONES VARIANTES.

[a] Non fiduciam *Gronov. Momb. p.* 151, *adnotat genuinam esse hanc lectionem, quam tamen nemo accepit.*
[b] Adorare *omnes edit. ante Oxon.*
[c] Et alter *Ebor. Voss.* 3. Et alius *Ver. Lan. NC.* 1. *MR.*
[d] Pharisæus autem *Lam. Ebor.*
[e] Precabatur, dicens *NC.* 1. *Lam.*
[f] Amen, amen dico *Bod.* 1.
[g] Exaltat *Ar. Lam. Paris. Bod.* 2.
[h] Tua in cœlo et *Bod.* 1. 4.
[i] Dimitte *Pem. Ebor. Paris. Lam. Ver.*
[j] Ne nos inducas *Ar. Ebor. Pem. Lin. Voss.* 2. *Bod.* 3, 4. Et ne passus fueris induci nos *Ver.*
[k] Tale dat exemplum *Voss.* 3.
[l] Orationis suæ instantia simul et concordia declarantes, quia... *Lips. ed. qui adnotat suam lectionem probabiliorem videri, utpote quæ in* 3 *edd. monetur* (a *J. Walkero in Dorvilii et Burmanni miscellan. observat. vol.* III, *t.* I, *p.* 13).
[m] In domo una *Pem. Voss. Bod.* 4.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

VI. — *Sanctificari hic.* Pamelius auctoritate codicis Camberonensis posuit *sanctificari publicanus hic.* Verum vox *publicanus*, quæ valde superflua et inutilis est in hoc loco, non reperitur in antiquis exemplaribus nostris neque in Anglicanis, neque demum in editionibus antiquis. Recte ergo fecerunt Angli dum eam expunxerunt. Gronovius, cap. 14 suarum Observationum in scriptoribus ecclesiasticis, jam dixerat additamentum esse ex interpretatione.

Qui humilibus. Pamelius ex eodem codice Camberonensi scripsit, *qui semper humilibus ignoscit.* Vocem *semper* non habent veteres editiones nec libri veteres. Et sane tamen Angli eam retinuerunt, quamvis octo eorum libri illam non habeant.

Volebat ad cœlum levare. Codex Seguelerianus, *levabat ad cœlum.* Sic etiam in alio veteri libro. In Evangelio secundum Lucam, *nolebat nec oculos ad cœlum levare.* Ubi vide annotationes Erasmi.

VIII. — *Unitatis magister.* Codex Fuxensis, *unitatis amator et magister.*

Singillatim. Ita septemdecim libri veteres. At antiquæ editiones, etiam Manutiana et Morelliana, et undecim vetera exemplaria præferunt *singulatim.* Sic etiam in nova nostra Conciliorum editione, pag. 1097, monuimus veteres concilii Chalcedonensis codices habere *singillatim* pro eo quod editiones habent *singulatim.*

Pro se solo. Codex Turonensis, *non pro se solo.* Hanc lectionem confirmare videtur unus vetus meus, in quo scriptum est : *Ne ut quis cum precatur pro se tantum precetur.*

Christus docuerat. Pamelius ex codice Camberonensi posuit, *Christus in carne visus docuerat.* Pamelii editionem secuti sunt Rigaltius et Angli. Sed cum eam additionem, quæ maxime superflua est, neque libri veteres habeant neque veteres editiones, delevi.

Ascensum. Duæ veteres editiones et tres libri manuscripti habent *ascensam*, duo *ascensionem.* Ego præferrem *ascensam*, nisi omnes fere libri veteres repugnarent. Nam Tertullianus et Cyprianus scribere solent remissam pro remissione. Vide glossarium Latinum Cangii.

Quæ fuerat. Ita omnes veteres editiones et omnia vetera exemplaria Pamelius ex unico codice Camberonensi posuit *quæ fuit.* Vide notas ad extremam partem libri *de Unitate Ecclesiæ*, pag. 554. Non video autem cur istud mutari debuerit, cum utriusque lectionis idem sit sensus.

Digitized by Google

IX. Qualia autem sunt, fratres dilectissimi, orationis Dominicæ sacramenta, quam multa, quam magna[a], breviter in sermone collecta, sed in virtute spiritaliter copiosa, ut nihil omnino prætermissum sit quod non in precibus atque orationibus nostris cœlestis doctrinæ compendio comprehendatur. *Sic*, ait, *orate*: PATER NOSTER QUI ES IN CŒLIS. Homo, novus, renatus, et Deo suo per gratiam ejus restitutus, *Pater* primo in loco dicit, quia filius esse jam cœpit. *In sua*, inquit, *propria venit, et sui eum non receperunt. Quotquot autem eum receperunt, dedit illis potestatem ut filii Dei fierent, his qui credunt in nomine ejus* (*Joan.* I, 11, 12). Qui ergo credidit in nomine ejus, et factus est Dei filius, hinc debet incipere ut et gratias agat et profiteatur se Dei filium, dum nominat patrem sibi esse in cœlis Deum; contestetur quoque inter prima statim nativitatis suæ verba renuntiasse se terreno et carnali patri, et patrem solum nosse se et habere cœpisse qui sit in cœlis, sicut scriptum est: *Qui dicunt patri et matri: Non novi te, et filios suos non agnoverunt, hi custodierunt præcepta tua et testamentum tuum servaverunt* (*Deut.* XXXIII, 9). Item Dominus in Evangelio suo præcepit ne vocemus nobis patrem in terra, quod sit scilicet nobis unus pater qui est in cœlis (*Matth.* XXIII, 9). Et discipulo qui mentionem defuncti patris fecerat respondit: *Sine mortui mortuos suos sepeliant* (*Matth.* VIII, 22). Dixerat enim patrem suum mortuum, cum sit credentium Pater vivus.

X. Nec hoc solum, fratres dilectissimi, animadvertere et intelligere debemus, quod appellemus Patrem qui sit in cœlis, sed conjungimus et dicimus, PATER NOSTER, id est eorum qui credunt, eorum qui, per eum sanctificati et gratiæ spiritalis nativitate reparati, filii Dei esse cœperunt. Quæ vox etiam Judæos perstringit et percutit, qui Christum, sibi per Prophetas annuntiatum et ad se prius missum, non tantum infideliter spreverunt, sed et crudeliter necaverunt: qui jam non possunt patrem Deum vocare, cum Dominus eos confundat et redarguat dicens: *Vos de diabolo patre nati estis, et concupiscentias patris vestri facere vultis. Ille enim homicida fuit ab initio, et in veritate non stetit, quia veritas non est in illo* (*Joan.* VIII, 44). Et per Esaiam prophetam Deus clamat indignans: *Filios generavi et exaltavi, ipsi autem me spreverunt. Agnovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui; Israel autem* [207] *me non cognovit, et populus meus me non intellexit. Væ! gens peccatrix, populus plenus peccatis, semen nequam, filii scelesti. Dereliquistis Dominum, et in indignationem misistis illum Sanctum Israel* (*Isa.* I, 2-4). In quorum exprobrationem Christiani quando oramus, PATER NOSTER dicimus, quia noster esse cœpit et Judæorum, qui eum relinquerunt, esse desiit. Nec peccator populus potest esse filius, sed quibus remissa peccatorum datur[b], eis filiorum nomen adscribitur, et eis æternitas repromittur, Domino ipso dicente: *Omnis qui facit peccatum servus est peccati. Servus autem non manet in domo in æternum, filius autem manet in æternum* (*Joan.* VIII, 34, 35).

XI. Quanta autem Domini indulgentia, quanta circa nos dignationis ejus et bonitatis ubertas, qui sic nos voluerit orationem celebrare in conspectu Dei ut Deum patrem vocemus, et, ut est Christus Dei filius, sic et nos Dei filios nuncupemus[c]! Quod nomen nemo nostrum in oratione auderet attingere, nisi ipse nobis sic permisisset orare. Meminisse itaque, fratres dilectissimi, et scire debemus quia, quando patrem Deum dicimus, quasi filii Dei agere debemus, ut, quomodo nos nobis placemus de Deo patre, sit sibi placeat et ille de nobis: Conversemur quasi Dei templa, ut Deus in nobis constet habitare: nec sit degener actus noster a spiritu, ut qui cœlestes et spiritales esse cœpimus, non nisi spiritalia et cœlestia cogitemus et agamus, quia et ipse Dominus Deus dixit: *Eos qui clarificant me clarificabo, et qui me spernit spernetur* (I *Reg.* II, 30). Beatus quoque Apostolus in Epistola sua posuit: *Non estis vestri. Empti enim estis pretio magno*[d]. *Clarificate et portate Deum in corpore vestro* (I *Cor.* VI, 19, 20).

XII. Post hoc dicimus: SANCTIFICETUR NOMEN TUUM. Non quod optemus Deo ut sanctificetur orationibus

LECTIONES VARIANTES.

[a] Quam magna, quam grandia *Ar. Bod.* 2. *MR.*
[b] Remissa peccatorum dantur *Bod.* 1. 4. Remissio *Viet.*
[c] Filios nuncupemus *Impr. ante Oxon.*
[d] Empti estis magno *NC.* 1. 4. *Lam. Bod.* 3.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

X. — *Filios generavi.* Hanc lectionem inveni in decem libris veteribus et in editione Manutiana. At in aliis editionibus et in septemdecim vetustis exemplaribus legitur *genui.*

Væ gens peccatrix. Secutus sum editionem Anglicanam, quia eam vidi confirmatam auctoritate veterum editionum et quatuordecim veterum librorum. Nam et Tertullianus in libro *adversus Judæos* hoc eodem modo refert hunc locum, ut notavit etiam Pamelius. Aliam lectionem, quæ habet: *Væ genti peccatrici, populo pleno peccatis*, inveni in tredecim vetustis exemplaribus. In uno meo, *populo gravi iniquitate.* Quo etiam modo scriptum est in capite I Isaiæ in editione vulgata. Observat autem Arnobius, lib. I, ethnicos nobis exprobrasse quod res nostræ barbarismis et solœcismis obsitæ essent et vitiorum deformitate pollutæ. Vide lib. III *Testimoniorum*, cap. 3, pag. 276.

Semen nequam. Septuaginta, ut ait Hieronymus, D verterunt *semen pessimum.* Quo etiam modo habent tres libri nostri veteres.

XI. — *Clarificate.* Codex Monasteriensis, *glorificate vel clarificate.* Hinc factum ut quidam libri veteres habeant *glorificate*, alii *clarificate.* Vide notas ad librum *de Habitu Virginum*, pag. 524.

XII. — *Sanctificetur nomen tuum.* Refert hunc locum sanctus Augustinus lib. IV *contra duas Epistolas Pelagianorum*, cap. 9. Hieronymus in Epistola ad Suniam et Fretelam: *Sanctificetur nomen tuum, non quod nobis orantibus sanctificetur quod per se sanctum est, sed quo petamus ut quod per naturam sui sanctum est sanctificetur in nobis.* Rufinus in Psal. LXXV: *Sanctificetur nomen tuum. Quod non sic petitur quasi non sit nomen sanctum Dei, sed ut sanctum habeatur ab hominibus, id est ita illis innotescat Deus ut non existiment aliquid sanctius quod magis offendere timeant.* Vide Tertullianum in libro *de Oratione.*

Digitized by Google

nostris, sed quod petamus ab eo ut nomen ejus sanctificetur in nobis. Cæterum a quo Deus sanctificatur, qui ipse sanctificat? Sed quia ipse dixit : *Sancti estote, quoniam et ego sanctus sum* (*Lev.* II, 44), id petimus et rogamus, ut, qui in Baptismo sanctificati sumus, in eo quod esse cœpimus perseveremus. Et hoc quotidie deprecamur. Opus est enim nobis quotidiana sanctificatione, ut, qui quotidie delinquimus, delicta nostra sanctificatione [a] assidua repurgemus. Quæ autem sit sanctificatio quæ nobis de Dei dignatione confertur Apostolus prædicat dicens : *Neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum appetitores, neque fures, neque fraudulenti, neque ebriosi, neque maledici, neque raptores regnum Dei consequentur* [b]. *Et hæc* ~~quidam fuistis~~ ; *sed abluti estis, sed justificati estis, sed sanctificati estis* [c] *in nomine* ~~Domini nostri Jesu Christi~~ *et in Spiritu Dei nostri* (I *Cor.* VI, 9-11). Sanctificatos nos dicit in nomine Domini Jesu Christi et in Spiritu Dei nostri. Hæc sanctificatio ut in nobis permaneat oramus. Et quia Dominus et judex noster sanato a se et vivificato comminatur jam non delinquere, ne quid ei deterius fiat, hanc continuis orationibus precem facimus, hoc diebus ac noctibus postulamus, ut sanctificatio et vivificatio quæ de Dei gratia sumitur ipsius protectione servetur.

XIII. Sequitur in oratione : ADVENIAT REGNUM TUUM. Regnum etiam Dei repræsentari nobis petimus, sicuti et nomen ejus, ut in nobis sanctificetur postulamus. Nam Deus quando non regnat? aut apud eum quando incipit quod et semper fuit et esse non desinit? Nostrum regnum petimus advenire a Deo nobis repromissum, Christi sanguine et passione quæsitum ; ut, qui in sæculo ante servivimus, postmodum Christo dominante regnemus, sicut ipse pollicetur et dicit : *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab* [308] *origine mundi* (*Matth.* XXV, 34). Potest vero, fratres dilectissimi, et ipse Christus esse regnum Dei, quem venire quotidie cupimus, cujus adventus ut cito nobis repræsentetur optamus. Nam, cum resurrectio ipse nostra [d] sit, quia in ipso resurgimus, sic et regnum Dei potest ipse intelligi, quia in illo regnaturi sumus. Bene autem regnum Dei petimus, id est regnum cœleste, quia est et terrestre regnum. Sed qui renuntiavit jam sæculo, major est et honoribus ejus et regno. Et ideo, qui se Deo et Christo dedicat [e], non terrena sed cœlestia regna desiderat. Continua autem oratione et prece opus est ne excidamus a regno cœlesti, sicut Judæi, quibus hoc prius promissum fuerat, exciderunt, Domino manifestante et probante : *Multi*, inquit, *venient ab Oriente et Occidente, et recumbent cum Abraham et Isaac et Jacob in regno cœlorum ; filii autem regni expellentur in tenebras exteriores. Illic erit ploratio* [f] *et stridor dentium* (*Matth.* VIII, 11, 12). Ostendit quia ante filii regni Judæi erant, quando et filii Dei esse perseverabant. Postquam cessavit circa illos nomen paternum, cessavit et regnum. Et ideo Christiani, qui in oratione appellare patrem Deum cœpimus, nos et [g] ut regnum Dei nobis veniat oramus.

XIV. Addimus quoque et dicimus : FIAT VOLUNTAS TUA SICUT IN CŒLO [h] ET IN TERRA ; non ut Deus faciat quod vult, sed ut nos facere possimus quod Deus vult. Nam Deo quis obsistit quominus quod velit faciat? Sed quia nobis a diabolo obsistitur quominus per omnia noster animus atque actus Deo obsequatur, oramus et petimus ut fiat in nobis voluntas Dei, quæ ut fiat, in nobis opus est Dei voluntate, id est ope ejus et protectione ; quia nemo suis viribus fortis est, sed Dei indulgentia et misericordia tutus est. Denique et Dominus, infirmitatem hominis quem portabat ostendens, ait : *Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste* (*Matth.* XXVI, 39). Et exemplum discipulis suis tribuens ut non voluntatem suam sed Dei faciant, addidit dicens : *Verumtamen non quod ego volo,*

LECTIONES VARIANTES.

[a] Satisfactione *Ar.*
[b] Possidebunt *Pem. Bod.* 4. *Voss.* 1.
[c] Sanctificatos nos dicit *Lam. Ebor. Voss.* 1. *Bod.* 1, 2, 3, 4.
[d] Nostra *deest in* 8 *Angl. et multis impr. in quibus recentissimus ed. Lips.*
[e] Dicavit *Lam. Ben. Bod.* 2, 3. Dicat *Bod.* 1, 4. *Paris.*
[f] Erit fletus *Bod.* 1, 2.
[g] Cœpimus nosse *Lem. Pem. Voss.* 2, 3. *Ben. Bod.* 2. Cupimus *Ar.*
[h] Tua in cœlo *Paris. August.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

Appetitores. Quinque libri veteres habent *concubitores.* Sic etiam se in antiquissimo codice legisse testatur Morellius, in uno codice Bodleiano editio Anglicana. Sic etiam editio vulgata Epistolarum sancti Pauli.

Fraudulenti. Codex Fuxensis *fraudatores vel fraudulenti*, ut arbitrium esset integrum lectori retinendæ lectionis quæ sibi magis arrideret. Ego præfero ultimam, quia eam reperi in XXV libris veteribus. Aliam raro reperi.

Vivificato. Ita omnes libri veteres et omnes antiquæ editiones. Manutiana habet *justificato.* Morellius retinuit veterem lectionem. Pamelius et Rigaltius maluerunt *justificato.* Sic etiam Angli, quamvis haberent auctoritatem plurium veterum exemplarium contra sentientium. Vide concilium Carthaginense, Cypriani pag. 332, in allocutione Felicis a Bagai.

[307] XIII. — *Resurrectio ipse sit.* Omnes editiones, si Morellianam excipias, habent *resurrectio nostra ipse sit.* At vox *nostra* deest in omnibus exemplaribus nostris et in octo Anglicanis. Certe videtur non esse necessaria. Cæterum vocabulo *resurrectionis* uti nolent Ciceroniani et qui nihil scribere volunt quod non sit puræ latinitatis. At Christiani, homines simplices et rerum magis quam verborum curiosi, crediderunt sibi licere uti vocabulo quo unico significarent reditum Christi ad vitam. Itaque dixerunt *resurrectionem.* Nihil vulgatius in libris veterum scriptorum ecclesiasticorum.

Expellentur. Codex Gratianopolitanus, *ejicientur.* Lamonianus, *mittentur.*

XIV.— *Addimus quoque.* Citat hunc locum sanctus Augustinus lib. IV *contra duas Epistolas Pelagianorum*, cap. 9.

Digitized by Google

sed quod tu[a] (*Matth.* XXVI, 39). Et alio loco dicit : *Non descendi de cœlo ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me* (*Joan.* VI, 32). Quod si filius obaudivit ut faceret patris voluntatem, quanto magis servus obaudire debet ut faciat domini voluntatem? sicut in Epistola sua Joannes quoque ad faciendam Dei voluntatem hortatur et instruit dicens : *Nolite diligere mundum neque ea quæ in mundo sunt. Si quis dilexerit mundum, non est charitas*[b] *Patris in illo, quia omne quod in mundo est, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et ambitio sæculi, quæ non est a Patre, sed ex concupiscentia mundi*[c] *: et mundus transibit et concupiscentia ejus ; qui autem fecerit voluntatem Dei manet in æternum, quomodo et Deus manet in æternum* (I *Joan.* II, 15-17). Qui in æternum manere volumus, Dei, qui æternus est, voluntatem facere debemus.

XV. Voluntas autem Dei est quam Christus et fecit et docuit. Humilitas in conversatione, stabilita sin fide, verecundia in verbis, in factis justitia, in operibus misericordia, in moribus disciplina, injuriam facere non nosse, et factam posse tolerare, cum fratribus pacem tenere ; Deum toto corde diligere, amare in illo quod pater est, timere quod Deus est ; Christo nihil omnino præponere, quia nec nobis quicquam ille præposuit; charitati ejus inseparabiliter adhærere, cruci ejus fortiter ac fideuter assistere[d] ; quando de ejus nomine et honore certamen est, exhibere in sermone constantiam, qua confitemur, in quæstione fiduciam, qua congredimur, in morte patientiam, qua coronamur. Hoc est cohæredem Christi esse velle, hoc est præceptum Dei facere, hoc est voluntatem [sic] Patris adimplere.

XVI. Fieri autem petimus voluntatem Dei in cœlo et in terra ; quod utrumque ad consummationem nostræ incolumitatis[e] pertinet et salutis. Nam, cum corpus e terra et spiritum possideamus e cœlo, ipsi terra et cœlum sumus ; et in utroque, id est et corpore et spiritu, ut Dei voluntas fiat oramus. Est enim inter carnem et spiritum colluctatio, et discordantibus adversus se invicem quotidiana congressio, ut non quæ volumus ipsa faciamus, dum spiritus cœlestia et divina quærit, caro terrena et sæcularia concupiscit. Et ideo petimus impense[f] inter duo ista ope et auxilio Dei concordiam fieri, ut dum et in spiritu et in carne voluntas Dei geritur, quæ per eum renata est anima servetur. Quod aperte atque manifeste[g] apostolus Paulus sua voce declarat : *Caro*, inquit, *concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem. Hæc enim invicem adversantur sibi, ut non quæ vultis ipsa faciatis. Manifesta autem sunt opera*[h] *carnis, quæ sunt adulteria, fornicationes, immunditiæ, spurcitiæ, idololatria, veneficia, homicidia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, animositates, provocationes, simultates, dissensiones, hæreses, invidiæ, ebrietates, comessationes, et his similia, quæ prædico vobis sicut prædixi, quoniam qui talia agunt regnum Dei non possidebunt. Fructus autem spiritus est charitas*[i], *gaudium, pax, magnanimitas, bonitas, fides, mansuetudo, continentia, castitas* (*Gal.* V, 17-22). Et idcirco quotidianis, immo continuis orationibus hoc precamur, et in cœlo et in terra voluntatem circa nos Dei fieri, quia hæc est voluntas Dei, ut terrena cœlestibus cedant, spiritalia et divina prævaleant.

XVII. Potest et sic intelligi, fratres dilectissimi, ut, quoniam mandat et monet Dominus etiam inimicos diligere et pro iis quoque qui nos persequuntur orare, petamus et pro illis qui adhuc terra sunt[j] et necdum cœlestes esse cœperunt, ut et circa illos voluntas Dei fiat, quam Christus hominem conservando et redintegrando perfecit. Nam, cum discipuli ab eo non jam *terra* appellentur, sed *sal terræ* (*Matth.* V, 13), et Apostolus primum hominem vocet de terræ limo, secundum vero de cœlo, merito et nos, qui esse debemus patri Deo similes, qui *solem suum oriri facit super bonos et malos et pluit super justos et injustos.* (*Matth.* V, 45), sic, Christo monente, oramus et petimus ut precem pro omnium salute faciamus ; ut, quomodo in cœlo id est, in nobis, per fidem nostram voluntas Dei facta est ut essemus e cœlo, ita et in terra, hoc est in illis non credentibus[k], fiat voluntas Dei, ut qui adhuc sunt prima nativitate ter-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Tu vis *Voss.* 3.
[b] Dilectio *Ebor. Thu. Foss. Lin.*
[c] Concupiscentia sæculi et mundus *Thu. Foss.* Transit *Paris.*
[d] Fortiter ac fideliter *Bod.* 3, 4. Fortiter ac libenter insistere *Ver.*
[e] Voluntatis *Pem. Man.*
[f] Impense *rejicit Lips.*
[g] Aperte Paulus *Paris. Bod.* 1, 2, 3, 4. *Manut.*
[h] Facta *Lin. NC.* 2. *Paris. Bod.* 1, 3, 4. *Manut.*
[i] Agapes... suavitas, benignitas *Ver. Man.*
[j] Terreni sunt *Ar. od.* 1, 2. *Thu. Foss.* Terrena sapiunt *Vict.*
[k] In illis credentibus *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Thu. Foss. Vict. Man.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

XV. — *In quæstione.* Vide notas ad Epistolam XXI, pag. 408.

XVI. — *Fieri autem petimus.* Citat hunc locum sanctus Augustinus in libro mox laudato et lib. II *contra Juliauum Pelagianum*, cap. 3.

Impense. Adverbium hoc deest in viginti et uno codicibus antiquis et in excerptis Flori. In editione quæ dicitur Gravii scriptum est minutiori charactere, ut daretur intelligi dubium esse an retineri deberet. Ego retinui quia extat in codice Seguieriano.

XVII.—*Potest et sic intelligi.* Et hunc quoque locum citat sanctus Augustinus in Epistola *ad Valentinum. Pro iis qui nos.* Id est *pro inimicis nostris qui nondum in Christum crediderunt*, ut explicat Augustinus in eodem libro IV *contra duas Epistolas Pelagianorum*, cap. 10.

In illis non credentibus. Negatio deest in omnibus fere libris nostris et in Anglicanis, tum etiam in antiquis editionibus. Exstat autem in ea quæ dicitur Gravii et in Morelliana. Eam habuisse codicem quo sanctus Augustinus utebatur clare colligi posse videtur ex libro ejus *de Prædestinatione sanctorum* cap. 8. (*Vulgo* « in illis non credentibus », *sed refragantibus edd. prope omnibus et vett. codd. Neque oportet illud*

Digitized by Google

reni, incipiant esse cœlestes ex aqua et spiritu nati.

XVIII. Procedente oratione postulamus et dicimus : PANEM NOSTRUM QUOTIDIANUM DA NOBIS HODIE. Quod potest et spiraliter et simpliciter intelligi, quia et uterque intellectus utilitate divina proficit ad salutem. Nam panis vitæ Christus est ; et panis hic omnium non est, sed noster est. Et quomodo dicimus *Pater noster*, quia intelligentium et credentium pater est, sic et *panem nostrum* vocamus, quia Christus eorum qui corpus ejus contingunt [a] panis est. Hunc autem panem dari nobis quotidie postulamus, ne qui in Christo sumus et Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquo graviore delicto, dum abstenti et non communicantes a cœlesti pane prohibemur, a Christi corpore separemur, ipso prædicante et monente [b] : *Ego sum panis vitæ qui de cœlo descendi. Si quis ederit de meo pane, vivet in æternum. Panis* [c] *autem quem ego dedero caro mea est pro sæculi* [d] *vita* (*Joan.* VI, 51). Quando ergo dicit in æternum vivere si quis ederit de ejus pane, ut manifestum est eos vivere qui corpus [210] ejus attingunt et Eucharistiam jure communicationis accipiunt, ita contra timendum est et orandum ne, dum quis abstentus separatur a Christi corpore, procul remaneat a salute, comminante ipso et dicente : *Nisi ederitis carnem Filii hominis et biberitis sanguinem ejus, non habebitis vitam in vobis* (*Joan.* VI, 53). Et ideo panem nostrum, id est Christum, dari nobis quotidie petimus, ut, qui in Christo manemus et vivimus, a sanctificatione ejus et corpore non recedamus.

XIX. Potest verò et sic intelligi, ut qui sæculo renuntiavimus, et divitias ejus et pompas fide gratiæ spiritalis abjecimus, cibum nobis tantum petamus et victum, quando instruat Dominus et dicat : *Qui non renuntiat omnibus quæ sunt ejus, non potest meus discipulus esse* (*Luc.* XIV, 33). Qui autem Christi cœpit esse discipulus, secundum magistri sui vocem renuntians omnibus, diurnum debet cibum petere nec in

LECTIONES VARIANTES.

[a] Noster (qui corpus ejus contingimus) *Oxon.*
[b] Dicente *Bod.* 1, 4. *Paris. Vict. Aug. sæpius.*
[c] Panem autem *Lips., qui addit : Ita editiones vett. præter Gronovio Obs. monob., p.* 151.
[d] Mundi *Voss.* 3.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

legisse August. de Prædest. Sanct. cap. 84. *Nostræ lectionis sensus expeditus : Terreni enim sicubi in eis voluntas Dei fit, cœlestes*, i. e. *credentes evadunt* — GOLDHORN.)

XVIII. — *Panem nostrum quotidianum*. Vide Hieronymum incap. II Epistolæ ad Titum, et Maldonati Commentarium in caput V Matthæi in prima editione. Nam posteriores non sunt consentaneæ. Huic malo medicinam attulit is qui anno 1677 nova editione donavit tractatum Maldonati *de Sacramentis*. Posuit enim in præfatione sua verba ejus qualia habentur in prima editione Commentariorum *in Evangelia*.

Christus eorum. Ita emendavimus hunc locum ex fide octodecim librorum nostrorum, in quibus est Seguierianus, et decem Anglicanorum, in quibus etiam legitur *contingunt*. Confirmant hanc emendationem hæc verba quæ paulo post sequuntur : *Manifestum est eos vivere qui corpus ejus contingunt. (Non potui, quin hic Bal. sequerer. Reliqui ad unum omnes* : quia Chr. noster, qui corpus ejus contingimus. *Walkerus, miscr. obs. p.* 53, *hunc locum per mms. sic restitui monet :* quomodo dicimus Patrem nostrum, quia — vocamus Christum, quia is eorum, qui corpus ejus contingimus. *Præstitissem lectionem ante Bal. vulgarem, mutato solum* Christus nostrum, *nisi solemnis veteribus fuisset allocutio* : Pater noster. — GOLDHORN.)

Hunc autem panem. Citatur hic locus a sancto Augustino lib. IV *contra duas Epistolas Pelagianorum*, cap. 9, et in concilio Toletano IV, can. 10, et ab Adrevaldo in libro *de Corpore et Sanguine Domini*, in tomo XII *Spicilegii* Dacheriani pag. 36. (*Satis hinc perspicuum est, quotidie adhuc ætate Cypriani communicasse fideles, quod jam inde ab Apostolis usitatum fuisse, patet ex Act. Apostolorum non uno in loco. Perduravit ea consuetudo usque ad D. Hieron. ætatem Romæ ; et in Hispanis, vel ipso teste epistola ad Lucam Beticum et apologet. ad Pamach. pro libris contra Jovin. ; Mediolani ad D. Ambros. usque, quemadmodum colligere est ex ult. cap. lib.* IV *et* V *de Sacrament.; et in Africa usque ad D. Augustini ætatem, ut patet ex epistola* CXVIII. *Atqui in Oriente jamdudum desierat ea consuetudo, uti patet, tum ex dicto lib.* V *Ambrosii de Sacrament. et libr.* II *de Sermone Domini D. Augustin.; tum ex D. Chrysost. Hom.* LXI *ad pop. Antioch.*, III *in Epistolam ad Ephes.*, *et* XXII *ad Hebræos, ubi varias affert observationes, tum eorum qui in solemnitatibus communicabant in Adventu et Quadragesima, tum eorum qui in Pascha duntaxat, aut bis aut ter in anno, tum heremitarum qui ex humilitate quadam semel quotannis aut singulis biennis. Quare non tam urgent D.D. Chrysost. et Hieronymus communionem quotidianam, quam dignam Eucharistiæ sumptionem.* — PAMELIUS.)

Abstenti. Codex Gratianopolitanus habet *abstinentes*, Lamonianus, *absentes*. Et paulo post in Gratianopolitano scriptum est, *qui abstinet separetur*. Ex quo fortassis colligi posset legendum esse apud Augustinum in loco mox citato et lib. II *de Dono perseverantiæ*, cap. 4. *abstinentes* pro eo quod veteres editiones habebant *absentes*. Verum in nova operum sancti Augustini editione suppotatum est *absteuti* semper scriptum esse in manuscriptis Gallicanis et Vaticanis.

Panis autem quem. Vide Gronovium, cap. 14 Observationum in scriptoribus ecclesiasticis.

Et orandum. Hæc desunt in duobus antiquis exemplaribus. Et quamvis exstent in multis aliis et in editionibus, puto esse superflua. Non sum tamen ausus delere contra tot veterum librorum scripturam.

Procul remaneat. Cum vocem *procul* in nullo veterum librorum nostrorum repererim quam in Thuano, huc valde inclinabam ut delerem. Sensus enim integer est absque illo vocabulo. Codex Seguierianus pro *procul* habet *extraneus*, unus meus et alius vetus *separatus maneat*, octo libri nostri et quatuor Anglicani *alienus*. Quæ variæ lectiones introductæ videntur ab iis qui nesciebant vocem *remanent* solam constituere optimum sensum, ut in simili argumento dixi olim in capite 37 præfationis meæ in concilium Chalcedonense. Rufinus, lib. VIII, cap. 9 : *Sed hoc solum singuli pavescebant ne forte dum properam soli urgens clauderet diem, separatus a consortio martyrum remaneret*. Sanctus [555] Ambrosius, lib. I *Officiorum*, c. 41, agens de sancto Laurentio : *Cum videret Xistum episcopum suum ad martyrium duci, flere cœpit, non passionem illius, sed suam remansionem*. Sic Pontius diaconus in libro quem scripsit *de Vita sancti Cypriani* ait : *Quid hoc loco faciam inter gaudium passionis et remanendi dolorem ?*

Panem nostrum, id est Christum. Citatur hic locus in canone 10 concilii Toletani IV.

Digitized by Google

longum desideria petitionis extendere, ipso iterum Domino præscribente et dicente : *Nolite in crastinum cogitare; crastinus enim ipse cogitabit sibi : sufficit* [a] *diei malitia sua* (*Matth.* VI, 54). Merito ergo Christi discipulus victum sibi in diem postulat, qui de crastino cogitare prohibetur ; quia et contrarium sibi fit et repugnans ut quæramus in sæculo diu vivere, qui petimus regnum Dei velociter advenire. Sic et beatus Apostolus monet, formans et corroborans spei nostræ ac fidei firmitatem : *Nihil*, inquit, *intulimus in hunc mundum, verum nec auferre possumus. Habentes itaque exhibitionem et tegumentum, his contenti simus. Qui autem volunt divites fieri, incidunt in tentationem et muscipulam et desideria multa et nocentia, quæ mergunt hominem in perditionem et in interitum. Radix enim omnium malorum est cupiditas ; quam quidam appetentes, naufragaverunt a fide et inseruerunt se doloribus multis.* (I *Tim.* VI, 7-10).

XX. Docet non tantum contemnendas, sed et periculosas esse divitias, illic esse radicem malorum blandientium [b], cæcitatem mentis humanæ occulta deceptione fallentium. Unde et divitem stultum sæculares copias cogitantem et se exuberantium fructuum largitate jactantem redarguit Deus dicens : *Stulte, hac nocte expostulatur anima tua. Quæ ergo parasti cujus erunt* (*Luc.* XII, 20)? Lætabatur stultus in fructibus ipsa nocte moriturus ; et cui vita jam deerat, victus abundantiam cogitabat. Contra autem Dominus perfectum et consummatum docet fieri qui, omnibus suis venditis atque in usum pauperum distributis, thesaurum sibi condat in cœlo. Eum dicit posse se sequi et gloriam Dominicæ passionis imitari qui, expeditus et succinctus, nullis laqueis rei familiaris involvitur, sed solutus ac liber facultates suas ad Deum ante præmissas ipse quoque comitatur (*Matth.* XIX, 21). Ad quod ut possit unusquisque nostrum parare se, sic discat orare et de orationis lege qualis esse debeat noscere.

XXI. Neque enim deesse quotidianus cibus potest A justo, cum scriptum sit : *Non occidet Dominus fame animam justam* (*Prov.* X, 95). Et iterum : *Junior* [c] *fui, et senui ; et non vidi justum derelictum, neque semen ejus quærens panem* (*Psal.* XXXVI, 25). Item Dominus promittat et dicat : *Nolite cogitare dicentes : Quid edemus, aut quid bibemus, aut quid vestiemur? Hæc enim nationes quærunt. Scit autem pater vester quia horum omnium indigetis. Quærite primum regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia apponentur vobis* (*Matth.* VI, 31). Quærentibus regnum et justitiam Dei omnia promittit apponi. Nam cum Dei sint omnia, habenti Deum nihil deerit, si Deo ipse non desit. Sic Danieli, in leonum lacu jussu regis incluso, prandium divinitus procuratur, et inter feras esurientes et parcentes [d] homo Dei pascitur (*Dan.* XIV, 30). Sic alitur Helias B in fuga ; et in solitudine corvis ministrantibus, et [sic] volucribus cibum sibi apportantibus, in persecutione nutritur (III *Reg.* XVII, 6). Atque, o humanæ malitiæ detestanda crudelitas! feræ parcunt, aves pascunt, et homines insidiantur et sæviunt.

XXII. Post hæc, et pro peccatis nostris deprecamur dicentes : ET REMITTE [e] NOBIS DEBITA NOSTRA SICUT ET NOS REMITTIMUS DEBITORIBUS NOSTRIS. Post subsidium cibi petitur et venia delicti, ut qui a Deo pascitur in Deo vivat, nec tantum præsenti et temporali vitæ sed et æternæ consulatur ; ad quam veniri potest, si peccata donentur : quæ debita Dominus appellat, sicut in Evangelio suo dicit : *Dimisi tibi omne debitum, quia me rogasti* (*Matth.* XVIII, 32). Quam necessarie autem, quam providenter et salutariter admonemur quod peccatores sumus, qui pro peccatis C rogare compellimur! ut, dum indulgentia de Deo petitur, conscientiæ suæ animus recordetur. Ne quis sibi quasi innocens placeat et se extollendo plus pereat, instruitur et docetur peccare se quotidie, dum quotidie pro peccatis jubetur orare. Sic denique et Joannes in Epistola sua monet dicens : *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus* [f], *et veritas in nobis non est. Si autem confessi fuerimus peccata*

LECTIONES VARIANTES.

[a] Sufficit enim *Ar. Bod.* 2.
[b] Radicem omnium *Pem. Voss.* 2. *Bod.* 4.
[c] Juvenior *Paris. Bod.* 1, 2, 3. *Thu. Foss.*
[d] Esurientes et rugientes *Pem. Voss.* 2. *Bod.* 1, 4.
[e] Dimitte *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Aug. Ver.*
[f] Seducimus *Voss.* 1.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

XIX.—*Cogitare*. Postea sequebatur in duobus libris D nostris et in tribus Anglicanis *quid manducatis aut quid bibitis*. Quæ lectio confirmari posse videtur ex his verbis Matthæi, VI 31 : *Nolite cogitare dicentes, quid edemus vel quid bibemus*. Quæ verba referuntur in sequenti pagina. Seneca, Epist. XII : *Ille beatissimus est et securus qui crastinum sine sollicitudine expectat.*

Exhibitionem. Ita etiam infra in libro *de Opere et Eleemosynis*, pag. 240. Libri veteres et quædam veteres editiones præferunt *victum*. Tertullianus in libro de Idololatria : *Si ita necessitas exhibitionis obtenditur*. Et infra : *Male nobis de necessitatibus humanæ exhibitionis applaudimus*. Idem, in libro de Monogamia : *Quid si inopiam quis causetur, ut carnem aperte prostitutam profiteatur, exhibitionis causa nubentem, oblitus de victu et vestitu non esse cogitandum?* Cassianus, lib. I, cap. 3, dixit alimenta et operimenta, damnans interpretes qui vestimenta posuerunt pro operimentis.

XXI.—*Quærentibus regnum*. In codice Gratianopolitano sic habetur : *Quæ? regnum Dei et justitiam ejus.*

XXII.—*Quam necessarie*. Citat hunc locum sanctus Augustinus lib. IV *contra duas Epistolas Pelagianorum*, cap. 9.

Et remittendis. Vide Erasmum ad hunc locum Matthæi et ad caput XI Lucæ.

Debita. Quæ postea vocat peccata. Et tamen sunt quidam qui putant esse discrimen inter debita et peccata inter delicta et peccata. Vide annotationes Erasmi in hunc locum Lucæ. Vide paulo post *circa debitores*.

Innocens placeat. Post hæc Pamelius adjecit ex codice Camberonensi, *cum innocens nemo sit*. Sed hoc additamentum non habetur in antiquis editionibus, neque in libris nostris veteribus, uno Pithœano excepto, nec in decem Anglicanis. Et tamen Angli illud retinuerunt in editione sua. Repetitio est cujusdam studiosi ex initio istius libri *de Oratione Dominica*, pag. 205.

Nos ipsos decipimus. Codex Gratianopolitanus, *se ducimus*.

Digitized by Google

nostra, fidelis et justus est Dominus qui nobis peccata dimittat (I *Joan.* I, 8). In Epistola sua utrumque complexus est, quod et rogare pro peccatis debeamus, et impetremus indulgentiam cum rogamus. Ideo et fidelem dixit Dominum ad dimittenda peccata, fidem pollicitationis suæ reservantem; quia qui orare nos pro debitis et peccatis docuit, paternam misericordiam promisit et veniam secuturam.

XXIII. Adjunxit plane et addidit legem, certa nos conditione et sponsione constringens, ut sic nobis dimitti debita postulemus secundum quod et ipsi debitoribus nostris dimittimus, scientes impetrari non posse quod pro peccatis petimus, nisi et ipsi circa debitores nostros paria fecerimus. Idcirco et alio in loco dicit : *In qua mensura mensi fueritis, in ea remetietur vobis* (*Matth.* VII, 2). Et qui servus post dimissum sibi a domino omne debitum conservo suo noluit ipse dimittere (*Matth.* XVIII, 34), in carcerem religatur : quia indulgere conservo suo noluit, quod sibi a Domino indultum fuerat amisit. Quæ adhuc fortius Christus in præceptis suis majore censuræ suæ vigore proponit : *Cum steteritis*, inquit, *ad orationem, remittite si quid habetis adversus aliquem, ut et Pater vester qui in cœlis est remittat peccata vestra vobis. Si autem vos non remiseritis, neque Pater vester qui in cœlis est remittet vobis peccata vestra* (*Marc.* XI, 25). Excusatio tibi nulla in die judicii superest, cum secundum tuam sententiam judiceris, et quod feceris hoc et ipse patiaris. Pacificos enim et concordes atque unanimes esse in domo sua Deus præcipit, et quales nos fecit secunda nativitate, tales vult renatos perseverare; ut qui filii Dei esse cœpimus, in Dei pace maneamus, et quibus spiritus unus est, unus sit et animus et sensus. Sic nec sacrificium Deus recipit dissidentis, et ab altari revertentem prius fratri reconciliari jubet (*Matth.* V, 24), ut pacificis precibus et Deus possit esse pacatus. Sacrificium Deo majus est pax nostra et fraterna concordia, et de unitate Patris et Filii et Spiritus sancti plebs adunata.

XXIV. Neque enim in sacrificiis quæ Abel et Cain primi obtulerunt munera eorum Deus sed corda intuebatur, ut ille placeret in munere qui placebat in corde (*Gen.* IX, 5). Abel pacificus et justus, dum Deo sacrificat innocenter, docuit et cæteros, quando ad altare munus offerunt, sic venire cum Dei timore, cum simplici corde, cum lege justitiæ, cum concordiæ pace. Merito ille dum in sacrificio Dei talis est, ipse postmodum sacrificium Deo factus est, ut martyrium primus ostendens initiaret[113] sanguinis sui gloria Dominicam passionem qui et justitiam Domini habuerat et pacem. Tales denique a Domino coronantur, tales in die judicii cum Domino judicabunt [a]. Cæterum discordans et dissidens et pacem cum fratribus non habens, secundum quod beatus Apostolus et Scriptura sancta testatur, nec si pro nomine Christi occisus fuerit, crimen dissensionis fraternæ poterit evadere, quia, sicut scriptum est, *Qui fratrem suum odit, homicida est, nec ad regnum cœlorum pervenit aut cum Deo vivit homicida* (I *Joan.* III, 15), non potest esse cum Christo qui imitator Judæ maluit esse quam Christi. Quale delictum est quod nec Baptismo sanguinis potest ablui? quale crimen est quod martyrio non potest expiari?

XXV. Illud quoque necessarie admonet Dominus ut in oratione dicamus : ET NE NOS PATIARIS INDUCI IN TENTATIONEM. Qua in parte ostenditur nihil contra nos adversarium posse, nisi Deus ante permiserit; ut omnis timor noster, et devotio atque observatio ad Deum convertatur, quando in tentationibus nostris nihil malo liceat, nisi potestas inde tribuatur. Probat

LECTIONES VARIANTES.

[a] Vindicabuntur *Oxon. Lips. Impr. omnes præter Morell. et Baluz.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

XXIII.— *Circa debitores.* Tres libri veteres habent *peccatores.*

Religatur. Ita omnes fere libri veteres. Nam quod in Moyssiacensi et in Gratianopolitano scriptum est *relegatur*, istud profectum est ex permutatione litterarum. Qui vero postea retinuerunt hanc lectionem, id est Manutius et alii, putarunt vocem *relegatur* melius conjungi cum accusativo quam *religatur*, non animadvertentes Tertullianum et Cyprianum sæpe scripsisse *in carcerem*, ut legitur in antiquis codicibus, pro *in carcere.*

XXIV.—*Innocenter.* Codex Fuxensis habet pro hac voce *mutones*, id est verveces. Quod videtur melius convenire cum historia.

Judicabunt. Quamvis sciam omnes editiones, præter Morellianam, et quatuordecim antiqua exemplaria habere *vindicabuntur*, ego præfero lectionem editionis Morellianæ, quam adstruunt septem vetera exemplaria, quia in Evangelio secundum Matthæum cap. XIX, et secundum Lucam cap. XXII, Christus ait discipulos suos in regeneratione, cum venerit filius hominis in sede majestatis suæ, cum ipso judicaturos duodecim tribus Israel. *In quo numero judicantium*, inquit sanctus Augustinus in Sermone 351, de Pœnitentia : *omnes intelliguntur qui propter Evangelium omnia sua dimiserunt et secuti sunt Dominum.* Vide Cresollium, Decade prima *Anthologiæ sacræ*, *cap.* 1, sect. 9. Itaque Cyprianus in Epistola LXXXI, pag. 164, *ad Confessores* ait illos judicaturos nationes et regnaturos cum Christo. Lactantius, cap. 57 Epitomes : *Nos judicium Dei expectare debemus, ut eos postmodum qui de nobis judicaverint judicemus.* Ita vulgatæ editiones, melius profecto quam in editione Pfaffii, in qua scriptum est, *qui de nobis judicant.* Porro in uno ex illis septem codicibus antiquis quos commemoravimus et in Metensi sancti Arnulphi scriptum est *judicabuntur.* Ex quo alii haud dubie fecerunt *vindicabuntur*, ut in Carnotensi. Error enim est constans. Eodem errore scriptum est in *Apologetico* Tertulliani in quibusdam[559] veteribus libris et editionibus *Æsculapius fulmine judicatur*, cum in editione Pamelii recte positum sit *vindicatur*, ut dicemus alibi. Vide annotationes Henrici Valesii ad Eusebium, lib VI, c. 42. (*Restitui lectionem quæ, excepto Morellio, omnibus ante Bal. communis fuit. Hic e septem edd. posuit :* judicabunt, *quod sane melius, quia istius ævi opinionibus respondet. Cfr. Ep.* VI (*Bal.* LXXXI), II. *Neque vero meliora semper genuina. Imo probabilius, emendatorem quemdam vulgari lectioni Morellianam, quam huic illam substituisse. Sed ad liquidum non facile rem perducat, nisi qui quales sint edd., in quibus alterutrum legitur, accurate noverit.*—GOLDHORN.)

Digitized by Google

Scriptura divina quæ dicit : *Venit Nabuchodonosor rex Babyloniæ in Hierusalem, et expugnabat eam, et dedit eam Dominus in manu ejus* (IV *Reg.* XXIV). Datur autem potestas adversus nos malo secundum nostra peccata, sicut scriptum est : *Quis dedit in direptionem Jacob et Israel eis qui prædantur illum? nonne Deus cui peccaverunt? et nolebant in viis ejus ambulare neque audire legem ejus, et superduxit super eos iram animationis suæ* (*Isa.* XLII, 24). Et iterum, Salomone peccante et a præceptis atque a viis Domini recedente, positum est: *Et excitavit Dominus Satanam ipsi Salomoni* (III *Reg.* XI).

XXVI. Potestas vero dupliciter adversus nos datur, vel ad pœnam cum delinquimus, vel ad gloriam cum probamur; sicuti de Job factum videmus, manifestante Deo et dicente : *Ecce omnia quæcumque habet in manus tuas do; sed ipsum cave ne tangas* (*Job*, I, 12)? Et Dominus in Evangelio suo loquitur tempore passionis : *Nullam haberes adversum me potestatem, nisi datum esset tibi desuper* (*Joan.* XIX, 11). Quando autem rogamus ne in tentationem veniamus, admonemur infirmitatis et imbellicitatis nostræ dum sic rogamus, ne quis se insolenter extollat, ne quis sibi superbe atque arroganter aliquid assumat, ne quis sibi aut confessionis aut passionis gloriam suam ducat, cum Dominus ipse humilitatem docens dixerit : *Vigilate et orate, ne veniatis in tentationem. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma* (*Marc.* XIV, 38); ut, dum præcedit humilis et summissa confessio et datur totum Deo, quicquid suppliciter cum timore et honore Dei petitur ipsius pietate præstetur.

XXVII. Post ista omnia in consummatione orationis venit clausula universas petitiones et preces nostras collecta brevitate concludens. In novissimo enim ponimus, SED LIBERA NOS A MALO, comprehendentes adversa cuncta quæ contra nos in hoc mundo molitur inimicus; a quibus potest [a] esse fida et firma tutela, si nos Deus libereț, si deprecantibus atque implorantibus opem suam præstet [b]. Quando autem dicimus, LIBERA NOS A MALO, nihil remanet quod ultra adhuc debeat postulari, quando semel protectionem Dei adversus malum petamus; qua impetrata, contra omnia quæ diabolus et mundus operantur securi stamus et tuti. Quis enim ei de sæculo metus est cui in sæculo Deus tutor est?

XXVIII. Quid mirum, fratres dilectissimi, si oratio talis est quam Deus docuit, qui magisterio suo omnem precem nostram salutari sermone breviavit? Hoc jam per Esaiam prophetam fuerat ante prædictum, cum, plenus Spiritu sancto de Dei majestate ac pietate, loqueretur [118] : *Verbum consummans*, inquit, *et brevians in justitia, quoniam sermonem breviatum faciet Deus in toto orbe terræ* (*Isa.* X, 22). Nam, cum Dei Sermo, Dominus noster Jesus Christus, omnibus venerit, et, colligens doctos pariter et indoctos, omni sexui atque ætati præcepta salutis ediderit, præceptorum suorum fecit grande compendium, ut in disciplina cœlesti discentium memoria non laboraret, sed quod esset simplici fidei necessarium velociter disceret [c]. Sic, cum doceret quid sit vita æterna, sacramentum vitæ magna et divina brevitate complexus est dicens : *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum et verum* [d] *Deum, et quem misisti Jesum Christum* (*Joan.* XVII, 8). Item, cum de Lege et Prophetis præcepta prima et majora decerperet, *Audi*, inquit, *Israel, Dominus Deus tuus Deus unus est. Et diliges Dominum Deum tuum de toto corde tuo, et de tota anima tua, et de tota virtute tua* (*Deut.* VI, 4, 5). *Hoc est primum mandatum. Et secundum simile est huic : Diliges proximum tibi tamquam te ipsum* [e] (*Marc.* XII, 29-31). *In his duobus præceptis tota Lex pendet et Prophetæ* (*Matth.* XXII, 40). Et iterum : *Quæcumque volueritis ut faciant vobis homines bona, ita et vos facite illis. Hæc est enim Lex et Prophetæ* (*Ibid.* VII, 12).

XXIX. Nec verbis tantum, sed et factis Dominus orare nos docuit, ipse orans frequenter et deprecans, et quid facere nos oporteret exempli sui contestatione demonstrans, sicut scriptum est : *Ipse autem fuit secedens in solitudinem et adorans* [f] (*Luc.* V, 16). Et iterum : *Exivit in monte orare, et fuit pernoctans in oratione Dei* (*Luc.* VI, 12). Quod si ille orabat qui sine peccato erat, quanto magis peccatores oportet orare? Et si ille per totam noctem jugiter vigilans continuis precibus orabat, quanto nos magis in frequentanda oratione debemus nocte vigilare?

XXX. Orabat autem Dominus et rogabat, non pro se, quid enim pro se innocens precaretur? sed pro delictis nostris, sicut et ipse declarat, cum dicit ad Petrum : *Ecce Satanas postulavit* [g] *ut vos vexa-*

LECTIONES VARIANTES.

[a] A quibus non potest *correx. Oxon. nullo cod. allato.*
[b] Nisi... præstet *correxit Oxon., nec ullum cod. excitavit.*
[c] Ecclesia disceret *Pem.*
[d] Te solum verum *Paris.*
[e] Proximum tuum *Oxon.* Tibi. *Ver. MR. Lam. NC.* 1. Tamquam te *Paris.*
[f] Orans *Lam. Ebr Ar. Bod.* 2, 3.
[g] Expetivit *Oxon et vett. impr.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

XXVI. — *Ne tangas.* Post ista additum est in libro Fuxensi : *Et alio loco dicit : Ecce trado illum tibi. Tantum animam illius custodi.* Quod sumptum est ex capite II libri Job, ut citatur a Tertulliano in libro *de Fuga in persecutione.*

Tempore passionis. Pamelius adjecit ex codice Camberonensi *ad Pilatum.* Sed ego istud non reperi in libris nostris, et manifestum est deesse in editionibus quæ Pamelianam antecesserunt.

Quando autem rogamus. Citat hunc locum sanctus Augustinus lib. IV *contra duas Epistolas Pelagianorum* cap. 9.

XXVII. — *Venit clausula.* Tertullianus in libro de Oratione : *Et respondet clausula interpretans quid sit Ne nos inducas in tentationem.*

Sed libera nos a malo. Vide annotationes Erasmi in caput XI Lucæ.

XXX.— *Postulavit.* Vulgatæ editiones, Hilarius in libro X *de Trinitate*, c. 38, et Hieronymus lib. II *adversus Pelagium* habent *expetivit*, uti legitur in ca-

Digitized by Google

ret [a] *quomodo triticum. Ego autem rogavi pro te, ne deficiat fides tua* (*Luc.* XXII, 31, 32). Et postmodum pro omnibus Patrem deprecatur dicens : *Non pro his autem rogo solis, sed et pro illis qui credituri sunt per verbum ipsorum in me, ut omnes unum sint, sicut tu Pater, in me et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint* (*Joan.* XVII, 20). Magna Domini propter salutem nostram benignitas pariter et pietas, ut non contentus quod nos sanguine suo redimeret, adhuc pro nobis amplius et rogaret. Rogantis autem desiderium videte quod fuerit, ut, quomodo unum sunt pater et filius, sic et nos in ipsa unitate maneamus. Ut hinc quoque possit intelligi quantum delinquat qui unitatem scindit et pacem, cum pro hoc et rogaverit Dominus, votum scilicet sic plebem suam salvam fieri et in pace vivere [b], cum sciret ad regnum Dei discordiam non venire.

XXXI. Quando autem stamus ad orationem, fratres dilectissimi, vigilare et incumbere ad preces toto corde debemus. Cogitatio omnis carnalis et sæcularis abscedat, nec quicquam tunc animus quam id solum cogitet quod precatur. Ideo et sacerdos, ante orationem præfatione præmissa, parat fratrum mentes dicendo : *Sursum corda* ; ut, dum respondet plebs, *Habemus ad Dominum*, admoneatur nihil aliud se quam Dominum cogitare debere. Claudatur contra adversarium pectus, et soli Deo pateat, nec ad se hostem Dei tempore orationis adire patiatur. Obrepit enim frequenter et penetrat, et subtiliter fallens preces nostras a Deo avocat, ut aliud habeamus in corde, aliud in voce, quando intentione sincera Dominum debeat, non vocis sonus, sed animus et sensus, orare. Quæ autem segnitia est alienari et rapi [c] ineptis cogitationibus et profanis cum Dominum deprecaris, aut quasi sit aliud quod magis debeas cogitare quàm quod cum Deo loqueris? Quomodo te audiri a Deo postulas, cum te ipse non audias? Vis esse Deum memorem tui cum rogas, quando tu ipse memor tui non sis? Hoc est ab hoste in totum non cavere : hoc est, quando oras Deum, majestatem Dei negligentia orationis offendere : hoc est vigilare oculis et corde dormire, cum debeat Christianus et cum dormit oculis corde vigilare, sicut scriptum est ex persona Ecclesiæ loquentis in Cantico Canticorum : *Ego dormio* [d], *et cor meum vigilat* (*Cant.* v, 2). Quapropter sollicite et caute Apostolus admonet dicens : *Instate orationi, vigilantes in ea* (*Coloss.* IV, 2), docens scilicet et ostendens eos impetrare quod postulant de Deo posse, quos Deus videt in oratione vigilare.

XXXII. Orantes autem non infructuosis nec nudis precibus ad Deum veniant. Inefficax petitio est cum precatur Deum sterilis oratio. Nam, cum *omnis arbor non faciens fructum excidatur et in ignem mittatur* (*Matth.* VII, 19), utique et sermo non habens fructum promereri Deum non potest, quia nulla est operatione fœcundus. Et iden Scriptura divina instruit dicens : *Bona est oratio cum jejunio et eleemosyna* (*Tob.* XII, 9). Nam qui in die judicii præmium pro operibus et eleemosynis redditurus est, hodie quoque ad orationem cum operatione [e] venienti benignus auditor est. Sic denique Cornelius centurio cum oraret, meruit audiri. Fuit enim faciens multas eleemosynas in plebem et semper orans Deum. Huic circa horam nonam oranti adstitit Angelus testimonium reddens sui operis [f] et dicens : *Corneli, orationes tuæ et eleemosynæ tuæ ascenderunt ad memoriam coram Deo* (*Act.* X, 4).

XXXIII. Cito orationes ad Deum ascendunt quas ad Deum merita nostri operis imponunt. Sic et Raphael angelus Tobiæ oranti semper et semper operanti testis fuit dicens : *Opera Dei revelare et confiteri honorificum est. Nam, quando orabas tu et Sarra, ego obtuli memoriam orationis vestræ in conspectu claritatis Dei. Et cum sepelires tu mortuos simpliciter, et quia non es cunctatus exsurgere et derelinquere prandium tuum, sed abisti et condidisti mortuum, missus sum tentare te ; et iterum me misit Deus curare te et Sarram nurum tuam. Ego enim sum Raphael, unus ex septem Angelis justis qui assistimus et conversamur ante claritatem Dei* (*Tob.* XII, 11-15.). Per Esaiam quoque Dominus admonet et docet similia contestans : *Solve*, inquit, *omnem nodum injustitiæ, resolve suffocationes impotentium commerciorum. Dimitte quassatos in requiem et omnem consignationem injustam dissipa. Frange esurienti panem tuum, et egenos sine tecto in-*

LECTIONES VARIANTES.

[a] Cribraret *Voss.* 3.
[b] *Sic vulgo in vett. codd.* Plebem suam unice, *quod probavit Walkerus Miscell. Obs. p.* 54.
[c] Alienari et capi *Paris. Bod.* 1, 2, 3, 4. *MR. Mamt.*
[d] Dormio, inquit *Ar. Lam. NC.* 1.
[e] Cum elemosyna *Ar. Lam. NC.* 1.
[f] Suis operibus *Ver. Ebor. Pem. Bod.* 4.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

pite II Evangelii secundum Lucam. Gravii tamen quæ dicitur editio præfert *postulavit*. Cum ergo lectionem illam ego invenerim in XXVII libris nostris et in novem Anglicanis, tum etiam in libro Tertulliani *de Fuga in persecutione*, apud sanctum Augustinum, Enaratione in psalmum c, et in editione Morelliana non dubitavi quin ita reponendum esset, etiam quia ita scriptum est supra in Epistola VII pag. 14.

Vexaret. In Evangelio Lucæ et in uno codice Vaticano, tum etiam in libro II sancti Augustini *adversus Pelagium* legitur *cribraret*. At tres libri nostri habent *ventilaret*. Quo etiam modo scriptum esse in vetustis exemplaribus libri X sancti Hilarii *de Trinitate* adnotatum est in editione viri optimi et doctissimi Petri Coustant, cui debemus egregiam editionem operum illius Sancti. Tertullianus in libro *de Fuga in persecutione* et Hilarius in libro mox laudato habent *cerneret*.

XXXI. — *Sursum corda*. Commodianus Instructione 76 : *Sacerdos Domini cum susum corda præcipit*. Antiqui enim sæpe scribebant *susum* pro *sursum*, uti diximus ad caput 19 libri Lactantii *de Mortibus persecutorum*. Addo nunc Vitruvium, apud quem, lib. X, cap. 8, legitur *ab imo susum* in veteri codice mms. Petri Pithœi. Vide Onomasticon Rosweydi *ad vitas Patrum* et notationes ejus *ad Martyrologium Adonis*.

XXXIII. — *Angelis justis*. Plerique libri veteres habent *sanctis*, ut in libro *de Mortalitate* pag. 232, ubi idem locus refertur.

Digitized by Google

duc in domum tuam. Si videris nudum, vesti; et domesticos seminis tui non despicies. Tunc erumpet temporaneum lumen tuum et vestimenta tua cito orientur, et præibit ante te justitia, et claritas Dei circumdabit te. Tunc exclamabis, et Deus exaudiet te, et dum adhuc loqueris dicet: Ecce adsum (*Isa.* LVIII, 6-9). Adesse se repromittit et audire ac protegere se eos dicit qui, injustitiæ nodos de corde solventes et eleemosynas circa domesticos Dei, secundum ejus præcepta, facientes, dum audiunt quod Deus præcipit fieri, ipsi quoque a Deo merentur audiri. Beatus apostolus Paulus, in necessitate pressuræ adjutus a fratribus, opera bona [a] quæ fiunt sacrificia Dei dixit esse : *Saturatus sum*, inquit, *recipiens ab Epaphrodito ea quæ a vobis missa sunt, odorem suavitatis, sacrificium acceptum et placitum Deo* (*Phil.* IV, 18). Nam, quando quis miseretur pauperis, Deum fœnerat ; et qui dat minimis, Deo donat, spiritaliter Deo suavitatis odorem sacrificat.

XXXIV. In orationibus vero celebrandis invenimus observasse cum Daniele tres pueros in fide fortes et in captivitate victores, horam tertiam, sextam, [sic] nonam, sacramento [b] scilicet Trinitatis, quæ in novissimis temporibus manifestari habebat. Nam et prima hora in tertiam veniens consummatum numerum trinitatis ostendit : itemque ad sextam quarta procedens declarat alteram trinitatem ; et quando a septima nona completur, per ternas horas trinitas perfecta numeratur. Quæ horarum spatia jampridem spiritaliter determinantes adoratores Dei statutis et legitimis ad precem temporibus servabant [c]. Et manifestata postmodum res est sacramenta olim fuisse quod ante sic justi precabantur. Nam super discipulos hora tertia descendit Spiritus sanctus, qui gratiam Dominicæ repromissionis implevit. Item Petrus, hora sexta in tectum superius ascendens, signo pariter et voce Dei monentis instructus est ut omnes ad gratiam salutis admitteret, cum de emundandis gentilibus ante dubitaret. Et Dominus hora sexta crucifixus, ad nonam peccata nostra sanguine suo abluit, et ut redimere et vivificare nos posset, tunc victoriam suam passione perfecit.

XXXV. Sed nobis, fratres dilectissimi, præter horas antiquitus observatas, orandi nunc et spatia et sacramenta creverunt. Nam et mane orandum est, ut resurrectio Domini matutina oratione celebretur. Quod olim Spiritus sanctus designabat in Psalmis dicens : *Rex meus et Deus meus, quoniam ad te orabo* [d], *Domine, mane exaudies vocem meam, mane assistam* [e] *tibi, et contemplabor te* (*Psal.* V, 2). Et iterum per Prophetam loquitur Dominus : *Diluculo vigilabunt ad me dicentes : Eamus et revertamur ad Dominum Deum nostrum* (*Ose.* VI, 1). Recedente item sole ac die cessante necessario rursus orandum est : nam, quia Christus sol verus et dies est verus, sole ac die sæculi recedente, quando oramus et petimus ut super nos lux denuo veniat, Christi precamur adventum lucis æternæ gratiam præbiturum. Christum autem diem dictum declarat in Psalmis Spiritus sanctus : *Lapis*, inquit, *quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. A Domino factus est iste* [f] *et est admirabilis* [g] *in oculis nostris. Iste est dies quem fecit Dominus, ambulemus et jucundemur in eo* (*Psal.* CXVII, 22, 23). Item, quod sol appellatus sit Malachias [h] propheta testatur dicens : *Vobis autem qui timetis nomen Domini, orietur sol justitiæ, et in alis ejus curatio est* (*Malach.* IV, 2). Quod si in Scripturis sanctis sol verus et dies verus est Christus, hora nulla a Christianis excipitur quominus frequenter ac semper Deus debeat adorari ; ut qui in Christo, hoc est in sole et in die vero, sumus, insistamus per totum diem precibus et oremus, et quando mundi lege decurrens vicibus alternis nox revoluta succedit, nullum de nocturnis tenebris esse orantibus damnum potest, quia filiis lucis et in noctibus dies est. Quando enim sine lumine est cui lumen in corde est ? aut quando sol ei et dies non est cui sol et dies Christus est ?

XXXVI. Qui autem in Christo, hoc est in lumine, semper sumus, nec noctibus ab oratione cessemus. Sic Anna vidua sine intermissione rogans semper et vigilans perseverabat in promerendo Deo, sicut in Evangelio scriptum est : *Non recedebat*, inquit, *de templo, jejuniis et orationibus serviens nocte ac die* (*Luc.* II, 37). Viderint vel gentiles, qui necdum illuminati sunt, vel Judæi, qui, deserto lumine, in tenebris remanserunt. Nos, fratres dilectissimi, qui in Domini luce semper sumus, qui meminimus et tenemus quid esse accepta gratia cœperimus, computemus noctem pro die. Ambulare nos credamus semper in lumine, non impediamur a tenebris quas evasi-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Opera quæ fiunt *Lam. Ebor. Lin. NC.* 1.
[b] Sacramentum *Ver.* Sacramenta *Vat.* 3.
[c] Domino serviebant *Lan. Bod.* 2. *NC.* 1. Serviebant *Oxon. Lips.*
[d] Adorabo *Ver.*
[e] Astabo *Lam. MA. NC.* 1, *Bod.* 2, 3.
[f] Factum est istud *Pem. Paris. Vict.*
[g] Mirabilis *Ar. Ben.*
[h] Malachiel *Ver. Vict.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

XXXIV. — *Petrus hora sexta.* Vide Tertullianum in initio libri *de Jejuniis*, Hieronymum in Epistola ad Eustochium *de Custodia virginitatis*, et Danielis Heinsii annotationes *in Clementem Alexandrinum* pag. 77.

XXXV. — *Observatas.* Quædam vetera exemplaria habent *observandas*, unum meum *constitutas*.

Mane assistam. Codex Seguierianus, *mane adstabo tibi et videbo te.* Alii tres, *mane adstabo tibi et exaudies me.*

Ambulemus. Tres libri veteres, *exultemus et lætemur.* Alii quatuor et editio Morelliana, *exultemus et jucundemur.* Seguierianus, *lætemur et epulemur in eum.*

Malachias. Veteres editiones et tredecim libri veteres habent *Malachim*, Fuxensis *Malachil*, Veronensis *Malachiel.*

XXXVI. — *Deserto lumine.* Ita ferme omnes libri veteres. Quatuor tamen habent *deserti a lumine.* Alii tres, *derelicti a lumine.*

Digitized by Google

mus. Nulla sint horis nocturnis precum damna, nulla orationum pigra et ignava dispendia. Per Dei indulgentiam recreati [816] spiritaliter et renati, imitemur quod futuri sumus. Habituri in regno sine interventu noctis solum diem, sic nocte quasi in lumine vigilemus. Oraturi semper et acturi gratias Deo, hic quoque orare et gratias agere non desinamus.

LIBER AD DEMETRIANUM.

ARGUMENTUM.— *Demetriano, Africæ proconsuli, contendenti Christianis imputari debere bella, famem et pestem quibus tum orbis divexabatur, quod ab ipsis dii non colerentur; pulchre respondet (ubi deduxit mundi senio omnia deteriora fieri) ipsos potius ethnicos tantarum cladium causam esse, quod Deum non colerent et Christianos præterea injustis persecutionibus agitarent. Deinde, ubi illi exprobravit tormentorum inusitata genera quibus Christianos præ aliis reis torquebat, non ad confessionem, sed ad negationem, deorum impotentiam arguit; tum quod ipsi se defendere nequeant, atque adeo Demetrianus qui illos vindicabat, ab ipsis potius coli quam ipse eos colere deberet; tum quod a Christianis de obsessis corporibus ejecti, quid sint ipsi confiteantur. Neque vero ruinas regum, jacturas opum et similia mala quæ persecutiones Christianorum divinitus in vindictam comitabantur, ideo vindictas non censeri, quod illis etiam communes essent, quandoquidem gaudium iis potius sint omnia illa, quam pœna. Proinde, dum tempus est, ad mentem redeat hortatur, vel saltem metu judicii et semper ardentis gehennæ ignis. Imitatur autem ipse partim Tertulliani Apologeticum et librum ad Scapulam, partim Minutii Felicis Octavium.* PAMEL.

I. OBLATRANTEM te et adversus Deum, qui unus et verus est, ore sacrilego et verbis impiis obstrepentem frequenter, Demetriane, contempseram, verecundius ac melius existimans errantis imperitiam silentio spernere, quam loquendo dementis insaniam provocare. Nec hoc sine magisterii divini auctoritate faciebam, cum scriptum sit: *In aures imprudentis noli quicquam dicere, ne, quando audierit, irrideat sensatos sermones tuos* (*Prov.* XXIII, 9). Et iterum: *Noli respondere imprudenti ad imprudentiam ejus, ne similis fias illi* (*Prov.* XXVI, 4). Et sanctum quoque jubeamur intra conscientiam nostram tenere, nec inculcandum porcis et canibus exponere, loquente Domino et dicente: *Ne dederitis sanctum canibus, neque miseritis*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

AD DEMETRIANUM. — Nihil est facilius, nihil magis obvium quam reprehendere studia aliorum, cum ingenia humana, ut lib. IV *Epist.* XXII ait Symmachus, prompta ad arguendum esse omnibus liqueat. Cujus rei exemplum ex Augustino retulimus in initio notarum nostrarum [860] ad Cyprianum. Lactantius lib. IV, cap. 4, reprehendit seu potius, ut Hieronymi verbo utar, mordet Cyprianum quod in hac oratione, quæ scripta est adversus inimicum christianæ religionis, utatur testimoniis sacræ Scripturæ, quam ille utique vanam, fictam, commentitiamque putabat, cum potius argumentis et ratione refellendus fuisset, id est humanis testimoniis, philosophorum videlicet et historicorum, ut suis potissimum refutaretur auctoribus. Contra, Tertullianus in initio libri *de Testimonio animæ* ait: *Magna curiositate et majore longe memoria opus est ad studendum, si quis velit ex litteris receptissimis, quibusque philosophorum vel poetarum vel quorumlibet doctrina sapientiæ sæcularis magistrorum testimonia excerpere christianæ veritatis, ut æmuli persecutoresque ejus de suo proprio instrumento et erroris in se et iniquitatis in nos rei revincantur.* Exstitere qui crederent sanctum quoque Hieronymum in eadem cum Lactantio sententia fuisse, quia is in Epistola *ad Magnum* refert istud judicium Lactantii de hoc opere sancti Cypriani adversus Demetrianum. Verum illi vehementer, meo quidem judicio, erraverunt. Hieronymus enim non refert illud Lactantii judicium tamquam approbans, sed ut ostenderet Lactantium putasse melius facturum fuisse Cyprianum, si in refellendo Demetriano usus esset testimoniis philosophorum et poetarum, quam cum usus est testimoniis sacræ Scripturæ adversus hominem ethnicum. Id vero Hieronymus ita faciebat ut etiam testimonio Lactantii ostenderet posse scriptores ecclesiasticos uti testimoniis sæcularium litterarum in lucubrationibus suis. Idem in Epistola *ad Ctesiphontem* adversus Pelagianos ait posse cum paucis sententiolis Scripturarum hæreticorum et per eos philosophorum argumenta convinci. Luciferianus apud eumdem Hieronymum ait: *Oro te ut philosophorum argumentatione deposita, christiana mecum simplicitate loquaris.* Cæterum Baronius anno 256 optimis argumentis ostendit censuram Lactantii non esse legitimam. (*Cf. D. Le Nourry dissertationem de hoc S. Cypriani opere, infra in hoc tomo ex integro recusam*).

I.— *Ad Demetrianum.* In codice Corbeiensi sic inscriptus est hic liber: *Incipit Epistola sancti Cypriani ad Demetrianum paganum episcopum.* Proconsulem Africæ fuisse censuit Nicolaus Vignierius in sua historia ecclesiastica. Quis autem ille fuerit recte disputatum est in notis editionis Anglicanæ, ubi scriptum est verisimilius esse illum fuisse judicem in civitate Carthaginensi aut aliquem et consiliaris qui præsidi solebant in judiciis assistere.

Nec hoc sine magisterii divini. Post hæc Pamelius adjecit *et nominis*, quod additamentum ego reperi in tribus antiquis codicibus. Deest autem in antiquis editionibus, in XXI libris nostris, et in quatuor Anglicanis. In aliis duobus nostris legitur, *sine magisterio divinæ auctoritatis.* Quo etiam modo scriptum est in margine editionis quæ dicitur Gravii. Hanc vero lectionem magis probat Pamelius. Rigaltius et Angli retinuerunt in contextu additionem Pamelii. Ego delevi, quia superflua est, et major pars veterum exemplarium eam non habet.

Digitized by Google

margaritas vestras ante porcos, ne inculcent eas pedibus [a], *et conversi elidant vos* (*Matth.* VII, 6). Nam, cum ad me sæpe, studio magis contradicendi quam voto discendi, venires, et, clamosis vocibus personans, malles tua impudenter ingerere quam nostra patienter audire, ineptum videbatur congredi tecum, quando facilius esset et levius turbulenti maris concitos fluctus clamoribus retundere quam tuam rabiem tractatibus coercere. Certe et labor irritus et nullus effectus, offerre lumen cæco, sermonem surdo, sapientiam bruto; cum nec sentire brutus possit, nec cæcus lumen admittere, nec surdus audire.

II. Hæc considerans, sæpe conticui, et impatientem patientia vici, cum nec docere indocilem possem, nec impium religione comprimere, nec furentem lenitate cohibere. Sed enim, cum dicas plurimos conqueri quod bella crebrius surgant, quod lues, quod fames sæviant, quodque imbres et pluvias serena longa suspendant nobis imputari, tacere ultra non oportet; ne jam non verecundiæ sed diffidentiæ esse incipiat quod tacemus, et dum criminationes falsas contemnimus refutare, videamur crimen agnoscere. Respondeo igitur et tibi, Demetriane, pariter et cæteris quos tu forsitan concitasti, et adversum nos odia tuis maledicis vocibus seminando, comites tibi plures radicis atque originis tuæ pullulatione fecisti; quos tamen sermonis nostri admittere credo rationem: nam qui ad malum motus est mendacio fallente, multo magis ad bonum movebitur veritate cogente.

III. Dixisti per nos fieri et quod nobis debeant imputari omnia ista quibus nunc mundus quatitur et urgetur, quod dii vestri a nobis non colantur. Qua in parte, quia [b] ignarus divinæ cognitionis et veritatis alienus es, illud primo in loco scire debes, senuisse jam mundum, non illis viribus stare quibus prius steterat, nec vigore et robore eo valere quo [217] antea prævalebat. Hoc etiam, nobis tacentibus et nulla de Scripturis sanctis prædicationibusque divinis documenta promentibus, mundus ipse jam loquitur et occasum sui rerum labentium probatione testatur. Non hyeme nutriendis seminibus tanta imbrium copia est, non frugibus æstate torrendis solis tanta [c] flagrantia est, nec sic vernante temperie sata læta sunt, nec adeo arboreis fœtibus autumna fœcunda sunt. Minus de effossis et fatigatis montibus eruuntur marmorum crustæ, minus argenti et auri opes suggerunt exhausta jam metalla, et pauperes venæ breviantur in dies singulos et decrescunt, deficit in arvis agricola, in mari nauta, miles in castris, innocentia in foro, justitia in judicio, in amicitiis concordia, in artibus peritia, in moribus disciplina. Putasne tantam posse substantiam rei senescentis existere quantum prius potuit novella adhuc et vegeta juventa pollere? Minuatur necesse

LECTIONES VARIANTES.

[a] Pedibus suis *Bod.* 1, 2, 3, 4. Suis. Nam cum *Ar. Lam. Ebor. Woss.* 2.

[b] Qui ignarus *Bod.* 1, 3, 4. *Thu. Vict.*

[c] Solita flagrantia *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Lam. Ebor. Thu. Foss.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

Inculcent. Præfero hanc lectionem, quia illam inveni in antiquis editionibus et in septemdecim codicibus manuscriptis. Eam quoque prætulerunt Angli. Eo vocabulo frequenter utuntur Tertullianus et Cyprianus. Concilium Arelatense primum canone 17. *Ut nullus episcopus alium episcopum inculcet.* Vide Jacobi Gothofredi notas ad librum I *Tertulliani ad Nationes* cap. 10.

Et conversi elidant vos. Quamvis ista exstent in omnibus editionibus et in quinque antiquis exemplaribus, facile delerem, cum desint in quindecim libris nostris et quatuor Anglicanis, tum etiam quia nullius momenti sunt ad adstruendum id quod Cyprianus insinuare volebat.

II. — *Patientia vici.* Sic Hieronymus in Epistola *ad Pammachium* adversus Joannem Hierosolymitanum: *Noluimus tibi occasionem dare. Videbamus enim strophum dilectionis tuæ. Injuriam patientia vicimus.*

Quod bella crebrius. Prudentius, lib. II *adversus Symmachum*:

> Et sunt qui nobis bella exprobare sinistra
> Non dubitant postquam templorum sprevimus aras.

Imbres et pluvias. Novella Theodosii de Judæis et Samaritanis: *An diutius perferimus mutari temporum vices, irata cœli temperie, quæ paganorum exacerbata pefidia nescit naturæ libramenta servare? Unde enim ver solitam gratiam abjuravit, unde æstas messe jejuna laboriosum agricolam in spe destituit aristarum, unde hyemis intemperata ferocitas* [561] *ubertatem terrarum penetrabili frigore sterilitatis læsione damnavit, nisi quia ad impietatis vindictam transit lege sua naturæ decretum?*

Serena longa. Matthæi XVI: *Serenum erit, rubicundum est enim cœlum.* Hieronymus lib. II contra Pelagianos, *in sereno patimur tempestatem.* Prudentius, lib. I adversus Symmachum: *Turbidus aer ponebat liquidum ex arca serenum.* Idem in hymno matutino: *Hæc lux serenum conferat.*

Verecundiæ. Hieronymus in Epistola ad Theophilum Alexandrinum; *Macte virtute, macte zelo fidei. Ostendisti quod huc usque taciturnitatis dispensatio fuit, non consensus.* Idem, lib. I adversus Rufinum: *Et ostendam quod huc usque silentium modestiæ fuerit, non malæ conscientiæ.* Sanctus Ambrosius, in Epistola adversus relationem Symmachi, *dissimulationem pro consensu interpretantes.*

Respondeo. Codex sancti Arnulphi et editio Morelliana *Respondemus.*

III.—*Quod dii vestri.* Lactantius lib. V, cap. 8. *Discite igitur homines ideo malos esse quia dii coluntur.*

Vernante temperie. Antea legebatur *verna de temperie sua sata læta sunt.* Veram lectionem invenimus in quatuor antiquis exemplaribus, eamque se in antiquo libro invenisse scribit Morellius. Etiam falsa ostendit istam esse veram. Nam cum habeat *verna de temperie*, manifestum est errorem ortum esse ex voce *vernante*, quam librarius non intelligens posuit *vernade* unico vocabulo pro *vernante.* Supra, Epist. XV, pag. 25: *Successit hiemi verna temperies.*

Arvis. Tametsi sciam lectionem vulgatam, quæ habet *agris*, esse optimam, istam præfero, quia illam inveni in quindecim libris nostris, etiam in Seguieriano, et in quatuor Bodleianis. Sic etiam habebat Veronensis. Ita etiam editio Morelliana.

Juventa. Facile est præferre hanc lectionem, cum illam habeant viginti libri nostri et sex Anglicani, tum etiam omnes editiones Pameliana antiquiores. Pamelius posuit *juventute*, professus se ita invenisse in quatuor antiquis codicibus. Memoriæ autem lapsu factum est ut monuerit Morellium ita quoque posuisse.

Digitized by Google

est quicquid fine jam proximo in occidua et extrema devergit. Sic sol in occasu suo radios minus claro et igneo splendore jaculatur; sic, declinante jam cursu, exoletis cornibus luna tenuatur, et arbor quæ fuerat ante viridis et fertilis, arescentibus ramis fit postmodum sterili senectute deformis; et fons qui, exundantibus prius venis, largiter profluebat, senectute deficiens, vix modico sudore distillat. Hæc sententia mundo data est, hæc Dei lex est, ut omnia orta occidant et aucta senescant, et infirmentur fortia, et magna minuantur, et cum infirmata et diminuta fuerint, finiantur.

IV. Christianis imputas quod minuantur singula, mundo senescente. Quid si et senes imputent Christianis quod minus valeant in senectute, quod non perinde ut prius vigeant auditu aurium, cursu pedum, oculorum acie, virium robore, succo viscerum, mole membrorum; et cum olim ultra octingentos et nongentos annos vita hominum longæva procederet, vix nunc possit ad centenarium numerum perveniri? Canos videmus in pueris, capilli deficiunt antequam crescant; nec ætas in senectute desinit, sed incipit a senectute. Sic in ortu adhuc suo ad finem nativitas properat; sic quodcumque nunc nascitur, mundi ipsius senectute degenerat: ut nemo mirari debeat singula in mundo cœpisse deficere, quando totus ipse jam mundus in defectione sit et in fine.

V. Quod autem crebrius bella continuant, quod sterilitas et fames sollicitudinem cumulant, quod, sævientibus morbis, valetudo frangitur, quod humanum genus luis populatione vastatur, et hoc scias esse prædictum, in novissimis temporibus multiplicari mala et adversa variari, et appropinquante jam judicii die magis ac magis in plagas generis humani censuram Dei indignantis accendi. Non enim, sicut tua falsa querimonia et imperitia veritatis ignara jactat et clamitat, ista accidunt quod dii vestri a nobis non colantur, sed quod a vobis non colatur Deus. Nam, cum ipse sit mundi dominus et rector, et cuncta arbitrio ejus et nutu gerantur, nec quicquam fieri possit nisi quod aut fecerit aut fieri ipse permiserit, utique quando ea fiunt quæ iram Dei indignantis ostendunt [a], non propter nos fiunt, a quibus Deus colitur, sed delictis et meritis vestris irrogantur, a quibus Deus omnino nec quæritur nec timetur, nec, relictis vanis superstitionibus, religio vera cognoscitur, ut, qui Deus unus est omnibus, unus colatur ab omnibus et rogetur.

VI. Ipsum denique audi loquentem, ipsum voce divina instruentem nos pariter ac monentem: *Dominum Deum tuum adorabis*, inquit, *et illi soli servies* (*Deut.* VI, 13). Et iterum: *Non erunt tibi dii alii absque me* (*Exod.* XX, 3). Et rursum: [216] *Nolite ambulare post deos alienos ut serviatis eis, et ne adoraveritis eos; et ne incitetis* [b] *me in operibus manuum vestrarum ad disperdendos vos* (*Hierem.* XXV, 6). Propheta item Spiritu sancto plenus contestatur et denuntiat iram Dei dicens: *Hæc dicit Dominus omnipotens: Eo quod domus mea deserta est, vos autem sectamini unusquisque in domum suam, propterea abstinebit cœlum a rore, et terra subtrahet* [c] *procreationes suas, et inducam gladium super terram et super frumentum et super vinum et super oleum, et super homines et super pecora, et super*

LECTIONES VARIANTES.

[a] Accendunt *Ar. Ben.*
[b] Irritetis *NC.* 2.
[c] Retrahet *Ar.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

IV.—*Quod minuantur singula.* Et tamen eadem mala evenisse in imperio Romano ante quam christiana religio in eo fundata esset certum est et facile probari posset. Utar tamen ad eam rem probandam testimonio unius Columellæ, qui vicinus erat nostrorum temporum. Is ergo in præfatione librorum suorum *de Re rustica* ait sæpenumero civitatis Romanæ principes culpasse sua ætate modo agrorum infœcunditatem, modo cœli per multa jam tempora noxiam frugibus intemperiem, quosdam etiam prædictas querimonias velut ratione certa mitigasse, quod existimarent ubertate nimia prioris ævi defatigatum et effœtum solum nequire pristina benignitate præbere mortalibus alimoniam; idque lib. II, cap. 1, ait non ex fatigatione terræ, quemadmodum plurimi crediderunt, sed hominum inertia evenisse. Et hæc quidem ante fundatam religionem Christi; quæ cum introducta esset in rempublicam, et gravis odiosaque esset gentilibus, illi eas calamitates imputabant nostris hominibus, ob eam rationem quod ab illis dii eorum non colerentur. Apud Rufinum lib. IV, cap. 13, refertur rescriptum Anonini Pii ad Asiaticos pro Christianis, in quo Imperator ait: *De motibus autem terræ qui vel facti sunt vel etiam nunc fiunt absurdum non erit mœrorem vestrum justa commonitione solari, quoniam quidem comperi quod in hujusmodi rebus ad illorum invidiam communes casus transfertis.* Postea cum desiisset idololatria, suscepta apud omnes ubique gentes Dei religio, et tota respublica facta esset christiana, cum ea mala eveniebant quæ nobis gentiles imputare solebant, ut est humana natura prompta ad arguendum et accusandum, sequentibus sæculis ea translata sunt alio, ut ævo Theodosii A. imputabantur Judæis, Samaritis, et Paganis, ut patet ex Novella ejus tertia, et ævo Karoli M. Tempestariis, adversus quos exstat liber Agobardi archiepiscopi Lugdunensis. At sequentibus temporibus ea imputabantur culpis sacerdotum in Dania. Hujus rei testis est Gregorius Papa VII qui, lib. I Epist., XXI, scribens ad regem et gentem Danorum ait: *Illud interim non prætereundum, sed magnopere apostolica interdictione prohibendum videtur quod de gente vestra nobis innotuit, scilicet vos intemperiem temporum, corruptiones aeris, quascumque molestias corporum ad sacerdotum culpas transferre.*

Ætas incipit a senectute. Seneca Epist. XIII: *Quid est autem turpius quam senex vivere incipiens?* Item Epist. XXIII: *Male vivunt qui semper vivere incipiunt. Quidam vivere incipiunt cum desinendum est.* Item cap. 4 de Brevitate vitæ: *Audio plerosque dicentes, a quinquagesimo in otium succedam, sexagesimus annus ab officiis me dimittet. Quam serum* [562] *est tunc vivere incipere, cum desinendum est.* Censorinus, cap. XIV, ait anno sexagesimo tunc primum senescere corpus incipere. Et Cicero in Oratione pro Roscio Amerino ait: *Senes sexagenarii more majorum de ponte in Tyberim dejiciebantur.* Tacitus ait Agricolam, qui anno quinquagesimo sexto ætatis suæ extinctus est, medio in spatio integræ ætatis ereptum fuisse. Idem alibi ait quindecim annos esse grande mortalis ævi spatium.

V.— *Deus omnino nec quæritur.* In codice Seguieriano scriptum est *colitur*.

Digitized by Google

per omnes labores manuum eorum (*Agg.* I, 9-11). Item Prophetæ alius repetit et dicit : *Et pluam super unam civitatem, et super aliam* [a] *non pluam. Pars una compluetur, et pars super quam non pluero arefiet. Et congregabuntur duæ et tres civitates in unam civitatem potandæ aquæ causa, nec satiabuntur ; et non convertimini ad me, dicit Dominus* (*Amos* IV, 7, 8).

VII. Indignatur ecce Dominus et irascitur, et quod ad eum non convertamini comminatur ; et tu miraris aut quereris, in hac obstinatione et contemptu vestro, si rara desuper pluvia descendat, si terra situ pulveris squaleat, si vix jejunas et pallidas herbas sterilis gleba producat, si vineam debilitet grando cædens, si oleam detruncet turbo subvertens, si fontem siccitas statuat, aerem pestilens aura corrumpat, hominem morbida valetudo consumat, cum omnia ista peccatis provocantibus veniant, et plus exacerbetur [b] Deus quando nihil talia et tanta proficiant? Fieri enim ista vel ad disciplinam contumacium vel ad pœnam malorum declarat in Scripturis sanctis idem Deus dicens : *Sine causa percussi filios vestros, disciplinam non exceperunt* (*Hierem.* II, 30). Et Propheta devotus ac dicatus Deo ad hæc eadem respondet et dicit : *Verberasti eos, nec doluerunt ; flagellasti eos, nec voluerunt accipere* [c] *disciplinam* (*Hier.* V, 3). Ecce irrogantur divinitus plagæ, et nullus Dei metus est : ecce verbera desuper et flagella non desunt, et trepidatio nulla, nulla formido est [d]. Quid si non intercederet rebus humanis vel ista censura, quanto adhuc major in hominibus esset audacia, facinorum impunitate secura ?

VIII. Quereris quod minus nunc tibi uberes fontes et auræ salubres et frequens pluvia et fertilis terra obsequium præbeant, quod non ita utilitatibus tuis et voluptatibus elementa deserviant. Tu enim Deo servis, per quem tibi cuncta deserviunt ; famularis illi cujus nutu tibi universa famulantur. Ipse de servo tuo exigis servitutem, et homo hominem parere tibi et obedire compellis. Et cum sit vobis eadem sors nascendi, conditio una moriendi, corporum materia consimilis, animarum ratio communis, æquali jure et pari lege vel veniatur in istum mundum vel de mundo postmodum recedatur, tamen nisi tibi pro arbitrio tuo serviatur, nisi ad voluntatis obsequium pareatur, imperiosus et nimius servitutis exactor, flagellas, verberas, fame, siti, nuditate, ferro etiam frequenter et carcere affligis et crucias ; et non agnoscis, miser, Dominum Deum tuum, cum sic exerceas ipse dominatum ?

IX. Merito ergo incursantibus plagis non desunt Dei flagella nec verbera : quæ cum nihil istic promoveant, nec ad Deum singulos tanto cladium terrore convertant, manet postmodum carcer æternus et jugis flamma et pœna perpetua. Nec audietur illic rogantium gemitus, quia nec hic Dei indignantis terror auditus est, qui per Prophetam clamat et dicit : *Audite sermonem Domini, filii Israel, quia judicium est Domini adversus incolas terræ, eo quod neque misericordia, neque veritas, neque agnitio Dei* [e] *sit super terram, sed execratio, et mendacium, et cædes, et furtum, et adulterium diffusum est super terram ; sanguinem sanguini supermiscent. Idcirco terra lugebit cum universis incolis suis, cum bestiis agri, cum serpentibus terræ, cum volucribus cœli, et deficient pisces maris, ut nemo judicet, nemo revincat* (*Ose.* IV, 1, 4). Indignari se Deus dicit et irasci quod agnitio Dei non sit in terris, et Deus non agnoscitur nec timetur. Delicta mendaciorum, libidinum, fraudium, crudelitatis, impietatis, furoris Deus increpat et incusat, et ad innocentiam nemo convertitur. Fiunt ecce quæ ver-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Unam *Lanc. Elzev. Pem. Lin. NC.* 1. *Wess.* 2. *Bod.* 1, 2, 3, 4.
[b] Exacerbetur offensis *Bem. Voss.* 2.
[c] Et non accipiunt *Bod.* 3.
[d] Nulla cunctatio est *Voss.* 1, 2. *Grav.*
[e] Neque auditio Dei *NC.* 2.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

VII.—*Nec voluerunt accipere.* Veteres editiones, etiam Manutiana, et quatuor libri veteres addunt *nec voluerunt credere nec accipere disciplinam.* Verum omnes alii libri veteres habent uti nos edidimus.

Facinorum impunitate. Cicero in Oratione pro Milone : *Quid, quod caput audaciæ est, judices, quis ignorat maximam illecebram esse peccandi impunitatis spem.* Vide notas nostras ad Lupum Ferrariensem, pag. 472.

VIII.—*Tu enim Deo servis.* Ita tredecim libri veteres. Alii et vetustiores editiones præferunt *Deo non servis*, Gratianopolitanus *Domino non servis.*

Famularis. Hæc est scriptura novemdecim veterum exemplarium. Eamdem habet editio Morelliana. Vetustiores et quinque vetera exemplaria : *Tu non famularis.*

Animarum ratio communis. Vide Vettii Prætextati dissertationem *de Servis* apud Macrobium lib. I *Saturnal.*, cap. 11.

Ipse dominatum. Hæc tantum veteres editiones, viginti et duo libri nostri, et decem Anglicani. Ita etiam legit Goularius in libro episcopi Acconensis. Manutius primus omnium invexit lectionem quæ habet *ipse in homine dominatum.* Retinuit illam Pamelius, admonens tamen solum Manutium habere has voces *in homine*, et malle se legi *in hominem.* Joannes Saresberiensis, lib. VIII Policratici, cap. 12 : *Domi enim nobis animos induimus tyrannorum, et non quantum decet, sed quantum licet, exercere volumus in servos.* Juvenalis *Satira* VI :

> Pone crucem servo. Meruit quo crimine servus
> Supplicium ? Quis testis adest, quis detulit ? Audi.
> Nulla unquam de morte hominis cunctatio longa est.
> O demens, ita servus homo est ? Nil fecerit, esto.
> Hoc volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas.

IX. — *Manet postmodum.* Tres libri veteres, *manet ergo necesse est postmodum.* Ita etiam legisse se in duobus libris antiquis tradit Morellius.

Cum volucribus. Veteres editiones et quinque vetera exemplaria legunt *cum volucribus et volatilibus.* Fuxense, *cum volatilibus.* Sed hæc desiderantur in omnibus aliis veteribus et in iis quos Morellius vidit et in Osee.

Et irasci. Ista exstabant in antiquis editionibus. Manutiana sustulit. Morelliana reposuit. Rursum Pamelius expunxit. Ego repono, quia quamvis desint in multis libris veteribus, habentur tamen in septemdecim. Nam Cyprianus paulo ante dixit : *Indignatur ecce Dominus et irascitur.*

Digitized by Google

bis Dei ante prædicta sunt, nec quisquam fide præsentium ut in futurum consulat admonetur. Inter ipsa adversa, quibus vix coactata et conclusa anima respirat, vacat malos esse et in periculis tantis non de se magis sed de altero judicare. Indignamini indignari Deum, quasi aliquid boni male vivendo mereamini, quasi non omnia ista quæ accidunt minora adhuc sint et leviora peccatis vestris.

X. Qui alios judicas, aliquando et tu esto tui judex; conscientiæ tuæ latebras intuere, immo, quia nullus jam delinquendi metus vel pudor est, et sic peccatur quasi magis per ipsa peccata placeatur, qui perspicuus et nudus videris a cunctis, et ipse te respice. Aut enim superbia inflatus es, aut avaritia rapax, aut iracundia sævus, aut alea prodigus, aut vinolentia temulentus, aut livore invidus, aut libidine incestus, aut crudelitate violentus: et miraris in pœnas generis humani iram Dei crescere, cum crescat quotidie quod puniatur? Hostem quereris exsurgere, quasi, etsi hostis desit, esse pax inter ipsas togas [a] possit. Hostem quereris exsurgere, quasi non, etsi externa de barbaris arma et pericula comprimantur, ferocius intus et gravius de calumniis et injuriis potentium civium domesticæ impugnationis tela grassentur. De sterilitate et fame quereris, quasi famem majorem siccitas quam rapacitas faciat, quasi non de captatis annonarum incrementis et pretiorum cumulis flagrantior inopiæ ardor excrescat. Quereris claudi imbribus cœlum, cum sic horrea claudantur in terris. Quereris nunc minus nasci, quasi quæ nata sunt indigentibus præbeantur. Pestem et luem criminaris, cum peste ipsa et luc vel detecta sint vel aucta crimina singulorum, dum nec infirmis exhibetur misericordia, et defunctis avaritia inhiat ac rapina. Iidem ad pietatis obsequium timidi, ad impia lucra temerarii, fugientes morientium funera, et appetentes spolia mortuorum, ut appareat in ægritudine sua miseros ad hoc forsitan derelictos esse, ne possint, dum curantur, evadere: nam perire ægrum voluit qui censum percuntis invadit.

XI. Tantus cladium terror dare non potest innocentiæ disciplinam [b], et inter populum frequenti strage morientem, nemo considerat se esse mortalem. Passim discurritur, rapitur, occupatur. Prædandi dissimulatio nulla, nulla cunctatio. Quasi liceat, quasi oporteat, quasi ille qui non rapit damnum et dispendium proprium sentiat, sic unusquisque rapere festinat. In latronibus est utcumque aliqua scelerum verecundia; avias fauces et desertas solitudines diligunt, et sic illic delinquitur, ut tamen delinquentium facinus tenebris et nocte veletur. Avaritia palam sævit, et, ipsa audacia sua tuta, in fori luce abruptæ cupiditatis arma prostituit. Inde falsarii, inde venefici, inde in media civitate sicarii, tam ad peccandum præcipites quam impune peccantes. A nocente crimen admittitur, nec innocens qui vindicet invenitur. De accusatore vel judice metus nullus [c]. Impunitatem consequuntur mali, dum modesti tacent, timent conscii, veneunt judicaturi. Et idcirco per Prophetam divino Spiritu et instinctu rei veritas promitur [d], certa et [sic] manifesta ratione monstratur Deum posse adversa prohibere, sed ne ille subveniat merita peccantium facere: *Numquid*, ait, *non valet*

LECTIONES VARIANTES.

[a] Togas, cultum pacis *Bod.* 1
[b] Potest disciplinam *Ar. Ben.*
[c] Nullus, quod potest redimi non timetur *Bod.* 3.
[d] Cernitur *Bod.* 2. *MR.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

X.—*Metus.* Hanc vocem nos addidimus ex uno codice regio. Fuxensis habet *locus vel pudor.* Morellius ait se in uno antiquo legisse *pavor.* Quamquam vero codex Fuxensis dissentiat a regio, indicat tamen defieri istic aliquid. In uno veteri legitur *metus vel pudor.* In codice sancti Arnulphi *vel pudor* tantum absque *metus.* Sic etiam editio Morelliana. Quod indicat deesse heic aliquid.

In pœnas. Editio quæ dicitur Gravii et duo libri veteres præferunt *in plagas.* Sic etiam habebat Veronensis. Paulo supra scriptum est *magis et magis in plagas generis humani censuram Dei indignantis accendi.*

Sterilitate ac fame. Prudentius lib. II, *adversus Symmachum:*

> Hinc ait et steriles frugescere rarius agros
> Et tristem sævire famem, totumque per orbem
> Mortales pallere inopes ac panis egenos.

Dixerat enim Symmachus: *Secuta est fames publica et spem provinciarum omnium messis ægra decepit.* Contra cum sub imperio Maximini magna fertilitas evenisset in republica, [sic] gentiles illam referebant ad deorum benignitatem testantium sibi placere quæ fiebant adversus Christianos. Hinc gloriam captans Maximinus constitutionem edidit qua hanc ubertatem *jactanter satis ac superbe*, ut ait Rufinus, extollebat. Et mox sævitum est atrociter in Christianos. Sed statim Deus famem et pestem vehementissimas et acerrimas immisit in rempublicam, ut constaret bona quæ in ea eveniebant non ideo tribui a diis velut præmium persecutionum, sed contra Deum Christianorum vindicare eos qui pro nomine ejus injusta patiebantur. Vide Eusebium, lib. IX, cap. 7, 8.

XI.—*Nulla cunctatio.* Postea Pamelius adjecit ex codice Camberonensi, *nulla formido est.* At ego delevi, quia additamentum hoc nuspiam inveni nisi in codice Beccensi. Qua in re secutus sum exemplum Pamelii; qui cum in editione quæ dicitur Gravii videret scriptum esse *nulla cunctatio* pro eo quod ipse posuit *trepidatio nulla*, id se expunxisse ait quia manuscripti non habent. Sane hæc duo vocabula quæ a me expuncta sunt exstant in editione illa, sed minutiore charactere cusa, ut daretur intelligi dubitari posse an sint Cypriani. Cæterum vetustiores editiones præferunt: *Prædandi simulatio nulla, nulla cunctatio est.* Pro quo in codice Pithœano et in quibusdam aliis, in editione etiam Erasmi et in Manutiana, legitur *dissimulatio.* Vocem *trepidatio*, quam huic lectioni substituit Pamelius, nuspiam inveni. Neque ipse annotat ubi invenerit.

Veneunt judicaturi. Ita ediderunt Erasmus, Manutius et Morellius; hancque lectionem inveni in undecim codicibus antiquis. Aliam quæ habet *veniunt*, inveni in tredecim. Et in tribus istorum tredecim legitur *perversi veniunt judicaturi.* In codice sancti Arnulphi scriptum primo fuit *veneunt.* Sed manus recentior emendavit ut *veniunt* legeretur.

Digitized by Google

manus Domini ut salvos vos faciat? aut gravavit aurem A *ut non exaudiat? Sed peccata vestra inter vos et Deum separant, et propter delicta vestra avertit faciem suam a nobis, ne misereatur* (*Isa.* LIX, 1, 2). Peccata itaque et delicta reputentur, conscientiæ vulnera cogitentur; et desinet unusquisque de Deo vel de nobis conqueri, si quod patitur intelligat se mereri.

XII. Ecce id ipsum quale est unde nobis vobiscum maxime sermo est, quod nos infestatis innoxios, quod in contumeliam Dei impugnatis atque opprimitis Dei servos. Parum est quod furentium varietate vitiorum, quod iniquitate feralium criminum, quod cruentarum compendio rapinarum vita vestra maculatur, quod superstitionibus falsis religio vera subvertitur, quod Deus omnino nec quæritur nec timetur; adhuc insuper Dei servos et majestati ac nomini ejus dicatos injustis B persecutionibus fatigatis. Satis non est quod ipse tu Deum non colis; adhuc insuper eos qui colunt sacrilega infestatione persequeris. Deum nec colis, nec coli omnino permittis; et, cum cæteri, qui non tantum ista inepta idola et manu hominis facta simulacra, sed et portenta quædam et monstra venerantur, tibi placeant, solus tibi displicet Dei cultor. Fumant ubique in templis vestris hostiarum busta et rogi pecorum, et Dei altaria vel nulla sunt vel occulta. Crocodili et cynocephali et lapides [a] et serpentes a vobis coluntur, et Deus solus in terris aut non colitur, aut non est impune quod colitur: innoxios, justos, Deo charos domo privas, patrimonio spolias, catenis premis, carcere includis, gladio, bestiis, ignibus punis. Nec saltem contentus es dolorum nostrorum compen- C dio et simplici ac veloci brevitate pœnarum; admoves laniandis corporibus longa tormenta, multiplicas lacerandis visceribus numerosa supplicia; nec feritas atque immanitas tua usitatis potest contenta esse tormentis; excogitat novas pœnas ingeniosa crudelitas.

XIII. Quæ hæc est insatiabilis carnificinæ rabies? quæ inexplebilis libido sævitiæ? Quin potius eligo tibi alterum de duobus: Christianum esse aut est crimen, aut non est; si crimen est, quid non interficis confitentem? si crimen non est, quid persequeris innocentem? Torqueri enim debui, si negarem. Si, pœnam tuam metuens, id quod prius fueram et quod deos tuos non colueram, mendacio fallente celarem, tunc torquendus fuissem, tunc ad confessionem criminis vi doloris adigendus; sicut in cæteris quæstionibus torquentur rei qui se negant crimine quo accusantur teneri, ut facinoris veritas, quæ indice voce non promitur, dolore corporis exprimatur. Nunc vero, cum spontec onfitear et clamem et crebris ac repetitis identidem vocibus Christianum me esse contester, quid tormenta admoves confitenti et deos tuos, non in abditis et secretis [b] locis, sed palam, sed publice, sed in foro ipso, magistratibus et præsidibus audientibus, destruenti; ut, etsi parum fuerat quod in me prius criminabaris, creverit quod et odisse et punire plus debeas, quod, dum me Christianum celebri loco et populo circumstante pronuntio, et vos et deos vestros [c] clara et publica prædicatione confundo?

XIV. Quid te ad infirmitatem corporis vertis? quid cum terrenæ carnis imbecillitate contendis? Cum animi vigore congredere, virtutem mentis infringe, fidem destrue, disceptatione, si potes, vince, vince ratione: vel si quid diis tuis numinis et potestatis est, ipsi in ultionem suam surgant, [221] ipsi se sua majestate C defendant; aut quid præstare se colentibus possunt qui se de non colentibus vindicare non possunt. Nam si eo qui vindicatur pluris est ille qui vindicat, tu diis tuis major es. Si autem iis quos colis major es, non tu illos colere, sed ab ipsis potius coli debes et timeri

LECTIONES VARIANTES.

[a] Et liberides *Bod.* 3.
[b] Semotis *Bod.* 3.
[c] Et deos et deas *Bod.* 1.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

XII. — *Unde nobis vobiscum.* Veteres editiones ante Pamelianam et tredecim libri veteres habent *unde nobiscum maxime sermo est.* Pamelius posuit *unde nobis vobiscum* ex quatuor manuscriptis suis et uno Morelliano. Gronovius, cap. 14, Observationum suarum in Scriptoribus ecclesiasticis, ait ita scribendum esse hunc locum, *unde nobis cummaxime sermo est.* Scio *cummaxime* apud veteres auctores qui latine scripse- D runt sumi solere pro *valde.* Et tamen ego puto editionem Pamelii, quæ nititur auctoritate plurium veterum librorum, esse præferendam conjecturæ Gronovii.

Persecutionibus fatigatis. In quatuor antiquis exemplaribus scriptum est *flagitatis* et supra lineam *vel fatigatis.* Sed *fatigatis* tantum est in aliis septem et in quibusdam ex illis quæ Pamelius vidit. Ipse edidit *agitatis* absque ullius libri veteris mentione. In duobus veteribus legitur *flagitatis* tantum. Infra in hoc ipso libro, pag. 222: *Per ipsa quæ nos cruciant et fatigant probari et corroborari nos scimus.*

XIII. — *Dolore corporis exprimatur.* Minutius Felix: *Exercentes in his perversam quæstionem, non quæ verum erueret, sed quæ mendacium cogeret.* Hieronymus in Epistola de Muliere septies icta: *Dum dolor quæreret veritatem.* Cyprianus in extremo libro de *Vanitate Idolorum*, pag. 228: *Dolor, qui veritatis testis est, admovetur.* Quintilianus, lib. v, cap. 4: *Sicut in tormentis quoque, qui est locus frequentissimus, cum pars altera quæstionem vera fatendi necessitatem vocet, altera sæpe etiam causam falsa dicendi, quod aliis patientia facile mendacium faciat, aliis infirmitas necessarium.* Item cap. 10: *Mentietur in tormentis qui dolorem pati potest, mentietur qui non potest.* Apuleius, lib. III Metamorphoseon: *Tormentis veritas eruenda, ut per quæstionem sceleris sui participes indicet.* Q. Curtius, lib. VII: *Si certiora oraculis creditis esse tormenta, ne hanc quidem exhibendæ vanitatis fidem deprecor.* Cæterum tormenta interdum extorquere pro veritate mendacium pluribus exemplis ostensum a nobis est in notis ad Vitas Paparum Avenionensium, pag. 599, et hujus rei exstat aliud exemplum memorabile in capite X Matthæi Bossi *de gerendo Magistratu*, aliud etiam apud Petramellarium continuatorem, Onuphrii Panvinii, pag. 225, ubi agit de Paulo Aretio. Vide etiam Simonem Goulartium *in Thesauro Historiarum memorabilium*, tom. I, pag. 293.

Cum sponte confitear. Cicero in Oratione pro Milone: *Id quod tormentis invenire vis id fateor.*

Prædicatione. Ita editiones Manutii et Morellii et sexdecim libri veteres. Editiones antiquæ et octo alii præferunt *præconatione*, et unus *præconizatione.* Vide glossarium latinum Cangii.

Digitized by Google

ut dominus. Sic illos læsos ultio vestra defendit, quomodo et clausos, ne pereant, tutela vestra custodit. Pudeat te eos colere quos ipse defendis, pudeat tutelam de iis sperare quos tu ipse tueris.

XV. O si audire eos velles et videre quando a nobis adjurantur et torquentur spiritalibus flagris, et verborum tormentis de obsessis corporibus ejiciuntur, quando ejulantes et gementes voce humana, et potestate divina flagella et verbera sentientes venturum judicium confitentur! Veni et cognosce vera esse quæ dicimus. Et quia sic deos colere te dicis, vel ipsis quos colis crede; aut si volueris et tibi credere, de te ipso loquetur [a], audiente te, qui nunc tuum pectus obsedit [b], qui nunc mentem tuam ignorantiæ nocte cæcavit. Videbis nos rogari ab eis quos tu rogas, timeri ab eis quos tu times, quos tu adoras; videbis sub manu nostra stare vinctos et tremere captivos quos tu suscipis et veneraris ut dominos. Certe vel sic confundi in istis erroribus tuis poteris quando conspexeris et audieris deos tuos quid sint interrogatione nostra statim prodere et, præsentibus A licet vobis, præstigias illas et fallacias suas non posse celare.

XVI. Quæ ergo mentis ignavia est, immo quæ desipientium cæca et stulta dementia, ad lucem de tenebris nolle venire et mortis æternæ laqueis vinctos spem nolle immortalitatis excipere, non metuere Deum comminantem et dicentem : *Sacrificans diis, eradicabitur, nisi Domino soli* (*Exod.* XXII, 19). Et iterum : *Adoraverunt eos quos fecerunt digiti eorum, et incurvatus est homo et humiliatus est vir, et non laxabo illis* [c] (*Isa.* II, 8). quid te ad falsos deos humilias et inclinas? Quid ante inepta simulacra et figmenta terrena captivum corpus incurvas? Rectum te Deus fecit; et cum cætera animalia prona et ad terram situ vergente depressa sint, tibi sublimis status et ad B cœlum atque ad Deum sursum [d] vultus erectus est. Illuc intuere, illuc oculos tuos erige, in supernis Deum quære. Ut carere inferis possis, ad alta et cœlestia suspensum pectus attolle. Quid te in lapsum mortis, cum serpente quem colis, sternis? quid in ruinam diaboli per ipsam et cum ipso cadis? Subli-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Ipsi loquentur *Bod.* 1, 3.
[b] Obsident *Ibid.*
[c] Illis, dicit Dominus *NC.* 1. *Lam. Ebor. Bod.* 2.
[d] Deum, suum *Lam. Ebor. Voss.* 1. *Bod.* 1, 2, 3. *Thu. Foss.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

XIV.—*Timeri ut Dominus.* Ista primus in contextum Cypriani intulit Pamelius [sic] ex observationibus Morellii, qui ita se invenisse ait in bono codice. Ego quoque idem additamentum inveni in quinque antiquis codicibus. Non exstat tamen in Seguieriano. Hieronymus in Epistola *ad Nepotianum* de Vita Clericorum : *Amare filiorum, timere servorum est.* Idem in Epistola ad Rusticum monachum : *Præpositum monasterii timeas ut dominum, diligas ut parentem.* Rufinus in Psal. XXVII : *Servus est qui servit ex timore, filius est qui obedit ex amore.* Lactantius, cap. 26 *Epitomes* in antiquis editionibus : *Quid enim tam justum quam Deum agnoscere ut parentem, eumque metuere ut dominum.* Pro quo Pfaffius edidit *metuere ut deum*, quia ita legebat in codice Taurinensi. Sed præterquam quod necesse est retinere vocem *dominum* ut sensus constet, idem Lactantius in capite 59 ejusdem Epitomes scribit : *Primum autem justitiæ officium est Deum agnoscere ut parentem, metuere ut dominum.* Recte profecto. Sic enim loqui amat Lactantius, ut patet ex libro IV, cap. 4, et lib. V, cap. 19. Eucherius episcopus Lugdunensis in Epistola ad Valerianum ; *Dominum, quia dominum vocas, metue, quia patrem, dilige.* Primasius in Epistolam Pauli ad Romanos : *Qui timet servus est, qui autem diligit* D *filius.* Vettius Prætextatus apud Macrobium, lib. I *Saturnal.* cap. 11 : *Colant ergo te potius servi quam timeant.* Joannes Saresberiensis, lib. VIII *Policratici*, cap. 12 : *Colant te potius servi tui quam timeant.* Ennodius in Panegyrico ad Theodoricum : *Habes hanc Deo inspirante mansuetudinem ut te plus credas posse diligentia quam timore. Excellentia bona sunt gloriæ tuæ inserta monumentis ut cum te reges metuant, ament famuli.* Adnotat Velleius Paterculus Cæsarem dixisse amari se quam timeri malle. Cicero in libro *de Senectute* ita scribit de Appio : *Metuebant eum servi, verebantur liberi.* Vide supra notas in Epistolam *ad Donatum*, pag. 384.

XV. — *Verborum tormentis.* Sic apud Petronium lego *fabulosum sententiarum tormentum.*

Quos tu times. Nescio cur hæc omissa sint in posterioribus editionibus. Nam licet desint in pluribus aliis optimis, et præterea optimum sensum constituunt. Manutius primus expunxit. Angli reposuerunt.

XVI. — *Quid te ad falsos Deos.* Ista Claudius episcopus Taurinensis tamquam sua, alicubi tamen immutata, protulit scribens ad Theodemirum abbatem C Casinensem. Nam pro eo quod Cyprianus dixit *falsos deos*, Claudius inepte posuit *falsas imagines*, quia contendebat nullum honorem deberi imaginibus Sanctorum. Quia vero ille hæc scripserat tamquam sua, nulla Cypriani mentione, Jonas episcopus Aurelianensis illum monuit esse beatissimi Cypriani martyris.

Captivum. Ita omnes libri veteres, si Moyssiacensem excipias, in quo scriptum est *captiva*, et omnes veteres editiones. Pamelius, cujus editionem secutus est Rigaltius, posuit *captiva*, quia videbat in libro Jonæ episcopi Aurelianensis *de Cultu imaginum*, ubi locus iste refertur a Claudio Taurinensi, legi *captiva*, per errorem videlicet. Nam apud Dungalum, ubi refertur etiam hic locus, recte scriptum est *captivum*.

Incurvas. Ita etiam in editione fragmentorum Epistolæ Claudii. Sed in veteri libro legitur *inclinas*. Habeo enim exemplar horum fragmentorum cum codice ms. collatum manu viri clarissimi Joannis Cordesii, ubi legitur *inclinas*. Quo etiam modo scriptum est in codice Gratianopolitano.

Animalia prona. Notum est illud Ovidii ex libro I *Metamorphoseon* :

> Pronaque cum spectent animalia cætera terram,
> Os homini sublime dedit, cœlumque tueri
> Jussit et erectos ad sidera tollere vultus.

Cicero, lib. II de Legibus : *Nam cum cæteras animantes abjecisset ad pastum, solum hominem erexit, ad cœlique quasi cognationis domicilium pristini conspectum excitavit.* Prudentius, lib. II *adversus Symmachum :*

> Condideram perfectum hominem, spectare superna
> Mandaram, totis conversum sensibus in me,
> Recto habitu, celsoque situ, et sublime tuentem.

Possent plurima loca similia proferri. Sed ista sufficiunt. Vide Maximum Tyrium, Dissert. XXXVIII, et

Digitized by Google

mitatem servâ qua natus es; persevera talis qualis a Deo factus es. Cum statu oris et corporis animum tuum statue. Ut cognoscere Deum possis, te ante cognosce. Relinque idola quæ humanus error invenit. Ad Deum convertere; quem si imploraveris, subvenit. Christo crede, quem vivificandis ac reparandis nobis Pater misit. Lædere servos Dei et Christi persecutionibus tuis desine, quos læsos ultio divina defendit.

XVII. Inde est quod nemo nostrum, quando apprehenditur, reluctatur, nec se adversus injustam violentiam vestram, quamvis nimius et copiosus noster sit populus, ulciscitur. Patientes facit de secutura ultione securitas. Innocentes nocentibus cedunt: insontes pœnis et cruciatibus acquiescunt, certi et fidentes quod inultum non remaneat quodcumque perpetimur; quantoque major fuerit persecutionis injuria, tanto et justior fiat et gravior pro persecutione vindicta; nec umquam impiorum scelere in nostrum nomen exsurgitur, ut non statim divinitus vindicta comitetur. Ut memorias taceamus [a] antiquas, et ultiones pro cultoribus Dei sæpe repetitas nullo vocis præconio revolvamus, documentum recentis rei satis est quod sic celeriter quodque [sss] in tanta celeritate sic granditer nuper secuta defensio est, ruinis rerum, jacturis opum, dispendio militum, diminutione castrorum. Nec hoc casu accidisse aliquis existimet aut fuisse fortuitum putet, cum jam pridem Scriptura divina posuerit et dixerit: *Mihi vindictam, ego retribuam, dicit Dominus* (*Deut.* xxxii, 35); et iterum Spiritus sanctus prænuncet et dicat: *Ne dixeris, Ulciscar me de inimico meo; sed exspecta Dominum, ut tibi auxilio sit* (*Prov.* xx, 22). Unde clarum est atque manifestum quia non per nos, sed pro nobis [b] accidunt cuncta ista quæ de Dei indignatione descendunt.

XVIII. Nec ideo quis putet Christianos iis [c] quæ accidunt non vindicari, quod et ipsi videantur accidentium incursione [d] perstringi: pœnam de adversis mundi ille sentit cui et lætitia et gloria omnis in mundo est; ille mœret et deflet, si sibi male sit in sæculo, cui bene non potest esse post sæculum, cujus vivendi fructus omnis hic capitur, cujus hic solatium omne finitur, cujus caduca et brevis vita hic aliquam dulcedinem computat et voluptatem, quando istinc excesserit, pœna jam sola superest ad dolorem. Cæterum nullus iis dolor [e] est de incursione malorum præsentium quibus fiducia est futurorum bonorum. Denique nec consternimur adversis, nec frangimur nec dolemus, neque in ulla aut rerum clade aut corporum valetudine mussitamus. Spiritu magis quam carne viventes, firmitate animi infirmitatem corporis vincimus. Per ipsa quæ nos [f] cruciant et fatigant, probari et corroborari nos scimus et fidimus.

XIX. Putatis nos adversa vobiscum æqualiter perpeti, cum eadem adversa videatis a nobis et vobis non æqualiter sustineri? Apud vos impatientia clamosa semper et querula est; apud nos fortis et religiosa patientia, quieta semper et semper in Deum grata est; nec quidquam istic lætum aut prosperum sibi vindicat, sed mitis et lenis et contra omnes fluctuantis mundi turbines stabilis [g], divinæ pollicitationis tempus exspectat. Quamdiu enim corpus hoc permanet, commune cum cæteris sit necesse est et corporalis conditio communis; nec separari generi humano [h] ab invicem datur, nisi si istinc de sæculo recedatur. Intra unam domum boni et mali interim continemur. Quicquid intra domum evenerit pari

LECTIONES VARIANTES.

[a] Non teneamus *Vet. inum.*
[b] Pro vobis *Bod.* 1.
[c] In iis quæ *Voss.* 1.
[d] Incursione *Bod.* 1, 2, 3, 4.
[e] Nullus hic dolor *Bod.* 3, 4. His *Bod.* 1, 2.
[f] Vos cruciant *Oxon.*
[g] Mens stabilis *Voss.* 3. Stabile *Vict.* 3.
[h] Separari humanitus *Pem. Voss.* 2.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

notas nostras ad librum Lupi Ferrariensis *de tribus Quæstionibus.*

[sss] *Pater misit.* Pamelius interserit *Filium* ex quinque codicibus et ex uno quem laudat Morellius. Ego quoque ita inveni scriptum in quinque antiquis. Glossema certo est, quod desideratur in viginti et uno libris nostris et in octo Anglicanis.

XVII.—*Ruinis rerum.* Ita omnia fere vetera exemplaria, etiam Veronense. Nonnulla tamen habent *regum*, manifesto errore. Itaque supervacanea est eorum cura qui has regum ruinas referunt ad tempora Deciana. Similis error sublatus olim a nobis est apud Agobardum in Epistola Gregorii IV papæ. Sic in Epistola sancti Ambrosii *ad Chromatium*, primo scriptum fuit in vetustissimo codice Ecclesiæ Lugdunensis, *dat consilium rei dicens*, sed statim emendatum est supra lineam et positum *regi*. Item pro eo quod in tomo IV Conciliorum Labbei, pag. 920, in Epistola episcoporum Phœniciæ maritimæ *ad Leonem Imp.* legitur *hujus rei gratia*, quæ est vera lectio, vetustissimi codices Ecclesiæ Bellovacensis et monasterii Corbeiensis habent *hujus regi gratia*. Vide etiam Notas *ad Capitularia*, pag. 1060, 1105. Addam quoque alia loca similia, ut ea usui esse possint hominibus eruditis cum in libros inciderint in quibus iidem errores fuerint, et in quibus emendandis defuerit auctoritas librorum veterum. In Epistola Cælestini papæ *ad Clerum et Plebem CP.* pro eo quod editiones recte habent *cum a se commissa sibi rei ratio requiretur*, codex ecclesiæ Bellovacensis habet *regi*. In eodem codice cum refertur Epistola papæ Vigilii *ad Aurelianum* episcopum Arelatensem, et illic legitur *Dignum est et catholico rei conveniens*, cum legendum sit *regi*, ut in editionibus. Ex eodem fonte fluxit quod in canone 40 concilii Meldensis, ubi laudatur canon synodi Arvernensis, *regiculam* scriptum est in veteri codice Aurelianensi, cum legendum sit *reiculam*. In capite 8 libri Agobardi *contra Legem Gundobaudi* legebatur olim *resculas* pro *reiculas*, ut illic monui. In tomo II *Capitularium*, pag. 1126, in Præcepto Ludovici Pii scriptum est *rex* pro *res*.

XVIII.—*Mussitamus.* Veteres quidam libri et veteres editiones habent *musitamus*. Atque ego putabam ita scribi debere, quia legebam apud Juvencum: *Nec inter sese musitanti voce volabant*. Sed postea deprehendi hoc vocabulum descendere ex verbo *mussare*, adeoque scribendum esse credidi *mussitamus*, uti scriptum est in codice Seguieriano. Nam et apud Sidonium, lib. VI,

Digitized by Google

sorte perpetimur, donec, ævi temporalis fine completo, ad æternæ vel mortis vel immortalitatis hospitia dividamur. Non ergo idcirco compares vobis et æquales sumus quia, in isto adhuc mundo et carne hac constituti, mundi et carnis incommoda vobiscum pariter incurrimus : nam, cum in sensu doloris sit omne quod punit, manifestum est eum non esse participem pœnæ tuæ quem tecum videas æqualiter non dolere.

XX. Viget apud nos spei robur et firmitas fidei ; inter ipsas sæculi labentis ruinas erecta mens est et immobilis virtus, et numquam non læta patientia, et de Deo suo semper anima secura, sicut per Prophetam Spiritus sanctus loquitur et hortatur, spei ac fidei nostræ firmitatem cœlesti voce corroborans : *Ficus*, inquit, *non afferet fructum, et non erunt nascentia in vineis. Mentietur opus olivæ* [a], *et campi non præstabunt cibum. Deficient a pabulo oves* [b], *et non erunt in præsepibus boves. Ego autem in Domino exultabo, et gaudebo in Deo salutari meo* (*Abac.* III, 17-20). Dei hominem et cultorem Dei, subnixum spei veritate et fidei stabilitate fundatum, negat mundi hujus et sæculi infestationibus commoveri. Vinea licet fallat et olea decipiat, et herbis siccitate morientibus æstuans campus arescat, quid hoc ad Christianos ? quid ad Dei servos, quos paradisus invitat, quos gratia omnis et copia regni cœlestis exspectat ? Exsultant semper in Domino, [sss] et lætantur et gaudent in Deo suo, et mala atque adversa mundi fortiter tolerant, dum dona et prospera futura prospectant [c]. Nam qui, exposita nativitate terrena, spiritu recreati et renati sumus, nec jam mundo sed Deo vivimus, non, nisi cum ad Deum venerimus, Dei munera et promissa capiemus. Et tamen pro arcendis hostibus et imbribus impetrandis, et vel auferendis vel temperandis adversis, rogamus semper et preces fundimus, et pro pace ac salute vestra propitiantes ac placantes Deum A diebus ac noctibus jugiter atque instanter oramus.

XXI. Nemo itaque sibi blandiatur quod nobis et profanis Dei cultoribus et Deo adversantibus sit interim, per æqualitatem carnis et corporis, laborum sæcularium conditio communis, ut ex hoc opinetur non omnia ista quæ accidunt vobis [d] irrogari, cum Dei ipsius prædicatione et prophetica [e] contestatione ante prædictum sit venturam super injustos iram Dei et persecutiones quæ nos humanitus læderent non defuturas, sed et ultiones quæ læsos divinitus defenderent secuturas.

XXII. Et quanta sunt quæ istic pro nobis interim fiunt ? In exemplum aliquid datur, ut Dei vindicis ira noscatur. Cæterum retro est judicii dies, quem Scriptura sancta denuntiat dicens : *Ululate, proximus est enim dies Domini, et obtritio* [f] *a Deo aderit. Ecce enim dies Domini venit insanabilis indignationis et iræ, ponere orbem terræ desertum, et peccatores perdere ex eo* (*Isa.* XIII, 6). Et iterum : *Ecce dies Domini venit ardens velut clibanus* [g], *eruntque omnes alienigenæ et omnes iniqui stipula* [h] ; *et succendet illos adveniens dies, dicit Dominus* (*Malach.* IV, 1). Succendi et cremari alienigenas præcinit Dominus, id est alienos a divino genere et profanos, spiritaliter non renatos nec Dei filios factos. Evadere enim eos solos posse qui renati et signo Christi signati fuerint alio in loco Deus loquitur, quando, ad vastationem mundi et interitum generis humani Angelos suos mittens, gravius in ultimo comminatur dicens : *Vadite et cædite, et nolite parcere oculis vestris. Nolite misereri senioris aut juvenis, et virgines et parvulos et mulieres interficite, ut perdeleantur. Omnem autem super quem signum scriptum est ne tetigeritis* (*Ezech.* IX, 5, 6). Quod autem sit hoc signum, et qua in parte corporis positum, manifestat alio in loco Deus dicens : *Transi per mediam* [i] *Hierusalem, et notabis signum super frontes virorum qui ingemunt et mœrent ob iniquitates quæ fiunt in medio*

LECTIONES VARIANTES.

[a] Oleæ *Bod.* 1. *Voss.* 1. *Thu. Vict. Grav. Morell.*
[b] A stabulo *Foss. Spir. Vet. Innomb. Grav. Morell.*
[c] Fortiter tolerando, bona et prospera futura expectant *Lam. Ebor.* Dum bona *Oxon. ex* 4. *cod. Voss.* 1. *Thu. Foss. Vict.*
[d] Nobis *Voss.* 2. *Ar. Bod.* 1, 2, 4.
[e] Et apostolica *Pem.*
[f] Et retributio *Ar.*
[g] Ignis *Voss.* 1.
[h] Ut stipula *Bod.* 3. Quasi *Ar. Lam. Bod.* 2. *NC.* 1.
[i] Transi mediam *Lam. Ebor. NC.* 2. *Voss.* 2.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

Epist. 16, reperitur versus iste sapphicus : *Mussitans quamquam chorus invidorum.* Grammatici præterea afferunt multas auctoritates quæ facile probant ita scribendum esse uti ego scripsi.

XIX.—*Videas æqualiter.* Ita veteres editiones. Quo etiam modo legitur in novem codicibus antiquis. Manutius expunxit *æqualiter.* Ita etiam Morellius et editio Anglicana. Non video autem cur expungi debuerit. Sane videtur eam vocem non esse necessariam. Sed non est propterea tollenda. Nam Cyprianus dixit paulo ante : *Putatis nos adversa vobiscum æqualiter perpeti.* Et mox : *Carnis incommoda vobiscum pariter incurrimus.* Et tamen vox *æqualiter* deest istic in septemdecim libris veteribus.

XX. — *Non erunt nascentia.* Veteres editiones et sex libri veteres habent *non erit generatio.* Lectionem sumptam ex editione quæ dicitur Gravii, quam Manutius et alii post eum secuti sunt, quam nos etiam retinuimus, præferunt novemdecim exemplaria manuscripta. Morellius posuit *nascentiæ*, forte per errorem typographi. Nam hic scribendi modus non est latinus. Et tamen ea scriptura multum placuit Pamelio. In libro Fuxensi et in Lamoniano legitur *non erit nascentia.* Vide glossarium latinum Cangii.

Cibum. Veteres editiones et novem libri veteres præferunt *frumentum.* Alii duo et quinque Anglicani *escam.* Sed major pars codicum manuscriptorum habet lectionem quam ego retinui.

XXII.—*Senioris aut juvenis.* Retinui hanc lectionem, quam inveni in aliquot antiquis exemplaribus, propter rationes allatas a Pamelio, qui vere adnotat mire variare codices. In quibusdam enim legitur ut istic, alibi *seniori aut juveni*, alibi *senioribus atque junioribus*, alibi *seniores et juvenes*, denique alibi *seniorum neque juvenum et virginum.* Vide lib. II *Testimoniorum*, cap. 22.

Digitized by Google

ipsorum (*Ezech.* IX, 4). Et quod ad passionem et sanguinem Christi pertineat hoc signum, et ille salvus atque incolumis reservetur quisquis in hoc signo invenitur, item Dei testimonio comprobatur dicentis : *Et erit sanguis in signo* [a] *vobis super domos in quibus vos* [b] *eritis; et videbo sanguinem, et protegam vos, et non erit in vobis plaga diminutionis cum percutiam terram Ægypti* (*Exod.* XII, 13). Quod ante occiso agno præcedit in imagine, impletur in Christo, secuta postmodum veritate. Ut illic, percussa Ægypto, Judaicus populus evadere non nisi sanguine et signo agni potuit, ita et, cum vastari cœperit mundus et percuti, quisquis in sanguine et signo Christi inventus fuerit, solus evadet.

XXIII. Respicite itaque, dum tempus est, ad veram et æternam salutem; et quia jam mundi finis in proximo est, ad Deum mentes vestras Dei timore convertite. Nec vos delectet in sæculo inter justos et mites [c] impotens ista et vana dominatio, quando et in agro inter cultas et fertiles segetes lolium et avena dominetur. Nec dicatis mala accidere quia dii vestri a nobis non colantur, sed sciatis hanc iræ Dei [d] esse censuram, ut qui beneficiis non intelligitur, vel plagis intelligatur. Deum vel sero quærite, quia [sic] jam pridem per Prophetam Deus præmonens hortatur et dicit : *Quærite Deum, et vivet anima vestra* (*Psal.* LXVIII, 33). Deum vel sero cognoscite, quia Christus adveniens hoc admonet et docet dicens : *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum et quem misisti Jesum Christum* (*Joan.* XVII, 3). Credite illi qui omnino non fallit; credite illi qui hæc omnia futura prædixit; credite illi qui credentibus præmium vitæ æternæ dabit; credite illi qui incredulis æterna supplicia gehennæ ardoribus irrogabit.

XXIV. Quæ tunc erit fidei gloria, quæ pœna perfidiæ, cum judicii dies venerit? quæ lætitia credentium, quæ mœstitia perfidorum, noluisse istic prius credere, et ut credant jam redire non posse? Cremabit addictos ardens semper gehenna, et vivacibus flammis vorax pœna [e]; nec erit unde habere tormenta vel requiem possint aliquando vel finem. Servabuntur cum corporibus suis animæ infinitis cruciatibus ad dolorem. Spectabitur illic a nobis semper qui hic nos spectavit ad tempus, et in persecutionibus factis oculorum crudelium brevis fructus perpetua visione pensabitur, secundum Scripturæ sanctæ fidem dicentis : *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur; et erunt ad visionem universæ carni* [f] (*Isa.* LXVI, 24). Et iterum : *Tunc stabunt justi in magna constantia adversus eos qui se angustiaverunt et qui abstulerunt labores eorum. Videntes turbabuntur timore horribili, et mirabuntur in subitatione insperatæ salutis, dicentes inter se, pœnitentiam habentes et præ angustia* [g] *spiritus gementes : Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum* [h] *et in similitudinem improperii. Nos insensati viam illorum æstimabamus insaniam et finem illorum sine honore. Quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors eorum est! Ergo erravimus a via veritatis, et justitiæ lumen non luxit nobis, et sol non ortus est nobis. Lassati sumus in iniquitatis via et perditionis, ambulavimus* [i] *solitudines difficiles, viam autem Domini ignoravimus. Quid nobis profuit superbia, aut quid divitiarum jactatio contulit nobis? Transierunt omnia illa tamquam umbra* (*Sap.* V, 1-9). Erit tunc sine fructu pœnitentiæ dolor pœnæ, inanis ploratio et inefficax deprecatio. In æternam pœnam sero credent qui in vitam æternam credere noluerunt.

XXV. Securitati igitur et vitæ, dum licet, providete. Offerimus vobis animi et consilii nostri salutare munus. Et quia odisse non licet nobis, et sic Deo plus placemus dum nullam pro injuria vicem reddimus, hortamur, dum facultas adest, dum adhuc aliquid de sæculo superest, Deo satisfacere et ad veræ religionis candidam lucem de profundo tenebrosæ superstitionis emergere. Non invidemus commodis vestris, nec beneficia divina celamus. Odiis vestris benevolentiam reddimus, et pro tormentis ac suppliciis quæ nobis infe-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Erit hic sanguis *Voss.* 1. In signum *Lam. Ebor. Foss. Vict.*
[b] Ibi eritis *Bod.* 1, 2, 4. Habitaveritis *Lin.*
[c] Inter injustos et immites *Bod.* 3, 4.
[d] *Sic* 4 *codd. Angl.* Sciatis iram Dei *Oxon.*
[e] Pœna decerpet *Voss.* 1.
[f] Carnis *Pem. Voss.* 2.
[g] Per angustiam *Lam. Ver.*
[h] In derisu *Ar. Lam. Vict. Vat.* In risu *Manut.*
[i] Et ambulavimus *Lam. Ebor. Bod.* 1, 2, 3, 4.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

XXIV.—*Addictos.* Id est judicatos, damnatos. Apud Optatum, lib. I, addictus significat subjectum, subditum, sicut addictus glebæ in jure civili. Utar autem hac occasione ut moneam videri mihi optimam emendationem fuisse tentatam a Guillelmo Fornerio, lib. VII, Epistola ultima Cassiodori, ubi Mariangelus Accursius edidit : *Non dici potest proprium quod liberare dominum non videtur additum;* pro quo Fornerius conjecit ponendum esse [sic] *addictum*, monens interim se legisse in veteri manuscripto *a debito*. Conjectura Fornerii hinc bona esse censeri potest quod bona debitoris addicta sunt creditori, adeoque etiam ipse debitor.

Servabuntur cum corporibus. Vide notas nostras ad librum III Salviani *de Gubernatione Dei.*

Subitatione. Sic etiam in eodem capite Epistolæ *ad Fortunatum.* Pontius diaconus in Vita sancti Cypriani : *Proconsulis jussu ad hostes ejus cum militibus suis princeps repente subitavit.* A. Gellius, lib. IX, cap. 15, dixit subitariam dictionem. Quo verbo usus est etiam T. Livius. Boëtius, lib. II, de Consolatione Philosophiæ : *Verum omnis subita mutatio rerum non sine quodam fluctu contigit animorum.* Vide notas ad Epistolam LVII, pag. 466.

Pœnitentiam habentes. Ita reposuimus pro eo quod in vulgatis editionibus habetur *agentes*, quia ita invenimus scriptum in quindecim libris nostris et in quatuor Anglicanis. Vide Epistolam ad Fortunatum *de Exhortatione Martyrii*, cap. 12.

XXV.—*De profundo.* Coactus sum ita scribere propter auctoritatem veterum editionum. Pamelius posuit *de profunda et tenebrosa nocte superstitionis*, quia videbat Morellium monuisse vetustum librum ita habere. At Morellius non posuit hanc lectionem in editione sua, sed eam quam ego revocavi. Lectionem Pamelii non reperi nisi in tribus libris.

Odiis vestris. Prosper in calce libri contra Collatorem : *Nobis Deo adjuvante sit studium quieta modestaque patientia odiis dilectionem reddere.*

Digitized by Google

rentur salutis itinera monstramus. Credite et vivite; et qui nos ad tempus persequimini, in æternum gaudete nobiscum. Quando istinc excessum [a] fuerit, nullus jam pœnitentiæ locus est, nullus satisfactionis effectus. Hic vita aut amittitur aut tenetur; hic saluti æternæ cultu Dei et fructu fidei providetur. Nec quisquam aut peccatis retardetur aut annis quominus veniat ad consequendam salutem : in isto adhuc mundo manenti pœnitentia nulla sera est; patet ad indulgentiam Dei aditus, et quærentibus atque intelligentibus veritatem facilis accessus est. Tu, sub ipso licet exitu et vitæ temporalis occasu, pro delictis roges et Deum, qui unus et verus est, confessione et fide aquitionis ejus implores, venia confitenti datur, et credenti indulgentia salutaris de divina pietate conceditur, et ad immortalitatem sub ipsa morte transitur. [sss] Hanc gratiam Christus impertit, hoc munus misericordiæ suæ tribuit, subigendo mortem trophæo crucis, redimendo credentem pretio sanguinis sui, reconciliando hominem Deo Patri, vivificando mortalem regeneratione cœlesti. Hunc, si fieri potest, sequamur omnes, hujus sacramento et signo censeamur. Hic nobis viam vitæ aperit, hic ad paradisum reduces facit, hic ad cœlorum regna perducit. Cum ipso semper vivemus, facti per ipsum filii Dei; cum ipso semper exultabimus, ipsius cruore reparati. Erimus Christiani cum Christo simul gloriosi, de Deo Patre beati, de perpetua voluptate lætantes semper in conspectu Dei, et agentes Deo gratias semper. Neque enim poterit nisi lætus esse semper et gratus [b], qui, cum morti fuisset obnoxius, factus est immortalitate [c] securus.

LECTIONES VARIANTES.

[a] Recessum *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Ver.*
[b] Lætus et gratus *Thu.*
[c] Factus est de immortalitate *Oxon.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

Salutis itinera monstramus. Hieronymus in Epistola *ad Pammachium* adversus Joannem Hierosolymitanum : *Blasphemantibus Deum clementem porrigimus manum.*

Pœnitentia nulla sera. Hieronymus in Epistola *ad Lætam* de Institutione filiæ : *Numquam est sera conversio.* Joannes Saresberiensis, lib. VII *Policratici*, cap. 21 : *Pœnitentia quoque numquam sera est, si tamen vera.* Seneca Agamemnone : *Sera numquam est ad bonos mores via.* Q. Curtius, lib. IX : *Crudelitatem sera pœnitentia secuta est.* Symmachus, lib. X, Epist. 54 : *Sera et contumeliosa est emendatio senectutis.* Sanctus Ambrosius in responsione ad Relationem Symmachi : *Verum certe est quia nulla ætas ad perdiscendum sera est. Erubescit senectus, quæ emendare se non potest.* Cicero, lib. II Epistolarum *ad Familiares*, Epist. VII, ait seram gratulationem reprehendi non solere.

Factus est. Ita omnes libri veteres præter unum. Editio quæ dicitur Gravii habet, *factus est de immortalitate securus.* Hoc secutus est Pamelius, et deinde Rigaltius.

LIBER
DE IDOLORUM VANITATE.

QUOD IDOLA DII NON SINT, ET QUOD DEUS UNUS SIT, ET QUOD PER CHRISTUM SALUS CREDENTIBUS DATA SIT [d].

ARGUMENTUM. — *Tria potissima hujus libri capita titulus ipse complectitur. Primum hinc comprobat quod reges fuerint et homines potius quam dii, quorum in honorem instituta sunt templa, expressa simulacra, immolatæ hostiæ et festi dies celebrati; atque adeo neque exteris neque Romanis quidquam potuisse prodesse illorum cultum, neque illis sed sorti potius imputandam Romani imperii potentiam, utpote quæ et vicissitudine quadam contigerit, et suam ipsius originem erubescat : neque vero auspiciis auguriisve quidquam tribuendum ex vano illorum eventu constare; quin potius dæmonum esse has præstigias, vel ipsis poetis, Socrate, Platone, Trismegisto et Hostane testibus, qui et unum Deum et dæmonas agnoverint. Alterum caput, quod unus sit Deus, tum per monarchiæ præ cæteris dignitatem majorem, tum per ipsas vulgi ethnici voces, O Deus, et similes, paucis manifestum facit. Postremum de Christo, ex Prophetis Judæorum et Evangelica historia, latius prosequitur.*

PAMEL.

I. Deos non esse quos colit vulgus hinc notum est.

LECTIONES VARIANTES.

[d] Quod idola dii non sint contra paganos *Vict. et alii.* Quod credentibus datum sit deos non esse *Voss. 4. Lin. Spir.* Ratum *Dun.* De idolis gentium *Goulart.*

VARIORUM NOTÆ.

DE IDOL. VANIT. — Difficile est certo statuere quid in titulo istius libri posuerit Cyprianus, si quid tamen posuit, præsertim si vera sit opinio Erasmi existimantis esse tantum fragmentum majoris operis, quia incipit ex abrupto. Plures sane libri veteres, et ii quidem optimi, initium operis constituunt in his verbis; *Deos non esse quos colit vulgus.* Apud Angelum Politianum, cap. 34 *Miscellaneorum* vocatur liber *de Origine et Generibus Idolorum.* Posterorum diligentia titulum illi fecit DE IDOLORUM VANITATE, atque ita se invenisse in exemplaribus antiquis testatur Rigaltius. Ego, quamquam hunc titulum nuspiam repererim in

Digitized by Google

Reges olim fuerunt, qui ob regalem memoriam coli apud suos postmodum etiam in morte cœperunt. Inde illis instituta templa, inde, ad defunctorum vultus per imaginem detinendos, expressa simulacra ; et immolabant [a] hostias, et dies festos dando honore [b] celebrabant. Inde posteris facta sunt sacra, quæ primis fuerant assumpta solatia. Et videamus an stet hæc [c] apud singulos veritas.

II. Melicertes et Leucothea præcipitantur in maria, et fiunt postmodum maris numina. Castores al-

LECTIONES VARIANTES.

[a] *Sic vetustiss. codd. et edd. recentior. Bal. Lips.* Quibus et immolabant *Oxon.* Nam et *Foss. Corb. Gronov.* (quibus) et *Lindn.*

[b] Honores *Oxon. Lindn.* Honorem *Lin. Lam.* Tanto honore *Voss. 4. Tew. Routh. Script. eccl. opusc.* 1840.

[c] An sit et hæc *Gronov. Lips. Routh. ex 2 codd. nov. Oxon. et cod. Drur.*

VARIORUM NOTÆ.

codicibus manuscriptis, retinui tamen propter commoditatem studiorum. In edendo autem initio ipsius libri secutus sum scripturam veterum librorum et veterum editionum. Quamquam sunt aliqui libri veteres qui incipiunt *Deos non esse*, priora non habent.

Pauca hujus libri mentio reperitur in scriptoribus antiquis, quippe quem nuspiam reperio citatum quam apud Hieronymum et Augustinum. Et Augustinus quidem ita scribit in libro *de unico Baptismo* adversus Petilianum, cap. 4 : *Hujus regulæ apostolicæ sectator episcopus Cyprianus de uno vero Deo adversus multorum deorum falsorumque cultores disputans multa profert testimonia de libris eorum quos præclaros auctores habent, hoc est ex illa veritate quam in iniquitate detinent.* Citat etiam lib. VI, *de Baptismo adversus Donatistas*, cap. 44. Hieronymus autem in Epistola *ad Magnum*, ponens in principio [867] sermonis materiam istius libri, tamquam si titulus esset, sic scribit : *Cyprianus quod idola dii non sint qua brevitate, qua historiarum omnium scientia, quorum verborum et sensuum splendore perstrinxit.* Ad eumdem librum respexisse videtur quibusdam Pontius diaconus in Vita sancti Cypriani scribens per illum gentiles, repercussis in se iis quæ nobis ingerunt, victos fuisse. Verum cum ista Pontii verba convenire etiam possint libro *ad Demetrianum*, in quo sanctus Martyr adversus gentiles ingerit querelas eorum de Christianis, non audeo affirmare verba Pontii intelligenda tantum esse de libro *de Vanitate Idolorum*. Potuit enim Pontius respexisse ad utrumque opus. Porro adversus cultum idolorum nihil est elegantius *Jove tragœdo* Luciani. BALUZ.

I. — *Reges olim fuerunt.* Lactantius lib. VI, cap. 8 : *Quomodo ergo, inquiet aliquis, dii crediti sunt? Nimirum quia reges maximi aut potentissimi fuerunt, ob merita virtutum suarum aut munerum aut artium repertarum, cum chari fuissent iis quibus imperitaverant, in memoriam sunt consecrati.* Idem in libro *de Ira Dei*, cap 11 : *Nimirum ii omnes qui coluntur ut dii homines fuerunt, et iidem primi et maximi reges, sed eos aut ob virtutem, quia præfuerant hominum generi, divinis honoribus affectos esse post mortem, aut ob beneficia et inventa quibus humanam vitam excoluerant, immortalem memorium consecutos quis ignorat?* Ita etiam in *libro Recognitionum D. Clementis.* Cicero, lib. II de Natura Deorum : *Perseus Zenonis auditor eos dicit habitos deos a quibus magna utilitas ad vitæ cultum esset inventa, ipsasque res utiles et salutares deorum esse vocabulis nuncupatas.* Et infra : *Suscepit autem vita hominum consuetudoque communis ut beneficiis excellentes viros in cœlum fama ac voluntate tollerent. Hinc Hercules, hinc Castor et Pollux.* Horatius lib. II, Epist. 1.

> Romulus et Liber pater et cum Castore Pollux
> Post ingentia facta deorum in templa recepti.

Q. Curtius, lib. IX, scribit Persas non pie solum, sed etiam prudenter reges suos inter deos colere, majestatem enim imperii salutis esse tutelam. Julius Firmicus in libro de Errore profanarum Religionum : *Amat enim Græcorum levitas eos qui sibi aliquid contulerunt, vel qui consilio aut virtute se juverunt, divinis appellare nominibus. Et sic ab ipsis beneficiorum gratia repensatur ut deos dicant et deos esse credant qui sibi aliquando præfuerint.* Cicero in Oratione pro Milone : *Græci homines deorum honores tribuunt iis viris qui tyrannos necaverunt.* Lucianus in Toxari scribit Scythas sacrificasse Oresti et Pyladi, non tamquam diis, sed tamquam viris bonis. Et Julius Firmicus ait Ægyptios Josephum, qui consuluerat eorum egestati per septem annos, venerari et adorare ut deum. Epiphanius in prologo librorum *adversus Hæreses*, cap. 7, ait tyrannos et præstigiatores, qui inventionibus suis ac fallaciis totum orbem deceperant, divinis honoribus consecratos fuisse. Petrus a Valle in *Historia Peregrinationum suarum* testatur etiam nunc Indos gentiles colere ut deos reges suos et viros illustres qui præclaris actionibus suis meruerunt honores divinos. BALUZ.

Defunctorum vultus. Heic tantum annotabo me hoc loco uti ad reddendam hanc vocem Commodiano, apud quem Instructione 2, legitur *defunctos deos orabant*, pro quo Rigaltius posuit *morientes deos.* Sic etiam Instructione 20 : *Adoratis enim stulti malo letho defunctos.* Affero autem hæc loca Commodiani prout habentur in veteri codice ms. sancti Albini Andegavensis. BALUZ.

Et immolabant. Veteres editiones et quidam libri veteres habent : *Nam et immolabant.* Alii simpliciter *et immolabant ;* quam lectionem reperi in quindecim codicibus antiquis. Ubi duo libri veteres habent *etiam* pro *et.* Non placuerunt Pamelio hæ duæ lectiones. Prætulit autem eam quam invenisse se ait apud Gravium et Costerium, et scripsit *quibus et immolabant.* Verum vocem *quibus* ego non vidi in editione quæ dicitur Gravii neque in codicibus manuscriptis. BALUZ.

Honore. Ita scriptum vidi in tredecim libris veteribus. Quidam alii habent *honores* vel *honorem.* Ego retinui lectionem quæ plurium veterum librorum auctoritate nititur, cum præsertim hoc segmentum invenerim ita distinctum in codice Tornacensi bibliothecæ regiæ et in Beccensi, tum etiam in Metensi sancti Arnulphi. BALUZ.

Inde posteris sacra facta sunt. Minutius Felix : *Similiter ac vero erga deos quoque majores nostri improvidi, creduli, rudi simplicitate crediderunt, dum reges suos colunt religiose, dum defunctos eos desiderant in imaginibus videre, dum gestiunt eorum memorias in statuis [868] detinere, sacra facta fuerunt quæ fuerant assumpta solatia.* Vide Fulgentium Placiadem, lib. I *Mytholog.*, ubi agit de filio Syrophanis Ægyptii. BALUZ.

II. — *Melicertes et Leucothea.* Hyginus fab. II. *Ino cum Melicerte filio suo in mare se præcipitavit ; quam Liber Leucotheam voluit appellari : nos matrem Matutam dicimus : Melicertem autem deum Palæmonem, quem nos Portumnum dicimus.* Ino autem Liberi sive Bacchi nutrix fingitur. Adde Lactantium, lib. I, cap. 21, sect. 23. CELL.

Castores. Angli, qui post Morellium posuerunt in sua editione *Castor et Pollux*, admonent oportuisse heic reponi *Castores*, si tanti esset rem levis momenti mutare. Sed hæc ratio nullius est momenti. Nam et ipsi plures mutationes fecerunt in operibus sancti Cypriani quæ non sunt majoris momenti. Ego vero mutavi, quia oportet reddere Cypriano sua verba, et quia apud Minutium Felicem, ex quo Cyprianus accepisse videtur, scriptum est : *Castores alternis moriuntur ut vivant.* Ita etiam scriptum est in omnibus

Digitized by Google

ternis moriuntur ut vivant. Æsculapius ut in Deum A surgat [a] fulminatur. Hercules ut hominem exuat Oeteis [b] ignibus concrematur. Apollo Admeti [c] pecus pavit. Laomedonti muros Neptunus instituit, nec mercedem operis infelix structor accepit. Antrum Jovis in Creta visitur [d], et sepulchrum ejus ostenditur, et ab eo Saturnum fugatum esse manifestum [e] est. Inde Latium de latebra [f] ejus nomen accepit. Hic litteras imprimere, hic signare [g] nummos in Italia primus instituit : inde [h] ærarium Saturni vocatur. Et rusticitatis hic [i] cultor fuit : inde falcem ferens senex pingitur [j]. Hunc fugatum hospitiò Janus excepe-rat [k]; de cujus nomine Janiculum dictum est, et mensis Januarius institutus est. Ipse bifrons exprimitur, quod, in medio constitutus, annum incipientem pariter et recedentem spectare videatur. Mauri vero manifeste reges colunt [l], nec ullo velamento hoc nomen obtexunt.

III. Inde per gentes et provincias singulas varia deorum religio mutatur, dum non unus ab omnibus deus colitur, sed propria cuique majorum suorum cultura servatur. Hoc ita Alexander Magnus insigni volumine ad matrem suam scribit metu suæ potestatis proditum sibi de diis hominibus a sacerdote se-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Resurgat *Gronov.*
[b] Oetæ *Lin. Thu.*
[c] Admeto *Gronov. Routh. ex nov. Oxon.* 1, 2.
[d] Videtur *Thu. Foss.* Dicitur *Pem. Voss.* 2. Visitatur *Voss.* 4.
[e] Fugatum manifestum *Pem Voss.* 2. *Thu. Mich. Vict.*
[f] Latebris *Pem. Voss.* 2.
B
[g] Et signare *Gronov.*
[h] Unde *Oxon.*
[i] Nam et rusticitatis *Mich. Vict.*
[j] Ferens pingitur *Lan. Bod.* 3. *Voss.* 2. *Spir. Rem. Er. Man. Gronov. Routh. ex trib. Oxon. novis et duob. Dr.r. Tew. Meerm.*
[k] Excepit *Foss. Mich. Vict. Lindn.*
[l] Reges suos colunt *Rigalt.*

VARIORUM NOTÆ.

libris veteribus tam nostris quam Anglicanis, uno excepto Carnotensi, qui habet ut editio Morellii. Et cum ageretur de emendando Cypriano ex auctoritate veterum librorum, necesse erat eam lectionem revocare quam fere omnes libri manuscripti habent. Annotat Dio Cassius, lib. XXXVII, templum Castoris et Pollucis quod Romæ erat solius Castoris dici consuevisse. Vide annotationes Erasmi in caput XXVIII *Actorum*. BALUZ.

Æsculapius fulminatur. Lactantius, lib. I, cap. 10, loquens de Æsculapio, *a Deo meruit fulminari*, Plinius, lib. XXIX, cap. 1, scribit illum fulmine ictum, C quoniam Tyndaridam revocasset ad vitam. Cornelius Celsus in proœmio librorum suorum *de Re medica* ait Æsculapium relatum in deorum numerum, quia hanc scientiam rudem et vulgarem paulo subtilius exposuit. Tertullianus in *Apologetico* scribit illum *fulmine vindicatum*, id est deum factum. Hæc enim lectio, quam præferunt editiones Beati Rhenani et Pamelii, mihi videtur esse melior quam ea quæ habet *judicatum*. Eodem sensu Plinius in *Panegyrico* ait Nervam a diis cœlo vindicatum. Sic Optatus, lib. I, vocat martyrem vindicatum, id est canonizatum, ut temporum nostrorum verbo utamur, eum quem constabat pro nomine Christi tormenta perpessum et mortem subiisse. Aliud in libro *de Lapsis*, pag. 187, significat vox *vindicatur*, ut illic annotavi. Passio sancti Philippi episcopi in tomo IV *Analectorum* Mabillonii, pag. 140, *Scolapium medicum in monte Cynusuridos fulminatum consecrationem mereri a gentibus fecit.* Vide Lylium Gregorium Gyraldum *Syntagmate* XII *Historiæ Deorum*. BALUZ.

Œteis. Novem libri veteres præferunt *æthnæis.* Atque ita fere scriptum est apud Arnobium in codice regio. Quamvis autem non dubitem quin hæc lectio falsa sit, puto tamen mihi licere ea uti ut emendem locum Paciani in libro *de Pœnitentibus*, in quo legitur : *Æstuant indefessis flammarum globulis Æthna et Licaniculus et Vesuvius Campanus.* At in veteri libro Carthusiæ majoris scriptum est : *Ethna Siculus et Vesevus Campanus.* Recte. Quippe Æthna est in Sicilia, et Vesuvus in Campania. De Hercule exusto vide Frontonis Ducæi notas in libros Theophili Antiocheni *ad Autolycum*. Festiva et elegans est historia Herculis Suffectani in Epistola Augustini ad cives coloniæ Suffectanæ. BALUZ.

Admeti pecus. Apud Commodianum, prout editus est a Rigaltio, legitur Instruct. XI : *Admeti quoque pecora pavisse fertur.* At in libro sancti Albini scriptum est *a primitia* pro *Admeti*, Ovidius, lib. II, *de Arte Amandi :*

Cynthius Admeti vaccas pavisse per æstus
Fertur et in parva delituisse casa. BALUZ.

Antrum Jovis. Minutius Felix : *Adhuc antrum Jovis visitur et sepulchrum ejus ostenditur.* Virgilius, lib. IV Georgicon : *Dictæo cœli regem pavere sub antro.* Ovid., lib. III *Amorum*, Eleg. 9. *Cretes nutrito terra superba Jove.* Vide Hieronymum in caput primum Epistolæ *ad Titum*. BALUZ.

Visitur. Apud Angelum Politianum, cap. 34 *Miscellaneorum*, scriptum est *mutitur*. BALUZ.

Latium de latebra. Minutius Felix : *Itaque latebram suam, quod tuto latuisset, vocari maluit Latium.* Virgilius, lib VIII Æneidos : *Latiumque vocari maluit his quoniam latuisset tutus in oris ;* Ovidius, lib. I Fastorum : *Dicta fuit Latium terra latente deo.* Vide Lactantium, lib. I, cap. 13. Hinc collis Latiaris apud Varonem, lib. V, *de Lingua latina* BALUZ.

Hic litteras imprimere, signare nummos. Puta vero saxis, membranis, corticibus impressisse litteras. CELL. Gron. *et signare.* LINDNER.

Hic signare. Tertullianus in Apologetico : *Ab ipso primum tabulæ et imagine signatus nummus, et inde ærario præsidet.* Vide notas Pamelii. BALUZ.

Mauri reges colunt. Tertullianus in *Apologetico* ait Mauritaniæ regulos a populis coli ut deos. Lactantius, lib. I, cap. 15. *Hac scilicet ratione Romani Cæsares [369] suos consecraverunt et Mauri reges suos.* Minutius Felix : *Juba Mauris volentibus deus est.* Valerius Maximus in prælatione : *Reliquos enim deos accepimus, Cæsares fecimus.* Herodianus, lib. IV, ait moris esse Romanis consecrare Imperatores qui superstitibus filiis vel successoribus moriuntur, eosque qui sunt hoc honore affecti dici relatos inter divos. BALUZ.

III.—*De diis.* Hic locus multum varie et implicite scriptum est in exemplaribus antiquis. In editione quæ dicitur Gravii legitur *de his omnibus*, in codice sancti Eligii Attrebatensis *ab his omnibus*, in Fuxensi, Turonensi, Corbeiensi, Lamoniano, et in editionibus Manutii et Morellii, tum etiam in variis lectionibus positis in margine libri quo Gravius usus erat, *de diis hominibus*, in Sorbonico *ab his hominibus*, in uno regio, in Thuano, etiam in uno meo, *aliis hominibus*, omissa præpositione *de*. In Carnotensi et in Beccensi *a piis hominibus*. Eligat lector ex his variis lectionibus eam quam æstimabit esse meliorem. Ego facile crederem eam esse retinendam, uti retinui, quam editiones Manutii et Morellii præferunt, quam Rigaltius quoque servavit et Angli. BALUZ.

Digitized by Google

cretum, quod majorum et regum memoria servata sit, inde colendi et sacrificandi ritus [a] inoleverit. Si autem aliquando dii nati sunt, cur non hodieque nascuntur? nisi si forte Jupiter senuit, aut partus in Junone defecit.

IV. Cur vero deos putas pro Romanis posse, [216] quos videas [b] nihil pro suis adversus eorum arma valuisse? Romanorum [c] enim vernaculos deos novimus. Est Romulus pejerante Proculo deus factus, et Picus, et Tiberinus, et Pilumnus, et Consus, quem Deum fraudis vel ut consiliorum deum, coli Romulus voluit postquam in raptum Sabinarum perfidia provenit [d]. Deam quoque Cloacinam Tatius et invenit et coluit, Pavorem Hostilius atque Pallorem. Mox a nescio quo Febris dedicata, et Acca et Flora meretrices [e]. [Interdum [f] vero deorum vocabula apud Romanos

LECTIONES VARIANTES.

[a] Colendi ritus *Ver. Thu. Foss. Corb. Mich. Lin.*
[b] Quos sæpius videas *Gronov.*
[c] Romanorum *hæc verba ad ista* : hi dii Romani *uncis inclusit Rigaltius.*
[d] Hodie quoque pervenit *Bod.* 3. *MR.*
[e] Meretrices. Hi dii *Bod.* 3. *Pem. Voss.* 2, 3. *Lam. Thu. Foss. Corb. Mich. Vic. Hinc. MR.*
[f] *Interdum*... Orbona. *Hæc præter edd. Gravii, Pamel. Rigalt. et Fellis insuper reperias in recentiorib. Cellar. Lindner. Gronov. Goldhorn. qui tamen Baluzio adstipulare videtur.*

VARIORUM NOTÆ.

Quod majorum et regum memoria servata sit. Minutius hoc latius exsequitur, et addit eum deduxisse genus ab Urano usque ad Jovem. LINDNER.

Aliquando dii nati sunt. Cicero lib. I de Natura Deorum : *Si natum, nulli dii antę quam nati. Etsi ortus est deorum, interitus sit necesse est.* BALUZ.

Nisi forte Jupiter senuit. Ex Felicis cap. XXIII depromptum. Addo huic argumento judicium Plinii, lib. II, cap. VII, de Diis paganorum : *Matrimonia inter deos credi, tantoque ævi ex his neminem nasci, et alios esse grandævos semperque canos, alios juvenes atque pueros, atri coloris, aligeros, claudos, ovo editos, et alternis diebus vivęntes morientesque, puerilium prope deliramentorum est. Sed super omnem impudentiam, adulteria inter ipsos fingi: mox furgia, et odia: atque etiam furtorum esse et scelerum numina.* CELLAR.

IV.— *Pro suis.* Quidam libri veteres et editio Morelliana habent *prorsus.* Ista lectio videtur esse bona. Viderint eruditi critici an præferenda sit. BALUZ.

Vernaculos deos. Ita etiam Minutius Felix. BALUZ.

Picus. Cujus corpus maculosum esse dixit Prudentius in libro primo *adversus Symmachum.* Plutarchus *in Quæstionibus Romanis* quærit cur Picum Romani venerentur. BALUZ.

Consiliorum Deum. Hieronymus in Vita Hilarionis : *Hoc siquidem in Romanis urbibus jam exinde servatur a Romulo ut propter felicem Sabinarum raptum ab ipso quoque consiliorum deo quadrigæ septeno currant circuitu.* Varro, lib. V, de Lingua Latina : *Consualia dicta a Conso, quod tum feriæ publicæ ei deo et in circo ad aram ejus ab sacerdotibus fiunt ludi illi quibus virgines Sabinæ raptæ.* Ovidius, lib. III Fastorum : *Festa para Conso, Consus tibi cætera dicet.* Tertullianus in libro de Spectaculis : *Exinde ludi consualia dicti, qui ab initio Neptunum honorabant. Eumdem enim et Consum vocant.* Et statim : *Quamquam et consualia Romulo defendunt, quod ea Conso dicaverit deo, ut volunt, consilii, ejus scilicet quo tunc Sabinarum virginum raptum militibus suis in matrimonia excogitavit.* Vide Dionysium Halicarnasseum, lib. I, et Valerium Maximum, lib. II, cap. 4, et Plutarchum in libro *de Quæstionibus Romanis.* Narrat Lilius Gregorius Gyraldus in Syntagmate V *Historiæ Deorum* meminisse se, cum ingratis Romæ ætatem tereret, ad palatii radices pone Anastasiæ templum sacellum effossum fuisse quod tum plerique Consi putarunt, id est Neptuni, propter frequentes conchas marinas ibi repertas, ubi et effigies albæ aquilæ cum crista rubra in sacelli fornice seu testudine, quod tum plerique consilii symbolum interpretabantur, et ædem Consi subterraneam fuisse in ea regione probari ex P. Victore. BALUZ.

Cloacinam. Lactantius, lib. I, cap. 20 : *Cloacinæ simulachrum in cloaca maxima repertum Tatius consecravit, et quia cujus esset effigies ignorabat, ex loco illi nomen imposuit.* De Cloacina et de deabus quæ sequuntur vide Epistolam Augustini *ad Maximum Madaurensem.* BALUZ.

Pavorem atque pallorem. Lactantius ibidem : *Pavorem palloremque Tullus Hostilius figuravit et coluit.* Sanctus Augustinus, lib. XX *contra Faustum*, cap. 9 : *Nam et corporalium vitiorum simulachra Romani consecraverunt, sicut palloris et febris.* BALUZ.

Febris. Octavianus Horatianus, lib. IV, cap. 1 : *Hinc est et quod Romani febri ædem statuerunt.* Prudentius in *Hamartigenia* :

Par furor illorum quos tradit fama dicatis
Consecrasse deas febrem scabiemque sacellis.

Cicero, lib. II de Legibus : *Araque vetus stat in palatio febris.* Vide Valerium Maximum, lib. II, cap. 5, et Lilium Gregorium Gyraldum Syntagmate primo *Historiæ Deorum.*

Flora. In ejus honorem instituti sunt ludi florales. Cicero Actione V in Verrem dixit : *Floram matrem populo plebique R. ludorum celebritate placandam.* Lactantius, lib. I, cap. 20 : *Flora, cum magnas opes ex arte meretricia quæsivisset, populum scripsit hæredem, certamque pecuniam reliquit cujus ex annuo fœnore suus natalis dies celebraretur editione ludorum quos appellant floralia.* Ubi vide notas Josephi Isæi. Arnobius, lib. VII, *Existimatur* [870] *tractari honorifice Flora, si quis in ludis flagitiosas conspexerit res agi et migrari ab lupanaribus in theatra.* Sanctus Augustinus in una Epistolarum quas de negotio Calamensi scripsit *ad Nectarium*, quæ est XCI, in nova editione : *Horum plane florum non terra fertilis, non aliqua opulens virtus, sed illa dea Flora digna mater inventa est, cujus ludi scenici tam effusiore et licentiore turpitudine celebrantur ut quivis intelligat quale dæmonium sit quod placari aliter non potest nisi illic non aves, non quadrupedes, non denique sanguis humanus, sed multo scelestius pudor humanus tamquam immolatus intereat.* Plinius, lib. XVIII, cap. 29, tradit Numam instituisse floralia IV. Kal. Maii. Ovidius, lib. IV Fastorum : *Exit et in Maias festum florale Kalendas.* Suetonius in Galba : *Prætor commissione ludorum floralium novum spectaculi genus elephantos funambulos edidit.* Ubi vide commentarium Philippi Beroaldi. Tacitus, lib. II, *Annalium*, tradit ædem Floræ ab Lucio et Marco Publiciis ædilibus constitutam juxta circum maximum. Vide Justinum, lib. XLIII. Vellcium Paterculum, lib. I, Martialem lib. I, Epigr. 92, et Lilium Gregorium Gyraldum Syntagmate primo *Historiæ Deorum.* Fulgentius Placiades, lib. I *Mytholog.*, dixit virgunculam lascivientem florali petulantia. Vide quæ de ludis floralibus diximus in notis ad Epistolam *ad Donatum*, pag. 379. BALUZ.

Meretrices. Quæ sequuntur in editione quæ dicitur Gravii, in Pameliana, Rigaltiana, et Anglicana, nos sustulimus, quia ea in nullo veterum exemplarium reperimus quibus usi sumus, quia desunt in pluribus Anglicanis, quia non exstant in antiquis editionibus, neque in Minutio, et quia sensum, ut Rigaltius ait, abrumpunt. BALUZ.

Perfidia provenit. Processit eventu prospero. RIGALT.

Digitized by Google

finguntur, ut sit apud illos et Viduus deus, qui anima corpus viduet, qui quasi feralis et funebris intra muros non habetur; et nihilominus, quia extorris factus, damnatur potius Romana religione, quam colitur. Est et Scansus ab ascensibus dictus [a], et Forculus a foribus, et a liminaribus Limentinus, et Cardea a cardinibus et ab orbitatibus Orbona [b]]. Hi dii Romani. Cæterum Mars Thracius, et Jupiter Creticus, et Juno vel Argiva vel Samia vel Pœna, et Diana Taurica, et deorum mater Idæa, et Ægyptia portenta, non numina : quæ utique si quid potestatis habuissent, sua ac suorum regna servassent. Plane sunt apud Romanos et victi penates [c], quos Æneas profugus advexit. Est et Veñus calva, multo hic turpius calva quam apud Homerum vulnerata.

V. Regna autem non merito accidunt, sed sorte variantur. Cæterum imperium ante tenuerunt et Assyrii et Medi et Persæ [d], et Græcos et Ægyptios regnasse cognovimus. Ita vicibus potestatum varianti- A bus, Romanis quoque, ut et cæteris, imperandi tempus obvenit. Cæterum, si ad originem redeas, erubescas. Populus de sceleratis et nocentibus congregatur, et asylo constituto facit numerum impunitas criminum. Nunc, ut rex ipse [e] principatum habeat, ad crimina fit Romulus parricida. Atque, ut matrimonium faciat [f], rem concordiæ per discordias auspicatur. Rapiunt, ferociunt, fallunt, ad copiam civitatis augendam. Nuptiæ sunt illis rupta hospitii fœdera et cum sociis bella crudelia. Est et gradus summus in Romanis honoribus consulatus. Sic consulatum cœpisse videmus ut regnum. Filios interficit Brutus ut creseat de suffragio sceleris comuendatio dignitatis. Non ergo de religionibus sanctis, nec de auspiciis aut auguriis Romana regna creverunt, sed acceptum tempus certo B fine custodiunt. Cæterum et Regulus auspicia servavit, et captus est; et Mancinus religionem tenuit, et sub jugum missus est et victus [g]. Pullos edaces Paulus habuit, et apud Cannas tamen cæsus est. C. Cæ-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Dictus *abest a Gronov.*
[b] Suburbana *mss. et impr. passim.*
[c] Victi *Grav.* Vincti *Camb.*
[d] Syri et Persæ *Lin. Ebor. Lam. Bod. 3. Thu. Foss. Mich.* Et Tyri *Ver. Voss. 4. Syrius codd. Veron. et Atreb.* Et medi *omitt. ed. princeps Routh. ex mss.*
[e] *Ita mss. In aliis expulsa est vox prima* Nunc. *Deest in Lindn.*
[f] Faciunt *Veron. Quod convenit cum conseqq.* Rapiunt.
[g] Et victus *transtulit edit. Baluzii, omisit Routh.*

VARIORUM NOTÆ.

Viduus deus. Quis omnia ridicula deorum nomina enarrabit? Talis et *Scansus* est, qui subsequitur, tales cæteri divi divæque. Multos et pene innumeros narrarunt alii, Arnobius, lib. IV. Lactantius, lib. I, cap. 20, Augustinus, *Civ. Dei* lib. IV, cap. 8; nec vero complecti omnes potuerunt. CELLAR.

Et Forculus a foribus, et Limentinus. Augustinus *de Civ., Dei* lib. IV, cap 8, extremo : *Unum quisque domui* C *suæ ponit ostiarium, et quia homo est, omnino sufficit. Tres deos isti posuerunt, Forculum foribus, Cardeam cardini, Limentinum limini. Ita non potuit Forculus simul fores et cardinem limenque servare.* Adde Tertullian. *de Corona*, cap. 13, extrem. CELL.

Ab orbitatibus Orbona. Plinius, lib. II, cap. 7 : *Fanum dicatum est Orbonæ ad ædem Larium, et ara Malæ Fortunæ Exquiliis.* Et Arnobius, lib. IV, clarius : *In tutela sunt Orbonæ orbati liberis parentes : in Nœniæ, quibus extrema sunt tempora.* CELLAR.

Victi Penates. Virgilius de Æneа, lib. I, 72. *Ilium in Italiam portans victosque Penates.* LINDN.

Venus calva. Lactantius, lib. I, cap. 20. *Urbe a Gallis occupata, obsessi in capitolio Romani, cum ex mulierum capillis tormenta fecissent, ædem Veneri calvæ consecrarunt.* BALUZ.

V. — *Assyrii.* Ita veteres editiones et quidam libri veteres, tum etiam Minutius. Alii veteres præferunt *Syri.* Alii XXVI omittunt mentionem Medorum. Sed D alii quatuor illam habent, itemque Minutius. Præterea codex Veronensis et codex sancti Eligii Attrebatensis addunt Tyrios. Medorum regni mentio deest etiam in editionibus Manutii et Morellii. Assyrii qui primo dicti sunt, postea Syrii sunt appellati. Vide Renati Massueti dissertationes ad Irenæum, pag. 71, § 142. Arbactus imperium ab Assyriis ad Medos transtulit, et postea translatum est ad Persas. Ita docet Justinus, lib. I et XLI. BALUZ.

Romulus parricida. Hieronymus in Epistola ad Rusticum monachum : *Roma ut condita est duos fratres simul reges habere non potuit et parricidio dedicatur.* Lucanus, lib. I : *Fraterno primi maduerunt sanguine muri.* BALUZ.

Filios interficit Brutus. L. Junius Brutus, primus consul. Adi Livium, lib. II, cap. 5. Etiam Virgilius attingit lib. VI, vers. 819 :

> Consulis imperium hic primus sævusque secures
> Accipiet; natosque pater nova bella moventes,
> Ad pœnam pulchra pro libertate vocabit
> Infelix. CELL.

Tempus certo fine ad tempus idem est, quod *certo fine.* Ergo alterum alterius glossa. Possis etiam subaudire tempus *imperandi* acceptum a Deo custodiunt seu retinent certo fine, quo appropinquante ab iis auferetur. LINDNER.

Regulus. Hæc et quæ sequuntur ad verbum ferme sumpta sunt ex Minutio. BALUZ.

Et victus. Addidi istud ex libro Fuxensi. Audaciam istam mihi fecit Minutius, apud quem ita legitur : *Mancinus religionem tenuit, et sub signum missus est et deditus.* Pro eo quod Minutius dixit *deditus*, liber Fuxensis habet *victus.* BALUZ.

Pullos edaces. Duo libri veteres habent *vultures.* Sed ea lectio non convenit cum historia. Ea admodum festiva est. Referam autem illam ex Valerio Maximo, lib. I, cap. 4. *P. Claudius bello Punico primo, cum prælium navale committere vellet, auspiciumque more majorum petiisset, et pullarius non exire cavea pullos nuntiasset, abjici eos in mare jussit dicens : Quia esse nolunt, bibant.* Suetonius in Tiberio : *Claudius Pulcher apud Siciliam non pascentibus in auspicando pullis, ac per contemptum religionis mari demersis ut biberent quando esse nollent, prælium navale iniit; superatusque, cum dictatorem dicere a senatu juberetur, Ilicium viatorem suum dedit.* Hinc joci Pauli apud Martialem, lib. I, Epigr. 29. Similem ferme historiam de C. Flaminio consule narrat Cicero in libro primo de Divinatione. Hæc sunt ejus verba : *Idem cum tripudio auspicaretur, pullarius diem prælii committendi differebat. Tum Flaminius ex eo quæsivit, si ne postea quidem pulli pascerentur, quid faciendum censeret, cum ille quiescendum respondisset, Flaminius, præclara vero auspicia, si esurientibus pullis res geri poterit, saturis nihil geretur. Itaque signa convelli et se sequi jussit. Quo tempore cum signifer primi hastati signum non posset movere loco, nec quicquam* 571 *proficeret, plures*

Digitized by Google

sar, ne ante brumam in Africam navigia [a] transmitteret auguriis et auspiciis renitentibus, sprevit, eo facilius et navigavit et vicit.

VI. Horum autem omnium ratio est illa quæ fallit et decipit, et præstigiis cæcantibus veritatem stultum et credulum vulgus inducit. Spiritus sunt insinceri et vagi, qui, posteaquam terrenis vitiis immersi sunt, et a vigore cœlesti terreno contagio recesserunt, non desinunt perditi [b] perdere et depravati errorem pravitatis infundere. Hos et poetæ dæmonas norunt; et Socrates instrui se et regi ad arbitrium dæmonis prædicabat, et magis inde est ad perniciosa vel ludicra potentatus; quorum tamen præcipuus Hostanes A et formam veri Dei negat conspici posse, et angelos veros [c] sedi ejus dicit assistere. In quo et Plato pari ratione consentit, et unum Deum servans, cæteros angelos vel dæmonas dicit. Hermes quoque Trismegistus unum Deum loquitur, eumque incomprehensibilem atque inæstimabilem confitetur.

VII. Hi ergo spiritus sub statuis atque imaginibus consecrati [d] delitescunt. Hi afflatu suo vatum pectora inspirant, extorum fibras animant, avium volatus gubernant, sortes regunt, oracula efficiunt, falsa veris semper involvunt, nam et falluntur et fallunt, vitam turbant, somnos inquietant, irrepentes etiam spiritus in corporibus [e] occulte mentes terrent, mem-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Nauta *Corb.*
[b] Perditi *abest à Gronov.*
[c] Nostros *var. lect. Oxon.* Servos *fortasse olim legebatur. Routh.*

B [d] Congregati *Lam.* Consecratis *Routh.*
[e] In corporibus *Wopken. in Misc. crit. vol. X, t. 1, ad cap. 26. Minutii, particulam tollendam opinatur.*

VARIORUM NOTÆ.

cum accederent, Flaminius renuntiata suo more neglexit. Itaque tribus horis concisus exercitus, atque ipse interfectus est. Vide Valerium Maximum, lib. I, cap. 6. Iconem caveæ et pullorum ex antiquis monumentis refert Rosinus, lib. III, cap. 10, *Antiquitatum Romanarum.* BALUZ.

VI. — *Credulum.* Ita scribendum esse arbitratus sum, quia ita scriptum inveni in tribus codicibus et in editione quæ dicitur Gravii pro eo quod editiones et quidam libri veteres habent *prodigum.* Etiam falsa lectio libri Turonensis, quæ habet *crudelem*, ostendit istam esse veram. Vulgatissimum est invenire frequenter in veteribus libris manuscriptis crudelem pro credulo et e converso, crudelitatem etiam pro credulitate et e converso, ut monui jam, pag. 483. Vide tom. II Capitularium, pag. 1119. In Corbeiensi, *stultum et crudelem*, quod profecto depravatum est ex aliqua vetere scriptura, quæ habuisse videtur *credulum.* Illud vero, *prodigum*, unde irrepserit, non habeo dicere: nisi scriptum olim fuisse *perditum;* deque illo *perditum* factum ab imperitis *proditum*, ac deinde *prodigum.* Perditi homines dicuntur scelerati ac nefarii. RIGALT.

Spiritus insinceri. Supra in Epistola *ad Donatum*, pag. 3: *Immundi et erratici spiritus.* Minutius: *Spiritus sunt insinceri, vagi, a cœlesti vigore terrenis labibus et cupiditatibus degravati.* Lactantius, lib. II, cap. 14: *Spiritus contaminati ac perditi per omnem terram vagantur.* BALUZ.

Vagi. Commodianus, Instruct. IV: *Unde modo vagi subvertunt corpora multa.* Item, Instruct. XXII: *Dæmones in mundo vagi.* Ita in veteri codice sancti Albini. Pro quo Rigaltius posuit *vagari.* Prudentius in Carmine de sancto Vincentio; *Adsunt et illic spiritus vagi, impotentes, sordidi.* BALUZ.

Hostanes. Veteres editiones et omnes fere libri veteres habent *Sosthenes.* Manutius posuit *Ostanes*, Pamelius *Hostanes.* At ego *Ostanes* vidi scriptum in tribus antiquis codicibus, *Hostanes* in Turonensi. In uno meo veteri scriptum primo fuerat *Ostanes*, sed postea sic emendatum est antiquitus ut ostenderetur scribendum esse *Sostanes.* Quo modo scriptum est etiam in Gratianopolitano. In Apologia Apuleii vocatur Hostanes. Citat hunc locum sanctus Augustinus, lib. VI *de Baptismo contra Donatistas*, cap. 44. Vide Seldenum, lib. V, cap. 11, *de Jure naturali et Gentium.* BALUZ.— Plin., lib. XXX, c. 1. *Primus exstat (ut quidem invenio) commentatus de eo Ostanes, Xerxem regem Persarum, bello, quod is in Græciam intulit, comitatus; ac velut semina artis portentosæ sparsit, obiter infecto, quacumque commeaverat, mundo. Hic maxime Ostanes ad rabiem, non aviditatem modo scientiæ ejus, Græcorum populos egit.* RIGALT.

Formam veri Dei. Plinius, lib. II, cap. 7: *Effigiem Dei formamque credere imbecillitatis humanæ reor.* Apuleius in Apologia: *Deus paucis cogitabilis, nemini effabilis.* Attalus martyr apud Rufinum, lib. V, cap. 3, interrogatus quod nomen haberet Deus respondit: *Qui plures sunt nominibus discernuntur. Qui unus est non indiget nomine.* Marius Victorinus initio libri de Generatione Divina: *De Deo dicere supra hominem audacia est.* Cicero, lib. I *de Natura Deorum*, ait speciem Dei perspici cogitatione, non sensu. Lucretius, lib. I: *Deus animi vix mente videtur.* Lactantius in libro de Ira Dei, cap. 11: *Apud Xenophontem Socrates disputans ait formam Dei non oportere conquiri.* C Arnobius, lib. I: *Si veram vultis audire sententiam, aut nullam habet Deus formam, aut si informatus est aliqua, ex qua sit profecto nescimus.* Dio Cassius, lib. XXXVII, agens de Deo Judæorum ait illos Deum suum ineffabilem invisibilemque existimasse. Cassianus Collat. X, cap. 4, disputat adversus eorum simplicitatem qui incomprehensibilem veri numinis majestatem sub circumscriptione alicujus æstimant adorandam. Vide eumdem lib. VIII *de Habitu Monachorum*, cap. 4. Sulpitius Severus, lib. II Sacræ Historiæ: *Responsum est formam Dei mortalibus oculis perspici non posse.* Apud Juvencum, lib. II. *Hist. Evangel.* Christus loquens de petra ait:

> Hujus enim vocem numquam comprehendere quistis,
> Nec speciem propriam concessit visere vobis.

Rufinus lib. I. Apologiarum: *Nec enim, ut quidam putant, natura Dei aliquibus visibilis est et aliis invisibilis.* Vide Tertulliani *Apologeticum* et librum Novatiani *de Trinitate.* Vide etiam scholia Jacobi Billii in D Orationem Gregorii Nazianzeni *de Plaga grandinis.* BALUZ.

VII.—*Falsa veris involvunt.* Imitatum ex libro sexto Æneidos, *obscuris vera involvens.* Sanctus Ambrosius, lib. I *Officior.*, cap. 16, *obscuris vera involvere.* Comœdia Queroli: *Istud plane est quod sæpe audivi, obscuris vera involvere.* Minutius Felix: *Sortes regunt, oracula efficiunt falsis pluribus involuta.* Tertullianus, lib. I ad Nationes, *ut non falsa veris intexant.* Sulpitius Severus, lib. II *Sacræ Historiæ* loquens de Bagua spadone ait: *Intaminata ab ore corrupto et falsis vera miscente.* BALUZ.

Irrepentes etiam spiritus. Ita veteres editiones ante Manutianam, in qua resecta et omissa est vox *spiritus.* Eam tamen exhibent XXII vetera exemplaria. BALUZ.

Occulte mentem terrent. Ex Veronensi optimo. Vulgo

Digitized by Google

bra distorquent, valetudinem frangunt, morbos [a] lacessunt, ut ad cultum sui cogant, ut, nidore altarium et rogis pecorum saginati, remissis quæ [127] constrinxerant curasse videantur. Hæc est de illis medela cum illorum cessat injuria; nec aliud illis studium est quam a Deo homines avocare et ad superstitionem sui ab intellectu veræ religionis avertere, et cum sint ipsi pœnales, quærere sibi ad pœnam comites quos ad crimen suum fecerint errore [b] participes. Hi tamen, adjurati per Deum verum a nobis, statim cedunt et fatentur et de obsessis corporibus exire coguntur. Videas illos nostra voce et operatione [c] majestatis occultæ flagris cædi, igne torreri, incremento pœnæ propagantis extendi, ejulare, gemere, deprecari, unde veniant et quando discedant, ipsis etiam qui se colunt audientibus confiteri; et vel exsiliunt statim, vel evanescunt gradatim, prout fides patientis adjuvat aut gratia curantis aspirat. Hinc vulgus in odium nostri nominis cogunt, ut nos odisse incipiant homines antequam nosse, ne cognitos aut imitari possint aut damnare non possint.

VIII. Unus igitur omnium dominus est Deus [d]. A Neque enim illa sublimitas potest habere consortem, cum sola omnem teneat potestatem. Ad divinum imperium etiam de terris mutuemur exemplum. Quando umquam regni societas aut cum fide cœpit, aut sine cruore desiit? Sic Thebanorum [e] germanitas rupta, et permanens rogis dissidentibus etiam in morte discordia. Et Romanos geminos unum non capit regnum, quos unum uteri cedit hospitium. Pompeius et Cæsar affines fuerunt, nec tamen necessitudinis fœdus in æmula potestate tenuerunt. Nec hoc tu de homine mireris, cum in hoc omnis natura consentiat. Rex unus est apibus, et dux unus in gregibus, et in armentis rector unus: multo magis mundi unus est rector, qui universa quæcumque sunt verbo jubet, ratione dispensat, virtute consummat.

B IX. Hic nec videri potest, visu clarior est; nec comprehendi, tactu purior est; nec æstimari, sensu major est: et ideo sic eum digne æstimamus dum inæstimabilem dicimus. Quod vero templum habere possit Deus [f], cujus templum totus est mundus? et cum homo latius [g] maneat, intra unam ædiculam vim tantæ majestatis includam? In nostra dedicandus est

LECTIONES VARIANTES.

[a] Morbis *NC.* 2. *Routh.*
[b] Terrore *NC.* 3. *Routh.*
[c] Voce et oratione *Bod.* 3. *Lam. Thu. Foss. Mich. Lin. Corb. Lin. Spir.*
[d] Dominus unus est Deus *Gronov.*
[e] Theban. fratrum *Ver. quod glossema videtur Cellar.*
[f] Dei *Oxon.*
[g] Laxius *fort. Routh.*

VARIORUM NOTÆ.

mentes. Quamquam et Minutius, cap. XXVII, sect. 3, unde hæc transcripta videntur, *mentes* habet. CELLAR.

Illorum cessat. In duodecim libris antiquis legitur: *Cum illorum cultorum cessat injuria* vel *insania.* BALUZ. C

Cum sint ipsi pœnales, pœna digni. Salvianus *de Gubern. Dei*, lib. VI, pag. 220, *scelera pœnaliora.* Nec veteri auctoritate verbum caret. Plinius, lib. XVIII, cap. 11: *Tunditur alica pilo, vinctorum pœnali opera*, id est opera quæ pœnæ loco est. Sic Prudentius *in Laurentio*, vers. 193, dixit *pœnalis labor*, de damnatis in metalla. CELLAR.

[127] *Nostra voce.* Codex Veronensis, *non nostra voce, sed operatione.* BALUZ.

Imitari possint. Quamvis hæc lectio constans sit in omnibus veteribus libris et in omnibus editionibus, etiam apud Minutium, puto tamen vocem *possint* non congruere huic loco et reponendam esse aliam quæ significet paganos timuisse ne cogerentur vel impellerentur imitari Christianos. Nisi si vox illa tollenda est ab hoc loco, ut legatur simpliciter, *ne cognitos aut imitari aut damnare non possint.* Seneca, Epist. VII: *Necesse est aut imiteris aut oderis.* BALUZ.

VIII. — *Thebanorum Germanitas.* Vide Rigaltii ob- D servationes ad Minutium, pag. 189. BALUZ.

Rogis dissidentibus. Eteocles et Polynices cum mutuis vulneribus expirassent, illius quidem corpus concremandum rogo imponebatur; hujus vero corpus Creon, Menœti filius, sepulturæ tradi vetuit, quod patriam oppugnatum venerit. Neque tamen eo secius Antigona soror et Argia conjux, clam noctu Polynicis corpus sublatum, in eadem pyra, qua Eteocles imposuerunt. Refert hoc Hyginus *Fab.* LXXII. Obiter adhuc noto, ibidem *Fab.* LXXI, *Thebis funus separatur* legi debere, non *fumus.* Nam *funus* certe a Thebanis separatum, non item *fumus* e rogo ascendens. Siquidem pietas sororis et uxoris obstitit, quominus id fieret. CELLAR.

Rex unus est apibus. Hieronymus in Epistola *ad Rusticum* monachum; *Etiam muta animalia et ferarum greges ductores sequuntur suos. In apibus principes sunt.* Varro, lib. III, cap. 16, de Re rustica: *Regem suum sequuntur quocumque it, et fessum sublevant, et si nequit volare, succollant.* Vide Lactantium, lib. III, cap. 10; Senecam, l. I *de Clementia*, cap. 9; Ovidium, lib. III *Fastorum*, et Dionem Chrysostomum, Orat. IV et XLVIII. BALUZ.

Et cum homo latius maneat. Minutius cap. 32: *Cum homo laxius maneam.* Sic ibi cum Fulvio Ursino expressimus, quia Cicero, quem imitari solet Minutius, *habitare laxe*, pro domo sua cap. 44 dixit. Codices vero omnes Cypriani, si transcripsit Felicem, præ se *latius* ferunt, ut dubitare incipiam, an nec prior ille *latius*, ut Sabæus et Fr. Balduinus legunt, scripserit. CELLAR.

IX.—*Includam.* Ita omnes veteres editiones et omnia vetera exemplaria, Pithœano et Metensi exceptis, in quibus scriptum est *includam.* Hanc lectionem prætulit Manutius, et alii post eum. In Beccensi scriptum est *includatur.* In Fuxensi, *intra unam ædiculam vim tantæ majestatis concludi æstimas.* Sane apud Minutium legitur, *intra unam ædiculam vim tantæ majestatis includam.* Sed illic alia est constructio verborum. Novatianus in libro *de Trinitate* cap. 6: *Nec tamen Deus intra tabernaculum clausus continetur.* Cicero, lib. II de Legibus: *Patrum delubra esse in urbibus nosco; nec sequor magos Persarum, quibus auctoribus Xerxes inflammasse templa Græciæ dicitur, quod parietibus includerent deos, quibus omnia deberent esse patentia et libera, quorumque hic mundus omnis templum esset et domus.* Tacitus ita de Germanis scribit: *Cæterum nec cohibere parietibus deos neque in ullam humani oris speciem assimilare ex magnitudine cœlestium arbitrantur.* Ælius Lampridius in Alexandro Severo: *Adrianus templa in omnibus civitatibus sine simulachris jusserat fieri.* Sanctus Augustinus, lib. VIII Confess., c. 2: *Ergo parietes faciunt Christianos.* BALUZ.

In nostra dedicandus. Lactantius, cap. 23, de Ira Dei: *Sit nobis Deus non in templis, sed in corde nostro consecratus.* Idem lib. V. *Institut.*, cap. 8, ait Dei templum non esse in lapidibus aut luto, sed hominem ipsum qui figuram Dei gestat. BALUZ.

Digitized by Google

mente, in nostro consecrandus est pectore. Nec nomen Deo [a] quæras : Deus nomen est illi. Illic vocabulis opus est ubi propriis appellationum insignibus multitudo dirimenda est : Deo, qui solus est, Dei vocabulum totum est. Ergo unus est, et ubique totus diffusus est [b]. Nam et vulgus in multis Deum naturaliter confitetur, cum mens et anima sui auctoris et principis admonetur. Dici frequenter audimus, *o Deus*, et *Deus videt*, et *Deo commendo*, et *Deus tibi reddat*, et *quod vult Deus*, et *si Deus dederit*. Atque hæc est summa delicti, nolle agnoscere quem ignorare non possis.

X. Quod vero Christus sit, et quomodo per ipsum nobis salus venerit, sic est ordo, sic est ratio. Judæis primum erat apud Deum gratia. Sic olim justi erant, sic majores eorum religionibus obediebant [c]. Inde illis et regni sublimitas floruit, et generis [d] magnitudo provenit. Sed illi negligentes et indisciplinati et superbi postmodum facti, et fiducia patrum inflati, dum divina præcepta contemnunt, datam sibi gratiam perdiderunt. Quam vero fuerit illis profana vita, quæ contracta sit violatæ religionis offensa, ipsi quoque testantur qui, etsi voce tacent, exitu confitentur. Dispersi et palabundi vagantur; soli et cœli sui profugi, per hospitia aliena jactantur.

XI. Necnon Deus ante prædixerat fore ut, vergente sæculo et mundi fine jam proximo, ex omni gente et populo et loco cultores sibi allegeret Deus multo fideliores et melioris obsequii [e 573] qui indulgentiam de divinis muneribus haurirent [f], quam acceptam, Judæi contemptis religionibus, perdidissent. Hujus [g] igitur gratiæ disciplinæque arbiter [i] et magister Sermo et Filius Dei mittitur, qui per Prophetas omnes retro illuminator et doctor humani generis prædicabatur [h]. Hic est virtus Dei, hic ratio, hic sapientia ejus et gloria. Hic in virginem illabitur [i], carnem Spiritus sanctus induitur, Deus cum homine

LECTIONES VARIANTES.

[a] Dei *Thu. Foss. Mich. Vict.*
[b] Ubique ipse diffusus *Pem. Thu. Foss. Ver. Bod.* 3.
[c] Obediebant. Sed *Cam.*
[d] Genere *Mam. Mon.*
[e] Et melioris obsequii *hæc verba in nonnullis edd. desunt, in Gronov. adsunt.* Meliores obsequio et fide fortiores *ed. Lips. Routhio placuit. ex codd. nov. Ox.* 1, 2. *Tew. Drur.* Melioris obsequii et fidei fortioris.
[f] Haurirent, hujus *Thu. Mich. Vict.*
[g] Indulgentiæ, gratiæ, disciplinæque arbiter *Oxon. Pamel. Rigalt. Lindner.* Indulgentiæ igitur et gratiæ arbiter *Lips.*
[h] Prædicatur *Thu. Vict. Mich.* Deductor. *N.C.* 1, 2. *Drur.* 1. *Tew. Cellar. Gronov. Lindner. Routh.*
[i] Delabitur *Pem. Lam. Ver. Tew. Drur. Meerm. tres nov. Oxon. Cellar. Lindn. Routh.*

VARIORUM NOTÆ.

Nec nomen Deo quæras. Sic optimus Veronensis : et Minutiani quidam libri, cap. 18, quamquam ibi *Dei* scripsimus, Meursium secuti ; qui vero lectione Cypriani, quæ dubia est, ut vidimus, præcipue nitebatur. CELLAR.

Deus nomen est illi. Infra lib. II. *Testimonior.*, cap. 7, ex Isaia : *Ego Dominus Deus, hoc mihi nomen est.* Et in Psalmo LXVII. *Deus nomen illi.* BALUZ.

Dei vocabulum. Pamelius posuit *Deus.* Sic etiam Rigaltius et editio Anglicana. At omnes fere libri veteres et editiones Manutii et Morellii habent *Dei.* Quod certe melius esse facile animadvertet qui rem attente consideraverit. BALUZ.

X.—*Judæis primum.* Tertullianus in Apologetico : *Judæis erat apud Deum gratia ob insignem justitiam et fidem originalium auctorum.* BALUZ.

Negligentes. Multam variant in hoc loco vetera exemplaria. Eorum nonnulla et veteres editiones habent *negligentes disciplinæ superbi postmodum facti.* Alia omittunt vocem *negligentes* et vocem *superbi*, habent autem tantum *et indisciplinati postmodum.* Fuxense, *sed illi negligentes disciplinam postmodum inobedientes facti.* BALUZ. — *Indisciplinati.* Usus hoc verbo est etiam Vulgatus interpres Sapientiæ libri, c. 17, comm. 1. Gloss. vet. *indisciplinatus*, ἀμαθής, LINDNER.

XI. — *Multo fideliores.* Tertullianus in *Apologetico* loquens de Judæis, qui culpa sua amiserant gratiam Dei, cum cœli et soli sui extorres essent, ait sanctas voces illis prænuntiasse *uti sub extremis curriculis sæculi ex omni gente et populo et loco cultores sibi adlegeret Deus multo fideliores.* Lactantius, cap. XLIII Epitomes, *aliam sibi plebem fideliorem de exteris gentibus congregaret.* Plures libri veteres et editiones hoc apud Cyprianum præferunt *multo meliores.* In Fuxensi legitur, *multo meliores obsequio et fide fortiores.* In Burgundico, in Tornacensi, et in Gratianopolitano, *multo melioris obsequii et fidei fortioris.* Atque ita se legisse in antiquo exemplari testatur Rigaltius in Observationibus suis ad *Apologeticum* Tertulliani. Alii tres antiqui, *multo fidelioris et melioris obsequii.* Turonensis, *multo fidei fortiores.* Carnotensis, *multo faciliores.* At *feliciores* pro *faciliores* scriptum est in codice sancti Arnulphi. BALUZ.

Quam acceptam. Codex Fuxensis, *qua et accepta Judæi et contempta majestate ejus perdiderunt indulgentiam. Igitur ob istius gratiæ disciplinam arbiter*, etc. In codice sancti Arnulphi et in Beccensi desunt ista, *quam acceptam Judæi contemptis religionibus perdidissent.* BALUZ.

[573] *Illuminator et doctor.* Vide Tertullianum loco mox laudato, BALUZ. — Sic antiquissimo quoque libro manu exarato legitur : Vulgaribus *doctor.* Sed præstat, quod antiquius, quia ex Tertulliani Apologetico hausta verba, quo eadem hoc ordine cap. 21 leguntur : *Hujus igitur gratiæ disciplinæque arbiter et magister, illuminator atque deductor generis humani Filius Dei annuntiabatur.* LINDNER.

Carnem spiritus. Ita Rigaltius in prima sua libri istius editione emissa cum Minutio Felice, atque ita habere ait vetustiora exemplaria. Nonnulli veteres libri et vulgatæ editiones habent, *carnem Spiritu sancto cooperante induitur.* Deest illud *cooperante* in libro Beccensi. Codices Remigianus, Divionensis, recens Victorinus et unus Regius habent, *carne Spiritu sancto induitur.* Sic etiam emendatum est ex libro veteri in margine editionis Lugdunensis anni 1544. Sic etiam scriptum erat in libro Flori. Codex antiquus Sangermanensis optimæ notæ sic habet : *Carne Spiritus sanctus induitur.* Quam scripturam Pamelius reperit in quatuor mss. Erasmus retinuit vulgatam lectionem, sed in margine posuit, *carnem Spiritus sanctus induitur.* Præferenda hæc lectio, tum quia nititur veteribus libris, tum quia vox illa *cooperante* videtur esse glossema. Est autem antiquis Patribus familiare Christum vocare Spiritum sanctum. Hermas, lib. III, *Similit.* 5, sic loquitur de Christi corpore : *Hoc ergo corpus, in quod inductus est Spiritus sanctus.* Justinus Apolog. II : *Spiritum ergo ac virtutem Dei nefas est aliud intelligi, nisi verbum*, etc. Irenæus, lib. V, cap. 1, postquam dixit, *Spiritus sanctus descendit in Mariam*, statim subjicit : *Verbum Patris*

Digitized by Google

miscetur. Hic Deus noster, hic Christus est, qui mediator duorum, hominem induit, quem perducat ad Patrem. Quod homo est esse Christus voluit, ut et homo possit esse quod Christus est.

XII. Sciebant et Judæi Christum esse venturum. Nam hic illis [a] semper, Prophetis admonentibus, annuntiabatur. Sed significato duplici ejus adventu, uno qui exercitio et exemplo hominis fungeretur, altero qui Deum fateretur [b], non intelligendo primum adventum, qui in passione præcessit occultus, unum tantum credunt qui erit in potestate manifestus. Quod autem hoc Judæorum populus intelligere non potuit, delictorum meritum fuit. Sic erant sapientiæ et intelligentiæ cœcitate mulctati, ut qui vita indigni essent haberent vitam ante oculos nec viderent.

XIII. Itaque, cum Christus Jesus, secundum a Prophetis ante prædicta, verbo et vocis imperio dæmonia de hominibus excuteret, paralyticos restringeret, leprosos purgaret, illuminaret cæcos, claudis gressum daret, mortuos rursus animaret, cogeret sibi elementa famulari, servire ventos, maria obedire, inferos cedere, Judæi, qui illum crediderant hominem tantum de humilitate carnis et corporis, existimabant magum de licentia potestatis. Hunc magistri eorum atque primores, hoc est, quos et doctrina ille et sapientia revincebat, accensi ira [c] et indignatione provocati, insecuti sunt [d], et postremo detentum Pontio Pilato, qui tunc ex parte Romana Syriam procurabat, tradiderunt, crucem ejus et mortem suffragiis violentis ac pertinacibus [e] flagitantes [f].

XIV. Hoc eos facturos et ipse prædixerat, et Prophetarum omnium testimonium sic ante præcesserat, oportere illum pati, non ut sentiret mortem [g], sed ut vinceret; et cum passus esset, ad superos denuo regredi, ut vim divinæ majestatis ostenderet. Fidem itaque rerum cursus implevit. Nam et crucifixus, prævento carnificis officio, spiritum sponte dimisit, et die tertio rursus a mortuis sponte surrexit. Apparuit discipulis suis talis [h] qualis et fuerat, agnoscendum se videntibus præbuit, simul vinctus [i] et substantiæ corporalis firmitate conspicuus, ad dies quadraginta remoratus est, ut de eo ad præcepta vitalia instrui possent, et discerent quæ docerent. Tunc in cœlum circumfusa nube sublatus est, ut hominem quem di-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Hoc illis *Pem. Vir. Gronov.* Monentibus 7 *codd. edit. princ. Routh.*

[b] Fateretur. Non *Lindn.*

[c] Accensa ira et indignatione provocata *Thu. Foss. Vict. Mich. Lindn.*

[d] Insecuti sunt et *addiderunt Bal. et Routh, qua de causa nescio, inquit Goldhorn.*

[e] Suffragiis pertinacibus. *Cætera rejiciunt Pem. Thu. Foss. Mich. Vict. Corb.*; *uncis includit Lindner.*

[f] Flagitarent *Lam. Vict.*

[g] *Sic Thu. Foss. Vict. Corb. Mich. Lam. Voss.* 3. *Spir. Rem. Er. Man. Routh. Lips.* Tantum mortem *Oxon.* [Tantum] *Lindn.*

[h] Talis *omitt. Routh. ex NC.* 2, 3. Talis ut fuerat *NC.* 1. *Drur.* 1. *Tew. Mcerm.*

[i] Junctus *Oxon.* Junctis *MR. Veron. Lindn. Routh. Goldhorn.*

VARIORUM NOTÆ.

et Spiritus Dei adunitus antiquæ substantiæ plasmationis Adæ, viventem et perfectum effecit hominem. Tertullianus, lib. de *Carne Christi*, n. 18: *Sic denique homo cum Deo, dum caro hominis cum Spiritu Dei.* Plura vide apud doctissimum Petrum Coustant monachum Benedictinum in præfatione ad opera sancti Hilarii episcopi Pictaviensis, § 57. Cæterum hoc addo theologos scholasticos disputare an Spiritus sanctus dici possit pater Jesu Christi. Vide Thomam de Argentina, lib. III, dist. 4, art. 4. BALUZ. (Cf. Nourrii observ. ad h. l. *Dissert.*, tom. præced. et in Lump. *Hist. PP.* t. XI, p. 116 et seqq.). — Sic e Beneventano codice: cæteri, *carnem Spiritus sanctus induitur*, quæ si genuina scriptura Cypriani est, *Spiritus* ipse λόγος intelligatur oportet. Vulgatis insertum *cooperante*, quod abest a scriptis: Tres insignes *delabitur*: alii, *illabitur*. LINDNER.

XII. — *Sciebant et Judæi.* Ista et quæ sequuntur ferme sumpta sunt omnia ex capite XII *Apologetici* Tertulliani. BALUZ.

Sapientiæ. In codice Burgundico scriptum est *insipientiæ cæcitate multati*. BALUZ.

XIII. — *Crediderant hominem tantum.* Rufinus in Psal. II de Christo adversum Judæos: *Quia hunc in carne humilem viderunt, superbo corde et cæco contempserunt.* Item in Psal. XIII. *Contempsistis humilem adventum filii Dei.* BALUZ.

Syriam procurabat. Bene, *procurabat*, quia Tacitus Pontium Pilatum *procuratorem* dixit, lib. XV, cap. 44: minus autem vere *Syriam*, quæ sub legato consulari erat, nominavit; Pilatus enim Palæstinæ tantum, nec illi omni, sed Archelai ethnarchiæ in provinciam redactæ, sive Judeæ et Samariæ, præfectus fuit. Josephus, lib. II de Bello, cap. 14 inquit: Πεμφθεὶς δὲ εἰς Ἰουδαίαν ἐπίτροπος ὑπὸ Τιβερίου Πίλατος, *Missus autem a Tiberio Pilatus in Judæam procurator.* CELLAR. Errat noster cum Tertulliano, ecclesiæ Carthaginensis presbytero, quem sequitur, in *Apol.*, *cap.* 21, sic dicentem: *Ad doctrinam ejus primores Judæorum ita exasperabantur..... ut postremo oblatum Pontio Pilato Syriam tunc ex parte Romana procuranti violentia suffragiorum in crucem Jesum dedi sibi extorserint.* LINDNER.

Non ut sentiret tantum mortem. Illud *tantum* in plurimis mss. non exstat. Sic *sentire mortem* erit ἰδεῖν διαφθοράν ut Græci interpretes Psal. XVI, 10, et cum iis Lucas, Act. II, 31, reddiderunt. LINDNER.

Apparuit discipulis suis talis, ut ante fuerat. Sic exhibuit Gronovius, quia vocem penultimam fatetur Rigaltius vitiose excidisse ex editione sua; et quartam vocem præbet Oxoniensis. LINDNER.

XIV. — *Vinctus.* Hanc lectionem, quam puto esse meliorem, exhibent novem libri veteres. Alii quidam habent *junctus*. Unus vetus et quædam veteres editiones habent *victus*. Quod ostendere potest scriptum fuisse *vinctus*; sed postea emendatum est antiquitus ut legi deberet *victus*. Videtur itaque ea lectio melior esse quæ habet *vinctus*, tamquam si Christus discipulis suis apparuisset cum fasciis et institis in quibus corpus ejus positum fuerat in sepulchro, cum sindone in qua Joseph ab Arimathæa corpus illius involverat. Nam et incredulis ostendit manus suas et pedes in quibus impressa erant signa clavorum, quæ ostendit etiam Thomæ incredulo, ut est in capite XX Evangelii secundum Joannem. BALUZ.

Ad dies quadraginta: Istud est certissimum; et non admonerem, nisi vidissem in capite 47 Epitomes Lactantii scriptum esse *quinquagesimo die* in editione Pfaffii. Nam et ipse Lactantius, lib. IV, cap. 21, posuit *quadraginta*. BALUZ.

In cœlum sublatus Nulla istic mentio descensus Christi ad inferos. Sed Cyprianus in libro secundo *Testimoniorum* hoc dogma commemorat, illudque probat ex testimoniis Veteris et Novi Testamenti. Sic enim habet caput vigesimum quartum: *Quod a morte non*

Digitized by Google

lexit, quem induit, quem a morte protexit, ad Patrem victor imponeret, jam venturus e cœlo ad pœnam diaboli et ad censuram generis humani [a] ultoris vigore et judicis potestate; per orbem vero discipuli, magistro et Deo monente, diffusi præcepta in salutem darent [b], ab errore tenebrarum ad viam lucis adducerent, cæcos et ignaros ad agnitionem veritatis ocularent.

XV. Ac, ne esset probatio minus solida et de Christo delicata confessio, per tormenta, per cruces, per multa pœnarum genera tentantur. Dolor, qui veritatis testis est, admovetur ut Christus Dei Filius, qui hominibus ad vitam datus creditur, non tantum præconio vocis, sed et passionis testimonio prædicaretur. Hunc igitur comitamur, hunc sequimur, hunc habemus itineris ducem, lucis principem, salutis auctorem, cœlum pariter et Patrem quærentibus et credentibus pollicentem. Quod est Christus erimus Christiani, si Christum fuerimus imitati [c].

LECTIONES VARIANTES.

[a] In *conjic. Routh.*
[b] Dare... adducere... ocularе *Voss.* 5.
[c] Secuti *Pem. Lam. Thu. Vict. Foss. Mich. Nov. NC. Drur.* 1. *Meerm. Vindobon. Remb. Froben. Hernag. Lindn. Routh.*

VARIORUM NOTÆ.

vinceretur, nec apud inferos remansurus esset. Et caput vigesimum quintum : *Quod ab inferis tertio die resurgeret.* Quamvis autem idem dogma scriptores Cypriano antiquiores similiter prædicent, in nonnullis tamen symbolis non videtur conceptis verbis fuisse expressum, quia descensus ad inferos satis videbatur indicari, cum Christus sepultus diceretur. Hinc Rufinus in expositione in Symbolum : *Sciendum sane est*, inquit, *quod in Ecclesiæ Romanæ Symbolo non habetur additum*, descendit ad inferna, *sed neque in Orientis Ecclesiis habetur hic sermo; vis tamen verbi eadem videtur esse in eo quod sepultus dicitur.* Ex quo facile colligitur non recte reprehensum fuisse Rufinum ab Henrico Vito Oosthovio in libro *de Descensu Christi ad inferos.* Rufinus enim, qui alibi non uno loco scribit Christum descendisse ad inferna, non ait Christum non descendisse ad inferos, sed tantum *descendit ad inferna* non haberi in Symbolo Ecclesiæ Romanæ neque in Orientis Ecclesiis. Etiam ævo Innocentii papæ IV deerat in Symbolo quod Catholicus Jacobitarum ad eum misit ut probaret se tenere fidem Ecclesiæ Romanæ. Editum illud est ad annum 1247 ab Oderico Raynaldo. Vide Bellarminum, lib. II *de Verbo Dei*, cap. 6, et Rigaltium ad librum Tertulliani [574] *de Præscriptionibus adversus hæreticos.* Vide etiam *Apologiam* Joannis Pici Mirandelæ, ubi fusu disputat de descensu Christi ad inferos, et Petrum Fabrum Sanjorianum, l. III Agonisticon, c. 10, p. 265. BALUZ.

Ocularent. Visum darent. Tertulliani verbum quo magistro sæpe Cyprianus usus est. Libro de Pœnitentia, cap. 12. *Hirundo si excæcaverit pullos, novit illos ocularе rursus de sua chelidonia.* Et metaphorice libro de Pudicitia, cap. 8 : *In vestibus purpura oculandis.* LINDNER.

XV. — *Dolor veritatis testis.* Vide quæ in simili argumento diximus supra in Epistolam *ad Demetrianum*, pag. 563. Hieronymus in Epistola apologetica ad Asellam : *Veritatem magis exprimunt tormenta quam risus.* BALUZ.

Prædicaretur. Codex Veronensis et alii septem veteres habent *probaretur.* BALUZ.

Lucis principem. Codex Fuxensis, *spei nostræ principem.* Sanctus Ambrosius, lib. III *de Fide*, cap. 7, Christum vocat principem humilitatis. BALUZ.

Si Christum fuerimus imitati. Veteres editiones et plures libri veteres habent *secuti.* Aliam lectionem inveni in editione quæ dicitur Gravii et in aliquot vetustis exemplaribus. Libellus precum Marcellini et Faustini : *Perdit enim in se Christiani nominis appellationem qui Christi non sequitur disciplinam.* BALUZ.

[219]

LIBER
DE MORTALITATE.

ARGUMENTUM. — *Paucis argumentum explicat D. Pontius in Vita Cypriani : « A quo, inquit, Christiani mollioris affectus circa amissionem suorum aut, quod majus est, fidei parvioris, consolarentur spe futurorum. » In primis enim, ubi prædictas docuit ejuscemodi afflictiones a Christo, non timendam docet mortalitatem seu pestem, eo quod ad immortalitatem ducat, atque adeo fidem illi deesse qui non ad meliora festinat. Neque mirum quod Christiano cum gentilibus sint mala hujus vitæ communia, cum plus cæteris illis in sæculo sit laborandum : atque proinde exemplo sanctorum Job et Tobiæ, patientia opus esse, neque murmurandum. Nisi enim præcesserit pugna, non posse victoriam contingere, et quantum-*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

DE MORTALITATE. — Hujus libri cum laude mentionem sæpe facit sanctus Augustinus, in primis vero in libro *de Prædestinatione sanctorum*, c. 14, inquiens illum multis ac pene omnibus qui ecclesiasticas litteras amant laudabiliter notum. Idem in Epistola *ad Vitalem* ait Cypriani in hoc loco totam intentionem esse ut sciamus bonis fidelibus gratulandum esse morientibus, quando vitæ tentationibus auferuntur, deinceps in beatissima securitate mansuri. Ejusdem libri meminit Eusebius in Chronico. *Pestilens morbus*, inquit, *multas totius orbis provincias occupavit, maximeque Alexandriam et Ægyptum, ut scribit Dionysius, et Cypriani de Mortalitate testis est liber.* Ubi vide notas Josephi Scaligeri. Eadem habet etiam Jornandes in libro *de Rebus Geticis*, ubi scribit hanc cladem lacrymabiliter expositam a Dionysio, *quam et noster*, inquit, *conscripsit venerabilis martyr Christi episcopus Cyprignus in libro cui titulus est de Mortalitate.* Eam pestilentiam Eusebius ponit post mortem papæ Cornelii, Petavius, lib. XIII *de Doctrina temporum*, anno superiore. Et tamen Christophorus Sandius hunc Cypriani tractatum reponit inter eos qui suppositi sunt sancto Martyri. Egregie vero illum refutat clarissimus Pearsonius in *Annalibus Cyprianicis.* Nimia miseria est audacem esse hominem nimis.

Digitized by Google

vis morbi communes sint virtutibus vitiisque, mortem tamen communem non esse; ad refrigerium enim justos, ad supplicium rapi injustos. Deinde objectioni tacitæ quod per hanc mortalitatem privarentur martyrio, respondet; non esse in nostra potestate martyrium, et vel animum ad martyrium promptum Deo judice coronari. Postremo non ita lugendos docet mortuos, ut gentilibus scandalo simus, tamquam spe resurrectionis careamus. Quin si et nostræ accersitionis dies venerit, lubenti animo ad Dominum hinc emigrandum, præsertim cum ad patriam transmigremus : ubi nos magnus charorum numerus exspectat, frequens et copiosa turba desiderat, jam de sua immortalitate secura, et adhuc de nostra salute sollicita, facit autem occasionis qua librum hunc scripsit mentionem Eusebius in Chronico : « Pestilens morbus, inquit, totius orbis multas provincias occupavit, maximeque « Alexandriam et Ægyptum, ut scribit Dionysius, et « Cypriani de Mortalitate testis est liber. »

[339] Etsi apud plurimos vestrum, fratres dilectissimi, mens solida est et fides firma et anima devota, quæ ad præsentis mortalitatis copiam non movetur, sed tamquam petra fortis et stabilis turbidos impetus mundi et violentos sæculi fluctus frangit potius ipsa nec frangitur, et tentationibus non vincitur, sed probatur, tamen quia animadverto in plebe quosdam vel imbecillitate animi, vel fidei parvitate, vel dulcedine sæcularis vitæ, vel sexus mollitie, vel, quod majus est, veritatis errore minus stare fortiter nec pectoris sui divinum atque invictum robur exercere, dissimulanda res non fuit nec tacenda quo minus quantum nostra mediocritas sufficit, vigore pleno et sermone de dominica lectione concepto delicatæ mentis ignavia comprimatur, et qui homo Dei et Christi esse jam cœpit, Deo et Christo dignus habeatur.

II. Agnoscere enim se debet, fratres dilectissimi, qui Deo militat, qui positus in cœlestibus castris divinam jam sperat, ut ad procellas et turbines mundi trepidatio nulla sit in nobis, nulla turbatio, quando hæc ventura prædixerit Dominus providæ vocis hortatu instruens et docens et præparans atque corroborans Ecclesiæ suæ populum ad omnem tolerantiam futurorum, bella et fumes et terræ motus et pestilentias per loca singula exsurgere prænuntiavit et ecccinit. Et ne inopinatus nos et novus rerum infestantium metus quateret, magis ac magis in novissimis temporibus adversa crebrescere ante prænonuit. Fiunt ecce quæ dicta sunt; et quando fiunt quæ ante prædicta sunt, sequentur et quæcumque promissa sunt, Domino ipso pollicente et dicente : *Cum autem videritis hæc omnia fieri, scitote quoniam in proximo est regnum Dei.* (*Luc.* XXI, 31). Regnum Dei, fratres dilectissimi, esse cœpit in proximo. Præmium vitæ et gaudium salutis æternæ, et perpetua securitas [a], et possessio paradisi nuper amissa, mundo transeunte jam veniunt; jam terrenis cœlestia et magna parvis et caducis æterna succedunt. Quis hic anxietatis et sollicitudinis locus est? Quis inter hæc trepidus et mœstus est, nisi cui spes et fides deest? Ejus est enim mortem timere qui ad Christum nolit ire. Ejus est ad Christum nolle ire qui se non credat cum Christo incipere regnare.

III. Scriptum est enim justum fide vivere (*Rom.* I, 17). Si justus es, et fide vivis, si vere in Christum credis, cur non cum Christo futurus et de Domini pollicitatione securus quod ad Christum voceris amplecteris, et quod diabolo careas gratularis. Simeon denique ille justus, qui vere justus fuit, qui fide plena Dei præcepta servavit, dum ei divinitus responsum fuisset quod non ante moreretur quam Christum vidisset, et Christus infans in templum cum matre venisset, agnovit in Spiritu natum esse

LECTIONES VARIANTES.

[a] Lætitia— *Ita edd. prope omnes, et Augustin. contra duas epist. Pelag.* IV, 8. *Baluz. ratione non allata :* Securitas (*Goldhorn*).

VARIORUM NOTÆ.

Præsentis mortalitatis. Describit eleganter hanc miseram cladem Pontius in Vita sancti Cypriani.

Delicatæ mentis. Tertullianus in libro de Spectaculis: *Delicatus es, christiane, si et in sæculo voluptatem concupiscis.*

Sufficit. Sic scribendum esse arbitratus sum propter auctoritatem codicis Veronensis et Seguieriani, et quia eadem lectio reperitur in aliis viginti libris nostris et in decem Anglicanis. Veteres editiones et quinque libri veteres habent *potest.*

Invictum. Duo libri veteres *incoruptum.*

II. *Sperat.* Angeli posuerunt *spirat* auctoritate septem veterum exemplarium. Quæ sane lectio bona est, eamque confirmant duo nostra vetera. Verum quia reliqua et aliæ editiones habent *sperat*, quæ lectio quoque bona est, mutare noluimus.

Turbatio. Antea legebatur *cunctatio.* Sed ego hanc lectionem non reperi nisi in tribus codicibus antiquis. Eam quam retinui habent XXIV libri nostri et septem Anglicani, et in primis Veronensis.

Tolerantiam futurorum. Citat hunc locum Hincmarus tom. I, pag. 72, ex libro *de mortalitate*, ubi tamen Sirmondus monet in margine sumptum esse ex libro de Unitate Ecclesiæ sub finem.

Cecinit. Et istud quoque ponendum fuit propter auctoritatem veterum librorum et editionum. Erasmus scripsit *docuit*, itemque Manutius. Hanc vero lectionem ego non reperi nisi in tribus codicibus antiquis. Aliam, quæ est nostra, præferunt novendecim libri nostri et undecim Anglicani. Veronensis ita etiam habebat.

Regnum Dei fratres. Refert hunc locum sanctus Augustinus lib. IV contra duas epistolas Pelagianorum cap. 8.

[377] *Incipere.* Codex Sorbonicus *in perpetuo.* Alius vetus *cum Christo perpetuo regnaturum.* Hanc postremam lectionem accepi ex margine editionis Lugdunensis anni 1544, ubi positæ sunt ab aliquo viro erudito variæ lectiones petitæ ex antiquis codicibus manuscriptis. Cum eas allego, ut id quoque obiter dicam, moneo simpliciter me sumpsisse ex uno veteri libro, ne quis existimare possit me fallere quia non dico unde accepta sit lectio.

Digitized by Google

jam Christum, de quo sibi fuerat ante prædictum; quo viso, scivit se cito esse moriturum. Lætus itaque de morte jam proxima, et de vicina accersitione securus, accepit in manus puerum, [330] et benedicens Dominum exclamavit et dixit: *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace, quoniam viderunt oculi mei salutare tuum* (*Luc.* II, 29, 30); probans scilicet atque contestans tunc esse servis Dei pacem, tunc liberam, tunc tranquillam quietem, quando, de istis mundi turbinibus extracti, sedis et securitatis æternæ portum petimus, quando expuncta hac morte ad immortalitatem venimus. Illa est enim vera [a] pax, illa fida tranquillitas, illa stabilis et firma et perpetua securitas.

IV. Cæterum, quid aliud in mundo, quam pugna adversus diabolum, quotidie geritur, quam adversus jacula ejus et tela conflictationibus assiduis dimicatur? Cum avaritia nobis, cum impudicitia, cum ira, cum ambitione congressio est, cum carnalibus vitiis, cum illecebris sæcularibus assidua et molesta luctatio est. Obsessa mens hominis et undique diaboli infestatatione vallata [b] vix occurrit singulis, vix resistit. Si avaritia prostrata est, exsurgit libido: si libido compressa est, succedit ambitio: si ambitio contempta est, ira exasperat, inflat superbia, vinolentia invitat, invidia concordiam rumpit, amicitiam zelus abscindit. Cogeris maledicere quod divina lex prohibet, compelleris jurare quod non licet.

V. Tot persecutiones animus quotidie patitur [c], tot periculis pectus urgetur; et delectat hic inter diaboli gladios diu stare, cum magis concupiscendum sit et optandum ad Christum, subveniente velocius morte [d], properare, ipso instruente nos et dicente [e]: *Amen amen dico vobis quoniam vos plorabitis et plangetis, sæculum autem gaudebit; vos tristes eritis, sed tristitia vestra in lætitiam veniet* (*Joan.* XVI, 20). Quis non tristitia carere optet? quis non ad lætitiam venire festinet? Quando autem in lætitiam veniat nostra tristitia Dominus denuo ipse declarat dicens: *Iterum* [f] *videbo vos, et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo auferet a vobis* (*Ibid.* 22). Cum ergo Christum videre gaudere sit, nec possit esse gaudium nostrum nisi cum viderimus Christum, quæ cæcitas animi quæve dementia est amare pressuras et pœnas et lacrymas mundi, et non festinare potius ad gaudium quod numquam possit auferri?

VI. Hoc autem fit, fratres dilectissimi, quia fides deest, quia nemo credit vera esse quæ promittit Deus, qui verax est, cujus sermo credentibus æternus et firmus est. Si tibi vir gravis et laudabilis aliquid polliceretur, haberes utique pollicenti [g] fidem, nec te falli aut decipi ab eo crederes quem stare in sermonibus atque in actibus suis scires. Nunc Deus tecum loquitur; et tu mente incredula perfidus fluctuas! Deus tibi de hoc mundo recedenti immortalitatem atque æternitatem pollicetur; et tu dubitas! Hoc est Deum omnino non nosse; hoc est Christum, credentium [h] dominum et magistrum, peccato incredulitatis offendere; hoc est in Ecclesia constitutum, fidem in domo fidei non habere.

VII. Quantum prosit exire de sæculo Christus ipse salutis atque utilitatis nostræ magister ostendit; qui, cum discipuli ejus contristarentur quod se jam diceret recessurum, locutus est ad eos dicens: *Si me dilexissetis, gauderetis utique, quoniam vado ad Patrem* (*Joan.* XIV, 23), docens scilicet et ostendens, cum

LECTIONES VARIANTES.

[a] *Sic Baluz. ratione non prodita: cæteri omnes* Nostra pax.
[b] Circum vallata *Lam. Ebor. Bod.* 3, 4.
[c] Tot persecutionibus mens quotidie quatitur *Voss* 1. *NC.* 2. *Ita etiam in libro de Patientia.*
[d] Veloci morte *Pem. Voss.* 2. *NC.* 2.
[e] Et monente *Lam. Voss* 1. *Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2, 3.
[f] Iterum autem *Lam. Voss.* 1. *Ebor NC.* 1. *Voss.* 1, 2.
[g] Haberes pollicenti *Lam. Ebor. NC.* 1. *Voss.* 1, 2.
[h] Credendi magistrum *Veron. Ren. Paris. Lam. Ebor. Lin. NC.* 1, d. *Voss.* 1, 2, *Bod.* 2, 4. *Manut.* Credentium magistrum peccato *Routh. Goldhorn.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

III.—*Expuncta.* Sex libri nostri, quatuor item quos Pamelius laudat, unus Morellianus et unus Anglicanus habent *expugnata*, alii duo *extincta*, alius *expulsa*. Nos secuti sumus meliores codices, qui habent *expuncta*.

IV.—*Cum avaritia.* Hunc locum refert sanctus Augustinus lib. IV, *contra duas Epistolas Pelagianorum*, cap. 10, et lib. II *contra Julianum*, cap., 8.

Carnalibus vitiis. Augustinus lib. VI *Operis imperfecti contra Julianum*, cap. 14: *Hic est ille conflictus quem memoratus martyr in libro quem de Mortalitate conscripsit diligenter et eloquenter explicat, dicens inter cætera quod nobis sit cum carnalibus vitiis atque illecebris sæcularibus assidua et molesta luctatio.*

Assidua. Veteres editiones et septem libri veteres habent *assidua et jugis et molesta*. Sic etiam quatuor Anglicani. Sed multo plures non habent *et jugis*. Quæ desunt etiam apud Augustinum in locis mox adducendis. Et tamen in initio libri *de Opere et Eleemosynis*, pag. 237, legitur *assidua et jugis operatio*.

V.—*Diaboli gladios.* In codice Lætiensi legitur *laqueos* et supra lineam *vel gladios*. Hinc orta discrepantia lectionum in libris veteribus. Quidam enim maluerunt *laqueos*, alii *gladios*. Unus meus habet *laqueos et gladios*. Admonet autem Pamelius se vidisse *laqueos* scriptum in quatuor libris veteribus, sed aliam lectionem retinuisse, quia exstat apud Augustinum.

Cum viderimus. Viginti sex antiqui codices habent *quis* vel *qui viderit*. Alii quatuordecim præferunt *credendi* vel *credere*.

VII.—*Utilitatis.* Dubium est an legi debeat *utilitatis* vel *humilitatis*. Nam quatuor libri præferunt *utilitatis* et supra lineam *vel humilitatis*. Duo alii *utilitatis* tantum. Alii duo *humilitatis* tantum. Itaque liberum fuit librariis ponere lectionem quam mallent. Ego lubenter præferrem *humilitatis*, quia certum est Christum fuisse doctorem et magistrum humilitatis, ut ipse Cyprianus eum vocat in Epistola LVI, pag. 91, *ad Thibaritanos*, Hieronymus in Epistola *ad Antonium*, Augustinus, cap. 31 XXXIII libri *de Virginitate* et alibi, sanctus Ambrosius lib. III, cap. 7, *de Fide*, et Cæsarius Arelatensis in calce undecimæ Homiliæ earum quæ a nobis editæ sunt. Petrus Blesensis sermone tertio eum vocat humilem magistrum et doctorem humilitatis. Huc facit quod Tertullianus in libro *de Virginibus velandis* ait nihil esse Deo charius humilitate. Retinui tamen *utilitatis*, quia hæc lectio bona est et reperitur in libris emendatioribus.

Digitized by Google

chari quos diligimus de sæculo exeunt, gaudendum potius quam dolendum. Cujus rei memor beatus apostolus Paulus in Epistola sua ponit et dicit: *Mihi vivere Christus est, et mori lucrum* (*Philip.* I, 21); lucrum maximum computans jam sæculi [a] laqueis non teneri, jam nullis peccatis et vitiis carnis obnoxium fieri, exemptum pressuris angentibus, et venenatis diaboli [b] faucibus liberatum, ad lætitiam salutis æternæ Christo vocante proficisci.

VIII. Atenim quosdam [361] movet quod æqualiter cum gentilibus nostros morbi istius valitudo corripiat; quasi ad hoc crediderit Christianus, ut, immunis a contactu malorum, mundo et sæculo feliciter perfruatur, et non omnia hic adversa perpessus, ad futuram lætitiam reservetur. Movet quosdam quod sit nobis cum cæteris mortalitas ista communis. Quid enim nobis in hoc mundo non commune cum cæteris quamdiu adhuc, secundum legem primæ nativitatis, manet caro ista communis? Quoadusque istic in mundo sumus, cum genere humano carnis æqualitate conjungimur, spiritu separamur. Itaque, donec corruptivum istud induat incorruptionem, et mortale hoc accipiat immortalitatem (I *Cor.* XV, 53), et Christus [c] nos perducat ad Deum Patrem, quæcumque sunt carnis incommoda sunt nobis cum humano genere communia. Sic, cum fœtu sterili terra jejuna est, neminem fames separat. Sic, cum irruptione hostili civitas aliqua possessa est, omnes simul captivitas vastat. Et quando imbrem nubila serena suspendunt, omnibus siccitas una est. Et cum navem scopulosa saxa constringunt [d], navigantibus naufragium sine exceptione commune est. Et oculorum dolor, et impetus febrium, et omnium valitudo membrorum cum cæteris communis est nobis quamdiu portatur in sæculo caro ista communis.

IX. Quinimmo, si qua conditione, qua lege crediderit Christianus noscat et teneat, sciet plus sibi quam cæteris in sæculo laborandum, cui magis sit cum diaboli impugnatione luctandum. Docet et prænonet Scriptura divina dicens: *Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia et timore, et præpara animam tuam ad tentationem.* Et iterum: *In dolore sustine, et in humilitate tua patientiam habe, quoniam in igne probatur aurum et argentum* [e], *homines vero receptibiles in camino humiliationis* (*Eccli.* II, 1, 4, 5).

X. Sic Job post rerum damna, post pignorum funera, vulneribus quoque et vermibus graviter afflictus, non victus est, sed probatus; qui in ipsis conflictationibus et doloribus suis patientiam religiosæ mentis ostendens ait: *Nudus exivi de utero matris, nudus etiam ibo sub terram. Dominus dedit, Dominus abstulit. Sicut Domino visum est, ita factum est. Sit nomen Domini benedictum* (*Job.* I, 21). Et cum eum uxor quoque compelleret ut, vi doloris impatiens, aliquid adversus Deum querula et invidiosa voce loqueretur, respondit et dixit: *Tanquam una ex ineptis mulieribus locuta es. Si bona excepimus de manu Domini, mala cur non tolerabimus? In his omnibus quæ contigerunt ei, nihil peccavit Job labiis suis in conspectu Domini* (*Job* II, 10). Itaque illi Dominus Deus perhibet testimonium dicens: *Animadvertisti puerum meum Job? Non enim est similis illi quisquam in terris, homo sine querela, verus Dei cultor* (*Ibid.*, I, 8). Et Tobias, post opera magnifica, post misericordiæ suæ multa et gloriosa præconia, cæcitatem luminum passus, timens et benedicens in adversis Deum, per ipsam corporis sui cladem crevit ad laudem; quem et ipsum uxor sua depravare tentavit dicens: *Ubi sunt justitiæ tuæ* [f]? *Ecce quæ pateris* (*Tob.* II, 14). At ille, circa timorem Dei stabilis et firmus, et ad omnem tolerantiam passionis fide religionis armatus, tentationi uxoris invalidæ in dolore non cessit, sed magis Deum patientia majore promeruit. Quem postmodum Raphael angelus collaudat et dicit: *Opera Dei revelare et confiteri honorificum est. Nam, quando orabas tu et Sara nurus tua, ego obtuli memoriam oratio-*

LECTIONES VARIANTES.

[a] Sæcularibus *Ar. Ben. Bod.* 1. 2, 3, 4. *Voss.* 1, 2. *Lam. Ebor.*
[b] Venantis diaboli *Morel.*
[c] Spiritus nos *Lectio vulg. Oxon. Routh. Lips.*
[d] Confringunt *Lam. Lin NC.* 1. *Ebor. Bod.* 4.
[e] Argentum. Sic Job *Lam. Ebor. Lin. NC.* 1, 2. *Paris. Bod.* 2, 3, 4.
[f] Et eleemosynæ *Voss.* 2. *Pem.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

Beatus apostolus. Citat hunc locum sanctus Augustinus lib. IV *contra duas epistolas Pelagianorum*, cap. 10.

VIII.—*Christus nos perducat.* Sic scripsi ex fide quatuor veterum exemplarium, pro eo quod antea legebatur *Spiritus.* In duobus autem ex iis quatuor codicibus scriptum est *Christus*, eo modo quo per compendium quandoque solet scribi *Spiritus*, et supra lineam scriptum est *vel Spiritus.* Porro sæpe in antiquis codicibus manuscriptis Operum sancti Cypriani et aliorum veterum scriptorum ecclesiasticorum vidi scriptum *Spiritus* pro *Christus* et e converso, in primis vero apud auctorem libri *de Rebaptismate*, qui pag. 364 referens locum ex Epistola prima Joannis in quo legitur *Christus est veritas*, posuit *Spiritus est veritas.* Scio Christum alibi vocari spiritum, etiam apud Cyprianum; sed, cum habeamus aliam lectionem faciliorem, necesse non est eam retinere quæ potest habere difficultatem et inducere obscuritatem.

X.—*Nudus ibo.* Vide Frontonis Ducæi notas in homiliam VI Chrysostomi *ad populum Antiochenum.* Vide etiam lib. III *Testimoniorum*, cap. 6.

Ineptis. Ego mutavi, cum antea legeretur *insipientibus*, quia *ineptis* scriptum vidi in septemdecim libris nostris, in octo Anglicanis et in editione Morellii.

Non est similis illi. Ovidius lib. I *Metamorphoseon* loquens de Deucalione:

Non illo melior quisquam nec amantior æqui
Vir fuit.

Opera Dei. Ita etiam in libro *de Oratione Dominica*, p. 214. Ante vero hæc [378] verba scriptum est in codice Turonensi et in Fuxensi, *secretum regis celare bonum.* Quod videtur esse ex glossemate. Ideo non addidimus in contextu, quamvis in c. XII Tobiæ scriptum sit: *Secretum regis abscondere bonum est.* Horatius Epist. XVIII:

Arcanum neque tu scruteris ullius umquam.

Nurus tua. Hæ duæ voces desunt in novemdecim libris nostris et in undecim Anglicanis. Certe necessariæ non sunt, cum satis sit eas positas esse paulo post, ubi locus iste sacræ Scripturæ refertur.

Digitized by Google

nis vestræ in conspectu claritatis Dei. Et cum sepelires tu mortuos simpliciter, et quia non es cunctatus exsurgere et derelinquere prandium tuum, et abisti et condidisti mortuum, missus sum curare te, et iterum [379] *me misit Deus curare te et Saram nurum tuam. Ego enim sum Raphael unus ex septem Angelis sanctis qui assistimus et conversamur ante claritatem Dei* (*Tob.* XII, 11-15).

XI. Hanc tolerantiam justi semper habuerunt, hanc Apostoli disciplinam de Domini lege tenuerunt, non mussitare in adversis, sed quæcumque in sæculo accidunt fortiter et patienter accipere, cum Judæorum populus hinc semper offenderit quod adversus Deum frequentius murmuraret, sicut testatur in Numeris Dominus Deus dicens : *Desinat murmuratio eorum a me, et non morientur* (*Num.* XVIII, 25). Murmurandum non est in adversis, fratres dilectissimi, sed patienter et fortiter quidquid acciderit sustinendum, cum scriptum sit : *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum Deus non despicit* (*Psal.* L, 19); in Deuteronomio quoque moneat per Moysen Spiritus sanctus et dicat [a] : *Dominus Deus tuus vexabit te, et famem injiciet tibi, et consumetur in cordè tuo si bene custodieris præcepta ejus, sive non* (*Deut.* VIII, 2). Et iterum : *Tentat vos Dominus Deus vester, ut sciat si diligitis Dominum Deum vestrum ex toto corde vestro et ex tota anima vestra* (*Deut.* XIII, 4).

XII. Sic Abraham Deo placuit, qui, ut placeret Deo, nec amittere filium timuit, nec gerere parricidium recusavit (*Gen.* XX). Qui filium non potes lege et sorte mortalitatis amittere, quid faceres si filium jubereris occidere? Ad omnia paratum facere timor Dei et fides debet. Sit licet rei familiaris amissio, sit de infestantibus morbis assidua membrorum et cruenta vexatio, sit de uxore, de liberis, de excedentibus charis funebris et tristis avulsio; non sint tibi scandala ista, sed prælia; nec debilitent aut frangant Christiani fidem [b], sed potius ostendant in colluctatione virtutem, cum contemnenda sit omnis injuria malorum præsentium fiducia futurorum bonorum. Nisi præcesserit pugna, non potest esse victoria : cum fuerit in pugnæ congressione victoria, tunc datur vincentibus et corona. Navis [c] gubernator in tempestate dinoscitur, in acie miles probatur. Delicata jactatio est cum periculum non est. Conflictatio

LECTIONES VARIANTES.

[a] Monet... dicit. *Routh. ex* 5 *codd.*
[b] Christianam fidem *Routh. ex trib. cod.*
[c] Nam gubernator. *Prisca et probata lectio Lips.* Nam *et* navis *expunxit Routh.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

XI.—*Murmurandum non est.* Hieronymus in Epistola ad *Pammachium* et *Oceanum* adversus Rufinum : *Prudentis hominis est, etiamsi doleat, dissimulare conscientiam et cordis nubilum frontis serenitate discutere.* Inter mandata quæ sanctus Ludovicus, rex Francorum, moriens dedit filio suo, istud imprimis reperitur : *Præterea, si Dominus tibi aliquam tribulationem habere permiserit, benigne et cum gratiarum actione debes suscipere.* Fulgentius Placiades lib. II Mythologicon : *Sapiens enim dolorem suum aut benignitati commendat aut oblivioni.* Idem supra dixerat oblivionem esse medicinam miseriarum. Horatius lib. II, Od. 3 :

Æquam memento rebus in arduis
Servare mentem.

Epistola Œnonis ad Paridem, apud Ovidium :

Leniter ex merito quicquid patiare ferendum est :
Quæ venit indigno pœna, dolenda venit.

Vide A. Gellium, lib. XIII, cap. 26, et quæ, ad erigendum animum Ciceronis exulis et afflicti, disserit Philiscus apud Dionem Cassium lib. XXXVIII.

XII. — *Sit licet rei familiaris amissio.* Rufinus in Psal. XCV : *Turbetur terra, turbetur mare, turbentur omnia elementa; Dei servus intrepidus maneat.*

Tentat vos. Ita etiam in libro *de Exhortatione Martyrii*, cap. 9, et lib. III *Testimoniorum*, cap. 15. Vide notas nostras ad Agobardum pag. 9.

XII. — *Navis gubernator.* Hunc locum, antea mutilum, cum legeretur *nam* pro *navis*, nos supplevimus ope duorum veterum exemplarium. In tribus deest vocabulum *nam*, quod alibi et in editionibus ponitur ante *gubernator*. Error est. Sed tamen error ille ostendit veram esse lectionem quam nos asserimus. Lactantius lib. III, cap. 13 : *Navis sine gubernatore abit pessum.* Leo papa I in Epistola ad Rusticum : *Quis inter fluctus maris navem diriget, si gubernator abscedat?* Seneca in libro *de Providentia*, cap. 4 : *Gubernatorem in tempestate, in acie militem intelliges.* Idem Epist. CVIII. *Non magis mihi potest quisquam talis prodesse præceptor, quam gubernator in tempestate navi exhibendus. Tenendum est rapiente fluctu gubernaculum, luctandum cum ipso mari, eripienda sunt vento vela.* Cicero lib. II de Divinatione : *Medicus morbum ingravescentem ratione prævidet, insidias imperator, tempestates gubernator.* Joannes Chrysostomus in Epistola CLXXXII *ad Venerium* ait gubernatorem in tempestate cognosci, medicum optimum graviores corporis morbos indicare. Sidonius, lib. VIII, Epist. X : *Medicus in desperatione, gubernator in tempestate cognoscitur.* Quintilianus lib. IV, cap. 1 : *Pessimus certe gubernator qui navem, dum portum egreditur, impegit*; et cap. 10 : *Bonus gubernator numquam fecit naufragium.* Vegetius lib. IV, cap. 15, dixit : *Quid enim salutis superest ei qui amiserit clavum?* Cornelius Nepos in Vita Attici : *Gubernator præcipua laude fortior qui navem ex hieme marique scopuloso servat.* Seneca Epist. XXX : *Magnus gubernator et scisso navigat velo; et si exarmavit, tamen reliquias navigii aptat ad cursum.* Theodoretus Epist. LXXIX scribit maris agitationem prodere gubernatoris industriam. Nam, ut ait Hieronymus lib. I, *adversus Rufinum*, navem agere ignarus navita timet. Apud Avitum Epist. XXXI legitur : *Alias autem quæ ultio est, si navis in magistrum ventis furentibus non sine illorum periculo cedatur isto discrimine.* Melius fortassis in codice Marnæsii, in quo scriptum est : *Si nautæ sine magistro fuerint. Non sine illorum periculo ceditur isti discrimini.* Hanc porro Aviti epistolam R. P. Harduinus t. II Conciliorum, p. 981, edidit tamquam novam ex codice manuscripto bibliothecæ regiæ. Et tamen edita fuerat a Sirmondo anno 1643.

Delicata jactatio. Tertullianus in libro de Corona : *Novi pastores eorum in pace leones, in prælio cervos.* Sidonius lib. V, Epist. VII : *Cum sint in prætoriis leones, in castris lepores.* Martinus Magistri in libro *de Fortitudine*, fol. 8 : *Multi sunt qui in absentia periculorum multa proponunt, etiam sine ulla animi fictione, qui, oblatis periculis, a recto et sancto proposito discedunt, quemadmodum in Evangelio legimus de Petro, qui in absentia* [379] *periculi de prope tamen instantis dicebat Christo : « Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo; » cum autem vidisset Christum vinctum, ad vocem ancillulæ dixit se non novisse eum.* Apud T. Livium, lib. IV, Vectius Messius, Volscos increpans, ait illos in otio tumultuosos esse, in bello segnes. Tacitus in libro primo Historiarum : *Ignavissimus quisque et, ut res docuit, in periculo non ausurus, nimii verbis, linguæ feroces.* Et infra : *Illi ante discrimen feroces, in periculo pavidi,*

Digitized by Google

in adversis probatio est veritatis [a]. Arbor quæ alta radice fundata est, ventis incumbentibus non movetur ; et navis quæ forti compage solida est [b], pulsatur fluctibus, nec foratur; et quando area fruges terit, ventos grana fortia et robusta contemnunt, inanes paleæ flatu portante rapiuntur.

XIII. Sic et apostolus Paulus, post naufragia, post flagella, post carnis et corporis multa et gravia tormenta, non vexari sed emendari se dicit adversis, ut, dum gravius affligitur, verius probaretur : *Datus est mihi*, inquit, *stimulus carnis meæ, angelus Satanæ qui me colaphizet, ut non extollar. Propter quod ter Dominum rogavi ut discederet a me, et dixit mihi : Sufficit tibi gratia mea. Nam virtus in infirmitate perficitur* (II *Cor.* XII, 7-9). Quando ergo infirmitas et imbecillitas et vastitas aliqua grassatur, tunc virtus nostra perficitur, tunc fides, si tentata perstiterit, coronatur, sicut scriptum est : *Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis* (*Eccli.* XXVII, 5). Hoc denique inter nos et cæteros interest, qui Deum nesciunt, quod illi in adversis queruntur et murmurant, nos adversa non avocant a virtutis et fidei veritate, sed corroborant [c] in dolore.

XIV. Hoc quod nunc corporis vires solutus in fluxum venter eviscerat, quod in faucium vulnera conceptus medullitus ignis exæstuat, quod assiduo vomitu intestina quatiuntur, quod oculi vi sanguinis inardescunt, quod quorumdam vel pedes vel aliquæ membrorum partes contagio morbidæ putredinis amputantur, quod per jacturas et damna corporum prorumpente languore vel debilitatur incessus, vel auditus, obstruitur, vel cæcatur aspectus, ad documentum proficit fidei. Contra tot impetus vastitatis et mortis inconcussi animi virtutibus congredi, quanta pectoris magnitudo est ! quanta sublimitas inter ruinas generis humani stare erectum, nec cum eis quibus spes in Deum nulla est jacere prostratum ! Gratulari magis oportet et temporis munus amplecti quod, dum nostram fidem fortiter promimus, et labore [d] tolerato ad Christum per angustam Christi viam pergimus, præmium vitæ [e] ejus et fidei ipso judicante capiamus. Mori plane timeat, sed qui, ex aqua et Spiritu non renatus, gehennæ ignibus mancipatur. Mori timeat qui non Christi cruce et passione censetur : mori timeat qui ad secundam mortem de hac morte transibit : mori timeat quem, de sæculo recedentem, perennibus pœnis æterna flamma torquebit : mori timeat cui hoc mora longiore confertur, ut cruciatus ejus et gemitus interim differatur.

XV. Multi ex nostris in hac mortalitate moriuntur, hoc est, multi ex nostris de sæculo liberantur. Mortalitas ista, ut Judæis et gentilibus et Christi hostibus pestis est, ita Dei servis salutaris excessus est. Hoc quod, sine ullo discrimine generis humani, cum injustis moriuntur et justi, non est quod putetis bonis et malis interitum esse communem : ad refrigerium justi vocantur, ad supplicium rapiuntur injusti ; datur velocius tutela fidentibus, perfidis pœna. Improvidi et ingrati sumus, fratres dilectissimi, ad divina beneficia, nec quid nobis conferatur agnoscimus. Excedunt ecce in pace tutæ cum gloria sua virgines, venientis antichristi minas et corruptelas et lupanaria non timentes, pueri periculum lubricæ ætatis evadunt,

LECTIONES VARIANTES.

[a] Virtutis *Grav. Routh.*
[b] Compage solidata *Lam. Ebor. Voss.* 1, 2, 3. *NC.* 1, 2. *Lin. Rod.* 1, 2, 3, 4. *Routh. Lips.*
[c] Comprobant *Ar. Paris Lam. Ebor. Bod.* 2, 3.
[d] In labore *Lam. NC* 1. *Ebor. Bod.* 2.
[e] Præmium viæ *Bod.* 1, 2, 4. *NC.* 1. *Routh.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

Dio Cassius lib. XLVI adnotat solere plerosque antequam in conspectum atque experientiam periculi pervenerint audaces esse. Seneca *Troade.*

> O tumide, rerum dum secundarum status
> Extollit animos, timide cum increpuit metus.

Huc quoque referri possunt ista ex capite primo *Threnorum* Hieremiæ : *Facti sunt principes ejus velut arietes non invenientes pascua, et abierunt absque fortitudine ante faciem subsequentis* (*Thren.* I, 6).

Arbor. Supra in libro *de Unitate Ecclesiæ* pag. 197: *Triticum non rapit ventus, nec arborem solida radice fundatam procella subvertit.* Seneca in libro *de Providentia*, cap. 4: *Non est arbor solida nec fortis nisi in quam frequens ventus incursat. Ipsa etiam vexatione constringitur et radices altius figit. Fragiles sunt quæ in aprica valle creverunt.*

XIV. —*Vastitatis.* Ita sexdecim libri veteres et editiones Manutii et Morellii. Aliam tamen lectionem, quæ habet *vastationis*, habent etiam septem libri veteres. Ego eam præfero quam major librorum manuscriptorum pars ostendit esse magis receptam, præsertim cum vocabulo *vastitatis* uti soleat sanctus Martyr.

Inconcussa. Multum variant in hoc loco vetera exemplaria. Quædam habent *inconcussi*, alia *inconcussis*. Ego malo referre ad animam.

Oportet. Retinui hanc vocem, quamvis eam non repererim nisi in paucis veteribus libri, quia aut illa aut alia similis necessaria est in hoc loco.

Fidentibus. Tres libri veteres *fidelibus*. Vide quæ notata sunt supra ad Epistolam quintam, pag. 591.

XV.—*Venientis.* In duobus libris veteribus scriptum est *venientis*, et supra lineam *vel sævientis*. Sic etiam in uno suo veteri legisse se testatur Morellius.

Lupanaria non timentes. Adversarii christianæ religionis, qui sæviebant in nostros, virgines martyrio destinatas mittebant ad lupanaria, sequentes videlicet instituta veterum Romanorum, qui nefas putabant si puellæ integræ exirent e vita. Tertullianus in calce Apologetici : *Nam et proxime ad lenonem damnantes christianam, potius quam ad leonem, confessi estis labem pudicitiæ apud nos atrociorem omni pœna et omni morte reputari.* Prudentius in carmine de sancta Agnete :

> Hanc in lupanar tradere certum est ad aram ni caput applicet.

Apud Rufinum l. VIII, c. 12, legitur historia cujusdam feminæ nobilis Antiochenæ, quæ, cum videret se et filias suas cogi ad sacrificandum idolis, et nisi facerent, tormenta et mortem intentari, timeret porro ne pudicitiæ suæ et filiarum vis inferretur, se cum illis projecit in fluvium in itinere positum. Inter cætera vero quæ dixit filiabus suis ut eis suaderet hunc exitum, ait : *Prostituentur ergo in publicis lupanaribus membra quæ aer pene ipse publicus habuit incognita ?* Hinc factum ut, quia virgines christianæ projiciebantur in lupanaria, creditum sit illas, quamvis vim passæ pudicitiam vere perdidissent, fuisse tamen virgines secun-

Digitized by Google

ad continentiæ atque innocentiæ præmium feliciter perveniunt, tormenta jam non timet delicata matrona, metum persecutionis et manus cruciatusque carnificis moriendi celeritate lucrata. Pavore mortalitatis et temporis accenduntur tepidi, constringuntur remissi, excitantur ignavi, desertores compelluntur ut redeant, gentiles coguntur ut credant, vetus fidelium populus ad quietem vocatur, ad aciem recens et copiosus exercitus robore fortiore colligitur, pugnaturus sine metu mortis cum prælium venerit, qui ad militiam tempore mortalitatis accedit.

XVI. Quid deinde illud, fratres dilectissimi, quale est, quam pertinens, quam necessarium, quod pestis ista et lues, quæ horribilis et feralis videtur, explorat justitiam singulorum, et mentes humani generis examinat, an infirmis serviant sani, an propinqui cognatos pie diligant, an misereantur servorum languentium domini, an deprecantes ægros non deserant medici, an feroces violentiam suam comprimant, an rapaces avaritiæ furentis insatiabilem semper ardorem vel metu mortis extinguant, an cervicem flectant superbi, an audaciam leniant [a] improbi, an pereuntibus charis, vel sic aliquid divites indigentibus largiantur et donent sine hærede morituri! Ut nihil aliud mortalitas ista contulerit, hoc Christianis et Dei servis plurimum præstitit, quod martyrium cœpimus libenter appetere, dum mortem discimus non timere. Exercitia sunt nobis ista, non funera. Dant animo fortitudinis gloriam, contemptu mortis præparant ad coronam.

XVII. Sed fortasse aliquis opponat et dicat : Hoc me ergo in præsenti mortalitate contristat quod qui paratus ad confessionem fueram, et ad tolerantiam passionis toto me corde et plena virtute devoveram, A martyrio meo privor, dum morte prævenior. Primo in loco non est in tua potestate, sed in Dei dignatione martyrium, nec potes te dicere perdidisse quod nescis an merearis accipere [230]. Tunc deinde Deus scrutator [b] renis et cordis et occultorum contemplator et cognitor videt te et laudat et comprobat, et qui perspicit apud te paratam fuisse virtutem, reddet pro virtute mercedem. Numquid Cain cum Deo munus offerret jam peremerat fratrem? Et tamen parricidium mente conceptum Deus providus ante damnavit. Ut illic cogitatio mala et perniciosa conceptio Deo providente prospecta est [c], ita et in Dei servis, apud quos confessio cogitatur et martyrium mente concipitur, animus ad bonum deditus Deo judice coronatur. Aliud est martyrio animum deesse, aliud animo de- B fuisse martyrium. Qualem te invenit Dominus cum vocat, talem pariter et judicat, quando ipse testetur et dicat : *Et scient omnes Ecclesiæ quia ego sum scrutator renis et cordis* (*Apoc.* II, 23). Nec enim Deus sanguinem nostrum desiderat [d], sed fidem quærit. Nam nec Abraham, nec Isaac, nec Jacob occisi sunt, et tamen fidei ac justitiæ meritis honorati inter Patriarchas primi esse meruerunt; ad quorum convivium congregatur quisquis fidelis et justus et laudabilis invenitur.

XVIII. Meminisse debemus voluntatem nos, non nostram, sed Dei facere debere, secundum quod nos Dominus quotidie jussit orare. Quam præposterum est, quamque perversum, ut, cum ei voluntatem fieri postulemus, quando evocat nos et accersit de hoc C mundo Deus, non statim voluntatis ejus imperio pareamus. Obnitimur et reluctamur, et, pervicacium more servorum, ad conspectum Domini cum tristitia

LECTIONES VARIANTES.

[a] Comprimant *Pem. Voss.* 1, 2.
[b] Scrutator est *Voss.* 2. *Pem. Saris. Bod.* 1. 4.
[c] Perspecta *Lips. Voss.* 2. 5.
[d] Desiderat *deest in Ed. Princ. aliisq. Routh.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

dum Evangelium, ut ex Hieronymo et Augustino probat Algerus, scholasticus Leodensis, in capite 76 libri *de Misericordia et Justitia*. Ego vero ex eodem Augustino addo illum in Epistola *ad Victorianum* scribere violentiam factam in virgine, si illa non consenserit, non pro corruptionis turpitudine, sed pro passionis vulnere deputandam, et in Epistola *ad Honoratum* scribere pudicitiam non violari violentia, si mente servatur, quoniam nec in carne violatur quando voluntas patientis sua turpiter carne non utitur, sed sine consensione tolerat quod alius operatur. Vide etiam Carolum Guyetum lib. II, cap. 7, pag. 173. *Heortologiæ*. Suetonius in Tiberio : *Immaturæ puellæ, quia more tradito nefas esset virgines strangulari; vitiatæ prius a carnifice, dein strangulatæ.* De filia Sejani ita etiam testatur Dio Cassius lib. LVIII. Vide Baronium ad diem 21 Januarii. D

Delicata matrona. Victor Vitensis lib. V, cap. 8 : *Matrona nobilis ac delicata*. Hieronymus in Epistola *ad Pammachium* adversus errores Joannis Hierosolymitani : *Dei Filius unam morbidam ovem suis humeris portavit ad cœlos, bajulans et patiens delicatam peccatricem.*

[230] *Copiosus*. Tres libri nostri et unus a Morellio citatus exhibent *torosus*, id est qui pulpam carnis maculosam habet, in quo est robur et fortitudo. Unde *cervix torosa* apud Catullum in carmine de Berecynthia, *colla torosa boum* apud Ovidium in libro secundo *Metamorphoseon*, et *torosa juventus* in Satyra III Persii. Minucius Felix in ipso ferme initio, *Crispis torosisque ibidem erroribus delectat*. In libro monasterii Beccensis scriptum est *corrosus* pro *torosus*.

XVI.—*Indigentibus*. Istud adjecimus ex fide duorum veterum librorum nostrorum et duorum item Anglicanorum.

XVII. — *Perniciosa conceptio*. Codex Seguierianus, *periculosa*.

Aliud est enim. Joannes Picus Mirandula aliter legebat in suo codice. Scripsit enim : *Aliud est enim martyrium deesse animo, aliud animum deesse martyrio*. Ita in *Apologia*.

Desiderat. Et istud quoque adjecimus ex quibusdam codicibus nostris et ex quibusdam Anglicanis. Potest tamen esse glossema.

XVIII.—*Quam præposterum*. Ista exstant apud Gratianum XIII, q. 2, et apud Guillelmum Durandi in tractatu *de Modo celebrandi Concilii generalis*, part. III, rubr. 6.

Pervicacium more servorum. Tacitus lib. I Historiarum : *Pervicax etiam adversus tormenta servorum fides*. Vide Macrobium. lib. I *Saturnal*, cap. 11. Idem Tacitus lib. IV *Annalium* tradit Octaviam Neronis accusatam de servili amore, et actas ob id de ancillis quæstiones, ac vi tormentorum victis quibusdam ut falsa annuerent, plures perstitisse sanctitatem dominæ tueri. Suetonius in Caligula : *Mulieri liber-*

Digitized by Google

et mœrore perducimur, exeuntes istinc necessitatis vinculo, non obsequio voluntatis; et volumus ab eo præmiis cœlestibus honorari ad quem venimus inviti? Quid ergo oramus et petimus ut adveniat regnum cœlorum, si captivitas terrena delectat? Quid precibus frequenter iteratis rogamus et poscimus ut acceleret dies regni, si majora desideria et vota potiora sunt servire istic diabolo quam regnare cum Christo?

XIX. Denique, ut manifestius divinæ providentiæ indicia clarescerent quod Dominus præscius futurorum suis consulat ad veram salutem, cum quidam de collegis et consacerdotibus nostris, infirmitate [a] defessus et de appropinquante jam morte sollicitus, commeatum sibi preearetur, adstitit deprecanti et jam pene morienti juvenis honore et majestate venerabilis, statu celsus [b] et clarus aspectu, et quem assistentem sibi vix posset humanus aspectus oculis carnalibus intueri, nisi quod talem videre jam poterat de sæculo recessurus. Atque ille [c] non sine quadam animi et vocis indignatione infremuit et dixit: « Pati timetis, exire non vultis, quid faciam vobis? » Increpantis vox est et monentis, qui de persecutione sollicitis, de accersitione securis [d] non consentit ad præsens desiderium, sed consulit in futurum. Audivit frater noster et collega moriturus quod cæteris diceret. Nam qui moriturus audivit, ad hoc audivit ut diceret. Audivit non sibi ille, sed nobis. Nam quid sibi disceret jam recessurus? Didicit immo nobis [e] remanentibus, ut, dum sacerdotem qui commeatum petebat increpitum esse comperimus, quid cunctis expediat agnosceremus [f].

XX. Nobis quoque ipsis minimis et extremis quoties revelatum est, quam frequenter atque manifeste de Dei dignatione præceptum est ut contestarer assidue et publice prædicarem fratres nostros non esse lugendos accersitione Dominica de sæculo liberatos, cum sciamus non eos amitti [g] sed præmitti, recedentes præcedere, ut proficiscentes, ut navigantes solent, desiderari eos debere, non plangi, nec accipiendas esse hic atras vestes, [333] quando illi ibi indumenta alba jam sumpserint, occasionem dandam non esse gentilibus ut nos merito ac jure reprehendant quod quos vivere apud Deum dicimus, ut extinctos et perditos lugeamus, et fidem quam sermone et voce depromimus cordis et pectoris testimonio non probemus. Spei nostræ ac fidei prævaricatores sumus; simulata [h], ficta, fucata videntur esse quæ dicimus. Nihil prodest verbis præferre virtutem et factis destruere veritatem.

XXI. Increpat [i] denique apostolus Paulus et objurgabat et culpat si qui contristentur in excessu suorum: *Nolumus* [j], inquit, *ignorare vos, fratres, de dormientibus, ut non contristemini sicut et cæteri qui spem non habent. Si enim credimus quia Jesus mortuus est et resurrexit, sic et Deus eos qui dormierunt in Jesu adducet cum illo* (I *Thessal.* IV, 13, 14). Eos contristari dicit in excessu suorum qui spem non habent. Qui autem spe vivimus et in Deum credimus et Christum passum esse pro nobis et resurrexisse confidimus, in Christo manentes, et per ipsum atque in ipso resurgentes, quid aut ipsi recedere istinc de sæculo nolumus, aut nostros recedentes quasi perditos plangimus ac dolemus, ipso Christo Domino et Deo nostro monente ac dicente: *Ego sum resurrectio et*

LECTIONES VARIANTES.

[a] *Sic decem mss. Anglor.* Nostris jam *Oxon.*
[b] *Sic sex codd. Anglic.* Excelsus *Oxon.*
[c] Ad quem ille *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2.
[d] Sollicitus... securus *Routh. ex codd. NC.* 4 *suis* 5 *Pamelius.*
[e] Nobis *deest in* 14 *codd. Anglor. Rejicitur a Routh. Lips.*
[f] Nosceremus *Lam. Ebor. NC.* 1, 2. *Bod.* 1, 2, 3, 4.
[g] Non amitti, sed recedentes *Ar. et cæteri modo memorati.*
[h] Si stimulate, *Voss.* 1. *Bod.* 4.
[i] Improbat *Impr. omnes utique ad edit. Lips.* Improperat *conjectura Angli.* Increpat *duo tantum codd. Angli.*
[j] Nolo *Bod.* 1. 3.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

tinæ octoginta donavit, quod excruciata gravissimis tormentis de scelere patroni reticuisset. Alterius libertinæ, cui Epicharis nomen erat, quæ tormentis dilacerata nunquam fateri voluit ea quæ illi objiciebantur, quamvis vera essent, mentionem facit Tacitus in libro XV *Annalium*. Ammianus Marcellinus, lib. XXVIII, mentionem facit ancillæ a qua contigua morti tormenta voces expresserunt obliquas in caput domini. Vide Plinium, lib. VII, cap. 23; Justinum, lib. XLIV; Senecam, lib. IV, *de Beneficiis*, cap. 19, et Epist. 6 ad illum locum, *in equuleo teneat*, id est, ut Muretus interpretatur, non indicet conscios, nihil eorum prodat propter quæ torquetur. Vide etiam Valerium Maximum, lib. VI, cap. 8 et lib. VIII, cap. 4; Quintilianum, lib. II, cap. 20; Dionem Cassium, l. XLVII; Victorem Vitensem, lib. V, cap. 2, et Patricium Junium in notis ad Epistolam Clementis *ad Corinthios*, pag. 9.

XIX. — *Audivit ut diceret.* Interpres præfationis in altercationem Jasonis et Papisci: *Ad hoc enim viderat ut referret*, Tertullianus in extremo libro de Virginibus velandis: *Nobis Dominus etiam revelationibus velaminis spatia metatus est. Nam cuidam sorori nostræ angelus in summis cervices quasi applauderet verberans, Elegantes, inquit, cervices et merito nudæ. Bonum est usque ad lumbos a capite veteris, ne et tibi cervicum libertas non prosit. Et utique quod uni dixeris omnibus dixeris. Audivit ergo ut diceret.* Idem in libro de Idololatria: *Hoc in loco ex auctoritate Dei contestor quia nec tutum est subtrahere quodcumque uni fuerit astensum, utique omnium causa.* Augustinus, lib. VIII *Confess.*, cap. 5: *Sed ubi nihil homo tuus Simplicianus de Victorina ista narravit, exarsi ad imitandum. Ad hoc enim et ille narraverat.*

Sacerdotem. Hæc tantum veteres editiones et omnes fere libri nostri veteres et Anglicani. Pamelius, ex editione quæ dicitur Gravii et ex veteri codice, scripsit *sacerdotem Dei*. Sed ego vocem *Dei* non inveni nisi in sex codicibus antiquis. Seguierianus illam non habet.

XX.—*Atras vestes.* Veteres enim eo colore utebantur in luctu. Vincentius Lirinensis conqueritur viduas sub Arianorum persecutione fuisse depullatas, quia nimirum ferebant vestes pullas, id est nigras. Apud Paulum lib. I *Sententiar.*, tit. 23, et hinc in libro VII *Capitularium*, c. 743, legitur: *Qui luget abstinere debet a conviviis ac ornamentis et veste alba.* Et tamen Herodianus, l. III, notat mulieres Romanas in luctu indutas fuisse vestibus albis exilibus, ut mœrentium speciem præberent, cum contra viri vestibus atris essent amicti. Vide etiam *Quæstiones Romanas* Plutarchi.

XXI. — *Plangimus ac dolemus.* Ait Cyprianus nobis,

vita. Qui credit in me, licet moriatur, vivet; et omnis qui vivit et credit in me, non morietur in æternum (*Joan.* XI, 25,26). Si in Christum credimus, si fidem verbis et promissis ejus habemus, et non morimur in æternum, [a] ad Christum, cum quo et victuri et regnaturi semper sumus, læta securitate veniamus.

XXII. Quod interim morimur, ad immortalitatem morte transgredimur; nec potest vita æterna succedere, nisi hinc contigerit exire. Non est exitus iste, sed transitus et temporali itinere decurso ad æterna transgressus. Quis non ad meliora venire [b] festinet? quis non mutari et transformari [c] ad Christi speciem et ad cœlestis gloriæ dignitatem venire citius exoptet, Paulo apostolo prædicante et dicente : *Nostra autem conversatio*, inquit, *in cœlis est* [d], *unde et Dominum exspectamus Jesum Christum, qui transformabit* [e] *corpus humilitatis nostræ conformatum* [f] *corpori claritatis suæ* (*Philip.* III, 20,21). Tales nos futuros et Christus A Dominus pollicetur, quando, ut cum illo simus, et cum illo in æternis sedibus vivamus, atque in regnis cœlestibus gaudeamus, Patrem pro nobis precatur dicens : *Pater, quos mihi dedisti volo ut ubi ego fuero et ipsi sint mecum, et videant claritatem quam mihi dedisti priusquam mundus fieret* (*Joan.* XVII, 24). Venturus ad Christi sedem, ad regnorum cœlestium claritatem, lugere non debet nec plangere, sed potius, secundum pollicitationem Domini, secundum fidem veri, in profectione hac sua et translatione gaudere.

XXIII. Sic denique invenimus et Enoch translatum esse, qui Deo placuit, sicut in Genesi testatur et loquitur Scriptura divina : *Et placuit* [g] *Enoch Deo, et non est inventus postmodum, quia Deus illum transtulit* (*Gen.* V, 24). Hoc fuit placuisse in conspectu B Dei, de hoc contagio sæculi meruisse transferri. Sed et per Salomonem docet Spiritus sanctus eos qui Deo placeant maturius istinc eximi et citius liberari,

LECTIONES VARIANTES.

[a] Credimus, fidem verbis... habeamus et non morituri in æternum *lect. omnibus edd. communis usque ad Lips. paucis exceptis, qui habent* Non moriemur.
[b] Venire *solus addit Baluz. nulla data ratione.*
[c] Reformari *habent cæteri omnes, mutavit Baluz. ignota ratione.*
[d] Cœlestis esse *Saris.*
[e] Reformabit *Lam. Ebor. Voss.* 3.
[f] Conformatum *Lam. Ebor. Bod.* 1, 3, 4.
[g] Placuit, inquit *Lam. Ebor. NC* 1,

STEPH. BALUZII NOTÆ.

qui spem resurrectionis habemus, licitum non esse flere mortuos. Quod intelligendum est de immodico fletu. Alioqui enim Christus lacrymandi usum in mortibus amicorum suo exemplo comprobavit apud Bethaniam; ubi, cum vidisset Mariam et Judæos flentes ob mortem Lazari, [581] flevit et ipse. Unde collegerunt Judæi illum valde amatum fuisse a Christo. Nam supremæ illæ lacrymæ, ut diximus ad librum sextum Salviani, amantium magis sunt quam mœrentium, quamvis etiam mœrentium sint et amicos desiderantium. Eleganter itaque Seneca dixit in Epistola LXIII : *Nobis autem ignosci potest prolapsis ad lacrymas, si non nimiæ decurrerunt, si ipsi illas repressimus. Nec sicci sint oculi amisso amico nec fluant. Lacrymandum est, non plorandum.* Vide sancti Joannis Chrysostomi Homiliam *de Mortuis non immoderate lugendis*, et Ruricium lib. II, Epist. 4. Vide etiam supra, p. 168, Epistolam *ad Tyrasium*. Adde Dionem Chrysostomum, qui in Oratione XXIX docet defunctos memoria honorandos esse, non lacrymis. Luctus tempus olim definitum erat apud Romanos. Seneca ait alicubi annum datum esse mulieribus ad luctum, non ut tandiu lugerent, sed ne diutius. Apud T. Livium, lib. II, funus Bruti consulis magno apparatu legimus fuisse celebratum. *Sed multo magis morti decus*, inquit Livius, *publica fuit mœstitia, eo ante omnia insignis quod matronæ annum ut parentem eum luxerunt, quod tam acer ultor violatæ pudicitiæ fuisset.* Sic P. Valerium Publicolam annum unum matronæ luxerunt, teste Plutarcho. Sic Coriolanum, ut testatur idem auctor, matronæ quoque luxerunt. Dio, l. LV, memoriæ prodidit decretum esse ut mulieres anno integro lugerent post mortem Augusti. Apud Spartanos, ut in Lycurgo tradit Plutarchus, luctus finiebatur duodecimo die.

Si in Christum credimus. Ita scribendum et distinguendum esse censuimus, secuti auctoritatem sex veterum exemplarium. Hæc enim lectio mihi videtur esse præferenda vulgatæ, quam heic subjicio in gratiam illorum qui illam fortasse putabunt fuisse retinendam. *Si in Christum credimus, fidem verbis et promissis ejus habeamus, et non morituri in æternum, ad Christum, cum quo victuri et regnaturi semper sumus, læta securitate veniamus.* Ubi interim admonendum est vocem *morituri* non exstare in illis sex antiquis exemplaribus, *morimur* vero vel *moriemur* haberi in pluribus antiquis codicibus et editionibus.

XXII. — *Dignitatem.* Duæ fuere antiquitus loci istius lectiones. Quidam enim codices præferunt *firmitatem* et supra lineam *vel dignitatem*. Alii *dignitatem* tantum. Et sic legebat Florus. Hinc orta discrepantia quæ invenitur in antiquis exemplaribus. Ego legi *firmitatem* in tribus absque ullo additamento.

Nostra conversatio. Vide Frontonis Ducæi notas ad panegyricum sancti Joannis Chrysostomi in sanctum C martyrem Lucianum.

Conformatum. Duæ quoque antiquitus fuere lectiones hujus loci. Duo quippe libri veteres habent *configuratum*, et supra lineam *vel conformatum*. Veteres librarii posuerunt eam lectionem quæ magis illis placuit. Pamelius maluit *configuratum*. Ego scribo *conformatum*, quia ita inveni scriptum in viginti et duobus exemplaribus nostris, quorum unum est Seguierianum, et in quinque Anglicanis, tum etiam in excerptis Flori, et quia sic etiam scriptum est lib. III *Testimoniorum*, cap. 11. Contra, apud Reginonem lib. II, cap. 108, *de Disciplinis ecclesiasticis* legendum est : *Sed hæc sententia canonicis atque apostolicis infirmatur documentis*, pro eo quod nos edidimus *informatur*. Apud sanctum Gregorium lib. I, Epist. 71 vel 73, *ad Petrum subdiaconum*, legitur : *Ut de æquitate servata præfati episcopi relationibus ipse lauderis.* Pro quo tres optimi et antiquissimi libri habent *relationibus informemur*. Quod ego melius esse puto. Et D fortasse legendum est *relationibus informemur et tu ipse lauderis.*

Secundum fidem veri. Hæc lectio, quam exhibent undecim exemplaria, in quibus pono Seguierianum, est optima. In duobus aliis scriptum est *verbi*. Morellius adnotat se vidisse scriptum in antiquis *veri, alias verbi*. Quod confirmat nostram lectionem. In codice Beccensi et in editione Morellii legitur *veritatis*.

XXIII. — *De hoc contagio.* Quamvis hanc lectionem præferat major pars veterum exemplarium, in aliis tamen pluribus et in antiquis editionibus legitur *de hac contagione*. Primus Manutius invexit eam quam nos retinuimus. Utraque bona est.

Sed et per Salomonem. Vide annotationem Pamelii ad hunc locum.

(Sed et per Salomonem docens Spiritus sanctus, *Librum Sapientiæ Salomoni adscribit, non Cyprianus*

Digitized by Google

ne, dum in isto mundo diutius immorantur, mundi contactibus polluantur. *Raptus est*, inquit, *ne malitia mutaret intellectum illius* (*Sap.* IV, 11, 14). *Placita enim erat Deo anima ejus. Propter hoc properavit ebducere eum de media iniquitate* [a]. Sic et in Psalmis ad Dominum properat spiritali fide Deo suo anima devota dicens : *Quam dilectissimæ habitationes tuæ, Deus virtutum ! Desiderat et properat anima mea ad atria Dei* [b] (*Psal.* LXXXIII, 2,3).

XXIV. Ejus est in mundo diu velle remanere quem mundus oblectat, quem sæculum blandiens atque decipiens illecebris terrenæ voluptatis invitat. Porro, cum mundus oderit Christianum, [336] quid amas eum qui te odit, et non magis sequeris Christum, qui te et redemit et diligit? Joannes in Epistola sua clamat et loquitur, et ne, carnalia desideria sectantes, mundum diligamus hortatur : *Nolite*, inquit, *diligere mundum neque ea quæ in mundo sunt. Si quis dilexerit mundum, non est charitas Patris in illo ; quia omne quod in mundo est concupiscentia carnis est et concupiscentia oculorum et ambitio sæculi, quæ non est a Patre, sed ex concupiscentia mundi. Et mundus transibit et concupiscentia ejus : qui autem fecerit voluntatem Dei manet in æternum, quomodo et Deus manet in æternum* (I *Joan.* II, 15-17). Potius, fratres dilectissimi, mente integra, fide firma, virtute robusta, parati ad omnem voluntatem Dei simus, pavore mortis excluso, immortalitatem quæ sequitur cogitemus. Hoc nos ostendamus esse quod credimus, ut neque charorum lugeamus excessum, et cum accersitionis propriæ dies venerit, incunctanter et libenter ad Dominum ipso vocante veniamus.

XXV. Quod cum semper faciendum fuerit Dei servis, nunc fieri multo magis debet, corruente jam mundo et malorum infestantium turbidinibus obsesso; ut qui cernimus cœpisse jam gravia et scimus imminere graviora, lucrum maximum computemus si istinc velocius recedamus. Si in habitaculo tuo parietes vetustate nutarent, tecta desuper tremerent, domus jam fatigata, jam lassa, ædificiis senectute labentibus, ruinam proximam minaretur, nonne omni celeritate migrares? Si navigante te turbida et procellosa tempestas fluctibus violentius excitatis prænuntiaret futura naufragia, nonne portum velociter peteres? Mundus ecce nutat et labitur, et ruinam sui non jam senectute rerum, sed fine testatur; et tu non Deo gratias agis, non tibi gratularis quod, exitu maturiore subtractus, ruinis et naufragiis et plagis imminentibus exuaris? [c]

XXVI. Considerandum est, fratres dilectissimi, et

LECTIONES VARIANTES.

[a] De medio iniquitatis *Oxon.*
[b] Ad atria tua, Deus *Ver.*
[c] Eximaris *Routh.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

modo tum hic tum infra lib. de Exhort. Mart., *cap.* 1, *ad* Testim. II, *cap.* 13, *et* III, *cap.* 15, 53, 59 *ac* 66, *sed et Egesippus et Irenæus, et omnis* (*inquit Eusebius* Hist. ecclesiast. *lib. quarto, cap.* 22) *antiquorum chorus; Tertull. etiam lib.* de Præscription adv. hæret. *Orig. lib.* VIII. *in Epistolam ad Rom.; D. D. Hilarius in Psal.* CXXIII; *Basilius lib.* V contra Eunom. ; *Evaristus epistola ad Afric.; Felix,* 1 *epistola, ad Gallos; Felix,* 2 *epistola, ad D. Athanasium; Epiphanius* Hæres. 76 *et lib.* de Ponder. et Mens. ; *Damasc. lib.* IV, *cap.* 18; *Amb., in Psal.* I, *et lib.* de Paradiso, *c.* 12 ; *et vel ipse D. Hieronymus, epistola ad Paulinam* de Instit. fil. *Causam reddit D. Aug. in hæc verba lib.* XVII de Civit. Dei, *cap.* 20 : « *Alii duo libri, quorum unus Sapientia, alter vero Ecclesiasticus dicitur, propter eloquii nonnullam similitudinem, ut Salomonis dicantur obtinuit consuetudo.* » *Quod ipsum tamen adhuc retractare videtur lib.* II, *c.* 4 : « *Et certe multæ ejus libri sententiæ* VII, VIII *et* IX *cap. soli conveniunt Salomoni. Titulus etiam græcus est* Σολόμωντος. *Quare probatur mihi Dn. Joannis Driedonis opinio* de Dog. eccles. *lib.* I, *Philonem illum Judæum, supra* 160 *annos ante natum Christum, temporibus Oniæ Pontificis, sparsas passim Salomonis sententias in unum hoc congessisse volumen. Eo magis quod* III *Reg. ult. cap. scribatur locutus tria millia parabolarum, carminum quinque millia, et disseruisse de jumentis, volucribus, reptilibus et piscibus, etc. Confirmat, quod ipsa illius Proverbia, non ab illo sed diu postea a ministris Ezechiæ regis* (*aut juxta rabbi Moysen ab Isaia*) *in unum collecta, constet ex Proverb. c.* XXV. *Utut sit, pro doctrina Spiritus sancti hoc loco et epistola* LXXXI, *ac* Ad demetrian. *pro Scriptura divina agnoscit Cyprianus, nec minus alii veteres ubi hunc librum citant, nominatim Dionys. Areopag. cap.* 4, de Div. Nom., *et Concil. Sardinense epistola ad omnes episcopos. Quare hunc locum citans D. Aug., lib.* de Prædest. Sanct. *cap.* 14 : « *Quæ cum ita sint ,inquit, non debuit repudiari sententia libri Sapientiæ, qui meruit in Ecclesia Christi, de gradu lectorum Ecclesiæ Christi tam longa annositate recitari, et ab omnibus Christianis , ab episcopis usque ad extremos laicos fideles pœnitentes, catechumenos, cum veneratione divinæ auctoritatis audiri.* » *Et paulo post :* « *Oportet ut istum librum Sapientiæ omnibus tractatoribus anteponant, quoniam sibi eum anteposuerunt etiam temporibus proximis Apostolorum egregii tractatores ; qui eum testem adhibentes, nihil se adhibere nisi divinum testimonium crediderunt.* » *Immo ipse apostolus Paulus, Rom.* XI *et Hebr.* XI, *ad* 9, 6 *et* 15. *Sapientiæ libri cap. alludit. Hæc paulo prolixius, propter eos, qui librum hunc etiam hodie in canonem Scripturarum recipere nolunt, quia D. Hieron. in canone Judæorum habert negat; quum tamen in Ecclesiæ canone numeretur a D. Aug., concilio Carthag., Innocentio, Gelasio et Isidoro, locis infra citatis lib.* Test. I, *cap.* 20. PAMEL.)

Raptus est. Vide sanctum Augustinum cap. 14 *de Prædestinatione Sanctorum.*

Deo suo anima devota. Hieronymus in Dialogo adversus Luciferianos : *Simplicitas cordis et devota Deo suo anima.* Auctor Epistolæ *ad Oceanum, de ferendis Opprobriis,* edita sub nomine Hieronymi : *Videat ergo anima Deo devota ne insipientium* [583] *risus eam vel stultorum hominum vanissimus sermo confundat.*

XXVI. — *Fratres dilectissimi.* In codice Seguieriano et istic et alibi hæ duæ voces sic scriptæ sunt, FF. DD. Quod idcirco admoneo ut ostendam exactam diligentiam viri doctissimi Joannis Tilii, qui, cum ederet opera Paciani episcopi Barcinonensis, et in Parænesi ad pœnitentiam legeret in libro veteri, *scripta sunt hæc FF. DD. et perpetuis cæsa monumentis*, noluit extendere, quamvis posset, sed in margine posuit arbitrari se his notis significari *dilectissimi fratres*, quo modo scriptum est in veteri codice Carthusiæ majoris. Galesinius, quamvis non haberet

Digitized by Google

identidem cogitandum renuntiasse nos mundo, et tamquam hospites et peregrinos istic [a] interim degere. Amplectamur diem qui assignat singulos domicilio suo, qui nos istinc ereptos et laqueis sæcularibus exsolutos paradiso restituit et regno. Quis non peregre constitutus properaret in patriam regredi? quis non, ad suos navigare festinans, ventum prosperum cupidius optaret, ut velociter charos liceret amplecti? Patriam nostram paradisum computamus [b]: parentes Patriarchas habere jam cœpimus. Quid non properamus et currimus ut patriam nostram videre, ut parentes salutare possimus? Magnus illic nos charorum numerus exspectat, parentum, fratrum, filiorum frequens nos et copiosa turba desiderat, jam de sua incolumitate secura, et adhuc de nostra salute sollicita. Ad horum conspectum et complexum venire quanta et illis et nobis in commune lætitia est? Qualis illic cœlestium regnorum A voluptas sine timore moriendi, et cum æterni ate vivendi quam summa et perpetua felicitas! Illic Apostolorum gloriosus chorus, illic Prophetarum exultantium numerus, illic Martyrum innumerabilis populus ob certaminis et passionis victoriam coronatus, triumphantes illic; Virgines, quæ concupiscentiam carnis et corporis continentiæ robore subegerunt; remunerati misericordes, qui alimentis et largitionibus pauperum justitiæ opera fecerunt, qui Dominica præcepta servantes ad cœlestes thesauros terrena patrimonia transtulerunt. Ad hos, fratres dilectissimi, avida cupiditate properemus, ut cum his cito esse, ut cito ad Christum venire contingat optemus. Hanc cogitationem nostram Deus videat, hoc propositum mentis et fidei Dominus Christus aspiB ciat, daturus eis gloriæ suæ ampliora præmia quorum circa se fuerint desideria majora.

LECTIONES VARIANTES.

[a] Hic *Lam. Saris. Bod.* 1, 2, 3, 4.

[b] Nos paradisum computemus *Bod.* 2.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

hanc auctoritatem, sic in sua editione posuit uti Tilius conjecerat esse scribendum.

Amplectamur diem. Citat hunc locum sanctus Augustinus lib. IV, *contra duas epistolas Pelagianorum*, cap. 8.

Et regno. Antea legebatur *et regno cœlesti.* Verum vox *cœlesti* glossema est hominis qui nesciebat Cyprianum uti simpliciter verbo regni ad significandum regnum Christi, id est cœleste. Ego sane vocem *cœlesti* reperi in duobus codicibus antiquis. At deest in aliis quatuordecim nostris et in octo AnglicC canis.

De sua incolumitate. Hæc est lectio omnium veterum editionum, omnium librorum nostrorum et decem Anglicanorum; atque ita referunt sanctus Augustinus in libro *de Prædestinatione Sanctorum* c. 19, et auctor Sermonis *in festo Sanctorum omnium* editus in appendice tomi V Operum ejusdem sancti pag. 350, qui exstat etiam in codice homiliarum qui tribuitur Alcuino. Ruricius, episcopus Lemovicensis, l. II, Epist. 4: *Credite mihi, fratres charissimi, quia illa jam de sua quiete secura, de nostra est salute sollicita.* Vide dissertationem XXVII Maximi Tyrii. Primus Erasmus posuit *immortalitate.* Eam lectionem retinuit editio Manutii. Morellius rejecit et posuit *incolumitate.* Pamelius, Rigaltius et alii maluerunt *immortalitate.* Duo aut tria vetera exemplaria: *Jam de sua securi, adhuc de nostra incolumitate solliciti.* Weselius Groningensis in epistola ad Bernardum Meppensem: *Orant pro nobis defuncti ut in illorum felicem societatem traducamur.* Vide supra pag. 467.

Passionis victoriam. Duo libri veteres *gloriam.*

Gloriæ suæ. Tredecim libri veteres habent *claritatis*, vocabulo frequentissimo apud Cyprianum. Alii quinque *charitatis*, errore videlicet librariorum pro *claritatis.* In tribus aliis scriptum est, *daturus eis amplissima munera et claritatis suæ præmia.*

---

[137] LIBER

DE OPERE ET ELEEMOSYNIS.

I. Multa et magna sunt, fratres [c] charissimi beneficia divina quibus in salutem nostram Dei Patris et Christi larga et copiosa clementia et operata sit et D semper operetur, quod conservandis ac vivificandis nobis Pater Filium misit, ut reparare nos posset, quodque Filius missus esse et hominis filius fieri vo-

LECTIONES VARIANTES.

[c] Dilectissimi *Ar.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

DE OPERE ET ELEEMOSYNIS. De hoc libro sic loquitur sanctus Hieronymus in Epistola *ad Pammachium* de Dormitione Paulinæ: *Quantas vires habeat misericordia et quibus donanda sit præmiis, et beatus Cyprianus grandi volumine prosequitur, et Danielis consilium probat, qui regem impiissimum, si audire voluisset, dicit pauperum sustentatione salvandum.*

I. — *Multa et magna.* Hic locus in græcam linguam versus prolatus est in concilio Ephesino inter testimonia Patrum et martyrum adversus hæreticos Nestorii. Itaque in antiqua versione istius concilii non describuntur Cypriani verba, sed alia translata ex græco sermone. Exstat ea versio inter Opera Marii Mercatoris, pag. 180 editionis nostræ. Hunc porro locum lectum fuisse in concilio testatur etiam Vincentius Lirinensis.

Filium misit. In editionibus posterioribus et in tribus antiquis codicibus legitur *filium suum.* Sane vox *suum* exstat in Epistola Pauli *ad Galatas*, ex qua sumptus est hic locus. Exstat etiam lib. II *Testimo-*

Digitized by Google

luit [a] ut nos Dei filios faceret. Humiliavit se, ut populum qui prius jacebat erigeret : vulneratus est, ut vulnera nostra curaret [b] : servivit, ut ad libertatem servientes extraheret : mori sustinuit, ut immortalitatem mortalibus exhiberet. Multa hæc sunt et magna divinæ misericordiæ munera [c]. Sed adhuc, qualis providentia illa et quanta clementia est quod nobis salutari ratione prospicitur, ut homini qui redemptus est reservando plenius consulatur! Nam, cum Dominus adveniens sanasset illa quæ Adam portaverat vulnera, et venena serpentis antiqua [d] curasset, legem dedit sano [e], et præcepit ne ultra jam peccaret, ne quid peccanti gravius eveniret. Coarctati eramus et in angustum innocentiæ præscriptione conclusi. Nec haberet [f] quid fragilitatis humanæ infirmitas atque imbecillitas faceret, nisi iterum pietas divina subveniens, justitiæ et misericordiæ operibus ostensis, viam quamdam tuendæ salutis aperiret, ut sordes postmodum, quascumque contrahimus [g], eleemosynis abluamus.

II. Loquitur in Scripturis divinis Spiritus sanctus et dicit : *Eleemosynis et fide delicta purgantur* (*Prov.* xv, 27). Non utique illa delicta quæ fuerant ante contracta, nam illa Christi sanguine et sanctificatione purgantur. Item denuo dicit : *Sicut aqua extinguit ignem, sic eleemosyna extinguit peccatum* (*Eccli.* III, 33). Hic quoque ostenditur et probatur quia, sicut lavacro aquæ salutaris gehennæ ignis extinguitur, ita et eleemosynis atque operationibus [h] justis delictorum flamma [i] sopitur. Et quia [j] semel in Baptismo remissa peccatorum datur [k], assidua et jugis operatio Baptismi instar imitata [l], Dei rursus indulgentiam largitur [m]. Hoc et in Evangelio Dominus docet. Nam cum denotarentur discipuli ejus quod ederent, nec prius manus abluissent [n], respondit et dixit : *Qui fecit quod intus est, fecit et quod foris est. Verum date eleemosynam, et ecce vobis munda omnia* (*Luc.* XI, 40) : docens scilicet et ostendens non manus lavandas esse, sed pectus, et sordes intrinsecus potius quam extrinsecus detrahendas; verum qui purgaverit quod est intus, eum quoque id quod foris est repurgasse, et emundata mente, cute quoque et corpore mundum esse cœpisse. Porro autem, monens et ostendens unde mundi et purgati esse possimus, addidit eleemosynas esse faciendas. Misericors docet et monet misericordiam fieri; et quia servare quærit quos magno pretio redemit [o], post Baptismi gratiam sordidatos doçet denuo posse purgari.

III. Agnoscamus itaque, fratres charissimi, divinæ indulgentiæ munus salubre [p], et emundandis purgandisque peccatis nostris, qui sine aliquo [838] conscientiæ vulnere esse non possumus, medelis spiritalibus vulnera nostra curemus. Nec quisquam [q] sic sibi de puro atque immaculato pectore [r] blandiatur, ut, innocentia sua fretus, medicinam non putet adhibendam esse vulneribus, cum scriptum sit : *Quis gloriabitur castum se habere cor, aut quis gloriabitur mundum se esse a peccatis* (*Prov.* XX, 9)? et iterum in Epistola sua Joannes ponat et dicat : *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus* [s], *et veritas in nobis* [t] *non est* (I *Joan.* I, 8). Si autem nemo esse sine peccato potest, et quisquis inculpatum se esse dixerit, aut superbus aut stultus est, quam necessaria, quam benigna est divina clementia, quæ, cum sciat [u] non deesse sanatis quædam postmodum vulnera, dedit curandis denuo sanandisque vulneribus remedia salutaria!

LECTIONES VARIANTES.

[a] *Sic Lam. Ben. Ebor. Ar. Ver. Bod.* 1, 2, 3. Esse et hominis filius voluit *Imp.* Dici se et hominis filium *Ver.*
[b] Sic *West. Lam. Ebor. Ar Bod.* 1. 3, 4. *Genev. Ver. Thu.* Sanaret *Oxon.*
[c] Misericordiæ opera *Ar.*
[d] *Sic*, Serpentis antiqua *Thu. Foss. Man.*
[e] Sanis *NC.* 1. Peccarent *NC.* 1.
[f] Habebat *West. Aug. Saris.*
[g] Contraximus *NC.* 2.
[h] Operationibus *Bod.* 1, 2, 3, 4. Operibus *Oxon.*
[i] Delictorum fomes *Bod.* 3.
[j] Ut quia *Bod.* 1.
[k] *Sic Foss. Lam. Ebor.* Remissio *Imp.* Repromissa peccatorum venia datur assidua *Bod.* 3.
[l] Baptismi instar operata *Bod.* 4.
[m] Indulgentia *Bod.* 4. Largiatur *Bod.* 1. 4.
[n] Lavissent *Ar. Saris. Ver. MR.*
[o] Magno redemit *Ar. Bod.* 1, 2, 3, 4.
[p] Salubre, ut *August.*
[q] Quisquam sibi *Lin. Voss.* 1.
[r] Immaculato pectore *West. Ar. Bod.* 1, 2, 3, 4. *August.*
[s] Ipsos seducimus *Voss.* 1
[t] Nobis non est. Si autem nemo *Ar. Saris. Bod.* 1, 2, 3, 4. *Thu. August. Addit Oxon.* Si autem confessi fuerimus peccata nostra, fidelis et justus est Dominus, qui nobis peccata dimittat.
[u] Stultus est; cum sciat *August.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

niorum, cap. 8. Delevi tamen, quia deest in viginti libris veteribus, apud Marium Mercatorem, in editione Spirensi, in antiqua Vcneta, in Erasmica. Addita primo fuit in editione Manutii. Morellius expunxit.

Curaret. Antea legebatur *sanaret.* Mutare coactus sum, quia omnes fere libri veteres habent lectionem quam profero.

Nam cum Dominus. Refert hunc locum sanctus Augustinus lib. IV *contra duas Epistolas Pelagianorum*, cap. 8.

Antiqua. Ita veteres libri fere omnes et veteres editiones. Pamelius posuit *antiqui.* Quam lectionem inveni etiam in quibusdam libris antiquis.

III. — [838] *Agnoscamus itaque.* Hunc quoque locum refert sanctus Augustinus ibidem, cap. 10.

Nec quisquam. Citat Augustinus ibidem et in libro II *contra Julianum Pelagianum*, cap. 8.

D* *Pectore.* Antea legebatur *corde.* Neque dubitandum est quin hæc lectio sit optima. Verum, cum *pectore* scriptum sit in viginti et duobus libris nostris et in sex Anglicanis, putavi debere me cedere eorum auctoritati, præsertim cum ita quoque scriptum sit apud sanctum Augustinum, lib. II *contra Julianum Pelagianum*, cap. 8.

Veritas in nobis non est. Postea additur in vulgatis editionibus : *Si autem confessi fuerimus peccata nostra, fidelis et justus est Dominus qui nobis peccata dimittat.* Verum, tamenetsi ea extent in quibusdam codicibus antiquis, cum desiderentur in sexdecim nostris, in primis in Seguieriano, in sex Anglicanis, et apud sanctum Augustinum in locis supra laudatis, putavi ea non esse Cypriani, sed a quodam studioso huc translata ex Epistola sancti Joannis. Certe absque iis non minus constat sensus.

Digitized by Google

IV. Numquam denique, fratres dilectissimi, admonitio divina cessavit et tacuit [a] quominus in Scripturis sanctis tam veteribus quam novis [b] semper et ubique ad misericordiæ opera Dei populus provocaretur [c]; et canente atque exhortante Spiritu sancto, quisquis ad spem regni cœlestis instruitur, facere eleemosynas jubetur. Mandat et præcipit Esaiæ Deus : *Exclama*, inquit, *in fortitudine, et noli parcere. Sicut tuba exalta vocem tuam, et annuntia plebi meæ peccata ipsorum et domui Jacob facinora* [d] *eorum* (*Isa.* LVIII, 1). Et cum peccata eis sua exprobrari præcepisset, cumque eorum facinora pleno indignationis impetu protulisset, dixissetque eos nec, si orationibus et precibus et jejuniis uterentur, satisfacere pro delictis posse, nec, si in cilicio et cinere volverentur, iram Dei posse lenire, in novissima tamen parte, demonstrans solis eleemosynis Deum posse placari, addidit dicens : *Frange esurienti panem tuum, et egenos sine tecto induc in domum tuam. Si videris nudum, vesti eum, et domesticos seminis tui non despicias. Tunc erumpet temporaneum lumen tuum, et vestimenta tua cito orientur, et præibit ante te justitia, et claritas Dei circumdabit te. Tunc exclamabis, et Deus exaudiet te. Dum adhuc loqueris dicet : Ecce adsum* (*Ibid.*, 7-9).

V. Remedia [e] propitiando Deo ipsius Dei verbis data sunt, quid deberent facere peccantes magisteria divina docuerunt, operationibus justis Deo satisfieri, misericordiæ meritis peccata purgari. Et apud Salomonem legimus : *Conclude eleemosynam in corde pauperis* [f], *et hæc pro te exorabit ab omni malo.* Et iterum : *Qui obturat aures ne audiat imbecillum, et ipse invocabit Deum, et non erit qui exaudiat eum* (*Prov.* XXI, 13). Neque enim promereri misericordiam Domini poterit qui misericors ipse non fuerit, aut impetrabit de divina pietate aliquid in precibus qui ad preces pauperis non fuerit humanus. Quod item in Psalmis Spiritus sanctus declarat et probat dicens : *Beatus qui intelligit super egenum* [g] *et pauperem, in die mala liberabit eum Dominus* (*Psal.* XL, 2). Quorum præceptorum memor Daniel, cum rex Nabuchodonosor adverso somnio territus æstuaret, pro avertendis malis ad divinam opem impetrandam remedium dedit dicens : *Propterea, rex, consilium meum placeat tibi, et peccata tua eleemosynis redime et injustitias tuas miserationibus pauperum, et erit Deus parcens* [h] *peccatis tuis* (*Dan.* IV, 24). Cui rex non obtemperans, adversa quæ viderat et infesta perpessus est : quæ evadere et vitare potuisset, si peccata sua eleemosynis redemisset. Raphael quoque angelus paria [i] testatur, et ut eleemosyna libenter ac largiter fiat hortatur dicens : *Bona est oratio* [j] *cum jejunio et eleemosyna : quia eleemosyna a morte liberat, et ipsa purgat peccata* (*Tob.* XII, 8). Ostendit orationes nostras ac jejunia minus posse nisi eleemosynis adjuventur [k], deprecationes solas parum ad impetrandum valere, nisi factorum et operum accessione [259] satientur [l]. Revelat Angelus et manifestat et firmat eleemosynis petitiones nostras efficaces fieri, eleemosynis vitam de periculis redimi, eleemosynis animas a morte liberari.

VI. Nec sic, fratres charissimi, ista proferimus ut non quod Raphael angelus dixit veritatis testimonio comprobemus : in Actibus [m] Apostolorum facti fides posita est, et quod eleemosynis, non tantum a secunda, sed a prima morte animæ liberentur gestæ et

LECTIONES VARIANTES.

[a] Cessavit et tacuit, *sic Lam. Ebor. NC.* 1. *Saris. Lin. Bod.* 1, 2, 3, 4. *Thu.* Cessavit, numquam *Oxon.*
[b] Sanctis semper et ubique *Thu.*
[c] Populos provocaret *West. Saris.*
[d] Jacob delicta *Saris.*
[e] Remedia de *Bod.* 3.
[f] In sinu pauperis *Lam. NC.* 1. *Ebor. Bod.* 2. Exorabit in die malo *Ver.*
[g] Egentem *Lam. Ebor. NC.* 1. *Ver.*
[h] Deus parcens *Lam. Lin. Pem. Voss.* 1, 2. *Bod.* 2, 3. Deus patiens *Oxon.*
[i] Paria Tobiæ *Ar. Lam. Bod.* 2.
[j] Bona est, inquit *Lam.* A peccatis *Ver.* Eleemosyna cum justitia *Bod.* 1.
[k] Eleemosynis socientur *Ar. West. Saris. Bod.* 1, 2, 3, 4. Farciantur *alii post Pamel.*
[l] Subveniatur *Lin.*
[m] Sic in Act. *West.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

IV. — *Vestimenta tua.* Nescio unde orta sit scriptura libri Fuxensis, in quo legitur *et preces tuæ cito exaudientur.* In editione vulgata, *et sanitas tua citius orietur.* Vide Hieronymum in caput LVIII Isaiæ.

V. — *In corde.* In duobus libris antiquis legitur *sinu* et supra lineam *vel corde.* Hinc orta est discrepantia lectionum in antiquis codicibus, quorum nonnulli habent *corde*, alii *sinu.* Veteres editiones habent *sinu.* Manutius posuit *corde*, Morellius *sinu.*

Misericordiam Domini. Jonas Aurelianensis, qui refert hunc locum ex libro *de Oratione Dominica* in libro III, cap. 10, *de Institutione laicali*, legit *Dei misericordiam.* Codex Lamonii, *Dei veniam.* Seguierianus *Deum* tantum.

Parcens. In codice Fuxensi *vel parcens vel patiens.* Hinc orta est lectio diversa quorumdam librorum, in quibus scriptum est *patiens.* Cæterum legendum esse puto *parcens*, eo in primis argumento quod, præter auctoritatem veterum librorum et editionum, scriptum est in libro Danielis ; *Forsitan ignoscet delictis tuis.*

Satientur. Ita veteres editiones ante eam quæ dicitur esse Gravii. Sic etiam habet Morelliana. Consentiunt autem viginti libri nostri, etiam Seguierianus et Veronensis omnium antiquissimi. Sunt tamen duo qui habent *sacientur vel socientur*, alii sex *socientur* tantum. Eam postremum lectionem præferunt septem Anglicani, sed non in hoc loco. Quippe vocem *socientur* ponunt in phrasi superiore, *eleemosynis socientur.* Pamelius, contra tot auctoritates, absque ullius libri veteris suffragio, tantum quia in editione illa quæ dicitur Gravii legitur *farciantur*, et quia in quodam libro Coloniensi, qui certe mutilus est in hoc loco, legitur *farcientur*, eo modo quo per errorem quoque scriptum est in Fuxensi *sacrentur* ; Pamelius, inquam, ex lectione illius editionis et codicis Coloniensis fecit *farciantur*, minime dubitans quin hæc lectio esset optima. Quod certe non licet. Nam, si conjecturis ita facile indulgere licitum esset, ego mallem ponere cum Goularto *fulciantur*, quam lectionem scio probatam fuisse Nicolao Fabro. Eadem audacia Pamelius in Epistola LXXVI, pag. 151, posuit *sanat* pro *satiat*, ut illic monuimus. Apuleius lib. II Metamorphoseon : *Hæc autem novissima, quam fonte satiante postremum partus effudit.* Vide supra pag. 515.

Digitized by Google

impletæ rei probatione compertum est [a]. Tabitha [b], operationibus justis et eleemosynis præstandis plurimum dedita, cum infirmata esset et mortua, ad cadaver exanime Petrus accitus est : qui cum impigre pro apostolica humanitate venisset, circumsteterunt eum viduæ flentes et rogantes, pallia et tunicas et omnia illa quæ prius sumpserant indumenta monstrantes, nec pro defuncta suis vocibus, sed ipsius operibus deprecantes. Sensit Petrus impetrari posse quod sic petebatur, nec defuturum Christi auxilium viduis deprecantibus, quando esset in viduis ipse vestitus. Cum itaque genibus nixus [c] orasset, viduarum ac pauperum idoneus advocatus legatas sibi preces ad Dominum pertulisset, conversus ad corpus, quod in tabula jam lotum jacebat, *Tabitha*, inquit, *exsurge in nomine Jesu Christi* [d] (*Act.* IX, 40). Nec defuit Petro quominus statim ferret auxilium qui in Evangelio [e] dari dixerat quicquid fuisset ejus nomine postulatum. Mors itaque suspenditur et spiritus redditur, et, mirantibus ac stupentibus cunctis, ad hanc mundi denuo lucem redivivum corpus animatur. Tantum potuerunt misericordiæ merita, tantum opera justa [f] valuerunt ! Quæ laborantibus viduis largita fuerat subsidia vivendi, meruit ad vitam viduarum petitione revocari.

VII. Itaque in Evangelio Dominus, doctor vitæ nostræ et magister salutis æternæ, vivificans credentium populum et vivificatis consulens in æternum, inter sua mandata divina et præcepta cœlestia nihil crebrius mandat et præcipit quam ut insistamus eleemosynis dandis, nec terrenis possessionibus incubemus, sed cœlestes thesauros potius recondamus. *Vendite*, inquit, *res vestras, et date eleemosynam* (*Luc.* XII, 33). Et iterum : *Nolite vobis condere thesauros super terram, ubi tinea et comestura exterminat, et ubi fures effodiunt et furantur. Thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo, ubi neque tinea neque comestura exterminat, et ubi fures non effodiunt nec furantur. Ubi enim fuerit thesaurus tuus, ibi erit et cor tuum* (*Matth.* VI, 19-21). Et cum observata lege perfectum et consummatum vellet ostendere, *Si vis*, inquit, *perfectus esse, vade et vende omnia tua* [g], *et da egenis, et habebis thesaurum in cœlo ; et veni, sequere me* (*Matth.* XIX, 21). Item alio loco negotiatorem cœlestis gratiæ et comparatorem salutis æternæ, distractis omnibus rebus suis, pretiosam margaritam, hoc est vitam æternam Christi cruore pretiosam, de quantitate patrimonii sui dicit debere mercari : *Simile est*, inquit, *regnum cœlorum homini negotiatori* [h] *quærenti bonas margaritas. Ubi autem invenit pretiosam margaritam, abiit et vendidit omnia quæ habuit, et emit illam* (*Matth.* XIII, 45).

VIII. Eos denique et Abrahæ filios dicit quos in juvandis alendisque pauperibus operarios cernit. Nam, cum Zachæus dixisset : *Ecce dimidium ex substantia mea do egenis, et si cui quid fraudavi* [i], *quadruplum reddo*, respondit Jesus et dixit *quia salus* [j] *hodie huic domui facta est, quoniam et hic filius est Abrahæ* (*Luc.* XIX, 8, 9). Nam, si Abraham credidit Deo et deputatum est ei ad justitiam, utique qui secundum præceptum Dei eleemosynas facit, Deo credit, et qui habet fidei veritatem, servat Dei timorem ; qui autem Dei timorem servat, in miserationibus pauperum Deum cogitat [k]. Operatur enim ideo [l sic] quia credit, quia scit vera esse quæ prædicta sunt verbis Dei, nec Scripturam sanctam posse mentiri; arbores infructuosas, id est, steriles homines, excidi et in ignem mitti, misericordes autem ad regnum vocari. Qui et alio in loco operarios et fructuosos fideles appellat, infructuosis vero et sterilibus fidem derogat dicens : *Si in injusto mammona fideles non fuistis, quod est verum* [m] *quis credet vobis ? Et si in alieno fideles non fuistis, quod est vestrum quis dabit vobis* (*Luc.* XVI, 11) ?

IX. Si [n] vereris et metuis ne, si operari plurimum cœperis, patrimonii tui larga operatione finito ad penuriam forte redigaris, esto in hac parte intrepidus, esto securus ; finiri non potest unde in usus Christi impenditur, unde opus cœleste celebratur. Nec hoc tibi de meo spondeo, sed de sanctarum Scripturarum fide et divinæ pollicitationis auctoritate promitto. Loquitur per Salomonem Spiritus sanctus et dicit : *Qui dat pauperibus, numquam egebit; qui autem avertit oculum suum, in magna penuria erit* (*Prov.* XXVIII, 27) ; ostendens misericordes atque operantes egere non posse, magis parcos et steriles ad inopiam postmodum devenire. Item beatus apostolus Paulus, Dominicæ inspirationis gratia plenus : *Qui administrat*, inquit, *semen seminanti, et panem ad edendum præstabit, et multiplicabit seminationem vestram, et augebit incrementa frugum justitiæ vestræ, ut in omnibus locupletemini.* Et iterum : *Administratio hujus officii non tantum supplebit ea quæ sanctis de-*

LECTIONES VARIANTES.

[a] Testatum est *Saris*.
[b] Tabithæ eleemosynaria *Bod.* 3. Orationibus *Ar. Saris Bod.* 2.
[c] Nixis *Ver.* Orasset, et *Saris*.
[d] Nomine Domini *West.*
[e] Evangelio suo *Voss.* 2. *Pem.*
[f] Opera justitiæ *A. Ben. Bod.* 2.
[g] Omnia quæ habes *Voss.* 1. Possides *NC.* 2.
[h] Negotianti *Ar. West. Saris. Bod.* 2, 3, 4.
[i] Quem defraudavi *Bod.* 3.
[j] Quia, inquit, salus *Saris*.
[k] Deum fœnerat *Voss.* 1. *Lam. NC.* 2.
[l] Operatur enim Deo *Bod.* 1, 2, 3.
[m] Quod vestrum *Lam. Bod.* 3, 4.
[n] Sed *Bod.* 1, 2, 3, 4. Si *Impr. Oxon.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

VII. — *Tinea*. Vide Frontonis Ducæi notas in Homilias sancti Basilii *de Jejunio*, pag. 29.

Vende omnia tua. Codex Lamonii, *vende omnia quæ possides, et da egenis*. Alibi quoque scriptum vidi *egenis* pro *pauperibus*.

Ubi autem invenit. Codex Lamonii : *Inventa autem pretiosa margarita*.

VIII. — *Deum cogitat*. Codex sancti Albini, *Deum fœnerat*. Burgundicus et Lamonianus, *Deo fœnerat*.

Mammona. Vide Cœlium Calcagninum lib. I, Epist. 39.

Digitized by Google

sunt, sed et abundabit [a] *per multam gratiarum actionem* [b] *in Deum* (II *Cor.* IX, 10-12) ; quoniam, dum gratiarum actio ad Deum pro eleemosynis [c] atque operationibus nostris pauperum oratione dirigitur, census operantis [d] Dei retributione cumulatur. Et Dominus in Evangelio, jam tunc ejusmodi hominum corda considerans, et perfidis atque incredulis præscia voce denuntians, contestatur et dicit : *Nolite cogitare dicentes : Quid edemus, aut quid bibemus, aut quid vestiemur ? hæc enim nationes quærunt. Scit autem* [e] *Pater vester quia omnium horum indigetis. Quærite primum regnum Dei et justitiam ejus* [f], *et omnia ista apponentur vobis* (*Matth.* VI, 31 33). Eis omnia apponi dicit et tradi qui regnum et justitiam Dei quærunt. Eos enim Dominus, cum judicii dies venerit, ad percipiendum regnum dicit admitti qui fuerint in Ecclesia ejus operati.

X. Metuis ne patrimonium tuum forte deficiat si operari ex eo largiter cœperis, et nescis, miser, quia, dum times ne res familiaris deficiat, vita ipsa et salus deficit; et, dum ne quid de rebus tuis minuatur attendis, non respicis quod ipse minuaris, amator magis mammonæ quam animæ tuæ ; ut, dum times ne pro te patrimonium tuum perdas, ipse pro patrimonio tuo pereas [g]. Et ideo bene Apostolus clamat et dicit : *Nihil intulimus in hunc mundum, verum nec auferre quid possumus. Habentes itaque exhibitionem et tegumentum, his contenti simus. Qui autem volunt divites fieri, incidunt in tentationem et in muscipulam et desideria multa et nocentia, quæ mergunt hominem in perditionem et in interitum. Radix enim omnium malorum est cupiditas : quam quidam appetentes naufragaverunt a fide, et inseruerunt se doloribus multis* (I *Tim.* VI, 7-10).

XI. Metuis ne patrimonium tuum forte deficiat, si operari ex eo largiter cœperis. Quando enim factum est ut justo possent deesse subsidia vitæ [h], cum scriptum sit : *Non occidet fame Dominus animam justam* (*Prov.* X, 3). Helias in solitudine corvis ministrantibus pascitur, et Danieli in lacu ad leonum prædam jussu regis incluso prandium divinitus apparatur ; et tu metuis ne operanti tibi et Dominum promerenti desit alimentum, quando ipse in Evangelio, ad exprobrationem eorum quibus [i] mens dubia est et fides parva, [bis] contestetur et dicat : *Aspicite volatilia cœli, quoniam non seminant, neque metunt, neque colligunt in horrea, et Pater vester cœlestis alit* [j] *illa. Nonne vos pluris illis estis* (*Matth.* VI, 26) ? Volucres Deus pascit, et passeribus alimenta diurna præstantur ; et quibus nullus divinæ rei sensus est, eis nec potus nec cibus deest : tu Christiano, tu Dei servo, tu operibus bonis dedito, tu domino suo charo, aliquid existimas defuturum ?

XII. Nisi si putas [k] quia qui Christum pascit, a Christo ipse non pascitur, aut eis terrena deerunt quibus cœlestia et divina tribuuntur. Unde hæc incredula cogitatio? unde impia et sacrilega ista meditatio? Quid facit in domo fidei perfidum pectus ? Quid, qui Christo omnino non credit, appellatur et dicitur Christianus? Pharisæi tibi magis congruit nomen. Nam, cum Dominus in Evangelio de eleemosynis disputaret, et ut nobis amicos de terrestribus lucris provida operatione faceremus, qui nos postmodum in tabernacula æterna susciperent, fideliter ac salubriter præmoneret, addidit post hæc Scriptura dicens [l] : *Audiebant autem hæc omnia Pharisæi, qui erant cupidissimi, et irridebant eum* (*Luc.* XVI, 14). Quales nunc quosdam [m] in Ecclesia videmus, quorum præclusæ aures et corda cæcata nullum de spiritalibus ac salutaribus monitis lumen admittunt ? de quibus mirari non oportet quod contemnant in tractatibus servum, quando a talibus ipsum Dominum videamus esse contemptum.

XIII. Quid tibi in istis ineptis et stultis cogitationibus plaudis, quasi metu et sollicitudine futurorum ab operibus retarderis ? Quid umbras et præstigias quasdam vanæ excusationis obtendis ? Confitere immo quæ vera sunt ; et quia scientes non potes fallere, secreta et abdita mentis exprome. Obsederunt animum tuum sterilitatis tenebræ, et, recedente inde lumine veritatis, carnale pectus alta et profunda avaritiæ caligo cæcavit. Pecuniæ tuæ captivus et servus es, catenis cupiditatis et vinculis alligatus es, et quem jam solverat Christus, denuo vinctus es. Servas pecuniam, quæ te servata [n] non servat. Patrimonium cumulas, quod te pondere suo onerat [o] ; nec meministi quid Deus responderit diviti exuberantium fructuum copiam stulta [p] exultatione jactan-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Sed et abundare facit *Bod.* 4 *Supra habetur* : supplevit, *et* abundavit.
[b] Per multas gratiarum actiones *Saris.*
[c] Per eleemosynas *Saris.*
[d] Operantibus *Bod.* 1.
[e] Enim *Bod.* 1, 2. *Saris.*
[f] *Sic Ver. Thu. Foss. deerant in Impr.*
[g] Ne forte *West. Ebor. Foss.* ne pro te patrimonium perdas, id agis ut ipse, pro patrimonio pereas *Ver.*
[h] Deesse substantia *Ver.*
[i] Quorum *West.*
[j] Pascit *Ar. Lam. Lin.*
[k] Nisi putas quod *Ar. Bod.* 2.
[l] Scriptura divina *Ar. Voss.* 1. *Lam. Bod.* 2, 3.
[m] Tales nunc *Ar.* Quales nunc in Ecclesia *Oxon.*
[n] A te servata *Saris.*
[o] Sic onerat *Ar. West. Lam. Saris. Bod.* 1, 2, 3, 4. Suo gravius *Oxon.*
[p] Copia, stulta se *Ver.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

X. — *Muscipulam.* Duo libri veteres addunt *diaboli.*

XI. — *Deesse subsidia.* Codex sancti Albini, *possit deesse substantia.* Sic etiam scriptum erat in Veronensi.

XII. — *De terrestribus lucris.* Vetus codex monasterii Compendiensis, *et ut nobis de terrestribus copiis lucra magna provida operatione faceremus.*

XIII. — *Pondere suo onerat.* Ita omnes veteres editiones, omnes libri nostri, et [bis] octo Anglicani. Pamelius ex editione Gravii, ut ipse ait, adjecit *gravius*, cum tamen vox illa non exstet in editione quæ dicitur Gravii.

Digitized by Google

ti : *Stulte* inquit, *hac nocte expostulatur anima tua a te. Quæ* [a] *ergo parasti cujus erunt* (*Luc.* XII, 20)? Quid divitiis tuis solus incubas? quid in pœnam tuam patrimonii tui pondus exaggeras, ut quo locupletior sæculo fueris, pauperior Deo fias? Redditus tuos divide cum Domino Deo tuo, fructus tuos partire cum Christo, fac tibi possessionum terrestrium Christum participem, ut et ille te sibi faciat regnorum cœlestium cohæredem.

XIV. Erras et falleris, quisquis te in sæculo divitem credis. Audi in Apocalypsi Domini tui vocem ejusmodi homines justis objurgationibus increpantem : *Dicis*, inquit, *Dives sum, et ditatus sum, et nullius* [b] *rei egeo ; et nescis quoniam tu es miser et miserabilis, et pauper* [c], *et cæcus, et nudus. Suadeo tibi emere a me aurum ignitum* [d] *de igni, ut sis dives ; et vestem albam, ut vestiaris* [e], *et non appareat in te fœditas nuditatis tuæ, et collyrio inunge* [f] *oculos tuos ut videas* (*Apoc.* III, 17, 18). Qui ergo locuples et dives es, eme tibi a Christo aurum ignitum, ut, sordibus tuis tamquam igne decoctis, esse aurum mundum possis, si eleemosynis et justa operatione purgeris. Eme tibi albam vestem, ut qui secundum Adam nudus fueras et horrebas ante deformis, indumento Christi candido vestiaris. Et quæ matrona in Ecclesia Christi locuples [g] et dives es, inunge oculos tuos, non stibio diaboli [h], sed collyrio Christi; ut pervenire ad videndum Deum possis, dum Deum et operibus [i] et [2] moribus promereris.

XV. Cæterum, quæ talis es, nec operari in Ecclesia potes. Egentem enim et pauperem non vident oculi tui superfusi nigroris tenebris et nocte contecti [j]. Locuples et dives es, et Dominicum celebrare te credis, quæ corban omnino non respicis, quæ in

LECTIONES VARIANTES.

[a] Anima tua, quæ *Ver. Ar. Saris.*
[b] Et ditatus, et nullius *Saris.*
[c] Miser et pauper *West. Satis. Bod.* 1.
[d] Aurum probatum *Voss.* 1.
[e] *Sic Bod.* 1, 3, 4. *Thu. Foss.* Albam vestiaris *Impr.* Induaris *Ar. Bod.* 2. *MR.*
[f] Unge *Saris.*
[g] Matrona lucuples *Ar. Saris. Bod.* 1, 2, 4.
[h] Diaboli deformis *Bod.* 3.
[i] Operibus bonis et moribus *Oxon.*
[j] Nocte cæcati *Foss.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

Redditus. Ita scribendum est, non autem *reditus*. Vox enim *redditus* descendit a verbo *reddo*, non a *redeo*. Varro lib. III, *de Re rustica*, cap. 3 : *Ut sexaginta eo anno reddiderit ea par villæ bis tantum quantum tuus fundus reddit.* Hieronymus lib. II, adversus Jovinianum ; *Pro magnis redditibus paterfamilias exigit.* Sanctus Leo papa, Sermone III de Collectis : *Quanto enim major speretur redditus de majore semine, potest tamen de exigua satione fructus provenire justitiæ.* Et tamen Cujacius, lib. IX *Observat.*, cap. 15, scribit *reditus*, et ita scribendum esse contendit Salmasius *ad scriptores Historiæ Augustæ*, pag. 3. Istic apud Cyprianum codex Compendiensis habet *divitias.*

Possessionum terrestrium. Non improbo lectionem veterum editionum, *fac tibi ex possessionum terrestrium proventu Christum participem.* Primus Manutius mutavit. Manutianam editionem confirmant vetera exemplaria.

XIV. — *Et miserabilis.* Hæc desunt in septemdecim libris nostris et in tribus Anglicanis.

In Ecclesia Christi. Valde puto ista, quæ desunt in antiquis editionibus, in decem codicibus nostris et in quinque Anglicanis, addita vero sunt a Manutio, non debere esse in hoc loco. Non tamen ausus sum expungere, quia ea reperi in undecim vetustis exemplaribus.

XV. — *Corban.* Ita scriptum vidi in novem codicibus manuscriptis, etiam in Segnieriano. Alii habent *Corbonam* vel *Corbanam*. Fuxensis, *Cerban* et *Corbanam*. In capite VII Evangelii secundum *Marcum* et in Epistola Hieronymi *ad Geruntiam* de Monogamia : *Corban, quod est donum.* Bona quoque potest esse lectio codicis Pithœani, in quo scriptum est, *quæ ut orba omnino non respicis.* Nam paulo ante Cyprianus dixit matris illius oculos superfusos esse nigroris tenebris et nocte contectos. Vide notas Cotelerii ad librum II *Constitutionum Apostolicarum*, c. 36, et Samuelis Basnagii *Exercitationes in Baronium*, p. 597.

In dominicum. Id est in domum in quam Christiani conveniunt ad celebranda mysteria. Constitutio Galerii Maximini pro Christianis apud Rufinum, lib. IX, c. 9 : *Sed et orationum domos, id est Dominica sua, ut instaurent pro voluntate sua permittimus.* Et lib. X, cap. 5, quidam confessor qui vicerat philosophum, ait : *Surge et sequere me ad Dominicum et hujus fidei signaculum suscipe.* Hieronymus in Chronico : *In Antiochia Dominicum quod vocatur aureum ædificari cœptum.* Sanctus Hilarius, in extremo libro *ad Constantium* qui incipit *Benignifico*, ait de Arianis : *Verentur igitur populi judicium ; a Dominico ad palatium transeunt.* Vide Beveregii annotationes in canonem 15 concilii Ancyrani, et Joannem Stephanum Durantum, lib. I, cap. 1, *de Ritibus Ecclesiæ catholicæ.*

Quoniam vero mentio incidit viri clarissimi et amantissimi patriæ civis, qui fuit persona insignis, ut verbis utar sancti Cypriani, arripienda est ista occasio ad destruendam fabulam quæ de eo et Petro Danesio episcopo Vaurensi nuper emersit in republica litteraria. Novus quidam scriptor, testis non satis idoneus, scribit Durantum non esse auctorem operis *de Ritibus Ecclesiæ catholicæ*, sed Petrum Danesium episcopum Vaurensem, Durantum porro, qui illud invenerat in bibliotheca Danesii, quam pretio comparaverat, suum fecisse eo jure quo emptores ea sua faciunt quæ emunt. Istud vero se accepisse ait hic auctor a Petro Berterio episcopo Montalbanensi, qui ita fando, ut ille ait, audiverat a Joanne Berterio, episcopo Rivensi, patruo suo, intima familiaritate conjuncto cum Danesio et Durando. Mirum est quam avide hæc nova historia excepta est a nonnullis : quia, ut Cicero ait, vulgus ex veritate pauca, ex opinione multa æstimat. Primum illud æquum et rationi prorsus consentaneum esse videtur, ut virum magnæ bonæque famæ nemo plagiarium audeat dicere absque certis testimoniis. Istic vero tantum abest ut certa sint testimonia quæ opus illud Duranto abjudicant, ut contra omnia concurrant ad illud ei asserendum. Narrationem enim de episcopo Montalbanensi, quæ nunc primum post tot annos se exerit, non posse esse veram certum est. Patruus enim ejus Joannes Berterius excessit e vivis anno MDCXX, mense julio. Tum vero episcopus Montalbanensis erat puer XII tantum annorum. Quis vero facile in animum induxerit queat puerum istius ætatis colloquia cum patruo miscuisse de tam grandibus [565] materiis et de rebus ita remotis ab usu et ingenio puerorum? Præterea certum est Danesium, ætate gravem, duobus ante obitum annis secessisse in monasterium sancti Germani de Pratis, ubi obiit et sepultus est. Probabile porro non est voluisse virum doctum divelli se et separari a bibliotheca sua ; adeoque existimandum est illam transtulisse in eas ædes in quibus habitare decreverat et ubi revera habitavit. Hæc mea opinio confirmatur testimonio Genebrardi, qui in Oratione habita in funere

Digitized by Google

Dominicum sine sacrificio venis, quæ partem de sacrificio quod pauper obtulit sumis. Intuere in Evangelio viduam præceptarum cœlestium [a] memorem, inter ipsas pressuras et angustias egestatis operantem, in gazophylacium duo quæ sola [b] sibi fuerant minuta mittentem : quam cum animadverteret Dominus et videret, non de patrimonio sed de animo opus ejus examinans, et considerans non quantum sed ex quanto dedisset, respondit et dixit : *Amen dico vobis quoniam vidua ista plus omnibus misit in dona Dei. Omnes enim isti ex eo quod abundavit illis miserunt in dona Dei, hæc autem de inopia sua omnem quemcumque habuit victum misit* (*Luc.* XXI, 3). Multum beata mulier et gloriosa, quæ etiam ante diem judicii judicis meruit voce laudari. Pudeat divites sterilitatis atque infidelitatis suæ [c]. Vidua, et vidua inops rebus, dives in opere [d] invenitur. Cumque universa quæ dantur pupillis et viduis conferantur, dat illa quam oportebat accipere; ut sciamus quæ pœna sterilem divitem maneat, quando hoc ipso documento operari etiam pauperes debeant. Atque, ut intelligamus hæc opera [e] Deo dari et eum quisquis hæc faciat Dominum promereri, Christus illud Dei dona appellat, et in dona Dei viduam duos quadrantes misisse significat, ut magis ac magis possit esse manifestum quia qui miseretur pauperis Deum fœnerat [f].

XVI. Sed nec illa res, fratres charissimi, a bonis operibus et justis refrænet et revocet Christianum, quod excusari se posse aliquis existimet beneficio filiorum, quando in impensis spiritalibus Christum cogitare [g], qui accipere se professus est, debeamus, nec conservos liberis nostris sed Dominum præferamus, ipso instruente et monente : *Qui diligit*, inquit, *patrem aut matrem super me, non est me dignus; et qui diligit filium aut filiam super me, non est me dignus* (*Matth.* x, 37). Item in Deuteronomio, ad corroborationem fidei et dilectionem Dei, paria conscripta sunt : *Qui dicunt*, inquit, *patri aut matri, Non novi te, et filios suos non agnoverunt, hi custodierunt præcepta tua, et testamentum tuum servaverunt* (*Deut.* XXXIII, 9). Nam, si Deum toto corde diligimus, nec parentes nec filios Deo præferre debemus. Quod et Joannes in Epistola sua ponit [h], charitatem Dei apud eos non esse quos videamus operari in pauperes nolle : *Qui habuerit*, inquit, *substantiam mundi, et viderit fratrem suum desiderantem* [i], *et clauserit viscera sua, quomodo* [j] *charitas* [k] *Dei manet in illo* (*Joan.* III, 17)? Si enim Deus eleemosynis pauperum fœneratur, et cum datur minimis Christo datur, non est quod quis terrena cœlestibus præferat nec divinis humana præponat.

XVII. Sic vidua illa, in tertio Regnorum libro, cum, in siccitate et fame consumptis omnibus, de modico farre et oleo quod superfuerat fecisset subcinericium panem [l], quo absumpto moritura cum liberis esset, supervenit Helias, et petiit sibi prius [m] ad edendum dari; tunc quod superfuisset, inde illam cum filiis suis vesci. Nec obtemperare illa dubitavit, aut Heliæ filios mater in fame et egestate præposuit. Fit immo in con

LECTIONES VARIANTES.

[a] Præceptorum divinorum *Lam. Ebor.*
[b] Quæque sola *Saris.*
[c] Sterilitatis atque infelicitatis *Ar. Saris. West. Voss.* 1. *Ebor. Lam.* 6. *NC.* 1, 2. *Thu. Foss. Bod.* 1, 2, 3.
[d] *Sic West. Ar. Lam. Ebor. Lin. Bod.* 1, 2, 3, 4. In opere larga invenitur *Oxon.*
[e] Hanc operam *NC.* 2.
[f] Deo fœnerat *Bod.* 1, 2.
[g] Christo erogare *Saris.*
[h] Ponit et dicit *Saris.*
[i] Fratrem egentem *West.* Desiderantem aliquid *Ver.*
[j] Viscera sua, ab eo *West. Voss.* 2. *Pem. Foss.*
[k] Quomodo poterit *Ver.*
[l] Cineritium *Ver. Bod.* 1, 2, 4.
[m] Sibi cibum prius *Bod.* 4.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

Danesii, paucis diebus post illius abitionem in cœlum, ait libros ejus apud hæredes tum fuisse, et neque distractos neque venditos fuisse; tum etiam auctoritate Theveti, qui Danesium familiarissime noverat et ei supervixit. Is autem in elogio ejus sic de lucubrationibus ejus loquitur, ut dicat se sperare eas reperiri inter libros ejus exstantes apud propinquos ejus. Ego certe habeo in mea bibliotheca duos codices manuscriptos quos certum est fuisse olim in bibliotheca Danesii. Denique J. Ang. Papius, qui primus opus *de Ritibus Ecclesiæ catholicæ* edidit Romæ anno 1591, et Gregorio XIV obtulit, testatur Durantum hoc opus appellasse *nocturnas lucubrationes suas*, illudque Romam misisse ad cardinalem Pelleveum ut illic excuderetur. Circumfertur præterea ejusdem Duranti *Epistola ad amicum suum* Joannem Barreriam, abbatem Fuliensem, e carcere in quem vir optimus a perditis et factiosis hominibus conjectus fuerat scripta, triduo ante miserabilem ejus mortem, in qua eum, qui tum Romæ erat, rogat ut quandocumque ipse rebus humanis excesserit, librum suum curet Romæ approbari ac deinde typis mandari. An fas est opinari virum gravem, bonum, sapientem, tum morti destinatum et proximum, ita impudentem esse potuisse ut sibi per summam audaciam et injustitiam tribueret opus quod sciret a se non fuisse compositum. Absit ut hæc cogitatio intrare possit in caput hominis cui mens sana est. Opinionis hujus seu potius fabulæ commenta delebit dies, eamque libentibus animis remittent studiosi veritatis et bonarum litterarum. Gloria Danesii non indiget mendaciis hominum. Vivet in æternitate temporum, fama rerum. Fuit enim, ut ait illustrissimus præses Thuanus, *homo doctissimus, et qui, quamquam nullis editis scriptis, meruit ut inter doctrina et litteris politioribus præstantes hujus ævi viros numeretur*. Cui accedens Scævola Sammarthanus in *Elogiis Gallorum doctrina illustrium* dolet *nulla jam superesse tanti ingenii tamque diuturni laboris monumenta*.

Partem de sacrificio. Vide Petavii diatribam *de Pœnitentia et Reconciliatione veteris Ecclesiæ moribus recepta*, cap. 3.

Meruit voce laudari. Hieronymus in Epistola ad Demetriadem *de Virginitate servanda*, loquens de sancto Joanne Baptista ait : *Ante diem judicii judicis voce laudatus.*

Infidelitatis. Parum abfuit quin ponerem *infelicitatis* juxta lectionem veterum editionum, quam confirmant viginti et duo exemplaria nostra et undecim Anglicana. Manutius posuit *infidelitatis*. Aliter Pamelio visum est.

Et vidua inops. Ita restitui hunc locum ex fide codicis Burgundici et sancti Arnulphi. Cæterum mala non est lectio Gratianopolitani et unius mei, in quibus scriptum est : *Vidua et inops non vidua in opere invenitur*. Porro vox *larga*, quam Manutiana editio inseruit, nusquam reperitur in antiquis exemplaribus nostris neque in Anglicanis.

XVI.— *Nec conservos.* Codex Compendiensis : *Nec servos aut liberos nostros Domino præferamus*

Digitized by Google

spectu Dei quod Deo placeat; prompte ac libenter quod petebatur offertur; nec de abundantia portio, sed de modico totum datur, et esurientibus liberis alter prius pascitur, neque in penuria et fame cibus ante quam misericordia cogitatur; ut, dum in opere salutari [a] carnaliter vita contemnitur, spiritaliter anima servetur. Helias itaque typum Christi gerens, [2*3] et quod ille pro misericordia vicem singulis reddat ostendens, respondit et dixit : *Hæc dicit Dominus : Fidelia farris* [b] *non deficiet, et capsaces olei non minuetur usque in diem quo dabit Dominus imbrem super terram* (3 *Reg.* XVII, 14). Secundum divinæ pollicitationis fidem multiplicata sunt viduæ et cumulata quæ præstitit, et operibus justis [c], ac misericordiæ meritis augmenta et incrementa sumentibus, farris et olei vasa completa sunt. Nec filiis abstulit mater quod Heliæ dedit, sed magis contulit filiis quod benigne [d] et pie fecit. Et illa nondum Christum sciebat, nondum præcepta ejus audierat, non cruce et passione ejus redempta, cibum et potum pro sanguine rependebat; ut ex hoc appareat quantum in Ecclesia peccet qui, se et filios Christo anteponens, divitias suas servat, nec patrimonium copiosum cum indigentium paupertate communicat.

XVIII. Sed enim multi sunt in domo liberi, et retardat te numerositas filiorum quominus largiter bonis operibus insistas. Atqui hoc ipso operari amplius debes quo multorum pignorum pater es. Plures sunt pro quibus Dominum depreceris; multorum delicta redimenda sunt, multorum purgandæ conscientiæ, multorum animæ liberandæ. Ut in hac vita sæculari alendis sustinendisque [e] pignoribus, quo major est numerus, hoc major et sumptus est, ita et in vita spiritali atque cœlesti, quo amplior fuerit pignorum copia, esse et operum debet major impensa. Sic et Job sacrificia numerosa pro liberis offerebat; quantusque erat in domo pignorum numerus, tantus dabatur Deo et numerus hostiarum. Et quoniam quotidie deesse non potest quod peccetur in conspectu Dei, sacrificia quotidiana non deerant, quibus possent peccata tergeri. Probat [f] Scriptura divina dicens : *Job homo verus et justus habuit filios septem et filias tres, et emundabat illos offerens pro eis hostias Deo secundum numerum illorum, et pro peccatis eorum vitulum unum* (*Job* I, 2, 5). Si ergo vere filios tuos diligis, si eis exhibes plenam et paternam dulcedinem charitatis, operari magis debes, ut filios tuos Deo justa operatione commendes.

XIX. Nec eum liberis [g] tuis cogites patrem qui et temporarius et infirmus est [h], sed illum [i] pares qui æternus et firmus filiorum spiritalium pater est. Illi assigna facultates tuas quas hæredibus servas. Ille sit liberis tuis tutor, ille curator, ille contra omnes injurias sæculares divina majestate protector. Patrimonium Deo creditum [j] nec respublica eripit, nec fiscus invadit, nec calumnia aliqua forensis evertit. In tuto hæreditas ponitur quæ Deo custode servatur. Hoc est charis pignoribus in posterum providere, hoc est futuris hæredibus paterna pietate consulere secundum fidem Scripturæ sanctæ dicentis : *Junior fui* [k], *et senui, et non vidi justum derelictum, neque semen ejus egens pane* [l]. *Tota die misereturet fœnerat, et se-*

LECTIONES VARIANTES.

[a] In opere spiritali *Saris.*
[b] Hydria farinæ *Saris.* Minuet *Ver.*
[c] Præstitit in operibus justis *Bod.* 1. 4.
[d] Contulit quod benigne *Bod.* 1.
[e] Alendis sustentandisque *Saris.*
[f] Probat hoc *West.*
[g] Nec te liberis *Saris. Voss.* 1.
[h] Infirmus es *Saris. Voss.* 1.
[i] Patrem *add. Oxon.*
[j] Deo credentium *Ar. Bod.* 1, 2. 4. *Lam.* Nec fur rapit *Voss.* 2.
[k] Juvenior fui *Bod.* 1. *Saris.*
[l] Quærens panem *Saris. West. Ar. Bod.* 1, 2, 3, 4.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

XVII.—*Fidelia farris.* Codex Lamonii *fiala.* Pithœanus, *hydria farinæ non deficiet et vas olei non minuetur.* Ita etiam ferme in c. XVII l. III Regnorum. Vide sanctum Ambrosium l. II *Officiorum*, c. 4, et l. III, c. 1.

Capsaces olei. Prosper, seu quis alius, l. II *de Promissionibus et Prædictionibus Dei*, cap. 29 : *Capsaces olei non minuetur.* Hieronymus in Epistola *ad Furiam* de Viduitate servanda : *Farina seritur, et olei capsaces invenitur.* Item in Epistola *ad Eustochium* de Virginitate servanda : *Mirum in modum capsace completo.* Sulpitius Severus lib. I *sacræ Historiæ* loquens de historia Heliæ : *Inde, admonitus a Domino, Sareptæ oppidum petiit, ad mulierem viduam divertit. Cumque ab ea esuriens cibum peteret, illa causari non esse sibi nisi pusillum farris et pusillum olei, quo absumpto, una cum filiis mortem exspectaret*, etc.

XVIII. — *Animæ liberandæ.* Quidam libri veteres et quædam editiones habent *redimendæ.*

Tergeri. Sic habent antiquæ editiones, etiam Manutiana, et omnes fere libri veteres. Et sic omnino legendum esse monuit Erasmus. Recte. Nam supra Epist. VIII, pag. 17 : *Vos vestra lætitia tergeatis.* Varro lib. III *de Re rustica*, cap. 5 : *Et eum potius per canales angustos serpere quo facile extergeri possint.* Cato, cap. II de Re rustica : *Fossas veteres tergeri.* Columella, lib. VI, cap. 9 : *Tum etiam convenit spongia labra detergeri.* Lucretius, lib. IV :

Certe jaci et tergeri multa videmus.

Item lib. VI :

Aridus unde aures terget sonus ille.

Horatius lib. II Carm., Sat. 2 :

Hoc potius quam gallina tergere palatum.

Idem lib. I Carm., Od. 7 :

Albus ut obscuri deterget nubila cœli
Sæpe notus.

Juvenalis Sat. V :

Sed et mox pocula torques
Saucius et rubra deterget vulnera mappa.

Et Sat. 14 :

Vasa aspera tergeat alter.

Silius Italicus lib. II :

Quoniam data copia longum
Detergere situm ferro.

Q. Curtius, l. X : *Abstergerique invicem remi.* Apuleius in Apologia : *Continuatio etiam iterati laboris omnem gratiam corpore deterget, habitudinem tenuat.* Symmachus, lib. VI, Epist. 73 : *Lætitiatergeat nubem præsentis iracundiæ*, et alibi sæpe apud hunc auctorem.

XIX. — *Egens pane.* Plures libri veteres habent *quærens panem.* Ita etiam editio Vulgata.

Fœnerat. Ita posteriores editiones et plerique libri

Digitized by Google

men ejus in benedictione est [a] (*Psal.* xxxvi, 25). Et iterum : *Qui conversatur sine vituperatione in justitia* [b], *beatos post se filios relinquet* (*Prov.* xx, 7). Prævaricator itaque et proditor pater es, nisi filiis tuis fideliter consulas, nisi conservandis eis religiosa et vera pietate prospicias. Qui studes terreno magis quam cœlesti patrimonio, filios tuos diabolo magis [c] commendare quam Christo, bis delinquis et geminum ac duplex crimen admittis, et quod non præparas filiis tuis Dei patris auxilium, et quod doces filios [d] patrimonium plus amare quam Christum.

XX. Esto potius liberis tuis pater talis qualis Tobias exstitit. Da utilia et salutaria præcepta pignoribus qualia ille filio dedit ; manda filiis tuis quod et ille filio mandavit dicens : *Et nunc, fili, mando tibi, servi Deo in veritate, et fac coram illo quod illi placet ; et filiis tuis manda* [aaa] *ut faciant justitiam et eleemosynas, et sint memores Dei, et benedicant nomen ejus omni tempore* (*Tob.* xiv, 10, 11). Et iterum : *Omnibus diebus vitæ tuæ, fili dilectissime, Deum in mente habe, et noli præterire præcepta ejus. Justitiam fac omnibus diebus vitæ tuæ, et noli ambulare viam iniquitatis ; quoniam agente te ex veritate, erit respectus operum tuorum. Ex substantia tua fac eleemosynam, et noli avertere faciem tuam ab ullo paupere. Ita fiet ut nec a te avertatur facies Dei. Prout habueris, fili, sic fac. Si tibi fuerit copiosa substantia, plus ex illa fac eleemosynam : si exiguum habueris, ex hoc ipso exiguo communica. Et ne timueris cum facis eleemosynam ; præmium enim bonum reponis tibi in diem necessitatis, quia eleemosyna a morte liberat, et non patitur ire in gehennam* [e]. *Munus bonum est eleemosyna omnibus qui faciunt eam coram summo Deo* (*Tob.* iv, 2-16).

XXI. Quale munus est, fratres charissimi, cujus editio [f] Deo spectante celebratur ! Si in gentilium munere grande et gloriosum videtur proconsules vel imperatores habere præsentes, et apparatus ac sumptus apud munerarios major est ut possint placere majoribus, quanto illustrior muneris et major est gloria Deum et Christum spectatores habere ! Quanto istic et apparatus uberior et sumptus largior exhibendus est ubi ad spectaculum conveniunt cœlorum Virtutes, conveniunt Angeli omnes, ubi munerario non quadriga vel consulatus petitur, sed vita æterna præstatur, nec captatur inanis et temporarius favor vulgi, sed perpetuum præmium regni cœlestis [g] accipitur !

XXII. Atque, ut pigros et steriles et cupiditate nummaria nihil circa fructum salutis operantes magis pudeat, ut plus conscientiam sordidam dedecoris ac turpitudinis suæ rubor cædat [h], ponat unusquisque ante oculos suos diabolum cum servis suis [i], id est cum populo perditionis ac mortis, in medium prosilire, plebem Christi [j], præsente et judicante ipso, comparationis examine provocare dicentem : « Ego pro istis quos mecum vides nec alapas accepi, nec flagella sustinui, nec crucem pertuli, nec sanguinem fudi, nec familiam meam pretio passionis et cruoris redemi ; sed nec regnum illis cœleste promitto, nec ad paradisum restituta immortalitate denuo revoco ; et munera mihi quam pretiosa, quam grandia, quam nimio et longo labore quæsita, sumptuosissimis apparatibus comparant, rebus suis vel obligatis in muneris comparatione vel venditis ; ac nisi editio honesta successerit [k], convicils ac sibilis ejiciuntur, et furore populari nonnumquam pene lapidantur. Tuos tales munerarios, Christe, demonstra, illos divites [l], illos copiosis opibus affluentes, an in Ecclesia præsidente et spectante te ejusmodi munus edant, oppignoratis vel distractis rebus suis, immo ad cœlestes thesauros mutata in melius possessione translatis. In istis muneribus meis caducis atque terrenis nemo pascitur, nemo vestitur, nemo cibi alicujus aut potus solatio sustinetur. Cuncta inter furorem edentis et spectantis errorem prodiga et stulta voluptatum frustrantium vanitate depereunt. Illic in pauperibus tuis tu vestiris et pasceris, tu æternam vitam operantibus polliceris ; et vix tui meis pereuntibus [m] adæquantur. qui a te divinis mercedibus et præmiis cœlestibus honorantur.

LECTIONES VARIANTES.

[a] Benedictione erit *Bod.* 1, 3.
[b] Vituperatione et injuria *Saris.*
[c] Diabolo mavis *Pem. Voss.* 2.
[d] *Sic Bod.* 1, 2, 3, 4. *Spir. Vet. innom. Voss.* 1. *Lam. Ebor.* Filiis *Rigalt.*
[e] *Sic.* In *West. Ar. Ben. Pem. NC.* 2. *Saris. Voss.* 2. *Lam. Bod.* 1, 2, 3, 4. *Ver.* Gehennam *Imp.*
[f] Cujus præbitio *Bod.* 1.
[g] Ac cœleste regnum *Lin.*
[h] Rubor accedat *Pem. Voss.* 1.
[i] Diabolum cum angelis *Voss.* 1.
[j] Christo præsente *Voss.* 1. *Lam. Bod.* 1, 3, 4.
[k] Accesserit *Saris.*
[l] Demonstra, divites *Ar. West. Lam. Ebor. Saris. Bod.* 1, 2, 3, 4.
[m] Meis perdentibus *Ar. West. Bod.* 4. *Ver. Corb. Mam. Mor.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

veteres. Aliæ editiones et liber Psalmorum vulgatus *commodat*. Sic etiam editio Anglicana.

XXI. — *Imperatores habere præsentes*. Supra Epist. viii, pag. 17, Christus dicitur adfuisse certamini martyrum. Cassianus lib. vi, cap. 9 : *Dominus pugnam certaminis nostri jugiter spectat*. Auctor Epistolæ *ad Demetriadem*, inter opera sancti Hieronymi : *Huic tanto spectaculo vide quem animum, quam debeas afferre virtutem, et certaminis magnitudinem de spectantium dignitate metire.*

XXII. — *Ponat unusquisque*. Hic locus refertur apud sanctum Augustinum lib. iv, *contra duas Epistolas Pelagianorum*, cap. 8.

Munerarios. Hieronymus in Epistola *ad Pammachium* de Dormitione Paulinæ : *Munerarius pauperum et egentium candidatus*. Vide Senecam lib. ii *de Beneficiis*, cap. 21, et Maximi Taurinensis Homiliam *in vigiliis Natalis Domini*. Quintilianus lib. viii, cap. 3, tradit Augustum primum fuisse qui dixit *munerarium*.

Demonstra. Postea sequitur in editione Manutiana, *præceptis tuis munitos et pro terrenis cœlestia recepturos*. At ego cum Morellio expungo, quia illa non inveni in antiquis editionibus neque in ullo eorum veterum exemplarium quibus usus sum, et desunt etiam in novem Anglicanis.

Digitized by Google

XXIII. Quid ad hæc respondemus, fratres charissimi? Sacrilega sterilitate [a] et quadam tenebrarum nocte coopertas divitum mentes qua ratione defendimus, qua excusatione purgamus, qui diaboli servis minores sumus, ut Christo pro pretio passionis et sanguinis vicem nec in modicis rependamus? Præcepta ille nobis dedit, quid facere servos suos oporteret instruxit, operantibus præmium pollicitus, [215] et supplicium sterilibus comminatus, sententiam suam protulit, quid judicaturus sit ante prædixit. Quæ potest excusatio [b] esse cessanti, quæ defensio sterili, nisi quod non faciente servo quod [c] præcipitur, Dominus faciet quod minatur, qui et dicit : *Cum venerit Filius hominis in claritate sua, et omnes Angeli cum eo, tunc sedebit in throno claritatis suæ* [d] *: et colligentur ante eum omnes gentes, et segregabit eos ab invicem, quemadmodum pastor segregat oves ab hædis, et statuet oves ad dexteram suam, hædos autem ad sinistram. Tunc dicet rex iis qui ad dexteram suam erunt* [e] *: Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare ; sitivi, et potastis me; hospes fui, et adduxistis me; nudus, et vestistis me* [f] *; infirmatus sum, et visitastis me ; in carcere fui, et venistis ad me. Tunc respondebunt ei justi dicentes : Domine, quando te vidimus esurientem et pavimus, sitientem et potavimus? quando te vidimus hospitem, et adduximus, nudum, et vestivimus? quando autem te vidimus infirmari* [g] *et in carcere, et venimus ad te? Tunc respondens rex dicet eis : Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni horum ex fratribus meis minimis, mihi fecistis. Tunc dicet et illis qui ad sinistram ejus erunt* [h]*: Discedite a me, maledicti, in ignem æternum quem paravit Pater meus diabolo et angelis ejus. Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare; sitivi, et non potastis me; hospes fui, et non adduxistis me ; nudus, et non vestistis me; infirmus et in carcere, et non visitastis me* [i]*. Tunc respondebunt et ipsi dicentes : Domine, quando te vidimus esurientem aut sitientem aut hospitem aut nudum aut infirmum aut in carcere, et non ministravimus tibi? Et respondebit illis : Amen dico vobis, quamdiu non fecistis uni ex minimis his, neque mihi fecistis. Et abibunt isti in ambustionem* [j] *æternam, justi autem in vitam æternam* (*Matt.* XXV, 31-46). Quid potuit nobis majus Christus edicere? Quomodo magis potuit justitiæ ac misericordiæ nostræ opera provocare, quam quod præstari dixit sibi quicquid egenti præstatur et pauperi, et se dixit offendi nisi egenti præstetur et pauperi? ut qui respectu fratris in Ecclesia non movetur, vel Christi contemplatione moveatur, et qui non cogitat in labore atque in egestate conservum, vel Dominum cogitet in ipso illo quem despicit constitutum.

XXIV. Et idcirco, fratres charissimi, quibus metus in Deum pronus est, et, spreto calcatoque jam mundo, ad superna et divina animus erectus est, fide plena, mente devota, operatione continua promerendo Domino [k] obsequium præbeamus. Demus Christo vestimenta terrena, indumenta cœlestia recepturi : demus cibum et potum sæcularem, cum Abraham et Isaac et Jacob ad convivium cœleste venturi. Ne parum metamus [l], plurimum seminemus. Securitati ac saluti æternæ, dum tempus est, consulamus, Paulo apostolo admonente et dicente : *Ergo, dum tempus habemus, operemur quod bonum est ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei. Bonum autem facientes non deficiamus; tempore enim suo metemus* (*Gal.* VI, 10).

XXV. Cogitemus, fratres dilectissimi, quid sub Apostolis fecerit credentium populus, quando inter ipsa primordia majoribus virtutibus mens vigebat, quando credentium Fides novo adhuc fidei calore fervebat. Domicilia tunc et prædia vendundabant, et dispensandam pauperibus [m] quantitatem libenter ac largiter Apostolis offerebant, terreno patrimonio vendito atque distracto, fundos illuc transferentes ubi fructus caperent possessionis æternæ [n], illic comparantes domos ubi inciperent semper habitare. Talis tunc fuit in operationibus cumulus, qualis [216] in dilectione consensus, sicut legimus in Actis Apostolorum : *Turba autem eorum qui crediderant anima ac mente una agebant : nec fuit inter illos discrimen ullum, nec quicquam suum judicabant ex bonis quæ eis erant, sed fuerunt illis omnia communia* (*Act.* IV, 32). Hoc est nativitate spiritali [o] vere Dei filios [p] fieri, hoc est lege cœlesti æquitatem Dei Patris imitari. Quodcumque enim Dei est, in nostra usurpatione commune est, nec quisquam a beneficiis ejus et muneribus arcetur, quominus omne humanum genus bonitate ac largitate divina æqualiter perfruatur. Sic æqualiter dies illuminat, sol radiat, imber rigat, ventus aspirat ; et dormientibus somnus unus est, et stellarum splendor ac lunæ communis est. Quo æqualitatis exemplo [q] qui

LECTIONES VARIANTES.

[a] Sacrilegas sterilitates *Lam. Bod.* 2, 4. *Ver.*
[b] Quæ potest esse defensio *Saris. Voss.* 1. *Bod.* 1, 2, 3, 4.
[c] Servo quicquid *alii.*
[d] In claritate sua *Ar. West. Saris. Bod.* 1, 2, 3, 4. *sup. adv. Jud. et ad Quir.* In gloria *Imp.*
[e] Dextram suam sunt *Ar. West. Saris. Bod.* 1, 2, 3, 4.
[f] Texistis me *Ar. West Saris. sup. adv. Jud. ad Quir.* Vestistis *Imp.*
[g] Infirmum *Bod.* 1. *sup. adv. Jud. et ad Quirin.* Infirmatus sum *Imp.*
[h] Sinistram ejus sunt *Ar. West. Saris. Bod.* 1, 2, 3, 4.
[i] Venistis ad *NC.* 2. *Bod.* 3, 4.
[j] Combustionem *Pem. Voss.* Ignem *Liu.*
[k] In promerendo *Voss.* 1.
[l] Metemus non fatigati *Bod.* 1, 4.
[m] Pauperibus facultatem *West.*
[n] Æternæ : ut illis comparent *Bod.* 3, 4.
[o] Spiritali vivere *West.*
[p] Filium *Lam. Ebor. West.*
[q] Quo æquitatis *Bod.* 1, 2, 3. Æqualitatis *NC.* 2. *Tew. Drur.* 2.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

XXV. — *Æqualitatis.* Ita Erasmus et alii post eum. Nolui autem mutare, quamvis in omnibus fere codicibus antiquis et in vetustioribus editionibus legatur *æquitatis.*

Digitized by Google

possessor in terris redditus ac fructus suos cum fraternitate partitur, dum largitionibus gratuitis communis ac justus est, Dei Patris imitator est.

XXVI. Quæ illa erit, fratres charissimi, operantium gloria, quam grandis et summa lætitia, cum populum suum Dominus cœperit recensere, et meritis atque operibus nostris præmia promissa contribuens, pro terrenis cœlestia, pro temporalibus sempiterna, pro modicis magna præstare, offerre nos Patri, cui nos sua sanctificatione [a] restituit, æternitatem nobis immortalitatemque largiri, ad quam nos sanguinis sui vivificatione reparavit, reduces ad paradisum denuo facere, regna cœlorum fide et veritate suæ pollicitationis aperire! Hæc hæreant firmiter sensibus nostris, hæc intelligantur plena fide, hæc corde toto diligantur, hæc indesinentium operum magnanimitate [b] redimantur. Præclara et divina res, fratres charissimi, salutaris operatio, solatium grande credentium, securitatis nostræ salubre præsidium, munimentum spei, tutela fidei, medela peccati [c], res posita in potestate facientis, res et grandis et facilis, sine periculo persecutionis, corona pacis, verum Dei munus et maximum, infirmis necessarium, fortibus gloriosum, quo Christianus adjutus perfert [d] gratiam spiritalem, promeretur Christum judicem, Deum computat debitorem. Ad hanc operum salutarium palmam libenter ac prompte certemus, omnes in agone justitiæ Deo et Christo spectante curramus; et qui sæculo et mundo majores esse jam cœpimus, cursum nostrum nulla sæculi et mundi cupiditate tardemus. Si expeditos, si celeres, si in hoc operis agone currentes dies nos vel redditionis [e] vel persecutionis [f] invenerit, nusquam Dominus meritis nostris ad præmium deerit. In pace vincentibus coronam candidam pro operibus dabit, in persecutione purpuream pro passione geminabit.

LECTIONES VARIANTES.

[a] Qui nos *Bod.* 3. De sanctificatione *Bod.* 2.
[b] Magnanimitate reddantur *Lin.*
[c] Medela peccati reposita *Ar.*
[d] Adjutus perferre *Bod.* 1. Præfert *Rig.* Ac justus *West. Lin.*
[e] Reditionis *Lam. Ebor. NC.* 1. *Veron. Corb. Vet. Inn. Spir. Mun. Routh, ex* 4 *suis codd.*
[f] Percussionis *Morel.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

Communis ac justus. Commodianus Instruct. 30: *Estote communes minimis, dum tempus habetis.* Item Instruct. 63.

XXVI. — *Coronam candidam.* Supra Epist. VIII, p. 18: *Erat certe in operibus fratrum candida, nunc facta est in martyrum cruore purpurea.* Hieronymus *in Epitaphio Paulæ* ad Eustochium: *Non solum enim effusio sanguinis in confessione reputatur, sed devotæ quoque mentis servitus immaculata quotidianum martyrium est. Illa corona de rosis et violis plectitur, ista de liliis.*

---

[647] LIBER

DE BONO PATIENTIÆ. [5]

ARGUMENTUM. — *Scripti hujus occasionem ita paucis exponit ipse Cyprianus sub finem Epist. ad Jubaianum: « Servatur a nobis patienter et leniter charitas animi, collegii honor, dilectionis vinculum, concordia sacerdotii. Propter hoc etiam nunc libellum de Bono Patientiæ, quantum valuit nostra mediocritas, permittente Domino et inspirante, conscripsimus, quem ad te, pro mutua dilectione, transmisimus. » Postquam itaque initio, patientiam veram a falsa philosophorum distinxit, a patientia Dei, Christi ac justorum omnium, patientiam christianam commendat. Deinde non utilem modo, sed et necessariam illam esse, tum Scripturis, tum rationibus probat, exemplis item Job et Tobiæ; et ut ex opposito sibi vitio magis patientiæ bonum elucescat, impatientiæ quantum malum sit prosequitur. Postremo vindictæ cupiditatem vituperat, docetque Deo, juxta Scripturas, permittendam potius, quam nobis arrogandam ultionem. Si quo alio autem in libro hoc certe, Tertullianum imitatur, librum nempe ejus de Patientia.* PAMEL.

I. De patientia locuturus, fratres dilectissimi, et utilitates ejus et commoda prædicaturus, unde potius incipiam quam quod nunc quoque ad audientiam vestram patientiam video esse necessariam, ut nec hoc ipsum quod auditis et discitis, sine patientia facere possitis. Tunc enim demum sermo [b] et ratio salutaris efficaciter discitur, si patienter quod dicitur audiatur. Nec invenio, fratres dilectissimi, inter cæteras cœlestis disciplinæ vias quibus ad consequenda divinitus præmia spei ac fidei nostræ secta dirigitur,

LECTIONES VARIANTES.

[5] De Patientia *Bod.* 4. *Lin. August.*
[b] Sermo Domini *Bod.* 4.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

DE BONO PATIENTIÆ. — Hujus sui operis mentionem facit Cyprianus in calce Epistolæ *ad Jubaianum*, pag. 137. Ejusdem argumenti librum scripsit Tertullianus. Item Augustinus. Etiam quidam Paulus episcopus olim scripsit, ut testatur Gennadius, librum *de Patientia*.

I. — *Fidei nostræ secta.* Supra Epist. XXII, p. 32: *Humilitate ac timore sectæ nostræ verecundus.* Item in

Digitized by Google

quid magis sit [a] vel utilius ad vitam vel majus ad gloriam, quam ut qui præceptis dominicis obsequio timoris ac devotionis innitimur, patientiam maxime tota observatione tueamur [b].

II. Hanc se sectari philosophi quoque [c] profitentur. Sed tam illic patientia falsa est, quam et falsa sapientia est. Unde enim vel sapiens esse vel patiens possit qui nec sapientiam nec patientiam Dei novit [d]? quando ipse de his qui sibi sapere in mundo videntur moneat et dicat : *Perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo* (*Isa.* XXIX, 14). Item beatus apostolus Paulus, plenus Spiritu sancto et vocandis formandisque [e] Gentibus missus, contestetur et instruat dicens : *Videte ne quis vos deprædetur per philosophiam et inanem fallaciam, secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, et non secundum Christum, quia in ipso habitat omnis plenitudo divinitatis* (*Coloss.* II, 8). Et alio loco : *Nemo se*, inquit, *decipiat. Si quis se putat sapientem esse in vobis, mundo huic stultus fiat, ut fiat sapiens. Sapientia enim mundi hujus stultitia est apud Deum. Scriptum est enim : Reprehendam [f] sapientes in astutia ipsorum.* Et iterum : *Cognovit Dominus [g] cogitationes sapientium, quia sunt stultæ* (I *Cor.* III, 18-20). Quare, si sapientia illic vera non est, esse non potest et vera patientia. Nam si sapiens [h] ille est qui est humilis et mitis, philosophos autem nec humiles videmus esse nec mites, sed sibi multum placentes, et hoc ipso quod sibi placeant Deo displicentes, apparet illic [i] veram non esse patientiam ubi sit insolens affectatæ libertatis audacia et exerti ac seminudi pectoris invercunda jactantia.

III. Nos autem, fratres dilectissimi, qui philosophi non verbis sed factis sumus, nec vestitu sapientiam, sed veritate præferimus, qui virtutum conscientiam magis quam jactantiam novimus, qui non loquimur magna sed vivimus, quasi servi [j] et cultores Dei, patientiam quam magisteriis cœlestibus discimus obsequiis spiritalibus præbeamus. Est enim nobis cum Deo virtus ista communis. Inde patientia incipit, inde claritas ejus et dignitas caput sumit. Origo et magnitudo patientiæ Deo auctore procedit. Diligenda res homini quæ Deo chara [k] est : bonum quod amat majestas divina commendat. Si dominus nobis et pater Deus est, sectemur patientiam domini pariter et patris : quia et servos oportet esse obsequentes, et filios non decet esse degeneres.

IV. Qualis vero in Deo et quanta patientia, [518] quod, in contumeliam suæ majestatis et honoris instituta ab hominibus profana templa et terrena figmenta et sacra sacrilega patientissime sustinens, super bonos et malos æqualiter facit diem nasci et lumen solis oboriri, et cum imbribus terras rigat, nemo a beneficiis ejus excluditur quominus justis similiter et injustis indiscretas pluvias largiatur! Videmus inseparabili æqualitate patientiæ nocentibus et innoxiis, religiosis et impiis, gratias agentibus et ingratis, Dei nutu tempora obsequi, elementa famulari, spirare ventos, fontes fluere, grandescere copias messium [l], fructus maturescere vinearum, exuberare pomis arbusta, nemora frondescere, prata florere. Et cum crebris immo continuis exacerbetur offensis Deus, indignationem suam temperat, et præstitutum semel retributionis diem patienter exspectat. Cumque habeat in potestate vindictam, mavult diu tenere patientiam, sustinens, scilicet clementer et differens, ut, si fieri potest, multum malitia protracta aliquando mutetur, et homo in errorum et scelerum contagione volutatus vel sero ad Deum convertatur, ipso monente et dicente : *Nolo mortem morientis, quantum ut revertatur et vivat* (*Ezech.* XXXIII, 11). Et iterum : *Revertimini ad me, dicit Dominus* (*Malach.* III, 7). Et iterum : *Revertimini ad Dominum Deum vestrum, quoniam misericors et pius et patiens et multæ miserationis, et qui sententiam flectat adversus malitias irrogatas* [m] (*Joel* II, 13). Quod item beatus apostolus Paulus commemorans et peccatorem ad pœnitentiam revocans, proponit et di-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Aliquid magis vel utile ad vitam, vel magis ad gloriam esse necessarium *Bod.* 4.
[b] Teneamus *Pem. Voss.* 1.
[c] Philosophi quique *Ver.*
[d] Novit : quomodo et *Lam. Ebor. NC.* 1.
[e] Servandisque gentibus *Lin.*
[f] Comprehendam *Voss.* 1. Reprehendens *Pem. Lin. Voss.* 2. *NC.* 2. Reprehendes *Sup. l.* III *ad Quir. c.* 69.
[g] Deus *Saris. Ver.*
[h] Nam utique si patiens *Lam. Ebor. NC.* 1. *Pem. Ar. MR. Thu. Foss.* Sapiens *Rigalt.*
[i] Illic non esse patientiam *Lam. Ebor. Lin. Bod.* 1, 2, 3, 4.
[j] Ut servi *Saris.* Quia servi *Bod.* 4.
[k] Chara est, ac bonum *Bod.* 1.
[l] Candescere copias messium *Morel.* Fructus maturescere *Foss.* Nitescere *Vict.* Fructus maturatus *Lin.*
[m] Malitiam irrogatam *Ben. Bod.* 1, 2, 3, 4. *Saris.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

Epistola *ad Quirinum* præfixa libris *Testimoniorum* pag. 274 : *Quædam capitula ad religiosam sectæ nostræ disciplinam pertinentia.*

II. — *Sapientia hujus mundi.* Hanc Pauli apostoli sententiam Celsus malevolo adversum Christianos animo vertebat in contrarium sensum, dicendo illos vulgo jactare malam rem esse in vita sapientiam, bonam vero stultitiam. Quod Origenes adversus eum scribens, ait esse meram sycophantiam, uti revera est, cum sit expresse contra verba Apostoli.

[517] III. — *Non loquimur magna.* Minutius Felix : *Nos non habitu sapientiam, sed mente præferimus. Non loquimur magna, sed vivimus.*

IV. — *Maturescere.* Ita veteres editiones et sex libri veteres. Quæ lectio sane optima est. Alia, quæ habet *mitescere*, quam Erasmus invexit, bona etiam est, et habet plures libros veteres consentaneos.

Mavult diu tenere. Supra Epist. IX, pag. 18 : *Diu patientiam meam tenui.* Ruricius lib. II, Epist. 4 : *Tenenda est in tentatione patientia.*

Revertimini ad me. Hoc segmentum, quod habetur in editionibus antiquis, Manutiana sustulit; Morellius reposuit. Recte sane; exstat enim in octo libris veteribus.

Digitized by Google

cit : *An numquid opulentiam bonitatis ejus et sustinentiam et patientiam contemnis* [a], *ignorans quoniam patientia et bonitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Tu autem, secundum duritiam tuam et cor impœnitens, thesaurizas tibi iram in die iræ* [b] *et revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera sua* (*Rom.* II, 4-6). Justum judicium Dei dixit esse, quia serum est, quia diu multumque differtur, ut homini ad vitam longa Dei patientia consulatur. Tunc repræsentatur pœna impio et peccatori, quando jam non potest pœnitentia prodesse peccati [c].

V. Atque ut plenius intelligere possimus, fratres dilectissimi, quia patientia Dei res est, et quisquis lenis et patiens et mitis est, Dei Patris imitator est, cum in Evangelio suo Dominus præcepta in salutem daret, et divina monita depromens ad perfectum [d] discipulos [e] erudiret, posuit et dixit : *Audistis quia dictum est : Diliges proximum tuum* [f], *et odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis : Diligite inimicos vestros, et orate pro eis qui vos persequuntur, ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos. Si enim dilexeritis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne sic et publicani faciunt* [g]*? Et si salutaveritis fratres vestros tantum? quid amplius facitis* [h]*? Nonne et ethnici idipsum faciunt. Estote itaque* [i] *vos perfecti? sicut Pater vester i cœlestis perfectus est* (*Matth.* V, 43-48). Sic perfectos dixit fieri Dei filios, sic consummari ostendit et docuit cœlesti nativitate reparatos, si patientia Dei Patris maneat in nobis, si similitudo divina, quam peccato [k] Adam perdiderat, manifestetur et luceat in actibus nostris. Quæ gloria est similem Deo fieri! qualis et quanta felicitas habere in virtutibus quod divinis laudibus possit æquari!

VI. Nec hoc, fratres dilectissimi, Jesus Christus Deus et Dominus noster tantum verbis docuit, sed implevit et factis. Et quia ad hoc descendisse se dixerat ut voluntatem Patris faceret [l], inter cætera mirabilia [m] virtutum suarum quibus indicia divinæ majestatis expressit, paternam quoque patientiam tolerantiæ tenore servavit. Omnes denique [n] actus [a1b] ejus ab ipso statim adventu patientia comite signantur [o], quod primum [p] de illa sublimitate cœlesti ad terrena descendens non aspernatur Dei Filius carnem hominis induere et, cum peccator ipse non esset, aliena peccata portare. Immortalitate interim posita, fieri se et mortalem patitur, ut innocens pro nocentium salute perimatur [q]. Dominus baptizatur a servo ; et, remissam peccatorum daturus, ipse non dedignatur lavacro regenerationis corpus abluere. Diebus quadraginta jejunat, per quem cæteri saginantur : esurit et famem sentit, ut qui in fame sermonis et gratiæ fuerant cœlesti pane saturentur. Cum diabolo tentante congreditur, et inimicum tantum vicisse contentus, nihil ultra verba conatur. Discipulis non ut servis dominica potestate præfuit, sed benignus et mitis fraterna eos charitate dilexit. Dignatus est etiam pedes Apostolorum lavare, ut, dum circa servos talis est dominus, exemplo suo doceret qualis circa compares et æquales debeat esse conservus. Nec mirandum [r] quod circa compares obaudientes [s] talis extiterit qui Judam potuit usque ad extremum longa patientia sustinere, cibum cum inimico capere [t], hostem domesticum scire nec palam ostendere, traditoris osculum non recusare. In Judæis vero tolerandis æquanimitas quanta et quanta patientia! incredulos ad fidem suadendo flectere, obsequio ingratos fovere, contradicentibus respondere leniter, superbos sustinere clementer, humiliter persequentibus cedere, Prophetarum interfectores et adversum Deum semper rebelles usque ad crucis et passionis horam velle colligere.

VII. Sub ipsa autem passione et cruce, priusquam ad crudelitatem necis et effusionem sanguinis veniretur, quæ conviciorum probra patienter audita, quæ

LECTIONES VARIANTES.

[a] Sustinentiam et patientiam *Ver. Ben. Saris. Bod.* 1. 3, 4. *Ar. Sup. ad Quir. l.* III, *c.* 35. Sustinentiæ et patientiæ *Oxon. et anter. edd.*
[b] In diem iræ *Bod.* 1, 4. *Ver.*
[c] *Sic Lam. Ver. Thu. Foss.* Peccanti *Oxon.*
[d] Ad profectum *Ebor. Bod.* 3.
[e] Discipulos suos *Pen. Voss.* 1.
[f] Proximum tibi, et odio habebis inimicum tibi, *Lam. Lin. Bod.* 1, 2. 4. *Ver.*
[g] Nonne et publicani hoc faciunt *Bod.* 1. *Thu.*
[h] Amplius facietis *Bod.* 1, 2. *Lam. Foss.*
[i] Eritis itaque *Bod.* 1, 2, 3. *Thu. Foss. Ver.*
[j] Quomodo pater *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Ver.*
[k] Quam peccando Adam *Bod.* 3.
[l] Voluntatem patris adimpleret *Bod.* 3.
[m] Magnalia *Ver.*
[n] Omnis denique *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Lam. Thu.*
[o] Signatur *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Lam. Thu.*
[p] Primum quod *Lam. Ebor.*
[q] Salute puniatur *Bod.* 3.
[r] Mirandum si *Bod.* 1.
[s] Obaudientes *Lin. NC.* 2. Obedientes *alii.* Compares *Undenam? nullum fontem vocis hujus indigitat Baluz.*
[t] Inimico capere *Ar. Bod.* 1, 2. *Lam. Ebor. Ben. Ver.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

Sustinentiam et patientiam. Dubitari non potest quin hæc emendatio certa sit, cum ita legatur in capite 35 libri III *Testimoniorum*, in octodecim codicibus nostris, in septem Anglicanis et in excerptis Flori. Sic etiam in Affligemensi scriptum fuisse testatur Pamelius, et in Veronensi et Beneventano Rigaltius. Infra in hoc ipso libro pag. 252 : *Tolle sustinendi tolerandique substantiam, et nullis radicibus ac viribus perseverat.*

V. — *Publicani. Id est qui vectigalia redimentes*, inquit Erasmus in hunc locum Matthæi, *unde et redemptores dicuntur. Genus hominum olim infame apud Judæos, nunc apud Christianos cum primis honestum. Nec id sane mirum, cum institores ac mensarii omnibus pene anteponantur apud utriusque reipublicæ summates, quos nec Aristoteles nec Tullius inter honestos cives haberi vult.*

Publicani, — ethnici. Vide Cotelerii notas ad lib. IV *Constitutionum apostolicarum* cap. 6.

VI. — *Capere.* Antea legebatur *sumere.* Nos maluimus lectionem quam præferunt viginti libri nostri et quinque Anglicani.

Ostendere. Tertullianus in libro de Patientia : *Deum ipsum ostendens patientiæ exemplum.*

Digitized by Google

contumeliarum tolerata ludibria, ut insultantium sputamina [a] exciperet, qui sputo suo cæci oculos paulo ante formasset; et in cujus nomine a servis nunc ejus diabolus cum angelis suis flagellatur, flagella ipse pateretur; coronaretur spinis qui martyres floribus coronat æternis, palmis in faciem verberaretur qui palmas veras vincentibus tribuit, spoliaretur veste terrena qui indumento immortalitatis cæteros vestit, cibaretur felle qui cibum cœlestem dedit, aceto potaretur qui salutare poculum [b] propinavit! Ille innocens, ille justus, immo innocentia ipsa et ipsa [c] justitia, inter facinorosos deputatur, et testimoniis falsis veritas premitur, judicatur judicaturus, et Dei Sermo ad victimam taceus ducitur. Et cum ad crucem Domini confundantur sidera, elementa turbentur, contremiscat terra, nox diem claudat, sol, ne Judæorum facinus aspicere cogatur, et radios et oculos suos subtrahat, ille non loquitur, nec movetur, nec majestatem suam sub ipsa saltem passione profitetur. Usque ad finem perseveranter ac jugiter tolerantur omnia, ut consummetur in Christo plena et perfecta patientia.

VIII. Et post ista omnia [d], adhuc interfectores suos, si conversi ad eum venerint, suscipit; et patientia salutari ad conservandum benignus et patiens [e], Ecclesiam suam nemini claudit. Illos adversarios, illos blasphemos, illos nominis sui semper inimicos, si pœnitentiam delicti agant, si admissum facinus agnoscant, non solum ad indulgentiam criminis, sed et ad præmium regni cœlestis admittit. Quid potest patientius, quid benignius dici? Vivificatur Christi sanguine etiam qui fudit sanguinem Christi. Talis est Christi ac tanta patientia; quæ nisi talis ac tanta existeret, Paulum quoque apostolum Ecclesia non haberet.

IX. Quod si et nos, fratres dilectissimi, in Christo sumus, si ipsum induimus, [sss] si ipse est salutis nostræ via, qui Christum vestigiis salutaribus sequimur, per Christi exempla gradiamur, sicut Joannes apostolus instruit dicens: *Qui dicit se in Christo manere, debet quomodo ille ambulavit et ipse ambulare* (I *Joa.* II, 6). Item Petrus, super quem Ecclesia Domini dignatione fundata est, in Epistola sua ponit et dicit: *Christus passus est pro nobis, relinquens vobis* [f] *exemplum, ut sequamini vestigia ejus; qui peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus; qui cum malediceretur, non remaledicebat* [g], *cum pateretur* [h] *non comminabatur; tradebat autem se judicanti se injuste* [i] (I *Pet.* II, 21).

X. Invenimus denique et Patriarchas et Prophetas et justos omnes, qui figuram Christi imagine præeunte portabant, nihil magis custodisse in laude virtutum suarum quam quod patientiam forti et stabili æquanimitate tenuerunt. Sic Abel [j] originem martyrii et passionem justi [k] hominis initians primus et dedicans adversus fratrem fratricidam [l] non resistit nec reluctatur, sed humilis et mitis patienter occiditur. Sic

LECTIONES VARIANTES.

[a] Sputamina exciperet *Ar. Saris. Lam. Bod.* 1, 2, 3, 4. *Ver.* Patienter *add. Oxon.*

[b] Salutari poculo *Bod.* 4. Salutaria pocula *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2. Salutari poculo *Thu.*

[c] Ipse et ipse *Bod.* 1, 2, 3. *Thu. Foss.*

[d] Post ista adhuc *Lam. Ebor. NC.* 1. *Lin. Bod.* 1, 2, 3, 4.

[e] Benignus, Ecclesiam *Oxon. ed. Ar. Saris. Lam. Ebor. NC.* 1. *Pem. Voss.* 1. *Lin. Ver. Vet. innom. Spir. Mm.* Benignus et patiens *Imp.*

[f] Nobis *Ver.*

[g] Remaledixit *Lin. Bod.* 4. *Saris. NC.* 2. *Ver. Thu.* Maledicebat *Oxon.*

[h] Qui cum pateretur *Voss.* 1.

[i] Judicanti injuste *Ar.*

[j] Abel in origine mundi martyrium *Voss.* 1.

[k] Justi initians *Ar. Bod.* 2. *Ver.*

[l] Fratrem homicidam *Lam.* Fratricidam *Foss.* Parricidam *Oxon.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

VII. — *Sputamina exciperet.* Erasmus scripsit *sputamina patienter exciperet.* Mirum est quanto favore acceptum sit hoc adverbium. Omnes editiones quæ prodierunt post Erasmicam illud retinuerunt. Et tamen ego illud nuspiam reperi in tanto numero veterum exemplarium quibus usus sum quam in Lamoniano. Deest etiam in septem Anglicanis. Itaque non arbitror quemquam me temeritatis insimulare posse quod sustulerim, præsertim cum certum sit illud istic minime necessarium esse. Infra pag. 255: *Faciem suam non avertit a fœditate sputorum.* Tertullianus in libro de Fuga in persecutione: *Faciem non avertit a sputaminibus.*

Ipsa et ipsa. Ita plerique libri veteres. Alii multi habent *ipse et ipse.* Utraque lectio bona est.

X. — *Fratricidam.* Ego hanc lectionem præfero, tum quia vox est admodum latina, et quia eam habent veteres editiones, etiam Morelliana, et aliquot libri veteres, tum etiam quia, cum remota sit ab usu vulgari, puto eos qui posuerunt *parricidam* existimasse aliam lectionem non esse bonam. Cyprianus de hac ipsa re agens in libro *de Bono Patientiæ* pag. 250, Cain vocat fratricidam. Cicero in Oratione *pro Domo sua* ad Pontifices. *Extra ordinem ferri nihil placuit Clodio. Quid de me quod tulisse te dicis, parricida, fratricida, sororicida, nonne ista extra ordinem tulisti?* Priscianus lib. I: *Pro parenticida per syncopen factum patricida, frater fratris fratricida, soror sororis sororicida.* Tertullianus in libro de Patientiæ: *Cain ille primus homicida et primus fratricida,* et in libro de Spectaculis, *a fratricida institutore.* Lucifer Calaritanus lib. II pro sancto Athanasio: *Cain quoque fratricidæ comparetur, in morte manere designetur. Cur me hoc opus implere compellebas quod me ut Cain fecissei fratricidam et filium diaboli?* Philastrius cap. 128: *Est hæresis quæ non recte intelligit de Cain quod post fratricidium quod commiserat rogat Dominum mori potius quam dimitti.* Salvianus lib. I *de Gubernatione Dei,* cap. 6, de hac ipsa re agens scripsit: *Fratricidium Deo teste facturus.* Cassianus, lib. IX, cap. 9: *Post fratricidium pœnitere,* et *Collat.* VIII, cap. 21: *A fratricida et impio.* Primasius in Epistolam Pauli ad Romanos: *Signum Christi portavit homicida, sicut Cain fratricida portavit.* Germanus, episcopus Parisiensis, in epistola ad Brunechildem reginam: *Unus ex ipsis Cain fratricidium perpetrarit.* Gregorius Turonensis lib. I Hist. cap. 2: *In fratrem sanguinis effusione novus fratricida consurgens.* Concilium Wormaciense cap. 30: *Statuimus ut parricidæ et fratricidæ.* Concilium Troslejanum cap. 13 loquens de crimine Cain: *Et ipse usque ad septimam generationem fratricidii et invidiæ suæ vagus profugusque pœnas lueret.* Alcuinus sive quis alius in libro *de divinis Officiis,* cap. 13: *Fratricida qui fratrem occidit.* Honorius papa III [sss] apud Odoricum Raynaldum, an. 1225, § 29: *Crudelior Cain fratricida.* Georgius Pogiebracius rex Bohemiæ in *Epistola apologetica* ad regem

Digitized by Google

Abraham Deo credens et radicem ac fundamentum fidei primus instituens, tentatus in filio, non dubitat neque cunctatur, sed præceptis Dei tota patientia devotionis obsequitur. Et Isaac, ad hostiæ Dominicæ similitudinem præfiguratus, quando a patre immolandus offertur, patiens invenitur. Et Jacob, fugatus a fratre de terra sua patienter excedit, et majore patientia postmodum supplex adhuc magis impium et persecutorem muneribus pacificis ad concordiam redigit. Joseph, venundatus a fratribus et relegatus [a], non tantum patienter ignoscit, sed et gratuita frumenta [b] venientibus largiter [c] et clementer impertit. Moyses ab ingrato et perfido populo contemnitur frequenter et pene lapidatur, et tamen lenis et patiens pro eisdem Dominum deprecatur. In David vero, ex quo secundum carnem Christi nativitas oritur, quam magna et mira et christiana patientia, habuisse [d] in manu sæpe ut Saul regem persequentem se et interficere concupiscentem posset occidere, et tamen subditum sibi et traditum maluisse servare, nec rependisse inimico vicem, sed occisum adhuc insuper et vindicasse! Tot denique Prophetæ interfecti, tot martyres gloriosis mortibus honorati, qui omnes ad cœlestes coronas patientiæ laude venerunt. Neque enim potest accipi dolorum et passionum corona, nisi præcedat in dolore et passione patientia.

XI. Quam sit autem patientia utilis et necessaria, fratres dilectissimi, ut manifestius possit et plenius nosci, Dei sententia cogitetur quam in origine statim mundi et generis humani Adam, præcepti immemor et datæ legis transgressor, accepit [e]. Tunc sciemus quam patientes esse in isto sæculo debeamus, qui sic nascimur ut pressuris istic et conflictationibus laboremus : *Quia audisti*, inquit, *vocem mulieris tuæ, et manducasti ex illa arbore de qua sola præceperam tibi ne manducares* [f], *maledicta terra erit in omnibus operibus tuis : in tristitia et gemitu edes ex ea omnibus diebus vitæ tuæ, spinas et tribulos ejiciet tibi* [g], *et edes pabulum agri ; in sudore vultus tui edes panem tuum donec revertaris in terram de qua sumptus es ; quia terra es, et in terram ibis* (*Gen.* III, 17 *sqq.*). Hujus sententiæ vinculo colligati omnes et constricti sumus, donec, expuncta [h] morte, de isto sæculo recedamus. In tristitia et gemitu simus necesse est omnibus diebus vitæ nostræ, edamus panem necesse est cum sudore et labore.

XII. Unde unusquisque nostrum cum nascitur [i] et hospitio mundi hujus excipitur, initium sumit a lacrymis, et quamvis adhuc omnium nescius et ignarus, nihil aliud novit in illa ipsa prima nativitate quam flere. Providentia naturali lamentatur, [sic] vitæ mortalis [j] anxietates et labores et procellas mundi quas ingreditur, in exordio statim suo ploratu et gemitu rudis anima testatur. Sudatur enim quamdiu istic vivitur et laboratur. Nec sudantibus et laborantibus possunt alia magis quam patientiæ subvenire solatia : quæ cum apta sint et necessaria in isto mundo universis, tum magis nobis, qui diabolo impugnante plus quatimur; qui, in acie quotidie stantes, inveterati et exercitati hostis colluctationibus fatigamur ; quibus, præter varias et assiduas tentationum pugnas, in persecutionum quoque certamine patrimonia relinquenda sunt, subeundus carcer [k], portandæ catenæ, animæ impendendæ, gladius, bestiæ, ignes, cruces, omnia denique tormentorum ac pœnarum genera fide et virtute patientiæ perferenda, Domino ipso instruente et dicente : *Hæc locutus sum vobis ut in me pacem habeatis : in mundo autem pressuram habebitis, sed fidite* [l], *quoniam ego vici mundum* (*Joan.* XVI, 33). Si autem qui diabolo et mundo renuntiavimus, pressuras et infestationes diaboli et mundi crebrius ac violentius patimur, quanto magis patientiam tenere debemus, qua adjutrice et comite omnia infesta toleremus?

XIII. Domini et magistri nostri [m] salutare præceptum est : *Qui toleraverit* [n], inquit, *usque ad finem, hic salvus erit* (*Matth.* X, 22). Et iterum : *Si permanseritis*, inquit, *in verbo meo, vere discipuli mei eritis* [o], *et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos* (*Joan.* VIII, 31). Tolerandum et perseverandum est, fratres dilectissimi, ut, ad spem veritatis et libertatis admissi, ad veritatem et libertatem ipsam pervenire possimus ; quia hoc ipsum quod Christiani sumus, fidei et spei res est ; ut autem spes et fides ad fructum sui possint pervenire, patientia opus est. Non enim præsentem gloriam sequimur, sed futuram, secundum quod et Paulus [p] apostolus monet dicens : *Spe salvati sumus* [q]. *Spes autem quæ videtur non est spes : quod enim videt quis quid sperat? Si autem quod non videmus speramus* [r],

LECTIONES VARIANTES.

[a] Ligatus *Lam. Pem. Voss.* 2.
[b] Gratis *Pem. Voss.* 2. Grana et frumenta *Bod.* 3.
[c] Largitur *Bod.* 3.
[d] Habuisse dignoscitur *Bod.* 3.
[e] Accepta gratia non tenuit, sed amisit *Voss.* 1.
[f] Manducares ex ea *Bod.* 1.
[g] Germinabit tibi *NC.* 1.
[h] Extincta morte *Bod.* 4. Extincti morte *Bod.* 3.
[i] Unusque cum nascitur *Bod* 1, 2, 3, 4. *Saris.*
[j] Vitæ temporalis *Ver.*
[k] Subeundus est *Bod.* 3.
[l] Sed credite *NC.* 1. *Lam. Bod.* 1, 2.
[m] Magistri nostri *Lam. Ebor. Lin. Saris. Bod.* 1, 2, 3, 4. Magistri salutare *Oxon.*
[n] Qui perseveraverit *Lin.*
[o] Discipuli mei estis *Ar. Saris. Bod.* 1, 2, 3, 4.
[p] Secundum quod et Paulus *Bod.* 1, 2, 3, 4.
[q] Salvi facti sumus *Lam. Ebor. Pem. Bod.* 2.
[r] Exspectationem speramus *Saris. Ar. Bod.* 2, 4. *Ver.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

Hungariæ Matthiam generum suum in tomo IV *Spicilegii* Dacheriani, p. 411, vocat *Cain fratricidam*. Parricidam tamen posse dici matris aut fratris interfectorem tradit Quintilianus, lib. VIII, cap. 6.

XI.—*Dei sententia cogitetur.* Citat hunc locum sanctus Augustinus lib. IV *contra duas Epistolas Pelagianorum*, cap. 8.

XII.—*In mundo.* Duo libri veteres habent *in mundo*, et supra lineam *vel sæculo*. Hinc factum ut, cum nonnulli mallent *mundo*, alii *sæculo*, alterutra earum lectionum posita sit in exemplaribus antiquis pro arbitrio librariorum.

Digitized by Google

per patientiam exspectamus (*Rom.* VIII, 24). Propterea exspectatio et patientia necessaria est ut id quod cœpimus impleamus, et quod credimus et speramus Deo repræsentante [a] capiamus. Denique alio in loco idem apostolus justos et operantes et divini fœnoris incremento cœlestes thesauros sibi recondentes ut patientes quoque sint instruit et docet dicens : *Ergo, dum tempus habemus operemur quod bonum est ad omnes, maxime vero ad domesticos fidei. Bonum autem facientes non deficiamus; tempore enim suo metemus* [b] (*Gal.* VI, 9). Admonet ne quis impatiens in operatione deficiat, ne quis tentationibus aut avocatus aut victus in medio laudis et gloriæ itinere desistat, et pereant præterita, dum quæ cœperant desinunt esse perfecta, sicut scriptum est : *Justitia justi non liberabit eum in quacumque die exerraverit* (*Ezech.* XXXIII, 12). Et iterum : *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam* (*Apoc.* III, 11). Quæ vox adhortatur patienter et fortiter perseverare, ut qui ad coronam laude jam proxima nititur [c], durante patientia coronetur.

XIV. Patientia autem, fratres dilectissimi, non tantum bona custodit, sed et repellit adversa. Spiritui sancto favens et cœlestibus ac divinis cohærens contra facta carnis et corporis, quibus anima expugnatur et capitur [d], virtutum suarum propugnaculo reluctatur. Inspiciamus denique pauca de multis, ut de paucis intelligantur et cætera. Adulterium, fraus, homicidium, mortale crimen est. Sit fortis et stabilis in corde patientia [e]; et nec adulterio sanctificatum corpus et Dei templum polluitur, nec justitiæ dicata innocentia contagione frandis inficitur, nec post gestatam Eucharistiam [f] manus gladio et cruore maculatur.

XV. Charitas fraternitatis vinculum est, fundamentum [252] pacis, tenacitas ac firmitas unitatis, quæ et spe et fide major est, quæ et opera et martyria præcedit, quæ nobiscum semper æterna apud Deum in regnis [g] cœlestibus permanebit. Tolle illi patientiam, et desolata non durat. Tolle illi sustinendi tolerandique substantiam, et nullis radicibus ac viribus perseverat. Apostolus denique, cum de charitate loqueretur, tolerantiam illi et patientiam junxit. *Charitas*, inquit, *magnanima est, charitas benigna est, charitas non æmulatur, non inflatur, non irritatur, non cogitat malum* [h], *omnia diligit, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet* (I *Cor.* XIII, 4-7). Ostendit inde illam perseverare tenaciter posse quod noverit omnia sustinere. Et alio in loco : *Sustinentes*, inquit, *invicem in dilectione, satis agentes servare unitatem spiritus in conjunctione pacis* (*Ephes.* IV, 2). Probavit nec unitatem servari posse nec pacem nisi se invicem fratres mutua tolerantia foveant, et concordiæ vinculum patientia intercedente custodiant.

XVI. Quid deinde, ut non jures neque maledicas, ut tua ablata non repetas, ut, accepta alapa, et alteram maxillam verberanti præbeas, ut fratri in te peccanti non tantum septies, sed septuagies septies [i], sed et omnia omnino peccata dimittas, ut diligas inimicos tuos, ut pro adversariis et persecutoribus precem facias? Porisne ista perficere [j], nisi patientiæ et tolerantiæ teneas firmitatem? Quod factum videmus in Stephano [l]; qui, cum a Judæis vi et lapidibus necaretur, non sibi vindictam, sed interfectoribus veniam postulabat dicens : *Domine, ne statuas illis hoc peccatum* (*Act.* VII, 59). Sic esse oportuit primum martyrem Christi, qui martyres secuturos gloriosa morte præcurrens, non tantum Dominicæ passionis prædicator esset [m], sed et patientissimæ lenitatis imitator. Quid dicam de ira, de discordia, de simultate, quæ in Christiano esse non

LECTIONES VARIANTES.

[a] Deo repræsentante *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Saris. Lin. Ver. Benev. Benet.* Deo præstante *Oxon.*

[b] Metemus non fatigati *NC.* 1.

[c] Coronam laudis jam proximam *Bod.* 1. 3, 4. *Voss.* 1. Laudem quam proxime *Morel.* Et laudem jam proximam *Foss. Eras.*

[d] Quatitur *Pem. Voss.* 2. *Bod.* 2. 4.

[e] Sic forti et stabili manente in corde patientia, nec adulterio *Saris.*

[f] Gustatam Eucharistiam *Bod.* 1, 2. *MR. Thu. Foss. Voss.* 1, 2. *Lam. Ebor. et omnes Imp. ante Pamel.* Gestam Eucharistiam *Lin.*

[g] Æterna in regnis *Ar. Lam. Ebor. NC. Lin. Bod.* 1, 2, 3, 4.

[h] Cogitat malum, non gaudet super iniquitatem, collætatur autem in veritate *Lin.*

[i] Septuaginta et septem *Bod.* 4.

[j] Non poteris ista *Bod.* 1. 3.

[k] Perferre *Ar. Saris. Lam. Ebor. Foss.*

[l] A Stephano *Lam. Ebor. Bod.* 2.

[m] Meruit prædicator esse *Saris.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

XIII. — *Repræsentante.* Ego non inficior quin vulgata lectio, quæ *præstante* habet, sit optima. At cum nostra nitatur auctoritate novemdecim exemplarium nostrorum et sex Anglicanorum, tum etiam testimonio Flori, arbitratus sum eam reddendam esse Cypriano.

Ad coronam. Multum variant in hoc loco vetera exemplaria. Quædam enim exhibent lectionem quam nos retinuimus, alia *ad coronam laudis*, alia et veteres editiones *ad coronam et laudem jam proximam*. Ex illis lector eam eliget quæ sibi magis arriserit.

XIV. — *Gestatam.* Omnes veteres editiones et sexdecim libri veteres, etiam Seguierianus, habent *gustatam*, octo, et in his Veronensis, *gestatam*. Istam vero lectionem Pamelius retulit in contextum, eam videlicet ob causam quod manu non gustetur Eucharistia, sed olim gestari solita sit in manu. Quod Rigaltius probavit. Itaque visum est hanc lectionem, quæ præterea nititur auctoritate octo veterum exemplarium, esse retinendam. Nam Cyprianus in libro *de Lapsis*, pag. 188, ait : *Et quod non statim Domini corpus inquinatis manibus accipiat*. Vide Joannem Stephanum Durantum, lib. I, cap. 16, de *Ritibus Ecclesiæ catholicæ*, Henrici Valesii annotationes ad Eusebium, lib. VI, cap. 43, et lib. VII cap. 9, Cardinalem Bonam, lib. II *Rerum Liturgicarum*, cap. 17, et Hospinianum, lib. I *de Templis*, cap. 5.

XVI. — *Non tantum septies.* Ita veteres editiones, etiam Morelliana, et duo libri veteres. Quod sumptum est ex capite XXVIII Matthæi. Itaque hic locus videtur esse mutilus in antiquis codicibus, qui non habent hanc particulam. Eam Manutius sustulit, Morellius reposuit, Pamelius rursum sustulit. Codex sancti Arnulphi, *non tantum septuaginta et septem*. Ea argumentatione et auctoritate usus est Catholicus Armenorum anno 1247 ad Innocentium Papam IV scribens, ut ei suaderet parcendum esse Friderico imperatori, adversus quem vehementer exarserat iracundia Papæ. Vide Odoricum Raynaldum anno 1247, § 34. Vide supra pag. 463.

Digitized by Google

debent? Sit patientia in pectore, et hæc illic locum habere non possunt; aut si adire tentaverint, cito exclusa discedunt, ut domicilium pacificum perseveret in corde ubi Deum pacis delectet habitare. Admonet denique Apostolus et docet dicens [a]: *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in diem redemptionis* [b]. *Omnis amaritudo et ira et indignatio et clamor et blasphemia auferatur a vobis* (*Ephes.* IV, 30). Si enim Christianus a furore et contentione carnali, tamquam de maris turbinibus, excessit, et tranquillus ac lenis in portu Christi esse jam cœpit, nec iram nec discordiam debet intra pectus admittere, cui nec malum pro malo reddere liceat nec odisse.

XVII. Necnon ad varia quoque carnis incommoda et crebros corporis durosque cruciatus, quibus humanum genus quotidie fatigatur et quatitur, patientia necessaria est. Nam, cum in illa prima transgressione præcepti firmitas corporis cum immortalitate discesserit, et cum morte infirmitas venerit, nec possit firmitas recipi nisi cum recepta et immortalitas fuerit, oportet in hac fragilitate atque infirmitate corporea [c] luctari semper et congredi. Quæ luctatio et congressio non nisi patientiæ viribus potest sustineri. Examinandis autem nobis atque explorandis [d] diversi importantur dolores, et multiplex tentationum qualitas irrogatur, de jacturis facultatum, de ardoribus febrium, de cruciatibus vulnerum, de amissione charorum. Nec aliud magis [e] inter injustos discernit et justos, quam quod in adversis per impatientiam queritur et blasphemat injustus, patientia justus [f] probatur, sicut scriptum est: *In dolore sustine, et in humilitate tua patientiam habe, quoniam in igne probatur aurum et argentum* [g] (*Eccli.* II, 4).

XVIII. Sic Job examinatus est et probatus et ad summum fastigium laudis patientiæ virtute [153] provectus. Quanta adversus eum diaboli jacula emissa, quanta admota tormenta! Jactura rei familiaris infligitur, numerosæ sobolis orbitas irrogatur. Dives in censu dominus, et in liberis pater ditior, nec dominus repente nec pater est. Accedit vulnerum vastitas, et tabescentes ac fluentes artus edax quoque vermium pœna consumit. Ac, ne quid omnino remaneret quod non Job in suis tentationibus experiretur, armat diabolus et uxorem, illo antiquo nequitiæ suæ usus ingenio, quasi omnes per mulierem decipere posset et fallere, quod fecit in mundi origine; nec tamen Job gravibus ac densis conflictationibus frangitur quominus inter illas angustias et pressuras suas Dei benedictio [h] victrice patientia prædicetur. Tobias quoque, post justitiæ et misericordiæ suæ opera magnifica, luminum amissione tentatus, in quantum patienter cæcitatem pertulit, in tantum granditer Deum patientiæ laude promeruit.

XIX. Atque, ut magis, fratres dilectissimi, patientiæ bonum luceat, quid mali [i] e contrario impatientia importet consideremus. Nam, ut patientia bonum Christi est, sic e contra impatientia diaboli malum [j]; et sicut in quo habitat et manet Christus, patiens invenitur, ita impatiens semper existit cujus mentem diaboli nequitia possidet. Exordia denique ipsa videamus. Diabolus hominem [k] ad imaginem Dei factum impatienter tulit: inde et periit primus et perdidit. Adam, contra cœleste præceptum, cibi lethalis impatiens, in mortem cecidit, nec acceptam divinitus gratiam patientia custode servavit; et ut fratrem Cain perimeret, sacrificii ejus et muneris impatiens fuit; et quod Esau de majoribus ad minora descendit, primatus suos per impatientiam lentis [l] amisit. Quid Judaïcus populus circa beneficia divina perfidus et ingratus, nonne quod a Deo primum recessit, impatientiæ crimen fuit, dum Moysi cum Deo [m] colloquentis moras non potest ferre, profanos deos ausus est postulare [n], ut itineris sui duces nuncuparet [o] caput bubulum et terrestre figmentum; nec umquam ab eadem impatientia destitit, quominus, semper docilitatis et divinæ admonitionis impatiens, Prophetas suos et justos quosque perimendo, ad crucem quoque et ad sanguinem Domini prosiliret. Impatientia etiam [p] in Ecclesia hæreticos facit, et, ad Judæorum similitudinem, contra Christi pacem et charitatem rebelles ad hostilia et furiosa odia compellit. Et, ne longum sit singula recensere, omnia omnino quæ patientia operibus suis ædificat ad gloriam, impatientia destruit ad ruinam.

XX. Quare, fratres dilectissimi, et bonis patientiæ et impatientiæ malis diligenter expensis, patientiam, per quam in Christo manemus, ut venire cum Christo ad Deum possimus [q], plena observatione teneamus; quæ copiosa et multiplex non angusto fine concluditur, nec brevibus terminis coercetur. Late patet

LECTIONES VARIANTES.

[a] Monet dicens *Bod.* 1. Admonet denique apostolus Paulus *Ver.*
[b] Die redemptionis *Saris. Bod.* 1, 2. *Vict.*
[c] Corporis luctari semper *Bod.* 3, 4.
[d] Probandis diversi importantur labores *Ver.*
[e] Magis justos discernit *Saris. Bod.* 1, 2, 3, 4.
[f] Justi *Voss.* 1.
[g] Homines vero receptibiles in camino humiliationis *Bod.* 1.
[h] Benedictionem victrice patientia prædicaret *Voss.* 1. *Pem. Bod.* 4. *NC.* 2.
[i] Et quid mali *Saris.*
[j] Malum est *Bod.* 1. 4.
[k] Deum superiorem se et hominem ad *Vict.*
[l] Mentis *Bod.* 1. 3.
[m] Deo loquentis *Ar. Bod.* 2. *Foss. Vict.*
[n] Ausus est postulare *Lam. Ebor. Lin. NC.* 1. *Bod.* 1, 2, 3, 4. Est *omitt. Oxon.*
[o] Duces diceret *Ar.*
[p] Etiam in Ecclesia *Lam. Ebor. Lin. NC.* 1, 2.
[q] Et venire cum Christo ad Deum possumus *Lam. Ebor. Lin. NC.* 1. *Bod.* 1, 2, 3, 4.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

XVIII. —*Dei benedictio.* Quidam libri veteres præferunt: *Dei benedictionem victrice patientia comitetur.* Seguierianus: *Dei benedictio vitrice patientia prædicetur.* Sic etiam codex sancti Arnulphi.

XIX. —*Impatientia diaboli malum.* Vide librum Tertulliani *de Pœnitentia*, qui totus in hoc argumento versatur.

Periit primus. Siricii papæ Epistola ad universos episcopos: *Non patitur quietos nos ab incursatione sua vacare hostis antiquus, ab initio mendax, inimicus veritatis, æmulus hominis, quem ut deciperet, se ante decepit.*

Digitized by Google

patientiæ virtus; et ubertas ejus et largitas de unius quidem nominis fonte proficiscitur, sed, exundantibus venis, per multa gloriarum itinera diffunditur; nec proficere aliquid in actibus nostris potest ad consummandam laudem, nisi inde consummationis accipiat firmitatem [a]. Patientia est quæ nos Deo et commendat et servat. Ipsa est quæ iram temperat, quæ linguam frænat, mentem gubernat, pacem custodit, disciplinam regit, libidinis impetum frangit, tumoris violentiam comprimit, incendium simultatis extinguit, coercet potentiam divitum, inopiam pauperum refovet, tuetur in virginibus beatam integritatem, in viduis laboriosam castitatem, in conjunctis et maritatis individuam charitatem. Facit [sic] humiles in prosperis, in adversis fortes [b], contra injurias et contumelias mites. Docet delinquentibus cito ignoscere; si ipse delinquas, diu et multum rogare. Tentationes expugnat, persecutiones tolerat, passiones et martyria consummat. Ipsa est quæ fidei nostræ fundamenta firmiter munit: ipsa est quæ incrementa spei sublimiter provehit [c]. Ipsa actum [d] dirigit, ut tenere possimus viam Christi, dum per ejus tolerantiam gradidimur: ipsa efficit ut perseveremus filii Dei, dum patientiam Patris imitamur.

XXI. Sed, quoniam plurimos scio, fratres dilectissimi, vel pondere injuriarum angentium vel dolore de iis qui adversum se grassantur et sæviunt, vindicari velociter cupere, nec illud in extrema [e] parte reticendum est, ut, in istis fluctuantis mundi turbinibus et Judæorum sive gentilium et hæreticorum quoque persecutionibus constituti, patienter exspectemus ultionis diem, nec ad vindictam doloris nostri querula festinatione properemus, cum scriptum sit: *Exspecta me, dicit Dominus, in die resurrectionis meæ* [f] *in testimonium, quoniam judicium meum ad congregationes gentium, ut excipiam reges et effundam super eos iram meam* (*Soph.* III, 8). Exspectare nos jubet Dominus [g] et futuræ ultionis diem forti patientia sustinere. Qui et in Apocalypsi loquitur dicens: *Ne signaveris verba prophetiæ libri hujus, quia jam tempus in proximo est ut et ii qui perseverant nocere noceant, et qui in sordibus est sordescat adhuc, justus autem adhuc justiora faciat, similiter et qui sanctus est* [h], *sanctiora. Ecce venio cito, et merces mea mecum est, reddere unicuique secundum facta sua* (*Apoc.* XXII, 10-12). Unde etiam clamantes martyres et ad vindictam suam, dolore erumpente, properantes exspectare adhuc jubentur et temporibus consummandis implendisque martyribus præbere patientiam: *Et cum aperuisset*, inquit, *quintum sigillum* [i], *vidi sub ara Dei animas occisorum propter verbum Dei et martyrium suum, et clamaverunt voce magna dicentes: Quousque, Domine sanctus et verus, non judicas et vindicas sanguinem nostrum de iis qui in terris inhabitant? Et datæ sunt eis singulæ stolæ albæ* [j], *et dictum est eis ut requiescerent brevi adhuc tempore, donec impleatur numerus conservorum et fratrum eorum qui postea* [k] *occidentur exemplo ipsorum* (*Apoc.* VI, 9-11).

XXII. Quando autem veniat sanguinis justi divina vindicta, declarat per Malachiam prophetam [l] Spiritus sanctus dicens: *Ecce dies Domini venit ardens velut clibanus; eruntque omnes alienigenæ et omnes iniqui stipula* [m], *et succendet* [n] *illos adveniens dies, dicit Dominus* (*Malach.* IV, 1). Quod item legimus in Psalmis, ubi Dei judicis prædicatur adventus censuræ suæ majestate venerandus: *Deus manifestus veniet, Deus noster, et non silebit. Ignis ante eum ardebit, et in circuitu ejus procella nimia* [o]. *Advocabit* [p] *cœlum sursum et terram deorsum, ut separet populum suum. Colligite illi justos ejus, eos qui disponunt testamentum ejus in sacrificiis; et annuntiabunt* [q] *cœli justitiam ejus, quoniam Deus judex est* (*Psal.* XLIX, 3-6). Et Esaias [r] eadem prænuntiat dicens: *Ecce enim Dominus sicut ignis veniet, et sicut procella currus ejus, retribuere in ira vindictam. In igne enim Domini judicabuntur, et in gladio ejus vulnerabuntur* (*Isa.* LXVI, 15). Et iterum: *Dominus Deus virtutum prodibit et comminuet bellum, excitabit certamen* [s], *et clamabit super inimicos suos*

LECTIONES VARIANTES.

[a] Firmamentum *Lin. Pem.*
[b] Et in adversis fortes *Bod.* 1.
[c] Subtiliter provehit *Ar.*
[d] Ipsa agnitionem actuum *Ben. NC. Ebor. Lam. Bod.* 2.
[e] *Sic Lam. Ebor. Lin. NC.* 1, 2. *Ben. Saris. Bod.* 1, 2, 3, 4. *Thu. Foss.* Nec in illum extremi judicii diem malorum retributionem differre, nobiscum, hortamur, interim amplectimini patientiæ bonum, ut in extr. *Morell. Pam. Oxon.*
[f] Retributionis meæ *Bod.* 3.
[g] Fratres dilectissimi *add. Oxon.*
[h] Sanctus sanctiora *Lam. Ebor. Bod.* 1, 2, 3, 4. *Ver. Mam.*
[i] Quintum signum *Lam. Ebor. Saris. Bod.* 2, 3, 4. *Ver. Thu.*
[j] Data est singulis stola alba *Thu. Paulo post*, Ut sustinerent *Bod.* 1.
[k] Quinque postea *Lam. Pem. Lin. Ebor. Saris. NC.* 1. *Voss.* 1, 2. *Thu. Foss. Vict.* Occiderentur *Pem.*
[l] Malachiam Spiritus *Ver.*
[m] Sicut stipula *Pem. Voss.* 1. Ut *Bod.* 1.
[n] Accendit *Bod.* 1.
[o] Ejus tempestas *Bod.* 3. Valida *Pem. Bod.* 3.
[p] Vocabit *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Ar Lam. Ver.*
[q] Nuntiabunt *Saris. Bod.* 1, 2, 3, 4.
[r] Nam et Isaias *Bod.* 1. *Foss.*
[s] Concitabit certamen *Voss.* 2. *Pem.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

XXI.—*Nec illud in extrema.* Restituimus lectionem veterum editionum, quam confirmant XXIII libri nostri et XII Anglicani. Coacti sumus delere ea quæ mutata et addita fuerant in editione Morellii, quamvis ea quoque reperissemus in tribus antiquis codicibus, quamvis sciremus Pamelium ea quoque invenisse in quatuor antiquis. Hæc autem sunt quæ nos delevimus, si qui tanti æstiment scire quæ illa sint: *Nec in illum extremi judicii diem malorum retributionem differre, nobiscum hortamur, interim amplectimini patientiæ bonum, ut in istis*, etc.

Querula. Pamelius ex codice Camberonensi addit *et invidiosa.* At ego hoc additamentum nuspiam reperi in libris antiquis, neque in editionibus quæ Pamelianam antecesserunt.

Stolæ albæ. In undecim libris manuscriptis legitur: *Data est singulis stola alba.*

Digitized by Google

cum fortitudine. Tacui, numquid semper tacebo (*Isa.* XLII, 13)?

XXIII. Quis autem est hic qui tacuisse se prius dicit et non semper tacebit? Utique ille qui sicut ovis ad victimam ductus est, et sicut agnus coram tondente se [a], sine voce non aperuit os suum [b]; utique ille qui non clamavit, neque in plateis vox ejus audita est; utique ille qui non fuit contumax, neque contradixit, cum dorsum suum poneret ad flagella et maxillas [889] ad palmas, faciem autem suam non avertit a fœditate sputorum; utique ille qui, cum accusaretur a sacerdotibus et senioribus, nihil respondit et, admirante Pilato, patientissimum silentium [c] tenuit. Hic est qui [d], cum in passione tacuerit [e], in ultione postmodum non tacebit. Hic est Deus noster, id est, non omnium, sed fidelium et credentium Deus, qui, cum in secundo adventu manifestus [f] venerit, non silebit. Nam, cum in humilitate prius fuerit occultus, veniet in potestate manifestus.

XXIV. Hunc exspectemus, fratres dilectissimi, judicem et vindicem nostrum, Ecclesiæ suæ populum et ab initio mundi justorum omnium [g] numerum secum pariter vindicaturum. Qui ad vindictam [h] suam nimium festinat et properat, consideret quia necdum vindicatus est ipse qui vindicat. Pater Deus præcepit Filium suum adorari, et apostolus Paulus, divini præcepti memor, ponit et dicit: *Deus, exaltavit illum, et donavit illi nomen quod est super omne nomen* [i], *ut in nomine Jesu omne genu flectatur* [j] *cœlestium, terrestrium et infernorum* (*Philip.* II, 9, 10). Et in Apocalypsi Angelus Joanni volenti adorare se resistit et dicit [k]: *Vide ne feceris, quia conservus tuus sum et fratrum tuorum. Jesum Dominum adora* [l] (*Apoc.*, XXII, 9). Qualis Dominus Jesus et quanta patientia ejus! ut qui in cœlis adoratur, necdum vindicetur in terris. Hujus patientiam, fratres dilectissimi, in persecutionibus et passionibus nostris cogitemus. Hujus adventui plenum exspectationis obsequium præbeamus. Nec defendi ante Dominum servi irreligiosa et inverecunda festinatione [m] properemus. Insistamus potius [n] et laboremus [o] et toto corde vigilantes [p] atque ad omnem tolerantiam stabiles Dominica præcepta servemus; ut, cum ille iræ et vindictæ dies venerit, non cum impiis et peccatoribus puniamur, sed cum justis et Deum timentibus honoremur [q].

LECTIONES VARIANTES.

[a] Coram tondente *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Ver.*
[b] Sic non aperuit *Lam. Ebor.*
[c] Patientissimus silentium *NC.* 2.
[d] Hic qui *Lam. Ebor. Bod.* 2.
[e] In passione prius *Ver.*
[f] Manifestius *Lin.*
[g] Justos omnes *Voss.* 1.
[h] Vindictam sui *Bod.* 1.
[i] Ut sit super omne nomen *Ar. Lam. Ebor. Ver.*
[j] Omnes genu curvent *NC.* 1. *Lam. Ebor. Bod.* 1. *Ver.*
[k] Restitit *Lam. Ebor. Voss.* 1. *NC.* 1. *Bod.* 1, 2, 3.
[l] Adora. Hujus *Ar. Lin. Pem. Voss.* 2.
[m] Perdita festinatione *Saris.*
[n] Insistamus autem *Saris.*
[o] Laboremus *Lam. Ebor. Ver.*
[p] Vigilantes ad Deum *Bod.* 3.
[q] Coronemur *Vict.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

Justorum omnium. Codex Læticnsis, *Justos omnes secum pariter vindicaturum.*

Omne genu flectatur. Septem libri veteres habent *curvetur*, septem vero, *omnes genu curvent.*

Pater Deus... infernorum. Hæc desunt in libro sancti Arnulphi, per oscitantiam nimirum, ut puto, librarii. Exstant enim in aliis libris veteribus et in editionibus.

LIBER
DE ZELO ET LIVORE.

ARGUMENTUM. — *Paucis libri hujus argumentum reddit in hæc verba D. Pontius in vita Cypriani: « Quis, inquit, livorem de venenatu invidiæ malignitate venientem, dulcedine remedii salutaris inhiberet? » Principio igitur, postquam eo gravius crimen esse zelum seu livorem, quo occultius est malum, et originem ejus diabolo ascribendam docuit: propositis etiam obiter invidiæ exemplis e Veteri Testamento, radicem malorum omnium invidiam esse, per singula vitiorum genera deducit; atque adeo recte et a Christo et ab Apostolis, non uno in loco, interdictum fraternum odium, Postremo ubi Dei exemplo ad dilectionem inimicorum eos adhortatus est, præmiorum coronis propositis ab hoc malo deterret.*

I. ZELARE quod bonum [r] videas et invidere mello-

LECTIONES VARIANTES.

[r] Bonos *Lin.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

[889] DE ZELO ET LIVORE. Cum sanctus Augustinus initium et quædam alia hujus libri loca retulisset in I. IV, *de Baptismo* contra Donatistas, c. 8, postea ait: *Hæc verba Cypriani in Epistola, populis nota, quam vera, quam fortia sint recognoscimus. Vere decuit Cyprianum de Zelo et Livore et arguere graviter et monere, a quo tam mortifero malo cor ejus penitus alienum tanta charitatis abundantia comprobavit.* Idem in caput V Epistolæ ad Galatas: *Scripsit et beatus Cyprianus librum de Zelo et Livore optimum, quem qui legerit, non dubitaverit annumerare operibus carnis invidiam.* Vide Hincmarum in libro LV *Capitulorum*, cap. 47, pag. 566.

Digitized by Google

ribus leve apud quosdam et modicum crimen videtur, fratres dilectissimi; dumque existimatur leve esse et modicum, non timetur; dum non timetur, contemnitur; dum contemnitur, non facile vitatur, et fit cæca et occulta pernicies : quæ, dum minus perspicitur ut caveri a providentibus [a] possit, improvidas mentes latenter affligit. Porro autem Dominus prudentes esse nos jussit, et cauta sollicitudine vigilare præcepit, ne adversarius vigilans semper [b] et semper insidians, ubi in pectus obrepserit [c], de scintillis conflet incendia, de parvis maxima exaggeret, et, dum remissis et incautis leniore aura et flatu molliore blanditur, procellis ac turbinibus excitatis, ruinas fidei et salutis ac vitæ naufragia moliatur. Excubandum est itaque, fratres dilectissimi, atque omnibus viribus elaborandum ut inimico sævienti et jacula sua in omnes corporis partes [d] quibus percuti et vulnerari possumus, dirigenti sollicita et plena vigilantia repugnemus [256], secundum quod Petrus apostolus in Epistola sua prænonet et docet dicens : *Sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit, aliquem devorare quærens* [e] (1 *Pet.* v, 8).

II. Circuit ille nos singulos, et tamquam hostis clausos obsidens, muros explorat, et tentat an sit pars aliqua murorum minus stabilis et minus fida, cujus aditu ad interiora penetretur. Offert oculis formas illices [f] et faciles voluptates [g], ut visu destruat castitatem. Aures per canora musica [h] tentat, ut soni dulcioris auditu solvat et molliat christianum vigorem. Linguam convicio provocat, manum injuriis lacessentibus ad petulantiam cædis instigat; ut fraudatorem faciat, lucra opponit injusta; ut animam pecunia capiat [i], ingerit perniciosa compendia; honores terrenos promittit, ut cœlestes adimat; ostentat falsa, ut vera subripiat : et cum latenter non potest fallere, exerte atque aperte [j] minatur, terrorem turbidæ persecutionis intentans, ad debellandos Dei servos inquietus semper et semper infestus, in paco subdolus, in persecutione violentus.

III. Quamobrem, fratres dilectissimi, contra omnes diaboli fallaces insidias vel apertas minas stare debet instructus animus et armatus, tam paratus [k] semper ad repugnandum quam est ad impugnandum semper paratus inimicus. Et, quoniam frequentiora sunt tela ejus quæ latenter obrepunt, magisque occulta et clandestina jaculatio quo minus perspicitur, hoc et gravius et crebrius in vulnera nostra grassatur, ad hæc quoque intelligenda et depellenda vigilemus ex quibus est zeli et livoris malum. Quod si quis penitus inspiciat, inveniet nihil magis Christiano cavendum, nihil cautius providendum quam ne quis invidia et livore capiatur; ne quis fallentis inimici [l] cæcis laqueis implicatus, dum zelo frater in fratris odia convertitur, gladio suo nescius ipse perimatur. Quod ut colligere plenius et manifestius perspicere possimus, ad caput ejus atque originem recurramus. Videamus unde zelus, et quando et quomodo cœperit. Facilius enim a nobis malum tam perniciosum vitabitur, si ejusdem mali et origo et magnitudo noscatur.

IV. Hinc diabolus inter initia statim mundi et periit primus et perdidit. Ille angelica majestate subnixus [m],

LECTIONES VARIANTES.

[a] A prævidentibus *Voss.* 1. Prudentibus *Pem. Voss.* 2.
[b] Semper ipse *Ben. Voss.* 2.
[c] Latenter obrepit *Pem. Voss.* 2. obrepsit. *Ar. Bod.* 2, 4. *Ver. Thu. Foss.* obrepent *Vict.*
[d] Partes mittenti *Bod.* 3.
[e] Aliquid devorare *Bod.* 1, 2. *Ver. Thu.*
[f] Formas muliebres *Bod.* 3.
[g] Voluntates *Lam. Ebor. Voss.* 1, 2. *NC.* 1. *Pem. Bod.* 2, 4. *Vict. Voss.*
[h] Canora musica *Ben. Thu. Foss.*
[i] Capiat, ostendit *Bod.* 1.
[j] Atque manifeste *Bod.* 1.
[k] Sit tam paratus *Pem. Voss.* 2.
[l] Ne quis inimici *Pem. Voss.* 1.
[m] Ille angelica *Bod.* 1, 2. 3, 4. *Lam. Ebor. Lin. NC.* 1. *Voss.* 1, 2. Potestate *Bod.* 3. Ille dudum *Oxon.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

1. — *Non facile vitatur.* Consultationes Zachæi et Apollonii, cap. 29, in tomo x *Spicilegii* Dacheriani, pag. 36 : *Et quod est sævius, sub specie innocentiæ malum non cavetur, dum vitari posse non creditur.*

Ubi in pectus obrepit. Decem libri veteres *obrepserit.* Ita etiam veteres editiones. Editio Morellii, quando *in pectus obrepat.*

Murorum. Antea legebatur *membrorum.* Veram lectionem invenimus in duobus vetustis exemplaribus, in Victorino nimirum vetere et in Tornacensi. In Victorino scriptum est *membrorum* et supra lineam *vel murorum*; in Tornacensi vero *murorum*, et supra lineam *vel membrorum.*

II. — *Circuit ille.* Auctor Epistolæ *ad Demetriadem* inter opera Hieronymi : *Invidere non cessat auctor invidiæ, et qui semel a Deo ipse projectus est, tanto majori livore torquetur, quanto aliquem apud eum viderit clariorem.* Et mox : *More dolosi hostis universa perlustrans explorat omnes aditus animæ suæ, an sit aliquid infirmum et minus tutum per quod possit irrepere.*

Canora musica. Hanc lectionem, quam præferunt antiquæ editiones, etiam Morelliana, retinere placuit, quia illam exhibent septemdecim libri veteres, nisi quod in eorum uno scriptum est *sonora* pro *canora*, et quia musicam dici posse dubitabatur ævo Quintiliani, ut ipse ait lib. VIII, cap. 3. Et tamen quidam alii libri veteres et editio Anglicana præferunt *canoram musicam*; codex Moyssiacensis et Rigaltius, *canorem musicam.* Sed hic error est; canor enim est masculini generis. Ovidius, lib. v Metamorphoseon : *Non tamen ille canor mulcendas natus ad aures.* Sunt etiam alia exempla.

Ostentat falsa. Citat hunc locum auctor *Prædestinati* editus a Sirmondo in Prologo libri tertii : *Finitus est liber inimicus hominum, contra Fidem Catholicam conflictus, circumdatus fullaciis, adulter integræ diffinitionis, quique, ut sanctus Cyprianus ait, falsa ostentat ut vera surripiat.*

III. — *Tela quæ latenter.* Supra in initio libri *de Unitate Ecclesiæ*, pag. 193 : *Facilior cautio est ubi manifesta formido est.* Hieronymus in Dialogo adversus Luciferianos : *Sagitta quæ contento nervo dirigitur difficile vitatur. Antea enim ad eum ad quem jacta est pervenit quam obice clypei frustretur.*

IV. — *Hinc diabolus.* Refert et illustrat hunc locum sanctus Augustinus lib. IV. *de Baptismo* contra Donatistas cap. 9. Vide Sirmondum in librum Rufini Palæstini *de Fide*, pag. 91.

Digitized by Google

ille Deo acceptus et charus, postquam hominem ad imaginem Dei factum conspexit, in zelum malivolo livore prorupit, non prius alterum dejiciens instinctu zeli quam ipse zelo ante dejectus, captivus antequam capiens, perditus antequam perdens, dum, stimulante livore [a], homini gratiam datæ immortalitatis eripit [b], ipse quoque id quod prius fuerat amisit. Quale malum est, fratres dilectissimi, quo angelus cecidit, quo circumveniri et subverti alta illa et præclara sublimitas potuit, quo deceptus est ipse qui decepit! Exinde invidia grassatur in terris, dum livore periturus magistro perditionis obsequitur, dum diabolum qui zelat imitatur, sicut scriptum est: *Invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum* (*Sap.* II, 24). Imitantur ergo illum qui sunt ex parte ejus.

V. Hinc denique novæ fraternitatis prima odia, hinc parricidia nefanda cœperunt (*Gen.* IV), dum Abel justum Cain zelat injustus, dum bonum malus invidia et livore persequitur. Tantum valuit ad consummationem facinoris æmulationis furor, ut nec charitas fratris, nec sceleris immanitas, nec timor Dei, nec pœna delicti cogitaretur. Injuste oppressus est qui justitiam primus ostenderat, odia perpessus est qui odisse non noverat, occisus est impie qui moriens non repugnabat. Et quod Esau fratri suo Jacob inimicus exstitit, zelus fuit (*Gen.* XXVII). Nam, quia ille benedictionem patris acceperat, hic in odium [257] persecutionis facibus livoris exarsit. Et quod Joseph fratres sui vendiderunt, causa vendendi de æmulatione descendit (*Gen.* XXXVII). Postquam id quod sibi in visionibus prosperum fuerat ostensum, simpliciter ut fratribus frater exposuit, in invidiam malivolus animus erupit. Saul quoque rex ut David odisset, ut persecutionibus sæpe repetitis innocentem, misericordem, mitem, [c] lenitate patientem necare cuperet, quid aliud quam zeli stimulus provocavit (I *Reg.* XVIII)? Quia, Goliath interfecto, et ope ac dignatione divina tanto hoste deleto [d], populus admirans in laudes David prædicationis suffragio [e] prosiliit (III *Reg.* XVII), Saul [f] simultatis atque insectationis furias de livore concepit. Et ne longum faciam singulos recensendo [g], pereuntis semel [h] populi attendamus interitum. Judæi nonne inde perierunt dum Christo malunt invidere quam credere? Obtrectantes magnalibus quæ ille faciebat, zelo excæcante decepti sunt, nec ad divina noscenda cordis oculos aperire potuerunt.

VI. Quæ nos considerantes [i], fratres dilectissimi, contra tantam mali perniciem vigilanter et fortiter dicata Deo pectora muniamus. Aliorum mors proficiat ad nostram salutem, imprudentium pœna providentibus conferat sanitatem. Non est autem quod aliquis existimet malum istud una specie contineri aut brevibus terminis et angusto fine concludi. Late patet zeli multiplex et fœcunda pernicies. Radix est [j] malorum omnium, fons cladium, seminarium delictorum, materia culparum. Inde odium surgit, animositas inde procedit. Avaritiam zelus inflammat, dum quis suo non potest esse contentus, videns alterum ditiorem. Ambitionem zelus excitat, dum cernit quis alium in honoribus altiorem [k]. Zelo excæcante sensus nostros atque in ditionem suam mentis arcana redigente, Dei timor spernitur, magisterium Christi negligitur, judicii dies non providetur. Inflat superbia, exacerbat sævitia, perfidia prævaricatur, impatientia concutit, furit discordia, ira fervescit; nec se jam potest cohibere vel regere qui factus est potestatis alienæ. Hinc Dominicæ pacis vinculum rumpitur, hinc charitas fraterna violatur, hinc adulteratur veritas, unitas scinditur, ad hæreses atque ad schismata prosilitur, dum obtrectatur sacerdotibus, dum episcopis invidetur, dum quis aut queritur non se potius ordinatum [l], aut dedignatur alterum ferre præpositum. Hinc recalcitrat, hinc rebellat de zelo

LECTIONES VARIANTES.

[a] Et dum stimulante *NC.* 1. *Lam. Ebor. Bod.* 2.
[b] *Sic, Lam. Ebor. Lin. Voss.* 1. *Bod.* 1, 2, 3, 4. eripit, qui quoque *Imp.*
[c] Miti venitate *Routh, ex suis codd.*
[d] Hoste dejecto, *Pem. Voss.* 2.
[e] Prædicationis officio *Bod.* 1.
[f] Saul rex, *Pem. Voss.* 2.
[g] Recensendo *Lam. Ebor. Lin. NC.* 1. *Voss.* 1. *Bod.* 1, 2, 3, 4. Accensendo *Oxon.*
[h] Simul populi *Pem. Ebor. Routh, ex uno cod.* Sibi *Tew.*
[i] *Sic Thu. Foss. NC.* 2. Quæ nunc *Oxon.*
[j] Radix est enim, *Lin. Pem. Voss.* 2. *Bod.* 3. 4.
[k] *Sic Lam. NC.* 1. *Bod.* 2, 3. In honoribus auctiorem *Oxon.*
[l] Potius honoratum *Bod.* 3.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

Ex parte ejus. Postea sequitur in codice Pithœano: *Justorum animæ in manu Dei sunt.* Sed istud additamentum non reperi alibi.

V. — *Novæ fraternitatis.* Vox *novæ* deest in duobus libris veteribus. Certe videtur superflua. Non delevi tamen, quia exstat in multis exemplaribus manuscriptis.

Livore persequitur. Postea sequitur in tribus antiquis codicibus, *dum diabolum qui zelat imitatur.* Sed hæc videntur repetita a quodam studioso ex his quæ paulo ante dicta sunt. Novatianus in libro de Trinitate, *non de maligno invidiæ livore descendit.*

Abel justum Cain zelat. Quem ideo Prosper lib. II *de Promissionibus et Prædictionibus Dei*, cap. 6, vocat auctorem invidiæ. Irenæus lib. I. loquens de generatione Cain ait: *ita ut et dum fratrem suum Abel occideret, primus zelum et mortem ostenderit.*

[590] *Semel.* In uno libro meo vetere scriptum est *semel* et supra lineam *vel simul.* Hinc ergo, uti jam non semel diximus, orta est discrepantia quæ istic reperitur in codicibus manuscriptis, quorum nonnulli habent *semel*, alii *simul.*

VI. — *Inde odium surgit.* Prudentius in Hamartigenia: *Arsit enim scintilla odii de fomite zeli.*

Altiorem. Ita veteres editiones et sexdecim libri veteres. Manutius posuit *auctiorem.* Postea Morellius revocavit veterem lectionem. Pamelius reposuit Manutianam, quam ego inveni in decem libris antiquis, Sed major numerus vincit. Et certe vetus editio multo melior est.

Ira fervescit. Quam Cassianus lib. VIII, cap. 1 vocat mortiferum virus.

Digitized by Google

spectu Dei quod Deo placeat; prompte ac libenter quod petebatur offertur; nec de abundantia portio, sed de modico totum datur, et esurientibus liberis alter prius pascitur, neque in penuria et fame cibus ante quam misericordia cogitatur; ut, dum in opere salutari [a] carnaliter vita contemnitur, spiritaliter anima servetur. Helias itaque typum Christi gerens, [2Reg 17] et quod ille pro misericordia vicem singulis reddat ostendens, respondit et dixit : *Hæc dicit Dominus : Fidelia farris* [b] *non deficiet, et capsaces olei non minuetur usque in diem quo dabit Dominus imbrem super terram* (*3 Reg.* XVII, 14). Secundum divinæ pollicitationis fidem multiplicata sunt viduæ et cumulata quæ præstitit, et operibus justis [c], ac misericordiæ meritis augmenta et incrementa sumentibus, farris et olei vasa completa sunt. Nec filiis abstulit mater quod Heliæ dedit, sed magis contulit filiis quod benigne [d] et pie fecit. Et illa nondum Christum sciebat, nondum præcepta ejus audierat, non cruce et passione ejus redempta, cibum et potum pro sanguine rependebat; ut ex hoc appareat quantum in Ecclesia peccet qui, se et filios Christo anteponens, divitias suas servat, nec patrimonium copiosum cum indigentium paupertate communicat.

XVIII. Sed enim multi sunt in domo liberi, et retardat te numerositas filiorum quominus largiter bonis operibus insistas. Atqui hoc ipso operari amplius debes quo multorum pignorum pater es. Plures sunt pro quibus Dominum deprecaris; multorum delicta redimenda sunt, multorum purgandæ conscientiæ, multorum animæ liberandæ. Ut in hac vita sæculari alendis sustinendisque [e] pignoribus, quo major est numerus, hoc major et sumptus est, ita et in vita spiritali atque cœlesti, quo amplior fuerit pignorum copia, esse et operum debet major impensa. Sic et Job sacrificia numerosa pro liberis offerebat; quantusque erat in domo pignorum numerus, tantus dabatur Deo et numerus hostiarum. Et quoniam quotidie deesse non potest quod peccetur in conspectu Dei, sacrificia quotidiana non deerant, quibus possent peccata tergeri. Probat [f] Scriptura divina dicens : *Job homo verus et justus habuit filios septem et filias tres, et emundabat illos offerens pro eis hostias Deo secundum numerum illorum, et pro peccatis eorum vitulum unum* (*Job* I, 2, 5). Si ergo vere filios tuos diligis, si eis exhibes plenam et paternam dulcedinem charitatis, operari magis debes, ut filios tuos Deo justa operatione commendes.

XIX. Nec eum liberis [g] tuis cogites patrem qui et temporarius et infirmus est [h], sed illum [i] pares qui æternus et firmus filiorum spiritalium pater est. Illi assigna facultates tuas quas hæredibus servas. Ille sit liberis tuis tutor, ille curator, ille contra omnes injurias sæculares divina majestate protector. Patrimonium Deo creditum [j] nec respublica eripit, nec fiscus invadit, nec calumnia aliqua forensis evertit. In tuto hæreditas ponitur quæ Deo custode servatur. Hoc est charis pignoribus in posterum providere, hoc est futuris hæredibus paterna pietate consulere secundum fidem Scripturæ sanctæ dicentis : *Junior fui* [k], *et senui, et non vidi justum derelictum, neque semen ejus egens pane* [l]. *Tota die miseretur et fœnerat, et se-*

LECTIONES VARIANTES.

[a] In opere spiritali *Saris.*
[b] Hydria farinæ *Saris.* Minuet *Ver.*
[c] Præstitit in operibus justis *Bod.* 1. 4.
[d] Contulit quod benigne *Bod.* 1.
[e] Alendis sustentandisque *Saris.*
[f] Probat hoc *West.*
[g] Nec te liberis *Saris. Voss.* 1.
[h] Infirmus es *Saris. Voss.* 1.
[i] Patrem *add. Oxon.*
[j] Deo credentium *Ar. Bod.* 1, 2. 4. *Lam.* Nec fur rapit *Voss.* 2.
[k] Juvenior fui *Bod.* 1. *Saris.*
[l] Quærens panem *Saris. West. Ar. Bod.* 1, 2, 3, 4.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

XVII.—*Fidelia farris.* Codex Lamonii *fiala.* Pithœanus, *hydria farinæ non deficiet et vas olei non minuetur.* Ita etiam ferme in c. XVII l. III Regnorum. Vide sanctum Ambrosium l. II *Officiorum*, c. 4, et l. III, c. 1.

Capsaces olei. Prosper, seu quis alius, l. II *de Promissionibus et Prædictionibus Dei*, cap. 29 : *Capsaces olei non minuetur.* Hieronymus in Epistola *ad Furiam* de Viduitate servanda : *Farina seritur, et olei capsaces invenitur.* Item in Epistola *ad Eustochium* de Virginitate servanda : *Mirum in modum capsace completo.* Sulpitius Severus lib. I *sacræ Historiæ* loquens de historia Heliæ : *Inde, admonitus a Domino, Sareptæ oppidum petiit, ad mulierem viduam divertit. Cumque ab ea esuriens cibum peteret, illa causari non esse sibi nisi pusillum farris et pusillum olei, quo absumpto, una cum filiis mortem exspectaret,* etc.

XVIII. — *Animæ liberandæ.* Quidam libri veteres et quædam editiones habent *redimendæ.*

Tergeri. Sic habent antiquæ editiones, etiam Manutiana, et omnes fere libri veteres. Et sic omnino legendum esse monuit Erasmus. Recte. Nam supra Epist. VIII, pag. 17 : *Vos vestra lætitia tergeatis.* Varro lib. III *de Re rustica*, cap. 5 : *Et eum potius per canales angustos serpere quo facile extergeri possint.* Cato, cap. II de Re rustica : *Fossas veteres tergeri.* Columella, lib. VI, cap. 9 : *Tum etiam convenit spongia labra detergeri.* Lucretius, lib. IV :

Certe jaci et tergeri multa videmus.

Item lib. VI :

Aridus unde aures terget sonus ille.

Horatius lib. II Carm., Sat. 2 :

Hoc potius quam gallina tergere palatum.

Idem lib. I Carm., Od. 7 :

Albus ut obscuri deterget nubila cœli
Sæpe notus.

Juvenalis Sat. V :

Sed et mox pocula torques
Saucius et rubra deterget vulnera mappa.

Et Sat. 14 :

Vasa aspera tergeat alter.

Silius Italicus lib. II :

Quoniam data copia longum
Detergere situm ferro.

Q. Curtius, l. X : *Abstergerique invicem remi.* Apuleius in Apologia : *Continuatio etiam iterati laboris omnem gratiam corpore deterget, habitudinem tenuat.* Symmachus, lib. VI, Epist. 73 : *Lætitiatergeat nubem præsentis iracundiæ*, et alibi sæpe apud hunc auctorem.

XIX. — *Egens pane.* Plures libri veteres habent *quærens panem.* Ita etiam editio Vulgata.

Fœnerat. Ita posteriores editiones et plerique libri

Digitized by Google

men ejus in benedictione est [a] (*Psal.* xxxvi, 25). Et item : *Qui conversatur sine vituperatione in justitia* [b], *beatos post se filios relinquet* (*Prov.* xx, 7). Prævaricator itaque et proditor pater es, nisi filiis tuis fideliter consulas, nisi conservandis eis religiosa et vera pietate prospicias. Qui studes terreno magis quam cœlesti patrimonio, filios tuos diabolo magis [c] commendare quam Christo, bis delinquis et geminum ac duplex crimen admittis, et quod non præparas filiis tuis Dei patris auxilium, et quod doces filios [d] patrimonium plus amare quam Christum.

XX. Esto potius liberis tuis pater talis qualis Tobias exstitit. Da utilia et salutaria præcepta pignoribus qualia ille filio dedit; manda filiis tuis quod et ille filio mandavit dicens : *Et nunc, fili, mando tibi, servi Deo in veritate, et fac coram illo quod illi placet; et filiis tuis manda* [***] *ut faciant justitiam et eleemosynas, et sint memores Dei, et benedicant nomen ejus omni tempore* (*Tob.* xiv, 10, 11). Et iterum : *Omnibus diebus vitæ tuæ, fili dilectissime, Deum in mente habe, et noli præterire præcepta ejus. Justitiam fac omnibus diebus vitæ tuæ, et noli ambulare viam iniquitatis; quoniam agente te ex veritate, erit respectus operum tuorum. Ex substantia tua fac eleemosynam, et noli avertere faciem tuam ab ullo paupere. Ita fiet ut nec a te avertatur facies Dei. Prout habueris, fili, sic fac. Si tibi fuerit copiosa substantia, plus ex illa fac eleemosynam : si exiguum habueris, ex hoc ipso exiguo communica. Et ne timueris cum facis eleemosynam; præmium enim bonum reponis tibi in diem necessitatis, quia eleemosyna a morte liberat, et non patitur ire in gehennam* [e]. *Munus bonum est eleemosyna omnibus qui faciunt eam coram summo Deo* (*Tob.* iv, 2-16).

XXI. Quale munus est, fratres charissimi, cujus editio [f] Deo spectante celebratur! Si in gentilium munere grande et gloriosum videtur proconsules vel imperatores habere præsentes, et apparatus ac sumptus apud munerarios major est ut possint placere majoribus, quanto illustrior muneris et major est gloria Deum et Christum spectatores habere! Quanto A istic et apparatus uberior et sumptus largior exhibendus est ubi ad spectaculum conveniunt cœlorum Virtutes, conveniunt Angeli omnes, ubi munerario non quadriga vel consulatus petitur, sed vita æterna præstatur, nec captatur inanis et temporarius favor vulgi, sed perpetuum præmium regni cœlestis [g] accipitur!

XXII. Atque, ut pigros et steriles et cupiditate nummaria nihil circa fructum salutis operantes magis pudeat, ut plus conscientiam sordidam dedecoris ac turpitudinis suæ rubor cœdat [h], ponat unusquisque ante oculos suos diabolum cum servis suis [i], id est cum populo perditionis ac mortis, in medium prosilire, plebem Christi [j], præsente et judicante ipso, comparationis examine provocare dicentem : « Ego B pro istis quos mecum vides nec alapas accepi, nec flagella sustinui, nec crucem pertuli, nec sanguinem fudi, nec familiam meam pretio passionis et cruoris redemi; sed nec regnum illis cœleste promitto, nec ad paradisum restituta immortalitate denuo revoco; et munera mihi quam pretiosa, quam grandia, quam nimio et longo labore quæsita, sumptuosissimis apparatibus comparant, rebus suis vel obligatis in muneris comparatione vel venditis; ac nisi editio honesta successerit [k], convicils ac sibilis ejiciuntur, et furore populari nonnumquam pene lapidantur. Tuos tales munerarios, Christe, demonstra, illos divites [l], illos copiosis opibus affluentes, an in Ecclesia præsidente et spectante te ejusmodi munus edant, oppignoratis vel distractis rebus suis, immo ad cœlestes thesauros C mutata in melius possessione translatis. In istis muneribus meis caducis atque terrenis nemo pascitur, nemo vestitur, nemo cibi alicujus aut potus solatio sustinetur. Cuncta inter furorem edentis et spectantis errorem prodiga et stulta voluptatum frustrantium vanitate depereunt. Illic in pauperibus tuis tu vestiris et pasceris, tu æternam vitam operantibus polliceris; et vix tui meis pereuntibus [m] adæquantur. qui a te divinis mercedibus et præmiis cœlestibus honorantur.

LECTIONES VARIANTES.

[a] Benedictione erit *Bod.* 1, 3.
[b] Vituperatione et injuria *Saris.*
[c] Diabolo mavis *Pem. Voss.* 2.
[d] *Sic Bod.* 1, 2, 3, 4. *Spir. Vet. innom. Voss.* 1. *Lam. Ebor.* Filiis *Rigalt.*
[e] *Sic.* In *West. Ar. Ben. Pem. NC.* 2. *Saris. Voss.* 2. *Lam. Bod.* 1, 2, 3, 4. *Ver.* Gehennam *Imp.*
[f] Cujus præbitio *Bod.* 1.
[g] Ac cœleste regnum *Lin.*
[h] Rubor accedat *Pem. Voss.* 1.
[i] Diabolum cum angelis *Voss.* 1.
[j] Christo præsente *Voss.* 1. *Lam. Bod.* 1, 3, 4.
[k] Accesserit *Saris.*
[l] Demonstra, divites *Ar. West. Lam. Ebor. Saris. Bod.* 1, 2, 3, 4.
[m] Meis perdentibus *Ar. West. Bod.* 4. *Ver. Corb. Man.* D *Mor.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

veteres. Aliæ editiones et liber Psalmorum vulgatus *commodat*. Sic etiam editio Anglicana.

[a] XXI. — *Imperatores habere præsentes*. Supra Epist. VIII, pag. 17, Christus dicitur adfuisse certamini martyrum. Cassianus lib. VI, cap. 9 : *Dominus pugnam certaminis nostri jugiter spectat*. Auctor Epistolæ *ad Demetriadem*, inter opera sancti Hieronymi : *Huic tanto spectaculo vide quem animum, quam debeas afferre virtutem, et certaminis magnitudinem de spectantium dignitate metire.*

XXII. — *Ponat unusquisque*. Hic locus refertur apud sanctum Augustinum lib. IV, *contra duas Epistolas Pelagianorum*, cap. 8.

[b] *Munerarios*. Hieronymus in Epistola *ad Pammachium* de Dormitione Paulinæ : *Munerarius pauperum et egentium candidatus*. Vide Senecam lib. II *de Beneficiis*, cap. 21, et Maximi Taurinensis Homiliam *in vigiliis Natalis Domini*. Quintilianus lib. VIII, cap. 3, tradit Augustum primum fuisse qui dixit *munerarium*.

[c] *Demonstra*. Postea sequitur in editione Manutiana, *præceptis tuis munitos et pro terrenis cœlestia recepturos*. At ego cum Morellio expungo, quia illa non inveni in antiquis editionibus neque in ullo eorum veterum exemplarium quibus usus sum, et desunt etiam in novem Anglicanis.

Digitized by Google

spectu Dei quod Deo placeat; prompte ac libenter quod petebatur offertur; nec de abundantia portio, sed de modico totum datur, et esurientibus liberis alter prius pascitur, neque in penuria et fame cibus ante quam misericordia cogitatur; ut, dum in opere salutari [a] carnaliter vita contemnitur, spiritaliter anima servetur. Helias itaque typum Christi gerens, [2v3] et quod ille pro misericordia vicem singulis reddat ostendens, respondit et dixit : *Hæc dicit Dominus : Fidelia farris* [b] *non deficiet, et capsaces olei non minuetur usque in diem quo dabit Dominus imbrem super terram* (I *Reg.* XVII, 14). Secundum divinæ pollicitationis fidem multiplicata sunt viduæ et cumulata quæ præstitit, et operibus justis [c], ac misericordiæ meritis augmenta et incrementa sumentibus, farris et olei vasa completa sunt. Nec filiis abstulit mater quod Heliæ dedit, sed magis contulit filiis quod benigne [d] et pie fecit. Et illa nondum Christum sciebat, nondum præcepta ejus audierat, non cruce et passione ejus redempta, cibum et potum pro sanguine rependebat; ut ex hoc appareat quantum in Ecclesia peccet qui, se et filios Christo anteponens, divitias suas servat, nec patrimonium copiosum cum indigentium paupertate communicat.

XVIII. Sed enim multi sunt in domo liberi, et retardat te numerositas filiorum quominus largiter bonis operibus insistas. Atquì hoc ipso operari amplius debes quo multorum pignorum pater es. Plures sunt pro quibus Dominum depreceris; multorum delicta redimenda sunt, multorum purgandæ conscientiæ, multorum animæ liberandæ. Ut in hac vita sæculari alendis sustinendisque [e] pignoribus, quo major est numerus, hoc major et sumptus est, ita et in vita spiritali atque cœlesti, quo amplior fuerit pignorum copia, esse et operum debet major impensa. Sic et Job sacrificia numerosa pro liberis offerebat; quantusque erat in domo pignorum numerus, tantus dabatur Deo et numerus hostiarum. Et quoniam quotidie deesse non potest quod peccetur in conspectu Dei, sacrificia quotidiana non deerant, quibus possent peccata tergeri. Probat [f] Scriptura divina dicens : *Job homo verus et justus habuit filios septem et filias tres, et emundabat illos offerens pro eis hostias Deo secundum numerum illorum, et pro peccatis eorum vitulum unum* (*Job* I, 2, 5). Si ergo vere filios tuos diligis, si eis exhibes plenam et paternam dulcedinem charitatis, operari magis debes, ut filios tuos Deo justa operatione commendes.

XIX. Nec eum liberis [g] tuis cogites patrem qui et temporarius et infirmus est [h], sed illum [i] pares qui æternus et firmus filiorum spiritalium pater est. Illi assigna facultates tuas quas hæredibus servas. Ille sit liberis tuis tutor, ille curator, ille contra omnes injurias sæculares divina majestate protector. Patrimonium Deo creditum [j] nec respublica eripit, nec fiscus invadit, nec calumnia aliqua forensis evertit. In tuto hæreditas ponitur quæ Deo custode servatur. Hoc est charis pignoribus in posterum providere, hoc est futuris hæredibus paterna pietate consulere secundum fidem Scripturæ sanctæ dicentis : *Junior fui* [k], *et senui, et non vidi justum derelictum, neque semen ejus egens pane* [l]. *Tota die miseretur et fœnerat, et se-*

LECTIONES VARIANTES.

[a] In opere spiritali *Saris.*
[b] Hydria farinæ *Saris.* Minuet *Ver.*
[c] Præstitit in operibus justis *Bod.* 1. 4.
[d] Contulit quod benigne *Bod.* 1.
[e] Alendis sustentandisque *Saris.*
[f] Probat hoc *West.*
[g] Nec te liberis *Saris. Voss.* 1.
[h] Infirmus es *Saris. Voss.* 1.
[i] Patrem *add. Oxon.*
[j] Deo credentium *Ar. Bod.* 1, 2. 4. *Lam.* Nec fur rapit *Voss.* 2.
[k] Juvenior fui *Bod.* 1. *Saris.*
[l] Quærens panem *Saris. West. Ar. Bod.* 1, 2, 3, 4.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

XVII.—*Fidelia farris.* Codex Lamonii *fiala.* Pithœanus, *hydria farinæ non deficiet et vas olei non minuetur.* Ita etiam ferme in c. XVII l. III Regnorum. Vide sanctum Ambrosium l. II *Officiorum*, c. 4, et l. III, c. 1.

Capsaces olei. Prosper, seu quis alius, l. II *de Promissionibus et Prædictionibus Dei*, cap. 29 : *Capsaces olei non minuetur.* Hieronymus in Epistola *ad Furiam* de Viduitate servanda : *Farina seritur, et olei capsaces invenitur.* Item in Epistola *ad Eustochium* de Virginitate servanda : *Mirum in modum capsace completo.* Sulpitius Severus lib. I *sacræ Historiæ* loquens de historia Heliæ : *Inde, admonitus a Domino, Sareptæ oppidum petiit, ad mulierem viduam divertit. Cumque ab ea esuriens cibum peteret, illa causari non esse sibi nisi pusillum farris et pusillum olei, quo absumpto, una cum filiis mortem exspectaret,* etc.

XVIII. — *Animæ liberandæ.* Quidam libri veteres et quædam editiones habent *redimendæ.*

Tergeri. Sic habent antiquæ editiones, etiam Manutiana, et omnes fere libri veteres. Et sic omnino legendum esse monuit Erasmus. Recte. Nam supra Epist. VIII, pag. 17 : *Vos vestra lætitia tergeatis.* Varro lib. III *de Re rustica*, cap. 5 : *Et eum potius per canales angustos serpere quo facile extergeri possint.* Cato, cap. II de Re rustica : *Fossas veteres tergeri.* Columella, lib. VI, cap. 9 : *Tum etiam convenit spongia labra detergeri.* Lucretius, lib. IV :

Certe jaci et tergeri multa videmus.

Item lib. VI :

Aridus unde aures terget sonus ille.

Horatius lib. II Carm., Sat. 2 :

Hoc potius quam gallina tergere palatum.

Idem lib. I Carm., Od. 7 :

Albus ut obscuri deterget nubila cœli
Sæpe notus.

Juvenalis Sat. V :

Sed et mox pocula torques
Saucius et rubra deterget vulnera mappa.

Et Sat. 14 :

Vasa aspera tergeat alter.

Silius Italicus lib. II :

Quoniam data copia longum
Detergere situm ferro.

Q. Curtius, l. X : *Abstergerique invicem remi.* Apuleius in Apologia : *Continuatio etiam iterati laboris omnem gratiam corpore deterget, habitudinem tenuat.* Symmachus, lib. VI, Epist. 73 : *Lætitiatergeat nubem præsentis iracundiæ*, et alibi sæpe apud hunc auctorem.

XIX. — *Egens pane.* Plures libri veteres habent *quærens panem.* Ita etiam editio Vulgata.

Fœnerat. Ita posteriores editiones et plerique libri

Digitized by Google

men ejus in benedictione est [a] (*Psal.* XXXVI, 25). Et iterum : *Qui conversatur sine vituperatione in justitia* [b], *beatos post se filios relinquet* (*Prov.* XX, 7). Prævaricator itaque et proditor pater es, nisi filiis tuis fideliter consulas, nisi conservandis eis religiosa et vera pietate prospicias. Qui studes terreno magis quam cœlesti patrimonio, filios tuos diabolo magis [c] commendare quam Christo, bis delinquis et geminum ac duplex crimen admittis, et quod non præparas filiis tuis Dei patris auxilium, et quod doces filios [d] patrimonium plus amare quam Christum.

XX. Esto potius liberis tuis pater talis qualis Tobias exstitit. Da utilia et salutaria præcepta pignoribus qualia ille filio dedit; manda filiis tuis quod et ille filio mandavit dicens : *Et nunc, fili, mando tibi, servi Deo in veritate, et fac coram illo quod illi placet; et filiis tuis manda* [aaa] *ut faciant justitiam et eleemosynas, et sint memores Dei, et benedicant nomen ejus omni tempore* (*Tob.* XIV, 10, 11). Et iterum : *Omnibus diebus vitæ tuæ, fili dilectissime, Deum in mente habe, et noli præterire præcepta ejus. Justitiam fac omnibus diebus vitæ tuæ, et noli ambulare viam iniquitatis; quoniam agente te ex veritate, erit respectus operum tuorum. Ex substantia tua fac eleemosynam, et noli avertere faciem tuam ab ullo paupere. Ita fiet ut nec a te avertatur facies Dei. Prout habueris, fili, sic fac. Si tibi fuerit copiosa substantia, plus ex illa fac eleemosynam : si exiguum habueris, ex hoc ipso exiguo communica. Et ne timueris cum facis eleemosynam; præmium enim bonum reponis tibi in diem necessitatis, quia eleemosyna a morte liberat, et non patitur ire in gehennam* [e]. *Munus bonum est eleemosyna omnibus qui faciunt eam coram summo Deo* (*Tob.* IV, 2-16).

XXI. Quale munus est, fratres charissimi, cujus editio [f] Deo spectante celebratur! Si in gentilium munere grande et gloriosum videtur proconsules vel imperatores habere præsentes, et apparatus ac sumptus apud munerarios major est ut possint placere majoribus, quanto illustrior muneris et major est gloria Deum et Christum spectatores habere! Quanto istic et apparatus uberior et sumptus largior exhibendus est ubi ad spectaculum conveniunt cœlorum Virtutes, conveniunt Angeli omnes, ubi munerario non quadriga vel consulatus petitur, sed vita æterna præstatur, nec captatur inanis et temporarius favor vulgi, sed perpetuum præmium regni cœlestis [g] accipitur!

XXII. Atque, ut pigros et steriles et cupiditate nummaria nihil circa fructum salutis operantes magis pudeat, ut plus conscientiam sordidam dedecoris ac turpitudinis suæ rubor cœdat [h], ponat unusquisque ante oculos suos diabolum cum servis suis [i], id est cum populo perditionis ac mortis, in medium prosilire, plebem Christi [j], præsente et judicante ipso, comparationis examine provocare dicentem : « Ego pro istis quos mecum vides nec alapas accepi, nec flagella sustinui, nec crucem pertuli, nec sanguinem fudi, nec familiam meam pretio passionis et cruoris redemi; sed nec regnum illis cœleste promitto, nec ad paradisum restituta immortalitate denuo revoco; et munera mihi quam pretiosa, quam grandia, quam nimio et longo labore quæsita, sumptuosissimis apparatibus comparant, rebus suis vel obligatis in muneris comparatione vel venditis; ac nisi editio honesta successerit [k], conviciis ac sibilis ejiciuntur, et furore populari nonnumquam pene lapidantur. Tuos tales munerarios, Christe, demonstra, illos divites [l], illos copiosis opibus affluentes, an in Ecclesia præsidente et spectante te ejusmodi munus edant, oppignoratis vel distractis rebus suis, immo ad cœlestes thesauros mutata in melius possessione translatis. In istis muneribus meis caducis atque terrenis nemo pascitur, nemo vestitur, nemo cibi alicujus aut potus solatio sustinetur. Cuncta inter furorem edentis et spectantis errorem prodiga et stulta voluptatum frustrantium vanitate depereunt. Illic in pauperibus tuis tu vestiris et pasceris, tu æternam vitam operantibus polliceris; et vix tui meis pereuntibus [m] adæquantur. qui a te divinis mercedibus et præmiis cœlestibus honorantur.

LECTIONES VARIANTES.

[a] Benedictione erit *Bod.* 1, 3.
[b] Vituperatione et injuria *Saris.*
[c] Diabolo mavis *Pem. Voss.* 2.
[d] *Sic Bod.* 1, 2, 3, 4. *Spir. Vet. innom. Voss.* 1. *Lam. Ebor.* Filiis *Rigalt.*
[e] *Sic.* In *West. Ar. Ben. Pem. NC.* 2. *Saris. Voss.* 2. *Lam. Bod.* 1, 2, 3, 4. *Ver.* Gehennam *Imp.*
[f] Cujus præbitio *Bod.* 1.
[g] Ac cœleste regnum *Lin.*
[h] Rubor accedat *Pem. Voss.* 1.
[i] Diabolum cum angelis *Voss.* 1.
[j] Christo præsente *Voss.* 1. *Lam. Bod.* 1, 3, 4.
[k] Accesserit *Saris.*
[l] Demonstra, divites *Ar. West. Lam. Ebor. Saris. Bod.* 1, 2, 3, 4.
[m] Meis perdentibus *Ar. West. Bod.* 4. *Ver. Corb. Mam. Mor.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

veteres. Aliæ editiones et liber Psalmorum vulgatus *commodat.* Sic etiam editio Anglicana.

[a] XXI. — *Imperatores habere præsentes.* Supra Epist. VIII, pag. 17, Christus dicitur adfuisse certamini martyrum. Cassianus lib. VI, cap. 9 : *Dominus pugnam certaminis nostri jugiter spectat.* Auctor Epistolæ *ad Demetriadem*, inter opera sancti Hieronymi : *Huic tanto spectaculo vide quem animum, quam debeas afferre virtutem, et certaminis magnitudinem de spectantium dignitate metire.*

[b] XXII. — *Ponat unusquisque.* Hic locus refertur apud sanctum Augustinum lib. IV, *contra duas Epistolas Pelagianorum*, cap. 8.

[c] *Munerarios.* Hieronymus in Epistola *ad Pammachium* de Dormitione Paulinæ : *Munerarius pauperum et egentium candidatus.* Vide Senecam lib. II *de Beneficiis*, cap. 21, et Maximi Taurinensis Homiliam *in vigiliis Natalis Domini.* Quintilianus lib. VIII, cap. 3, tradit Augustum primum fuisse qui dixit *munerarium.*

[d] *Demonstra.* Postea sequitur in editione Manutiana, *præceptis tuis munitos et pro terrenis cœlestia recepturos.* At ego cum Morellio expungo, quia illa non inveni in antiquis editionibus neque in ullo eorum veterum exemplarium quibus usus sum, et desunt etiam in novem Anglicanis.

Digitized by Google

XXIII. Quid ad hæc respondemus, fratres charissimi? Sacrilega sterilitate [a] et quadam tenebrarum nocte coopertas divitum mentes qua ratione defendimus, qua excusatione purgamus, qui diaboli servis minores sumus, ut Christo pro pretio passionis et sanguinis vicem nec in modicis rependamus? Præcepta ille nobis dedit, quid facere servos suos oporteret instruxit, operantibus præmium pollicitus, [215] et supplicium sterilibus comminatus, sententiam suam protulit, quid judicaturus sit ante prædixit. Quæ potest excusatio [b] esse cessanti, quæ defensio sterili, nisi quod non faciente servo quod [c] præcipitur, Dominus faciet quod minatur, qui et dicit : *Cum venerit Filius hominis in claritate sua, et omnes Angeli cum eo, tunc sedebit in throno claritatis suæ* [d] *: et colligentur ante eum omnes gentes, et segregabit eos ab invicem, quemadmodum pastor segregat oves ab hœdis, et statuet oves ad dexteram suam, hœdos autem ad sinistram. Tunc dicet rex iis qui ad dexteram suam erunt* [e] *: Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare ; sitivi, et potastis me; hospes fui, et adduxistis me; nudus, et vestistis me* [f] *; infirmatus sum, et visitastis me; in carcere fui, et venistis ad me. Tunc respondebunt ei justi dicentes : Domine, quando te vidimus esurientem et pavimus, sitientem et potavimus? quando te vidimus hospitem, et adduximus, nudum, et vestivimus? quando autem te vidimus infirmari* [g] *et in carcere, et venimus ad te? Tunc respondens rex dicet eis : Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni horum ex fratribus meis minimis, mihi fecistis. Tunc dicet et illis qui ad sinistram ejus erunt* [h] *: Discedite a me, maledicti, in ignem æternum quem paravit Pater meus diabolo et angelis ejus. Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare; sitivi, et non potastis me; hospes fui, et non adduxistis me ; nudus, et non vestistis me; infirmus et in carcere, et non visitastis me* [i] *. Tunc respondebunt et ipsi dicentes : Domine, quando te vidimus esurientem aut sitientem aut hospitem aut nudum aut infirmum aut in carcere, et non ministravimus tibi? Et respondebit illis : Amen dico vobis, quamdiu non fecistis uni ex minimis his, neque mihi fecistis. Et abibunt isti in ambustionem* [j] *æternam, justi autem in vitam æternam* (*Matt.* XXV, 31-46). Quid potuit nobis majus Christus edicere? Quomodo magis potuit justitiæ ac misericordiæ nostræ opera provocare, quam quod præstari dixit sibi quicquid egenti præstatur et pauperi, et se dixit offendi nisi egenti præstetur et pauperi? ut qui respectu fratris in Ecclesia non movetur, vel Christi contemplatione moveatur, et qui non cogitat in labore atque in egestate conservum, vel Dominum cogitet in ipso illo quem despicit constitutum.

XXIV. Et idcirco, fratres charissimi, quibus metus in Deum pronus est, et, spreto calcatoque jam mundo, ad superna et divina animus erectus est, fide plena, mente devota, operatione continua promerendo Domino [k] obsequium præbeamus. Demus Christo vestimenta terrena, indumenta cœlestia recepturi : demus cibum et potum sæcularem, cum Abraham et Isaac et Jacob ad convivium cœleste venturi. Ne parum metamus [l], plurimum seminemus. Securitati ac saluti æternæ, dum tempus est, consulamus, Paulo apostolo admonente et dicente : *Ergo, dum tempus habemus, operemur quod bonum est ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei. Bonum autem facientes non deficiamus; tempore enim suo metemus* (*Gal.* VI, 10).

XXV. Cogitemus, fratres dilectissimi, quid sub Apostolis fecerit credentium populus, quando inter ipsa primordia majoribus virtutibus mens vigebat, quando credentium Fides novo adhuc fidei calore fervebat. Domicilia tunc et prædia venundabant, et dispensandam pauperibus [m] quantitatem libenter ac largiter Apostolis offerebant, terreno patrimonio venditio atque distracto, fundos illuc transferentes ubi fructus caperent possessionis æternæ [n], illic comparantes domos ubi inciperent semper habitare. Talis tunc fuit in operationibus cumulus, qualis [216] in dilectione consensus, sicut legimus in Actis Apostolorum : *Turba autem eorum qui crediderant anima ac mente una agebant : nec fuit inter illos discrimen ullum, nec quicquam suum judicabant ex bonis quæ eis erant, sed fuerunt illis omnia communia* (*Act.* IV, 32). Hoc est nativitate spiritali [o] vere Dei filios [p] fieri, hoc est lege cœlesti æquitatem Dei Patris imitari. Quodcumque enim Dei est, in nostra usurpatione commune est, nec quisquam a beneficiis ejus et muneribus arcetur, quominus omne humanum genus bonitate ac largitate divina æqualiter perfruatur. Sic æqualiter dies illuminat, sol radiat, imber rigat, ventus aspirat ; et dormientibus somnus unus est, et stellarum splendor ac lunæ communis est. Quo æqualitatis exemplo [q] qui

LECTIONES VARIANTES.

[a] Sacrilegas sterilitates *Lam. Bod.* 2, 4. *Ver.*
[b] Quæ potest esse defensio *Saris. Voss.* 1. *Bod.* 1, 2, 3, 4.
[c] Servo quicquid *alii.*
[d] In claritate sua *Ar. West. Saris. Bod.* 1, 2, 3, 4. *sup. adv. Jud. et ad Quir.* In gloria *Imp.*
[e] Dextram suam sunt *Ar. West. Saris. Bod.* 1, 2, 3, 4.
[f] Texistis me *Ar. West Saris. sup. adv. Jud. ad Quir.* Vestistis *Imp.*
[g] Infirmum *Bod.* 1. *sup. adv. Jud. et ad Quirin.* Infirmatus sum *Imp.*
[h] Sinistram ejus sunt *Ar. West. Saris. Bod.* 1, 2, 3, 4.
[i] Venistis ad *NC.* 2. *Bod.* 3, 4.
[j] Combustionem *Pem. Voss.* Ignem *Liu.*
[k] In promerendo *Voss.* 1.
[l] Metemus non fatigati *Bod.* 1, 4.
[m] Pauperibus facultatem *West.*
[n] Æternæ : ut illis comparent *Bod.* 3, 4.
[o] Spiritali vivere *West.*
[p] Filium *Lam. Ebor. West.*
[q] Quo æquitatis *Bod.* 1, 2, 3. Æqualitatis *NC.* 2. *Tew. Drur.* 2.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

XXV. — *Æqualitatis.* Ita Erasmus et alii post eum. Nolui autem mutare, quamvis in omnibus fere codicibus antiquis et in vetustioribus editionibus legatur *æquitatis.*

Digitized by Google

possessor in terris redditus ac fructus suos cum fraternitate partitur, dum largitionibus gratuitis communis ac justus est, Dei Patris imitator est.

XXVI. Quæ illa erit, fratres charissimi, operantium gloria, quam grandis et summa lætitia, cum populum suum Dominus cœperit recensere, et meritis atque operibus nostris præmia promissa contribuens, pro terrenis cœlestia, pro temporalibus sempiterna, pro modicis magna præstare, offerre nos Patri, cui nos sua sanctificatione [a] restituit, æternitatem nobis immortalitatemque largiri, ad quam nos sanguinis sui vivificatione reparavit, reduces ad paradisum denuo facere, regna cœlorum fide et veritate suæ pollicitationis aperire! Hæc hæreant firmiter sensibus nostris, hæc intelligantur plena fide, hæc corde toto diligantur, hæc indesinentium operum magnanimitate [b] redimantur. Præclara et divina res, fratres charissimi, salutaris operatio, solatium grande credentium, securitatis nostræ salubre præsidium, munimentum spei, tutela fidei, medela peccati [c], res posita in potestate facientis, res et grandis et facilis, sine periculo persecutionis, corona pacis, verum Dei munus et maximum, infirmis necessarium, fortibus gloriosum, quo Christianus adjutus perfert [d] gratiam spiritalem, promeretur Christum judicem, Deum computat debitorem. Ad hanc operum salutarium palmam libenter ac prompte certemus, omnes in agone justitiæ Deo et Christo spectante curramus; et qui sæculo et mundo majores esse jam cœpimus, cursum nostrum nulla sæculi et mundi cupiditate tardemus. Si expeditos, si celeres, si in hoc operis agone currentes dies nos vel redditionis [e] vel persecutionis [f] invenerit, nusquam Dominus meritis nostris ad præmium deerit. In pace vincentibus coronam candidam pro operibus dabit, in persecutione purpuream pro passione geminabit.

LECTIONES VARIANTES.

[a] Qui nos *Bod.* 3. De sanctificatione *Bod.* 2.
[b] Magnanimitate reddantur *Lin.*
[c] Medela peccati reposita *Ar.*
[d] Adjutus perferre *Bod.* 1. Præfert *Rig.* Ac justus *West. Lin.*
[e] Reditionis *Lam. Ebor. NC.* 1. *Veron. Corb. Vet. Inn. Spir. Mun. Routh, ex* 4 *suis codd.*
[f] Percussionis *Morel.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

Communis ac justus. Commodianus Instruct. 30 : *Estote communes minimis, dum tempus habetis.* Item Instruct. 63.

XXVI. — *Coronam candidam.* Supra Epist. VIII, p. 18 : *Erat certe in operibus fratrum candida, nunc facta est in martyrum cruore purpurea.* Hieronymus *in Epitaphio Paulæ* ad Eustochium : *Non solum enim effusio sanguinis in confessione reputatur, sed devotæ quoque mentis servitus immaculata quotidianum martyrium est. Illa corona de rosis et violis plectitur, ista de liliis.*

---

[247]

LIBER

DE BONO PATIENTIÆ.[g]

ARGUMENTUM. — *Scripti hujus occasionem ita paucis exponit ipse Cyprianus sub finem Epist. ad Jubaianum : « Servatur a nobis patienter et leniter charitas animi, collegii honor, dilectionis vinculum, concordia sacerdotii. Propter hoc etiam nunc libellum de Bono Patientiæ, quantum valuit nostra mediocritas, permittente Domino et inspirante, conscripsimus, quem ad te, pro mutua dilectione, transmisimus. » Postquam itaque initio, patientiam veram a falsa philosophorum distinxit, a patientia Dei, Christi ac justorum omnium, patientiam christianam commendat. Deinde non utilem modo, sed et necessariam illam esse, tum Scripturis, tum rationibus probat, exemplis item Job et Tobiæ; et ut ex opposito sibi vitio magis patientiæ bonum elucescat, impatientiæ quantum malum sit prosequitur. Postremo vindictæ cupiditatem vituperat, docetque Deo, juxta Scripturas, permittendam potius, quam nobis arrogandam ultionem. Si quo alio autem in libro hoc certe, Tertullianum imitatur, librum nempe ejus de Patientia.* PAMEL.

I. DE patientia locuturus, fratres dilectissimi, et utilitates ejus et commoda prædicaturus, unde potius incipiam quam quod nunc quoque ad audientiam vestram patientiam video esse necessariam, ut nec hoc ipsum quod auditis et discitis, sine patientia facere possitis. Tunc enim demum sermo [h] et ratio salutaris efficaciter discitur, si patienter quod dicitur audiatur. Nec invenio, fratres dilectissimi, inter cæteras cœlestis disciplinæ vias quibus ad consequenda divinitus præmia spei ac fidei nostræ secta dirigitur,

LECTIONES VARIANTES.

[g] De Patientia *Bod.* 4. *Lin. August.*
[h] Sermo Domini *Bod.* 4.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

DE BONO PATIENTIÆ. — Hujus sui operis mentionem facit Cyprianus in calce Epistolæ *ad Jubaianum*, pag. 137. Ejusdem argumenti librum scripsit Tertullianus. Item Augustinus. Etiam quidam Paulus episcopus olim scripsit, ut testatur Gennadius, librum *de Patientia.*

1. — *Fidei nostræ secta.* Supra Epist. XXII, p. 32 : *Humilitate ac timore sectæ nostræ verecundus.* Item

Digitized by Google

quid magis sit [a] vel utilius ad vitam vel majus ad-A gloriam, quam ut qui præceptis dominicis obsequio timoris ac devotionis innitimur, patientiam maxime tota observatione tueamur [b].

II. Hanc se sectari philosophi quoque [c] profitentur. Sed tam illic patientia falsa est, quam et falsa sapientia est. Unde enim vel sapiens esse vel patiens possit qui nec sapientiam nec patientiam Dei novit [d]? quando ipse de his qui sibi sapere in mundo videntur moneat et dicat: *Perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo* (*Isa.* XXIX, 14). Item beatus apostolus Paulus, plenus Spiritu sancto et vocandis formandisque [e] Gentibus missus, contestetur et instruat dicens: *Videte ne quis vos deprædetur per philosophiam et inanem fallaciam, secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, et* B *non secundum Christum, quia in ipso habitat omnis plenitudo divinitatis* (*Coloss.* II, 8). Et alio loco: *Nemo se*, inquit, *decipiat. Si quis se putat sapientem esse in vobis, mundo huic stultus fiat, ut fiat sapiens. Sapientia enim mundi hujus stultitia est apud Deum. Scriptum est enim: Reprehendam [f] sapientes in astutia ipsorum.* Et iterum: *Cognovit Dominus [g] cogitationes sapientium, quia sunt stultæ* (I *Cor.* III, 18-20). Quare, si sapientia illic vera non est, esse non potest et vera patientia. Nam si sapiens [h] ille est qui est humilis et mitis, philosophos autem nec humiles videmus esse nec mites, sed sibi multum placentes, et hoc ipso quod sibi placeant Deo displicentes, apparet illic [i] veram non esse patientiam ubi sit insolens affectatæ libertatis audacia et exerti ac seminudi pec-C toris invercunda jactantia.

III. Nos autem, fratres dilectissimi, qui philosophi non verbis sed factis sumus, nec vestitu sapientiam, sed veritate præferimus, qui virtutum conscientiam magis quam jactantiam novimus, qui non loquimur magna sed vivimus, quasi servi [j] et cultores Dei, patientiam quam magisteriis cœlestibus discimus obsequiis spiritalibus præbeamus. Est enim nobis cum Deo virtus ista communis. Inde patientia incipit, inde claritas ejus et dignitas caput sumit. Origo et magnitudo patientiæ Deo auctore procedit. Diligenda res homini quæ Deo chara [k] est: bonum quod amat majestas divina commendat. Si dominus nobis et pater Deus est, sectemur patientiam domini pariter et patris: quia et servos oportet esse obsequentes, et filios non decet esse degeneres.

IV. Qualis vero in Deo et quanta patientia, [518] quod, in contumeliam suæ majestatis et honoris instituta ab hominibus profana templa et terrena figmenta et sacra sacrilega patientissime sustinens, super bonos et malos æqualiter facit diem nasci et lumen solis oboriri, et cum imbribus terras rigat, nemo a beneficiis ejus excluditur quominus justis similiter et injustis indiscretas pluvias largiatur! Videmus inseparabili æqualitate patientiæ nocentibus et innoxiis, religiosis et impiis, gratias agentibus et ingratis, Dei nutu tempora obsequi, elementa famulari, spirare ventos, fontes fluere, grandescere copias messium [l], fructus maturescere vinearum, exuberare pomis arbusta, nemora frondescere, prata florere. Et cum crebris immo continuis exacerbetur offensis Deus, indignationem suam temperat, et præstitutum semel retributionis diem patienter exspectat. Cumque habeat in potestate vindictam, mavult diu tenere patientiam, sustinens, scilicet clementer et differens, ut, si fieri potest, multum malitia protracta aliquando mutetur, et homo in errorum et scelerum contagione voluntatus vel sero ad Deum convertatur, ipso monente et dicente: *Nolo mortem morientis, quantum ut revertatur et vivat* (*Exech.* XXXIII, 11). Et iterum: *Revertimini ad me, dicit Dominus* (*Malach.* III, 7). Et iterum: *Revertimini ad Dominum Deum vestrum, quoniam misericors et pius et patiens et multæ miserationis, et qui sententiam flectat adversus malitias irrogatas* [m] (*Joel* II, 13). Quod item beatus apostolus Paulus commemorans et peccatorem ad pœnitentiam revocans, proponit et di-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Aliquid magis vel utile ad vitam, vel magis ad gloriam esse necessarium *Bod.* 4.
[b] Teneamus *Pem. Voss.* 1.
[c] Philosophi quique *Ver.*
[d] Novit: quomodo et *Lam. Ebor. NC.* 1.
[e] Servandisque gentibus *Lin.*
[f] Comprehendam *Voss.* 1. Reprehendens *Pem. Lin.* D *Voss.* 2. *NC.* 2. Reprehendes *Sup. l.* III *ad Quir. c.* 69.
[g] Deus *Saris. Ver.*
[h] Nam utique si patiens *Lam. Ebor. NC.* 1. *Pem. Ar. MR. Thu. Foss.* Sapiens *Rigalt.*
[i] Illic non esse patientiam *Lam. Ebor. Lin. Bod.* 1, 2, 3, 4.
[j] Ut servi *Saris.* Quia servi *Bod.* 4.
[k] Chara est, ac bonum *Bod.* 1.
[l] Candescere copias messium *Morel.* Fructus maturescere *Foss.* Nitescere *Vict.* Fructus maturatus *Lin.*
[m] Malitiam irrogatam *Ben. Bod.* 1, 2, 3, 4. *Saris.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

Epistola *ad Quirinum* præfixa libris *Testimoniorum* pag. 274: *Quædam capitula ad religiosam sectæ nostræ disciplinam pertinentia.*

II. — *Sapientia hujus mundi.* Hanc Pauli apostoli sententiam Celsus malevolo adversum Christianos animo vertebat in contrarium sensum, dicendo illos vulgo jactare malam rem esse in vita sapientiam, bonam vero stultitiam. Quod Origenes adversus eum scribens, ait esse meram sycophantiam, uti revera est, cum sit expresse contra verba Apostoli.

[587] III. — *Non loquimur magna.* Minutius Felix: *Nos non habitu sapientiam, sed mente præferimus. Non loquimur magna, sed vivimus.*

IV. — *Maturescere.* Ita veteres editiones et sex libri veteres. Quæ lectio sane optima est. Alia, quæ habet *mitescere*, quam Erasmus invexit, bona etiam est, et habet plures libros veteres consentaneos.

Mavult diu tenere. Supra Epist. IX, pag. 18: *Diu patientiam meam tenui.* Ruricius lib. II, Epist. 4: *Tenenda est in tentatione patientia.*

Revertimini ad me. Hoc segmentum, quod habetur in editionibus antiquis, Manutiana sustulit; Morellius reposuit. Recte sane; exstat enim in octo libris veteribus.

Digitized by Google

cit : *An numquid opulentiam bonitatis ejus et sustinentiam et patientiam contemnis* [a], *ignorans quoniam patientia et bonitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Tu autem, secundum duritiam tuam et cor impœnitens, thesaurizas tibi iram in die iræ* [b] *et revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera sua* (*Rom.* II, 4-6). Justum judicium Dei dixit esse, quia serum est, quia diu multumque differtur, ut homini ad vitam longa Dei patientia consulatur. Tunc repræsentatur pœna impio et peccatori, quando jam non potest pœnitentia prodesse peccati [c].

V. Atque ut plenius intelligere possimus, fratres dilectissimi, quia patientia Dei res est, et quisquis lenis et patiens et mitis est, Dei Patris imitator est, cum in Evangelio suo Dominus præcepta in salutem daret, et divina monita depromens ad perfectum [d] discipulos [e] erudiret, posuit et dixit : *Audistis quia dictum est : Diliges proximum tuum* [f], *et odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis : Diligite inimicos vestros, et orate pro eis qui vos persequuntur, ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos. Si enim dilexeritis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne sic et publicani faciunt* [g]*? Et si salutaveritis fratres vestros tantum? quid amplius facitis* [h]*? Nonne et ethnici idipsum faciunt. Estote itaque* [i] *vos perfecti? sicut Pater vester cœlestis perfectus est* (*Matth.* V, 43-48). Sic perfectos dixit fieri Dei filios, sic consummari ostendit et docuit cœlesti nativitate reparatos, si patientia Dei Patris maneat in nobis, si similitudo divina, quam peccato [k] Adam perdiderat, manifestetur et luceat in actibus nostris. Quæ gloria est similem Deo fieri! qualis et quanta felicitas habere in virtutibus quod divinis laudibus possit æquari!

VI. Nec hoc, fratres dilectissimi, Jesus Christus Deus et Dominus noster tantum verbis docuit, sed implevit et factis. Et quia ad hoc descendisse se dixerat ut voluntatem Patris faceret [l], inter cætera mirabilia [m] virtutum suarum quibus indicia divinæ majestatis expressit, paternam quoque patientiam tolerantiæ tenore servavit. Omnes denique [n] actus [a1b] ejus ab ipso statim adventu patientia comite signantur [o], quod primum [p] de illa sublimitate cœlesti ad terrena descendens non aspernatur Dei Filius carnem hominis induere et, cum peccator ipse non esset, aliena peccata portare. Immortalitate interim posita, fieri se et mortalem patitur, ut innocens pro nocentium salute perimatur [q]. Dominus baptizatur a servo ; et, remissam peccatorum daturus, ipse non dedignatur lavacro regenerationis corpus abluere. Diebus quadraginta jejunat, per quem cæteri saginantur : esurit et famem sentit, ut qui in fame sermonis et gratiæ fuerant cœlesti pane saturentur. Cum diabolo tentante congreditur, et inimicum tantum vicisse contentus, nihil ultra verba conatur. Discipulis non ut servis dominica potestate præfuit, sed benignus et mitis fraterna eos charitate dilexit. Dignatus est etiam pedes Apostolorum lavare, ut, dum circa servos talis est dominus, exemplo suo doceret qualis circa compares et æquales debeat esse conservus. Nec mirandum [r] quod circa compares obaudientes [s] talis extiterit qui Judam potuit usque ad extremum longa patientia sustinere, cibum cum inimico capere [t], hostem domesticum scire nec palam ostendere, traditoris osculum non recusare. In Judæis vero tolerandis æquanimitas quanta et quanta patientia! incredulos ad fidem suadendo flectere, obsequio ingratos fovere, contradicentibus respondere leniter, superbos sustinere clementer, humiliter persequentibus cedere, Prophetarum interfectores et adversum Deum semper rebelles usque ad crucis et passionis horam velle colligere.

VII. Sub ipsa autem passione et cruce, priusquam ad crudelitatem necis et effusionem sanguinis veniretur, quæ conviciorum probra patienter audita, quæ

LECTIONES VARIANTES.

[a] Sustinentiam et patientiam *Ver. Ben. Saris. Bod.* 1. 3. 4. *Ar. Sup. ad Quir. l.* III, *c.* 35. Sustinentiæ et patientiæ *Oxon. et anter. edd.*
[b] In diem iræ *Bod.* 1, 4. *Ver.*
[c] *Sic Lam. Ver. Thu. Foss.* Peccanti *Oxon.*
[d] Ad profectum *Ebor. Bod.* 3.
[e] Discipulos suos *Pem. Voss.* 1.
[f] Proximum tibi, et odio habebis inimicum tibi, *Lam. Lin. Bod.* 1, 2. 4. *Ver.*
[g] Nonne et publicani hoc faciunt *Bod.* 1. *Thu.*
[h] Amplius facietis *Bod.* 1, 2. *Lam. Foss.*
[i] Eritis itaque *Bod.* 1, 2, 3. *Thu. Foss. Ver.*
[j] Quomodo pater *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Ver.*
[k] Quam peccando Adam *Bod.* 3.
[l] Voluntatem patris adimpleret *Bod.* 3.
[m] Magnalia *Ver.*
[n] Omnis denique *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Lam. Thu.*
[o] Signatur *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Lam. Thu.*
[p] Primum quod *Lam. Ebor.*
[q] Salute puniatur *Bod.* 3.
[r] Mirandum si *Bod.* 1.
[s] Obaudientes *Lin. NC.* 2. Obedientes *alii.* Compares *Undenam? nullum fontem vocis hujus indigitat Baluz.*
[t] Inimico capere *Ar. Bod.* 1, 2. *Lam. Ebor. Ben. Ver.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

Sustinentiam et patientiam. Dubitari non potest quin hæc emendatio certa sit, cum ita legatur in capite 35 libri III *Testimoniorum*, in octodecim codicibus nostris, in septem Anglicanis et in excerptis Flori. Sic etiam in Affligemensi scriptum fuisse testatur Pamelius, et in Veronensi et Beneventano Rigaltius. Infra in hoc ipso libro pag. 252 : *Tolle sustinendi tolerandique substantiam, et nullis radicibus ac viribus perseverat.*

V. — *Publicani. Id est qui vectigalia redimentes*, inquit Erasmus in hunc locum Matthæi, *unde et redemptores dicuntur. Genus hominum olim infame apud Judæos, nunc apud Christianos cum primis honestum. Nec id sane mirum, cum institores ac mensarii omnibus pene anteponantur apud utriusque reipublicæ summates, quos nec Aristoteles nec Tullius inter honestos cives haberi vult.*

Publicani, — ethnici. Vide Cotelerii notas ad lib. IV *Constitutionum apostolicarum* cap. 6.

VI. — *Capere.* Antea legebatur *sumere.* Nos malumus lectionem quam præferunt viginti libri nostri et quinque Anglicani.

Ostendere. Tertullianus in libro de Patientia : *Deum ipsum ostendens patientiæ exemplum.*

Digitized by Google

contumeliarum tolerata ludibria, ut insultantium sputamina [a] exciperet, qui sputo suo cæci oculos paulo ante formasset; et in cujus nomine a servis nunc ejus diabolus cum angelis suis flagellatur, flagella ipse pateretur; coronaretur spinis qui martyres floribus coronat æternis, palmis in faciem verberaretur qui palmas veras vincentibus tribuit, spoliaretur veste terrena qui indumento immortalitatis cæteros vestit, cibaretur felle qui cibum cœlestem dedit, aceto potaretur qui salutare poculum [b] propinavit! Ille innocens, ille justus, immo innocentia ipsa et ipsa [c] justitia, inter facinorosos deputatur, et testimoniis falsis veritas premitur, judicatur judicaturus, et Dei Sermo ad victimam tacens ducitur. Et cum ad crucem Domini confundantur sidera, elementa turbentur, contremiscat terra, nox diem claudat, sol, ne Judæorum facinus aspicere cogatur, et radios et oculos suos subtrahat, ille non loquitur, nec movetur, nec majestatem suam sub ipsa saltem passione profitetur. Usque ad finem perseveranter ac jugiter tolerantur omnia, ut consummetur in Christo plena et perfecta patientia.

VIII. Et post ista omnia [d], adhuc interfectores suos, si conversi ad eum venerint, suscipit; et patientia salutari ad conservandum benignus et patiens [e], Ecclesiam suam nemini claudit. Illos adversarios, illos blasphemos, illos nominis sui semper inimicos, si pœnitentiam delicti agant, si admissum facinus agnoscant, non solum ad indulgentiam criminis, sed et ad præmium regni cœlestis admittit. Quid potest patientius, quid benignius dici? Vivificatur Christi sanguine etiam qui fudit sanguinem Christi. Talis est Christi ac tanta patientia; quæ nisi talis ac tanta existeret, Paulum quoque apostolum Ecclesia non haberet.

IX. Quod si et nos, fratres dilectissimi, in Christo sumus, si ipsum induimus, [250] si ipse est salutis nostræ via, qui Christum vestigiis salutaribus sequimur, per Christi exempla gradiamur, sicut Joannes apostolus instruit dicens: *Qui dicit se in Christo manere, debet quomodo ille ambulavit et ipse ambulare* (I *Joa.* II, 6). Item Petrus, super quem Ecclesia Domini dignatione fundata est, in Epistola sua ponit et dicit: *Christus passus est pro nobis, relinquens vobis* [f] *exemplum, ut sequamini vestigia ejus; qui peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus; qui cum malediceretur, non remaledicebat* [g], *cum pateretur* [h] *non comminabatur; tradebat autem se judicanti se injuste* [i] (I *Pet.* II, 21).

X. Invenimus denique et Patriarchas et Prophetas et justos omnes, qui figuram Christi imagine præeunte portabant, nihil magis custodisse in laude virtutum suarum quam quod patientiam forti et stabili æquanimitate tenuerunt. Sic Abel [j] originem martyrii et passionem justi [k] hominis initians primus et dedicans adversus fratrem fratricidam [l] non resistit nec reluctatur, sed humilis et mitis patienter occiditur. Sic

LECTIONES VARIANTES.

[a] Sputamina exciperet *Ar. Saris. Lam. Bod.* 1, 2, 3, 4. *Ver.* Patienter *add. Oxon.*

[b] Salutari poculo *Bod.* 4. Salutaria pocula *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2. Salutari poculo *Thu.*

[c] Ipse et ipse *Bod.* 1, 2, 3. *Thu. Foss.*

[d] Post ista adhuc *Lam. Ebor. NC.* 1. *Lin. Bod.* 1, 2, 3, 4.

[e] Benignus, Ecclesiam *Oxon. ed. Ar. Saris. Lam. Ebor. NC.* 1. *Pem. Voss.* 1. *Lin. Ver. Vet. innom. Spir. Man.* Benignus et patiens *Imp.*

[f] Nobis *Ver.*

[g] Remaledixit *Lin. Bod.* 4. *Saris. NC.* 2. *Ver. Thu.* Maledicebat *Oxon.*

[h] Qui cum pateretur *Voss.* 1.

[i] Judicanti injuste *Ar.*

[j] Abel in origine mundi martyrium *Voss.* 1.

[k] Justi initians *Ar. Bod.* 2. *Ver.*

[l] Fratrem homicidam *Lam.* Fratricidam *Foss.* Parricidam *Oxon.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

VII. — *Sputamina exciperet.* Erasmus scripsit *sputamina patienter exciperet.* Mirum est quanto favore acceptum sit hoc adverbium. Omnes editiones quæ prodiere post Erasmicam illud retinuerunt. Et tamen ego illud nuspiam reperi in tanto numero veterum exemplarium quibus usus sum quam in Lamoniano. Deest etiam in septem Anglicanis. Itaque non arbitror quemquam me temeritatis insimulare posse quod sustulerim, præsertim cum certum sit illud istic minime necessarium esse. Infra pag. 255: *Faciem suam non avertit a fœditate sputorum.* Tertullianus in libro de Fuga in persecutione: *Faciem non avertit a sputaminibus.*

Ipsa et ipsa. Ita plerique libri veteres. Alii multi habent *ipse et ipse.* Utraque lectio bona est.

X. — *Fratricidam.* Ego hanc lectionem præfero, tum quia vox est admodum latina, et quia eam habent veteres editiones, etiam Morelliana, et aliquot libri veteres, tum etiam quia, cum remota sit ab usu vulgari, puto eos qui posuerunt *parricidam* existimasse aliam lectionem non esse bonam. Cyprianus de hac ipsa re agens in libro *de Bono Patientiæ* pag. 250, Cain vocat fratricidam. Cicero in Oratione *pro Domo sua* ad Pontifices. *Extra ordinem ferri nihil placuit Clodio. Quid de me quod tulisse te dicis, parricida, fratricida, sororicida, nonne ista extra ordinem tulisti?* Priscianus lib. I: *Pro parenticida per syncopen factum patricida, frater fratris fratricida, soror sororis sororicida.* Tertullianus in libro de Patientiæ: *Cain ille primus homicida et primus fratricida,* et in libro de Spectaculis, *a fratricida institutore.* Lucifer Calaritanus lib. II pro sancto Athanasio: *Cain quoque fratricidæ comparetur, in morte manere designetur. Cur me hoc opus implere compellebas quod me ut Cain fecissei fratricidam et filium diaboli?* Philastrius cap. 128: *Est hæresis quæ non recte intelligit de Cain quod post fratricidium quod commiserat rogat Dominum mori potius quam dimitti.* Salvianus lib. I *de Gubernatione Dei,* cap. 6, de hac ipsa re agens scripsit: *Fratricidium Deo teste facturus.* Cassianus, lib. IX, cap. 9: *Post fratricidium pœnitere,* et *Collat.* VIII, cap. 21: *A fratricida et impio.* Primasius in Epistolam Pauli ad Romanos: *Signum Christi portavit homicida, sicut Cain fratricida portavit.* Germanus, episcopus Parisiensis, in epistola ad Brunechildem reginam: *Unus ex ipsis Cain fratricidium perpetravit.* Gregorius Turonensis lib. I Hist. cap. 2: *In fratrem sanguinis effusione novus fratricida consurgens.* Concilium Wormaciense cap. 30: *Statuimus ut parricidæ et fratricidæ.* Concilium Troslejanum cap. 13 loquens de crimine Cain: *Et ipse usque ad septimam generationem fratricidii et invidiæ suæ vagus profugusque pœnas lueret.* Alcuinus sive quis alius in libro *de divinis Officiis,* cap. 13: *Fratricida qui fratrem occidit.* Honorius papa III [888] apud Odoricum Raynaldum, an. 1225, § 29: *Crudelior Cain fratricida.* Georgius Pogiebracius rex Bohemiæ in *Epistola apologetica* ad regem

Digitized by Google

Abraham Deo credens et radicem ac fundamentum fidei primus instituens, tentatus in filio, non dubitat neque cunctatur, sed præceptis Dei tota patientia devotionis obsequitur. Et Isaac, ad hostiæ Dominicæ similitudinem præfiguratus, quando a patre immolandus offertur, patiens invenitur. Et Jacob, fugatus a fratre de terra sua patienter excedit, et majore patientia postmodum supplex adhuc magis impium et persecutorem muneribus pacificis ad concordiam redigit. Joseph, venundatus a fratribus et relegatus [a], non tantum patienter ignoscit, sed et gratuita frumenta [b] venientibus largiter [c] et clementer impertit. Moyses ab ingrato et perfido populo contemnitur frequenter et pene lapidatur, et tamen lenis et patiens pro eisdem Dominum deprecatur. In David vero, ex quo secundum carnem Christi nativitas oritur, quam magna et mira et christiana patientia, habuisse [d] in manu sæpe ut Saul regem persequentem se et interficere concupiscentem posset occidere, et tamen subditum sibi et traditum maluisse servare, nec rependisse inimico vicem, sed occisum adhuc insuper et vindicasse! Tot denique Prophetæ interfecti, tot martyres gloriosis mortibus honorati, qui omnes ad cœlestes coronas patientiæ laude venerunt. Neque enim potest accipi dolorum et passionum corona, nisi præcedat in dolore et passione patientia.

XI. Quam sit autem patientia utilis et necessaria, fratres dilectissimi, ut manifestius possit et plenius nosci, Dei sententia cogitetur quam in origine statim mundi et generis humani Adam, præcepti immemor et datæ legis transgressor, accepit [e]. Tunc sciemus quam patientes esse in isto sæculo debeamus, qui sic nascimur ut pressuris istic et conflictationibus laboremus : *Quia audisti*, inquit, *vocem mulieris tuæ, et manducasti ex illa arbore de qua sola præceperam tibi ne manducares* [f], *maledicta terra erit in omnibus operibus tuis : in tristitia et gemitu edes ex ea omnibus diebus vitæ tuæ, spinas et tribulos ejiciet tibi* [g], *et edes pabulum agri ; in sudore vultus tui edes panem tuum donec revertaris in terram de qua sumptus es ; quia terra es, et in terram ibis* (*Gen.* III, 17 *sqq.*). Hujus sententiæ vinculo colligati omnes et constricti sumus, donec, expuncta [h] morte, de isto sæculo recedamus. In tristitia et gemitu simus necesse est omnibus diebus vitæ nostræ, edamus panem necesse est cum sudore et labore.

XII. Unde unusquisque nostrum cum nascitur [i] et hospitio mundi hujus excipitur, initium sumit a lacrymis, et quamvis adhuc omnium nescius et ignarus, nihil aliud novit in illa ipsa prima nativitate quam flere. Providentia naturali lamentatur, [351] vitæ mortalis [j] anxietates et labores et procellas mundi quas ingreditur, in exordio statim suo ploratu et gemitu rudis anima testatur. Sudatur enim quamdiu istic vivitur et laboratur. Nec sudantibus et laborantibus possunt alia magis quam patientiæ subvenire solatia : quæ cum apta sint et necessaria in isto mundo universis, tum magis nobis, qui diabolo impugnante plus quatimur; qui, in acie quotidie stantes, inveterati et exercitati hostis colluctationibus fatigamur ; quibus, præter varias et assiduas tentationum pugnas, in persecutionum quoque certamine patrimonia relinquenda sunt, subeundus carcer [k], portandæ catenæ, animæ impendendæ, gladius, bestiæ, ignes, cruces, omnia denique tormentorum ac pœnarum genera fide et virtute patientiæ perferenda, Domino ipso instruente et dicente : *Hæc locutus sum vobis ut in me pacem habeatis : in mundo autem pressuram habebitis, sed fidite* [l], *quoniam ego vici mundum* (*Joan.* XVI, 33). Si autem qui diabolo et mundo renuntiavimus, pressuras et infestationes diaboli et mundi crebrius ac violentius patimur, quanto magis patientiam tenere debemus, qua adjutrice et comite omnia infesta toleremus?

XIII. Domini et magistri nostri [m] salutare præceptum est : *Qui toleraverit* [n], inquit, *usque ad finem, hic salvus erit* (*Matth.* X, 22). Et iterum : *Si permanseritis*, inquit, *in verbo meo, vere discipuli mei eritis* [o], *et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos* (*Joan.* VIII, 31). Tolerandum et perseverandum est, fratres dilectissimi, ut, ad spem veritatis et libertatis admissi, ad veritatem et libertatem ipsam pervenire possimus ; quia hoc ipsum quod Christiani sumus, fidei et spei res est ; ut autem spes et fides ad fructum sui possint pervenire, patientia opus est. Non enim præsentem gloriam sequimur, sed futuram, secundum quod et Paulus [p] apostolus monet dicens : *Spe salvati sumus* [q]. *Spes autem quæ videtur non est spes : quod enim videt quis quid sperat? Si autem quod non videmus speramus* [r],

LECTIONES VARIANTES.

[a] Ligatus *Lam. Pem. Voss.* 2.
[b] Gratis *Pem. Voss.* 2. Grata et frumenta *Bod.* 3.
[c] Largitur *Bod.* 3.
[d] Habuisse dignoscitur *Bod.* 3.
[e] Accepta gratia non tenuit, sed amisit *Voss.* 1.
[f] Manducares ex ea *Bod.* 1.
[g] Germinabit tibi *NC.* 1.
[h] Extincta morte *Bod.* 4. Extincti morte *Bod.* 3.
[i] Unusque cum nascitur *Bod* 1, 2, 3, 4. *Saris.*
[j] Vitæ temporalis *Ver.*
[k] Subeundus est *Bod.* 3.
[l] Sed credite *NC.* 1. *Lam. Bod.* 1, 2.
[m] Magistri nostri *Lam. Ebor. Lin. Saris. Bod.* 1, 2, 3, 4. Magistri salutare *Oxon.*
[n] Qui perseveraverit *Lin.*
[o] Discipuli mei estis *Ar. Saris. Bod.* 1, 2, 3, 4.
[p] Secundum quod et Paulus *Bod.* 1, 2, 3, 4.
[q] Salvi facti sumus *Lam. Ebor. Pem. Bod.* 2.
[r] Exspectationem speramus *Saris. Ar. Bod.* 2, 4. *Ver.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

Hungariæ Matthiam generum suum in tomo IV *Spicilegii* Dacheriani, p. 414, vocat *Cain fratricidam*. Parricidam tamen posse dici matris aut fratris interfectorem tradit Quintilianus, lib. VIII, cap. 6.

XI.—*Dei sententia cogitetur*. Citat hunc locum sanctus Augustinus lib. IV *contra duas Epistolas Pelagianorum*, cap. 8.

XII.—*In mundo*. Duo libri veteres habent *in mundo*, et supra lineam *vel sæculo*. Hinc factum ut, cum nonnulli mallent *mundo*, alii *sæculo*, alterutra earum lectionum posita sit in exemplaribus antiquis pro arbitrio librariorum.

Digitized by Google

per patientiam exspectamus (*Rom.* VIII, 24). Propterea exspectatio et patientia necessaria est ut id quod cœpimus impleamus, et quod credimus et speramus Deo repræsentante [a] capiamus. Denique alio in loco idem apostolus justos et operantes et divini fœnoris incremento cœlestes thesauros sibi recondentes ut patientes quoque sint instruit et docet dicens : *Ergo, dum tempus habemus operemur quod bonum est ad omnes, maxime vero ad domesticos fidei. Bonum autem facientes non deficiamus; tempore enim suo metemus* [b] (*Gal.* VI, 9). Admonet ne quis impatiens in operatione deficiat, ne quis tentationibus aut avocatus aut victus in medio laudis et gloriæ itinere desistat, et pereant præterita, dum quæ cœperant desinunt esse perfecta, sicut scriptum est : *Justitia justi non liberabit eum in quacumque die exerraverit* (*Ezech.* XXXIII, 12). Et iterum : *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam* (*Apoc.* III, 11). Quæ vox adhortatur patienter et fortiter perseverare, ut qui ad coronam laude jam proxima nititur [c], durante patientia coronetur.

XIV. Patientia autem, fratres dilectissimi, non tantum bona custodit, sed et repellit adversa. Spiritui sancto favens et cœlestibus ac divinis cohærens contra facta carnis et corporis, quibus anima expugnatur et capitur [d], virtutum suarum propugnaculo reluctatur. Inspicianus denique pauca de multis, ut de paucis intelligantur et cætera. Adulterium, fraus, homicidium, mortale crimen est. Sit fortis et stabilis in corde patientia [e]; et nec adulterio sanctificatum corpus et Dei templum polluitur, nec justitiæ dicata innocentia contagione fraudis inficitur, nec post gestatam Eucharistiam [f] manus gladio et cruore maculatur.

XV. Charitas fraternitatis vinculum est, fundamentum [152] pacis, tenacitas ac firmitas unitatis, quæ et spe et fide major est, quæ et opera et martyria præcedit, quæ nobiscum semper æterna apud Deum in regnis [g] cœlestibus permanebit. Tolle illi patientiam, et desolata non durat. Tolle illi sustinendi tolerandique substantiam, et nullis radicibus ac viribus perseverat. Apostolus denique, cum de charitate loqueretur, tolerantiam illi et patientiam junxit. *Charitas*, inquit, *magnanima est, charitas benigna est, charitas non æmulatur, non inflatur, non irritatur, non cogitat malum* [h], *omnia diligit, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet* (I *Cor.* XIII, 4-7). Ostendit inde illam perseverare tenaciter posse quod noverit omnia sustinere. Et alio in loco : *Sustinentes*, inquit, *invicem in dilectione, satis agentes servare unitatem spiritus in conjunctione pacis* (*Ephes.* IV, 2). Probavit nec unitatem servari posse nec pacem nisi se invicem fratres mutua tolerantia foveant, et concordiæ vinculum patientia intercedente custodiant.

XVI. Quid deinde, ut non jures neque maledicas, ut tua ablata non repetas, ut, accepta alapa, et alteram maxillam verberanti præbeas, ut fratri in te peccanti non tantum septies, sed septuagies septies [i], sed et omnia omnino peccata dimittas, ut diligas inimicos tuos, ut pro adversariis et persecutoribus precem facias? Porisne [j] ista perficere [k], nisi patientiæ et tolerantiæ teneas firmitatem? Quod factum videmus in Stephano [l]; qui, cum a Judæis vi et lapidibus necaretur, non sibi vindictam, sed interfectoribus veniam postulabat dicens : *Domine, ne statuas illis hoc peccatum* (*Act.* VII, 59). Sic esse oportuit primum martyrem Christi, qui martyres secuturos gloriosa morte præcurrens, non tantum Dominicæ passionis prædicator esset [m], sed et patientissimæ lenitatis imitator. Quid dicam de ira, de discordia, de simultate, quæ in Christiano esse non

LECTIONES VARIANTES.

[a] Deo repræsentante *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Saris. Lin. Ver. Benev. Benet.* Deo præstante *Oxon.*

[b] Metemus non fatigati *NC.* 1.

[c] Coronam laudis jam proximam *Bod.* 1, 3, 4. *Voss.* 1. Laudem quam proxime *Morel.* Et laudem jam proximam *Foss. Eras.*

[d] Quatitur *Pem. Voss.* 2. *Bod.* 2. 4.

[e] Sic forti et stabili manente in corde patientia, nec adulterio *Saris.*

[f] Gustatam Eucharistiam *Bod.* 1, 2. *MR. Thu. Foss. Voss.* 1, 2. *Lam. Ebor. et omnes Imp. ante Pamel.* Gestam Eucharistiam *Lin.*

[g] Æterna in regnis *Ar. Lam. Ebor. NC. Lin. Bod.* 1, 2, 3, 4.

[h] Cogitat malum, non gaudet super iniquitatem, collætatur autem in veritate *Lin.*

[i] Septuaginta et septem *Bod.* 4.

[j] Non poteris ista *Bod.* 1. 3.

[k] Perferre *Ar. Saris. Lam. Ebor. Foss.*

[l] A Stephano *Lam. Ebor. Bod.* 2.

[m] Meruit prædicator esse *Saris.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

XIII. — *Repræsentante.* Ego non inficior quin vulgata lectio, quæ *præstante* habet, sit optima. At cum nostra nitatur auctoritate novemdecim exemplarium nostrorum et sex Anglicanorum, tum etiam testimonio Flori, arbitratus sum eam reddendam esse Cypriano.

Ad coronam. Multum variant in hoc loco vetera exemplaria. Quædam enim exhibent lectionem quam nos retinuimus, alia *ad coronam laudis*, alia et veteres editiones *ad coronam et laudem jam proximam*. Ex illis lector eam eliget quæ sibi magis arriserit.

XIV. — *Gestatam.* Omnes veteres editiones et sexdecim libri veteres, etiam Seguierianus, habent *gustatam*, octo, et in his Veronensis, *gestatam*. Istam vero lectionem Pamelius retulit in contextum, eam videlicet ob causam quod manu non gustetur Eucharistia, sed olim gestari solita sit in manu. Quod Rigaltius probavit. Itaque visum est hanc lectionem, quæ præterea nititur auctoritate octo veterum exemplarium, esse retinendam. Nam Cyprianus in libro *de Lapsis*, pag. 188, et alibi, ait : *Et quod non statim Domini corpus inquinatis manibus accipiat*. Vide Joannem Stephanum Durantum, lib. I, cap. 16, de *Ritibus Ecclesiæ catholicæ*, Henrici Valesii annotationes ad Eusebium, lib. VI, cap. 43, et lib. VII cap. 9, Cardinalem Bonam, lib. II *Rerum Liturgicarum*, cap. 17, et Hospinianum, lib. I *de Templis*, cap. 5.

XVI. — *Non tantum septies.* Ita veteres editiones, etiam Morelliana, et duo libri veteres. Quod sumptum est ex capite XXVIII Matthæi. Itaque hic locus videtur esse mutilus in antiquis codicibus, qui non habent hanc particulam. Eam Manutius sustulit, Morellius reposuit, Pamelius rursum sustulit. Codex sancti Arnulphi, *non tantum septuaginta et septem*. Ea argumentatione et auctoritate usus est Catholicus Armenorum anno 1247 ad Innocentium Papam IV scribens, ut ei suaderet parcendum esse Friderico imperatori, adversus quem vehementer exarserat iracundia Papæ. Vide Odoricum Raynaldum anno 1247, § 34. Vide supra pag. 463.

Digitized by Google

debent? Sit patientia in pectore, et hæc illic locum habere non possunt; aut si adire tentaverint, cito exclusa discedunt, ut domicilium pacificum perseveret in corde ubi Deum pacis delectet habitare. Admonet denique Apostolus et docet dicens [a]: *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in diem redemptionis* [b]. *Omnis amaritudo et ira et indignatio et clamor et blasphemia auferatur a vobis* (*Ephes.* IV, 30). Si enim Christianus a furore et contentione carnali, tamquam de maris turbinibus, excessit, et tranquillus ac lenis in portu Christi esse jam cœpit, nec iram nec discordiam debet intra pectus admittere, cui nec malum pro malo reddere liceat nec odisse.

XVII. Necnon ad varia quoque carnis incommoda et crebros corporis durosque cruciatus, quibus humanum genus quotidie fatigatur et quatitur, patientia necessaria est. Nam, cum in illa prima transgressione præcepti firmitas corporis cum immortalitate discesserit, et cum morte infirmitas venerit, nec possit firmitas recipi nisi cum recepta et immortalitas fuerit, oportet in hac fragilitate atque infirmitate corporea [c] luctari semper et congredi. Quæ luctatio et congressio non nisi patientiæ viribus potest sustineri. Examinandis autem nobis atque explorandis [d] diversi importantur dolores, et multiplex tentationum qualitas irrogatur, de jacturis facultatum, de ardoribus febrium, de cruciatibus vulnerum, de amissione charorum. Nec aliud magis [e] inter injustos discernit et justos, quam quod in adversis per impatientiam queritur et blasphemat injustus, patientia justus [f] probatur, sicut scriptum est: *In dolore sustine, et in humilitate tua patientiam habe, quoniam in igne probatur aurum et argentum* [g] (*Eccli.* II, 4).

XVIII. Sic Job examinatus est et probatus et ad summum fastigium laudis patientiæ virtute [353] provectus. Quanta adversus eum diaboli jacula emissa, quanta admota tormenta! Jactura rei familiaris infligitur, numerosæ sobolis orbitas irrogatur. Dives in censu dominus, et in liberis pater ditior, nec dominus repente nec pater est. Accedit vulnerum vastitas, et tabescentes ac fluentes artus edax quoque vermium pœna consumit. Ac, ne quid omnino remaneret quod non Job in suis tentationibus experiretur, armat diabolus et uxorem, illo antiquo nequitiæ suæ usus ingenio, quasi omnes per mulierem decipere posset et fallere, quod fecit in mundi origine; nec tamen Job gravibus ac densis conflictationibus frangitur quominus inter illas angustias et pressuras suas Dei benedictio [h] victrice patientia prædicetur. Tobias quoque, post justitiæ et misericordiæ suæ opera magnifica, luminum amissione tentatus, in quantum patienter cæcitatem pertulit, in tantum granditer Deum patientiæ laude promeruit.

XIX. Atque, ut magis, fratres dilectissimi, patientiæ bonum luceat, quid mali [i] e contrario impatientia importet consideremus. Nam, ut patientia bonum Christi est, sic e contra impatientia diaboli malum [j]; et sicut in quo habitat et manet Christus, patiens invenitur, ita impatiens semper existit cujus mentem diaboli nequitia possidet. Exordia denique ipsa videamus. Diabolus hominem [k] ad imaginem Dei factum impatienter tulit: inde et periit primus et perdidit. Adam, contra cœleste præceptum, cibi lethalis impatiens, in mortem cecidit, nec acceptam divinitus gratiam patientia custode servavit; et ut fratrem Cain perimeret, sacrificii ejus et muneris impatiens fuit; et quod Esau de majoribus ad minora descendit, primatus suos per impatientiam lentis [l] amisit. Quid Judaïcus populus circa beneficia divina perfidus et ingratus, nonne quod a Deo primum recessit, impatientiæ crimen fuit, dum Moysi cum Deo [m] colloquentis moras non potest ferre, profanos deos ausus est postulare [n], ut itineris sui duces nuncuparet [o] caput bubulum et terrestre figmentum; nec umquam ab eadem impatientia destitit, quominus, semper docilitatis et divinæ admonitionis impatiens, Prophetas suos et justos quosque perimendo, ad crucem quoque et ad sanguinem Domini prosiliret. Impatientia etiam [p] in Ecclesia hæreticos facit, et, ad Judæorum similitudinem, contra Christi pacem et charitatem rebelles ad hostilia et furiosa odia compellit. Et, ne longum sit singula recensere, omnia omnino quæ patientia operibus suis ædificat ad gloriam, impatientia destruit ad ruinam.

XX. Quare, fratres dilectissimi, et bonis patientiæ et impatientiæ malis diligenter expensis, patientiam, per quam in Christo manemus, ut venire cum Christo ad Deum possimus [q], plena observatione teneamus; quæ copiosa et multiplex non angusto fine concluditur, nec brevibus terminis coercetur. Late patet

LECTIONES VARIANTES.

[a] Monet dicens *Bod.* 1. Admonet denique apostolus Paulus *Ver.*
[b] Die redemptionis *Saris. Bod.* 1, 2. *Vict.*
[c] Corporis luctari semper *Bod.* 3, 4.
[d] Probandis diversi importantur labores *Ver.*
[e] Magis justos discernit *Saris. Bod.* 1, 2, 3, 4.
[f] Justi *Voss.* 1.
[g] Homines vero receptibiles in camino humiliationis *Bod.* 1.
[h] Benedictionem victrice patientia prædicaret *Voss.* 1. *Pem. Bod.* 4. *NC.* 2.
[i] Et quid mali *Saris.*
[j] Malum est *Bod.* 1. 4.
[k] Deum superiorem se et hominem ad *Vict.*
[l] Mentis *Bod.* 1. 3.
[m] Deo loquentis *Ar. Bod.* 2. *Foss. Vict.*
[n] Ausus est postulare *Lam. Ebor. Lin. NC.* 1. *Bod.* 1, 2, 3, 4. Est *omit. Oxon.*
[o] Duces diceret *Ar.*
[p] Etiam in Ecclesia *Lam. Ebor. Lin. NC.* 1, 2.
[q] Et venire cum Christo ad Deum possumus *Lam. Ebor. Lin. NC.* 1. *Bod.* 1, 2, 3, 4.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

XVIII. —*Dei benedictio.* Quidam libri veteres præferunt: *Dei benedictionem victrice patientia comitetur.* Seguierianus: *Dei benedictio victrice patientia prædicetur.* Sic etiam codex sancti Arnulphi.

XIX. —*Impatientia diaboli malum.* Vide librum Tertulliani *de Pœnitentia*, qui totus in hoc argumento versatur.

Periit primus. Siricii papæ Epistola ad universos episcopos: *Non patitur quietos nos ab incursatione sua vacare hostis antiquus, ab initio mendax, inimicus veritatis, æmulus hominis, quem ut deciperet, se ante decepit.*

Digitized by Google

patientiæ virtus; et ubertas ejus et largitas de unius quidem nominis fonte proficiscitur, sed, exundantibus venis, per multa gloriarum itinera diffunditur; nec proficere aliquid in actibus nostris potest ad consummandam laudem, nisi inde consummationis accipiat firmitatem [a]. Patientia est quæ nos Deo et commendat et servat. Ipsa est quæ iram temperat, quæ linguam frænat, mentem gubernat, pacem custodit, disciplinam regit, libidinis impetum frangit, tumoris violentiam comprimit, incendium simultatis extinguit, coercet potentiam divitum, inopiam pauperum refovet, tuetur in virginibus beatam integritatem, in viduis laboriosam castitatem, in conjunctis et maritatis individuam charitatem. Facit [sic] humiles in prosperis, in adversis fortes [b], contra injurias et contumelias mites. Docet delinquentibus cito ignoscere; si ipse delinquas, diu et multum rogare. Tentationes expugnat, persecutiones tolerat, passiones et martyria consummat. Ipsa est quæ fidei nostræ fundamenta firmiter munit : ipsa est quæ incrementa spei sublimiter provehit [c]. Ipsa actum [d] dirigit, ut tenere possimus viam Christi, dum per ejus tolerantiam gradidimur : ipsa efficit ut perseveremus filii Dei, dum patientiam Patris imitamur.

XXI. Sed, quoniam plurimos scio, fratres dilectissimi, vel pondere injuriarum angentium vel dolore de iis qui adversum se grassantur et sæviunt, vindicari velociter cupere, nec illud in extrema [e] parte reticendum est, ut, in istis fluctuantis mundi turbinibus et Judæorum sive gentilium et hæreticorum quoque persecutionibus constituti, patienter exspectemus ultionis diem, nec ad vindictam doloris nostri querula festinatione properemus, cum scriptum sit : *Exspecta me, dicit Dominus, in die resurrectionis meæ* [f] *in testimonium, quoniam judicium meum ad congregationes gentium, ut exciplam reges et effundam super eos iram meam* (*Soph.* III, 8). Exspectare nos jubet Dominus [g] et futuræ ultionis diem forti patientia sustinere. Qui et in Apocalypsi loquitur dicens : *Ne signaveris verba prophetiæ libri hujus, quia jam tempus in proximo est ut et ii qui perseverant nocere noceant, et qui in sordibus est sordescat adhuc, justus autem adhuc justiora faciat, similiter et qui sanctus est* [h], *sanctiora. Ecce venio cito, et merces mea mecum est, reddere unicuique secundum facta sua* (*Apoc.* XXII, 10-12). Unde etiam clamantes martyres et ad vindictam suam, dolore erumpente, properantes exspectare adhuc jubentur et temporibus consummandis implendisque martyribus præbere patientiam : *Et cum aperuisset*, inquit, *quintum sigillum* [i], *vidi sub ara Dei animas occisorum propter verbum Dei et martyrium suum, et clamaverunt voce magna dicentes : Quousque, Domine sanctus et verus, non judicas et vindicas sanguinem nostrum de iis qui in terris inhabitant? Et datæ sunt eis singulæ stolæ albæ* [j], *et dictum est eis ut requiescerent brevi adhuc tempore, donec impleatur numerus conservorum et fratrum eorum qui postea* [k] *occidentur exemplo ipsorum* (*Apoc.* VI, 9-11).

XXII. Quando autem veniat sanguinis justi divina vindicta, declarat per Malachiam prophetam [l] Spiritus sanctus dicens : *Ecce dies Domini venit ardens velut clibanus; eruntque omnes alienigenæ et omnes iniqui stipula* [m], *et succendet* [n] *illos adveniens dies, dicit Dominus* (*Malach.* IV, 1). Quod item legimus in Psalmis, ubi Dei judicis prædicatur adventus censuræ suæ majestate venerandus : *Deus manifestus veniet, Deus noster, et non silebit. Ignis ante eum ardebit, et in circuitu ejus procella nimia* [o]. *Advocabit* [p] *cœlum sursum et terram deorsum, ut separet populum suum. Colligite illi justos ejus, eos qui disponunt testamentum ejus in sacrificiis; et annuntiabunt* [q] *cœli justitiam ejus, quoniam Deus judex est* (*Psal.* XLIX, 3-6). Et Esaias [r] eadem prænuntiat dicens : *Ecce enim Dominus sicut ignis veniet, et sicut procella currus ejus, retribuere in ira vindictam. In igne enim Domini judicabuntur, et in gladio ejus vulnerabuntur* (*Isa.* LXVI, 15). Et iterum : *Dominus Deus virtutum prodibit et comminuet bellum, excitabit certamen* [s], *et clamabit super inimicos suos*

LECTIONES VARIANTES.

[a] Firmamentum *Lin. Pem.*
[b] Et in adversis fortes *Bod.* 1.
[c] Subtiliter provehit *Ar.*
[d] Ipsa agnitionem actuum *Ben. NC. Ebor. Lam. Bod.* 2.
[e] *Sic Lam. Ebor. Lin. NC.* 1, 2. *Ben. Saris. Bod.* 1, 2, 3, 4. *Thu. Foss.* Nec in illum extremi judicii diem malorum retributionem differre, nobiscum, hortamur, interim amplectimini patientiæ bonum, ut in extr. *Morell. Pam. Oxon.*
[f] Retributionis meæ *Bod.* 3.
[g] Fratres dilectissimi *add. Oxon.*
[h] Sanctus sanctiora *Lam. Ebor. Bod.* 1, 2, 3, 4. *Ver. Man.*
[i] Quintum signum *Lam. Ebor. Saris. Bod.* 2, 3, 4. *Ver. Thu.*
[j] Data est singulis stola alba *Thu. Paulo post*, Ut sustinerent *Bod.* 1.
[k] Quinque postea *Lam. Pem. Lin. Ebor. Saris. NC.* 1. *Voss.* 1, 2. *Thu. Foss. Vict.* Occiderentur *Pem.*
[l] Malachiam Spiritus *Ver.*
[m] Sicut stipula *Pem. Voss.* 1. Ut *Bod.* 1.
[n] Accendit *Bod.* 1.
[o] Ejus tempestas *Bod.* 3. Valida *Pem. Bod.* 3.
[p] Vocabit *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Ar Lam. Ver.*
[q] Nuntiabunt *Saris. Bod.* 1, 2, 3, 4.
[r] Nam et Isaias *Bod.* 1. *Foss.*
[s] Concitabit certamen *Voss.* 2. *Pem.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

XXI.—*Nec illud in extrema.* Restituimus lectionem veterum editionum, quam confirmant XXIII libri nostri et XII Anglicani. Coacti sumus delere ea quæ mutata et addita fuerant in editione Morellii, quamvis ea quoque reperissemus in tribus antiquis codicibus, quamvis sciremus Pamelium ea quoque invenisse in quatuor antiquis. Hæc autem sunt quæ nos delevimus, si qui tanti æstiment scire quæ illa sint: *Nec in illum extremi judicii diem malorum retributionem differre, nobiscum hortamur, interim amplectimini patientiæ bonum, ut in istis*, etc.

Querula. Pamelius ex codice Camberonensi addit *et invidiosa.* At ego hoc additamentum nuspiam reperi in libris antiquis, neque in editionibus quæ Pamelianam antecesserunt.

Stolæ albæ. In undecim libris manuscriptis legitur : *Data est singulis stola alba.*

Digitized by Google

cum fortitudine. Tacui, numquid semper tacebo (*Isa.* XLII, 13)?

XXIII. Quis autem est hic qui tacuisse se prius dicit et non semper tacebit? Utique ille qui sicut ovis ad victimam ductus est, et sicut agnus coram tondente se [a], sine voce non aperuit os suum [b]; utique ille qui non clamavit, neque in plateis vox ejus audita est; utique ille qui non fuit contumax, neque contradixit, cum dorsum suum poneret ad flagella et maxillas [389] ad palmas, faciem autem suam non avertit a fœditate sputorum; utique ille qui, cum accusaretur a sacerdotibus et senioribus, nihil respondit et, admirante Pilato, patientissimum silentium [c] tenuit. Hic est qui [d], cum in passione tacuerit [e], in ultione postmodum non tacebit. Hic est Deus noster, id est, non omnium, sed fidelium et credentium Deus, qui, cum in secundo adventu manifestus [f] venerit, non silebit. Nam, cum in humilitate prius fuerit occultus, veniet in potestate manifestus.

XXIV. Hunc exspectemus, fratres dilectissimi, judicem et vindicem nostrum, Ecclesiæ suæ populum et ab initio mundi justorum omnium [g] numerum secum pariter vindicaturum. Qui ad vindictam [h] suam nimium festinat et properat, consideret quia necdum vindicatus est ipse qui vindicat. Pater Deus præcepit Filium suum adorari, et apostolus Paulus, divini præcepti memor, ponit et dicit: *Deus, exaltavit illum, et donavit illi nomen quod est super omne nomen* [i], *ut in nomine Jesu omne genu flectatur* i *cœlestium, terrestrium et infernorum* (*Philip.* II, 9, 10). Et in Apocalypsi Angelus Joanni volenti adorare se resistit et dicit [k]: *Vide ne feceris, quia conservus tuus sum et fratrum tuorum. Jesum Dominum adora* [l] (*Apoc.*, XXII, 9). Qualis Dominus Jesus et quanta patientia ejus! ut qui in cœlis adoratur, necdum vindicetur in terris. Hujus patientiam, fratres dilectissimi, in persecutionibus et passionibus nostris cogitemus. Hujus adventui plenum exspectationis obsequium præbeamus. Nec defendi ante Dominum servi irreligiosa et inverecunda festinatione [m] properemus. Insistamus potius [n] et elaboremus [o] et toto corde vigilantes [p] atque ad omnem tolerantiam stabiles Dominica præcepta servemus; ut, cum ille iræ et vindictæ dies venerit, non cum impiis et peccatoribus puniamur, sed cum justis et Deum timentibus honoremur [q].

LECTIONES VARIANTES.

[a] Coram tondente *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Ver.*
[b] Sic non aperuit *Lam. Ebor.*
[c] Patientissimus silentium *NC.* 2.
[d] Hic qui *Lam. Ebor. Bod.* 2.
[e] In passione prius *Ver.*
[f] Manifestius *Lin.*
[g] Justos omnes *Voss.* 1.
[h] Vindictam sui *Bod.* 1.
[i] Ut sit super omne nomen *Ar. Lam. Ebor. Ver.*
[i] Omnes genu curvent *NC.* 1. *Lam. Ebor. Bod.* 1. *Ver.*
[k] Restitit *Lam. Ebor. Voss.* 1. *NC.* 1. *Bod.* 1, 2, 3.
[l] Adora. Hujus *Ar. Lin. Pem. Voss.* 2.
[m] Perdita festinatione *Saris.*
[n] Insistamus autem *Saris.*
[o] Laboremus *Lam. Ebor. Ver.*
[p] Vigilantes ad Deum *Bod.* 3.
[q] Coronemur *Vict.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

Justorum omnium. Codex Lætiensis, *Justos omnes secum pariter vindicaturum.*

Omne genu flectatur. Septem libri veteres habent *curvetur*, septem vero, *omnes genu curvent.*

Pater Deus... infernorum. Hæc desunt in libro sancti Arnulphi, per oscitantiam nimirum, ut puto, librarii. Exstant enim in aliis libris veteribus et in editionibus.

LIBER
DE ZELO ET LIVORE.

ARGUMENTUM. — *Paucis libri hujus argumentum reddit in hæc verba D. Pontius in vita Cypriani: « Quis, inquit, livorem de venenatu invidiæ malignitate venientem, dulcedine remedii salutaris inhiberet? » Principio igitur, postquam eo gravius crimen esse zelum seu livorem, quo occultius est malum, et originem ejus diabolo ascribendam docuit: propositis etiam obiter invidiæ exemplis e Veteri Testamento, radicem malorum omnium invidiam esse, per singula viliorum genera deducit; atque adeo recte et a Christo et ab Apostolis, non uno in loco, interdictum fraternum odium, Postremo ubi Dei exemplo ad dilectionem inimicorum eos adhortatus est, præmiorum coronis propositis ab hoc malo deterret.*

I. ZELARE quod bonum [r] videas et invidere melio-

LECTIONES VARIANTES.

[r] Bonos *Lin.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

[389] DE ZELO ET LIVORE. Cum sanctus Augustinus initium et quædam alia hujus libri loca retulisset in I. IV, *de Baptismo* contra Donatistas, c. 8, postea ait; *Hæc verba Cypriani in Epistola, populis nota, quam vera, quam fortia sint recognoscimus. Vere decuit Cyprianum de Zelo et Livore et arguere graviter et monere, a quo tam mortifero malo cor ejus penitus alienum tanta charitatis abundantia comprobavit.* Idem in caput V Epistolæ ad Galatas: *Scripsit et beatus Cyprianus librum de Zelo et Livore optimum, quem qui legerit, non dubitaverit annumerare operibus carnis invidiam.* Vide Hincmarum in libro LV *Capitulorum*, cap. 47, pag. 566.

Digitized by Google

ribus leve apud quosdam et modicum crimen videtur, fratres dilectissimi; dumque existimatur leve esse et modicum, non timetur; dum non timetur, contemnitur; dum contemnitur, non facile vitatur, et fit cæca et occulta pernicies : quæ, dum minus perspicitur ut caveri a providentibus [a] possit, improvidas mentes latenter affligit. Porro autem Dominus prudentes esse nos jussit, et cauta sollicitudine vigilare præcepit, ne adversarius vigilans semper [b] et semper insidians, ubi in pectus obrepserit [c], de scintillis conflet incendia, de parvis maxima exaggeret, et, dum remissis et incautis leniore aura et flatu molliore blanditur, procellis ac turbinibus excitatis, ruinas fidei et salutis ac vitæ naufragia moliatur. Excubandum est itaque, fratres dilectissimi, atque omnibus viribus elaborandum ut inimico sævienti et jacula sua in omnes corporis partes [d] quibus percuti et vulnerari possumus, dirigenti sollicita et plena vigilantia repugnemus [356], secundum quod Petrus apostolus in Epistola sua præmonet et docet dicens : *Sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit, aliquem devorare quærens* [e] (1 *Pet.* v, 8).

II. Circuit ille nos singulos, et tamquam hostis clausos obsidens, muros explorat, et tentat an sit pars aliqua murorum minus stabilis et minus fida, cujus aditu ad interiora penetretur. Offert oculis formas illices [f] et faciles voluptates [g], ut visu destruat castitatem. Aures per canora musica [h] tentat, ut soni dulcioris auditu solvat et molliat christianum vigorem. Linguam convicio provocat, manum injuriis lacessentibus ad petulantiam cædis instigat; ut fraudatorem faciat, lucra opponit injusta; ut animam pecunia capiat [i], ingerit perniciosa compendia; honores terrenos promittit, ut cœlestes adimat; ostentat falsa, ut vera subripiat : et cum latenter non potest fallere, exerte atque aperte [j] minatur, terrorem turbidæ persecutionis intentans, ad debellandos Dei servos inquietus semper et semper infestus, in paco subdolus, in persecutione violentus.

III. Quamobrem, fratres dilectissimi, contra omnes diaboli fallaces insidias vel apertas minas stare debet instructus animus et armatus, tam paratus [k] semper ad repugnandum quam est ad impugnandum semper paratus inimicus. Et, quoniam frequentiora sunt tela ejus quæ latenter obrepunt, magisque occulta et clandestina jaculatio quo minus perspicitur, hoc et gravius et crebrius in vulnera nostra grassatur, ad hæc quoque intelligenda et depellenda vigilemus ex quibus est zeli et livoris malum. Quod si quis penitus inspiciat, inveniet nihil magis Christiano cavendum, nihil cautius providendum quam ne quis invidia et livore capiatur; ne quis fallentis inimici [l] cæcis laqueis implicatus, dum zelo frater in fratris odia convertitur, gladio suo nescius ipse perimatur. Quod ut colligere plenius et manifestius perspicere possimus, ad caput ejus atque originem recurramus. Videamus unde zelus, et quando et quomodo cœperit. Facilius enim a nobis malum tam perniciosum vitabitur, si ejusdem mali et origo et magnitudo noscatur.

IV. Hinc diabolus inter initia statim mundi et periit primus et perdidit. Ille angelica majestate subnixus [m],

LECTIONES VARIANTES.

[a] A prævidentibus *Voss.* 1. Prudentibus *Pem. Voss.* 2.
[b] Semper ipse *Ben. Voss.* 2.
[c] Latenter obrepit *Pem. Voss.* 2. obrepsit. *Ar. Bod.* 2, 4. *Ver. Thu. Foss.* obrepent *Vict.*
[d] Partes mittenti *Bod.* 3.
[e] Aliquid devorare *Bod.* 1, 2. *Ver. Thu.*
[f] Formas muliebres *Bod.* 3.
[g] Voluntates *Lam. Ebor. Voss.* 1, 2. *NC.* 1. *Pem. Bod.* 2, 4. *Vict. Voss.*
[h] Canora musica *Ben. Thu. Foss.*
[i] Capiat, ostendit *Bod.* 1.
[j] Atque manifeste *Bod.* 1.
[k] Sit tam paratus *Pem. Voss.* 2.
[l] Ne quis inimici *Pem. Voss.* 1.
[m] Ille angelica *Bod.* 1, 2. 3, 4. *Lam. Ebor. Lin. NC.* 1. *Voss.* 1, 2. Potestate *Bod.* 3. Ille dudum *Oxon.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

I. — *Non facile vitatur.* Consultationes Zachæi et Apollonii, cap. 29, in tomo x *Spicilegii* Dacheriani, pag. 36 : *Et quod est sævius, sub specie innocentiæ malum non cavetur, dum vitari posse non creditur.*

Ubi in pectus obrepit. Decem libri veteres *obrepserit.* Ita etiam veteres editiones. Editio Morellii, quando *in pectus obrepat.*

Murorum. Antea legebatur *membrorum.* Veram lectionem invenimus in duobus vetustis exemplaribus, in Victorino nimirum vetere et in Tornacensi. In Victorino scriptum est *membrorum* et supra lineam *vel murorum*; in Tornacensi vero *murorum*, et supra lineam *vel membrorum.*

II. — *Circuit ille.* Auctor Epistolæ *ad Demetriadem* inter opera Hieronymi : *Invidere non cessat auctor invidiæ, et qui semel a Deo ipse projectus est, tanto majori livore torquetur, quanto aliquem apud eum viderit clariorem.* Et mox : *More dolosi hostis universa perlustrans explorat omnes aditus animæ suæ, an sit aliquid infirmum et minus tutum per quod possit irrepere.*

Canora musica. Hanc lectionem, quam præferunt antiquæ editiones, etiam Morelliana, retinere placuit, quia illam exhibent septemdecim libri veteres, nisi quod in eorum uno scriptum est *sonora* pro *canora*, et quia musicam dici posse dubitabatur ævo Quintiliani, ut ipse ait lib. VIII, cap. 3. Et tamen quidam alii libri veteres et editio Anglicana præferunt *canoram musicam*; codex Moyssiacensis et Rigaltius, *canorem musicam.* Sed hic error est; canor enim est masculini generis. Ovidius, lib. V Metamorphoseon : *Non tamen ille canor mulcendas natus ad aures.* Sunt etiam alia exempla.

Ostentat falsa. Citat hunc locum auctor *Prædestinati* editus a Sirmondo in Prologo libri tertii : *Finitus est liber inimicus hominum, contra Fidem Catholicam conflictus, circumdatus fallaciis, adulter integræ diffinitionis, quique, ut sanctus Cyprianus ait, falsa ostentat ut vera surripiat.*

III. — *Tela quæ latenter.* Supra in initio libri *de Unitate Ecclesiæ*, pag. 193 : *Facilior cautio est ubi manifesta formido est.* Hieronymus in Dialogo adversus Luciferianos : *Sagitta quæ contento nervo dirigitur difficile vitatur. Antea enim ad eum ad quem jacta est pervenit quam obice clypei frustretur.*

IV. — *Hinc diabolus.* Refert et illustrat hunc locum sanctus Augustinus lib. IV. *de Baptismo* contra Donatistas cap. 9. Vide Sirmondum in librum Rufini Palæstini *de Fide*, pag. 91.

Digitized by Google

ille Deo acceptus et charus, postquam hominem ad imaginem Dei factum conspexit, in zelum malivolo livore prorupit, non prius alterum dejiciens instinctu zeli quam ipse zelo ante dejectus, captivus antequam capiens, perditus antequam perdens, dum, stimulante livore [a], homini gratiam datæ immortalitatis eripit [b], ipse quoque id quod prius fuerat amisit. Quale malum est, fratres dilectissimi, quo angelus cecidit, quo circumveniri et subverti alta illa et præclara sublimitas potuit, quo deceptus est ipse qui decepit! Exinde invidia grassatur in terris, dum livore periturus magistro perditionis obsequitur, dum diabolum qui zelat imitatur, sicut scriptum est: *Invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum* (*Sap.* II, 24). Imitantur ergo illum qui sunt ex parte ejus.

V. Hinc denique novæ fraternitatis prima odia, hinc parricidia nefanda cœperunt (*Gen.* IV), dum Abel justum Cain zelat injustus, dum bonum malus invidia et livore persequitur. Tantum valuit ad consummationem facinoris æmulationis furor, ut nec charitas fratris, nec sceleris immanitas, nec timor Dei, nec pœna delicti cogitaretur. Injuste oppressus est qui justitiam primus ostenderat, odia perpessus est qui odisse non noverat, occisus est impie qui moriens non repugnabat. Et quod Esau fratri suo Jacob inimicus exstitit, zelus fuit (*Gen.* XXVII). Nam, quia ille benedictionem patris acceperat, hic in odium [257] persecutionis facibus livoris exarsit. Et quod Joseph fratres sui vendiderunt, causa vendendi de æmulatione descendit (*Gen.* XXXVII). Postquam id quod sibi in visionibus prosperum fuerat ostensum, simpliciter ut fratribus frater exposuit, in invidiam malivolus animus erupit. Saul quoque rex ut David odisset, ut persecutionibus sæpe repetitis innocentem, misericordem, mitem, [c] lenitate patientem necare cuperet, quid aliud quam zeli stimulus provocavit (I *Reg.* XVIII)? Quia, Goliath interfecto, et ope ac dignatione divina tanto hoste deleto [d], populus admirans in laudes David prædicationis suffragio [e] prosiliit (III *Reg.* XVII), Saul [f] simultatis atque insectationis furias de livore concepit. Et ne longum faciam singulos recensendo [g], pereuntis semel [h] populi attendamus interitum. Judæi nonne inde perierunt dum Christo malunt invidere quam credere? Obtrectantes magnalibus quæ ille faciebat, zelo excæcante decepti sunt, nec ad divina noscenda cordis oculos aperire potuerunt.

VI. Quæ nos considerantes [i], fratres dilectissimi, contra tantam mali perniciem vigilanter et fortiter dicata Deo pectora muniamus. Aliorum mors proficiat ad nostram salutem, imprudentium pœna providentibus conferat sanitatem. Non est autem quod aliquis existimet malum istud una specie contineri aut brevibus terminis et angusto fine concludi. Late patet zeli multiplex et fœcunda pernicies. Radix est [j] malorum omnium, fons cladium, seminarium delictorum, materia culparum. Inde odium surgit, animositas inde procedit. Avaritiam zelus inflammat, dum quis suo non potest esse contentus, videns alterum ditiorem. Ambitionem zelus excitat, dum cernit quis alium in honoribus altiorem [k]. Zelo excæcante sensus nostros atque in ditionem suam mentis arcana redigente, Dei timor spernitur, magisterium Christi negligitur, judicii dies non providetur. Inflat superbia, exacerbat sævitia, perfidia prævaricatur, impatientia concutit, furit discordia, ira fervescit; nec se jam potest cohibere vel regere qui factus est potestatis alienæ. Hinc Dominicæ pacis vinculum rumpitur, hinc charitas fraterna violatur, hinc adulteratur veritas, unitas scinditur, ad hæreses atque ad schismata prosilitur, dum obtrectatur sacerdotibus, dum episcopis invidetur, dum quis aut queritur non se potius ordinatum [l], aut dedignatur alterum ferre præpositum. Hinc recalcitrat, hinc rebellat de zelo

LECTIONES VARIANTES.

[a] Et dum stimulante *NC.* 1. *Lam. Ebor. Bod.* 2.
[b] *Sic, Lam. Ebor. Lin. Voss.* 1. *Bod.* 1, 2, 3, 4. eripit, qui quoque *Imp.*
[c] Miti venitate *Routh, ex suis codd.*
[d] Hoste dejecto, *Pem. Voss.* 2.
[e] Prædicationis officio *Bod.* 1.
[f] Saul rex, *Pem. Voss.* 2.
[g] Recensendo *Lam. Ebor. Lin. NC.* 1. *Voss.* 1. *Bod.* 1, 2, 3, 4. Accensendo *Oxon.*
[h] Simul populi *Pem. Ebor. Routh, ex uno cod.* Sibi *Tew.*
[i] *Sic Thu. Foss. NC.* 2. Quæ nunc *Oxon.*
[j] Radix est enim, *Lin. Pem. Voss.* 2. *Bod.* 3. 4.
[k] *Sic Lam. NC.* 1. *Bod.* 2, 3. In honoribus auctiorem *Oxon.*
[l] Potius honoratum *Bod.* 3.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

Ex parte ejus. Postea sequitur in codice Pithœano: *Justorum animæ in manu Dei sunt.* Sed istud additamentum non reperi alibi.

V. — *Novæ fraternitatis.* Vox *novæ* deest in duobus libris veteribus. Certe videtur superflua. Non delevi tamen, quia exstat in multis exemplaribus manuscriptis.

Livore persequitur. Postea sequitur in tribus antiquis codicibus, *dum diabolum qui zelat imitatur.* Sed hæc videntur repetita a quodam studioso ex his quæ paulo ante dicta sunt. Novatianus in libro de Trinitate, *non de maligno invidiæ livore descendit.*

Abel justum Cain zelat. Quem ideo Prosper lib. II *de Promissionibus et Prædictionibus Dei*, cap. 6, vocat auctorem invidiæ. Irenæus lib. I. loquens de generatione Cain ait: *ita ut et dum fratrem suum Abel occideret, primus zelum et mortem ostenderit.*

[257] *Semel.* In uno libro meo vetere scriptum est *semel* et supra lineam *vel simul.* Hinc ergo, uti jam non semel diximus, orta est discrepantia quæ istic reperitur in codicibus manuscriptis, quorum nonnulli habent *semel*, alii *simul.*

VI. — *Inde odium surgit.* Prudentius in Hamartigenia: *Arsit enim scintilla odii de fomite zeli.*

Altiorem. Ita veteres editiones et sexdecim libri veteres. Manutius posuit *auctiorem.* Postea Morellius revocavit veterem lectionem. Pamelius reposuit Manutianam, quam ego inveni in decem libris antiquis, Sed major numerus vincit. Et certe vetus editio multo melior est.

Ira fervescit. Quam Cassianus lib. VIII, cap. 1 vocat mortiferum virus.

Digitized by Google

superbus, de æmulatione perversus, animositate et livore non hominis, sed honoris inimicus.

VII. Qualis vero est [a] animæ tinea, quæ cogitationum tabes, pectoris quanta rubigo, zelare in altero vel virtutem ejus vel felicitatem, id est odisse in eo vel merita propria vel beneficia divina, in malum proprium bona aliena convertere, illustrium prosperitate torqueri, aliorum gloriam facere suam pœnam, et velut quosdam pectori suo admovere carnifices, cogitationibus et sensibus suis adhibere tortores, qui se intestinis cruciatibus lacerent, qui cordis secreta malivolentiæ ungulis pulsent! Non cibus talibus lætus, non potus potest esse jucundus. Suspiratur semper et ingemiscitur et doletur; dumque ab invidis numquam livor exponitur, diebus ac noctibus pectus obsessum sine intermissione laniatur. Mala cætera habent terminum [b], et quodcumque delinquitur, delicti consummatione finitur. In adultero cessat facinus perpetrato stupro, in latrone conquiescit scelus homicidio admisso, et prædoni rapacitatem [c] statuit præda possessa, et falsario modum ponit impleta fallacia. Zelus terminum non habet, permanens jugiter malum et sine fine peccatum; quantoque ille cui [338] invidetur successu meliore profecerit, tanto invidus in majus incendium livoris ignibus inardescit.

VIII. Hinc vultus minax, torvus aspectus, pallor in facie, in labiis tremor, stridor in dentibus, verba rabida, effrænata convicia, manus ad cædis violentiam prompta, etiamsi a gladio interim vacua, odio tamen furiatæ mentis [d] armata. Et idcirco Spiritus sanctus dicit in Psalmis: *Noli zelare* [e] *bene ambulantem in via sua.* Et iterum: *Observabit peccator justum, et stridebit* [f] *ad eum dentibus suis* [g]. *Deus autem irridebit eum, quoniam providet quia veniet dies ejus* [h] (*Psal.* XXXVI, 7, 12, 13). Hos beatus apostolus Paulus designat et denotat dicens: *Venenum aspidum sub labiis eorum, et os eorum maledictione* [i] *et amaritudine plenum est. Veloces* [j] *ad effundendum sanguinem pedes eorum, contritio* [k] *et calamitas in viis eorum qui viam pacis* [l] *non agnoverunt, nec est timor Dei ante oculos eorum* (*Rom.* III, 13-18).

IX. Multo malum levius et periculum minus est cum membra gladio vulnerantur. Facilis cura est ubi plaga perspicua est, et cito ad sanitatem medela subveniente perducitur [m] quod videtur. Zeli vulnera abstrusa sunt et occulta; nec remedium curæ medentis

LECTIONES VARIANTES.

[a] *Sic Lam. Ebor. Bod.* 1, 2, 3, 4. Qualis vero animæ *Oxon.*
[b] Terminum suum *Lam. Ebor. Bod.* 2.
[c] Prædonis rapacitatem *Ar. Lam. Ebor. Lin. Bod.* 1, 2, 3, 4. *Thu. Vict.* Satlat *Vat.*
[d] Furiosæ mentis *Pem. Voss.* 2.
[e] Noli te zelare *Bod.* 4.
[f] Stridet *Lam. Bod.* 1, 2, 3, 4. *Thu. Ver.*
[g] Dentes *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Ben.*
[h] Venient dies *Bod.* 4. Venit *Bod.* 3.
[i] Maledicto *Bod.* 2. 4. *Thu. Ver.*
[j] Et veloces *Bod.* 3.
[k] Contribulatio *Ar. NC.* 1. *Voss.* 2. *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Ver.* Infelicitas *Bod.* 3.
[l] Quia viam *Bod.* 1.
[m] *Sic Ar. Lam. Ebor. Thu. Voss. Lin. Bod.* 1, 2, 3, 4. Vulnus quod videtur *Oxon.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

VII. — *Admovere carnifices.* Tacitus l. VI Annalium: *Neque frustra præstantissimus sapientiæ firmare solitus est, si recludantur tyrannorum mentes, postea aspici laniatus et ictus.* Seneca Hercule Œtæo:

O si pateant pectora divitum,
Quantos intus sublimis agit
Fortuna motus!

Latinus Pacatus in Panegyrico Theodosii: *Habet nescio quos internos mens scelerata carnifices.* Boetius lib. IV *de Consolatione Philosophiæ*:

Quos vides sedere celso
Solii culmine reges,
Detrahit si quis superbis
Vani tegmina cultus,
Jam videbit intus arctas
Dominos ferre catenas.
Hinc enim libido vexat
Avidis corda venenis.
Hinc flagellat ira mentem
Fluctus turbida tollens,
Mœror aut captos fatigat,
Aut spes lubrica torquet.

Contra apud Senecam Epist. CXV: *Si nobis animum boni viri liceret inspicere, o quam pulchram faciem, quam sanctam, quam ex magnifico placitoque fulgentem videremus, illinc fortitudine, hinc temperantia prudentiaque lucentibus!*

Laniatur. Codex sancti Arnulphi et Gratianopolitanus, *laceratur.*

VIII. — *Hinc vultus minax.* In uno veteri libro scriptum est: *Hinc vultus est contumax.*

In labiis tremor. His verbis tamquam suis usus est Robertus Gervasii episcopus Senecensis, describens vitia Bartholomæi archiepiscopi Barensis, qui se nominabat Urbanum VI in initio miserabilis illius schismatis quod Ecclesiam distraxit post Gregorii papæ XI excessum, uti videre est in pagina 1271 Notarum nostrarum ad *Vitas Paparum Avenionensium.* Labiorum tremorem antiqui posuerunt inter indicia malæ mentis. Lactantius enim in libro *de Ira Dei*, cap. V, enumerans vitia animi perturbati, inter ea ponit oris, id est labiorum, tremorem. Hieronymus in caput I Epistolæ Pauli ad Titum: *Ille e diverso torvo vultu, trementibus labiis, rugata fronte, effrænatis conviciis, facie inter pallorem ruboremque variata, clamore perstrepat.* Item in Epistola de vitando suspecto Contubernio: *Quid vultum infamiæ rubore suffundis et trementibus labiis impatientiam pectoris confiteris?* Item in Epistola *ad Pammachium* contra Joannem Hierosolymitanum: *Resupina cervice ac trementibus labiis conticuisti.* Item in Epistola *ad Oceanum* de unius uxoris viro: *Sudare tamen frons, pallere genæ, tremere labia, linguæ saliva siccari, et plus ætate quam timore contrahi.* Sulpitius Severus Dial. III, c. 20, loquens de Briccio nondum sanæ mentis: *Trementibus labiis incertoque vultu.* Fragmentum Petronii apud Diomedem lib. III: *Anus recocta vino, trementibus labellis.* Seneca in initio libri *de Ira* inter signa iræ ponit quod labia quatiuntur. Alibi est indicium timoris, ut apud Hieronymum in Epistola *ad Nepotianum* de Vita Clericorum: *Pavent ad introitum medici, trementibusque labiis an commodius habeant sciscitantur.* Silius Italicus lib. VIII:

Volvens vix murmur anhelum
Inter singultus labrisque trementibus Anna.

Seneca Epist. XCVII: *Proprium autem est nocentium trepidare.* Vide supra pag. 459.

IX. — [391] *Perducitur quod videtur.* Ita vetustiores tiones et XXVI vetera exemplaria. Erasmus addidit vocem *vulnus* hoc modo: *perducitur vulnus quod videtur*, quam lectionem ego quoque inveni in quinque

Digitized by Google

admittunt quæ se intra conscientiæ latebras cæco dolore clauserunt. Quicumque es invidus et malignus, videris quam sis eis quos odisti insidiosus, perniciosus, infestus. Nullius magis quam tuæ salutis inimicus es. Quisquis ille est quem zelo persequeris, subterfugere et vitare te poterit; tu te non potes fugere [a]: ubicumque fueris, adversarius tuus tecum est, hostis semper in pectore tuo est [b], pernicies intus inclusa est, ineluctabili catenarum nexu ligatus et vinctus es, zelo dominante captivus es, nec solatia tibi ulla subveniunt. Perseverans malum est hominem persequi ad Dei gratiam pertinentem. Calamitas sine remedio est odisse felicem.

X. Et idcirco, fratres dilectissimi, huic periculo consulens Dominus, ne quis zelo fratris in laqueum mortis incurreret, cum eum discipuli interrogarent quis inter illos [c] major esset: *Qui fuerit*, inquit, *minimus in omnibus vobis, hic erit magnus* (*Luc.* IX, 48). Amputavit omnem æmulationem responso suo, omnem causam et materiam mordacis invidiæ eruit et abscidit. Discipulo Christi [d] zelare non licet [e], non licet invidere. Exaltationis apud nos non potest esse contentio: de humilitate ad summa crescimus [f], didicimus unde placeamus. Denique et apostolus Paulus instruens et monens ut qui, illuminati Christi lumine tenebras nocturnæ conversationis evasimus, in factis atque in operibus luminis ambulemus, scribit et dicit: *Nox transivit, dies autem appropinquavit. Abjiciamus ergo opera tenebrarum, et induamus* [g] *arma lucis. Tamquam in die decenter* [h] *ambulemus, non in comessationibus et ebrietatibus, non in concupiscentiis et impudicitiis, non in certaminibus et zelo* (*Rom.* XIII, 12, 13). Si recesserunt de pectore tuo tenebræ, si nox inde discussa est, si caligo detersa est, si illuminavit sensus tuos splendor diei, si homo lucis esse cœpisti, quæ sunt Christi gere, quia lux et dies [i] Christus est.

XI. Quid in zeli tenebras ruis? quid te nubilo livoris involvis? quid invidiæ cæcitate omne pacis et charitatis lumen extinguis? quid ad diabolum cui renuntiaveras redis? quid Cain similis existis? Homicidii namque facinore constringi eum qui zelaverit et odio habuerit fratrem suum, declarat Joannes apostolus in Epistola sua dicens: *Qui fratrem suum odit, homicida est; et scitis quia omnis homicida non habet in se vitam manentem* (I *Joan.* III, 15). Et iterum: *Qui dicit se in luce esse, et fratrem suum odit, in tenebris est usque adhuc, et in tenebris ambulat, et non scit quo eat*; *quoniam tenebræ excæcaverunt oculos ejus* (*Ibid.* II, 9-11). Qui odit, inquit, fratrem suum, in tenebris ambulat, et non scit quo eat. It enim [259] nescius in gehennam, ignarus et cæcus præcipitatur in pœnam, recedens scilicet a Christi lumine monentis et dicentis: *Ego sum lumen mundi. Qui me secutus fuerit non ambulabit in tenebris, sed habebit lumen vitæ* (*Joan.* VIII, 12). Sequitur autem Christum qui præceptis ejus insistit, qui per magisterii ejus viam graditur, qui vestigia ejus atque itinera sectatur, qui id quod Christus et docuit et fecit imitatur, secundum quod Petrus [k] quoque hortatur et monet dicens: *Christus passus est pro nobis* [l], *relinquens vobis exemplum ut sequamini vestigia ejus* (I *Pet.* II, 21).

XII. Meminisse debemus quo vocabulo plebem suam Christus appellet, quo titulo gregem suum nuncupet. Oves nominat, ut innocentia christiana ovibus æquetur (*Joan.* X, 2; *Matth.* X, 16); agnos vocat, ut agnorum naturam simplicem simplicitas mentis imitetur. Quid sub vestitu ovium lupus latitat? quid gregem Christi qui se christianum mentitur infamat? Christi nomen induere et non per Christi viam pergere, quid aliud quam prævaricatio est divini nominis, quam desertio itineris salutaris? quando ipse doceat et dicat eum ad vitam venire qui mandata [m] servaverit, et eum esse sapientem qui verba ejus audierit et fecerit, doctorem quoque eum maximum in regno cœlorum vocari qui fecerit et sic docuerit (*Matth.* V, 19); tunc prædicanti profuturum quod bene atque utiliter prædicatum fuerit, si id quod ore promitur factis sequentibus impleatur. Quid vero insinuavit crebrius discipulis suis Dominus, quid inter salutaria monita et præcepta cælestia custodiendum magis servandumque mandavit, quam ut eadem dilectione qua discipulos ipse dilexit, nos quoque invicem [n] diligamus (*Joan.* XIII, 34)? Quomodo autem vel pacem Domini vel charitatem tenet qui, intercedente zelo, nec pacificus potest esse nec charus?

XIII. Ideo et apostolus Paulus, cum pacis et charitatis merita depromeret, cumque asseveraret firmiter et doceret nec fidem sibi, nec eleemosynas, nec

LECTIONES VARIANTES.

[a] Potes vitare nec fugere *Ar. Voss.* 2. Fugere ubicumque fugeres *Foss.*
[b] In pectore est *Lam. Ebor. Thu. Bod.* 1, 2.
[c] Quis eorum *Lin.*
[d] Discipulum Christi *Lam. Lin. Bod.* 2.
[e] Non decet *Bod.* 2.
[f] Crescimus unde placeamus *Pem. Voss.* 2.
[g] Induamur *Ver. Vet. innom.*
[h] Honeste *Lin.*
[i] Et lux et dies *Bod.* 1.
[j] Nescit quo eat *Bod.* 2.
[k] Petrus apostolus *Bod.* 3.
[l] Passus est pro vobis *Lam. Bod.* 1, 2. *Thu. Foss. vid. l. III ad Quir. cap.* 39.
[m] Mandata ejus *Ver. Bod.* 2.
[n] Nos invicem *Ar. Bod.* 2. *Thu. Foss.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

manuscriptis codicibus. Sustuli tamen eam, propter auctoritatem tot veterum exemplarium, et quia sine ea optime constat sensus.

Adversarius tuus tecum est. Hieronymus in Epistola ad *Eustochium* de Custodia Virginitatis: *Facile aliis caremus vitiis. Hic hostis nobis inclusus est. Quocumque pergimus, nobiscum portamus inimicum.*

X. — *Nox transivit.* Vide Erasmi *Annotationes* in hunc locum Pauli.

XI. — *Fratrem suum odit.* Vide sanctum Augustinum Tractatu V *in Epistolam sancti Joannis*, et Cassianum, lib. I, cap. 20. Vide etiam Hincmarum, tom. I, pag. 72.

Digitized by Google

passionem quoque ipsam confessoris et martyris [a] profuturam, nisi charitatis fœdera integra atque inviolata servasset, adjecit et dixit : *Charitas magnanima est, charitas benigna est, charitas non zelat* (I *Cor.* XIII, 4); docens scilicet et ostendens eum posse charitatem tenere quisquis magnanimus fuerit et benignus et zeli ac livoris alienus. Item alio loco, cum moneret ut homo jam sancto Spiritu plenus et nativitate cœlesti Dei filius factus non nisi spiritalia et divina sectetur, ponit et dicit : *Et ego quidem, fratres, non potui vobis loqui quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus, tamquam infantibus in Christo. Lacte vos potavi* [b], *non cibo, nondum enim poteratis, sed neque nunc potestis* [c]. *Adhuc enim estis carnales. Ubi enim in vobis* [d] *zelus et contentio et dissensiones sunt, nonne carnales estis et secundum hominem ambulatis* (I *Cor.* III, 1-3)?

XIV. Obterenda sunt, fratres dilectissimi, vitia et peccata carnalia, et terreni corporis infesta labes spiritali vigore calcanda, ne, dum iterum ad veteris hominis conversationem revolvimur, lethalibus laqueis implicemur, Apostolo hoc idem providenter [e] et salubriter prænonente : *Itaque*, inquit, *fratres, non secundum carnem vivamus : si enim secundum carnem vixeritis* [f], *incipietis mori : si autem spiritu opera carnis mortificaveritis* [g], *vivetis. Quotquot enim Spiritu Dei aguntur, hi filii Dei sunt* (*Rom.* VIII, 12-14). Si filii Dei sumus, si templa ejus esse jam cœpimus, si, accepto Spiritu sancto, sancte et spiritaliter vivimus, si de terris oculos ad cœlum sustulimus, si ad superna et divina plenum Deo et Christo pectus ereximus, non nisi quæ sunt Deo et Christo digna faciamus, sicut et Apostolus excitat et hortatur : *Si consurrexistis* [h], inquit, *cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens ; quæ sursum sunt sapite,* [260] *non quæ super terram* [i]. *Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Cum autem Christus apparuerit vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria* (*Coloss.* III, 1-4). Qui ergo in Baptismo secundum hominis antiqui peccata carnalia et mortui [j] et sepulti sumus, qui regeneratione cœlesti Christo consurreximus, quæ sunt Christi et cogitemus pariter et geramus, sicut idem Apostolus docet rursus et monet dicens : *Primus homo de terræ limo, secundus homo de cœlo. Qualis ille de limo, tales et qui de limo ; et qualis cœlestis, tales et cœlestes. Quomodo portavimus imaginem ejus qui de limo est, portemus et imaginem ejus qui de cœlo est* (I *Cor.* XV, 47-19). Imaginem autem cœlestem portare non possumus, nisi in eo quod esse jam cœpimus [k], Christi similitudinem præbeamus.

XV. Hoc est enim mutasse quod fueras et cœpisse esse quod non eras, ut in te divina nativitas luceat, ut ad Patrem Deum deifica disciplina respondeat, ut honore et laude vivendi Deus in homine clarescat, ipso exhortante et monente et eis qui se clarificant vicem mutuam pollicente : *Eos*, inquit, *qui clarificant me clarificabo ; et qui spernit me spernetur* (I *Reg.* II, 30). Ad quam clarificationem [l] formans nos ac præparans Dominus et Filius Dei similitudinem Dei Patris insinuans in Evangelio suo dicit : *Audistis quia dictum est : Diliges proximum tibi* [m], *et odio habebis* [n] *inimicum tibi. Ego autem dico vobis : Diligite inimicos vestros, et orate pro his qui vos persequuntur, ut sitis filii Patris vestri* [o] *qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos* (*Levit.* XIX ; *Matth.* V, 43-45). Si hominibus lætum est et gloriosum filios habere consimiles, et tunc magis generasse delectat si ad patrem lineamentis paribus soboles subsiciva [p] respondeat, quanto major in Deo Patre lætitia est cum quis sic spiritaliter nascitur, ut in actibus ejus et laudibus divina generositas [q] prædicetur? Quæ justitiæ palma est, quæ corona, esse se talem [r] de quo Deus non dicat : *Filios generavi* [s] *et exaltavi, ipsi autem spreverunt me.*

LECTIONES VARIANTES.

[a] *Sic Bod.* 1, 2, 3, 4. *Thu.* Confessionis aut martyrii *Oxon.*
[b] *Sic Ar. Lam. Ebor. Lin. Bod.* 1, 2, 3. 4. *Thu.* Lacte vos cibavi *Bod.* 1. Escam *l.* III *ad Quir. c.* 3.
[c] Potestis cibum ferre *Voss.* 1.
[d] Etenim inter vos *NC.* 1. *Lam. Bod.* 2.
[e] Providente *Ar. Bod.* 2.
[f] Vivitis *Bod.* 3, 4. *Voss.* 1. *Ver. Ben.* Moriemini *Bod.* 3. *Voss.* 1.
[g] Mortificatis *Ver.*
[h] Consurrexistis, inquit, Christo *Ver.* Consurreximus *Thu.*
[i] Non quæ terrena *Ar. Bod.* 1, 2, 3, 4. *Ver. Ben.*
[j] Emortui *Ar.*
[k] Cœpimus perseveremus *Voss.* 1.
[l] Clarificationem conformans *Voss.* 1.
[m] Proximum tuum *Ar.*
[n] Et odies *Pem. Voss.* 1. *Bod.* 1. 3.
[o] Similes Patri *Ar. Lin. NC. Bod.* 2. 1. 3, 4. Patri vestro *Thu.*
[p] Succisiva, *Bod.* 3. Succidiva *Vict.*
[q] Generatio *Ar. Bod.* 2.
[r] Esse talem *Ar. Bod.* 2. Tetalem *NC.* 1. *Drur.* 1. 2. *Meerm.*
[s] *Sic Bod.* 1. 3, 4. Genui *Oxon.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

Carnalibus, tamquam. In Apostoli σάρκινοι voces *carnalibus, tamquam*, quæ a textu Baluziano forte exciderant, restitui. ROUTH.

XIII. — *Confessoris et martyris.* Ita scribendum esse existimavi, pro eo quod antea legebatur, *confessionis et martyrii*, quia ita scriptum vidi in septemdecim libris nostris et in quatuor Anglicanis. Sic etiam legisse se in Camberonensi testatur Pamelius. In editione quæ dicitur Gravii legitur *confessori et martyri.* Quæ lectio valde accedit ad eam quam ego substitui. Octo vetera exemplaria habent eam quam rejeci.

Infantibus. Tria vetera exemplaria habent *parvulis.* In libro III *Testimoniorum* scriptum est *infantibus.*

Lacte vos potavi. Antea legebatur. *Lac vobis potum dedi, non cibum.* Quamvis ea lectio bona sit, eam tamen præferri debere arbitratus sum quam exhibent viginti libri nostri et octo Anglicani, tum etiam Camberonensis a Pamelio laudatus, et excerpta Flori. Aliam habent aliquot libri veteres et editiones. In libro III *Testimoniorum*, cap. 3, legitur : *Lac vobis potum dedi, non escam.*

XV. — *Subsiciva.* Rigaltius malebat *successiva.* Quam lectionem ego deprehendi in aliquot vetustis exemplaribus. In codice Beccensi scriptum est *succidua.*

Generavi. Quamvis lectio quæ habet *genuit* bona sit, istam tamen reducere placuit, quia exstat in omnibus editionibus quæ Pamelianam antecesserunt, in XXIII libris nostris, et in tribus Anglicanis. Aliam non inveni nisi in tribus.

Sic spiritaliter nascitur. Reliqua hujus libri desunt in codice sancti Arnulphi.

Digitized by Google

(*Isa.* I, 2). Collaudet te potius [a] Christus et invitet ad præmium dicens : *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi* (*Matth.* XXV, 34).

XVI. His meditationibus corroborandus est animus, fratres dilectissimi, ejusmodi exercitationibus contra omnia diaboli jacula firmandus. Sit in manibus divina lectio, in sensibus Dominica cogitatio : oratio jugis omnino non cesset : salutaris operatio perseveret. Spiritalibus semper actibus occupemur, ut quotiescumque inimicus accesserit, quoties adire tentaverit, et clausum adversum se pectus inveniat et armatum. Non enim christiani hominis corona una est quæ tempore persecutionis accipitur : habet et pax coronas suas, quibus de varia et multiplici congressione victores, prostrato et subacto adversario, coronantur. Libidinem subegisse continentiæ palma est. Contra iram, contra injuriam repugnasse corona patientiæ est. De avaritia triumphus est pecuniam spernere. Laus est fidei fiducia futurorum [b] mundi adversa tolerare. Et qui superbus in prosperis non est, gloriam de humilitate consequitur. Et qui ad pauperum fovendorum misericordiam pronus est, retributionem thesauri cœlestis adipiscitur. Et qui zelare non novit, quique, unanimis et mitis, fratres suos diligit, dilectionis et pacis præmio honoratur. In hoc virtutum stadio quotidie currimus, ad has justitiæ palmas et coronas sine intermissione temporis pervenimus.

XVII. Ad quas ut pervenire tu etiam possis, qui fueras zelo et livore possessus, omnem illam malitiam qua prius tenebaris abjice [e], ad viam vitæ æternæ vestigiis salutaribus reformare. [261] Evelle de pectore tuo spinas et tribulos, ut te Dominicum semen fertili [d] fruge locupletet, ut divina et spiritalis seges in copiam fœcundæ messis exuberet. Venena fellis evome, discordiarum virus exclude, purgetur mens quam serpentinus livor infecerat, amaritudo omnis quæ intus insederat Christi dulcedine leniatur. Si de sacramento crucis et cibum sumis et potum, lignum quod apud merrham [e] profecit in imagine, ad saporis dulcedinem tibi in veritate proficiat ad mulcendi pectoris lenitatem, nec ad medelam prosperandæ valitudinis laborabis. Unde vulneratus fueras, inde curare. Ama eos quos ante oderas, dilige illos quibus injustis obtrectationibus invidebas. Bonos imitare, si sectari potes [f]. Si autem eos sectari non potes, collætare certe et congratulare [g] melioribus. Fac te illis adunata dilectione participem, fac te consortio charitatis et fraternitatis vinculo cohærentem. Dimittentur tibi

LECTIONES VARIANTES.

[a] Me ; collaudet te potius *Ar. Bod.* 1, 2, 3, 4.
[b] Futurorum bonorum *Bod.* 2, 3.
[c] Tenebraris abige *Bod.* 2.
[d] Semen feraci *Bod.* 1.
[e] Apud marram *Ver.* Mara *Oxon.*
[f] Si sectari non potes *Bod.* 1, 2, 3. 4. *Ver.*
[g] Gratulare *Voss.* 1. Congratulare *Imp.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

XVI. — *Sit in manibus.* Miror hanc lectionem, quam præferunt omnes veteres editiones et omnes libri veteres, rejectam fuisse a Pamelio, qui cum putaret hunc locum esse mutilum, eum supplevit ex quatuor manuscriptis et posuit : *Sit ante oculos divina lectio, in manibus bona operatio, in sensibus Dominica cogitatio.* Ego reposui veterem lectionem.

Habet et pax. Supra Epist. VIII, pag. 18 : *In cœlestibus castris pax et acies habent flores suos.* Hilarius episcopus Arelatensis in *Sermone* de sancto Honorato : *Habet et pax martyres suos.* Hieronymus in Epistola *ad Demetriadem* de Virginitate servanda : *Habet et pudicitia servata martyrium suum.* Vide Homiliam sancti Joannis Chrysostomi in laudationem sanctæ protomartyris et apostolæ Theclæ. Commodianus, Instruct. LXII : *Bellum abest, in pace martyres ibant.*

Victores prostrato. Codex Gratianopolitanus, *congressione prostrato et subacto adversario, victores coronantur.*

Libidinem. Quam Fulgentius Placiades lib. II *Mythol.* vocat *honestatis novercam.*

XVII. — *Merrham.* Ita habent quatuor libri veteres optimi, etiam Veronensis. Sic etiam scriptum est in versione LXX Interpretum, apud Origenem homilia VII *in Exodum ;* apud sanctum Cyrillum Alexandrinum lib. V *de Adoratione in spiritu et veritate ;* apud sanctum Ambrosium cap. 5 *de Institutione Virginis,* et apud sanctum Augustinum lib. II, *Quæst.* 55 *in Exodum.* Et sic omnino scribendum recte ostendit Cotelerius ad librum VI, cap. 19, *Constitutionum Apostolicarum.* Vide etiam notas Frontonis Ducæi *ad poema* XVII sancti Paulini. Rufinus in Psal. XLIV : *Myrrha est species valde amara, de qua ungitur corpus mortui, ut non putrescat, et pellit vermes.*

Bonos imitare. Notum illud : *Tu vivendo bonos, scribendo sequare peritos.* Ambrosius lib. II *Officior.* cap. 20 : *Plurimum itaque prodest unicuique bonis jungi. Adolescentibus quoque utile ut claros et sapientes viros sequantur.* Gregorius Nazianzenus in carmine *ad Nicobulum* ait prudentis et cordati viri esse magna mensura vitam suam metiri, atque ad excellentium virorum imitationem sese componere. Quintilianus lib. I, cap. 6 : *Ergo consuetudinem sermonis vocabo consensum eruditorum, sicut vivendi consensum bonorum.* [592] Lactantius l. I, c. 1 : *Quoniam bene dicere ad paucos pertinet, bene autem vivere ad omnes.* Ruricius lib. II, Epist. IV : *Sicut vivere commune est omnium, bene vero vivere et bene descendere de hac vita paucorum est.* Seneca Epist. VII : *Cum his versare qui te meliorem facturi sunt.* Symmachus lib. V, Epist. LXIV : *Maximum lucrum est quærere familiaritatem bonorum.* Hieronymus in Epistola ad Rusticum : *Inter clericos sectare meliores.* Fecit Cyprianus quod suadebat. Bonos semper imitabatur. Sic enim scribit Pontius diaconus in Vita ejus : *Et sic per bonorum omnium documenta decurrens, dum meliores semper imitatur, etiam ipse se fecit imitandum.* Ennodius lib. V, Epist. XX : *Totum te studia honesta suscipiant. Festina ut ad messem patriam venias, linguam lectionis sarculo, mores bonorum imitatione purgando.* Horatius lib. I, Epist. XVIII :

> Inter multa leges et percunctabere doctos,
> Qua ratione queas traducere leniter ævum.

Tacitus laudat Agricolam quod studeret *discere a peritis, sequi optimos.*

Cohærentem. Hæc emendatio, quam inveni in tribus antiquis codicibus et in antiquis editionibus, mihi videtur certa. Et tamen omnes fere libri veteres præferunt *cohæredem.* Hæc discrepantia orta hinc est quod in quodam veteri libro, ut in Victorino, scri-

Digitized by Google

debita quando et ipse dimiseris ; accipientur sacrificia tua cum pacificus ad Deum veneris : sensus atque actus tui divinitus dirigentur quando ea quæ divina et justa sunt cogitaveris, sicut scriptum est : *Cor viri cogitet justa, ut a Domino dirigantur gressus ejus* (*Prov.* XVI, 9).

XVIII. Habes autem multa quæ cogites. Paradisum cogita, quo Cain non ingreditur, qui zelo fratrem peremit (*Gen.*, IV). Cogita cœleste regnum, ad quod non nisi concordes atque unanimes [a] Dominus admittit. Cogita quod filii Dei hi soli possint vocari qui sint pacifici, qui nativitate cœlesti et lege divina [b] ad similitudinem Dei Patris et Christi respondeant adunati. Cogita sub oculis Dei nos stare, spectante ac judicante ipso conversationis ac vitæ nostræ curricula decurrere, pervenire nos tunc demum posse ut eum videre contingat, si ipsum nunc videntem delectemus actibus nostris, si nos dignos gratia ejus et indulgentia præbeamus, si, placituri semper in regno, in hoc mundo ante placeamus.

LECTIONES VARIANTES.

[a] Nisi unanimes *Liu.*
[b] Nativitate et lege *Ar. Lam. Eber. NC.* 1. *Voss.* 1, 2. *Bod.* 1, 2, 3. 4.

VARIORUM NOTÆ.

ptum erat *cohærentem* et supra lineam *vel cohæredem*. Id sæpe evenisse in exemplaribus antiquis Operum sancti Cypriani jam observatum a nobis est.

XVIII. — *Cain non ingreditur*. Hanc lectionem, quam habent tres libri veteres, puto esse optimam; aliam vero, quæ habet *redit*, falsam. Cain enim, qui natus est postquam parentes ejus ejecti fuerant e paradiso, non potest dici non rediisse in paradisum, cum in illo numquam fuerit. Itaque non dubitavi quin lectio horum trium librorum præferenda sit.

Gratia ejus. Ita multi libri veteres. Alii habent *gratiæ ejus et indulgentiæ*.

EPISTOLA AD FORTUNATUM

DE EXHORTATIONE MARTYRII [a].

PRÆFATIO.

I. Desiderasti, Fortunate carissime, ut, quoniam persecutionum et pressurarum pondus incumbit, et in fine atque in consummatione [b] mundi antichristi tempus infestum appropinquare jam cœpit, ad præparandas [c] et corroborandas fratrum mentes de divinis Scripturis hortamenta componerem, quibus milites Christi ad cœleste et spirituale certamen animarem. Obtemperandum fuit desiderio tuo tam necessario, ut, quantum sufficit mediocritas nostra auxilio divinæ inspirationis instructa, quasi arma ac munimenta quædam pugnaturis fratribus de præceptis Dominicis promerentur. Parum est enim quod Dei ple-

LECTIONES VARIANTES.

[a] De bono martyrii. Lege in pace, frater charissime, hisque temporibus nostra tempora conferemus, tacitus ingemisce *NC.* 2.
[b] In finem et consummationem *Bod.* 1. 4.
[c] Ad præparandas fratrum *Voss.* 1.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

Quamvis dubitari non possit quin hic liber sit sancti Cypriani, cui adscribitur in omnibus antiquis codicibus et editionibus, vetus tamen error qui irrepsit in antiquas editiones Epistolarum sancti Hieronymi, persuasit Mariano Victorio, ut observavit etiam Baronius, illum esse sancti Hilarii, episcopi Pictaviensis, argumento etiam sumpto ex stylo ; cum tamen alii contendant stylum auctoris istius libri congruere cum stylo Cypriani, non congruere cum stylo Hilarii. Pravam lectionem quæ irrepserat in Epistolas Hieronymi sustulit diligentia virorum clarissimorum Domni Petri Coustant et Domni Joannis Martianay, monachorum ordinis sancti Benedicti, qui testantur veram ac genuinam lectionem quæ in nova Operum sancti Hieronymi editione habetur exstare in omnibus codicibus manuscriptis, nullo excepto. Unde autem ortus sit hic error divinare conatus est Latinus Latinius, et puto divinasse. Conjecit enim vir doctissimus scriptum fuisse in margine cujusdam libri *ad Fortunatum*, ut hæc nota responderet nomini Cypriani, idque postea in contextum temere relatum et non suo loco positum. Esse autem Cypriani hinc etiam, præter alia argumenta, probatur, quod Hincmarus archiepiscopus Remensis, ut in margine observavit Sirmondus, in libro *de Prædestinatione* pag. 73, refert ex Cypriano locum quemdam ex libro II *Parolipomenon*, qui exstat in capite octavo hujus operis Cyprianici. Quod autem Pearsonius *in Annalibus Cyprianicis* contendit illud non esse Cypriani, sed auctoris Cypriano junioris, ei non possum assentiri, cum nullas bonas rationes afferat pro asserenda illa sua opinione. Falsus est autem Pamelius scribens primam libri istius editionem deberi Rembolto. Habetur enim in editione Spirensi, ut recte monuerunt Angli, et in veteri Veneta. (Præfatio. *Titulus iste et sequens*, CAPITULA LIBRI SEQUENTIS, *desumuntur ex editione Oxoniensi, in qua tamen nihil reperitur ut undenam accipiantur innotescat.* Edd.)

I. — *Jam cœpit*. Quamvis non constituerim reddere rationem omnium mutationum a me factarum in Operibus sancti Cypriani, putavi tamen reddere me debere in hoc loco, licet res sit exigui momenti, ne quis putare possit me vocem *jam* studio contradicendi posuisse pro *nunc*. Feci ergo quia omnes libri veteres et omnes veteres editiones exhibent hanc lectionem.

Digitized by Google

bem classico nostræ vocis erigimus, nisi credentium fidem et dicatam Deo devotamque virtutem divina lectione firmemus.

II. Quid autem potius aut majus curæ nostræ ac sollicitudini congruit, quam ut commissum [sic] nobis divinitus populum et exercitum in castris cælestibus constitutum adversus diaboli tela et jacula exhortationibus assiduis præparemus [a] ? Neque enim idoneus potest esse miles ad bellum qui non exercitatus prius in campo fuerit, aut qui [b] agonisticam coronam quærit adipisci in stadio coronabitur, nisi usum et peritiam virium ante meditetur. Adversarius vetus est et hostis antiquus cum quo prælium gerimus [c] ; sex millia annorum jam pene complentur ex quo hominem diabolus impugnat. Omnia genera tentandi et artes atque insidias dejiciendi usu ipso vetustatis edidicit. Si imparatum invenerit militem Christi, si rudem, si non sollicitum [d] ac toto corde vigilantem, circumvenit nescium, fallit incautum, decipit imperitum [e]. Si vero quis Dominica præcepta custodiens et fortiter Christo adhærens [f] contra eum steterit, vincatur necesse est, quia Christus, quem confitetur, invictus est.

III. Ac, ne in longum sermonem meum extenderem, frater charissime, et audientem vel legentem styli latioris copia fatigarem, compendium feci ; ut, propositis titulis, quos quis [g] et nosse debeat et tenere, capitula Dominica subnecterem et id quod proposueram divinæ lectionis auctoritate solidarem, ut non tam tractatum meum videar tibi misisse quam materiam tractantibus præbuisse. Quæ res in usum singulis proficit utilitate majore. Nam, si confectam et paratam jam vestem [h] darem, vestis esset mea, qua alius uteretur, et forsitan non pro habitudine staturæ [i] et corporis res alteri facta minus congruens haberetur. Nunc vero de agno per quem redempti ac vivificati sumus, lanam ipsam et purpuram misi ; quam cum acceperis, tunicam tibi pro voluntate conficies, et plus ut in [j] domestica tua atque in propria veste lætaberis, et cæteris quoque ut conficere et ipsi pro arbitrio suo possint quod misimus exhibebis, ut, vetere illa nuditate contecta, perferant omnes indumenta Christi, cœlestis gratiæ sanctificatione vestiti.

IV. Necnon et illud consilium, frater charissime, utile et salubre prospexi, in exhortatione tam necessaria quæ martyres faciat, amputandas esse verborum nostrorum moras et tarditates, atque ambages sermonis humani subtrahendas, ponenda sola illa quæ Deus loquitur, quibus servos suos ad martyrium Christus hortatur. Præcepta ipsa divina velut arma pugnantibus suggerenda sunt. Illa sint militaris tubæ hortamenta, illa pugnantibus classica. Inde aures erigantur, inde instruantur mentes, inde et animi et corporis vires ad omnem passionis tolerantiam roborentur. Nos tantum qui, Domino permittente, primum Baptisma credentibus dedimus, ad aliud quoque singulos præparemus, insinuantes et docentes [k] hoc esse Baptisma in gratia majus, in potestate sublimius, in honore pretiosius, Baptisma in quo Angeli baptizant, Baptisma [l] in quo Deus et Christus ejus exultant, Baptisma post quod nemo jam peccat, Baptisma quod fidei nostræ incrementa consummat, Baptisma quod nos de mundo recedentes statim Deo copulat. In aquæ Baptismo accipitur peccatorum remissa, in sanguinis Baptismo corona virtutum. Amplectenda res est et optanda et omnibus postulationum nostrarum precibus expetenda, ut qui servi Dei sumus [m], simus et amici.

CAPITULA LIBRI SEQUENTIS.

I. In exhortandis itaque ac præparandis [n] fratribus nostris, et virtutis ac fidei firmitate ad præconium Dominicæ confessionis atque ad prælium persecutionis et passionis armandis [o], primo in loco dicendum est idola deos non esse, quæ homo sibi facit. Neque enim quæ fiunt factore suo et fabricatore majora [sic] sunt, aut protegere et servare quemquam possunt quæ ipsa de templis suis pereunt, nisi ab homine serventur. Sed nec elementa colenda esse quæ homini, secundum dispositionem et præceptum Dei, serviunt [p].

II. Destructis idolis, et elementorum ratione monstrata [q], ostendendum Deum solum colendum esse.

III. Tunc addendum quæ comminatio Dei sit adversus eos qui idolis sacrificant [r].

IV. Præterea docendum non facile ignoscere Deum idololatris.

LECTIONES VARIANTES.

[a] Quam commissum, etc., præparare *Ebor. Lam. Lin. NC.* 1. *Voss.* 1, 2.
[b] Aut quis *Bod.* 1.
[c] Bellum gerimus *Lin.* geritur *Bod.* 1.
[d] Si non sollicito *Ar. Lam. Ebor. Ver. Voss.* 3.
[e] Decipit imparatum *Lam. NG.* 1. *Ebor. MR.*
[f] Christi vestigiis adhærens *Oxon.*
[g] Quos quisquis *Bod.* 1, 3.
[h] Vestem misissem *Ver.*
[i] Habitu staturæ *Voss.* 1, 3.
[j] Et plus in *Bod.* 3, 4.
[k] Præparemus instruentes *Ver.*
[l] Baptisma passionis in quo Deus et Christus ejus exultant *Lam. Ebor. NC.* 1, *Ar. Ben. Bod.* 1.
[m] Servi Dei fuimus *Ver. Ben. Bod.* 1, 2, 3, 4. *MR.*
[n] Parandis *Ver.* reparandis *Voss.* 3.
[o] Persecutionis armandis *Ar. NC.* 1. *Lam. Ebor.*
[p] Serviunt ei *Ar.*
[q] Prostrata *A. Ben.*
[r] Serviunt *Voss.* 3.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

II.— *Imparatum militem.* Petronius : *Parata miles arma non habui.*

Christo adhærens. Hæc lectio constans est in omnibus antiquis editionibus et in omnibus antiquis editionibus et in omnibus antiquis libris tam nostris quam Anglicanis. Quare miror Anglos editionem Pamelii, quæ bona non est, retinuisse, contra veterum librorum et editionum fidem.

IV. *Baptisma majus*, id est Baptisma sanguinis, quod explicatur paulo post.

Elementa. Quinque libri veteres et editio Anglicana addunt *vice deorum.* Quod etiam mox habetur in initio primi capituli.

Digitized by Google

debita quando et ipse dimiseris ; accipientur sacrificia tua cùm pacificus ad Deum veneris : sensus atque actus tui divinitus dirigentur quando ea quæ divina et justa sunt cogitaveris, sicut scriptum est : *Cor viri cogitet justa, ut a Domino dirigantur gressus ejus* (*Prov.* XVI, 9).

XVIII. Habes autem multa quæ cogites. Paradisum cogita, quo Cain non ingreditur, qui zelo fratrem peremit (*Gen.*, IV). Cogita cœleste regnum, ad quod non nisi concordes atque unanimes [a] Dominus admittit. Cogita quod filii Dei hi soli possint vocari qui sint pacifici, qui nativitate cœlesti et lege divina [b] ad similitudinem Dei Patris et Christi respondeant adunati. Cogita sub oculis Dei nos stare, spectante ac judicante ipso conversationis ac vitæ nostræ curricula decurrere, pervenire nos tunc demum posse ut eum videre contingat, si ipsum nunc videntem delectemus actibus nostris, si nos dignos gratia ejus et indulgentia præbeamus, si, placituri semper in regno, in hoc mundo ante placeamus.

LECTIONES VARIANTES.

[a] Nisi unanimes *Liu.*
[b] Nativitate et lege *Ar. Lam. Ebor. NC.* 1. *Voss.* 1, 2. *Bod.* 1, 2, 3. 4.

VARIORUM NOTÆ.

ptum erat *cohærentem* et supra lineam *vel cohæredem*. Id sæpe evenisse in exemplaribus antiquis Operum sancti Cypriani jam observatum a nobis est.

XVIII. — *Cain non ingreditur*. Hanc lectionem, quam habent tres libri veteres, puto esse optimam ; aliam vero, quæ habet *redit*, falsam. Cain enim, qui natus est postquam parentes ejus ejecti fuerant e paradiso, non potest dici non rediisse in paradisum, cum in illo numquam fuerit. Itaque non dubitavi quin lectio horum trium librorum præferenda sit.

Gratia ejus. Ita multi libri veteres. Alii habent *gratiæ ejus et indulgentiæ*.

EPISTOLA AD FORTUNATUM

DE EXHORTATIONE MARTYRII [*].

PRÆFATIO.

I. Desiderasti, Fortunate carissime, ut, quoniam persecutionum et pressurarum pondus incumbit, et in fine atque in consummatione [b] mundi antichristi tempus infestum appropinquare jam cœpit, ad præparandas [c] et corroborandas fratrum mentes de divinis Scripturis hortamenta componerem, quibus milites Christi ad cœleste et spiritale certamen animarem. Obtemperandum fuit desiderio tuo tam necessario, ut, quantum sufficit mediocritas nostra auxilio divinæ inspirationis instructa, quasi arma ac munimenta quædam pugnaturis fratribus de præceptis Dominicis promerentur. Parum est enim quod Dei ple-

LECTIONES VARIANTES.

[a] De bono martyrii. Lege in pace, frater charissime, hisque temporibus nostra tempora conferens, tacitus ingemisce *NC.* 2.
[b] In finem et consummationem *Bod.* 1. 4.
[c] Ad præparandas fratrum *Voss.* 1.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

Quamvis dubitari non possit quin hic liber sit sancti Cypriani, cui adscribitur in omnibus antiquis codicibus et editionibus, vetus tamen error qui irrepsit in antiquas editiones Epistolarum sancti Hieronymi, persuasit Mariano Victorio, ut observavit etiam Baronius, illum esse sancti Hilarii, episcopi Pictaviensis, argumento etiam sumpto ex stylo ; cum tamen alii contendant stylum auctoris istius libri congruere cum stylo Cypriani, non congruere cum stylo Hilarii. Pravam lectionem quæ irrepserat in Epistolas Hieronymi sustulit diligentia virorum clarissimorum Domni Petri Coustant et Domni Joannis Martianay, monachorum ordinis sancti Benedicti, qui testantur veram ac genuinam lectionem quæ in nova Operum sancti Hieronymi editione habetur exstare in omnibus codicibus manuscriptis, nullo excepto. Unde autem ortus sit hic error divinare conatus est Latinus Latinius, et puto divinasse. Conjecit enim vir doctissimus scriptum fuisse in margine cujusdam libri *ad Fortunatum*, ut hæc nota responderet nomini Cypriani, idque postea in contextum temere relatum et non suo loco positum. Esse autem Cypriani hinc etiam, præter alia argumenta, probatur, quod Hincmarus archiepiscopus Remensis, ut in margine observavit Sirmondus, in libro *de Prædestinatione* pag. 73, refert ex Cypriano locum quemdam ex libro II *Paralipomenon*, qui exstat in capite octavo hujus operis Cyprianici. Quod autem Pearsonius *in Annalibus Cyprianicis* contendit illud non esse Cypriani, sed auctoris Cypriano junioris, ei non possum assentiri, cum nullas bonas rationes afferat pro asserenda illa sua opinione. Falsus est autem Pamelius scribens primam libri istius editionem deberi Rembolto. Habetur enim in editione Spirensi, ut recte monuerunt Angli, et in veteri Veneta. (Præfatio. *Titulus iste et sequens*, CAPITULA LIBRI SEQUENTIS, *desumuntur ex editione Oxoniensi, in qua tamen nihil reperitur ut undenam accipiantur innotescat.* Edd.)

1. — *Jam cœpit*. Quamvis non constituerim reddere rationem omnium mutationum a me factarum in Operibus sancti Cypriani, putavi tamen reddere me debere in hoc loco, licet res sit exigui momenti, ne quis putare possit me vocem *jam* studio contradicendi posuisse pro *nunc*. Feci ergo quia omnes libri veteres et omnes veteres editiones exhibent hanc lectionem.

Digitized by Google

bem classico nostræ vocis erigimus, nisi credentium fidem et dicatam Deo devotamque virtutem divina lectione firmemus.

II. Quid autem potius aut majus curæ nostræ ac sollicitudini congruit, quam ut commissum [aes] nobis divinitus populum et exercitum in castris cælestibus constitutum adversus diaboli tela et jacula exhortationibus assiduis præparemus [a] ? Neque enim idoneus potest esse miles ad bellum qui non exercitatus prius in campo fuerit, aut qui [b] agonisticam coronam quærit adipisci in stadio coronabitur, nisi usum et peritiam virium ante meditetur. Adversarius vetus est et hostis antiquus cum quo prælium gerimus [c] ; sex millia annorum jam pene complentur ex quo hominem diabolus impugnat. Omnia genera tentandi et artes atque insidias dejiciendi usu ipso vetustatis edidicit. Si imparatum invenerit militem Christi, si rudem, si non sollicitum [d] ac tote corde vigilantem, circumvenit nescium, fallit incautum, decipit imperitum [e]. Si vero quis Dominica præcepta custodiens et fortiter Christo adhærens [f] contra eum steterit, vincatur necesse est, quia Christus, quem confitetur, invictus est.

III. Ac, ne in longum sermonem meum extenderem, frater charissime, et audientem vel legentem styli latioris copia fatigarem, compendium feci ; ut, propositis titulis, quos quis [g] et nosse debeat et tenere, capitula Dominica subnecterem et id quod proposueram divinæ lectionis auctoritate solidarem, ut non tam tractatum meum videar tibi misisse quam materiam tractantibus præbuisse. Quæ res in usum singulis proficit utilitate majore. Nam, si confectam et paratam jam vestem [h] darem, vestis esset mea, qua alius uteretur, et forsitan non pro habitudine staturæ [i] et corporis res alteri facta minus congruens haberetur. Nunc vero de agno per quem redempti ac vivificati sumus, lanam ipsam et purpuram misi ; quam cum acceperis, tunicam tibi pro voluntate conficies, et plus ut in [j] domestica tua atque in propria veste lætaberis, et cæteris quoque ut conficere et ipsi pro arbitrio suo possint quod misimus exhibebis, ut, vetere illa nuditate contecta, perferant omnes indumenta Christi, cœlestis gratiæ sanctificatione vestiti.

IV. Necnon et illud consilium, frater charissime, utile et salubre prospexi, in exhortatione tam necessaria quæ martyres faciat, amputandas esse verborum nostrorum moras et tarditates, atque ambages sermonis humani subtrahendas, ponenda sola illa quæ Deus loquitur, quibus servos suos ad martyrium Christus hortatur. Præcepta ipsa divina velut arma pugnantibus suggerenda sunt. Illa sint militaris tubæ hortamenta, illa pugnantibus classica. Inde aures erigantur, inde instruantur mentes, inde et animi et corporis vires ad omnem passionis tolerantiam roborentur. Nos tantum qui, Domino permittente, primum Baptisma credentibus dedimus, ad aliud quoque singulos præparemus, insinuantes et docentes [k] hoc esse Baptisma in gratia majus, in potestate sublimius, in honore pretiosius, Baptisma in quo Angeli baptizant, Baptisma [l] in quo Deus et Christus ejus exultant, Baptisma post quod nemo jam peccat, Baptisma quod fidei nostræ incrementa consummat, Baptisma quod nos de mundo recedentes statim Deo copulat. In aquæ Baptismo accipitur peccatorum remissa, in sanguinis Baptismo corona virtutum. Amplectenda res est et optanda et omnibus postulationum nostrarum precibus expetenda, ut qui servi Dei sumus [m], simus et amici.

CAPITULA LIBRI SEQUENTIS.

I. In exhortandis itaque ac præparandis [n] fratribus nostris, et virtutis ac fidei firmitate ad præconium Dominicæ confessionis atque ad prælium persecutionis et passionis armandis [o], primo in loco dicendum est idola deos non esse, quæ homo sibi facit. Neque enim quæ fiunt factore suo et fabricatore majora [aes] sunt, aut protegere et servare quemquam possunt quæ ipsa de templis suis pereunt, nisi ab homine serventur. Sed nec elementa colenda esse quæ homini, secundum dispositionem et præceptum Dei, serviunt [p].

II. Destructis idolis, et elementorum ratione monstrata [q], ostendendum Deum solum colendum esse.

III. Tunc addendum quæ comminatio Dei sit adversus eos qui idolis sacrificant [r].

IV. Præterea docendum non facile ignoscere Deum idololatris.

LECTIONES VARIANTES.

[a] Quam commissum, etc., præparare *Ebor. Lam. Lin. NC.* 1. *Voss.* 1, 2.
[b] Aut quis *Bod.* 1.
[c] Bellum gerimus *Lin.* geritur *Bod.* 1.
[d] Si non sollicito *Ar. Lam. Ebor. Ver. Voss.* 3.
[e] Decipit imparatum *Lam. NG.* 1. *Ebor. MR.*
[f] Christi vestigiis adhærens *Oxon.*
[g] Quos quisquis *Bod.* 1, 3.
[h] Vestem misissem *Ver.*
[i] Habitu staturæ *Voss.* 1, 3.
[j] Et plus in *Bod.* 3, 4.
[k] Præparemus instruentes *Ver.*
[l] Baptisma passionis in quo Deus et Christus ejus exultant *Lam. Ebor. NC.* 1, *Ar. Ben. Bod.* 1.
[m] Servi Dei fuimus *Ver. Ben. Bod.* 1, 2, 3, 4. *MR.*
[n] Parandis *Ver.* reparandis *Voss.* 3.
[o] Persecutionis armandis *Ar. NC.* 1. *Lam. Ebor.*
[p] Serviunt ei *Ar.*
[q] Prostrata *A. Ben.*
[r] Serviunt *Voss.* 3.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

II.— *Imparatum militem.* Petronius : *Parata miles arma non habui.*

Christo adhærens. Hæc lectio constans est in omnibus antiquis editionibus et in omnibus antiquis editionibus et in omnibus antiquis libris tam nostris quam Anglicanis. Quare miror Anglos editionem Pamelii, quæ bona non est, retinuisse, contra veterum librorum et editionum fidem.

IV. *Baptisma majus*, id est Baptisma sanguinis, quod explicatur paulo post.

Elementa. Quinque libri veteres et editio Anglicana addunt *vice deorum.* Quod etiam mox habetur in initio primi capituli.

Digitized by Google

V. Et quod sic idololatriæ indignetur Deus, ut præceperit etiam eos interfici qui sacrificare et servire idolis suaserint.

VI. Subjungendum post hæc, quod, redempti ac vivificati Christi sanguine, nihil Christo præponere debeamus, quia nec ille quicquam nobis præposuerit, et ille [a] propter nos mala bonis prætulerit, paupertatem divitiis, servitutem dominationi, mortem immortalitati; nos contra in passionibus nostris paupertati sæculari paradisi divitias et delicias præferamus [b], dominatum et regnum æternum temporariæ servituti, immortalitatem morti, Deum et Christum diabolo et antichristo.

VII. Insinuandum quoque ne, erepti de faucibus diaboli et de laqueis sæculi liberati, si in angustiis et pressuris esse [c] cœperint, regredi denuo ad sæculum velint et perdant quod evaserint.

VIII. Insistendum potius esse et perseverandum in fide et virtute [d] et cœlestis ac spiritalis gratiæ consummatione, ut ad palmam et coronam possit perveniri.

IX. Ad hoc enim pressuras et persecutiones fieri ut probemur.

X. Nec timendas esse injurias et pœnas persecutionum, quia major est Dominus ad protegendum, quam diabolus ad impugnandum.

XI. Ac, ne expavescat quis et conturbetur ad pressuras et persecutiones quas patimur in isto mundo, probandum ante prædictum esse [e] quod nos mundus odio habiturus esset, et quod persecutiones adversum nos excitaret, ut ex hoc [f] ipso quod hæc fiant manifesta sit fides divinæ pollicitationis in mercedibus et præmiis postmodum secuturis, nec novum quid accidat Christianis, quando ab initio mundi boni laboraverint, et oppressi atque occisi sint ab injustis.

XII. In novissima parte ponendum est quæ spes et quæ merces maneat justos et martyres post conflictationes hujus temporis et passiones, et quod plus accepturi simus in passionis remuneratione quam quod hic sustinemus in ipsa passione.

DE EXHORTATIONE MARTYRII.

CAP. I, — QUOD IDOLA DII NON SINT, ET QUOD NEC ELEMENTA VICE DEORUM COLENDA SINT.

Ostenditur in Psalmo CXIII : *Idola gentium argentum et aurum, opera* [g] *manuum hominum. Os habent et non loquuntur, oculos habent et non vident, aures habent et non audiunt* [h]. *Neque enim est spiritus in ore ipsorum. Similes illis fiant* [i] *qui faciunt ea* [j]. Item in Sapientia Salomonis : *Omnia idola nationum æstimaverunt deos; quibus neque oculorum usus est ad videndum, neque nares ad percipiendum spiritum* [k], *neque aures ad audiendum, neque digiti in manibus ad tractandum, sed et pedes eorum pigri ad ambulandum. Homo enim fecit illos, et qui spiritum mutuatus est finxit illos* [l]. *Nemo autem sibi similem homo poterit deum fingere: cum sit enim mortalis, mortuum fingit manibus iniquis. Melior est autem ipse iis quos colit, quoniam ipse quidem vixit, illi autem numquam* (*Sap.* XV, 15-17). Item in Exodo : *Non facies tibi idolum nec cujusquam similitudinem* (*Exod.* XX, 4). Item apud Salomonem de elementis : *Neque opera attendentes agnoverunt quis esset artifex, sed aut ignem, aut spiritum, aut citatum aerem, aut gyrum stellarum, aut nimiam aquam, aut solem aut lunam deos putaverunt. Quorum si propter speciem hoc æstimaverunt, sciant quanto iis* [m] *Dominus sit speciosior. Aut si virtutes et opera eorum mirati sunt, intelligant ab ipsis quoniam qui hæc constituit fortia fortior est illis* (*Sap.* XIII, 1-4).

LECTIONES VARIANTES.

[a] Et hic *Lin.*
[b] Proponamus. *Ver.*
[c] Liberati, in angustiis et pressuris esse cum *Bod.* 3, 4.
[d] Fide et veritate *Vat.*
[e] Probatum jam et prædictum *Bod.* 4.
[f] Et hoc *Voss.* 3.
[g] Opus *Lam. Ebor. Bod.* 1, 2, 3, 4. *Lin. NC.* 1, 2. *Ver.*
[h] Audiunt, nares habent et non odorabunt, manus habent et non palpabunt, non clamabunt in gutture suo *Lin.*
[i] Illis sint *Ben. Ver. Lam. Ebor.* sunt *Voss.* 2.
[j] Faciunt ea, et omnes qui confidunt in eis *Bod.* 3.
[k] Accipiendum spiritum *Bod* 4.
[l] Is finxit illos *Voss.*
[m] Hæc constituit fortior est illis *Bod.* 4, 2, 4.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

X. — *Injurias et pœnas.* Codex Gratianopolitanus *injurias et pugnas.* Sic etiam codex sancti Arnulphi.

CAP. I. — *Quod idola.* Multum peccaverunt Angli in hoc loco et in initiis omnium capitulorum hujus *libri* et eorum quæ sunt *ad Quirinum.* Posuerunt enim in margine capitula quorum postea probationes ex Scriptura affert Cyprianus. Ea vero quis divinare posset esse Cypriani, cum illi semper apponere soleant in margine summaria earum rerum quæ sunt in contextu; summaria vero ipsorum sint, non Cypriani nec veterum librariorum? Adde quod ineptum, ut mihi videtur, initium istius libri posuerunt, incipientes a verbo *Ostenditur.* Proclive esset interrogare quid hoc loco significet vox *Ostenditur*, quæ debet referri ad aliquid antecedens. Nos reposuimus summaria capitum in contextu, uti par erat, existimantes explodendam esse hanc novitatem, retinendam esse antiquitatem. Hæc enim summaria sunt potius theses, ad quarum probationem Cyprianus adducit testimonia sequentia ex sacra Scriptura. Ideoque in quibusdam libris antiquis hæc summaria scripta sunt majusculis characteribus.

Aut lunam. Pamelius adjecit *rectores orbis terrarum* ex fide duorum veterum librorum, et quia sic legitur in capite XIII libri *Sapientiæ* et apud ipsum Cyprianum lib. III *Testimoniorum* cap. 29, ubi idem locus refertur. At ego, cum illa non invenerim in nullo eorum veterum exemplarium quibus utor, desint autem in omnibus editionibus Pameliana antiquioribus, ea sustuli ab hoc loco.

Digitized by Google

CAP. II. — QUOD DEUS SOLUS COLENDUS SIT.

Sicut scriptum est [a] : *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies* (*Deut.* VI, 13). Item in Exodo : *Non erunt tibi dii alii absque me* (*Ex.* VI, 13). Item illic [b] : *Videte, videte quia ego sum* [c], *et non est Deus præter me. Ego interimam* [d] *et vivere faciam, percutiam et ego sanabo, et non est qui eripiat de manibus meis* [e] (*Deut.* XXXII, 39). Item in Apocalypsi : *Et vidi alium Angelum volantem in medio cœlo, habentem Evangelium æternum, ut annuntiaret super terram et super omnes nationes* [f] *et tribus et linguas et populos, dicentem voce magna : Metuite potius Deum* [g], *et date illi claritatem, quoniam venit hora judicii ejus ; et adorate eum qui fecit cœlum et terram et mare et omnia quæ in eis sunt* (*Apoc.* XIV, 6, 7). Sic et Dominus in Evangelio commemorationem facit primi et secundi præcepti dicens : *Audi Israel. Dominus Deus tuus Deus unus est;* et : *Diliges Dominum tuum de toto corde tuo et de tota anima tua et de tota virtute tua. Hoc primum, et secundum simile huic : Diliges proximum tuum* [h] *tamquam te. In his duobus præceptis tota lex pendet et Prophetæ* (*Matth.* XXII, 39, 40). Et iterum : *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum et verum Deum et quem misisti Jesum Christum* (*Joan.* XVII, 3).

CAP. III. — QUÆ COMMINATIO DEI SIT ADVERSUS EOS QUI IDOLIS SACRIFICANT.

In Exodo [i] : *Sacrificans diis eradicabitur, nisi Domino soli* (*Exod.* XXII, 19). Item in Deuteronomio : *Sacrificaverunt dæmoniis, et non Deo* (*Deut.* XXXII, 17). Item apud Esaiam : *Adoraverunt eos quos fecerunt digiti eorum, et curvatus est homo, et humiliatus est vir, et non taxabo illis* [j] (*Isa.* II, 8). Et iterum : *Illis fudistis libamina, et illis imposuistis sacrificia. Super hæc ergo non indignabor, dicit Dominus* (*Isa.* I, VII, 6) ? Item apud Hieremiam : *Nolite ambulare post deos alienos ut serviatis eis, et ne adoraveritis eos, et ne incitetis me in operibus manuum vestrarum ad disperdendos* [k] *vos* (*Hier.* XXV, 6). Item in Apocalypsi : *Si quis adorat* [l] *bestiam et imaginem ejus, et accipit* [m] *notam in fronte sua aut in manu, bibet et ipse de vino iræ Dei mixto in poculo iræ ejus, et punietur igne et sulphure sub oculis sanctorum Angelorum et sub oculis Agni : et fumus de tormentis eorum in sæcula sæculoruma scendet ; nec habebunt requiem die ac nocte quicumque adorant bestiam et imaginem ejus* (*Apoc.* XV, 9-11).

CAP. IV. — NON FACILE IGNOSCERE DEUM IDOLOLATRIS.

Moyses in Exodo pro populo rogat, nec impetrat. *Precor*, ait, *Domine, deliquit populus hic delictum grande. Fecerunt sibi deos aureos* [n]. *Et nunc si dimittis illis delictum, dimitte. Sin autem, dele me de libro quem scripsisti. Et dixit Dominus ad Moysen : Si quis deliquit ante me, deleam eum de libro meo* (*Exod.* XXXII, 31 33). Item cum Hieremias pro populo deprecaretur, Dominus ad eum loquitur dicens : *Et tu noli orare pro populo hoc, et noli postulare pro ipsis in prece et oratione, quia non exaudiam in tempore quo invocabunt me, in tempore afflictionis suæ* (*Hier.* XI, 14). Ezechiel quoque hanc eamdem denuntiat indignationem Dei his qui in Deum delinquunt [o] : *Et fuit*, inquit, *verbum Domini ad me dicens : Fili hominis, terra quæcumque peccaverit mihi ut delinquat delictum, extendam manum meam super eam, et obteram stabilimentum panis* [p], *et immittam in eam famem, et auferam de ea hominem et pecora. Et si fuerint tres viri hi in medio ejus, Noe, Daniel et Job, non liberabunt filios neque filias, ipsi soli salvi erunt* (*Ezech.* XIV, 12, 14, 16). Item in libro Regnorum primo : *Si delinquendo peccet vir adversus virum, orabunt pro eo Dominum. Si autem in Deum peccet homo, quis orabit pro eo* (*I Reg.* II, 25) ?

CAP. V. — [265] QUOD SIC IDOLOLATRIÆ INDIGNETUR DEUS, UT PRÆCEPERIT ETIAM EOS INTERFICI QUI SACRIFICARE ET SERVIRE IDOLIS SUASERINT.

In Deuteronomio : *Quod si rogaverit te frater tuus, aut filius tuus, aut filia tua, aut uxor tua quæ est in sinu tuo, aut amicus tuus, qui æqualis est animæ tuæ, latenter dicens : « Eamus et serviamus diis aliis* [q], *diis gentium ; » non consenties ei, et non exaudies eum, et*

LECTIONES VARIANTES.

[a] Scriptum est in deuteronomio *Oxon. Lam. Ebor. Lin. Voss.* 1. *Bod.* 1, 2, 3, 4.
[b] Item in Deuteronomio *Oxon. Voss. Lam. Lin. NC.* 1. *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Optime.*
[c] Ego sum Dominus *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2.
[d] Ego occidam *Bod.* 1, 3, 4.
[e] Qui possit eruere de manu mea *Voss.* 1, 3.
[f] Per omnes nationes *Ben. Ver.*
[g] Servite potius Domino *Voss.* 1. *Bod.* 3. *Voss.* 3.
[h] Proximum tibi *Lam. Ebor. NC.* 1.
[i] *Sic Bod.* 1, 2, 3, 4. *Ar. Lam. Ebor. Lin.* Legitur in *Imp. Voss.* 3.
[j] Laxabo illis, dicit Dominus *Ar. NC.* 1. *Lam. Ebor. Bod.*
[k] Dispergendos *Voss.* 3.
[l] Adoraverit *Bod.* 1, 3, 4.
[m] Accepit *Bod.* 1.
[n] Aureos et argenteos *Ar. Bod.* 2.
[o] Dominum derelinquant *Voss.* 3.
[p] Panis ejus *Bod.* 3.
[q] Alienis *Ar. Lam. Ebor.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

CAP. II. — *Quod Deus solus.* Tria sunt initia istius capitis in antiquis exemplaribus. Quædam enim habent : *Quod Deus solus sit. In Exodo: Non erunt.* Alia vero : *Quod Deus solus colendus sit. In Exodo : Dominum Deum tuum.* Alia denique : *Quod Deus colendus est, sicut scriptum est : Deum tuum adorabis.* Atque ego hanc postremam lectionem amplexus sum, quia nititur auctoritate veterum exemplarium. Sane si locorum sacræ Scripturæ quæ istic referuntur habenda esset ratio, dubium non esset quin retinenda fuerit emendatio posteriorum editorum. Interdum quippe veteres scriptores per lapsum memoriæ loco sacræ Scripturæ laudant ex aliis locis, quam iis ubi vere habentur, nec ea liçet emendare absque auctoritate veterum librorum, ut exemplis ostendemus in notis ad librum anonymum *de rebaptismate.* Itaque securius visum est retinere lectionem manuscriptorum.

Metuite potius. Ita editio Spirensis. Plerique codices habent *timete.* In quatuor scriptum est : *Audite potius Dominum.* In Beccensi *Videte.*

CAP. IV. — *Deos aureos.* Quinque libri veteres addunt *et argenteos.* Vide notas ad librum *de Lapsis.*

Digitized by Google

non parcet oculus tuus super eum, et non celabis eum, annuntians annuntiabis de illo. Manus tua erit super eum, in primis interficere eum, et manus omnis populi postremo; et lapidabunt eum et morietur, quoniam quæsivit avertere te a Domino Deo tuo (*Deut.* XIII, 6). Et iterum loquitur Dominus et dicit nec civitati parcendum, etiamsi universa consenserit ad idololatriam : *Aut si audieris in una ex civitatibus quas Dominus Deus tuus dabit tibi inhabitare te illic, dicentes : « Eamus et serviamus diis aliis, » quos non nosti* [a], *interficiens necabis omnes qui sunt in civitate cæde gladii, et incendes civitatem igni, et erit sine habitaculo in æternum. Non reædificabitur etiam nunc, ut avertatur Dominus ab indignatione iræ suæ. Et dabit tibi misericordiam et miserebitur tui, et multiplicabit te, si exaudieris vocem Domini Dei tui, et observaveris præcepta ejus* (*Deut.* XIII, 12). Cujus præcepti et vigoris memor Mattathias interfecit eum qui ad aram sacrificaturus accesserat [b] (I *Machab.* II, 24). Quod si ante adventum Christi circa Deum colendum et idola spernenda [c] hæc præcepta servata sunt, quanto magis post adventum Christi servanda sunt; quando ille veniens non verbis tantum nos hortatus sit, sed et factis, post omnes injurias et contumelias passus quoque et crucifixus, ut nos pati et mori exemplo suo doceret, ut nulla sit homini excusatio pro se non patienti, cum passus sit ille pro nobis; et cum ille passus sit pro alienis peccatis, multo magis pro peccatis suis pati unumquemque debere? Et ideo in Evangelio comminatur et dicit : *Quicumque confessus fuerit me coram hominibus, et ego confitebor eum* [d] *coram Patre meo, qui in cœlis est; qui autem negaverit me coram hominibus, et ego negabo eum coram Patre meo, qui in cœlis est* (*Matth.* X, 33). Item Apostolus Paulus : *Si enim commorimur*, inquit, *et convivemus : si toleramus, et conregnabimus : si negabimus, et ipse negabit nos* (I *Tim.* II, 12). Item Joannes : *Qui negat Filium, neque Patrem habet : qui confitetur Filium, et Filium et Patrem habet* (I *Jo.* II, 23). Unde nos ad contemptum mortis hortatur Dominus et corroborat dicens : *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem* [e] *non possunt occidere. Magis autem metuite eum qui potest animam et corpus occidere* [f] *in gehennam* (*Matth.* X, 28). Et iterum : *Qui amat animam suam, perdet eam : et qui odit animam suam in isto sæculo, in vitam æternam conservabit illam* (*Joan.* XII, 25).

CAPUT VI. — QUOD, REDEMPTI ET VIVIFICATI CHRISTI SANGUINE, NIHIL CHRISTO PRÆPONERE DEBEAMUS.

In Evangelio Dominus loquitur et dicit : *Qui diligit patrem aut matrem super me* [g], *non est me dignus. Et qui diligit filium aut filiam super me, non est me dignus* [h]. *Et qui non accipit crucem* [i] *suam et sequitur me, non est me dignus* [j] (*Matth.* X, 37). Sic et in Deuteronomio scriptum est [k] : *Qui dicunt patri et matri, « Non novi te, » et filios suos non agnoverunt, hi custodierunt præcepta tua, et testamentum* [l] *tuum servaverunt* (*Deut.* XXXIII, 9). Item apostolus Paulus : *Quis nos*, inquit, *separabit a charitate Christi? pressura an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? Sicut scriptum est : Quia propter te occidimur tota die, æstimati sumus ut oves victimæ* [m], *sed in his omnibus superamus* [n] *propter eum qui dilexit nos* (*Rom.* VIII, 35). Et iterum : *Non estis vestri : empti enim estis pretio magno* [o], *glorificate* [p] *et portate Deum in corpore vestro* (I *Cor.* VI, 20). Et iterum : *Pro omnibus mortuus est* [sec] *Christus, ut et qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est et resurrexit* (II *Cor.* V, 15).

CAPUT VII. — EREPTOS DE FAUCIBUS DIABOLI, ET DE LAQUEIS SÆCULI LIBERATOS, NON DEBERE DENUO AD SÆCULUM REVERTI, NE PERDANT QUOD EVASERINT.

In Exodo, Judaicus populus, ad umbram nostri et imaginem præfiguratus, cum, Deo tutore et vindice, evasisset Pharaonis atque Ægypti, id est diaboli et sæculi, durissimam servitutem; circa Deum perfidus et ingratus, adversus Moysen mussitat, respiciens solitudinis ac laboris incommoda, et non intelligens libertatis ac salutis beneficia divina, reverti quærit ad Ægypti [q], hoc est ad sæculi, servitutem unde fuerat exutus [r], cum magis fidere deberet in Deum [s] et credere; quoniam qui a diabolo et sæ-

LECTIONES VARIANTES.

[a] *Oxon. addit :* Quæres sollicite, et si inveneris certum esse quod dicitur.
[b] Ascenderat *Bod.* 1.
[c] Idola sternenda *Bod.* 1.
[d] Confitebor in ipso *Ar. Voss.* 1.
[e] Et animam *Bod.* 2.
[f] Corpus perdere *Ar. Lam. Bod.* 2.
[g] Matrem plus quam me *Lin. Ebor. NC.* 1.
[h] Et qui diligit filium aut filiam super me non est me dignus *Lam. Ebor. Bod.* 1, 2, 3, 4. *Desunt in Impr.*
[i] Tollit crucem *Bod.* 4.
[j] Non est meus discipulus *Ar.*
[k] Deuteronomio positum est *Bod.* 3.
[l] Et mandatum *Lam. Ebor. Bod.* 2.
[m] Oves occisionis *Ar. NC.* 1. *Bod.* 2.
[n] In his omnibus supervincimus *Ber.* Pro eo *Lam. Ebor. Bod.* 1, 2, 4.
[o] Emti estis magno *Ber. Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 3.
[p] Clarificate *Ver.*
[q] Ægyptum *Lin. Spir. Bod.* 1, 2, 4.
[r] Unde fuerat exemtus *Bod.* 3. abstractus *Spir. Morel.*
[s] Fidem in Deo habere *Lin.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

CAP. V. — *Si audieris in una.* Hic locus refertur a Gratiano XXIII q. 5 : *Si audieris.* Ubi glossa ait Cyprianum fuisse interrogatum an mali post adventum Domini in hunc mundum morte sint puniendi, et illum respondisse quod sic, quia si ante adventum Christi hoc fiat, ut probatur auctoritate Deuteronomii et exemplo Malachiæ, multo potius post adventum Christi hoc fieri debet. Joannes vero de Turre cremata hinc collegit non esse parcendum malis qui multitudinem corrumpunt. Auctor glossæ non recurrit ad Cyprianum, et ideo erravit in facto.

Conservabit illam. Duo libri veteres habent *salvabit*, alius *servabit*, alius denique *inveniat*.

CAP. VI. — *Occidimur.* Editio Morelliana et quidam libri veteres *mortificamur*, et mox *occisionis*.

Non sit me dignus. Codex Seguierianus, *non est meus discipulus*.

Superamus. Codex Veronensis, *supervincimus*. Vide

Digitized by Google

culo liberat populum suum, protegit liberatum : *Quid hoc nobis*, inquiunt, *fecisti in ejiciendo nos de Ægypto? melius est* [a] *nobis servire Ægyptiis quam mori* [b] *in solitudine hac. Et dixit Moyses ad populum : Fidite, et state* [c], *et cernite salutem quæ a Domino est, quam vobis faciet hodie : Dominus ipse pugnabit pro vobis, et vos tacebitis* (*Exod.* XIV, 11). Quod nos admonens in Evangelio suo Dominus, et docens ne ad diabolum rursus et ad sæculum, quibus renuntiavimus et unde evasimus, revertamur, dicit : *Nemo retro attendens et superponens manum suam super aratrum, aptus est regno Dei* (*Luc.* IX, 62). Et iterum : *Et qui in agro est, non convertatur retro* [d]. *Memores estote uxoris Loth* (*Luc.* XVII, 31). Ac, ne quis aliqua vel cupiditate rerum, vel suorum dulcedine retardetur quominus Christum sequatur, addit et dicit : *Qui non renuntiat omnibus quæ sunt ejus* [e], *non potest meus esse discipulus* (*Luc.* XIV, 33).

CAPUT VIII. — INSISTENDUM ESSE ET PERSEVERANDUM IN FIDE ET VIRTUTE, ET CŒLESTIS AC SPIRITALIS GRATIÆ CONSUMMATIONE, UT AD PALMAM ET CORONAM POSSIT PERVENIRI.

[1] In Paralipomenon : *Dominus vobiscum est, quamdiu et vos* [f] *estis cum ipso. Si autem dereliqueritis eum, derelinquet vos* (II *Par.* XV, 2). Item apud Ezechielem : *Justitia justi non liberabit eum, in quacumque die exerraverit* [g] (*Ezech.* XXXIII, 12). Item in Evangelio Dominus loquitur et dicit : *Qui perseveraverit usque in finem* [h], *hic salvus erit* [i] (*Matth.* X, 22). Et iterum : *Si permanseritis in verbo meo, vere discipuli mei estis, et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos* (*Joan.* VIII, 31). Præmonens quoque nos paratos semper esse debere, et expeditos in procinctu firmiter stare, addit et dicit : *Sint lumbi vestri præcincti* [j], *et lucernæ ardentes; et vos similes hominibus exspectantibus dominum suum, quando revertatur* [k] *a nuptiis; ut, cum venerit et pulsaverit, aperiant ei. Beati* [l] *servi illi, quos adveniens dominus invenerit vigilantes* (*Luc.* XII, 35). Item beatus apostolus Paulus, ut fides nostra proficiat et crescat et ad summa perveniat, hortatur dicens : *Nescitis quoniam qui in stadio currunt* [m], *omnes quidem currunt, unus tamen* [n] *accipit palmam? Sic currite ut occupetis* [o]. *Et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, vos autem incorruptam* (I *Cor.* IX, 24). Et iterum : *Nemo militans Deo obligat se molestiis sæcularibus, ut possit placere ei cui se probavit. Sed et si certaverit quis, non coronabitur, nisi legitime pugnaverit* (II *Tim.* II, 4). Et iterum : *Oro autem vos, fratres, per misericordiam Dei, ut constituatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, placentem Deo; nec configuremini* [p] *sæculo huic, sed transformamini in renovatione spiritus* [q], *ad probandum quæ sit voluntas Dei bona et placens et perfecta* (*Rom.* XI, 1). Et iterum : *Sumus filii Dei : si autem* [r] *filii, et hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi; si quidem compatiamur, ut et commagnificemur* [s] (*Rom.* VIII, 17). Et in Apocalypsi eadem loquitur divinæ prædicationis hortatio, dicens : *Tene* [t] *quod habes, ne alius accipiat coronam tuam* (*Apoc.* III, 11). Quod exemplum [367] perseverandi et permanendi designatur in Exodo, ubi Moyses, ad superandum Amalech, qui figuram portabat diaboli, in signo et sacramento crucis [u] allevabat supinas manus. Nec vincere adversarium potuit, nisi postquam stabilis in signo allevatis jugiter manibus perseveravit. «Et factum est, inquit, cum levabat Moyses manus, prævalebat Israel; ubi autem submiserat manus, invalescebat Amalech. Et accepto [v] lapide supposuerunt sub eo, et sedebat super eum. Et Aaron et Ur sustentabant manus ejus hinc et inde; et factæ sunt manus Moysi stabiles usque in occasum solis. Et fugavit Jesus Amalech, et omnem populum ejus [x]. Et dixit Dominus ad Moysen : Scribe hoc ut sit memoria [y] in libro, et da in aures Jesu : quoniam deletione deleam [z] memoriam Amalech de sub cœlo [aa] (*Exo.* XVII, 11).»

LECTIONES VARIANTES.

[a] Melius erat *Bod.* 3.
[b] Quam obire *Ar. Bod.* 2.
[c] Silete et state *Bod.* 1. State fidentes et videte *Spir.*
[d] Tollere vestimentum suum *Ar. Lam. Ebor. Bod.* 2. *N. C.* 1, 2. *Ben.*
[e] Omnibus quæ possidet *Ar.*
[f] Quamdiu vos *Bod.* 1, 2, 3, 4.
[g] Et iniquitas iniqui non affliget eum, quacumque die reversus fuerit ab iniquitatibus suis *addit Voss.* 1.
[h] Usque ad finem *Lin.*
[i] Salvabitur *Bod.* 4.
[j] Lumbi vestri accincti *Voss.* 4.
[k] Quando veniat *Lam. Ebor. NC.* 4. *Bod.* 1,2,3,4.
[l] Felices *Ar. Bod.* 1, 2, 4.
[m] Quoniam hi qui in stadio currunt *Bod.* 1.
[n] Sed unus *Bod.* 1, 3.
[o] Ut comprehendatis *Bod. Oxon, addit:* Omnis enim qui agonizat in omnibus continens est.
[p] Hostiam vivam *Bod.* 1, 2, 3, 4. Rationabile ministerium vestrum *Lin. Voss.* 1. Rationabile obsequium vestrum; et nolite configurari *Bod.* 4.
[q] Renovatione sensus *Bod.* 3.
[r] Sumus filii, si autem *Bod.* 1.
[s] Simul glorificemur *Bod.* 3.
[t] Tene, inquit *Bod.* 1. 4.
[u] In signo crucis *Bod.* 1.
[v] Invalescebat Amalech. Sed manus Moysi graves erant, et accepto *Ver. et similiter l.* 2. *ad Quir. c.* XXI.
[x] Ur supportabant *Voss. NC.* 2.
[y] Populum ejus in ore gladii *Ver.*
[z] Memoriale *Ar. Bod.* 3.
[aa] Delebo *Bod.* 4.
[bb] In sempiternum *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

notas *ad epistolam* XXVI, pag. 412, ubi vox eadem reperitur.

CAP. VII.— *In ejiciendo.* Codex Fuxensis *educendo*, et mox *eremo* pro *solitudine*. Hanc ultimam lectionem præferunt tres alii libri veteres.

CAP. VIII.—*Felices servi.* Ita omnes veteres editiones ante Pamelianam. Eodem quoque modo scriptum est in libris nostris et in Anglicanis.

Ut occupetis. Postea istic sequitur in editione Manutiana et in Comeliana segmentum istud : *Omnis enim qui agonizat, continens est.* Verum cum illud desit in codice Seguieriano, in antiquis editionibus, et in omnibus libris veteribus, duobus exceptis, additum e Manutio, omissum a Morellio, deinde repositum a Pamelio, nos delevimus. Vide notas ad Epistolam VIII, pag. 395.

Fugavit Jesus. Codex Seguierianus, *fugavit Moyses.*

Digitized by Google

CAPUT IX. — AD HOC PRESSURAS ET PERSECUTIONES FIERI, UT PROBEMUR.

In Deuteronomio : *Tentat vos Dominus Deus vester, ut sciat si diligitis Dominum Deum vestrum ex toto corde vestro, et ex tota anima vestra, et ex tota virtute vestra* (*Deut.* XIII, 3). Et iterum apud Salomonem : *Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis* (*Eccli.* II, 5). Paulus quoque paria testatur ac loquitur dicens : *Gloriamur in spe claritatis Dei; non solum autem, sed et gloriamur in pressuris, scientes quoniam pressura tolerantiam operatur, tolerantia autem probationem, probatio autem spem : spes autem non confundit, quia dilectio Dei infusa* [a] *est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis* (*Rom.* V, 3). Et Petrus in Epistola sua ponit et dicit : *Charissimi, nolite mirari ardorem accidentem vobis, qui ad tentationem vestram fit; nec excidatis, tamquam novum aliquid vobis contingat. Sed quotiescumque communicatis Christi passionibus, per omnia gaudete; ut et in revelatione facta claritatis ejus gaudentes exultetis* [b]. *Si improperatur vobis in nomine Christi* [c], *beati estis, quia majestatis et virtutis Domini nomen in vobis requiescit: quod quidem secundum illos* [d] *blasphematur, secundum nos autem honoratur* (I *Petr.* IV, 12).

CAPUT X. — TIMENDAS NON ESSE INJURIAS ET POENAS PERSECUTIONUM, QUIA MAJOR EST DOMINUS AD PROTEGENDUM, QUAM DIABOLUS AD IMPUGNANDUM.

Joannes in Epistola sua probat dicens [e] : *Major est qui in vobis est, quam qui in isto mundo* (I *Jo.* IV, 4). Item in Psalmo CXVII : *Non metuam quid mihi faciat homo, Dominus mihi auxiliator est* (℣. 6). Et iterum : *Isti in curribus et isti in equis, nos autem in nomine Domini Dei nostri magnificabimus* [f]. *Ipsi obligati sunt* [g] *et ceciderunt : nos autem surreximus et erecti sumus* (*Ps.* XIX, 8). Et adhuc fortius docens et ostendens Spiritus sanctus castra diaboli non timenda, et si bellum nobis hostis indixerit, in ipso magis bello spem nostram consistere, et congressione illa justos ad divinæ sedis et salutis æternæ præmium pervenire, in Psalmo XXVI ponit et dicit : *Si directa fuerint in me castra, non timebit cor meum : et si exsurrexerit super me bellum, in illud ego sperabo* [h]. *Unam* [i] *petii a Domino* [j], *hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini per omnes dies vitæ meæ.* Item in Exodo declarat Scriptura divina pressuris multiplicari nos potius et augeri, dicens : *Quantoque eos deprimebant, tanto plures fiebant, et invalescebant magis* (*Exod.* I, 12). Et in Apocalypsi protectio divina promittitur passionibus nostris : *Nihil*, inquit, *eorum timeas quæ passurus es* (*Apoc.* II, 10). Nec alius securitatem nobis et protectionem pollicetur, quam qui et per Esaiam prophetam loquitur dicens : *Noli timere, quia te redemi, et vocavi te nomine tuo; meus es tu. Et si transieris per aquam, tecum sum, et flumina te non inundabunt, et si transieris per ignem* [k], *non combureris et flamma te non comburet, quoniam ego Dominus Deus tuus, Sanctus Israël, qui te salvum facio* (*Is.* LXIII, 11). Qui et in Evangelio [l] promittit auxilium divinum [sic] Dei servis in persecutionibus non defuturum, dicens : *Cum autem vos tradiderint, nolite cogitare quo modo aut quid loquamini; dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini : non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris qui loquitur in vobis* (*Matth.* X, 10). Et iterum : *Ponite in cordibus vestris non præmeditari excusare : ego enim dabo vobis os et sapientiam* [m] *cui non poterunt resistere adversarii vestri* (*Luc.* XII, 11). Sicut in Exodo ad Moysen cunctantem et ad populum ire trepidantem Deus loquitur dicens : *Quis dedit os homini? et quis fecit mogilalum? et quis surdum* [n]*? et quis videntem et cæcum? nonne ego Dominus Deus? Et nunc perge, et ego aperiam os tuum, et instruam te quid loquaris* (*Exod.* IV, 11). Nec difficile est Deo aperire os hominis devoti sibi, et confessori suo inspirare constantiam et fiduciam loquendi, qui in Numeris adversus Balaam prophetam etiam asinam fecerit loqui (*Num.* XXII, 30). Quare in

LECTIONES VARIANTES.

[a] *Sic Manut. Pam. Riq. Voss.* 1, 2. *Lin et l.* 3. *ad Quir. c.* 6. Diffusa *Lam. Ebor. NC.* 2. *Spir. Vet. immom. Eras. Morel. Grav.*

[b] Gaudeatis et exultetis *Bod.* 4.

[c] Nomine Jesu *Bod.* 4.

[d] Per illos *Spir.*

[e] Ponit et dicit *Spir.*

[f] Invocabimus *Ar. Bod.* 1, 2, 4. *Ben. Ver.* magnificabimur *Spir.*

[g] Illis copulati sunt pedes *Ar. NC.* 1, 2. *Lam. Ebor. Vos.* 1. *Lin. Bod.* 1, 2. *Ben. Ver. Ox.* Ipsi obligati sunt et *Impr.*

[h] In illo ego sperabo *Voss.* 1.

[i] Unum petii, *Lam. Ebor. Lin. Bod.* 1, 4.

[j] Hoc exquiram *Bod.* 1. 4. *Lam. Ebor.*

[k] *Sic Ver. Vat. Lam. Lin. NC.* 1. 2. *Voss.* 1. *Bod.* 1, 2, 3. ignem, flamma *Impr.*

[l] Quin et Evangelio *Prior.*

[m] Os sapientiæ *Bod.* 4.

[n] *Sic Ver. Benev. Ar. Lam. Ebor. NC.* 1, 2. *Lam. Bod.* 1. 4. Mutum *Imp.* Mutum et loquentem, audientem et surdum *Bod.* 3.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

CAP. X. — *Timendas non esse.* Restituimus in hoc loco duo membra istius periodi quæ Manutiana editio omiserat, sed Morellius reposuerat. Cum autem exstent in omnibus antiquis editionibus, putavimus esse reponenda; nam veteres libri non repugnant.

Quia major est Dominus. Rufinus lib. I. *Hist. eccl.* cap. 34. *Longe major est qui nos defendit, quam qui persequitur.* Idem in Ps. LXII. *Fortis armatus diabolus est, qui hunc mundum possidebat. Sed Christus eo fortior veniens ipsum devicit.*

Ipsi obligati sunt. Hæc est scriptura veterum editionum. Quo etiam modo legebat auctor libri de *Promissionibus et prædictionibus Dei* inter Opera Prosperi. Angli prætermissa lectione illa, posuerunt *Illis copulati sunt pedes.* Quam lectionem habent octodecim exemplaria nostra, etiam Seguierianum, et editio Morelli, tum etiam ea quæ dicitur Gravii. Nonius Marcellus : *Copulantur* pro *copulant.* Et paulo infra : *Copulantur* pro *conjungunt.*

Congressione illa. Codex Seguierianus *congressionem illam justorum.*

Mogilalum. Ita legendum esse indicant omnes fere libri veteres quibus usus sum, in primis vero Seguierianus. Editio Manutii et codex Fuxensis præferunt *mollegium.* At *mogilalum* in suis exemplaribus legit

Digitized by Google

persecutionibus nemo cogitet quod periculum diabolus importet, sed immo consideret quod auxilium Deus præstet : nec mentem labefactet humana infestatio, sed corroboret fidem divina protectio : quando unusquisque, secundum Dominica promissa [a] et fidei suæ merita, tantum accipiat de Dei ope quantum se credat accipere; nec sit quod Omnipotens præstare non possit, nisi si accipientis fides caduca [b] defecerit.

CAPUT XI. — ANTE PRÆDICTUM ESSE QUOD NOS MUNDUS ODIO HABITURUS ESSET, ET QUOD PERSECUTIONES ADVERSUM NOS EXCITARET, ET QUOD NIHIL NOVUM CHRISTIANIS ACCIDAT, QUANDO AB INITIO MUNDI BONI LABORAVERINT, ET OPPRESSI ATQUE OCCISI SINT JUSTI AB INJUSTIS.

Dominus in Evangelio [c] præmonet et prænuntiat, dicens : *Si mundus vos odit, scitote quoniam me primo odiit* (*Joan.* XV, 18). *Si de mundo essetis, mundus quod suum esset amaret : sed, quia de mundo non estis, et ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Mementote sermonis quem dixi vobi : Non est servus major domino suo : si me persecuti sunt, et vos persequentur.* Et iterum : *Veniet hora ut omnis qui vos occiderit, putet se officium Deo facere : sed hoc facient, quoniam non cognoverunt Patrem neque me. Hæc autem locutus sum vobis, ut, cum venerit hora, eorum memores sitis, quia ego dixi vobis* (*Ib.* XVI, 4). Et iterum : *Amen amen dico vobis, quoniam vos plorabitis et plangetis, sæculum autem gaudebit : vos tristes eritis, sed tristitia vestra in lætitiam veniet* (*Ib.* 26). Et iterum : *Hæc locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis, in sæculo autem pressuram [d] : sed fidite, quoniam ego vici sæculum* (*Ib.* 38). Et cum a discipulis suis interrogaretur de signo adventus sui et consummationis mundi [e], respondit et dixit : *Cavete ne quis vos fallat; multi enim venient in nomine meo dicentes : Ego sum Christus; et multos fallent* (*Matth.* XXIV, 4). *Incipietis autem audire bella et auditus bellorum [f] : videte, nolite tumultuari : oportet enim hæc fieri, sed nondum est finis. Exsurget enim gens super gentem, et regnum super regnum [g]; et erunt fames et terræ motus et pestilentiæ per singula loca; omnia autem ista initia parturitionum sunt. Tunc tradent vos in pressuram, et interficient vos; et eritis odibiles omnibus gentibus propter nomen meum. Et tunc scandalizabuntur multi, et invicem tradent et odient invicem. Et multi pseudoprophetæ exsurgent et seducent multos : et eo quod facinus abundet, refrigescet charitas multorum. Qui autem toleraverit usque in [h] finem, hic salvus erit. Et prædicabitur Evangelium istud regni per totum orbem [i] terræ, in testimonium omnibus gentibus [j], et tunc veniet finis. Cum ergo videritis abominationem vastationis [k], quæ dicta est per Danielem prophetam, stantem in loco sancto (qui legit intelligat), tunc qui in Judæa sunt, fugiant in montes; et qui in tecto est, non descendat tollere quidquam de domo; et qui in [add] agro est, non convertatur retro auferre vestimentum suum. Væ autem prægnantibus et nutrientibus [l] in illis diebus! Orate autem ne fiat fuga vestra hyeme, neque sabbato. Erit enim tunc pressura magna, qualis non fuit [m] ab initio mundi usque nunc, sed neque fiet : et nisi breviati essent dies illi, non esset salva omnis [n] caro; propter electos autem breviabuntur illi dies. Tunc si quis dixerit vobis : Ecce hic est Christus, aut ecce illic, nolite credere. Surgent enim pseudochristi et pseudoprophetæ : et dabunt signa magna [o] et prodigia, ad errorem [p] faciendum, si fieri potest, etiam electis. Vos autem cavete, ecce prædixi vobis omnia. Si ergo dixerint vobis : Ecce in solitudine est [q], nolite exire; ecce in cubiculis [r], nolite credere. Sicut enim coruscatio exit [s] ab Oriente, et apparet usque ad Occidentem, ita erit et adventus Filii hominis. Ubi fuerit cadaver [t], illuc col-*

LECTIONES VARIANTES.

[a] Dominica præcepta et promissa *Ar. Bod.* 4.
[b] Fides catholica *Ar.*
[c] Evangelio suo *Lam. Bod.* 2.
[d] Habebitis *addit Oxon.*
[e] Consummationis sæculi *Bod.* 4.
[f] Opiniones bellorum *Bod.* 3.
[g] Regnum contra regnum *Bod.* 1.
[h] Perseveraverit usque ad *Bod.* 1.
[i] Toto orbe *NC.* 2.
[j] Testimonium omnium gentium *NC.* 2.
[k] Desolationis *Bod.* 4.
[l] Prægnantibus et lactantibus *Voss.* 1.
[m] Qualis non est facta *Lam. Ebor. NC.* 2. *Bod.* 1, 2, 3,
[n] Non liberaretur omnis *Ar. Lam. Ebor. Bod.* 1, 2. *Ver.*
[o] Signa magna et portenta *Lam. Bod.* 1, 2, 3, 4. *Ben. Ver.*
[p] Terrorem *Bod.* 1, 2.
[q] Exite, in solitudine est *Bod.* 3.
[r] In cubilibus *Voss.* 1.
[s] Quæ exit *NC.* 1, 2. *Bod.* 1, 2, 3, 4. Coruscatio procedens *Lin.*
[t] *Sic Ar. Bod.* 1, 2, 3, 4. *Benev. Ver.* Corpus *Impr.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

Latinus Latinius, qui putat eam esse veram lectionem; aliam vero, quæ habet *mutum*, suppositam esse per temeritatem librariorum, qui multa mutarunt apud Cyprianum, præsertim in sacræ Scripturæ locis citatis, in quibus audax et imperitus quisque librarius putavit sibi impune licere omnia ad Vulgatam editionem rediger. Quod etiam animadversum est alicubi à Francisco Turriano. In evangelio Marci cap. 9 legitur μογιλάλον. Vide glossarium græcum Cangii pag. 941, in voce Μόγγος.

Cap. XI.— *Memores sitis.* Codex Fuxensis *reminiscamini.*

Bella et auditus. Duo libri veteres, *bella et opiniones bellorum.* Ita etiam in uno Bodleiano. Vide Erasmi Annotationes in hunc locum Matthæi.

In sæculo autem pressuram. Hæc tantum in codicibus manuscriptis, etiam in Segnerianо. Pamelius adjecit *habebitis* ex codice Affligeniensi, et quia ita etiam legitur in libro *de Patientia*, et tam Græce quam Latine apud Joannem. Verum vox *habebitis* deest in libro *de Patientia* in quibusdam libris veteribus, etiam in Segnerianо. Eam tamen habent veteres editiones. Quod miror animadversum non esse a Pamelio.

Vastationis. Quatuor libri et unus Bodleianus habent *desolationis.* Sic etiam in capite IX *Danielis* et in capite XII Evangelii secundum *Joannem.*

Nutrientibus. Codex Pithœanus *nutricantibus.*

Salva omnis caro. Duodecim libri nostri et sex Anglicani habent *liberaretur omnis caro.*

Hic est Christus. Vide Erasmi annotationes in hunc locum Mathæi.

Prodigia. Nescio an ea lectio proferenda sit ei quam præferunt quindecim exemplaria vetera, in quibus scriptum est *portenta.* II Esdræ cap. IX : *Et dedisti signa atque portenta in Pharaone.* Anonymi liber *de Rebaptismate* p. 372 ; *Dabunt signa magna et portenta.*

Cadaver. Quamvis vocabulum *corpus*, quod habent veteres, optime congruat huic loco, cedere tamen

Digitized by Google

ligentur [a] *aquilæ. Continuo autem post pressuram dierum illorum sol tenebricabit* [b], *et luna non dabit lumen suum, et stellæ cadent de cœlo, et virtutes cœlorum movebuntur. Et tunc apparebit signum Filii hominis in cœlo, et lamentabuntur omnes tribus terræ : et videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute magna et claritate. Et mittet Angelos suos cum tuba magna. Et colligent electos ejus a quatuor ventis* [c], *a summis cœlorum usque ad summitates eorum* (*Matth.* XXIV; *Luc.* XXI). Nec nova aut repentina hæc sunt quæ nunc accidunt Christianis, cum boni semper et justi, et Deo innocentiæ lege ac veræ religionis timore devoti, per pressuras et injurias [d], et graves ac multiformes infestationum pœnas [e] angusti itineris difficultate gradiantur. Sic in origine statim mundi Abel justus a fratre primus occiditur : et Jacob fugatur, et Joseph venundatur, et David misericordem Saul rex persequitur, et Heliam majestatem Dei constanter ac fortiter asserentem rex Achab opprimere conatur; Zacharias sacerdos interficitur in medio templi et altaris, ut illic hostia ipse fiat ubi Deo hostias immolabat. Tot denique martyria justorum sæpe celebrata, tot edita in posterum fidei et virtutis exempla. Tres pueri, Ananias, Azarias, Misahel, ætate compares, dilectione [f] concordes, fide stabiles, virtute constantes, flammis ac pœnis urgentibus fortiores, soli se Deo servire, solum nosse, solum colere proclamant [g], dicentes : *Nabuchodonosor rex, non opus est nobis de hoc verbo respondere tibi. Est enim Deus, cui nos servimus, potens nos eripere de camino ignis ardentis, et de manibus tuis, rex, liberabit nos. Et si non, notum sit tibi quia diis tuis non servimus, et imaginem* [h] *auream quam statuisti, non adoramus.* Et Daniel, Deo devotus et sancto Spiritu plenus, exclamat et dicit : *Nihil cólo ego nisi Dominum Deum meum, qui condidit cælum et terram* (*Dan.* XIV, 4). Tobias quoque, sub regali licet ac tyrannica servitute, sensu tamen ac spiritu liber, confessionem suam Deo servat, et virtutem majestatemque divinam sublimiter prædicat, dicens : *Ego in terra captivitatis meæ confiteor illi, et ostendo virtutem ejus in natione peccatrice* (*Tob.* XIII, 6). Quid vero in Machabæis, septem fratres et natalium pariter et virtutum sorte consimiles, septenarium numerum sacramento perfectæ consummationis implentes? sic septem fratres in martyrio cohærentes, ut primi in dispositione divina septem dies annorum [i] septem millia continentes, ut septem Spiritus et i Angeli septem qui assistunt et conversantur ante faciem Dei, et lucernæ septiformes in tabernaculo martyrii, et in Apocalypsi septem candelabra aurea, et apud Salomonem columnæ septem, super quas ædificavit [k] domum Sapientia (*Prov.* IX, 1): ita et istic septem fratrum numerus, Ecclesias septem numeri sui quantitate complexus, secundum quod in primo Regnorum [270] libro legimus, sterilem septem peperisse (II, 5). Et apud Esaiam : Septem mulieres unum hominem apprehendunt, cujus invocari super se nomen exposcunt (*Is.* IV, 1). Et apostolus Paulus, qui hujus legitimi numeri et certi meminit, ad septem Ecclesias scribit. Et in Apocalypsi (I, 19-21) Dominus mandata sua divina et præcepta cœlestia ad septem Ecclesias et earum angelos dirigit, qui nunc istic in fratribus numerus invenitur, ut consummatio legitima compleatur [l]. Cum septem liberis plane copulatur et mater origo et radix; quæ Ecclesias septem postmodum peperit, ipsa prima et una super Petrum [m] Domini voce fundata. Nec vacat quod in passionibus sola [n] cum liberis mater est : martyres enim, qui se Dei filios in passione testantur, jam non nisi Deo patre censentur; sicut in Evangelio Dominus docet, dicens [o] :

LECTIONES VARIANTES.

[a] Congregabuntur *Bod.* 2, 3. *Tertull.*
[b] *Sic Lam. Ebor. NC.* 1, *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Benev. Ver.* tenebrescet *Impr.*
[c] Ventis cœli *Ver.*
[d] Pressuras et angustias *Bod.* 1.
[e] Infestantium pœnas *Lam. Ebor. Ben. Bod.* 1, 2, 3, 4.
[f] Dilectione Dei *Bod.* 1.
[g] Proclamabat *Bod.* 2. 4.
[h] *Sic Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Benev. Ver. Oxon.* Statuam *Impr.*
[i] Annorum ratione *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2.
[j] Spiritus aut *Benev. Ver.*
[k] Ædificat *Lam. Bod.* 1, 2, 3, 4.
[l] Legitime compleatur *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2.
[m] *Sic Lam. Voss.* 1. *Lin. Nup. Imp.* Super petram *Spir. Iunom. Remb. Erasm. Morel. Grav. Fox.*
[n] Passionibus solatium *Bod.* 4.
[o] Dominus loquitur dicens *Lam. Ebor. Bod.* 2.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

cogor auctoritati octodecim librorum nostrorum, et quinque Anglicanorum, in quibus scriptum est *cadaver*. Et statim plures libri veteres habent *congregabuntur* pro *colligentur*. Vide Erasmum in hunc locum Matthæi.

Tenebrescet. Decem libri veteres habent *tenebricabit* vel *tenebricabitur*. Vide notas Frontonis Ducæi in Homiliam Chrysostomi *ad populum Antiochenum*.

Cum tuba magna. Sedecim libri veteres et antiquæ editiones habent *cum virtute magna et claritate*. Erasmus, ut sæpe fieri solet, in unum compegit duas lectiones veterum librorum, et posuit, *cum virtute magna et claritate, et cum tuba magna*. Sic etiam Morellius. Angli posuerunt veram lectionem, sed nihil attulerunt ex manuscriptis.

Imaginem. Antea legebatur *statuam*. Anglicana editio posuit *imaginem*. Ea lectio nobis propterea magis placuit, quia illam invenimus in viginti libris nostris et in septem Anglicanis, tum etiam quia habetur lib. III *Testimoniorum*, cap. 10. Similem historiam refert Philostratus lib. I, cap. 19, *de Vita Apollonii Tyanæi*.

Super Petrum. Rigaltius admonet in codice Foxiensi scriptum fuisse *super petram*, idque semet inspexisse, sed manum recentiorem, antiquam tamen, duobus obeliscis perstrinxisse *a* et superposuisse *u*. At cum ego istud non invenerim in codice Fuxiensi, putare cogor Rigaltium alio intentum posuisse Foxiense pro quodam alio manuscripto in quo id invenerat. In Seguieriano scriptum primo fuit *super petram*, sed postea posita est antiquitus littera *u* super litteram *a*, ut ostenderetur legendum esse *Petrum*. Contra in codice Fossatensi scriptum primo fuit *super Petrum*, sed postea emendatum est antiquitus *super petram*. Codex Thuanus et alii octo habent *super Petrum*. Ego non dubito quin legendum sit, *Petrum*, quamvis decem libri veteres et veteres editiones habeant *petram*.

Digitized by Google

Ne vocaveritis vobis patrem [a] *super terram, unus est enim pater vester qui in cœlis est* (*Matth.* XXIII, 9). Quæ vero ediderunt confessionum præconia, quam præclara, quam magna documenta fidei præbuerunt! Rex Antiochus infestus, immo in Antiocho antichristus expressus, ora martyrum gloriosa et spiritu confessionis invicta, contagio [b] suillæ carnis maculare quærebat, et cum flagellis graviter verberasset, ac nihil promovere potuisset, sartagines jussit igniri: quibus ignitis et accensis, eum qui primus locutus fuerat, et magis regem [c] virtutis et fidei constantia provocaverat, admoveri præcepit et frigi, producta et exsecta prius lingua, quæ confessa Deum fuerat: quod martyri gloriosius contigit; lingua enim confessa nomen Dei, prior ad Deum debuit ipsa proficisci. Post in secundo [d] excogitatis aerioribus pœnis, antequam cætera membra torqueret, cutem capitis cum capillis detraxit, odio scilicet certo. Nam cum caput viri Christus sit, et caput Christi Deus; qui caput laniabat in martyre, Deum et Christum persequebatur in capite. At ille in martyrio suo fidens [e], et resurrectionis sibi præmium de Dei remuneratione promittens, exclamavit et dixit: *Tu quidem impotens* [f] *ex hac præsenti vita nos perdis; sed mundi rex defunctos nos pro suis legibus in æternam vitæ resurrectionem suscitabit* (II *Machab.* VII, 9). Tertius linguam postulatus cito protulit: nam pœnam linguæ exsecandæ jam didicerat a fratre contemnere; manus quoque amputandas constanter extendit, multum beatus genere isto supplicii, cui contigit extensis ad pœnam manibus passionis Dominicæ instar imitari. Nec non et quartus, pari virtute tormenta contemnens, et ad retundendum regem cœlesti voce respondens, exclamavit et dixit: *Potius est ab hominibus morti datos exspectare spem a Deo iterum, ab eo suscitandos in vitam æternam* [g]: *tibi enim resurrectio ad vitam non erit* (*Ib.* 14). Quintus, præter quod carnificinam regis et duros variosque cruciatus fidei vigore [h] calcabat, ad præscientiam quoque et notitiam futurorum spiritu divinitatis animatus, prophetavit regi indignationem Dei et ultionem velociter secuturam: *Potestatem*, inquit, *inter homines habens, cum sis corruptibilis, facis quod vis. Noli autem putare genus nostrum a Deo derelictum esse. Sustine et vide magnam potestatem* [i] *ejus, qualiter te et semen tuum torquebit* (*Ibid.* 16). Quale illud levamentum fuit martyri [j], quam grande solatium, in cruciatibus suis non tormenta propria cogitare, sed tortoris sui supplicia prædicare! In sexto vero non virtus sola, sed et humilitas prædicanda est; nihil sibi martyrem vindicasse, nec confessionis suæ honorem superbis vocibus ventilasse, peccatis potius suis adscripsisse, quod persecutionem a rege pateretur; Deo vero dedisse quod postmodum vindicaretur. Docuit esse martyres [271] verecundos, de ultione fidere, et nihil in passione jactare: *Noli*, inquit, *frustra errare: nos enim propter nosmetipsos hæc patimur, peccantes in Deum nostrum. Tu autem, ne te existimes impune futurum* [k], *aggressus pugnare cum Deo* (*Ib.* 18). Admirabilis quoque mater, quæ nec sexus infirmitate fracta, nec multiplici orbitate commota, morientes liberos spectavit libenter, nec pœnas illas pignorum, sed glorias computavit, tam grande martyrium Deo præbens virtute oculorum suorum, quam præbuerant filii ejus tormentis et passione membrorum: cum sex [l] punitis et occisis superesset unus ex fratribus, cui rex divitias et potentatus et multa pollicebatur, ut crudelitas ejus ac feritas vel unius subacti solatio foveretur, et peteret ut ad filium dejiciendum secum deprecaretur et mater; deprecata est illa, sed ut decebat martyrum matrem, ut decebat legis et Dei memorem, ut decebat filios suos non delicate sed fortiter diligentem. Deprecata est enim, sed ut Deum confiteretur: deprecata est ne a fratribus suis frater in consortio laudis et gloriæ separaretur: tunc se septem filiorum computans matrem, si sibi contingeret filios septem Deo potius peperisse [m], non sæculo Armans itaque cum et corroborans, et feliciore tunc partu filium generans: *Fili*, inquit, *miserere mei, quæ te in utero mensibus decem* [n] *portavi, et lac triennio dedi, et alui, et in ætatem istam perduxi. Oro, fili, aspicias in cœlum*

LECTIONES VARIANTES.

[a] Ne vocaveritis patrem *Ebor.*
[b] Contagione *Lin.*
[c] Magis iram regis *Bod.* 3.
[d] In secundum *Voss.* 1.
[e] In martyrio suo fortis *Bod.* 1.
[f] Potens *Bod.* 2.
[g] In vitam æternam *omitt. Lam. Ebor. NC.* 1, 2. *Voss.* 1. 3. *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Ben. Ver.*
[h] Fide et vigore *Bod.* 2.
[i] Magna potestas *Lam. Ebor. NC.* 1. *Voss.* 1. *Lin. Bod.* 1, 2. *Benev. Ver.*
[j] Martyris *Ar.*
[k] Impunitum futurum *Lamb. Ebor. NC.* 1, 2. *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Lin. Voss.* 1, 2. *Benev. Ver.*
[l] Cum reliquis *NC.* 2.
[m] Deo peperisse, non *NC.* 2. Potius peperisse quam *Voss.* 1.
[n] Mensibus novem *Oxon.* decem *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Voss.* 1. *Ver.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

Impotens. Hanc lectionem intulit Erasmus. Confirmant autem eam plures libri veteres et usus Latinæ linguæ. Impotentia significat nimis vehementem potentiam, et velut tyrannicum illius usum. Quidam libri veteres et antiquæ editiones, etiam Morelliana, quod mirum est, præferunt *quia potens es.* Vide Lambinum ad Horatium lib. 1. od. 37.

Quam magnum. Revocavimus hæc duo vocabula, quæ exciderant in editione Rigaltii, et omissa sunt in Anglicana. Illa enim exhibent omnes libri veteres et antiquæ editiones.

Impunitum. Ita veteres editiones et omnes fere libri veteres Erasmus mutavit et edidit *impune.* Quæ sane lectio exstat in quibusdam libris veteribus.

Mensibus decem. Antea legebatur *novem*, qua antiquiores Operum sancti Cypriani editores putarunt fortasse ea quæ in illis citata reperiuntur ex Scriptura sacra debere emendari juxta editionem vulgatam. Quæ res mihi magnam semper visa est habere difficultatem, cum certum sit, ut ante me observatum est à viris doctissimis, Cyprianum alia versione usum esse. Cum itaque viderem eam discrepantiam, scirem

Digitized by Google

et terram; et omnibus quæ in eis sunt aspectis, intelligas quia ex nihilo fecit illa Deus et hominum genus. Itaque, fili, [a] *ne timeas carnificem istum, sed dignus fratribus effectus excipias mortem, ut in illa miseratione cum fratribus tuis te recipiam* (*Machab.* VII, 28). Magna laus matris in exhortatione virtutis, sed major in Dei timore et in fidei veritate [b], quod nihil sibi, aut filio, de sex martyrum honore promisit, nec fratrum precem profuturam credidit ad negantis salutem : persuasit potius participem passionis fieri, ut in judicii die posset cum fratribus inveniri. Posthæc liberis suis [c] commoritur et mater ; neque enim aliud jam decebat [d], quam ut quæ martyres pepererat et fecerat, in consortio illis gloriæ jungeretur ; et quos ad Deum præmiserat, ipsa quoque sequeretur. Ac, ne quis, vel libelli vel alicujus rei oblata sibi occasione qua fallat, amplectatur decipientium malum minus, nec Eleazarus tacendus est, qui, cum sibi a ministris regis offerretur facultas ut, accepta carne qua liceret sibi vesci [e], ad circumveniendum regem, simularet se illa edere quæ de sacrificiis atque illicitis cibis ingerebantur, consentire ad hanc fallaciam noluit, dicens : nec ætati suæ, nec nobilitati convenire id fingere, quo cæteri scandalizarentur et in errorem inducerentur, existimantes Eleazarum nonaginta annos natum, ad alienigenarum morem, relicta et prodita Dei lege, transisse : nec tanti esse lucrari brevia vitæ momenta, ut offenso Deo incurreret æterna supplicia. At ille excruciatus diu, et in extremo jam constitutus, cum inter verbera et tormenta moreretur, ingemiscens ait : *Domine, qui sanctam habes scientiam, manifestum est quia, cum possem a morte liberari, durissimos dolores corporis tolero flagellis vapulans; animo autem propter tui ipsius metum libenter hæc patior* (*Machab.* VI, 22). Sincera prorsus fides et virtus integra ac satis pura, non regem Antiochum cogitasse, sed Deum judicem [f] ; et scisse proficere sibi ad salutem non posse, si hominem derideret ac falleret, quando Deus, qui conscientiæ nostræ judex est et solus timendus est, nec derideri possit omnino nec falli. Si igitur et nos dicati ac devoti Deo vivimus, si supra [g] justorum antiqua et sancta vestigia iter facimus, [272] per eadem documenta pœnarum, per eadem passionum martyria pergamus; hoc ampliorem gloriam computantes temporis nostri, quod, cum vetera [h] exempla numerentur, exuberante postmodum copia virtutis ac fidei, numerari non possunt martyres Christiani; testante Apocalypsi et dicente : *Post hæc vidi turbam magnam* [i], *quam dinumerare nemo poterat, ex omni gente, et ex omni tribu et populo et lingua, stantes in conspectu throni et Agni : et erant amicti stolas albas* [j], *et palmæ fuerunt in manibus eorum, et magno clamore dicebant : Salus Deo* [k] *nostro sedenti super thronum, et Agno. Et respondit unus ex senioribus dicens mihi :*

LECTIONES VARIANTES.

[a] Ita fiet *Lam. Ebor. NC.* 1, 2. *Lin. Ver. Voss.* 1, 2. 1, 2. 4. *Oxon.*
[b] Fide veritatis *Bod.* 1.
[c] Cum liberis *Ver.*
[d] Jam licebat *Lam. Ebor. Bod.* 1, 2, 3, 4. *NC.* 1. *Lin.*
[e] Liceret vesci *Lam. Ebor. NC.* 1. Et vesci *Bod.* 1, 2, 3, 4.
[f] Deum judicem metuisse *Voss.* 1.
[g] Supra ipsa *Ar. Bod.* 1, 2, 3, 4.
[h] Quo cum vetera *Lam. Bod.* 2. *NC.* 1.
[i] Turbam multam *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Ver.*
[j] Stolis albis *Voss.* 1. Stola alba *Ver.*
[k] Laus Deo *Bod.* 4.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

autem Josephum de eadem re tractasse in libro de *Imperio rationis*, putabam me finem huic difficultati facile impositurum auctoritate ejus. Sed mea me fefellit opinio. Etenim ille postquam retulit hunc sermonem matris ad filium, se illum novem mensibus in utero gestasse, mox ait in pagina sequenti sanctissimos martyres dixisse matris uterum eos tulisse decem mensibus. Itaque semper remanet eadem difficultas. Recurrendum igitur est ad auctoritatem veterum exemplarium. Omnia fere quæ ego vidi, sunt autem multa, habent *decem*. Sic etiam illa quibus usi sunt Angli. Pamelius, tamen, etsi putaverit eam lectionem esse meliorem, in eaque sententia fuerit, etiam Rigaltius, maluerunt aliam retinere in contextu. Affert autem Pamelius plures auctoritates ut probet illam esse meliorem quæ habet *decem*. Ego multo plures afferre possem. Sed nolo eas afferre, ne earum lectio fastidium creet lectoribus. Itaque annotabo tantum loca veterum qui infantes decimo mense nasci aiunt. Lector ea poterit requirere, si libuerit. Videat Tertullianum in libro *de Anima*, Arnobium lib. I, *Adversus gentes*, Lactantium in libro *de Opificio Dei*, Luciferum Calaritanum in libro *de non parcendo delinquentibus in Deum*, Hieronymum in epistola ad Ruffinum *de judicio Salomonis*, et in epistola *de Vitando suspecto contubernio*, Augustinum lib. IV, cap. 5 *de Trinitate*, Prudentium in carmine *de sancto Romano martyre*, Fulgentium Ferrandum in Epistola *ad Anatolium*, sanctum Vincentium Ferarium sermone *in Vigilia nativitatis Christi*, Plautum in *Amphitryone* et in *Cistellaria*, Virgilium *Ecloga quarta*, Ovidium lib. I, et V *Fastorum*, et in Epistola *Oenones ad Macareum*, Senecam in *Thebaide*, Quintilianum lib. VIII, cap. 3, *Institutionum*, Apuleium in *Apologia*, A. Gellium lib. III, cap. 16 et lib. VII, cap. 1, Julium Paulum lib. I, tit. 9, Octavium Horatianum, Ulpianum in l. *Intestato* D. de suis et legitimis hæredibus, Petrarchum lib. XIII *rer. famil.* epist. I, ad Guidonem episcopum Pertaensem, quæ a me edita est inter probationes historiæ gentis Arvernicæ, ubi etiam editum est testamentum Bernardi III de Turre, in quo testatur de utero gravido per decem menses. Vide etiam Victorem Vitensem lib. V, cap. 9 *Historiæ persecutionis Vandalicæ*. Fatendum tamen est lectionem quam ego repudio exstare in quatuor antiquis exemplaribus, haberi etiam apud Hieronymum in epistola ad Eustochium *de virginitate servanda*, et in epistola *ad Helvidium*. At ea quam retinui exstat in novemdecim libris nostris et in quatuor Anglicanis. Vide Pentecontarchum Laurentii Ranirez de Parado cap. 3.

Persuasit potius. Epistola *de honorandis parentibus* edita inter Opera Hieronymi : *Imitamini filium Machabæum, qui matri mortem suadenti servivit, et durum imperium gratanter aggressus est, ne offenderet genitricem. Maluit fratrum sociari funeribus, quam voluntati matris obsistere.* Potest huic matris constantiæ comparari aliquo modo alia mater, quæ nunquam voluit declarare ubi filium, qui quærebatur, occulisset, *nec ullis deinde terroribus aut morte constantiam vocis egregiæ mutavit :* apud Tacitum in libro II *Historiarum*.

Adnegantis. Codex Gratianopolitanus *abneganti*.

Per eadem passionum martyria pergamus. Codex Thuanus, *ad martyrii gloriam pergamus.* Gratianopolitanus, *ad martyrii passionem pergamus.*

Digitized by Google

Hi qui amicti sunt stolas albas, qui sunt, et unde venerunt? Et dixi ei : Domine mi, tu scis. Et ait mihi : Hi sunt qui venerunt ex magna tribulatione, et laverunt stolas suas, et candidas eas fecerunt in sanguine Agni : propter hoc sunt in conspectu throni Dei, et serviunt ei die ac nocte in templo ejus [a] (*Apoc.* VII, 9). Quod si tantus ostenditur et probatur Christianorum martyrum populus, nemo difficile vel arduum putet esse martyrem fieri, quando videat martyrum populum non posse numerari.

CAPUT XII. — QUÆ SPES ET MERCES MANEAT JUSTOS ET MARTYRES POST CONFLICTATIONES HUJUS TEMPORIS ET PASSIONES.

Per Salomonem Spiritus sanctus ostendit et præcinit [b] dicens : *Et si coram hominibus tormenta passi sunt, spes eorum immortalitate plena est. Et in paucis vexati, in multis bene disponentur, quoniam Deus tentavit illos, et invenit illos dignos se. Tamquam aurum in fornace, probavit illos, et quasi holocausta* [c] *hostiæ accepit illos, et in tempore erit respectus illorum. Fulgebunt, et tamquam scintillæ in arundineto discurrent. Judicabunt nationes et dominabuntur populis, et regnabit Dominus eorum in perpetuum* (*Sap.* III, 4). Item apud eumdem vindicta nostra describitur, et persequentium nos atque infestantium pœnitentia prædicatur : *Tunc stabunt*, inquit, *justi in magna constantia adversus eos qui se angustiaverunt, et qui abstulerunt labores eorum : videntes turbabuntur timore horribili, et mirabuntur in subitatione insperatæ salutis dicentes inter se, pœnitentiam habentes* [d], *et præ angustia* [e] *spiritus gementes : Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum et in similitudinem* [f] *improperii. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam et finem illorum sine honore. Quomodo ergo computati* [g] *sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors illorum est ! Ergo erravimus a via veritatis, et justitiæ lumen non luxit nobis* [h], *et sol non est ortus nobis. Lassati sumus in iniquitatis via et perditionis, et ambulavimus solitudines difficiles, viam autem Domini ignoravimus. Quid nobis profuit superbia? aut quid divitiarum jactatio* [i] *contulit nobis? transierunt omnia illa tamquam umbra* (*Sap.* III, 1). Item in Psalmo CXV (v. 3) pretium et merces passionis ostenditur : *Pretiosa est*, inquit, *in conspectu Domini mors sanctorum ejus* [j]. Item in Psalmo CXXV (v. 8), tristitia conflictationis et lætitia retributionis exprimitur : *Qui seminant*, inquit, *in lacrymis, in gaudio metent. Ambulantes ambulabant et flebant, mittentes semina sua : venientes autem venient in exultatione portantes* [k] *gremia sua* [l]. Et iterum in Psalmo CXVIII : *Beati qui immaculati sunt in via, qui ambulant in lege Domini. Beati qui perscrutantur martyria* [m] *ejus, in toto corde exquirunt eum.* Item Dominus in Evangelio, ultor ipse persecutionis nostræ et remunerator [n] passionis : *Beati*, inquit, *qui persecutionem passi fuerint propter justitiam, quia ipsorum est regnum cœlorum* (*Matth.* V, 10). Et iterum : *Beati eritis cum odio vos habuerint homines, et separaverint vos, et expulerint* [o], *et maledixerint nomini vestro quasi nequam propter Filium hominis. Gaudete in illa* [273] *die et exsultate : ecce enim merces vestra multa est in cœlis* (*Luc.* VI, 22). Et iterum : *Qui perdiderit animam suam propter me, hic salvabit illam* (*Luc.* IX, 24). Nec solos animadversos et interfectos divinæ pollicitationis manent præmia, sed, etiamsi ipsa passio fidelibus desit, fides tamen integra atque invicta perstiterit, et, contemptis ac relictis suis omnibus, Christum se sequi Christianus ostenderit, ipse quoque a Christo inter martyres honoratur, pollicente ipso et dicente : *Nemo est qui relinquat domum aut agrum, aut parentes aut fratres, aut uxorem aut filios propter regnum Dei, et non recipiat septies tantum in isto tempore, in sæculo autem venturo vitam æternam* (*Luc.* XVIII, 29). Item in Apocalypsi hoc idem loquitur : *Et vidi*, inquit, *animas occisorum propter nomen Jesu* [p] *et sermonem Dei :* et cum primo in loco posuisset occisos, addidit, dicens : *Et quicumque imaginem bestiæ non adoraverunt, nec acceperunt inscriptionem in fronte aut in manu sua ;* quos universos a se in eodem loco simul visos conjungit et dicit : *et vixerunt et regnaverunt cum Christo* (*Apoc.* XX, 4). Vivere omnes dicit et regnare cum Christo, non tantum qui occisi fuerint, sed et quicumque, in fidei suæ firmitate et Dei timore perstantes, imaginem bestiæ non adoraverint, neque ad funesta ejus, et sacrilega edicta consenserint.

CAPUT XIII. — PLUS NOS ACCIPERE IN PASSIONIS MERCEDE, QUAM QUOD HIC SUSTINEMUS IN IPSA PASSIONE.

Probat beatus apostolus Paulus, qui, dignatione divina usque in tertium cœlum atque in paradisum raptus, audisse se inenarrabilia verba testatur ; qui oculata fide [q] Jesum Dominum vidisse se gloriatur, qui id quod et didicit et vidit, majori conscientiæ [r] veritate profitetur : *Non sunt*, inquit, *con-*

LECTIONES VARIANTES.

[a] Serviunt in templo *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Ben. Ver.*
[b] Monet *Ar. Lam. Ebor. NC.* Præcinit *Bod.* 1, 4. *Oxon.*
[c] Holocaustum hostiam *Bod.* 1. 4. *Benev. Ver.*
[d] *Sic Lam. Ebor. Voss.* 1. *Bod.* 2. 4.
[e] Per angustiam *Bod.* 1, 2. *Benev. Ver. ad Quir. lib.* 3, *c.* 16.
[f] In risu, et in similitudine *Lam. Bod.* 1, 2. 4. *Ver.*
[g] Quomodo computati *Ad Quir. l.* 3, *c.* 16.
[h] Luxit super nos *NC.* 1.
[i] Jactantia *Lam. Ebor.*
[j] Mors justorum *Bod.* 1, 3. *Benev. Ver.*
[k] Tollentes *Bod.* 2, 3, 4.
[l] Manipulos suos *Bod.* 1. *Lin.*
[m] Perscrutantur mysteria *NC.* 1. Testimonia *Lin.*
[n] Munerator *Bod.* 1, 2. 4. *Ver.*
[o] Expugnaverint *Ar. Bod.* 2.
[p] Verbum Jesu *Bod.* 2. Testimonium Jesu *Ver.*
[q] Oculo fidei *Bod.* 3. Occulta *Lam. Ar. Bod.* 1, 2, 3, 4.
[r] Majoris conscientiæ *Ar. Bod.* 1, 2, 3, 4.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

CAP. XII.—*Fulgebunt.* Hoc segmentum addidimus ex quatuor libris veteribus. Non exstat tamen in Sequieriano. Vide notas ad Epistolam LXXXI.

Pœnitentiam habentes. Ita veteres editiones, quatuordecim libri nostri, et quinque Anglicani. Vide notas ad extremam partem epistolæ ad Demetrianum.

Gremia sua. Sex libri veteres, *manipulos suos.*

Digitized by Google

dignæ passiones hujus temporis ad superventuram claritatem, quæ revelabitur in nobis (*Rom.* VIII, 18). Quis ergo non omnibus viribus elaboret ad tantam claritatem pervenire, ut amicus Dei fiat, ut cum Christo statim gaudeat, ut post tormenta et supplicia terrena, præmia divina percipiat? Si militibus sæcularibus gloriosum est ut hoste devicto redeant in patriam triumphantes, quanto potior et major est gloria, victo diabolo, ad paradisum triumphantem [a] redire, et unde Adam peccator ejectus est, illuc, prostrato eo qui ante dejecerat [b], trophæa victricia reportare, offerre Deo acceptissimum munus, incorruptam fidem et virtutem mentis incolumem, laudem devotionis illustrem, comitari eum cum venire cœperit, vindictam de inimicis recepturus, lateri ejus assistere, cum sederit judicaturus, cohæredem Christi fieri, Angelis adæquari, cum Patriarchis, cum Apostolis, cum Prophetis cælestis regni possessione lætari? Has cogitationes quæ persecutio potest [c] vincere? quæ possunt tormenta superare? Durat fortis et stabilis religiosis meditationibus [d] fundata mens, et adversus omnes diaboli terrores et minas mundi, animus immobilis perstat; quem futurorum fides certa [e] et solida corroborat. Claudantur [f] in persecutionibus terræ, sed patet cœlum: minatur Antichristus, sed Christus tuetur; mors infertur, sed immortalitas sequitur: occiso mundus eripitur, sed restituto paradisus exhibetur; vita temporalis extinguitur, sed æterna reparatur. Quanta est dignitas et quanta securitas exire hinc lætum, exire inter pressuras et angustias gloriosum? claudere in momento oculos, quibus homines videbantur et mundus, et aperire eosdem statim ut Deus videatur et Christus! Tam feliciter migrandi, quanta velocitas [g]! terris repente subtraheris, ut in regnis cœlestibus reponaris. Hæc oportet mente et cogitatione complecti, hæc die ac nocte meditari. Si talem persecutio invenerit [h] Dei militem, vinci non [ita] poterit virtus ad prælium prompta [i]. Vel si accersitio ante prævenerit, sine præmio non erit fides, quæ erat ad martyrium præparata. Sine damno temporis merces, judice Deo, redditur: in persecutione, militia; in pace, conscientia coronatur.

LECTIONES VARIANTES.

[a] Triumphantes *Bod.* 2, 3, 4.
[b] Deceperat *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Voss.* 1, 2.
[c] Persecutiones possunt *Bod.* 2. *Lam.*
[d] Religiosis imitationibus *Voss.* 1.
[e] Fides grata *Voss.* 1.
[f] *Sic Lam. Ebor. Lin. NC.* 1. *Voss.* 1, 2. *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Ben. Ver.* Claudantur oculi *Impr.*
[g] Quanta felicitas *Lat.*
[h] Persecutor invenerit *Bod.* 3.
[i] Prælium destinata *Bod.* 3.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

Æterna reparatur. Codex Seguierianus *æternitas repræsentatur.*

Si talem persecutio. Codex Thuanus et Gratianopolitanus et editiones Spirensis et Morellii habent *si talem persecutionis dies Christi invenerit militem.* Ita etiam ferme codex sancti Arnulphi.

TESTIMONIORUM [a]

LIBRI TRES

ADVERSUS JUDÆOS.

CYPRIANUS Quirino [b] filio salutem. Obtemperandum fuit, fili charisime [c], desiderio tuo spiritali impensissima petitione divina magisteria poscenti quibus nos Dominus per Scripturas sanctas erudire et instruere dignatus est [d], ut, a tenebris erroris [e] abducti et luce ejus pura [f] et candida luminati, viam vitæ per salu-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Ad Quirinum, de Sacramento Christi *NC.* 1. *Bod.* 2. *Lam.* Liber adversus Judæos *Rem. Er. Mar. Mor.* Epistola Cypriani ad Quirinum. *Lin.*
[b] Quirino suo, S. *NC.* 2.
[c] Fuit, charissime *Bod.* 1.
[d] *Sic Ar. Bod.* 1, 2, 3, 4. *Thu. Veron. Benev. Voss.* 3. Erudire et instituere *Oxon.*
[e] Tenebrosi erroris caligine *Bod.* 1. *Voss.* 3.
[f] Et per lucem ejus puram et candidam illuminati *Bod.* 1. Illuminari *Voss.* 3. Ad lucem, etc. *Lin.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

Si qua sunt loca in Operibus sancti Cypriani de quibus pronuntiari non possit ea certe illius esse, id vero in primis afferri potest de libris *Testimoniorum ad Quirinum*. Plures enim codices plus habent quam vulgatæ editiones, alii minus. Itaque, quoniam impossibile est discernere ea quæ vere Cypriani sunt ab iis quæ post illum a studiosis addita sunt, nos retinuimus ea quæ vulgo leguntur in editionibus et ea addimus quæ reperta a nobis sunt in antiquis exemplaribus manuscriptis, nihil de nostro addentes. Porro duo tantum priores libri exstant in editione Spirensi, in veteri Veneta, et in ea quam Remboldus procuravit. Erasmus tertiam emisit ex codice scripto monasterii Gemblacensis. Sed quod probabilius sibi videri ait hoc opus non esse Cypriani, quia in illo præter præfationem numquam auctor suum stylum exerat, quamvis id verum esset, quod certe non est, argumentum istud levissimum est, uti et illud quod de tertio libro opinatur Priorius. Nam sanctus Augustinus libros istos tanquam Cypriani citat lib. IV, contra *duas Epistolas Pelagianorum* cap. 8 et 9, ut adnotavit Pamelius, qui alias quoque proba-

Digitized by Google

taria sacramenta teneamus. Et quidem, sicut petisti, ita a nobis sermo compositus et libellus compendio breviante [a] digestus est, ut quæ scribebantur [b], non copia latiore [c] diffunderem, sed, quantum mediocris memoria suggerebat [d], excerptis capitulis et annexis necessaria quæque colligerem quibus non tam tractasse quam tractantibus materiam præbuisse videamur. Sed et legentibus brevitas ejusmodi plurimum prodest, dum non intellectum legentis et sensum liber longior spargit [e], sed subtiliore compendio [f] id quod legitur tenax memoria custodit. Complexus sum vero libellos duos pari æqualitate moderatos [g]: unum, quo ostendere enisi sumus [h], Judæos, secundum quæ fuerant ante prædicta, a Deo recessisse, et indulgentiam Domini, quæ sibi jam pridem data et in posterum promissa fuerat, perdidisse, successisse vero in eorum locum Christianos fide Dominum [i] promerentes et de omnibus gentibus ac de toto orbe venientes. Item libellus alius continet Christi sacramentum, quod idem venerit [j] qui secundum Scripturas annuntiatus est, et gesserit ac perfecerit universa quibus intelligi et cognosci posse prædictus [k] est, quæ legentibus interim [l] prosint ad prima fidei lineamenta formanda. Plus roboris dabitur et magis ac magis intellectus cordis operabitur scrutanti Scripturas veteres ac novas plenius, et universa Librorum spiritalium volumina [m] perlegenti. Nam nos nunc de divinis fontibus [n] implevimus modicum quod tibi interim mitteremus. Bibere uberius [o] et saturari copiosius poteris, si tu quoque ad eosdem divinæ plenitudinis fontes nobiscum pariter potaturus accesseris. Opto te, fili charissime, semper bene valere.

[975] CAPITULA.

I. *Judæos in offensam* [p] *Dei graviter deliquisse, quod Dominum dereliquerint et idola secuti sint.*

II. *Item, quod Prophetis non crediderint et eos interfecerint.*

III. *Ante prædictum quod Dominum neque cogniturі, neque intellecturi, neque recepturi essent.*

IV. *Quod Scripturas sanctas intellecturi Judæi non essent, intelligi autem haberent in novissimis temporibus postea quam Christus venisset.*

V. *Nihil posse Judæos intelligere de Scripturis, nisi prius crediderint in Christum.*

VI. *Quod Hierusalem perdituri essent, et terram quam acceperant, relicturi.*

VII. *Item, quod essent amissuri lumen Domini.*

VIII. *Quod circumcisio prima carnalis evacuata sit, et secunda spiritalis repromissa sit.*

IX. *Quod lex prior, quæ per Moysen data est, cessatura esset.*

X. *Quod lex nova dari haberet.*

XI. *Quod dispositio alia et testamentum novum dari haberet* [q].

XII. *Quod baptisma* [r] *vetus cessaret et novum* [s] *inciperet.*

XIII. *Quod jugum vetus evacuaretur, et jugum novum daretur.*

XIV. *Quod pastores veteres cessaturi essent, et novi inciperent.*

XV. *Quod domus et templum Dei Christus* [t] *futurus esset, et cessaret templum vetus, et novum inciperet.*

XVI. *Quod sacrificium vetus evacuaretur et novum celebraretur.*

XVII. *Quod sacerdotium vetus cessaret, et novus sacerdos veniret, qui in æternum futurus esset.*

XVIII. *Quod propheta alius sicut Moyses promissus sit, scilicet qui testamentum novum daret, et qui magis audiri deberet.*

XIX. *Quod duo populi prædicti sint, major et minor, id est vetus Judæorum, et novus qui esset ex nobis* [u] *futurus.*

LECTIONES VARIANTES.

[a] Brevi ante *Voss.* 4. Brevi dig. *Bod.* 1, 2. Brevi ad te dig. *Spir.* Compendiosa brevitate *Voss.* 3.
[b] Scribantur *Lin.*
[c] Latior *Bod.* 4.
[d] Suggesserat *NC.* 1. *Lamb. Bod.* 2.
[e] Spargeret *Ver.*
[f] Utiliore compendio *Ver.*
[g] Pari qualitate *Veron.* Moderatus *Voss.* 4.
[h] Simus, *excusi plerique.* Sumus *Oxon. ex codd. Bod.* 1, 2, 3, 4. *Lin. NC.* 1. *Voss.* 4.
[i] Fidem Domini *Rod.* 1. 3. *Voss.* 4.
[j] Jam advenerit *NC.* 2.
[k] Agnosci posse prædictus est *Lam. NC.* 1, 2. *Lin.* Posset, sicut prædictus est *Voss.* 2.
[l] Legenti tibi *Oxon.*
[m] Librorum voluminа *Lam. Lin. NC.* 1.
[n] Divinæ plenitudinis fonte *Voss.* 3.
[o] Bibere liberius *Bod.* 4.
[p] Offensa *Voss.* 4.
[q] Deberet *Voss.* 4.
[r] Baptismus *Voss.* 4.
[s] Novus *Voss.* 4.
[t] Templum Christus *Voss.* 4.
[u] Novis *Bod.* 1.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

tiones affert optimas ut ostendat vere esse Cypriani. Quod etiam adstruit observatio editionis Anglicanæ ad librum primum, et in præfatione ad librum tertium. Quibus ego addo Fulgentium episcopum in fragmentis, et Luppum abbatem Ferrariensem in Epistola 128, *ad regem Karolum*, et in libro *de tribus Quæstionibus* citare hoc opus tanquam Cypriani. Habui autem unum et viginti exemplaria vetera horum librorum, quorum tamen quinque habent tantum libros duos priores. Ejusdem porro fere argumenti cum isto Cypriani opere est liber *de Promissionibus et prædictionibus Dei*, qui vulgo tribuitur Prospero. Cæterum admonco Erasmum, qui professus est se putare hoc opus non esse Cypriani, in initio tamen *Annotationum* suarum in Evangelium Ioannis citare caput tertium et quintum libri secundi tanquam Cypriani.

Subtiliore. Codex Veronensis et Corbeiencis *utiliore.*

Cognosci posset. Editio quæ dicitur Gravii et Pameliana habent *potest quod ipsa sit qui prædictus est.* Sed ego hanc lectionem in nullo veterum exemplarium reperi quibus usus sum, neque exstat in Anglicanis, neque in editionibus antiquioribus. Angli tamen eam retinuerunt.

Legentibus. Antea scriptum erat *legenti tibi.* Emendavimus ex codice Veronensi, et ex Fuxensi et Beccensi; legitimam autem esse hanc emendationem ostendit etiam præfatio libri tertii.

Digitized by Google

XX. *Quod Ecclesia, quæ prius sterilis fuerat, plures filios habitura esset ex gentibus, quam quot synagoga ante habuisset.*

XXI. *Quod Gentes magis in Christum crediturœ essent.*

XXII. *Quod panem et calicem Christi et omnem gratiam ejus amissuri essent Judæi, nos vero accepturi, et quod Christianorum novum nomen benediceretur in terris.*

XXIII. *Quod ad regnum cœlorum magis Gentes quam Judæi perveniant.*

XXIV. *Quod solo hoc Judæi accipere veniam possint delictorum suorum, si sanguinem Christi occisi Baptismo ejus abluerint, et in Ecclesiam transeuntes, præceptis ejus obtemperarint.*

TESTIMONIORUM

LIBER PRIMUS.

CAPUT I. — JUDÆOS IN OFFENSAM DEI GRAVITER DELIQUISSE, QUOD DOMINUM DERELIQUERINT [a] ET IDOLA SECUTI SINT.

In Exodo populus ad Aaron : *Exsurge et fac* [b] *nobis deos qui nos præcedant, quia Moyses, vir hic qui* [c] *nos ejecit de Ægypto, quid ei acciderit non scimus* (*Exod.* XXXII, 1). Item illic Moyses ad Dominum : *Precor*, ait, *Domine* [d], *deliquit populus hic delictum grande* [e]. *Fecerunt sibi deos aureos et argenteos; et nunc, si dimittis ei delictum, dimitte; sin autem, dele me libro quem scripsisti. Et dixit Dominus ad Moysen : Si quis deliquit ante me, deleam illum de libro meo* (*Ibid.* 31-33). Item in Deuteronomio : *Sacrificaverunt dæmoniis, et non Deo* (*Deut.* XXXII, 17). Item in libro Judicum : *Et fecerunt filii Israel quod malignum* [f] *erat coram Domino Deo patrum suorum, qui ejecit eos de terra Ægypti, et secuti sunt deos gentium* [g] *quæ circa illos sunt, et* [h] *offenderunt Dominum* [i], *et reliquerunt Deum, et servierunt Baal.* Item illic : *Et adjecerunt filii Israel iterum facere malignum* [j] *coram Domino, et servierunt Baal et diis alienigenarum, et reliquerunt Dominum, et non servierunt illi* (*Judic.* II, 11-13). *Derelictus est Juda* [k], *et abominatio facta est in Israel et in Hierusalem, quoniam profanavit Judas sancta Domini, in quibus dilexit et affectavit deos alienos. Exterminabit Dominus hominem qui facit hæc, et humilis efficietur in tabernaculis Jacob* (*Malach.* II, 11, 12).

CAPUT II. — QUOD PROPHETIS NON CREDIDERINT ET EOS INTERFECERINT.

Apud Hieremiam Dominus dicit : *Misi ad vos servos meos prophetas. Ante lucem mittebam, et non audiebatis me* [l], *neque intendebatis auribus vestris, dicens : Convertatur unusquisque a via sua mala et a nequissimis affectationibus* [m] *vestris; et habitabitis in terra ista quam dedi vobis et patribus vestris a sæculo et usque in sæcula.* Et iterum : *Nolite ambulare post deos alienos ut serviatis eis, et ne adoraveritis eos* [n], *et ne incitetis me in operibus manuum vestrarum ad dispergendos* [o] *vos, et non audistis me* (*Hier.* XXV, 4-7). Item in Basilion libro [p] in Helias ad Dominum : *Æmulando æmulatus sum Domino Deo omnipotenti* [q]; *quia dereliquerunt te filii Israel, altaria tua demolierunt, et prophetas tuos interfecerunt gladio, et remansi ego solitarius* [r], *et quærunt animam meam auferre* [s] *a me* [t] (III *Reg.* XIX, 10). Item in Esdra : *Desciverunt a te* [u], *et abjecerunt legem tuam post dorsum suum* [v], *et prophetas tuos interfecerunt, qui obtestabantur eos ut reverterentur ad te* (II *Esdr.* XX, 26).

LECTIONES VARIANTES.

[a] Reliquerint *Thu. Foss. Corb.*
[b] Exsurge, fac *Bod.* 2.
[c] Vir qui *Corb.*
[d] Precor, Domine *Thu. Foss. Corb.*
[e] Populus hic grande *Foss.*
[f] Malignum *Oxon.* Contra Dominum *Voss.* 3. Malum coram *Voss.* 4.
[g] Deos a gentibus *NC.* 1. *Lin. Lamb. Thu. Corb. Benev. Ver.*
[h] Circa illos, et *Thu.*
[i] Contra Dominum *Ar. Lam. NC.* 1. *Lin. Thu. Foss. Corb. Bod.* 1, 2, 3, 4. *Sic infra.*
[j] Et iterum fecerunt malum *Voss.* 4.
[k] Derelictus est Juda. *Totu hæc periodus ad* Apud Hierem. *deest in Ar. Lam. NC.* 1, 2. *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Thu. Corb. Voss.* 3.
[l] Obaudiebatis *Foss.*
[m] Affectionibus vestris, a sæculo *Spir. Rem. Er. Lin. NC. Lam. Bod.* 1, 2, 3, 4. *Foss. Corb.*
[n] Adoraveritis, et ne *Spir. Rem. Er. NC.* 1, 2. *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Thu. Foss. Corb.*
[o] Dispergendos *NC.* 1.
[p] Item in Regum libro *Bod.* 2. *NC.* 2.
[q] Æmulatus sum Dominum Deum omnipotentem *Foss.*
[r] Ego solus *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. 4. *Lin.*
[s] Quærunt auferre animam *Foss. Voss.* 3.
[t] Eam a me *Bod.* 2, 4. *Voss.* 3, 4.
[u] Discesserunt a te *Bod.* 1, 2, 3. *Voss.* 5.
[v] Post corpus *Bod.* 1. 4. *Voss.* 3.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

CAP. I. — *Derelictus est.* Segmentum hoc deest in sexdecim libris veteribus. Desiderari etiam in plerisque monuerunt Angli.

Apud Malachiam. Ita omnes libri veteres et omnes editiones. Angli ista deleverunt in hoc loco, et transtulerunt post verba, *et non serviemus illi*, et posuerunt : *item apud Malachiam : Derelictus est;* nullam tamen hujus mutationis rationem dederunt.

CAP. II. — *Apud Hieremiam.* Angli admonent totam hanc periodum deesse in undecim codicibus manuscriptis, deest etiam in libro sancti Martini Turonensis usque ad *apud Esaiam.*

Basilion. Lactantius lib. IV, cap. 11. *Item Helias in libro Basilion tertio.* Alibi Cyprianus ponit *Regnorum* pro *Basilion.* Sic plerique veteres posuerunt *Regum*, alii *Regnorum.* Vide Eucherium in initio *Commentariorum in libros Regum* et *scholia* Joannis Tilii ad Luciferum Calaritanum. Vide etiam *Biblia sacra* ex editione Roberti Stephani.

Digitized by Google

CAP. III. — ANTE PRÆDICTUM QUOD DOMINUM NEQUE COGNITURI NEQUE INTELLECTURI NEQUE RECEPTURI ESSENT.

Apud Esaiam : *Audi, cœlum, et præbe aurem* [a], *terra, quoniam Dominus locutus est. Filios generavi et exaltavi, ipsi autem me reprobaverunt* [b]. *Agnovit bos possessorem suum et asinus præsepium Domini sui* [c] : *Israel autem me non cognovit, et populus me non intellexit* [d]. *Væ, gens peccatrix* [e], *populus plenus* [f] *peccatis, semen nequam* [g], *filii scelesti ; reliquistis Dominum, et in indignationem misistis illum sanctum Israel* [h] (*Isa.* I, 2-4). Item apud eumdem Dominus dicit : *Vade, et dic populo isti* [i] : *Aure audietis, et non intelligetis, et videntes videbitis, et non videbitis* [j]. *Incrassavit* [k] *enim cor populi hujus, et auribus graviter audierunt, et oculos suos concluserunt, ne forte videant oculis et auribus audiant et corde intelligant, et revertantur* [l] *et curem illos* (*Isa.* VI, 9-10). Item apud Hieremiam Dominus dicit : *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et effoderunt sibi lacus detritos, qui non poterunt* [m] *aquam portare* (*Hier.* II, 13). Item apud eumdem : *Ecce sermo Domini factus est eis in maledictum, et non* [n] *volunt illum* (*Hier.* VI, 10). Item apud eumdem Dominus dicit : *Cognovit* [o] *milvus tempus suum, turtur et hirundo, ruris passeres* [p] *custodierunt tempora introitus sui, populus autem meus non cognovit judicium Domini. Quomodo dicitis : Sapientes sumus, et lex Domini nobiscum est? In cassum facta est metatura falsa* [q], *scribæ confusi sunt, sapientes trepidaverunt et capti sunt, quia verbum Domini reprobaverunt* (*Hier.* VIII, 7-9). Item apud Salomonem : *Quærunt me mali* [r], *et non invenient. Odio enim habuerunt sapientiam, sermonem autem Domini non receperunt* (*Proverb.* I, 28, 29). Item in Psalmo XXVII : *Redde eis retributionem eorum, quoniam non intellexerunt in operibus Domini* (*Psal.* XXVII, 45). Item in Psalmo LXXXI : *Non cognoverunt neque intellexerunt, in umbra deambulabunt* (*Psal.* LXXXI, 5). Item in Evangelio cata Joannem : *In sua propria venit, et sui eum non receperunt. Quotquot eum receperunt, dedit illis potestatem ut filii Dei fierent, qui credunt in nomine ejus* (*Joan.* I, 11, 12).

CAP. IV. — QUOD SCRIPTURAS SANCTAS INTELLECTURI JUDÆI NON ESSENT, INTELLIGI AUTEM HABERENT IN NOVISSIMIS TEMPORIBUS POSTEA QUAM CHRISTUS VENISSET.

Apud Esaiam : *Et erunt vobis hi omnes sermones sicut sermones libri qui signatus est : quem si dederis homini scienti litteras ad legendum, dicet : Non possum legere, Signatus est enim. Sed in illa die audient surdi sermones libri* [s] *; et qui in tenebris et qui in nebula sunt, oculi cæcorum videbunt* (*Isa.* XXIX, 11, 18). Item apud Hieremiam : *In novissimo dierum* [t] *cognoscetis ea* (*Hier.* XXIII, 20). Item apud Danielem : *Muni sermones* [u] *et signa librum usque ad tempus consummationis, quoad discant multi, et impleatur agnitio* [v] *; quoniam cum fiet dispersio, cognoscent omnia hæc* (*Dan.* XII, 4, 7). Item in Epistola Pauli ad Corinthios prima : *Nolo enim vos ignorare, fratres, quia patres nostri omnes sub nube fuerunt* (I Cor. X, 1). Item in Epistola ad Corinthios secunda : *Obtusi sunt sensus eorum usque in hunc diem, hoc eodem velamento in lectione veteris Testamenti manente quod non revelatur, quia in Christo evacuatur ; et usque in hodiernum* [x], *si quando legitur Moyses, velamentum est super cor eorum. Mox autem ut conversi fuerint* [y] *ad Dominum, auferetur Velamentum* (II Cor. III, 14, 16). In Evangelio Dominus post resurrectionem dicit : *Isti sunt sermones quos locutus sum ad vos cum adhuc essem vobiscum, quia oportet adimpleri omnia quæ scripta* [z] *sunt in lege Moysi et Prophetis et Psalmis de me. Tunc adaperuit illis sensum ut intelligerent Scripturas, et dixit illis : Quia sic*

LECTIONES VARIANTES.

[a] Præbe aures *Ar. Bod.* 1, 2. 4. *Lam. Thu. Corb. Voss.* 4.
[b] Me spreverunt *NC.* 1. *Bod.* 2. *Lin. Foss. Voss.* 3. *Sic Tertul. et Iren.*
[c] Præsepium Domini *Bod.* 2. 4. *Thu. Foss. Corb. Voss.* 4. Præsepem *Ver.*
[d] Non agnovit *Bod.* 3, 4. Populus non *Foss.*
[e] Væ genti peccatrici *Oxon.*
[f] Populo pleno *Oxon.*
[g] Semen pessimum *Bod.* 1, 3. *Voss.* 4.
[h] Ad iracundiam provocastis *Ar. Lam. Lin. NC.* 1. *Bod.* 1, 2. Ad iracundiam et indignationem misistis illum, provocastis illum sanctum *Voss.* 2.
[i] Populo huic *Bod.* 2. *Voss.* 4.
[j] Non aspicietis *Ar. NC.* 1. *Bod.* 2.
[k] Incrassavi enim *Foss.*
[l] Et convertantur *Corb. sic Tertul.* Ut curem *Voss.* 3.
[m] Non potuerunt *Corb.*
[n] Maledictum, non *Thu. Foss.*
[o] Milvus cognovit *Bod.* 3.
[p] Hirundo, passeres *Corb.*
[q] Mœcatura *Aflig.* Metatura vestra *Bod.* 1, 2, 3. *Lam. Lin. Thu. Bor. Voss.* 3, 4.
[r] Quærent me mali *Thu.* 1. *Voss.* 4.
[s] Libri hujus *Voss.* 4.
[t] In novissimis dierum *Voss.* 4.
[u] Muni librum *Ver.*
[v] Impleantur agnitione omnes *Lin.*
[x] Hodiernum diem *NC.* 1. *Lam. Bod.* 2.
[y] Conversus est ad Dominum *Ar. NC.* 1. *Lin. Lam. Bod.* 2. *Voss.* 3.
[z] Omnia quæ scripta *Bod.* 1. *Voss.* 3.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

CAP. III. — *Præbe aurem.* Hæc est lectio omnium veterum editionum. Pamelius mutavit ex fide unius libri veteris, et quia apud Tertullianum lib. III *adversus Marcionem* legitur *in aures percipe.* Sane editio Vulgata Isaiæ habet lectionem quam Pamelius protulit. At, cum versio qua Cyprianus utebatur, diversa fuerit a nostra Vulgata, valde probabile est veterum editionum scripturam esse meliorem. Cæterum eam confirmant tredecim libri nostri et sex Anglicani.

Præsepium. Revocavi lectionem editionis Spirensis, quam inveni etiam in decem libris nostris et in quatuor Anglicanis. Sane in editione nostra Vulgata sacræ Scripturæ legitur *præsepe.* Verum auctoritas illa non probat ita quoque legendum esse apud Cyprianum : nam et latini scriptores dicebant olim *præsepe* et *præsepium.*

Væ, gens peccatrix. Ita restituimus ex fide veterum librorum, uti etiam fecimus in libro *de Oratione Dominica*, pag. 207, ubi rationem reddidimus hujus mutationis.

Metatura falsa. Sex libri veteres habent *metatura vestra.*

Digitized by Google

scriptum est, et sic oportebat [a] *Christum pati et resurgere a mortuis tertia die, et prædicari in nomine ejus pœnitentiam et remissam peccatorum usque in omnes gentes* (*Luc.* XXIV, 44-47).

CAP. V. — NIHIL POSSE JUDÆOS INTELLIGERE DE SCRIPTURIS, NISI PRIUS CREDIDERINT IN CHRISTUM.

Apud Esaiam : *Et, si non credideritis, neque intelligetis* (*Isa.* VII, 9). Item Dominus in Evangelio : *Si enim non credideritis quia ego sum, moriemini in peccatis vestris* (*Joan.* VIII, 24). Fide autem stare justitiam et illic esse vitam prædictum est apud Abacuc : *Justus autem ex fide mea vivet* [b] (*Abac.* II, 4). Inde Abraham pater gentium credidit. In Genesi : *Credidit Abraham Deo, et deputatum est ei ad justitiam* (*Gen.* XV, 6). Item Paulus ad Galatas : *Abraham credidit Deo, et deputatum* [c] *est ei ad justitiam. Cognoscitis ergo quia qui ex fide sunt, hi sunt filii* [d] *Abrahæ. Providens autem Scriptura divina quia ex fide justificat Gentes Deus, prænuntiavit Abrahæ quia benedicentur in illo omnes gentes. Igitur qui ex fide sunt, benedicti sunt cum fideli Abraham* (*Gal.* III, 6-9).

CAP. VI. — QUOD HIERUSALEM PERDITURI ESSENT, ET TERRAM QUAM ACCEPERANT RELICTURI.

Apud Esaiam : *Terra vestra deserta, civitates vestræ igni exustæ; regionem vestram in conspectu vestro, alieni* [e] *comedent eam; et deserta et subversa a populis alienis derelinquetur filia Sion, sicut casa in vinea, et sicut custodiarium in cucumerario, quasi civitas quæ expugnatur. Et nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, et quasi Gomorrha similaremur* [f] (*Isa.*, I, 7-9). Item in Evangelio Dominus dicit : *Hierusalem, Hierusalem, quæ occidis* [g] *Prophetas, et lapidas missos ad te, quoties volui congregare filios tuos* [h], *sicut gallina pullos* [i] *sub alas suas! et noluisti. Ecce relinquetur vobis* i *domus vestra deserta* [k] (*Matth.* XXIII, 37, 38).

CAP. VII. — ITEM QUOD ESSENT [l] AMISSURI LUMEN DOMINI.

Apud Esaiam : *Venite, ambulemus in lumine Domini. Dimisit enim populum suum domum Israël* (*Isa.* II, 5, 6). Item in Evangelio suo cata Joannem : *Fuit lumen verum quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* [m]. *In hoc mundo fuit, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit* (*Joan.* I, 9, 10). Item illic : *Qui non crediderit, jam judicatus est, quia non credidit in nomine unici Filii Dei. Hoc autem est judicium, quoniam lux venit in sæculum, et dilexerunt homines magis tenebras* [n] *quam lucem* (*Joan.* III, 18, 19).

CAP. VIII. — QUOD CIRCUMCISIO PRIMA CARNALIS EVACUATA SIT, ET SECUNDA SPIRITALIS REPROMISSA SIT.

Apud Hieremiam : *Hæc dicit Dominus viris Juda* [o] *et qui inhabitant Hierusalem : Renovate inter vos novitatem, et ne seminaveritis in spinis, circumcidite vos Deo vestro, et circumcidite præputium cordis vestri, ne exeat sicut ignis ira mea et exurat, et non sit qui exstinguat* (*Hier.* IV, 3, 4). Item Moyses dicit : *In novissimis diebus circumcidet Deus cor tuum et cor seminis tui ad Dominum Deum amandum* (*Deut.* XXX, 6). Item apud Jesum Nave : *Et dixit Dominus ad Jesum : Fac tibi cultellos petrinos nimis acutos, et assidens circumcide secundo* [p] *filios Israël* (*Josue* V, 2). Item Paulus ad Colossenses : *Circumcisi estis circumcisione non manufacta in exspoliatione carnis, sed in circumcisione Christi* (*Coloss.* II, 11). Item, quod Adam primus a Deo factus incircumcisus, et Abel justus, et Enoch, qui Deo placuit et translatus est; et Noe, qui, terris hominibusque ob delicta pereuntibus [q], solus in quo humanum genus servaretur electus est; et Melchisedech sacerdos, secundum cujus ordinem Christus repromissus est, tum quod illud signaculum seminis non proficit, signo autem Domini omnes signantur.

CAP. IX. — QUOD LEX PRIOR, QUÆ PER MOYSEN DATA EST, CESSATURA ESSET.

Apud Esaiam : *Tunc manifesti erunt qui signant Legem, ne discant* [r]. *Et dicet* [s] : *Exspecto Deum, qui avertit faciem suam a domo Jacob, et fidens ero in illum* (*Isa.* VIII, 16, 17). Item in Evangelio : *Omnes Prophetæ et Lex usque ad Joannem prophetaverunt* (*Matth.* XI, 13).

CAP. X. — QUOD LEX NOVA DARI HABERET.

Apud Michæam : *Quoniam Lex de Sion proficiscetur, et*

LECTIONES VARIANTES.

[a] Quia scriptum est, et oportet *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Lam. NC.* 1. *Voss.* 3.
[b] Fide vivet *NC.* 1. *Bod.* 1, 4. *Tert.*
[c] Reputatum *Bod.* 1, 2.
[d] Judæi *Lam.*
[e] Alienigenæ comedent *Ben. Ar. Lin. NC.* 1, 2. *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Voss.* 3, 4. *Mor.*
[f] Similes essemus *Ar. NC.* 2. Similaremus *Thu. Foss. Corb.*
[g] Interficis *Thu. Bod.* 1, 3, 4. *Corb. Voss.* 3, 4.
[h] Congregare filios *Ar. Lam. NC.* 1, 2. Congregare te et filios *Voss.* 4. Colligere *Oxon.*
[i] Aquila pullos suos *Bod.* 3.
[j] Ecce mittetur vobis *Bod.* 1, 2, 3, 4. Remittetur *Voss.* 3.
[k] Deserta *abest a Ar. Ben. Er. Ver. Man. Voss.* 4.
[l] Essent Judæi amissuri *Lam.*
[m] Veniens in hunc mundum *Ver. Benev.*
[n] Homines *abest a Lam. NC.* 1. *Voss.* 3, 4.
[o] Viri Juda *Corb.*
[p] Abscide *Foss.* Adscide *Thu. Corb.* Asside *NC.* 1. *Lam.* Et abscide et circumscide *Voss.* 3. Et sede *Voss.* 4.
[q] Qui in terris omnibus ob delicta *NC.* 1, 2. *Lin. Lam. Bod.* 1, 2, 3, 4. *Benev. Ver. Man. Voss.* 3.
[r] Ne discedant *Bod.* 4.
[s] Et dices exspecto *Lin. NC. Lam. Bod.* 1, 2, 4. *Voss.* 4.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

CAP. V. — *Benedicti sunt.* Codex Burgundicus *justificantur.*

CAP. VII. — *Cata Joannem.* Ita semper libri veteres. Sic etiam scripsit Sirmondus, quamvis græcæ linguæ peritus, in præcepto Stephani papæ II de hospitali Romano, *cata Galla Patricia*, tom. II Conciliorum Galliæ, pag. 38.

Digitized by Google

sermo Domini de Hierusalem. Et judicabit inter plurimos populos, et revincet et deteget validas nationes (*Mich.* IV, 23). Item apud Esaiam : *De Sion enim procedet Lex, et verbum Domini de Hierusalem* [a], *et judicabit inter gentes* (*Is.* XI, 3, 4). Item in Evangelio cata Matthæum : *Et ecce vox de nube dicens : Hic est Filius meus dilectissimus, in quo bene sensi ; ipsum audite* (*Matth.* XVII, 5).

CAP. XI. — QUOD DISPOSITIO ALIA ET TESTAMENTUM NOVUM DARI HABERET.

Apud Hieremiam : *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et consummabo domui Israel et domui Juda* [b] *testamentum novum, non secundum testamentum quod disposui patribus eorum in die qua apprehendi manus eorum ut educerem eos de terra Ægypti* [c], *quia non permanserunt in testamento meo, et ego neglexi eos, dicit Dominus. Quia hoc testamentum quod disponam domui Israel post dies illos, dicit Dominus. Dans leges meas, in sensum illorum scribam illas, et ero illis in Deum, et ipsi erunt mihi in plebem, et non docebunt unusquisque fratrem suum dicentes : Dignosce Dominum, quia omnes scient me a minimo usque ad maximum eorum, quia propitius ero iniquitatibus eorum, et peccatorum eorum non ero memor amplius* (*Hier.* XXXI, 31-34).

CAP. XII. — QUOD BAPTISMA VETUS CESSARET ET NOVUM INCIPERET.

Apud Esaiam : *Nolite ergo priora* [d] *meminisse, et antiqua nolite reputare. Ecce facio nova quæ nunc orientur, et cognoscetis, et faciam in deserto viam et flumina in loco inaquoso adaquare genus meum electum* [e], *plebem meam quam acquisivi* [f], *ut virtutes meas exponeret.* (*Isa.* XLIII, 18-21). Item apud eumdem : *Si sitierint, per deserta adducet illos* [g], *aquam de petra producet illis, findetur petra, et fluet aqua, et bibet* [h] *plebs mea.* (*Isa.* XLVII, 21). Item in Evangelio cata Matthæum Joannes dicit : *Ego quidem vos baptizo in aqua in pœnitentium. Qui venit autem post me, fortior me est* [i], *cujus non sum idoneus* [j] *calceamenta portare. Ipse vos baptizabit* [k] *in Spiritu sancto et igni* (*Matth.* III, 11). Item cata Joannem : *Nisi quis natus fuerit ex aqua et Spiritu, non potest introire in regnum Dei. Quod enim natum est de carne caro est, et quod natum est de spiritu spiritus est* (*Joan.* III, 5, 6).

CAP. XIII. — QUOD JUGUM VETUS EVACUARETUR ET JUGUM NOVUM DARETUR.

In Psalmo II : *Ad quid tumultuatæ sunt* [l] *gentes, et populi meditati sunt inania ? Adstiterunt* [m] *reges terræ, et principes collecti* [n] *sunt in unum adversus Dominum et adversus Christum ejus. Disrumpamus vincula eorum, et abjiciamus a nobis* [o] *jugum eorum* (*Ps.* II, 1-3). Item in Evangelio cata Matthæum Dominus dicit : *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego vos requiescere faciam* [p]. *Tollite jugum meum super vos, et discite a me* [q] *quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum bonum est* [r] *et sarcina levis* (*Matth.* XI, 28-30). Apud Hieremiam : *In illa* [s] *die contribulabo jugum a cervice illorum et vincula illorum disrumpam ; et non operabuntur aliis, sed operabuntur Domino Deo, et David regem suscitabo ipsis* (*Hier.* XXX, 8, 9).

CAP. XIV. — QUOD PASTORES VETERES CESSATURI ESSENT, ET NOVI INCIPERENT.

Apud Ezechielem : *Propterea hæc dicit Dominus : Ecce ego super pastores, et inquiram oves meas de manibus eorum, et avertam eos ut non pascant oves meas ; et jam non pascent eas, et extraham oves meas de ore eorum, et pascam eas cum judicio* (*Ezech.* XXXIV, 10, 16.) Apud Hieremiam Dominus dicit [t] : *Et dabo vobis pastores secundum cor meum, et pascent vos pascentes cum disciplina* (*Hier.* III, 15). Item apud Hieremiam : *Audite verbum Domini, gentes, et nuntiate insulis quæ longe sunt. Dicite : Qui disperdit Israel congregabit illum, et custodiet sicut pastor gregem suum, quia eruit Dominus Jacob, et eruit de manu fortioris illius* (*Hier.* XXVI, 10).

CAP. XV. — QUOD DOMUS ET TEMPLUM DEI CHRISTUS FUTURUS ESSET, ET CESSARET TEMPLUM VETUS, ET NOVUM INCIPERET.

In Basilio II : *Et fuit verbum Domini ad Nathan*

LECTIONES VARIANTES.

[a] Ab Hierosol. *Lin. NC.* 1. *Lam. Bod.* 1, 2, 4. *Voss.* 3, 4.
[b] Consummabo domum Israel et domum Juda *NC.* 1. Et testamentum *NC.* 1. *Lin. Lam. Corb. Bod.* 2, 3, 4. *Voss.* 4.
[c] De terra Ægypti. *Reliqua ad finem capitis desunt in Ar. Thu. Lamb. Foss. NC.* 1, 2. *Bod.* 2, 3, 4. *Voss.* 3, 4.
[d] Nolite priora *Ar.*
[e] Genus humanum *Foss.*
[f] Quam elegi *Corb.*
[g] Adducet illis aquam de petra; findetur *Bod.* 1, 2, 4. *Lin. Benev. Voss.* 3, 4.
[h] Vivet plebs mea *Ar.*
[i] Venit fortior *Thu. Foss. Corb.*
[j] Dignus *Lam. Lin. NC.* 1, 2. *Bod.* 2, 3, 4.
[k] Baptizat *Oxon.* Baptizabit *Foss. Ar. Lam. Lin. Bod.* 1, 2. Spiritu sancto *Bod.* 2. *Foss.*
[l] Quare fremuerunt *Lin. Lam. NF.* 1. *Corb. Voss.* 3, 4.
[m] Convenerunt in unum *Ar. Corb. NC.* 1, 2. *Lam. Lin. Bod.* 1, 2, 3. *Vos.* 3.
[n] Congregati *Voss.* 4.
[o] Projiciamus a nobis *Lam. Thu. Bod.* 2, 4. *NC.* 1, 2. *Corb. Lin. Voss.* 4.
[p] Vos requiescam *Thu. Lin. Bod.* 1, 2, 3, 4. *Voss.* 3.
[q] Scitote a me *Thu.*
[r] Jugum meum suave *Lin. Thu. Bod.* 1, 2, 3, 4.
[s] Apud Hierem. In illa, *desunt apud Ar. Lam. NC.* 1, 2. *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Thu. Corb. Voss.* 3.
[t] Apud Hieremiam Dominus dicit : Et dabo *desunt in eisdem mss.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

CAP. X. — *De Sion procedet lex.* Vide Avitum epist. XIX.

CAP. XI. — *Quia non permanserunt.* Ista et quæ sequuntur usque ad finem desunt in quatuordecim codicibus nostris et in novem Anglicanis. Deerant etiam in uno meo vetere, sed addita postea sunt antiquitus in margine, cum codex ille recognitus est et emendatus.

CAP. XIII. — *Jugum meum bonum.* Vide annotationes Erasmi adhunc locum Matthæi.

Apud Hieremiam. Et hæc quoque usque ad finem capituli desunt in tredecim codicibus nostris, et in decem Anglicanis; deerant etiam in illo meo vetere in quo addita sunt in margine.

CAP. XIV. — *Item apud Hieremiam.* Desunt etiamista in vetustis exemplaribus paulo ante commemoratis, in meo addita sunt in margine.

Digitized by Google

dicens : Vade, et dic servo meo David : Hæc dicit Dominus : Non tu ædificabis mihi domum ad inhabitandum ; sed erit, cum impleti fuerint dies tui et dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, qui erit de utero tuo, et parabo regnum ejus. Hic ædificabit mihi domum in nomine meo [a], *et erigam thronum ejus in sæcula ; et ego ero ei in patrem, et ipse erit mihi in filium, et fidem consequetur domus ejus et regnum ejus usque in sæcula in conspectu meo* (III *Reg.* VII, 4, 5, 12, 14, 16). Item in Evangelio Dominus dicit : *Non relinquetur in templo lapis super lapidem qui non dissolvetur* [b] (*Matth.* XXIV, 2) ; *et post triduum aliud excitabitur sine manibus* (*Marc.* XIV, 58).

CAP. XVI. — QUOD SACRIFICIUM VETUS EVACUARETUR, ET NOVUM CELEBRARETUR.

Apud Esaiam [c] : *Quò mihi* [d] *multitudinem sacrificiorum vestrorum ? dicit Dominus. Plenus sum, holocaustomata arietum et pinguamina agnorum et sanguinem taurorum et hircorum nolo. Quis enim exquisivit ista de manibus vestris ?* (*Isa.* I, 11, 12.) Item in Psalmo XLIX : *Non edam carnes taurorum, aut sanguinem hircorum bibam. Sacrifica Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua. Invoca me in die pressuræ* [e], *et eruam te* [f] *et clarificabis me* (*Ps.* XLIX, 13, 15). Item in Psalmo eodem : *Sacrificium laudis clarificabit* [g] *me, illic via est in qua ostendam illi salutare Dei* [h]. Item in Psalmo IV [i] : *Sacrificate sacrificium justitiæ, et sperate in Dominum.* Item apud Malachiam : *Non est mihi voluntas circa vos* [j], *dicit Dominus, et sacrificium acceptum non habebo* [k] *ex manibus vestris. Quoniam a solis ortu et usque in occasum clarificatum est nomen meum apud gentes, et in omni loco odores incensi offeruntur* [l] *nomini meo et sacrificium mundum, quoniam magnum est nomen meum apud gentes, dicit Dominus* (*Malach.* I, 10, 11).

CAP. XVII. — QUOD SACERDOTIUM VETUS CESSARET, ET NOVUS SACERDOS VENIRET, QUI IN ÆTERNUM FUTURUS ESSET.

In Psalmo CIX : *Ante luciferum genui te* [m]. *Juravit Dominus, et non pœnitebit eum : tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Item in Basilion primo Deus ad Heli sacerdotem : *Et suscitabo mihi sacerdotem fidum* [n], *qui omnia quæ sunt in corde meo faciet, et ædificabo ei domum* [o] *fidelem, et transibit in conspectu christorum meorum omnibus diebus ; et erit, qui remanserit in domo tua, veniet adorare in obolo pecuniæ et in pane uno* (I *Reg.* II, 33, 36).

CAP. XVIII. — QUOD PROPHETA ALIUS, SICUT MOYSES, PROMISSUS SIT, SCILICET QUI TESTAMENTUM NOVUM DARET, ET QUI MAGIS AUDIRI DEBERET.

In Deuteronomio Deus ad Moysen : *Et dixit Dominus ad me : Prophetam excitabo eis de fratribus eorum sicut te, et dabo verbum meum in ore ejus, et loquetur ad eos ea quæ præcepero ei. Et quisquis non audierit quæcumque locutus fuerit* [p] *propheta ille in nomine meo, ego vindicabo* (*Deut.* XVIII, 17-19). De quo et Christus in Evangelio cata Joannem [q] : *Scrutamini Scripturas, in quibus putatis vos vitam æternam habere. Hæ sunt* [r] *quæ testimonium perhibent de me ; et non vultis venire ad me ut vitam habeatis. Nolite putare quia ego vos accuso apud Patrem. Est qui vos accuset, Moyses, in quem vos speratis* [s]. *Si enim credidissetis Moysi, crederetis et mihi : de me enim ille scripsit. Si autem illius scripturis non creditis, quomodo verbis meis credetis* (*Joan.* V, 39, 40, 45, 47) ?

CAP. XIX. — QUOD DUO POPULI PRÆDICTI SINT, MAJOR ET MINOR, ID EST VETUS JUDÆORUM, ET NOVUS, QUI ESSET EX NOBIS, FUTURUS.

In Genesi : *Et dixit Dominus Rebeccæ* [t] : *Duæ gentes in utero tuo sunt, et duo populi de ventre tuo* [u] *dividentur, et populus populum superabit, et major serviet minori* (*Gen.* XXV, 23). Item apud Oseæ : *Vocabo non populum meum, populum meum, et non dilectam, dilectam. Erit enim quo loco dicetur non populus meus, illo loco vocabuntur filii Dei vivi* (*Ose.* II, 24, I, 10).

CAP. XX. — QUOD ECCLESIA, QUÆ PRIUS STERILIS FUERAT, PLURES FILIOS HABITURA ESSET EX GENTIBUS, QUAM QUOT SYNAGOGA [v] ANTE HABUISSET.

Apud Esaiam : *Jucundare, sterilis quæ non paris, erumpe et exclama, quæ non parturis, quia multi filii desertæ magis quam ejus quæ habet virum. Dixit enim Dominus : Dilata locum tabernaculi tui et aulæorum tuorum et fige* [x]. *Noli parcere, longas fac mensuras tuas, et palos tuos* [y] *confirma. Adhuc in dexteram tuam et in sinistram extende, et semen tuum gentes possidebit* [z], *et civitates desertas inhabitabit. Noli timere, quia revinces* (*Isa.* LIV, 1, 4). *Neque revereris quia maledicta es, quoniam confusionem æternam oblivisceris* (*Isa.* LIV, 1, 4). Sic et Abrahæ cum de ancilla natus esset prior filius, Sara sterilis diu mansit, et sero in senecta de pollicitatione peperit filium Isaac

LECTIONES VARIANTES.

[a] Domum nomine *Bod.* 1, 2. *Thu. Foss.*
[b] Qui non destruetur *Ar. Bod. e Lam. NC.* 1.
[c] Esaiam dicit *Bod.* 1.
[d] Quid mihi *Bod.* 3, 4.
[e] Diem pressuræ *Thu.*
[f] Eximam te *Ver. Cam. Lin. NC.* 1, 2. *Thu. Corb. Ar. Bod.* 1, 2, 4.
[g] Magnificabit *Lin.* Honorificabit *Ar. Corb.*
[h] Salutare meum *Ar. Cam. NC.* 1. *Bod.* 2.
[i] Et illic *Thu. Foss. Corb.*
[j] Voluptas circa *Voss. Bod.* 3, 4. In vobis *Ver.*
[k] Non accepto habeo *Veron.*
[l] Incensi offerentur *Bod.* 1.
[m] Generavi te *Benev. Veron. Thu. Foss.*
[n] Sacerdotem fidelem, ei *Lam.*
[o] Thronum meliorem *Lin.* Domum fidelem omnibus diebus *Lin. NC.* 2. *Bod.* 1, 2, 3, 4.
[p] Quæcumque loquitur *Bob.* 1, 4. Loquetur *Bod.* 2. *Lamb. Thu. Foss. Corb.* Quæ loquetur *Lam.*
[q] Joannem dicit *Bod.* 4.
[r] Hæc sunt *Thu. Foss. Corb.* Hæc sunt quæ testimonio sunt *Benev. Ver. Lin. Bod.* 2, 3, 4. *Thu.*
[s] In quo vos speratis *Bod.* 1, 2.
[t] Dominus ad Rebeccam *Bod.* 2.
[u] De utero tuo dividentur *Foss. Corb.*
[v] Synagoga habuisset *Ver.*
[x] Et fige funiculos *Bod.* 1. *Mor.* Fige et noli *Lam.*
[y] Et paxillos tuos *Corb.*
[z] Possidebunt, inhabitabiles *Thu. Corb. Bod.* 1, 4.

Digitized by Google

(*Gen.* XXI), qui fuit typus Christi. Sic et Jacob accepit uxores duas (*Gen.* XXIX, XXX), majorem Liam oculis infirmioribus typum [a] synagogæ, minorem speciosam Rachel typum Ecclesiæ, quæ et sterilis diu mansit, et postea peperit Joseph [b], qui et ipse fuit typus Christi. Et in Basilion primo legitur Helcana habuisse [c] uxores duas, Fenennam cum filiis, et Annam sterilem, ex qua nascitur Samuel, non secundum ordinem generandi, sed secundum Dei miserationem et promissionem, cum illa orasset in templo (I *Reg.* I); et natus Samuel, typus fuit Christi. Item in Basilion primo: *Sterilis septem peperit, et quæ plurimos habeat infirmata est* (I *Reg.* II, 5). Filii autem septem sunt [d] Ecclesiæ septem, unde et Paulus septem Ecclesiis scripsit, et Apocalypsis Ecclesias septem ponit (*Apoc.* I), ut servetur septenarius numerus, ut dies septem quibus Deus mundum fecit (*Gen.* 1.), ut Angeli septem qui assistunt et conversantur ante faciem Dei, sicut Raphael angelus in Tobia dicit (*Tob.* XII.), et lucerna septiformis [e] in tabernaculo martyrii [f] (*Exod.* XXV.), et oculi Domini septem qui mundum speculantur, et lapis cum oculis septem, ut Zacharias dicit (*Zach.* III, 9; IV, 10), et Spiritus septem, et candelabra in Apocalypsi septem, et columnæ septem super quas edificavit domum Sapientia. Apud Salomonem (*Prov.* 9, 1).

CAP. XXI. — QUOD GENTES MAGIS IN CHRISTUM CREDITURÆ ESSENT.

In Genesi: *Et dixit Dominus Deus ad Abraham: Exi de terra tua et de cognatione tua et de domo patris tui, et vade in illam terram quam tibi ostendero; et faciam te in gentem magnam, et benedicam te, et magnificabo nomen tuum, et eris benedictus; et benedicam qui te benedixerit, et maledicam qui te maledixerit* [g], *et benedicentur in te omnes tribus* [h] *terræ* (*Gen.* XII, 1-3). De hoc ipso in Genesi: *Et benedixit Isaac Jacob* [i]: *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni quem benedixit Dominus. Et det tibi Deus de rore cœli* [j] *et a fertilitate terræ multitudinem frumenti et vini et olei; et servient tibi gentes, et adorabunt te principes, et eris dominus fratris tui* [k] *et adorabunt te filii patris tui; et qui te maledixerit erit maledictus, et qui te benedixerit* [l] *benedictus* (*Gen.* XXVII, 27-29). De hoc ipso in Genesi: *Ubi autem vidit* [m] *Joseph quoniam superposuit* [n] *pater suus manum dextram super caput Effraim, grave illi visum est; et apprehendit Joseph manum patris sui* [o], *auferre eam a capite Effraim ad caput Manasse. Dixit autem Joseph ad patrem suum: Non sic, pater, hic est primitivus meus* [p]; *superpone dexteram tuam super caput ejus. Ille autem noluit, et dixit: Scio, fili, scio: et hic erit in populum, et hic exaltabitur; sed frater ejus junior major illo erit* [q], *et semen ejus erit in multitudinem gentium* (*Gen.* XLVIII, 17-19). Item in Genesi: *Juda, te laudabunt* [r] *fratres tui, manus* [s] *super dorsum inimicorum tuorum. Adorabunt te filii patris tui: catulus leonis Juda. De fructe, fili mi, ascendisti, recubans obdormisti velut leo et velut catulus leonis. Quis excitabit illum? Non deficiet princeps de Juda et dux de femoribus ejus quoadusque veniant deposita* [t] *illi, et ipse est* [u] *spes gentium. Deligans ad vitem* [v] *pullum suum, et ad cilicium* [x] *pullum asinæ suæ. Lavabit in vino stolam suam* [y] *et in sanguine uvæ amictum*

LECTIONES VARIANTES.

[a] Infirmioribus in typum .... Hachel in typum *Oxon.*
[b] Peperit Joseph *Foss. Corb. Bod.* 1, 2, 4. Peperit filium Joseph *Oxon.*
[c] Primo Helcana *Bod.* 1, 2, 3, 4. Helcana habuit *Ar. Lam. NC.* 1, 2. *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Corb. Thu.*
[d] Filii autem sunt septem *Oxon.*
[e] Lucernæ septiformes *Oxon.*
[f] Tabernaculo Testimonii *Foss.*
[g] Maledixerint *Bod.* 1.
[h] Omnes gentes *Bod.* 1.
[i] Jacob et dixit *Lin. Lam. NC.* 2.
[j] A rore cœli *Lam. NC.* 1, 2. *Bod.* 1, 2, 4. *Thu. Foss.*
[k] Dominus fratribus tuis *Lam. Bod.* 2. *NC.* 1.
[l] Benedixerit erit *Thu. Corb.*
[m] Ubi vidit *Thu. Corb.*
[n] Quoniam posuit *Thu. Corb.*
[o] Patris sui a capite *Foss.*
[p] Primogenitus *Ar.*
[q] Major illi erit *Foss.*
[r] Laudant *Bod.* 4. *Thu.*
[s] Manus tuæ super *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Thu. Foss.*
[t] Veniant quæ reposita sunt *Lamb. Lin. Bod.* 1, 2, 3, 4. *NC.* 1.
[u] Ipse erit spes *Corb.*
[v] Religans ad vitem *Lam. NC.* 1. *Bod.* 1, 2, 3. *Thu.*
[x] Ad cilium *Thu. Foss. Ben. Bod.* 1, 2, 3, 4. Ad helicem *Oxon.*
[y] Anabolium *Bod.* 1.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

CAP. XXI. — *Ubi autem vidit.* Hæc et cætera usque ad *multitudinem Gentium* desunt in codice Burgundico et in Lamoniano.

Cilicium. Hanc lectionem præferunt antiquiores editiones et omnia vetera exemplaria, nisi quod in Thuano, ut in Fossatensi, scriptum est *cilium*, per incuriam videlicet librariorum ignorantium quod scribebant. Quo etiam modo, si quis hoc quoque scire desiderat, legitur in duobus antiquis codicibus, uno regio et altero meo. Pari errore in codice meo 162, scriptum est *Cilius* pro *Cæcilio*, in libro *de Passione sancti Cypriani* hoc modo: *Temporibus Valeriani, iniquissimi imperatoris, fuit in Carthagine, quæ est in Africa, gloriosissimus vir nomine Cyprianus, qui primo quidem rhetoricam docuit, deinde* [598] *a quodam presbytero nomine Cilio, conversus ad fidem Christi, nomen quoque sortitus est Cælius.* Erasmus, qui videbat hunc Cypriani locum cubare in mendo, posuit *ilicem*, ex conjectura videlicet. Postea emersit editio quæ dicitur Gravii, quam qui procuravit, admonet lectores se *helicem* in hoc loco scriptum vidisse inter varias lectiones positas in exemplari editionis Cyprianicæ, quod erat Gravii, innuens illum castigationes ex manuscripto Cypriani codice observatas in suum sibi codicem brevissime tantum notasse, quamvis constet omnes illas lectiones non esse sumptas ex libro veteri, et nonnullas earum esse tantum conjecturas Gravii; ac quamvis ille qui hujus editionis auctor est, moneat sibi in ea usui fuisse exemplaria complura, ut inter cætera unum insignius ac vetustius manuscriptum ex bibliotheca Carthusiæ Coloniensis, nullum tamen eorum laudavit ad confirmandam lectionem inventam in libro Gravii, immo retinuit editionem Erasmi; quod non fecisset, si habuisset auctoritatem alicujus libri veteris. Atque ego sane lubenter amplecterer et præferrem conjecturam Gravii, nisi obstaret veterum editionum et codicum auctoritas, et nisi vetusti quidam magnorum nominum scriptores repugnarent. Lectionem enim quam ego retinui, quamvis mendosa sit, esse veterem constat ex capite

Digitized by Google

suum. Formidolosi [a] *oculi ejus a vino, et candidi dentes ejus magis quam lac* [b] (*Gen.* XLIX, 8, 12). Inde in Numeris de populo nostro scriptum est : *Ecce populus quasi populus leoninus exsurget* (*Num.* XXIII, 24). In Deuteronomio : *Eritis, gentes, in caput, incredulus autem populus in caudam* (*Deut.* XXVIII, 44). Item apud Hieremiam : *Audite vocem tubæ : et dixerunt : Non audiemus. Propter hoc audient gentes* [281] *et qui pascent pecora* [c] *in eis* (*Hier.* VI, 17, 18). In Psalmo XVII : *Constitues me in caput gentium ; populus quem non cognovi servivit mihi* [d], *in auditu auris obedivit mihi* (*Ps.* XVII, 44, 45). De hoc ipso [e] apud Hieremiam Dominus dicit : *Priusquam te formarem in utero novi te, et prius quam exires de vulva sanctificavi te, et prophetam in gentibus* [f] *posui te* (*Hier.* I, 5). Item apud Esaiam : *Ecce testem illum nationibus manifestavi, principem et imperantem gentibus* [g]. Item apud eumdem : *Gentes quæ non noverunt te invocabunt te, et populi qui ignorabant te ad te confugient* (*Isa.* LV, 4, 5). Item [h] apud eumdem : *Et erit in illa die radix Jesse qui surget imperare* [i] *omnibus gentibus ; in illum gentes sperabunt, et erit requies ejus honor* (*Ibid.* XI, 10). Item apud eumdem [j] : *Terra Zabulon et terra Neptalim, via maris, et cæteri qui maritima* [k] *inhabitatis, et trans Jordanem gentium* [l] ; *populus ambulans in tenebris, videte lumen magnum* [m] *qui habitatis in regione umbræ mortis, lumen lucebit super vos* (*Isa.* VIII, 23 ; IX, 1). Item apud eumdem [n] : *Sic dicit Dominus Deus Christo meo Domino, cujus teneo dexteram, ut exaudiant eum Gentes. Et fortitudinem regum disrumpam* [o]. *Aperiam ante ipsum portas, et civitates non claudentur* (*Isa.* XLV, 1). Item apud eumdem : *Venio colligere omnes gentes et linguas, et venient et videbunt claritatem meam, et dimittam super eos signum, et mittam ex eis conservatos in gentes quæ longe sunt, quæ non audierunt nomen meum, neque viderunt gloriam meam, et nuntiabunt claritatem meam in gentes* (*Isa.* LXVI, 18, 19). Item apud eumdem : *Et in omnibus his non sunt*

LECTIONES VARIANTES.

[a] Formosi *Oxon.*
[b] Dentes ejus lacte *Ar.*
[c] Pecora ejus *Thu. Foss. Corb.*
[d] Serviet mihi *Corb.*
[e] Servivit mihi. De hoc ipso *NC.* 1, 2. *Lam. Lin. Thu. Corb. Bod.* 1, 2, 3, 4.
[f] Prophetam in gentes *Thu.*
[g] Ecce posui illum testem nationibus, manifestavi principem et imperatorem *Thu.*
[h] Item illic apud eumdem, *Bod.* 1.
[i] Surgens imperabit *Thu.*
[j] Illic apud eumdem *Bod.* 1.
[k] Et qui maritima *Foss.*
[l] Galilæa gentium *Oxon. ex codd. NC.* 2. *Bod.* 1, 3, 4. *et* LXX. *Impressi et mss. plerique legerunt* trans Jordanem gentium populus.
[m] Vidit lumen magnum *Ar. Corb.*
[n] Illic apud eumdem *Bod.* 1.
[o] *Sic Spir. Remb. Er. Mar. Tert. Lam. Lin. NC.* 1. *Voss.* 3, 4. *Nuperi impr. legunt*, cujus teneo. Disrumpet *Bod.* 1, 3, 4. Fortitudinem suam disrumpent et in illum gentes sperabunt et civitates concludentur *Thu. Foss.* non claudentur illi *Tert.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

quarto libri sancti Ambrosii de *Benedictionibus Patriarcharum*, ex libro duodecimo sancti Augustini *adversus Faustum Manichæum* cap. 42, et ex libro decimo sexto cap. 41 *de Civitate Dei*, tum etiam ex Epistola XLVII sancti Paulini episcopi Nolani ad Rufinum, cui respondet idem Rufinus in epistola præfixa libris de *Benedictionibus Patriarcharum*. Arbitratur autem Rufinus hanc pravam lectionem positam esse in exemplaribus latinis a scriptoribus latinis non intelligentibus quid significaret græca vox ἅλιξ, ac propterea cilicium putatum esse ; ἅλικα enim vitem dicunt Græci non tam palmitem, quomodo habent nostra exemplaria, quam illos quasi rucinnulos et cinniculos palmitis, quibus succrescens palmes innectere et suspendere solet vel ramis arboris vel pali, vel quibuscumque illis innititur adminiculis, quos capreolos appellant agricolæ, quibus nexibus tutus et sine lapsus periculo, vel gravior fructibus palmes, vel vaga proceritate distenditur. Unde corrigas Isidorum lib. XVII *Etymolog.* cap. 1, ubi, de hac ipsa re agens, scripsit *sine lapsu periculorum*, cum describendum sit *sine lapsus periculo*. Cælius Aurelianus lib. I *Chronicon.* cap. 1, *anulorum vitis quos helecos vocant*. Cæterum, ex his quæ dicta sunt, satis liquet errare illos qui aiunt *Helicem*, istic legi apud Cyprianum in correctis exemplaribus, cum certum sit eam vocem desiderari in omnibus antiquis operum sancti Martyris exemplaribus. Vide Cælium Calcagninum lib. I, Epist. XXVIII.

Formidolosi. Ita libri veteres et veteres editiones. Antiquæ igitur istius versionis auctor usus est codice in quo φοβεροὶ οἱ ὀφθαλμοὶ αὐτου scriptum erat, uti in veteri codice græco bibliothecæ Regiæ vidisse se mihi retulit vir istarum multarumque aliarum bonarum litterarum peritissimus, ac mei amantissimus, dominus Bernardus de Montefalcone, monachus Benedictinus : φοβερὸς enim in veteribus glossis interpretatur formidolosus. Hanc lectionem confirmant aliorum versiones, quæ eumdem sensum habent, si quis eas paulo accuratius expendere velit. Quidam enim verterunt *pulchriores*, alii *ignei*, *des yeux pleins de feu*, ut nos Galli loquimur, et in capite XIX Apocalypsis, *Oculi autem ejus erant tamquam flamma ignis*, sive *ardentes*, ut apud Tit. Livium, Ciceronem, Virgilium, et alibi : alii *rubicundi*, alii denique *gratifici*, ut Rufinus in libro *de Benedictione Judæ*, ut alii. Hæc omnia facile conveniunt inter se. Nam et oculi ignei et ardentes, qui ut rubicundi dici possunt, habent præclaram et eximiam pulchritudinem ; iidem sunt formidolosi, id est, timorem movent et formidinem, non tamen eam formidinem quæ terreat, sed eam quæ proficiscitur ex reverentia qua prosequimur eos quos veremur et honoramus, ut est in capite XXXVII libri Job, *ad Deum formidolosa laudatio*, apud Lucretium *formido Deum*, et *amoris mixta formido* apud Hieronymum. Natura enim reveremur homines pulchros. Quippe pulchritudo corporis, ut ait Cicero, apta compositione membrorum movet oculos et delectat hoc ipso quod inter se omnes partes quodam lepore consentiunt. Sed, ut ad rem nostram redeamus, miror Manutium et cæteros qui istic posuerunt *formosi*, contra veterum codicum et editionum fidem, tantum quia Erasmus in margine suæ editionis conjecerat ita scribendum esse, nihil tamen in contextu mutaverat, miror, inquam, Manutium et cæteros prætulisse hanc conjecturam tot auctoritatibus : nam præter vetera exemplaria quæ illi viderunt, præter ea quæ ego vidi, testatur Latinus Latinius vetustiores codices retinere lectionem quam ego revocavi. Sane, [599] ne quid dissimulem, vox *formosi* exstat in duobus antiquis codicibus, sed quid istud adversus tam multos qui *formidolosi* habent ? Profectus est ergo hic error ex eorum judicio qui non intelligebant vocem *formidolosi* posse habere bonum sensum in hoc loco. Lec-

Digitized by Google

conversi. Igitur extollet signum in gentes quæ sunt longe, et attrahet illos [a] *a summo terræ* (*Isa.* v, 25, 26). Item apud eumdem : *Quibus non est nuntiatum de eo videbunt, et qui non audierunt intelligent* (*Isa.* LII, 15). Item apud eumdem : *Manifestus factus sum* [b] *eis qui me non quærunt* [c], *inventus sum ab eis qui me non interrogabant. Dixi : Ecce sum, genti quæ non* [d] *invocavit nomen meum* [e] (*Isa.* LXIII, 1.) De hoc ipso in Actibus Apostolorum Paulus : *Vobis primum oportuerat indicari verbum Dei. Sed, quia expulistis illud, nec vos dignos vitæ æternæ judicastis, ecce convertimus nos ad Gentes. Sic enim dixit per Scripturas Dominus : Ecce lucem posui te inter Gentes, ita ut sis in salvationem* [f] *usque ad fines terræ* (*Act.* XIII, 46, 47).

CAP. XXII. — QUOD PANEM ET CALICEM CHRISTI ET OMNEM GRATIAM EJUS AMISSURI ESSENT JUDÆI, NOS VERO ACCEPTURI ; ET QUOD CHRISTIANORUM NOVUM NOMEN BENEDICERETUR IN TERRIS.

Apud Esaiam sic dicit Dominus : *Ecce qui serviunt mihi manducabunt, vos autem esurietis. Ecce qui mihi serviunt* [g] *bibent, vos autem sitietis. Ecce qui mihi serviunt jucundabuntur, vos autem confundemini ; vos interficiet Dominus. Eis autem qui serviunt mihi, nomen nominabitur novum* [h], *quod benedicetur in terra* (*Isa.* LXV, 13, 15, 16). Item illic : *Igitur extollet lignum* [i] *in gentes quæ sunt longe, et attrahet illos* [j] *a summo terræ. Et ecce cito leviter* [k] *venient : non esurient, neque sitient* (*Isa.* v. 26, 27). Item illic : *Ecce itaque dominator Dominus sabaoth auferet a Juda et ab Hierusalem valentem et validum, valentiam panis* [l] : *et valentiam aquæ* (*Isa.* III, 1). Item in Psalmo XXXIII. *Gustate et videte quoniam dulcis est* [m] *Dominus. Felix est vir qui sperat in eum. Timete Dominum Deum, omnes sancti ejus, quoniam non est inopia eis qui eum metuunt. Divites eguerunt et esurierunt : qui autem inquirunt Dominum non indigebunt omni bono* (*Ps.* XXXIII, 9-11). Item in Evangelio cata Joannem Dominus dicit : *Ego sum panis vitæ. Qui venit ad me non esuriet, et qui in me crediderit non sitiet umquam* (*Joan.* VI, 35). Item illic ipse : *Si quis sitit, veniat et bibat. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ* (*Joan.* VII, 37, 38). Item illic ipse : *Nisi ederitis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis* (*Joan.* VI, 53).

CAP. XXIII. — QUOD AD REGNUM CŒLORUM MAGIS GENTES QUAM JUDÆI PERVENIANT.

In Evangelio Dominus dicit : *Multi venient ab Oriente et Occidente, et recumbent cum Abraham et Isaac et Jacob in regno cælorum, filii autem regni exibunt in tenebras exteriores. Illic erit ploratio et stridor dentium* (*Matth.* VIII, 11, 12).

CAP. XXIV. — QUOD SOLO HOC JUDÆI ACCIPERE VENIAM POSSINT DELICTORUM SUORUM, SI SANGUINEM CHRISTI OCCISI BAPTISMO EJUS ABLUERINT, ET IN ECCLESIAM EJUS TRANSEUNTES, PRÆCEPTIS EJUS OBTEMPERAVERINT.

Apud Esaiam Dominus dicit : *Jam non laxabo* [n] *peccata vestra. Cum extenderitis manus* [o], *avertam faciem* [p] *a vobis ; et si multiplicaveritis preces, non exaudiam vos. Manus enim vestræ sanguine plenæ sunt. Lavamini, mundi estote, auferte nequitias ab animis vestris a conspectu oculorum meorum, cessate a nequitiis vestris. Discite bonum facere, exquirite judicium, conservate eum qui injuriam patitur, judicate pupillo et justificate viduam, et venite, disputemus, dicit Dominus : et si fuerint peccata vestra ut phœniceum* [q], *ut nivem exalbabo ; et si fuerint quasi coccinum* [r], *ut lanam inalbabo. Et si volueritis et audieritis me* [s], *bona terræ edetis. Si autem nolueritis et non audieritis me, gladius vos consumet* [t]. *Os enim Domini locutum est ista* [u] (*Isa.* I, 14-20).

LECTIONES VARIANTES.

[a] Attrahet illas *Corb.* Attrahent *Bod.* 3.
[b] Manifestus sum *Foss.*
[c] Quærebant *Ar. Lam. NC.* 1. *Bod.* 2.
[d] Ecce adsum genti, quoniam non *Corb.*
[e] Vocavit nomen *Thu.*
[f] Ut sint salvati *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2.
[g] Ecce qui serviunt mihi, bibent, vos autem sitietis *Lam. NC.* 1. *Bod.* 1, 2, 3, 4.
[h] Nominabitur magnum *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2, *Ar.*
[i] Ignem in gentes. *Bod.* 1. Lignum *Rigalt. contra fidem excus. et mss. Lam. Lin. NC.* 1, 2. *Bod.* 2, 3, 4. *Thu. Foss. Corb.* Signum *Oxon.*
[j] Attrahet illas *Foss.*
[k] Cito venient *Lam. NC.* 1. *Lin. Bod.* 2.
[l] Virtutem panis et virtutem aquæ *Bod.* 1.
[m] Quoniam suavis *Ar. Lam. NC.* 1. *Bod.* 1, 2, 3.
[n] Relaxabo *Bod.* 2, 3, 4. *Spir. Rem. Erasm.*
[o] Manus vestras *Bod.* 3. 4.
[p] Meam *Bod.* 1, 4. *Tert. Spir. Remb. Eras. Morell. Oxon. Deest in impress. nuperis* meam.
[q] Quasi russeum *Ver.* quasi roseum *Tert. Benev. Ver. Manut.*
[r] Quasi coccum *Thu. Foss. Benev. Ver. Manut.*
[s] Obaudieritis me *Bod.* 4. Non obaudieritis *Bod.* 4.
[t] Vos comedet *Lin.*
[u] Locutum est hæc *Bod.* 1.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

tionem nostram approbat edi tio Anglicana, quamvis *formosi* posuerit in contextu.

CAP. XXIV. — *Apud Esaiam.* Ista usque ad *Igitur extolle* desunt in libro Lamonii.

Phœniceum. Dubius sum an lectionem istam præferre debeam ei quæ exstat in quibusdam manuscriptis, in quibus scriptum est *quasi rosseum* vel *roseum*, quam lectionem esse meliorem videtur colligi posse ex Tertulliano, apud quem lib. IV *adversus Marcionem* legitur *quasi roseum.*

Digitized by Google

LIBER SECUNDUS.

CAPITULA.

I. *Christum primogenitum esse, et ipsum esse sapientiam Dei, per quem omnia facta sunt.*

II. *Quod sapientia Dei Christus est* [a], *et de sacramento incarnationis* [b] *ejus et passionis et calicis et altaris, et Apostolorum qui missi prædicaverunt.*

III. *Quod Christus idem sit et Sermo Dei* [c].

IV. *Quod idem Christus idem sit manus* [d] *et brachium Dei.*

V. *Quod idem angelus et Deus* [e].

VI. *Quod Deus Christus.*

VII. *Quod Christus Deus venturus esset illuminator et salvator gencris humani.*

VIII. *Quod cum a principio* [f] *Filius Dei fuisset, generari denuo haberet secundum carnem.*

IX. *Quod hoc futurum esset signum nativitatis ejus, ut de virgine nasceretur homo et Deus, hominis et Dei filius.*

X. *Quod homo et Deus* [g] *Christus ex utroque genere concretus, ut mediator esse* [h] *inter nos et Patrem posset.*

XI. *Quod de semine David secundum carnem nasci haberet.*

XII. *Quod in Bethlehem nasceretur.*

XIII. *Quod humilis in primo adventu suo veniret.*

XIV. *Quod ipse sit justus* [i] *quem Judæi occisuri essent.*

XV. *Quod ipse dictus sit ovis et* i *agnus, qui occidi haberet. Et de sacramento* [k] *passionis.*

XVI. *Quod idem et lapis dictus sit.*

XVII. *Quod deinde idem lapis mons fieret et impleret totam terram.*

XVIII. *Quod in novissimis temporibus idem mons manifestaretur, super quem gentes venirent, et in quem justi ascenderent.*

XIX. *Quod ipse sit sponsus, Ecclesiam habens sponsam, de qua filii spiritaliter nascerentur.*

XX. *Quod cruci illum fixuri essent Judæi.*

XXI. *Quod in passione crucis et signo virtus omnis sit et potestas.*

XXII. *Quod in hoc signo crucis salus sit omnibus qui in frontibus notentur.*

XXIII. *Quod medio die in passione ejus tenebræ futuræ essent.*

XXIV. *Quod a morte non vinceretur, nec apud inferos remansurus esset.*

XXV. *Quod ab inferis tertio die resurgeret.*

XXVI. *Quod cum resurrexisset, acciperet a Patre omnem potestatem, et potestas ejus æterna sit.*

XXVII. *Quod perveniri non possit ad Deum Patrem nisi per Filium ejus, Jesum Christum.*

XXVIII. *Quod ipse judex venturus sit.*

XXIX. *Quod ipse sit rex in æternum regnaturus.*

XXX. *Quod ipse sit et judex et rex.*

CAP. I. — CHRISTUM PRIMOGENITUM ESSE, ET IPSUM ESSE SAPIENTIAM DEI, PER QUEM OMNIA FACTA SUNT.

Apud Salomonem in Proverbiis : *Dominus condidit me in initio viarum suarum, in opera sua ante sæculum fundavit me. In principio antequam terram faceret et antequam abyssos constitueret, priusquam procederent* [l] *fontes aquarum, antequam montes collocarentur, ante omnes colles genuit me Dominus. Fecit regiones et inhabitabilia* [m] *et fines inhabitabiles sub cælo. Cum pararet cælum, aderam illi, et cum secerneret suam sedem. Cum super ventos validas faceret desuper nubes, et cum confirmatos ponebat fontes* [n] *sub cælo, quando fortia faciebat fundamenta terræ, eram penes illum disponens. Ego eram cui adgaudebat. Quotidie autem jucundabar ante faciem ejus in omni tempore cum lætaretur orbe perfecto* (Prov. VIII, 22). Item apud eumdem in Ecclesiastico : *Ego ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam. Ego in cœlis feci ut oriretur lumen indeficiens, et nebula texi* [o] *omnem terram. Ego in*

LECTIONES VARIANTES.

[a] *Sic, Bod.* 1, 2. Est *deest in Oxon.*
[b] Concarnationis *Lan. Lin. NC.* 1, 2. *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Thu. Veron.*
[c] Idem et sermo *Bod.* 1, 2, 3, 4.
[d] Idem manus *Bod.* 1, 2, 3, 4.
[e] Deus in Genesi *Bod.* 1.
[f] Quod Dominus cum a principio *Bod.* 1.
[g] Quod et homo et Deus *Bod.* 1, 2, 3, 4.
[h] Ut mediator esset *Corb. Bod.* 2, 3.
[i] Quod ipse sit Christus quem Judæi *Lam. NC.* 1.
[j] Ipse dictus sit ovis. *Lam. NC.* 1. *Lin. Bod.* 2, 3, 4. Ipse sit ovis *Oxon.*
[k] De sacramento Christi *Lin.*
[l] Priusquam produceret *Lam. NC.* 1, 2. *Bod.* 2. *Foss. Thu.*
[m] Regiones et habitabilia et fines *Veron.*
[n] Ponebat montes *cod.* 1.
[o] Nebula texi *Lam. NC.* 1, 2. *Lin. Bod.* 2, 3. 4. Nube *Bod.* 1. Nubila *Oxon.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

Libro secundo. — *In Proverbiis.* Ita emendavi, quia item scriptum vidi in quibusdam libris veteribus, in veteri editione Veneta, in ea quam Remboltus emisit, et in Erasmica, et quia apud Tertullianum in libro *de Pudicitia* lego : *Nam ut Salomon in Proverbiis, quæ παροιμίας dicimus :* quidam codices habent *parœmiis.* Hanc lectionem prætulit Pamelius, fassus tamen *proverbiis* scriptum esse in vulgatis editionibus; aliqui codices non faciunt mentionem hujus libri Salomonis, sicut nec editiones Manutii et Morellii. Rigaltius et Angli scripserunt in *parœmiis.*

Cap. I. — *Fecit regiones.* Ita etiam apud Lactantium, lib. IV, cap. 6.

Primogenita. Vocabulum istud additum a nobis est

altis [a] *habitavi, et thronus meus in columna nubis. Gyrum cœli circuivi* [b], *et in profundum abyssi penetravi, et in fluctibus maris ambulavi, et in omni terra steti, et in omni populo et in omni gente primatum habui* [c], *et omnium excellentium et humilium corda propria* [d] *virtute calcavi. In me omnis spes vitæ et virtutis* [e]. *Transite ad me, omnes qui concupiscitis me* (*Eccli.* XXIV, 5). Item in Psalmo LXXXVIII : *Et ego primogenitum ponam eum* [f], *altissimum apud reges terræ. In æternum servabo illi misericordiam meam et testamentum meum fidele illi, et ponam in sæculum sæculi semen ejus* [g]. *Si dereliquerint filii ejus legem meam, et in judiciis meis non ambulaverint, si justificationes meas profanaverint et præcepta mea non observaverint, visitabo in virga facinora eorum et in flagellis delicta eorum. Misericordiam autem meam non dispergam ab eis.* Item in Evangelio cata Joannem Dominus dicit : *Hæc autem est vita æterna, ut cognoscant te solum et verum* [sss] *Deum, et quem misisti, Jesum Christum. Ego te clarificavi in terra* [h], *opus perfeci* [i] *quod dedisti mihi ut faciam. Et nunc tu clarifica me* [j] *apud te ipsum claritate quam habui apud te priusquam mundus fieret* (*Joan.* XVII, 3). Item Paulus ad Colossenses : *Qui est imago Dei invisibilis et primogenitus totius creaturæ* (*Coloss.* I, 15). Item illic : *Primogenitus a mortuis, ut fieret in omnibus ipse primatum tenens.* Item in Apocalypsi : *Ego sum* α *et* ω, *initium et finis. Ego sitienti dabo de fonte aquæ vitæ* [k] *gratis* (*Apoc.* XXI, 6). Quod idem sit et sapientia et virtus Dei. Paulus ad Corinthios I : *Quoniam Judæi signa desiderant* [l], *et Græci prudentiam* [m] *quærunt. Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam, ipsis autem vocatis Judæis et Græcis Christum Dei virtutem et Dei sapientiam* (I *Cor.* I, 22).

CAP. II. — QUOD SAPIENTIA DEI CHRISTUS ; ET DE SACRAMENTO INCARNATIONIS [n] EJUS ET PASSIONIS, ET CALICIS ET ALTARIS, ET APOSTOLORUM QUI MISSI PRÆDICAVERUNT.

Apud Salomonem in Proverbiis : *Sapientia ædificavit sibi domum, et subdidit* [o] *columnas septem. Mactavit suas hostias* [p], *miscuit in cratera vinum suum* [q], *et paravit suam mensam, et misit servos suos convocans cum excelsa prædicatione ad craterem dicens : Qui est insipiens declinet ad me. Et egentibus sensu dixit : Venite, edite de meis panibus, et bibite vinum quod miscui vobis. Derelinquite stultitiam, et quærite prudentiam, et corrigite scientiam in intellectu* [r] (*Prov.* IX, 1 *sqq.*).

CAP. III. — QUOD CHRISTUS IDEM SIT SERMO DEI.

In Psalmo XLIV : *Eructavit cor meum sermonem bonum, dico ego opera mea regi* (*Ps.* XLIV, 1). Item in Psalmo XXXII : *Sermone* [s] *Dei cœli solidati sunt, et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum* (*Ps.* XXXII, 6). Item apud Esaiam : *Verbum consummans et brevians in justitia ; quoniam sermonem breviatum faciet Deus in toto orbe terræ* (*Is.* XVI, 23). Item in Psalmo CVI : *Misit sermonem suum* [t], *et curavit illos* (*Ps.* CVI, 20). Item in Evangelio cata Joannem : *In principio erat Sermo* [u], *et Sermo erat apud Deum, et Deus erat Sermo. Hic* [v] *erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil quod factum est. In illo vita erat* [x], *et vita erat lux hominum ; et lux lucet in tenebris, et tenebræ illam* [y] *non comprehenderunt* (*Joan.* I, 1). Item in Apocalypsi : *Et vidi cœlum apertum, et ecce equus albus ; et qui sedebat super eum vocabatur fidelis et verus, æquum justumque judicans* [z], *et prœliabatur* [aa] ; *eratque coopertus veste conspersa* [bb] *sanguine ; et dicitur nomen ejus Sermo Dei* (*Apoc.* XIX, 11).

CAP. IV. — QUOD CHRISTUS IDEM MANUS ET BRACHIUM DEI SIT.

Apud Esaiam : *Numquid non valet manus Dei ut salvos faciat? aut gravavit aurem ut non exaudiat? Sed peccata vestra* [cc] *inter vos et Deum separant, et propter peccata vestra* [dd] *avertit faciem suam a vobis ne misereatur. Manus enim vestræ inquinatæ sunt sanguine* [ee], *et digiti vestri in peccatis. Labia autem vestra locuta sunt facinus, et lingua vestra injustitiam meditatur* [ff]. *Nemo loquitur vera, neque est judicium verum. Fidunt in va-*

LECTIONES VARIANTES.

[a] In altissimis *Bod.* 1, 2. *Lam. Lin. NC.* 1, 2.
[b] Circuivi sola *Lam. Bod.* 2, 3. *NC.* 1.
[c] Primatum tenui *Bod.* 2. *Lam.*
[d] Corda virtute calcavi *Thu. Corb. Benev. Ver.*
[e] In me via vitæ *Lin.* spes vitæ *Foss.*
[f] Ponam eum, et excelsum præ regibus terræ *NC.* 2.
[g] Semen ejus, et thronum ejus sicut dies cœli *NC.* 2.
[h] Clarificavi te super terram *Lam. NC.* 1.
[i] Opere consummato *Lin.* quo dedisti mihi *Foss.*
[j] Clarifica me pater *Lin.*
[k] Aquæ vivæ gratis *NC.* 1, 2. *Lam.*
[l] Signa petunt *Lin.*
[m] Sapientiam *legunt Bod.* 1. *Voss.* 3. *Morell. Tert. In Græco* σοφίαν. Prudentiam *Impress. et mss. pler.*
[n] Concarnationis *Lin. NC.* 2. *Thu. Bod.* 3, 4.
[o] Succidit *Lam. NC.* 1.
[p] Suam hostiam *Thu. Fos. Corb.*
[q] In cratere vinum *Lam. Thu. Corb. NC. Bod.* 1, 2. in craterem *Bod.* 3.
[r] Percipite scientiam et intelligentiam *Bod.* 1, 4.
[s] *Sic Bod.* 3. *Foss. Spir. Remb. Eras.* Verbo Dei solidati sunt *nuperi Impress. et mss. pler.* Firmati sunt *Oxon.*
[t] Verbum suum *Bod.* 2. *Lam. NC.* 2.
[u] Erat Verbum *NC.* 1, 2. *Lam. Bod.* 1, 2, 3, 4. *Et sic deinceps.*
[v] Hoc erat *Lam. NC.* 1, 2. *Lin. Foss. Bod.* 1, 2, 3, 4.
[x] Vita est *Bod.* 1, 2, 4. *Thu, Foss. Corb. Ver. Benev. Man.* Quod factum est in illo vita erat *Pam. Rig.*
[y] Et tenebræ eum *Bod.* 1, 4, *Thu. Corb.*
[z] Verus et cum justitia *Bod.* 1.
[aa] *Sic Mor. Man.* Præliabantur *Pam. Rig.* Prœliator *Lam. Lin. NC.* 1, 2. *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Voss*, 3. *Thu. Corb.* Judicans et prœliaturus *Foss. Spir. Rem. Eras.*
[bb] Vestem conspersam sanguine *Thu. Corb.*
[cc] Peccata nostra *Bod.* 3.
[dd] Propter debita *Veron.*
[ee] Manus vestræ plenæ sunt sanguine *NC.* 2. *Bod.* 3.
[ff] Injustitiam meditabitur *Thu.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

ex codice Burgundico et ex Fuxensi. Habetur autem in versione Vulgata libri *Ecclesiastici*, sed non exstat in versione LXX Interpretum.

Digitized by Google

nis [a] *et loquuntur inania qui parturiunt dolorem* [b] *et pariunt facinus* (*Isa.* LIX, 1). Item illic : *Domine, quis credidit auditui nostro? et brachium Dei cui revelatum est* (*Isa.* LIII, 1)? Item apud eumdem : *Sic dicit Dominus : Cœlum mihi thronus, et terra suppedaneum pedum meorum* [c]. *Quam mihi sedem ædificabitis* [d]? *aut quis locus ad requiem mihi? Omnia enim ista fecit manus mea* (*Isa.* LXVI, 1). Item apud eumdem : *Domine Deus, altum est brachium tuum, et non sciebant; cum cognoverint autem, confundentur* [e] (*Ibid.* XXVI, 11). Item apud eumdem : *Revelavit Dominus brachium suum illum sanctum in conspectu omnium gentium. Videbunt omnes gentes ipsa suprema terræ salutem a Deo* [f] (*Ibid.* LII, 10). Item illic : *Ecce feci te sicut rotas vehiculi triturantis novas in se retornatas* [g]; *et triturabis* [sic] *montes, et extenuabis colles, et sicut laB nuginem pones et ventilabis, et ventus occupabit illos, et procella disperget. Tu autem jucundaberis in sanctis Israel, et exultabunt inopes et egeni. Quærent enim aquam, et non erit. Lingua enim eorum a siti siccabit. Ego Dominus Deus, ego exaudiam Deus Israel, et non derelinquam eos; sed aperiam inter montes flumina et in mediis campis fontes. Faciam deserta in nemora aquosa, et sitientem terram in aquæductus. Ponam in inaquosam terram cedrum et buxum et myrtum et cypressum* [h] *et ulmum et populum, ut videant et cognoscant et sciant et credant simul quia manus Domini fecit ista et sanctus Israel ostendit* (*Is.* XLI, 15-20).

CAP. V. — QUOD IDEM ANGELUS ET DEUS CHRISTUS.

In Genesi ad Abraham : *Et vocavit eum Angelus Domini de cœlo, et dixit illi : Abraham, Abraham. Ille autem dixit : Ecce ego. Et dixit : Noli imponere manum tuam super puerum, neque feceris illi quicquam. Nunc enim cognovi quoniam times Deum tuum* [i], *et non pepercisti filio tuo dilectissimo* [j] *propter me* (*Gen.* XXII, 11, 12). Item illic ad Jacob : *Et dixit mihi Angelus Domini in somnis : Ego sum Deus quem* [k] *vidisti in loco Dei, ubi* [k] *unxisti mihi titulum lapideum, et vovisti mihi votum* (*Gen.* XXXI, 13). Item in Exodo : *Deus autem præibat eos, die quidem per columnam nubis ostendere illis iter* [l], *nocte autem in columna ignis* (*Exod.* XIII, 21). Et postea illic : *Promovit autem Angelus Dei qui præcedebat exercitum filiorum Israel* (*Ibid.* XIV, 19). Item illic : *Ecce ego præmitto Angelum meum ante faciem tuam, ad custodiendum te in itinere, ut te inducat in terram* [m] *quam tibi præparavi. Observa eum* [n], *et obaudi eum, et ne fueris inobaudiens ei, et non deerit tibi. Nomen enim meum in illo est* (*Ibid.* XXIII, 20, 21), Unde ipse in Evangelio dicit : *Ego veni in nomine Patris mei, et non recepistis me. Cum alius venerit in nomine suo, illum accipietis* (*Joan.* V, 43). Et iterum in Psalmo CXVII : *Benedictus est qui venit in nomine Domini.* Item in Malachia [o] : *Testamentum meum fuit cum vita et pace, et dedi illi* [p] *timorem ut timeret me, a facie nominis mei proficisci illum. Lex veritatis fuit in ore ejus* [q], *et injustitia non est inventa in labiis ejus. In pace linguæ* [r] *corrigens ambulavit nobiscum, et multos avertit ab injustitia. Quoniam labia sacerdotis servabunt scientiam, et legem exquirent ab ore ejus, quoniam Angelus* [s] *Omnipotentis est* (*Malac.* II, 5-7).

CAP. VI. — QUOD DEUS CHRISTUS.

In Genesi : *Dixit autem Deus ad Jacob : Exsurge, et ascende in locum* [t] *Bethel : et habita illic, et fac illic altare illi Deo qui tibi apparuit cum fugeres a facie Esau fratris tui* (*Gen.* XXXV, 1). Item apud Esaiam : *Sic dicit Dominus Deus sabaoth : Fatigata est Ægyptus, et negotiatio Æthiopum, et Sabaim viri alti ad te transgredientur, et tui erunt servi, et post te* [u] *ambulabunt vincti compedibus, et adorabunt te, et in te precabuntur; quoniam in te Deus est, et non est Deus alius* [v] *præter te. Tu enim es Deus, et non sciebamus, Deus Israel salvator. Confundentur et reverebuntur omnes qui adversantur tibi, et cadent in confusionem* [x] (*Isa.* XLV, 14-16). Item apud eumdem : *Vox clamantis in de-*

LECTIONES VARIANTES.

[a] Confidunt in vanis *Bod.* 1.
[b] Qui concipiunt dolorem *Bod.* 4.
[c] Scabellum pedum *Bod.* 1, 2, 3. *Lam. NC.* 1.
[d] Domum ædificabitis *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. *Foss.*
[e] Qui autem non cognoverunt confundentur *Lin.*
[f] Salutare Dei *Bod.* 3, 4. *Quæ sequuntur desunt in Lam. Lin. NC.* 1. *Bod.* 2. *Thu. Foss. Corb. Benev. Ver. Spir.* V. *Inmom. Remb. Eras. Manut.*
[g] In serram *Veron. et Benev.* in seres formatas *Voss.* 4. *mss.* 2. *Pam.*
[h] Myrrhum et cupressum *Pam. Rig.* Et ulmum et populum *NC.* 2. *Bod.* 1, 3, 4.
[i] Times Dominum Deum tuum *Bod.* 1. 2, 3.
[j] Filio tuo dilecto *Bod.* 1, 3. *Ver. Benev.*
[k] In loco ubi *Bod.* 3.
[l] Ostendens illis iter *Bod.* 2.
[m] In terram bonam *Bod.* 1.
[n] Eum ne fueris inobaudiens *Thu. Foss. Corb.* Ei, non enim *Bod.* 1, 4. *Thu. Corb. Spir.*
[o] Item in Mal. *Hæc et sequentia desiderantur in Ben. et Ver. Lam. NC.* 1. *Lin. Bod.* 1, 2. V. *Inmom. mss. R. Thu. Foss. Corb.*
[p] Dedi illi timere me *Bod.* 3.
[q] Ejus et injustitia *Bod.* 1.
[r] In pace corrigens *NC.* 2.
[s] Angelus Domini *Bod.* 1, 2, 4.
[t] Descende in locum *Lam. NC.* 1.
[u] Et postea ambulabunt *Foss.*
[v] Et non est alius *Bod.* 1, 3.
[x] In confusione *Thu. Foss.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

CAP. IV. — *Item illic : Ecce feci te.* Hoc segmentum primus huic capiti attexuit Morellius. Pro eo autem quod in ejus editione legitur *in se retornatas*, quia quidam libri veteres quos Pamelius viderat, præferebant *in se resformatas*, quia quidam libris veteribus monet editio Anglicana, existimabat Pamelius scribendum esse *in serram formatas*. Ego non disputo an hæc emendatio bona sit.

CAP. VI. — *Quod Christus.* Vide Erasmi Annotationes in caput primum Evangelii secundum Joannem.

Item in Malachia. Ista et quæ sequuntur usque ad finem capituli, desiderantur in antiquis editionibus et in quibusdam codicibus manuscriptis, uti etiam annotatum est in editione Anglicana. Morellius adjecit.

CAP. VI. — *Cadent in confusionem.* In capite XLIV epi-

Digitized by Google

serto [a] : *Parate viam Domini* [b], *rectas facite semitas Dei nostri. Omnis rivus* [c] *implebitur, et omnis mons et collis humiliabitur, et erunt omnia tortuosa* [d] *in directum et aspera in campum* [e] : *et videbitur claritas Domini* [f], *et videbit omnis caro salutare Dei, quoniam Dominus locutus est* (*Isa.* XL, 3-5). Item apud Hieremiam : *Hic Deus noster* [g], *et non deputabitur* [h] *alius absque illo, qui inuenit omnem viam prudentiæ, et dedit eam Jacob* [i] *puero suo et Israel dilecto sibi. Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est* (*Baruc.* III, 35). Item apud Zachariam Deus dicit : *Et transibunt per mare angustum, et percutient in muri fluctus, et arefacient* [j] *omnes altitudines fluminum, et confundetur omnis* [387] *injuria* [k] *Assyriorum, et sceptrum Ægypti* [l] *auferetur, et confortabo eos in Domino Deo ipsorum, et in nomine ejus gloriabuntur, dicit Dominus* (*Zach.* X, 11, 12). Item apud Osee dicit Dominus : *Non faciam juxta iram indignationis meæ, non sinam deleri Ephraim, quoniam Deus ego sum, et non homo in te sanctus* [m], *et non introibo* [n] *in civitatem, post Deum ibo* (*Ose.* XI, 9, 10). Item in Psalmo XLIV : *Thronus tuus, Deus, in sæcula sæculorum, virga æquitatis, virga regni tui. Dilexisti justitiam, et odisti* [o] *iniquitatem* [p]. *Propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo exultationis super participes tuos* [q] (*Ps.* XLIV, 7, 8). Item in Psalmo XLV : *Vacate et cognoscite quoniam ego sum Deus. Exaltabor in gentibus et exaltabor in terra* (*Ps.* LXV, 11). Item in Psalmo LXXXI : *Non cognoverunt* [r] *neque intellexerunt, in umbra deambulabunt* [s] (*Ps.* LXXXI, 5). Item in Psalmo LXVII : *Cantate Deo : psallite nomini ejus, viam facite ei qui ascendit in occasum, Deus nomen illi* [t] (*Ps.* LXVII, 3). Item in Evangelio cata Joannem : *In principio erat Sermo* [u], *et Sermo erat apud Deum, et Deus erat Sermo* (*Joan.* I, 1). Item in eodem Dominus ad Thomam : *Injice huc digitum tuum, et vide manus meas, et noli esse incredulus sed fidelis. Respondit Thomas, et dixit illi : Dominus meus et Deus meus. Dicit illi Jesus : Quia vidisti me* [v], *credidisti. Felices qui non viderunt et crediderunt* (*Joan.* XX, 27-29). Item Paulus ad Romanos : *Optabam ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus cognatisque meis* [x] *secundum carnem, qui sunt Israelitæ, quorum adoptio et claritas et testamentum et legis constitutio et famulatus et promissiones, quorum patres* [y], *ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula* (*Rom.* IX, 3-5). Item in Apocalypsi : *Ego sum* [z] *α et ω,* [z] *initium et finis. Ego sitienti dabo de fonte aquæ vitæ* [aa] *gratis. Qui vicerit* [bb] *possidebit ea et eorum hæreditatem ; et ero ejus Deus, et ille erit mihi filius* (*Apoc.* XXI, 6, 7). Item in Psalmo LXXXI. *Deus stetit in synagoga deorum, in medio autem deos discernens.* Et iterum illic : *Ego dixi : Dii estis et filii Altissimi omnes ; vos autem sicut homines moriemini* (*Ps.* LXXXI, 1, 6, 7). Quod si justi qui fuerint et præceptis divinis obtemperaverint dii, dici possunt, quanto magis Christus Deus Dei Filius [cc] ? Sic ipse [dd] in Evangelio cata Joannem dicit : *Nonne scriptum est in Lege quoniam ego dixi : Dii estis? Si illos dixit deos* [ee] *ad quos sermo Dei factus est, et non potest solvi Scriptura, quem Pater sanctificavit et misit in sæculum, vos dicitis quoniam blasphemas* [ff], *quia dixi : Filius Dei sum. Quod si* [gg] *non facio facta Patris, nolite mihi credere* [hh] *; quod si facio et mihi non vultis credere, factis credite, et cognoscite quoniam in me est Pater, et ego in illo* (*Joan.* X, 34). Item in Evangelio cata Matthæum : *Et vocabitis nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum nobiscum Deus* (*Matth.* I, 23).

CAP. VII. — QUOD CHRISTUS DEUS VENTURUS ESSET ILLUMINATOR ET SALVATOR GENERIS HUMANI.

Apud Esaiam : *Confortamini, manus resolutæ, et, genua debilia, exhortamini* [ii]. *Qui estis pusillanimes* [jj], *nolite metuere. Deus noster judicium retribuet, ipse veniet et salvos faciet nos. Tunc aperientur oculi cæco-*

LECTIONES VARIANTES.

[a] In eremo *NC.* 1. *Lam. Bod,* 1, 2, 4.
[b] Viam Domino *Bod.* 3, 4. *Thu. Foss. Corb.*
[c] Omnis vallis *NC.* 2.
[d] Omnia prava *NC.* 2.
[e] Aspera in vias planas *NC.* 2.
[f] Omnis claritas *Bod.* 3, 4. *Foss.*
[g] Hic est Deus meus *Bod.* 3.
[h] Non computabitur *Lin.*
[i] Et dedit Jacob *Thu.* Dilecto suo *Foss.*
[j] Et arefient omnes *NC.* 2.
[k] Confundentur omnes injuriæ *Foss.*
[l] Ægypti transferetur *Bod.* 1. Avertetur *NC. Lam. Bod.* 2.
[m] Homo inter sanctos *Lamb. Bod.* 2. *Thu. Lin. NC.* 1.
[n] Non ibo *Thu.*
[o] Odio habuisti *Lin. Thu. Corb.*
[p] Injustitiam *Bod.* 1. 4.
[q] Lætitiæ præ consortibus tuis *NC.* 2. *Bod.* 3.
[r] Cognoverunt me neque *Bod.* 1.
[s] Deambulant *NC.* 1. *Lam.* Deambulaverunt *Lin.*
[t] Nomen illi est *Bod.* 1. 4.
[u] In principio fuit *Thu. Foss. Corb.* Verbum *Lam. Bod.* 2, 3, 4. *NC.* 1, 2.
[v] Vidisti, credidisti *Bod.* 1, 2, 4. Vidisti me, Thoma *Lin. Bod.* 3. Credent *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2.
[x] Fratribus cognatis meis *Lam. Bod.* 1, 2. *NC.* 1, 2. *Lin. Thu. Corb.*
[y] Quorum patres sunt *NC.* 1. *Lam.*
[z] Ego α et ω, *Bod.* 1, 2.
[aa] Aquæ vivæ *Foss.*
[bb] Qui biberit *NC.* 1. *Lam.*
[cc] Christus Dei filius *Foss.*
[dd] Sicut ipse *Lin NC.* 1, 2. *Thu. Foss. Corb.*
[ee] Dixit deos et non potest *Lam. NC.* 1. 2. *Lin. Bod.* 1, 2, 4. *Thu. Foss. Corb.*
[ff] Blasphemaris *Bod.* 1.
[gg] Sum. Si non facio *Thu. Foss. Corb.*
[hh] Nolite mihi credere, sed si mihi non vultis credere, *Thu. Foss.*
[ii] Exhortamini, qui estis pusillanimi *Ver. Benev.*
[jj] Nolite timere, nolite metuere *Thu. Foss.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

tomes Lactantii editum est *in confessionem.* Pfaffius monuit legendum forsitan esse *confusionem.* Recte. Nam Lactantius, lib. IV, cap. 15, hunc eumdem locum referens, scripsit *confusionem.*

Injice huc digitum. Hunc locum ex alia versione refert Avitus epist. III.

Deus benedictus. Certum est vocem *Deus* non exstare in codice Fossatensi, ut jampridem monuit illustrissimus episcopus Oxoniensis. Sed exstat in pluribus aliis, saltem in quindecim a me visis, et in editionibus Manutii et Morellii. In margine vero editionis quæ dicitur Gravii ita ad hunc locum adnotatum est : *Mirum est in exemplaribus etiam vetustissimis non addi Deus, quum sit apud Græcos :* eadem vox exstat etiam

Digitized by Google

rum, et aures surdorum audient. Tunc saliet claudus sicut cervus, et plana erit lingua mutorum : quia rupta est in deserto aqua, et rivus in terra sitienti (*Isa.* XXXV, 3-6). Item illic : *Non senior, neque Angelus* [a], *sed ipse Dominus liberabit illos ; quia diliget eos* [b] *et parcet eis, et ipse redimet eos* (*Isa.* LXIII, 9). Item illic : *Ego Dominus Deus vocavi te in justitia, ut teneam manum tuam, et confortabo te ; et dedi te in testamentum generis mei, in lumen gentium, aperire oculos cæcorum, producere a vinculis* [c] *vinctos, et de domo carceris sedentes in tenebris. Ego Dominus Deus, hoc mihi nomen est* [d]. *Claritatem meam alii non dabo, neque virtutes meas sculptilibus* (*Isa.* XLII, 6-8). Item in Psalmo XXIV : *Vias tuas, Domine* [aa], *ostende mihi* [e], *et semitas tuas edoce me, et deduc me ad veritatem tuam, et doce me, quoniam tu es, Deus, salvator meus* (*Ps.* XXIV, 4-5). Unde in Evangelio cata Joannem Dominus dicit : *Ego sum lumen mundi* [f]. *Qui me secutus fuerit, non ambulabit in tenebris, sed habebit lumen vitæ* (*Joan.* VIII, 12). Item cata Matthæum Gabriel angelus ad Joseph : *Joseph, fili David, ne metueris* [g] *assumere Mariam* [h] *uxorem tuam. Quod enim ex illa natum fuerit, de Spiritu sancto est. Pariet autem filium, et vocabis nomen ejus Jesum. Hic enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum* (*Matth.* I, 20, 21). Item cata Lucam : *Et Zacharias impletus est Spiritu sancto, et prophetavit dicens : Benedictus Dominus Deus Israel, qui prospexit redemptionem* [i] *populo suo, et excitavit* [j] *nobis cornu salutis in domo David pueri sui* (*Luc.* I, 67, 68). Item illic Angelus ad pastores : *Ne timueritis. Ecce enim annuntio vobis quoniam natus est vobis hodie salvator, qui est Christus Jesus, in civitate David* (*Ibid.* II, 7, 8).

A

C

CAP. VIII. — QUOD CUM A PRINCIPIO FILIUS DEI FUISSET, GENERARI DENUO HABERET SECUNDUM CARNEM.

In Psalmo II : *Dominus dixit ad me : Filius meus es tu, ego hodie genui te* [k]. *Postula a me* [l], *et dabo tibi gentes hæreditatem tuam et possessionem tuam terminos terræ* (*Ps.* II, 7, 8). Item in Evangelio cata Lucam : *Et factum est* [m], *ut audivit salutationem Mariæ Elisabeth, exultavit infans in utero ejus, et impleta est Spiritu sancto, et exclamavit voce magna et dixit : Benedicta tu inter mulieres, et benedictus ventris tui. Et unde hoc mihi contingit ut veniat mater Domini* [n] *mei ad me* (*Luc.* I, 41-43)? Item Paulus ad Galatas : *At ubi advenit impletio temporis* [o], *misit Deus Filium suum natum de muliere* [p] (*Gal.* IV, 4). Item in Epistola Joannis : *Omnis spiritus qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, de Deo est. Qui autem negat in carne venisse, de Deo non est* [q], *sed est de antichristi spiritu* (I *Joan.* IV, 2, 3).

CAP. IX. — QUOD HOC FUTURUM ESSET SIGNUM NATIVITATIS EJUS, UT DE VIRGINE NASCERETUR HOMO ET DEUS, HOMINIS ET DEI FILIUS.

Apud Esaiam : *Et adjecit Dominus loqui ad Achaz dicens* [r] *: Pete tibi signum a Deo Domino tuo in altitudinem* [s] *sursum et in altitudinem deorsum. Et dixit Achaz : Non petam, et non tentabo Dominum Deum meum. Et dixit : Audite itaque, domus David* [t]. *Non pusillum* [u] *vobis certamen cum hominibus, quoniam Deus præstat agonem. Propter hoc dabit Deus ipse vobis signum. Ecce virgo in uterum accipiet, et pariet filium, et vocabitis* [v] *nomen ejus Emmanuel. Butyrum et mel manducabit* [x] *priusquam sciat reprobare malum et eligere bonum* [y] (*Isa.* VII, 10-15). Hoc semen prædixerat Deus de muliere procedere, quod calcaret caput diaboli. In Genesi : *Tunc dixit Deus ad serpentem : Quia tu hoc fecisti, maledictus tu ab omni genere* [z] *bestiarum terræ. Pectore tuo et ventre repes, et erit tibi terra cibus in omnibus diebus vitæ tuæ. Et ponam inimicitiam inter te et mulierem et inter semen* [aa] *ejus. Ipse tuum observabit* [bb] *caput, et tu observabis calcaneum ejus* (*Gen.* III, 14, 15).

B

CAP. X. — QUOD ET HOMO ET DEUS CHRISTUS, EX UTROQUE GENERE CONCRETUS, UT MEDIATOR ESSE INTER NOS ET PATREM POSSET.

Apud Hieremiam [cc] : *Et homo est, et quis cognoscet eum* (*Hier.* XVII, 9)? Item in Numeris : *Orietur stella ex Jacob, et exsurget homo ex Israel.* Item illic : *Procedet homo de semine ejus, et dominabitur multarum gentium et exaltabitur tamquam* [dd] *Gog regnum ipsius, et augebi-*

D

LECTIONES VARIANTES.

[a] Senior non Angelus *Lam.* atque *Bod.* 3.
[b] Diligit eos *Foss. Lam.* eos, et ipse redimet *Thu. Corb.*
[c] Producere e vinculis *Bod.* 1.
[d] Deus. Claritatem *Foss.*
[e] Notas fac mihi *NC.* 2.
[f] Ego sum lux mundi *Bod.* 3.
[g] Ne timueris *Lam. NC.* 2. *Lin. Bod.* 3, 4.
[h] Mariam conjugem *NC.* 1, 2. *Lam.*
[i] Qui fecit redemptionem *NC.* 2.
[j] Suscitavit *NC.* 2.
[k] Hodie generavi *Bod.* 4.
[l] Posce a me *Lin. Bod.* 1. *Thu. Foss.* Pete *NC.* 2.
[m] Factum est quomodo audivit *Bod.* 1, 2, 3. 4. *Thu. Corb. Ver. Benev.*
[n] Ut mater Domini *Bod.* 1, 2, 4. *Thu. Corb.*
[o] Adimpletio *Thu. Voss. Corb.* Plenitudo *Lin. Bod.* 3
[p] Natum de virgine *Lin. Bod.* 3, 4.
[q] De Deo natus non est, sed est antichristus *Bod.* 3.
[r] Achaz pete *Thu. Foss. Corb. Bod.* 1, 3, 4.
[s] In altitudine *Bod.* 1.
[t] Itaque domus Jacob *Lam. Bod.* 1, 2, 3, 4. *NC.* 1. *Lin.*
[u] Pusillum erit vobis *NC.* 1. *Lin. Bod.* 1, 2, 3, 4.
[v] Et vocabis nomen *Thu. Foss. Corb.* vocabitur *Bod.* 3.
[x] Comedet *Lin.*
[y] Priusquam cognoscat ut præferat mala, commutabit bonum *Voss.* 3, 4. *Thu. Cor. Lam. NC.* 1. *Lin. Bod.* 1, 2, 3, 4. *Oxon.* Commutat *Voss.* 3, 4. *Benev.* Commutato *Ver. Impress.* Sciat reprobare malum et eligere bonum.
[z] Tu ab omni pecore, et ab *Lam. Lin. Bod.* 1, 2, 3, 4. *NC.* 1. *Thu. Foss. Corb.*
[aa] Tuum et inter semen *Lam. Lin. NC.* 1. *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Thu. Foss. Corb.*
[bb] Ipsa tuum observabit *Benev. Ver. NC.* 1. *Lam. Bod.* 2, 3.
[cc] Hieremiam dicitur *Lam. NC.* 1, *Bod.* 2, 3, 4.
[dd] Exaltabitur Gog. *Oxon.* Gigas *Bod.* 1.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

apud Tertullianum in libro *adversus Praxeam*, ubi refert hunc locum Pauli.

CAP. VIII. — *De antichristi spiritu.* Vide Erasmi annotationes in hunc locum Petri.

Digitized by Google

tur regnum ejus, et Deus eduxit eum ex Ægypto [a]; *quasi claritas unicornis ei* [b], *et edet gentes inimicorum suorum* [c], *et crassitudines illorum emedullabit, et balistis suis configet inimicum* [d]. *Recubans* [e] *requievit quasi leo et quasi catulus leonis. Quis suscitabit eum? Qui benedicunt te* [f] *benedicti sunt, et qui maledicunt te maledicti sunt* (*Num.* XXIV, 17, 7-9). Item apud Esaiam: *Spiritus* [sic] *Domini super me. Propter quod unxit me* [g], *bene nuntiare pauperibus misit me, curare contribulatos corde* [h], *prædicare captivis remissionem et cæcis visum* [i], *vocare annum Domini acceptabilem et diem retributionis* (*Isa.* LXI, 12). Unde in Evangelio cata Lucam Gabriel [j] ad Mariam [k]: *Et respondens Angelus dixit ad illam: Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit te* [l]. *Quapropter* [m] *quod nascetur ex te sanctum vocabitur Filius Dei* (*Luc.* I, 35). Item in Epistola Pauli ad Corinthios priore: *Primus homo de terræ limo, secundus homo de cœlo* [n]. *Qualis ille de limo, tales et qui de limo; et qualis cœlestis, tales et cœlestes. Quomodo portavimus imaginem ejus qui de limo est, portemus et imaginem ejus qui de cœlo est* (I *Cor.* XV, 47-49).

CAP. XI. — QUOD DE SEMINE DAVID SECUNDUM CARNEM NASCI HABERET.

In Basilion secundo: *Et fuit verbum Domini ad Nathan dicens: Vade, et dic servo meo David: Hæc dicit Dominus: Non tu ædificabis mihi domum ad inhabitandum; sed erit, cum impleti fuerint dies tui, et dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, qui erit de utero tuo, et parabo regnum ejus. Hic ædificabit mihi domum in nomine meo* [o], *et erigam thronum ejus usque in sæculum. Et ego ero ei in patrem, et ipse erit mihi in filium; et fidem consequetur domus ejus, et regnum ejus usque in sæculum in conspectu meo* (II *Reg.* VII, 4, 5, 12, 14, 16). Item apud Esaiam: *Et exibit virga* [p] *de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet* [q]; *et requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et implebit eum spiritus timoris Domini* [r] (*Isa.* XI, 1-3). Item in Psalmo CXXXI: *Juravit Deus ipsi David veritatem, et non reprobavit eam* [s]: *De fructu ventris tui ponam super thronum meum* [t] (*Ps.* CXXXI, 11). Item in Evangelio cata Lucam: *Et dixit Angelus ad illam: Ne timeas, Maria. Invenisti enim gratiam ante Deum. Ecce concipies in utero* [u], *et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur, et dabit illi Dominus Deus thronum David patris sui, et regnabit* [v] *super domum Jacob in sæcula* [x], *et regni ejus non erit finis* (*Luc.* I, 30-33). Item in Apocalypsi: *Et vidi librum in dextera Dei sedentis super thronum scriptum intus et retro* [y], *signatum signis* [z] *septem; et vidi Angelum fortem prædicantem voce magna: Quis dignus est accipere librum et aperire signa ejus? Nec quisquam poterat neque in cœlo, neque super terram* [aa], *neque sub terra* [bb], *aperire librum, sed neque perspicere eum. Et ego flebam multum quod nemo dignus* [cc] *repertus esset qui aperiret librum aut videret illum. Et unus ex senioribus dixit mihi: Ne fleveris, ecce vicit Leo de tribu Juda, Radix David, aperire librum et solvere* [dd] *septem signa ejus* (*Apoc.* V, 1-5).

CAP. XII. — QUOD IN BETHLEHEM NASCERETUR.

Apud Michæam: *Et tu Bethlehem, domus* [ee] *Effrata, non exigua es, ut constituaris in millibus Juda. Ex te mihi procedet ut sit* [ff] *princeps apud Israel, et processiones ejus* [gg] *a principio a diebus sæculi* (*Mich.* V, 2). Item in Evangelio: *Et cum Jesus natus esset in Bethlehem Judæ in diebus* [hh] *Herodis regis, ecce magi ab oriente venerunt* [ii] *Hierosolymam dicentes: Ubi est qui natus est rex Judæorum? Vidimus enim stellam ejus in Oriente, et venimus* [jj] *cum muneribus adorare illum* (*Matth.* II, 1, 2).

LECTIONES VARIANTES.

[a] Ægypto gloria ejus *Bod.* 1.
[b] Unicornis et edet *NC.* 1, 2. *Lam. Lin. Thu. Foss.*
[c] Carnes inimicorum *Foss.*
[d] Confringet *Bod.* 1. Conficiet. *Lin.* 2. *Bod.* 3, 4.
[e] *Sic Bod.* 1, 2, 3. *Lam. Lin. Thu. Foss. Cor. NC.* 1, 2. Recumbens *Oxon.*
[f] Benedicent *Lam. Lin. NC.* 1. *Bod.* 2, 3, 4.
[g] Quod misit me bonum *Bod.* 3.
[h] Sanare contribulatos *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2.
[i] Cæcis visum restituere *NC.* 2.
[j] Gabriel angelus *Bod.* 1.
[k] Dixit ad Mariam virginem *Bod.* 3, 4,
[l] Adumbrabit tibi *Bod.* 2. *Lam. Lin. NC.* 1, 2.
[m] Quapropter hoc quod nascetur ex te sanctum *Lam. NC.* 1, 2. *Lin. Bod.* 1, 3, 4. *Thu. Foss. Corb.*
[n] Secundus de cœlo *Lam. Lin. NC.* 1.
[o] Domum nomine meo *Thu. Foss. Corb. Lam. Lin. NC.* 1, 2. *Bod.* 2, 3, 4.
[p] Exivit *Corb.* Exiet *Thu.*
[q] Radice ejus descendens *Corb.*
[r] Timoris Dei *Thu. Corb.*
[s] Et non frustrabit *NC.* 2. Reprobravit eum *Foss.*
[t] Super thronum tuum *Oxon.*
[u] In utero tuo *Bod.* 3.
[v] Et regnum *Foss.*
[x] In æternum *Bod.* 3.
[y] Scriptum intus et secreto *NC.* 2. foris *Bod.* 1.
[z] Sigillis *Bod.* 1. *Lam. Lin. NC.* 1.
[aa] In terra *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Lam. Lin. NC.* 1.
[bb] Sub terram *Bod.* 2, 3, 4.
[cc] Nemo dignus in terra *Bod.* 1-4. *Lam. Lin. NC.* 1.
[dd] Et septem *Lam. NC.* 1, 2. *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Thu. Corb.*
[ee] Bethlehem domus illius *Lin. Bod.* 1, 4. *NC.* 2. *Thu. Foss. Corb.* numquid exigua *Bod.* 1, 3, 4. *Lin. NC.* 2.
[ff] Qui sit princeps *Foss.*
[gg] Progressiones *Lam. NC.* 1.
[hh] Bethleem in diebus *Foss.*
[ii] Advenerunt *Lam. Bod.* 1, 2, 4. *Lin. NC.* 1, 2.
[jj] Et ecce venimus *NC.* 2. Cum muneribus *abest Oxon.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

CAP. XII.—*Cum muneribus.* Addidi hæc duo vocabula juxta veteres editiones, in quibus etiam pono Manutianam et Morellianam. Pamelius expunxit ut superflua: sic etiam Rigaltius et Angli. Exstant tamen in libro Fossatensi, in Beccensi et in vetustissimo codice 87 Majoris-Monasterii Turonensis. Sic etiam legebat vetus auctor libri *de Rebaptismate*, pag. 359. Immo in missalibus antiquis et novis legitur sequens antiphona in die Epiphaniæ: *Vidimus stellam ejus in Oriente, et venimus cum muneribus adorare Dominum.*

Digitized by Google

CAP. XIII. — QUOD HUMILIS IN PRIMO ADVENTU SUO VENIRET.

Apud Esaiam : *Domine, quis credidit auditui nostro, et brachium Domini* [a] *cui revelatum est? Annuntiavimus coram ipso sicut pueri, sicut radix in terra sitienti. Non est figura ejus neque claritas ; et vidimus illum, et non habuit figuram neque speciem, sed figura ejus sine honore et deficiens præter cæteros homines. Homo in plaga positus et sciens ferre imbecillitatem* [b]*; quia aversa est* [c] *facies ejus, inhonoratus est, et non est* [d] *computatus* [aa] (*Isa.* LIII, 1-7). *Hic peccata nostra portat* [e]*, et pro nobis dolet* [f]*, et nos putavimus* [g] *illum esse in dolore et in plaga et in vexatione ; ipse autem vulneratus est propter facinora nostra, et infirmatus est propter peccata nostra. Doctrina pacis nostræ super illum, et livore ejus* [h] *sanati sumus. Omnes sicut oves erravimus, homo a via sua erravit. Et Deus tradidit illum pro peccatis nostris, et ipse propterea quod vexatus est, non aperuit os suum* (*Isa.* LIII, 1-7). Item apud eumdem : *Non sum contumax, neque contradico ; dorsum meum posui ad flagella, et maxillas meas ad palmas, faciem autem meam* [i] *non averti a fœditate spuiorum, et fuit Deus* [j] *auxiliator meus* (*Isa.* L, 5, 7). Item apud eumdem : *Non clamabit neque audiet quis* [k] *in plateis vocem ejus. Arundinem quassatam non confringet, et linum fumigans non exstinguet, sed in veritate* [l] *proferet judicium. Fulgebit et non quassabitur quoadusque ponat* [m] *in terra judicium, et in nomine ejus Gentes credent* (*Isa.* XLII, 2, 4). Item in Psalmo XXI : *Ego autem sum vermis, et non homo, maledictum* [n] *hominis et abjectio* [o] *populi. Omnes qui me videbant despiciebant me* [p]*, et locuti sunt in labiis* [q]*, et moverunt caput. Speravit in Domino, eripiat eum ; salvum faciat eum, quoniam vult eum* (*Ps.* XXI, 7-9). Item illic : *Aruit velut testa* [r] *virtus mea, et lingua mea* [s] *agglutinata est faucibus meis.* Item apud Zachariam : *Et ostendit mihi Dominus Jesum sacerdotem illum magnum stantem ante faciem Angeli Domini, et diabolus stabat ad dexteram ejus adversari* [t] *ei. Et Jesus erat indutus vestimenta* [u] *sordida, et stabant* [v] *ante faciem ipsius Angeli, et respondit et ait ad eos qui stabant ante faciem ejus dicens : Auferte* [x] *vestimenta sordida ab eo. Et dixit ad eum : Ecce abstuli iniquitates tuas. Et induite eum poderem* [y]*, et imponite cidarim mundam super caput ejus* (*Zach.* III, 1, 3, 5). Item Paulus ad Philippenses : *Qui, in figura Dei constitutus, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit* [z]*, formam servi accipiens, in similitudinem hominum* [aa] *factus, et habitu inventus ut homo* [bb]*. Humiliavit se, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen* [cc] *quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne* [dd] *genu flectatur cœlestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur quia Dominus Jesus Christus in gloria* [ee] *est Dei Patris* (*Philip.* II, 6-11).

CAP. XIV. — QUOD IPSE SIT JUSTUS QUEM JUDÆI OCCISURI ESSENT.

In Sapientia Salomonis : *Circumveniamus justum, quoniam insuavis* [ff] *est nobis, et contrarius est operibus nostris, et exprobrat nobis* [gg] *peccata legis. Promittit scientiam Dei se habere, et Filium Dei se nominat. Factus est nobis in traductione* [hh] *cogitationum nostrarum; gravis est nobis etiam ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita illius, et mutatæ sunt viæ illius. Tamquam nugaces* [ii] *æstimati sumus ab illo, et continet se a viis nostris quasi ab immunditiis, et præfert novissima justorum, et gloriatur patrem se habere Deum* [jj]*. Videamus ergo si sermones illius veri sunt, et tentemus quæ ventura sunt illi. Contumelia et tormento interrogemus eum, ut sciamus reverentiam illius* [kk]*, et probemus patientiam illius. Morte turpissima condemnemus eum. Hæc cogitaverunt, et erraverunt. Excæcavit enim illos malitia ipsorum, et nescierunt sacramenta Dei* (*Sap.* II, 12-17). Item apud Esaiam : *Videte quomodo justus perit, [et nemo intelligit, et viri justi tolluntur, et nemo recognoscit. A facie enim injustitiæ sublatus est justus, et erit in pace* [ll] *sepultura ejus* (*Isa.* LVII, 1, 2). De hoc ipso in Exodo ante prædictum : *Innocentem et justum non occides* (*Exo.* XXIII, 7). Item in Evangelio : *Judas, pœnitentia ductus* [mm]*, sacerdotibus et senioribus dixit : Peccavi tradens sanguinem justum* (*Matth.* XXVII, 3, 4).

CAP. XV. — QUOD IPSE DICTUS SIT OVIS ET AGNUS QUI OCCIDI HABERET, ET DE SACRAMENTO [201] PASSIONIS.

Apud Esaiam : *Sicut ovis ad victimam ductus est, et*

LECTIONES VARIANTES.

[a] Brachium Dei *Thu.* annuntiatum est *Lin.*
[b] Ferre infirmitatem *Lin.*
[c] Quia versa est facies *Thu.* Adversa *Foss.*
[d] Non est commutatus *Bod.* 1, 2,
[e] Portavit *Bod.* 1, 2, 3.
[f] Doluit *Bod.* 1. Dolens *Bod.* 3.
[g] Putabamus *Corb.*
[h] Livore ejus nos omnes *Lam. Lin. NC.* 1.
[i] Faciem meam *Bod.* 1. *Thu.*
[j] Et fuit Dominus *Corb.*
[k] Audiet quisquam *Lam, NC.* 1, 2.
[l] In veritatem *Bod.* 4.
[m] Ponatur *Bod.* 3.
[n] Homo opprobrium *Lin.*
[o] Maledictio *Bod.* 3. Maledictus *Bod.* 1. Plebis *Lin. Bod.* 3. Abjectio hominum *Thu. Foss. Corb.*
[p] Subsannabant me *Lin. NC.* 2.
[q] Suis labiis *Bod.* 1.
[r] Testa fortitudo *NC. Lam. Bod.* 1, 2, 4. *Thu. Corb.* Testum *Ver.*
[s] Adhæsit *Lin. NC.* 2.
[t] Adversari ei cœpit *Corb. Ver.*
[u] Veste *Foss.*
[v] Stabant *Thu. Corb. Foss. Stabat. Oxon.*
[x] Avertite vestimenta ejus *Bod.* 1.
[y] Podere *Lam. NC.* 1.
[z] Sed se exinanivit *Lin. Ver. NC* 1, 2. *Lam. Bod.* 1, 2, 3.
[aa] Similitudinem hominis *Lam. Lin. NC.* 1. *Thu. Corb.*
[bb] Inventus homo *Thu.*
[cc] Nomen ut sit *Lin. Thu. Cor. Benev. Ver.*
[dd] Omnes genu flectant *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. *Thu. Cor.* Curvent *Lin. NC.* 2. *Bod.* 1, 4. *Ver.*
[ee] Jesus in gloria Dei Patris *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Foss.*
[ff] Quoniam inutilis est nobis *NC.* 2.
[gg] Et improperat *Corb. Ver.*
[hh] In traductionem cogitationum *Lam. Lin. NC.* 1.
[ii] Nugæ æstimati *Lam. Bod.* 2. Nugas *NC.* 1.
[jj] Patrem Deum *Bod.* 4. *Corb. Thu. Benev. Ver.*
[kk] Reverentiam illius et morte *Bod.* 1, 3.
[ll] In pace erit memoria *Bod.* 3. Justus, in pace erit enim *Lam. Lin. NC.* 1. *Bod.* 1, 4.
[mm] Pœnitentia actus *NC.* 2.

Digitized by Google

sicut agnus coram tondente [a] *se sine voce, sic non aperuit os suum. In humilitate judicium ejus sublatum est. Nativitatem* [b] *ejus quis enarrabit? Quoniam auferetur a terra vita ejus, a facinoribus populi mei adductus est ad mortem, et dabo malos pro sepultura ejus et ipsos divites* [c] *pro morte ejus, quia facinus non fecit, neque insidias* [d] *ore suo. Propterea ipse consequetur multos* [e], *et fortium dividet spolia, propterea quod tradita est ad mortem anima ejus, et inter facinorosos deputatus est. Et ipse peccata multorum pertulit, et propter facinora illorum traditus est* (*Isa.* LIII, 7, 9-12). Item apud Hieremiam : *Domine, significa* [f] *mihi, et cognoscam, tunc vidi meditationes* [g] *eorum. Ego sicut agnus sine malitia perductus sum ad victimam; in me cogitaverunt cogitatum dicentes : Venite, mittamus lignum in panem* [h] *ejus, et eradamus* [i] *a terra vitam ejus, et nomen ejus non erit in memoria* [j] *amplius* (*Hier.* XI, 18, 19). Item in Exodo [k] Deus ad Moysen : *Accipiant sibi singuli ovem per domos tribuum* [l], *ovem sine vitio, perfectum, masculum, anniculum* [m] *erit vobis. Ab agnis et ab hædis accipietis, et occident illum omne vulgus* [n] *synagogæ filiorum Israel ad vesperam; et accipient* [o] *de sanguine ejus, et ponent super duos postes et super limen in domibus in quibus eum* [p] *edent in ipsis; et edent carnes ipsa nocte assatas igni, et azyma cum picridibus* [q] *edent. Non edetis de eis crudam, neque coctam in aqua, nisi assatam igni, caput cum pedibus* [r] *et interaneis; nihil derelinquetis* [s] *ex eis in mane, et os* [t] *non confringetis ex eo. Quæ autem relicta fuerint de eo usque in mane, igni crementur. Sic autem comedetis eum. Lumbi* [u] *vestri præcincti, et caligæ* [v] *vestræ in pedibus vestris, et bacula vestra* [x] *in manibus vestris; et edetis eum festinanter, Pascha est enim* [y] *Domini* (*Exod.* XII, 3, 5-11). Item in Apocalypsi : *Et vidi in medio throni* [z] *et quatuor animalium et in medio seniorum agnum stantem quasi occisum, habentem cornua septem et oculos septem, qui sunt septem spiritus Dei missi per orbem terræ. Et venit, et accepit librum de dextera Dei* [aa] *sedentis in throno. Et cum accepisset librum, quatuor animalia et viginti quatuor seniores prostraverunt se ante Agnum, habentes singuli citharas et pateras* [bb] *aureas plenas odoramentis supplicationum, quæ sunt orationes sanctorum, et cantaverunt canticum novum dicentes : Dignus es, Domine, accipere librum et aperire signa* [cc] *ejus, quoniam occisus es et redemisti nos sanguine tuo* [dd] *ex omni tribu et lingua et populo et natione, et fecisti nos regnum Deo nostro, sacerdotesque fecisti, et regnabunt super terram* (*Apoc.* V, 6-10). Item in Evangelio : *Altera die vidit Joannes* [ee] *Jesum venientem ad se, et ait : Ecce agnus Dei* [ff] *et ecce qui aufert peccata mundi* (*Joa.* I, 29).

CAP. XVI. — QUOD IDEM ET LAPIS DICTUS SIT.

Apud Esaiam sic dicit Dominus : *Ecce ego im-*

LECTIONES VARIANTES.

[a] Tondente, sine *Bod.* 3. *Thu. Corb.* Tondentibus eam *Foss.*
[b] Nativitatem autem *Lam. NC.* 1, 2. *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Thu. Foss. Corb.*
[c] Et divites *Bod.* 1.
[d] Neque dolus inventus in ore ejus *Bod.* 3. Insidians ore *Lin.* Insidiatur *Thu.* Insidias ore suo locutus est *Bod.* 4.
[e] Ipse confitetur multos *Foss.*
[f] Domine significasti *NC.* 1. *Lam.*
[g] Vidi cogitationes *Thu.*
[h] In pane ejus *Thu. Foss. Corb. Lan.*
[i] Tollamus a terra *Bod.* 3. Ejiciemus *Lin. Corb.*
[j] In memoriam *Bod.* 1. 4.
[k] Exodo dixit *NC.* 2.
[l] Ovem per tribus *Bod.* 3.
[m] Anniculus erit *Bod.* 1.
[n] Omne vulgus filiorum *Foss.* Omnis populus *Bod.* 3.
[o] Et accipient de sanguine et *Bod.* 1, 2, 3, 4.
[p] Quibus comedent *Lam. NC.* 1. Istas *Thu. Foss. Pic. NC.* 2. Et carnes ipsas *Bod.* 1, 3, 4. *Corb.*
[q] Amaritudinibus *Lin. Bod.* 1. 4. *Corb.*
[r] Pedibus ejus *Lom.* Intestinis *Bod.* 3. *NC.* 2. Interaneis vero ab illis *Lam. NC.* 1, 2.
[s] Derelinquentes *Thu. Foss.* ex eo *Lin.*
[t] Ossum *Lamb.* Ossa *Affl.* Ab eo *Lam. Lin. NC.* 1, 2. *Bod.* 1, 2, 4.
[u] Sint lumbi *Bod.* 1.
[v] Calceamenta *Lam. Lin. NC.* 1.
[x] Baculi vestri *Corb.*
[y] Est Domini *Corb.*
[z] Throni quatuor animalia *Lam. NC.* 1. *Bod.* 1, 2.
[aa] De dextra sedentis *Lam. Lin. NC.* 1. *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Thu. Foss.*
[bb] Aureas et pateras *Lam. Thu. Bod.* 1, 2, 3. *NC.* 1, 2. *Lin.* Phialas aureas *Bod.* 1. *Corb.*
[cc] Signacula *Bod.* 3. *NC.* 2. Dignus es accipere *Lam. NC.* 1, 2. *Lin. Bod.* 1, 2.
[dd] Redemisti nos Deo *Thu. Foss. Corb.* Emisti *Ver.* Deo nostro et sacerdotes, et regnabunt *Lam. Lin. NC.* 1, 2. *Bod.* 2, 4.
[ee] Videns Joannes Jesum venientem ad se, ait *Lam. Bod.* 1, 2. *NC.* 2, 4, *Lin.* Vidit *Joan. Foss. Corb.*
[ff] Ecce agnus Dei, ecce qui aufert *Lam. NC.* 1, *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Foss.* Auferet *Thu.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

CAP. XV. — *Picridibus.* Ita veteres editiones et octo libri veteres. Erasmus scripsit *lactucis agrestibus*, quomodo vertisse sanctum Hieronymum monet Pamelius; quod verum est : sed idem Hieronymus in epistola *ad Marcellam* de Munusculis acceptis, ait : *Pascha Christi cum amaritudinibus manducatur :* et in epistola *ad Gaudentium* de Infantulæ [600] educatione : *Pascha quoque cum amaritudinibus comedi jubetur.* Sic etiam lib. II *adversus Jovinianum.* Codex Moyssiacensis et Gratianopolitanus habent *amaritudine* tantum : Compendiensis, *amaritudine cum picridibus;* Turonensis, Corbeiensis et tres Anglicani : *amaritudinibus;* Eligianus, *pinguetudinibus amaritudinis*, LXX Interpretes posuerunt μετὰ πικρίδων. Hieronymus in prologo Epistolæ ad Algasiam : *Vidi ego nauseam et capitis vertiginem antidoto quæ appellatur πικρὰ, sæpe sanari.* Plinius, lib. XXII, cap. 22. *Picris ab insigni amaritudinis cognominatur.* Vide illustrissimum virum Petrum Danielem Huetium in *Observationibus* in Commentaria Origenis, pag. 15. Addam istic, ex antiquo ordinario Ecclesiæ sancti Aniani Aurelianensis manuscripto, locum qui visus est difficilis quibusdam, cum in ea urbe essem. Post descriptas cæremonias quæ fiunt in tertia feria Rogationum, post descriptam processionem ad ecclesiam sancti Germani, legitur illic : *Tunc recedit processio ab ecclesia cantando letaniam usque ad ecclesiam suam, eo ordine quo venerant, illo præcedente qui portat lactucas;* non poterant capere quid in hoc loco significare possint lactucæ. Error est librarii, qui *lactucas* posuit pro *lectiones :* nam supra legitur : *Quartus portat librum in quo lectæ fuerunt conciones ad matutinum*, et paulo post, *dicto responsorio, puer unus legit lectionem in libro quem secum portavit.*

Digitized by Google

mitto [a] *in fundamenta Sion lapidem preliosum, electum* [b], *summum, angularem, honoratum; et qui crediderit in eum, non confundetur* (*Isa.* XXVIII, 16). Item in Psalmo CXVII : *Lapis quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. A Domino factus est iste* [c], *et est admirabilis in oculis nostris. Iste dies* [d] *quem fecit Dominus, exultemus et jucundemur* [e] *in eo. O Domine, salva* [f] *igitur, o Domine, dirige igitur. Benedictus est qui venit in nomine Domini* (*Ps.* CXVIII, 22-26). Item apud Zachariam : *Ecce ego adduco puerum meum. Oriens* [g] *nomen est ei : quoniam lapis quem dedi ante faciem Jesu, super lapidem ipsum unum septem oculi sunt* (*Zach.* III, 8, 9). Item in Deuteronomio : *Et scribes* [h] *super lapidem omnem legem hanc manifeste nimis* (*Deut.* XXVII, 8). Item apud Jesum Nave : *Et accepit lapidem magnum, et statuit eum illic contra Dominum, et ait Jesus ad populum : Ecce lapis iste erit vobis in testimonium quia iste audivit* [i] *omnia quæ dicta sunt a Domino, quanta locutus est* [j] *ad vos hodie; et erit ipse vobis in testimonium* [jj] *in novissimo dierum, quando recesseritis a Deo vestro* (*Jos.* XXIV, 26, 27). Item in Actibus Apostolorum Petrus : *Principes populi et seniores Israël* [k], *audite : Ecce nos hodie interrogamur a vobis super benefacto hominis* [l] *infirmi in quo iste salvatus est. Sit vobis omnibus notum et omni populo Israël quia in nomine Jesu Christi Nazareni, quem vos crucifixistis, quem Deus suscitavit a mortuis* [m] *in illo iste in conspectu vestro sanus adstat* [n], *in alio autem nullo. Hic est lapis qui contemptus est a vobis ædificantibus* [o], *qui factus est in caput anguli. Non est enim nomen aliud sub cœlo datum hominibus in quo oportet salvari nos* (*Act.* IV, 8-12). Hic est lapis in Genesi (*Gen.* XXVIII) quem ponit Jacob ad caput suum, quia caput viri Christus; et dormiens videt scalam ad cœlum pertingentem, in qua constitutus erat Dominus, et Angeli ascendebant et descendebant; quem lapidem consecravit et unxit sacramento unctionis [p] Christum significans. Hic est lapis in Exodo (*Exod.* XVII) super quem sedit Moyses in cacumine collis [q], quando Jesus Nave contra Amalech [r] dimicavit, et sacramento lapidis et stabilitate sessionis Amalech superatus est ab Jesu, id est, diabolus a Christo victus est. Hic est lapis magnus in Basilion primo (I *Reg.* IV) super quem posita est arca testamenti, quando eam ab [s] allophylis remissam et redditam in plaustro boves reportaverunt. Item hic est lapis in Basilion (I *Reg.* XVII) quo David frontem Goliæ percussit et occidit, significans diabolum et servos ejus inde prosterni, victa scilicet ea capitis parte [t] quam signatam non habent [u]. Quo signo nos et tuti semper sumus et vivimus. Hic est lapis quem cum alienigenas Israël vicisset statuit Samuel, et appellavit nomen ejus Abennezer, id est lapis auxiliator [v] (I *Reg.* VII, 12).

CAP. XVII. — QUOD DEINDE IDEM LAPIS MONS FIERET ET IMPLERET TOTAM TERRAM.

Apud Danielem : *Et ecce imago nimis magna, et contemplatio ejus imaginis metuenda et elata stabat contra te; cujus caput fuit ex auro bono, pectus et brachia ejus argentea, venter et femora ærea, pedes autem ex parte quidem ferrei, ex parte autem fictiles, quoadusque abscisus est lapis de monte sine manibus concidentium, et percussit imaginem super pedes ferreos et fictiles, et comminuit eos minutatim, et factum est simul ferreum et testa* [x] *et æramentum et argentum et aurum; et facta sunt minuta quasi palea aut pulvis in area æstate, et ventilavit illa ventus, ita ut nihil remanserit* [y] *ex illis; et lapis qui percussit imaginem factus est mons magnus, et implevit totam terram* (*Dan.* II, 31-35).

CAP. XVIII. — QUOD IN NOVISSIMIS TEMPORIBUS IDEM MONS MANIFESTARETUR, SUPER QUEM GENTES [z] VENIRENT, ET IN QUEM JUSTI QUIQUE ASCENDERENT.

Apud Esaiam [aa] : *Erit in novissimis temporibus manifestus mons Domini et domus Dei super vertices montium, et exaltabitur super colles, et venient super illum omnes gentes, et ambulabunt multi, et dicent : Venite, ascendamus in montem Domini et in domum Dei Jacob, et nuntiabit nobis viam ejus, et ambulabimus* [bb] *in illa. De Sion enim procedet* [cc] *lex et verbum Domini ab Hierusalem; et judicabit inter gentes, et redarguet populum multum, et concident gladios suos in aratra et lanceas suas in falces* [dd], *et jam non discent pugnare* (*Isa.* II, 2-5). Item in Psalmo XXIII : *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus? Innocens manibus et mundo corde* [ee]. *Qui non accepit in vano animam suam, et non juravit subdole* [ff] *proximo sibi, iste accipiet benedictionem a Domino et misericordiam a Deo salutari suo. Ista nativitas eorum* [gg] *qui eum quærunt, qui quærunt faciem Dei Jacob* (*Ps.* XXIII, 3, 6).

LECTIONES VARIANTES.

[a] Ego mitto *Bod.* 1.
[b] Electum, mundum, summum *Bod.* 2. *Lam. Lin.*
[c] Factum est istud et est mirabile *Lin. Bod.* 3.
[d] Hæc est dies *Bod.* 3.
[e] Lætemur *Bod.* 3. *Lin. NC.* 1, 2.
[f] Salvum fac, bene prosperare *Lin. NC.* 2. *Bod.* 1. *Corb.*
[g] Ortus nomen est *Lin. NC.* 2. *Thu. Foss.*
[h] Scribe super *Bod.* 3. 4.
[i] Quod auditatis omnia *Foss.*
[j] Locutus est vobis *Lam. Lin. NC.* 1, 2. *Bod.* 1, 2, 3, 4.
[k] Seniores Israel, ecce *Lam. Lin. NC.* 1. *Bod.* 1, 2, 4. *Thu. Foss. Corb.*
[l] Beneficio hoc hominis *Bod.* 3.
[m] Deus excitavit a mortuis *Bod.* 1, 3. 4.
[n] Sanus adstitit *Foss.*
[o] Quæ ædificabitis *Bod.* 1. *Corb. Ver. Benev.* Positus est in caput *Lam. Lin. NC.* 1. *Bod.* 2, 3, 4.
[p] Sacramento Christum *Thu.*
[q] Cacumine montis *Lam. Lin. NC.* 1. *Bod.* 2, 3, 4.
[r] Amalech dimicabat *Thu. Corb.* Dimicavit sacramento *Bod.* 1.
[s] Quando ab *Bod.* 3.
[t] Victos eam capitis partem *Lam. Bod.* 1. 2, 4. Victus *Bod.* 3. *Ver.*
[u] Haberet *Lam. Lin. NC.* 1.
[v] Lapsis adjutor *NC.* 2.
[x] Et fractum est simul. *Oxon.*
[y] Remaneret in illis *Bod.* 1, 2. *Thu.*
[z] Gentes convenirent *Bod.* 3.
[aa] Esaiam : Et erit *Bod.* 1. 3, 4.
[bb] Et ingrediemur *Lam. Bod.* 2. *Lin.*
[cc] Prodiet lex *Lam. NC.* 1. *Bod.* 1, 2.
[dd] In falces et jam non accipiet gens super gentem gladium, et jam non discent *Ver. Lam. NC.* 1, *Bod.* 2. Discent belligerare *Lin.*
[ee] Mundus corde *Lam. NC.* 1. *Thu. Bod.* 2.
[ff] Nec juravit in dolo *Lin. NC.* 2. *Bod.* 3.
[gg] Hæc est generatio quærentium *Lin. NC.* 2.

Digitized by Google

CAP. XIX. — QUOD IPSE SIT SPONSUS, ECCLESIAM HABENS SPONSAM, DE QUA FILII SPIRITALES NASCERENTUR.

293 Apud Johel : *Canite tuba in Sion, sanctificate jejunium, et indicite curationem, aggregate populum* [a], *sanctificate ecclesiam, excipite majores natu, colligite parvulos lactentes ; procedat sponsus de cubili suo* [b], *et sponsa de thalamo suo* (*Johel* II, 15, 16). Item apud Hieremiam : *Et auferam de civitatibus Juda et de quadriviis* [c] *Hierusalem vocem lætantium et vocem gaudentium, vocem sponsi et vocem sponsæ* (*Hier.* XVI, 9). Item in Psalmo XVIII : *Et ipse velut sponsus egrediens de thalamo suo. Exsultavit ut gigas* [d] *viam currere. A summo cœli egressio ejus* [e], *et decursio ejus usque ad summum ejus, et non est qui lateat* [f] *a calore ejus* (*Ps.* XVIII, 6, 7). Item in Apocalypsi : *Veni, ostendam tibi novam nuptam uxorem Agni ; et duxit me in Spiritu in montem magnum, et ostendit mihi civitatem sanctam Hierusalem descendentem de cœlo, a Deo habentem claritatem* [g] *Dei* (*Apoc.*, XXI, 9, 11). Item in Evangelio cata Joannem : *Vos mihi testes estis quoniam dixi eis qui missi sunt ab Hierosolymis ad me, quia non sum Christus, sed quoniam missus sum ante illum. Qui enim habet sponsam sponsus est. Amicus autem sponsi est qui stat et gaudio audit eum et gaudet propter vocem sponsi* (*Joan.* III, 28, 29). Hujus rei mysterium ostensum est apud Jesum Nave, quando jussus est excalciare se [h], quod scilicet sponsus non ipse esset. Erat enim in Lege ut quisquis [i] nuptias recusaret [j], calciamentum deponeret [k], calciaretur vero ille qui sponsus futurus esset. *Et factum est cum esset Jesus* [l] *in Jerico, circumspexit oculis, et vidit hominem stantem ante faciem suam et frameam tenentem* [m] *in manu ejus, et dixit : Noster es, an adversariorum ? Ille autem dixit : Ego sum dux virtutis Domini, nunc adveni. Et Jesus cecidit in faciem* [n] *ad terram, et ait illi : Domine, quid imperas famulo* [o] *tuo ? Et ait dux virtutis Domini : Solve calciamentum de pedibus tuis. Locus enim in quo stas terra sancta est* (*Josue* V, 13-15). Item in Exodo Moyses jubetur calciamentum deponere [p], quod nec ipse sponsus esset : *Et apparuit ei Angelus Domini in flamma ignis de rubo, et vidit quoniam rubus arderet igni, rubus autem non cremabatur* [q]. *Et dixit Moyses : Transiens videbo* [r] *hoc grande visum, cur utique non crematur* [s] *rubus. Ut vidit autem quoniam accedit videre, vocavit eum Dominus Deus de rubo dicens : Moyses, Moyses. Qui dixit* [t] *: Quid est ? Et dixit : Ne accesseris huc, nisi solveris calciamentum de pedibus tuis. Locus enim in quo stas terra sancta est. Et dixit ei : Ego sum Deus patris tui* [u], *Deus Abraham, et Deus Isaac, Deus Jacob* (*Exod.* III, 2-6). Hoc autem manifestatum est in Evangelio cata Joannem : *Et respondit illis Joannes : Ego quidem* [v] *baptizo in aqua : in medio autem vestrum stat quem vos nescitis* [x]. *Ipse est enim de quo dixi : Post me veniens homo* [y] *ante me factus est, cujus non sum dignus corrigiam calciamenti* [z] *solvere* (*Joan.* I, 26, 27). Item cata Lucam : *Sint lumbi vestri præcincti* [aa] *et lucernæ ardentes* [bb], *et vos similes hominibus exspectantibus dominum suum quando veniat* [cc] *a nuptiis, ut cum venerit et pulsaverit aperiant ei. Beati* [dd] *servi illi quos adveniens dominus invenerit vigilantes* (*Luc.* XII, 35-37). Item in Apocalypsi : *Regnavit Dominus Deus omnipotens, gaudeamus et exultemus, et demus ei gloriæ* [ee] *claritatem, quoniam venerunt nuptiæ Agni, et uxor ejus se præparavit* (*Apoc.* XIX, 6, 7).

CAP. XX. — QUOD CRUCI ILLUM FIXURI ESSENT JUDÆI.

Apud Esaiam : *Expandi manus meas tota die ad plebem contumacem et contradicentem mihi, qui ambulant vias non bonas* [ff], *sed post peccata sua* (*Isa.* LXV, 2). Item apud Hieremiam : *Venite, mittamus lignum in panem ejus* [gg], *et eradamus* [hh] *a terra vitam ejus* (*Hier.* XI, 19). Item in Deuteronomio : *Et erit pendens vita tua ante oculos tuos, et timebis die et nocte, et non credes vitæ tuæ* (*Deut.* XXVIII, 66). Item in Psalmo XXI : *Effoderunt manus meas et pedes meos, dinumeraverunt* [ii] *omnia ossa mea. Ipsi autem contemplati sunt, et viderunt me, et diviserunt vestimenta mea sibi, et super vestem meam sortem miserunt. Tu autem, Domine, ne elongaveris auxilium tuum a me, in auxilium meum attende. Libera a gladio animam meam et*

LECTIONES VARIANTES.

[a] Congregate populum *Bod.* 1, 3.
[b] De cubiculo suo *Bod.* 1, 2, 4.
[c] Plateis Jerusalem *NC.* 2.
[d] Velut gigas *Bod.* 1, 3. Ad currendam viam *Lam. Lin. Bod.* 1, 2, 3. *NC.* 1, 2.
[e] Cœli profectio *Bod.* 1, 2, 4. *Thu. Corb.* Processio *Lam. Lin. NC.* 1, 2.
[f] Nec est qui se abscondet *Lin. NC.* 1, 2. Lateat calorem *Lam. NC.* 2. *Bod.* 2, 4.
[g] Claritatem item *Lam.*
[h] Ut excalcearet se *Lin.*
[i] Ut quicumque *Voss.* 3. *Lam. NC.* 1.
[j] Nuptias excusaret *Bod.* 1. *Voss.* 2.
[k] Excalcearetur *Bod.* 1.
[l] Quando fuit Jesus *Lam. NC.* 1. *Bod.* 1, 4. Jerico in agro *Foss.*
[m] Frameam ferentem *Thu. Foss. Corb.*
[n] Super faciem *Bod.* 1.
[o] Imperas servo *Lam.*
[p] Calceamentum solvere *Bod.* 3.
[q] Non concremabatur *Bod.* 1. Comburebatur *Lam. NC.* 2. *Bod.* 2.
[r] Vado et videbo *Bod.* 1.
[s] Non concrematur *Bod.* 1.
[t] Moyses, Moyses, qui dixit, quid est; *reliqua desunt in MR.*
[u] Deus patrum tuorum *NC.* 1.
[v] Ego vos quidem baptizo *Bod.* 1. 3. 4.
[x] Vos non nostis *NC.* 1. *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Lin.*
[y] Homo, et ante me *NC.* 2. *Bod.* 1.
[z] Calceamentorum *Lam. NC.* 2. *Bod.* 1, 2.
[aa] Vestri accincti *Bod.* 1, 3, 4.
[bb] Ardentes in manibus vestris *Bod.* 3.
[cc] Quando revertatur *Lin. NC.* 2.
[dd] Felices servi *Lam. NC.* 1. *Bod.* 1, 2, 4.
[ee] Demus ei claritatem *Lam. Lin. NC.* 1, 2. *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Thu. Corb.*
[ff] Qui non ambulant vias meas *Bod.* 3.
[gg] Lignum in pane *Thu. Corb. Voss.*
[hh] Vellamus a terra *Bod.* 3.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

Cap. XIX. — *Ante me factus est.* Vide annotationes Erasmi in caput primum Evangelii secundum Joannem.

Digitized by Google

de manu canis unicam meam. Salva me ex ore leonis et a cornibus unicornium humilitate [a] *meam. Enarrabo nomen tuum fratribus meis, in medio ecclesiæ laudabo te* (*Ps.* XXI, 17-22). Item in Psalmo CXVIII : *Confige clavis de metu tuo* [a] *carnes meas* (*Ps.* CXVIII, 120). Item in Psalmo CXL : *Allevatio manuum mearum sacrificium vespertinum* (*Ps.* CXL, 2). De quo sacrificio Sophonias dixit : *Metuite a facie Domini Dei, quoniam prope est dies ejus : quia apparavit* [b] *Dominus sacrificium suum, sanctificavit electos suos* [c] (*Soph.* I, 7). Item apud Zachariam : *Et intuebuntur in me, in quem transfixerunt* (*Zach.* XII, 10). Item in Psalmo LXXXVII : *Exclamavi ad te, Domine, tota die, extendi ad te manus meas* (*Ps.* LXXXVII, 10). Item in Numeris : *Non quasi homo Deus suspenditur* [d], *neque quasi filius hominis minas patitur* (*Num.* XXIII, 19). Unde in Evangelio [e] Dominus dicit : *Sicut Moyses exaltavit serpentem in eremo, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui crediderit in Filium* [f] *habeat vitam æternam* (*Joan.* III, 14, 15).

CAP. XXI. — QUOD IN PASSIONE CRUCIS ET SIGNO VIRTUS [g] OMNIS SIT ET POTESTAS.

Apud Abacuc : *Texit* [h] *cælos virtus ejus et laudis ejus plena est terra; et splendor ejus ut lux* [i] *erit, cornua in manibus ejus erunt* [j]. *Et illic constabilita est virtus gloriæ ejus, et constituit dilectionem validam. Ante faciem suam ibit verbum, et procedet* [k] *in campos secundum gressus* [l] *suos* (*Abac.* III, 3-5). Item apud Esaiam : *Ecce natus est nobis puer, et datus est nobis filius, cujus imperium super humeros ejus; et vocatum est nomen ejus magnæ cogitationis* [m] *nuntius* (*Isa.* IX, 5). Hoc signo crucis et Amalech victus est ab Jesu per Moysen. In Exodo dixit Moyses ad Jesum [n] : *Elige tibi viros, et exi, et constitue cum Amalech in crastinum* [o]. *Ecce ego stabo in cacumine collis, et virga Dei in manu mea. Et factum est cum levabat manus Moyses, prævalebat Israel; ubi autem submiserat manus* [p] *Moyses, invalescebat Amalech. Sed manus Moysi erant graves, et accepto lapide supposuerunt sub eo, et sedebat super eum; et Aaron et Ur sustentabant manus ejus hinc et inde, et factæ sunt manus Moysi stabiles usque in occasum solis, et fugavit Jesus Amalech et omnem populum ejus. Et dixit Dominus ad Moysen : Scribe hoc ut sit memoria in libro, et da in aures Jesu* [q], *quoniam deletione deleam memoriam Amalech de sub cælo* (*Exod.* XVII, 9-14).

CAP. XXII. — QUOD IN HOC SIGNO CRUCIS SALUS SIT OMNIBUS QUI IN FRONTIBUS NOTENTUR [r].

Apud Ezechielem dicit Dominus : *Transi mediam Hierusalem, et notabis signum super frontes virorum qui ingemunt et mœrent ob iniquitates quæ fiunt in medio ipsorum* (*Ezech.* IX, 4, 6). Item illic : *Vadite* [s] *et cædite, et nolite parcere oculis vestris. Nolite misereri scnioris et juvenis* [t] *et virginis, et parvulos et mulieres interficite, ut perdeleantur. Omnem autem super quem signum scriptum est, ne tetigeritis, et ab ipsis* [u] *sanctis meis incipite.* Item in Exodo Deus ad Moysen : *Et erit sanguis* [v] *in signo vobis super domos in quibus ibi eritis; et videbo sanguinem, et protegam vos, et non erit in vobis plaga diminutionis cum percutiam terram Ægypti* (*Exod.* XII, 13). Item in Apocalypsi : *Et vidi Agnum stantem in monte* [x] *Sion, et cum eo centum quadraginta quatuor millia, et habebant nomen ejus et nomen Patris ejus scriptum in frontibus suis* (*Apoc.* XIV, 1). Item illic : *Ego sum* α *et* ω, *primus et novissimus, initium et finis. Felices eos qui faciunt præcepta ejus, ut sit potestas eorum super lignum vitæ* [y] (*Apoc.* XXII, 13-14).

CAP. XXIII. — QUOD MEDIO DIE IN PASSIONE EJUS TENEBRÆ FUTURÆ ESSENT.

Apud Amos : *Et erit in illo die, dicit Dominus, occidet sol meridie, et obtenebrabitur dies lucis :* [zz] *et convertam dies festos vestros in luctum et omnia cantica vestra in lamentationem* (*Amos* VIII, 9, 10). Item apud Hieremiam : *Exterrita est quæ parit et tæduit* [z] *anima ejus. Subiit sol ei cum adhuc medius dies esset, confusa est et maledicta. Reliquos eorum in gladio* [aa] *dabo in conspectu inimicorum eorum* (*Hier.* XV, 9). Item in Evangelio : *A sexta autem hora tenebræ factæ sunt super* [bb] *totam terram usque ad horam nonam* (*Matth.* XXVII, 45).

CAP. XXIV. — QUOD A HOSTE NON VINCEBETUR, NEC APUD INFEROS REMANSURUS ESSET.

In Psalmo XXIX : *Domine, reduxisti* [cc] *ab inferno*

LECTIONES VARIANTES.

[a] De timore tuo *Lin. Paulo post* Elevatio *Lin.*
[b] Paravit Dominus *Lin. Bod.* 1, 2, 4. *Lam. NC.* 1, 2. *Corb.*
[c] Sanctificavit vocatos *NC.* 1, 2. *Corb. Ver.*
[d] Homo suspenditur *Fosa. Corb.* Filius homine patitur, *Lin.*
[e] Deinde in Evangelio *NC.* 2.
[f] Crediderit in eum *Lam. Lin. NC.* 1. 2. *Bod.* 2.
[g] Signo virtutis *Lin.* Virtus sit et potestas *NC.* 2. *Bod.* 1, 3, 4.
[h] Operuit cœlos *Bod.* 3.
[i] Ut lux erit *Bod.* 1, 2, 3, 4. Erit *abest Oxon.*
[j] Manibus ejus sunt *Bod.* 1, 4.
[k] Exibit in campos *Bod.* 2, 3.
[l] Secundum greges *Lin. Bod.* 4.
[m] Magni consilii nuntius *Bod.* 3.
[n] Ad Jesum Nave *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2.
[o] Crastino *Corb.* Et ego stabo *Bod.* 1, 2.
[p] Submiserat invalescebat *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Foss. Corb.*
[q] Aures ejus, quoniam *Lam. NC.* 1. *Lin. Bod.* 1, 2. *Foss.*
[r] Frontibus notantur *Bod.* 3.
[s] Vadi, cædite *Bod.* 1, 2, 3, 4. Nolite *Bod.* 3.
[t] Senioribus et juvenibus, virginibus et parvulis *Bod.* 1. *Corb.* Seniores et *Bod.* 2.
[u] Ab ipsis sicut a sanctis *Bod.* 3.
[v] Is sanguis *Bod.* 2. In signum *Lin. Bod.* 1. 3.
[x] In montem *Bod.* 1, 2, 3, 4.
[y] Super lignum *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Benev.*
[z] Tædiavit anima *NC.* 2. *Bod.* 2.
[aa] In gladium dabo *Bod.* 1, 2.
[bb] Per totam terram *Bod.* 1, 2. 4. Universam *Bod.* 3.
[cc] Domine, imposuisti ab inferno, *NC.* 1. *Lam.* Eduxisti *NC.* 2. *Bod.* 1, 2. 4. Revocasti *Lin.* Inferni *Bod.* 1, 2, 3, 4.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

CAP. XXIII. — *Obtenebrabitur.* Vide Frontonis Ducæi notas *in Homiliam* VI Chrysostomi ad populum Antiochenum.

Digitized by Google

animam meam (*Ps.* XXIX, 3). Item in Psalmo XV: *Non derelinques animam meam apud inferos, neque dabis sanctum tuum videre corruptionem* [a] (*Psal.* XV, 10). Item in Psalmo III: *Ego dormivi, et somnum cepi* [b], *et resurrexi, quoniam Dominus auxiliatus est mihi* [c] (*Psal.* III, 6). Item cata Joannem: *Nemo aufert animam meam a me, sed ego a me pono eam; potestatem habeo ponendi eam, et potestatem habeo iterum sumendi eam. Hoc enim mandatum accepi a Patre meo* (*Joan.* X, 10, 14).

CAP. XXV. — QUOD AB INFERIS TERTIO DIE RESURGERET.

Apud Osee: *Vivificabit* [d] *nos post biduum, die tertio resurgemus* [e] (*Ose.* VI, 2). Item in Exodo: *Et dixit Dominus ad Moysen: Descende et testificare populo, et sanctifica illos hodie et cras, et lavent vestem suam* [f], *et sint parati in perendinum diem. Die enim tertio descendet Dominus in montem Sina* [g] (*Exod.* XIX, 10, 11). Item in Evangelio: *Progenies nequam et adultera signum quærit, et signum non dabitur illi nisi signum Jonæ* [h] *prophetæ. Quomodo enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, ita erit Filius hominis in corde terræ* [i] *tribus diebus et tribus noctibus* (*Matth.* XVI, 4).

CAP. XXVI. — QUOD, CUM RESURREXISSET, ACCIPERET A PATRE OMNEM POTESTATEM, ET POTESTAS EJUS ÆTERNA SIT.

Apud Danielem: *Videbam in visu nocte* [j]; *et ecce in nubibus cœli quasi Filius hominis veniens venit usque ad Veterem dierum, et stetit in conspectu ejus, et qui assistebant ei* [k] *obtulerunt eum; et data est ei potestas regia, et omnes reges terræ per genus* [l], *et omnis claritas serviens ei* [m]; *et potestas ejus æterna, quæ non auferetur, et regnum ejus non corrumpetur* (*Dan.* VII, 13, 14). Item apud Esaiam: *Nunc exsurgam, dicit Dominus, nunc clarificabor, nunc exaltabor; nunc videbitis, nunc intelligetis, nunc confundemini. Vana erit fortitudo spiritus vestri, ignis* [n] *vos consumet* (*Isa.* XXX, 10, 11). Item in Psalmo CIX: *Dixit Dominus* [o] *Domino meo: Sede ad dexteram meam quoadusque* [p] *ponam inimicos tuos suppedaneum* [q] *pedum tuorum. Virgam virtutis tuæ mittet* [r] *Deus a Sion, et dominaberis in medio inimicorum tuorum* (*Ps.* CIX, 1-3). Item in Apocalypsi: *Et conversus respexi, ut viderem vocem quæ mecum loquebatur. Et vidi septem candelabra aurea, et in medio candelabrorum similem Filio hominis vestitum podere, et erat præcinctus supra mamillas zonam auream* [s]. *Caput autem ejus et capilli erant albi velut lana aut nix, et oculi ejus ut flamma ignis, et pedes ejus similes aurichalco, sicut de fornace ignis* [t], *et vox ejus ut sonus aquarum multarum; et habebat in dextera sua septem stellas, et ex ore ejus gladius utraque parte* [u] *acutus exibat, et facies ejus splendebat* [v] *ut sol in virtute sua. Et cum vidissem eum, cecidi ad pedes ejus tamquam mortuus, et imposuit* [x] *super me dexteram suam dicens: Noli timere, ego sum primus et novissimus, et vivus qui fueram mortuus; et ecce sum vivens in sæcula sæculorum, et habeo claves mortis et inferorum* (*Apoc.* II, 12-18). Item in Evangelio Dominus post resurrectionem [y] discipulis dicit: *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra. Ite ergo* [z], *et docete omnes gentes, tingentes* [aa] *eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, docentes eos observare omnia quæcumque præcepi vobis* [bb] (*Matth.* XXVII, 18, 19).

CAP. XXVII. — QUOD PERVENIRI NON POSSIT AD DEUM PATREM NISI PER FILIUM [cc] EJUS JESUM [ββ] CHRISTUM.

In Evangelio: *Ego sum via et veritas et vita. Nemo venit ad Patrem nisi per me* (*Joan.* XIV, 6). Item illic: *Ego sum ostium* [dd]. *Per me si quis introierit* [ee], *salvabitur* (*Matth.* XIII, 17). Item illic: *Multi prophetæ et justi cupierunt videre quæ videtis, et non viderunt, et audire quæ auditis, et non audierunt* (*Joan.* III, 36). Item illic: *Qui credit in Filium habet vitam æternam. Qui dicto* [ff] *non audiens est in Filium non habet vitam, sed ira Dei manebit super eum.* Item Paulus apud Ephesios: *Et cum venisset, annuntiavit vobis pacem his qui longe et pacem iis qui prope, quia per ipsum habemus accessum* [ββ] *ambo in uno Spiritu ad Patrem* (*Ephes.* II, 17, 18). Item ad Romanos: *Omnes enim peccaverunt et egent claritate Dei: justificantur autem dono ipsius et gratia per redemptionem quæ est in Christo Jesu* (*Rom.* III, 23, 24). Item in

LECTIONES VARIANTES.

[a] Videre interitum *Lam. Bod.* 2. *NC.* 1.
[b] Soporatus sum *Lin.* Quievi *NC.* 2. Surrexi *Bod.* 1. 3.
[c] Dominus auxiliator *Bod.* 2. 3. Suscepit me *Lin. NC.* 2.
[d] Vivificavit nos *Bod.* 1, 3.
[e] Die tertio item *Lin. NC.* 1, 2. *Bod.* 1, 2, 3, 4.
[f] Vestimenta sua *Lam. NC.* 1, 2. *Bod.* 1, 3.
[g] In monte Sina *Bod.* 1. 3.
[h] Nisi Jonæ prophetæ *Bod.* 1, 4.
[i] *Desunt illæ voces* in corde terræ *Bod.* 1. *Foss. Corb.*
[j] In visu noctis *Bod.* 2. *Foss.*
[k] Assistebant obtulerunt *Bod.* 1, 2, 3, 4.
[l] Terræ et gens omnis *Foss.* Secundum genus *Tert.*
[m] Serviet *Lin.*
[n] Ignis vos consumet *Lin. Lam. NC.* 1. *Bod.* 1, 2, 3, 4. Igni *Oxon.*
[o] Dicit Dominus *Lam.*
[p] Donec ponam *Lin. Lam. NC.* 1, 2.
[q] Scabellum *Lam. Lin. NC.* 1, 2. *Bod.* 2, 3.
[r] Emittet *Foss.* Deus ex Sion *Lam. Lin. NC.* 1, 2.
[s] Supra mammas *Bod.* 1, 3, 4. Zona aurea *Foss. Corb.*
[t] Fornace iguea *Bod.* 1, 3, 4. *Brev. Ver.*
[u] Gladius utrinque acutus *Lam. Lin. NC.* 1. *Bod.* 2, 4.
[v] Splendida *Bod.* 1.
[x] Et posuit *Bod.* 1. 4.
[y] Resurrectionem dicit *Lam. Lin. NC.* 1. *Bod* 1, 2, 3, 4.
[z] Ite et docete, *Bod.* 1.
[aa] Baptizantes eos *NC.* 2. *Bod.* 3.
[bb] Præcipio vobis *Bod.* 1. Mandavi *Lin.*
[cc] Nisi per illum *Lam.*
[dd] Janua *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2, 3.
[ee] Per me qui introierit *Bod. Foss.*
[ff] Qui in dicto non audiens *Lam. Foss. Corb.* inobediens. *Lin.* 2. *Bod.* 1. 4.
[ββ] Habemus pacem ambo *Lam. Lin. NC.* 1. *Bod.* 2, 3, 4.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

CAP. XXVI. — *Vivens in sæcula sæculorum.* Codex Gratianopolitanus, *vivens in ecclesia sanctorum.*

Digitized by Google

Epistola Petri apostoli : *Christus semel pro peccatis nostris* [a] *mortuus est, justus pro injustis* [b], *ut nos offerret Deo* (I *Petr.* III, 18). Item illic : *In hoc enim et mortuis prædicatum est ut suscitentur* (*Ibid.* IV, 6). Item in Epistola Joannis : *Qui negat Filium, neque Patrem habet. Qui confitetur Filium* [c], *et Filium et Patrem habet* (I *Joan.* II, 23).

CAP. XXVIII. — QUOD IPSE JUDEX VENTURUS SIT.

Apud Malachiam : *Ecce dies Domini venit ardens velut clibanus; eruntque omnes alienigenæ et omnes iniqui stipula, et succendet illos adveniens dies, dicit Dominus* (*Malach.* IV, 1). Item in Psalmo XLIX : *Deus deorum Dominus locutus est, et vocavit terram. A solis ortu usque ad occasum ex Sion species* [d] *decoris ejus. Deus manifeste veniet* [e], *Deus noster, et non silebit. Ignis ante eum ardebit, et in circuitu ejus procella nimia* [f]. *Vocavit cœlum sursum* [g] *et terram* [h] *ut separet populum suum. Colligite illi justos* [i] *ejus, eos qui disponunt testamentum* [j] *ejus in sacrificiis, et annuntiabunt cœli justitiam ejus, quoniam Deus judex est* (*Ps.* XLIX, 1-6). Item apud Esaiam : *Dominus Deus* [k] *virtutum prodibit, et comminuet bellum. Excitabit certamen, et clamabit* [l] *super inimicos suos* [m] *cum fortitudine : Tacui* [n], *numquid semper tacebo* (*Isa.* XLII, 13, 14)? Item in Psalmo LXVII : *Exsurgat Deus et dissipentur* [o] *inimici ejus, et fugiant a facie ejus qui oderunt eum. Sicut deficit fumus* [p], *deficiant. Sicut tabescit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei, et justi jucundentur* [q] *et exsultent in conspectu Dei et lætentur in jucunditate. Cantate Deo, psallite nomini ejus* [r], *iter facite ei* [s] *qui ascendit in occasum; Deus nomen illi. Turbabuntur a facie ejus patris orphanorum* [t] *et judicis viduarum. Deus in loco sancto suo, Deus qui inhabitare facit unanimes* [u] *in domo, producens* [v] *vinctos in virtute, similiter eos qui in iram provocant* [x], *qui inhabitant in monumentis. Deus, dum prodires* [y] *in conspectu populi tui, in transeundo* [z] *in eremum* (*Ps.* XLVII, 2, 8). Item in Psalmo LXXXI : *Exsurge, Deus, judica terram, quoniam tu exterminabis* [aa] *in omnibus gentibus* (*Ps.* LXXXI, 8). Item in Evangelio cata Matthæum : *Quid nobis et tibi, fili David? Quid huc venisti ante tempus punire nos* [bb] (*Matth.* VIII, 29). Item cata Joannem : *Nihil Pater judicat, sed judicium omne Filio dedit, ut omnes honorificent Filium sicut honorificant Patrem. Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem qui eum misit* (*Joan.* V, 22, 23). Item in Epistola Pauli ad Corinthios secunda : *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut reportet unusquisque* [cc] *sui corporis propria secundum quæ egit, sive bona, sive mala* (II *Cor.* V, 10).

CAP. XXIX. — QUOD IPSE SIT REX IN ÆTERNUM REGNATURUS.

Apud Zachariam : *Dicite filiæ Sion : Ecce rex tuus venit tibi justus et salvans, mitis, sedens super asinum indomitum* [dd] (*Zach.* IX, 9). Item apud Esaiam : *Quis nuntiabit vobis locum* [ee] *illum æternum? Ambulans in justitia, et manus abstinens a muneribus, gravans aures ut non audiat judicium sanguinis, et comprimens oculos suos ne videat injustitiam, hic inhabitabit* [ff] *in alta spelunca petræ fortis. Panis illi dabitur, et aqua ejus fidelis. Regem cum claritate videbitis* (*Isa.* XXXIII, 14-17). Item apud Malachiam : *Rex magnus sum ego, dicit Dominus,* [297] *et nomen meum illustre est apud gentes* (*Malach.* I, 14). Item in Psalmo II : *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus* [gg], *annuntians imperium ipsius* (*Ps.* II, 6, 7). Item in Psalmo XXI : *Commemorabuntur* [hh] *et convertentur ad Dominum omnes termini terræ, et adorabunt in conspectu tuo omnes patriæ gentium; quoniam Domini est regnum, et ipse dominabitur* [ii] *omnium gentium* (*Ps.*

LECTIONES VARIANTES.

[a] Pro peccatis mortuus *Bod.* 1, 3, 4.
[b] Justus pro iniquis *NC.* 1. *Lam.*
[c] Confitetur Filium, et Patrem habet *Bod.* 1, 4. *Foss.*
[d] A Sion *Bod.* 1, 2, 4. Species elegantiæ *Lam. Bod.* 2. *NC.* 1.
[e] Deus manifestus *Bod.* 1, 2, 4.
[f] Circuitu ejus tempestas valida *Lin. NC.* 2. *Bod.* 3.
[g] Cœlum sursum, a terra *Ben. Ver.*
[h] Ut separaret populum *Foss. Corb.*
[i] Congregate sanctos *NC.* 2.
[j] Qui ordinaverunt *NC.* 2. *Lin.*
[k] Dominus dicit, Deus virtutum *Bod.* 2.
[l] Exclamabit *Bod.* 1.
[m] Inimicos ejus *Foss.*
[n] Tacui quidem, numquid *Bod.* 3.
[o] Dispergantur inimici *Bod.* 1. 4.
[p] Quomodo deficit *Foss. Corb. Bod.* 1, 2, 3, 4. Quomodo tabescit cera *Bod.* 1, 2, 3, 4. Cera fluet *Lin. NC.* 2.
[q] Justi epulentur *Lam. Bod.* 2, 3. *NC.* 2.
[r] Psalmum dicite *Lin. NC.* 2. Jucunditate in Deo *Bod.* 3.
[s] Viam facite ei *NC.* 1. *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Foss. Corb.*
[t] Patres orphanorum et judices *Bod.* 1, 3, 4. *Foss. Corb.*
[u] Unius moris *Lin.*
[v] Qui educit vinctos in fortitudine *Lin. NC.* 2.
[x] Eos qui amaricant *Corb.* Eos qui inhabitant in monumentis *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2, 3, 4. *Foss.*
[y] Dum egredereris *Lin. NC.* 2.
[z] Tui, dum transieris *Foss.*
[aa] Tu exhæredabis *Bod.* 2. *Lam.* Disperdes *NC.* 2.
[bb] Perdere nos *Bod.* 3.
[cc] Ut recipiat unusquisque *Lam. NC.* 1. *Corb.* quæ gessit sive bona *NC.* 1. *Lam.*
[dd] Super pullum asini *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2.
[ee] Quis nuntiabit vobis quia ignis ardet? quis nuntiabit vobis locum illum æternum *Lam. Bod.* 2, 3, 4. *Lin. NC.* 1, 2. *Foss.*
[ff] Hic habitabit *Bod.* 1.
[gg] Montem sanctum ejus, prædicans præceptum Domini *NC.* 2. *Foss.* Imperium ejus *Bod.* 1, 2, 3, 4.
[hh] Reminiscentur et convertentur *NC.* 2.
[ii] Dominabitur gentium *Foss.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

CAP. XXVIII.—*Producens vinctos.* Paulo aliter habet hic locus in codice Burgundico, ubi sic legitur : *Qui educit vinctos in fortituaine, similiter eos qui in iram provocant, quihabitant in sepulchris. Deus, cum egredereris coram populo tuo, dum transgredereris in deserto. Item in Psalmo* LXXXI : *Exsurge, Deus, judica terram, quoniam tu disperdes in omnibus Gentibus. Item in Evangelio secundum Matthæum : Quid nobis et tibi, Fili Dei? Quid huc venisti ante tempus perdere nos?* Duo libri veteres in editione Anglicana laudati habent *qui educit vinctos in fortitudine.* Sic etiam in uno meo.

Quas ipse pasciturus est. Hæc non habentur in Apocalypsi, et desunt in quibusdam libris veteribus; desunt etiam in græco.

Digitized by Google

xxi. 28, 29). Item in Psalmo xxiii : *Auferte portas* [a], *principes, vestras, et extollimini, portæ æternales, et introibit rex claritatis. Quis est iste rex claritatis* [b]? *Dominus fortis et potens, Dominus fortis in prælio. Auferte portas principes vestras, et extollimini portæ æternales, et introibit rex claritatis. Quis est iste rex claritatis? Dominus virtutum ipse est rex claritatis* (*Ps.* xxiii, 7-10). Item in Psalmo xliv : *Eructavit cor meum sermonem bonum* [c], *dico ego* [d] *opera mea regi. Lingua mea calamus scriptoris* [e] *acute scribentis, decorus* [f] *specie super filios hominum. Effusa est* [g] *gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in sæcula* [h]. *Accingere ense tuo* [i] *ad femur, potentissime. Decori et speciei tuæ et intende et dirige* [j] *et regna propter veritatem* [k] *et mansuetudinem et justitiam* (*Ps.* xliv, 2, 5). Item in Psalmo v : *Rex meus et Deus meus, quoniam ad te orabo, Domine, mane exaudies vocem meam; mane assistam tibi* [l], *et contemplabor te* (*Ps.* v, 3, 4). Item in Psalmo xcvi : *Dominus regnavit, exultet terra, jucundentur* [m] *insulæ multæ* (*Ps.* xcvi, 1). Item in Psalmo xliv : *Adstitit regina ad dexteram tuam in veste inaurata* [n], *amicta est varietate. Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populi tui et domus patris* [o] *tui, quoniam desideravit rex speciem tuam, quia ipse est Dominus Deus tuus* [p] (*Ps.* xliv, 10-12). Item in Psalmo lxxiii : *Deus autem rex noster ante sæculum* [q], *operatus est salutem in medio terræ* (*Ps.* lxxiii, 12). Item in Evangelio cata Matthæum : *Et cum Jesus natus esset in Bethlehem Judæ, in diebus Herodis regis, ecce magi ab Oriente venerunt Hierosolymam* [r] *dicentes : Ubi est qui natus est rex Judæorum? Vidimus enim stellam ejus in Oriente, et venimus adorare eum* (*Matth.* ii, 1, 2). Item cata Joannem dixit Jesus : *Regnum meum non est de isto sæculo. Si de isto sæculo* [s] *esset regnum meum, ministri mei turbarentur* [t] *ne traderer Judæis. Nunc autem regnum meum non est hinc. Dixit Pilatus* [u] : *Ergo rex es tu? Respondit Jesus : Tu dicis, quoniam rex sum. Ego in hoc natus sum* [v] *et in hoc veni in sæculum, ut testimonium perhibeam veritati* [x]. *Omnis qui est de veritate audit vocem meam* (*Joan.* xviii, 36, 37).

CAP. XXX. — QUOD IPSE SIT JUDEX ET REX [y].

In Psalmo lxxi : *Deus, judicium tuum regi da, et justitiam tuam filio regis, judicare populum tuum in justitia* (*Ps.* lxxi, 1, 2). Item in Apocalypsi : *Et vidi cœlum apertum* [z] *; et ecce equus albus, et qui sedebat super eum vocabatur fidelis et verus* [aa], *æquum justumque judicat, et prœliatur. Oculi autem ejus erant tamquam flamma ignis, et super caput ejus diademata multa, et portabat nomen scriptum nemini alii nisi sibi* [bb] *notum. Et erat coopertus vestem aspersam* [cc] *sanguine, et dicitur nomen ejus Verbum Dei* [dd]*; et exercitus qui sunt in cœlo sequebantur eum in equis albis, induti byssinum album mundum* [ee] *; et de ore ejus exibat gladius utrinque* [ff] *acutus, ut ex eo percuteret nationes quas ipse pasciturus* [gg] *est in virga ferrea, et ipse calcabit torcular vini iræ Dei omnipotentis. Habet etiam in veste et in femore suo nomen scriptum : Rex regum et Dominus dominantium* [hh] (*Apoc.* xix, 11-16). Item in Evangelio : *Cum venerit Filius hominis in claritate sua, et omnes Angeli cum eo, tunc sedebit in throno claritatis suæ : et colligentur ante eum omnes gentes, et segregabit illos* [ii] *ab invicem, quemadmodum pastor segregat oves ab hœdis; et statuet oves ad dexteram suam, hœdos autem ad sinistram* [jj]. *Tunc dicet Rex eis qui ad dextram ejus erunt : Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum* [kk] *est ab origine mundi. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare; sitivi, et potastis mè* [ll]*; hospes fui, et adduxistis me* [ll]*; nudus, et texistis me* [mm]*; infirmus* [nn], *et visitastis me; in carcere fui, et venistis ad me. Tunc respondebunt ei justi dicentes : Domine, quando te vidimus esurientem et pavimus, sitientem et potavimus? quando autem te vidimus hospitem et adduximus* [oo]*? nudum, et vestivimus? quando autem te vidimus infirmum* [pp] *et in carcere, et venimus ad te? Et respondens Rex* [qq] *dicet eis : Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni horum*

LECTIONES VARIANTES.

[a] Tollite, portas, principes *Lam. NC.* 1, 2. *Bod.* 2, 3. Elevamini, portæ *Bod.* 1, 2, 3. *Lam. NC.* 1.
[b] Æternæ *Bod.* 4. Rex gloriæ *Bod.* 1, 2, 3. *Lam. Lin. NC.* 1, 2. Claritatis, Dominus fortis in prælio. *Foss.* Fortis in prælio, item in Psalmo *Lam. Lin. NC.* 1, 2.
[c] Cor meum verbum bonum *Bod.* 2, 3. *Lam. Lin. NC.* 1, 2.
[d] Dico opera mea regi *Bod.* 1.
[e] Calamus scribæ *Lam. Bod.* 2, 3. *Lin. NC.* 1, 2. Scribæ velociter *Lam. Bod.* 2, 3. *Lin. NC.* 1, 2.
[f] Speciosus forma præ filiis hominum *Lin. NC.* 2.
[g] Diffusa est gratia *Bod.* 2. 3.
[h] Deus in æternum *Bod.* 3.
[i] Ensem tuum *Lam. Bod.* 2, 3, 4. Gladium *Lin. NC.* 2. *Bod.* 1.
[j] Prospere inequita *Bod.* 1, 3. Procede *Lin. NC.* 2.
[k] Sanctitatem et justitiam *Lam. Bod.* 1, 4. *NC.* 1. Justitiam, et docebit te mirabilia dextra tua *Bod.* 3.
[l] Mane astabo tibi et videbo *Lin. NC.* 2.
[m] Exultet terra, lætentur *Bod.* 2. *Lin. NC.* 2.
[n] In vestitu deaurato circumornata et variata *Lin.* Circumamicta varietate *NC.* 2. Circumamicta et variata *Lam. Bod.* 2. *NC.* 1.
[o] Domum patris *Corb.*
[p] Dominus tuus *Bod.* 1. 2, 3.
[q] Ante sæcula *Corb.*
[r] Advenerunt Hierosolymam *Bod.* 1.
[s] De hoc mundo : si de hoc mundo *Bod.* 2. *Lam. NC.* 2.
[t] Utique decertarent *Bod.* 3.
[u] Dixit autem Pilatus *Bod.* 1.
[v] Natus sum et in hoc veni *Lam. Bod.* 1, 2, 3, 4. *Lin. NC.* 1. Ego in hoc veni in sæculum *Oxon.*
[x] Testimonium dicam *Lam. Lin. NC.* 1, 2. *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Corb.*
[y] Quod Christus in fine sæculi judex omnium veniens, bonis præmia, malis supplicia pro meritis restituet *Bod.* 3.
[z] Cœlum totum apertum *Bod.* 4.
[aa] Fidelis et verax *Foss.* Et justus *Corb.* Justum judicans, *Lam. NC.* 1. Prœliator *Lam. NC.* 1. *Corb.*
[bb] Nisi ipsi soli *Foss.*
[cc] Veste aspersa *Foss.* Veste sparsa *Lam. NC.* 1. *Lin. Bod.* 2.
[dd] Sermo Dei.
[ee] Byssino mundo *Foss.*
[ff] Gladius ex utraque parte *Corb.*
[gg] Pasturus *Bod.* 2, 3, 4.
[hh] Dominorum *Bod.* 1. 4.
[ii] Segregabit illas *Corb.*
[jj] A sinistris *Corb.* Dextram suam sunt *Lam. Lin. NC.* 1, 2. *Bod.* 1, 2, 3, 4.
[kk] Dedistis mihi bibere *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2.
[ll] Suscepistis me *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2.
[mm] Nudus et cooperuistis *Lam. NC.* 1.
[nn] Infirmatus *Ver.*
[oo] Suscepimus *Bod.* 2. abduximus *Ver.*
[pp] Infirmari *Bod.* 1, 3. 4.
[qq] Respondit Rex et dicit *Bod.* 1.

Digitized by Google

ex fratribus meis minimis, mihi fecistis. Tunc dicet illis qui ad sinistram ejus erunt [a]*: Discedite a me, maledicti, in ignem æternum quem paravit Pater meus diabolo et angelis ejus. Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare; sitivi, et non potastis me* [b]*; hospes fui, et non adduxistis me; nudus, et non vestistis me* [c]*; infirmus et in carcere, et non visitastis me. Tunc respondebunt et ipsi dicentes: Domine, quando te vidimus esurientem, aut sitientem, aut hospitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere, et non ministravimus tibi? Et respondebit illis* [d]*: Amen dico vobis, quamdiu non fecistis uni ex minimis his, neque mihi fecistis. Et abibunt isti in ambustionem æternam* [e]*, justi autem in vitam æternam* (*Matth.* XXV, 21-46).

LECTIONES VARIANTES.

[a] Qui sunt ad sinistram *Lam. Lin. NC.* 1, 2. *Bod.* 2.
[b] Dedistis mihi bibere *Bod.* 2. Potastis me, hospes fui et non suscepistis me *Lam. Lin. NC.* 1, 2. *Bod.*
[c] Non venistis ad me *Bod.* 3, 4. Abduxistis *Ver.*
[d] Respondebit illis Rex dicens *Lam. NC.* 1.
[e] In ignem æternum *NC.* 2.

LIBER TERTIUS [f].

CYPRIANUS Quirino filio salutem. Pro fide ac devotione [g] tua quam Domino Deo exhibes, fili charissime, petisti ut, ad instruendum te, excerperem de Scripturis sanctis quædam capitula ad religiosam sectæ nostræ disciplinam pertinentia, lectionis divinæ succinctam diligentiam quærens, ut animus Deo deditus non longis aut multis librorum voluminibus fatigetur, sed eruditus breviario præceptorum cœlestium habeat ad fovendam memoriam suam salubre et grande compendium. Et quia tibi plenum dilectionis obsequium debeo, feci quod petisti, ut laborarem semel, ne tu semper laborares. Quantum potuit itaque mediocritas nostra complecti, collecta sunt a me quædam præcepta Dominica et magisteria divina; quæ esse facilia [h] et utilia legentibus possint, dum in breviarium pauca digesta et velociter perleguntur et frequenter iterantur. Opto te, fili charissime, semper bene valere.

CAPITULA.

I. *De bono operis et misericordiæ* [i].
II. *In opere et eleemosynis, etiamsi per mediocritatem minus fiat, ipsam voluntatem* [j] *satis esse.*
III. *Agapem et dilectionem fraternam religiose et firmiter exercendam.*
IV. *In nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit.*
V. *Humilitatem et quietem in omnibus tenendam.*
VI. *Bonos quosque* [k] *et justos plus* [l] *laborare, sed tolerare debere, quia probantur.*
VII. *Non contristandum* [m] *Spiritum sanctum quem accepimus.*
VIII. *Iracundiam vincendam esse, ne cogat delinquere.*
IX. *Invicem se fratres sustinere debere.*
X. *In Deum solum* [n] *fidendum, et in ipso gloriandum.*
XI. *Eum qui fidem consecutus est, exposito* [o] *priore homine, cœlestia tantum et spiritalia cogitare debere nec attendere ad sæculum, cui jam renuntiavit* [p].
XII. *Non jurandum.*
XIII. *Non maledicendum.*
XIV. *Numquam mussitandum, sed circa omnia quæ accidunt* [q] *benedicendum Deum.*
XV. *Ad hoc tentari homines a Deo ut probentur* [r].
XVI. *De bono martyrii.*
XVII. *Minora esse quæ in sæculo patimur quam sit præmium quod promissum est.*
XVIII. *Dilectioni Dei ac Christi nihil præponendum.*
XIX. *Voluntati, non nostræ, sed Dei, obtemperandum.*
XX. *Fundamentum et firmamentum spei et fidei esse timorem* [s].
XXI. *Non temere de altero judicandum.*
XXII. *Accepta injuria* [t]*, remittendum et ignoscendum.*
XXIII. *Vicem malis non reddendam.*
XXIV. *Non posse ad Patrem* [u] *perveniri nisi per Christum.*
XXV. *Ad regnum Dei, nisi baptizatus et renatus quis fuerit, pervenire non posse.*
XXVI. *Parum esse baptizari et Eucharistiam accipere, nisi quis factis et opere proficiat.*
XXVII. *Baptizatum quoque gratiam perdere quam consecutus sit* [v]*, nisi innocentiam servet.*
XXVIII. *Non posse in Ecclesia remitti ei qui in Deum deliquerit.*

LECTIONES VARIANTES.

[f] De capitulis mandatorum Dei, ad christianæ religionis disciplinam pertinentibus. *Oxon. in nota.*
[g] Fide ac dilectione *Lam. NC.* 1. *Ben.*
[h] Esse et facilia *NC.* 2. *Bod.* 1.
[i] Opere misericordiæ *Corb. Lam. NC.* 1.
[j] Ipsa voluntate *Lam. NC.* 1. *Bod.* 1. 4.
[k] Bonos quoque *Bod.* 1. 4.
[l] Plurimum laborare *Corb.*
[m] Non contristare *Lam. Lin. NC.* 1.
[n] Deo solo *Bod.* 1, 2. Confidendum *Corb.*
[o] Expoliato primo homine *Thu.*
[p] Renuntiavimus *Bod.* 1, 3, 4.
[q] Accidunt, semper *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2.
[r] Deo ut explorentur *NC.* 2. *Bod.* 1, 4.
[s] Dei *addit Bod.* 4.
[t] Acceptam injuriam remittendam et ferendam *Lam. NC.* 2. *Corb.*
[u] Non posse ad Deum Patrem *Corb.* Veniri, *Bod.* 1, 2, 4. *Thu.* Nisi per Christum *Bod.* 1, 2. *Corb. Thu.*
[v] Consecutus est *Thu. Corb.*

Digitized by Google

XXIX. *De odio hominis ante prædictum.*
XXX. *Quod quis Deo voverit, cito reddendum.*
XXXI. *Eum qui non crediderit jam judicatum esse.*
XXXII. *De bono virginitatis et continentiæ.*
XXXIII. *Nihil Patrem judicare, sed Filium, et Patrem ab eo non honorificari a quo non honorificetur Filius* [a].
XXXIV. *Fidelem gentiliter vivere non oportere* [b].
XXXV. *Deum ad hoc patientem esse, ut nos pœniteat* [c] *peccati nostri et reformemur.*
XXXVI. *Mulierem ornari sæculariter non debere* [d].
XXXVII. *Fidelem non oportere ob alia delicta nisi ob nomen solum puniri.*
XXXVIII. *Servum Dei innocentem esse debere, ne incidat in pœnam sæcularem.*
XXXIX. *Datum nobis esse exemplum vivendi in Christo.*
XL. *Non jactanter nec tumultuose operandum.*
XLI. *Inepte et scurriliter* [e] *non loquendum.*
XLII. *Fidem in totum* [f] *prodesse, et tantum nos posse quantum credimus.*
XLIII. *Posse eum statim consequi qui vere crediderit.*
XLIV. *Fideles inter se disceptantes non debere gentilem judicem experiri.*
XLV. *Spem futurorum esse, et ideo fidem* [g] *circa ea quæ promissa sunt patientem esse debere.*
XLVI. *Mulierem in ecclesia tacere debere.*
XLVII. *Delicto et merito nostro fieri ut laboremus, nec Dei opem in omnibus sentiamus.*
XLVIII. *Non fœnerandum.*
XLIX. *Inimicos quoque diligendos.*
L. *Sacramentum fidei non esse profanandum.*
LI. *Quod nemo in opere suo extolli debeat.*
LII. *Credendi vel non credendi libertatem in arbitrio positam.*
LIII. *Dei arcana perspici non posse, et idcirco fidem nostram simplicem esse debere.*
LIV. *Neminem sine sorde et sine peccato esse.*
LV. *Non hominibus, sed Deo, placendum.*
LVI. *Deum nihil latere ex his quæ geruntur.*
LVII. *Fidelem emendari et reservari.*
LVIII. *Neminem contristari morte debere, cum sit in vivendo labor et periculum, in moriendo* [h] *pax et resurgendi securitas* [i].
LIX. *De idolis quæ gentiles deos putant.*
LX. *Ciborum nimiam concupiscentiam non appetendam.*
LXI. *Possidendi concupiscentiam et pecuniam non* [j] *appetendam.*
LXII. *Matrimonium cum gentilibus non jungendum.*
LXIII. *Grave* [k] *delictum esse fornicationis.*
LXIV. *Quæ sint carnalia quæ mortem pariant, et quæ spiritalia quæ ad vitam ducant* [l].
LXV. *Omnia delicta in Baptismo deponi.*
LXVI. *Disciplinam Dei in ecclesiasticis præceptis observandam.*
LXVII. *Prædictum quod disciplinam sanam aspernaturi essent.*
LXVIII. *Recedendum ab eo qui inordinate* [m] *et contra disciplinam vivat.*
LXIX. *Non in sapientia mundi nec in eloquentia esse regnum Dei, sed in fide crucis et virtute conversationis.*
LXX. *Parentibus obsequendum.*
LXXI. *Patres quoque asperos circa filios esse non oportet* [n].
LXXII. *Servos, cum crediderint, plus dominis carnalibus servire debere.*
LXXIII. *Item dominos mitiores esse debere.*
LXXIV. *Viduas probatas quasque honorandas.*
LXXV. *Suorum, et maxime fidelium, curam plus unumquemque habere debere.*
LXXVI. *Majorem natu non temere accusandum.*
LXXVII. *Peccantem publice objurgandum.*
LXXVIII. *Cum hæreticis non loquendum.*
LXXIX. *Innocentiam* [o] *fidenter petere et impetrare.*
LXXX. *Nihil licere diabolo in hominem, nisi Deus permiserit.*
LXXXI. *Mercedem* [p] *mercenario cito reddendam.*
LXXXII. *Non augurandum.*
LXXXIII. *Cirrum* [q] *in capite non habendum.*
LXXXIV. *Non vellendum* [r].
LXXXV. *Surgendum cum episcopus aut presbyter veniat.*
LXXXVI. *Schisma non faciendum, etiamsi in una fide et in eadem traditione permaneat qui recedit.*
LXXXVII. *Fideles simplices cum prudentia esse debere.*
LXXXVIII. *Fratrem non circumveniendum.*
LXXXIX. *Subito venire finem mundi.*
XC. *Uxorem a viro non recedere, aut si recesserit, innuptam manere* [s].
XCI. *Tantum unumquemque tentari quantum potest sustinere.*
XCII. *Non quicquid licet esse faciendum.*
XCIII. *Prædictum quod hæreses futuræ essent.*
XCIV. *Cum timore et honore Eucharistiam accipiendam.*

LECTIONES VARIANTES.

[a] Honoriticetur et Filius *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2.
[b] Debere *Corb.*
[c] Pœniteat a peccatis nostris *Lam. NC.* 1.
[d] Non oportere *Lam. NC.* 1.
[e] Inepte et sæculariter *Bod.* 3.
[f] Tantum *NC.* 2. Totam *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. *Corb.*
[g] Fidem nostram *Impr. Thu. Corb.*
[h] In moriendo autem *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. *Corb*
[i] In resurgendo securitas *Bod.* 2..
[j] Admittendam *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2.
[k] Gravius *Bod.* 1, 2, 3, 4. Fornicari *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2.
[l] Ducant sempiternam *Lin.*
[m] Inordinate et absque disciplina *Lin.* Inordinate vadit *Corb.* Contra disciplinam Dei *Lam. NC.* 1.
[n] Non oportere *Lam. Lin. NC.* 1. *Bod.* 2, 4.
[o] Innocentem fideliter *NC.* 1.
[p] Mercedes, etc. *Lin.*
[q] Cirrum non habendum *Lam. Lin. NC.* 1. *Bod.* 1, 2, 4 *Thu. Corb.*
[r] Pilum *Bod.* 1.
[s] Innuptam remanere *Voss.* Innuptam permaneret *Lam NC.* 1. *Bod.* 2.

Digitized by Google

XCV. *Bonis convivendum* [a], *malos autem vitandos.*
XCVI. *Factis, non verbis, operandum* [b].
XCVII. *Ad fidem et ad consecutionem properandum esse* [c].
XCVIII. *Catecuminum peccare jam* [d] *non debere.*
XCIX. *Judicium secundum tempora futurum, æquitatis ante Legem, vel Legis post Moysen.*
C. *Gratiam Dei gratuitam esse debere.*
CI. *Spiritum sanctum in igne frequenter* [e] *apparuisse.*
CII. *Correptionem bonos quosque* [f] *libenter audire debere.*
CIII. *A multiloquentia temperandum.*
CIV. *Non mentiendum.*
CV. *Frequenter emendandos qui delinquunt in domestico ministerio.*
CVI. *Injuria accepta patientiam* [g] *tenendam, et ultionem Deo relinquendam.*
CVII. *Non detrahendum.*
CVIII. *Non esse proximo insidiandum.*
CIX. *Infirmos visitandos.*
CX. *Susurrones* [h] *maledictos esse.*
CXI. *Sacrificia malorum acceptabilia non esse.*
CXII. *Gravius judicari de his qui in sæculo plus habuerint potestatis.*
CXIII. *Viduas* [i] *et pupillos protegi oportere.*
CXIV. *Dum in carne est quis, Exomologesin facere debere.*
CXV. *Adulationem perniciosam esse.*
CXVI. *Plus ab eo diligi Deum cui in Baptismo plura peccata dimittuntur.*
CXVII. *Fortem congressionem esse adversus diabolum, et ideo fortiter nos stare debere, ut possimus vincere.*
CXVIII. *De antichristo, quod in homine* [j] *veniat.*
CXIX. *Grave fuisse jugum legis quod a nobis abjectum est* [k], *et leve esse jugum Domini quod a nobis susceptum est.*
CXX. *Orationibus insistendum.*

A [301] CAP. I. — DE BONO OPERIS ET MISERICORDIÆ [l].

Apud Esaiam : *Exclama* [m], inquit, *in fortitudine, et noli parcere, sicut tuba exalta vocem tuam, annuntia plebi meæ* [n] *peccata ipsorum et domui Jacob facinora eorum. Me de die in diem quærunt, et cognoscere vias meas concupiscunt, quasi plebs quæ justitiam fecerit et judicium Dei* [o] *non deseruerit* [p]. *Postulant* [q] *me nunc judicium justum, et appropinquare Deo concupiscunt dicentes : Quid* [r]? *quia jejunavimus et non vidisti, humiliavimus animas nostras et non cognovisti* [s]. *In diebus enim jejunii* [t] *inveniuntur voluntates* [u] *vestræ. Aut enim subjectos vobis subpungitis, aut ad judicia et lites jejunatis, aut proximos cæditis pugnis. Ut quid mihi jejunatis, ut hodie audiatur vox vestra in clamore? Non hoc jejunium* [v] *ego elegi, nisi* [x] *humiliet homo animam* B *suam. Et si contorseris quasi circulum collum tuum, et saccum et cinerem substraveris, nec sic* [y] *vocabitur jejunium acceptum. Non tale jejunium elegi, dicit Dominus ; sed solve omnem nodum injustitiæ, resolve suffocationes impotentium commerciorum. Dimitte quassatos in requiem, et omnem consignationem injustam* [z] *dissipa. Frange esurienti panem tuum, et egenos sine tecto induc in domum tuam. Si videris nudum, vesti* [aa]; *et domesticos seminis tui non despicies. Tunc erumpet temporaneum lumen tuum, et vestimenta tua cito orientur. Et præibit ante te justitia, et claritas Dei circumdabit te. Tunc exclamabis, et Deus exaudiet te. Dum adhuc loqueris dicet : Ecce adsum* [bb] (*Isa.* LVIII, 1-9). De hoc ipso apud Job : *Conservavi egenum de manu potentis, et pupillo cui non erat adjutor auxiliatus sum.* C *Os viduæ benedixit me, cum essem oculus cæcorum, pes quoque claudorum ego essem, et invalidorum pater* (*Job* XXIX, 12, 13, 15, 16). De hoc ipso apud Tobiam : *Et dixi Tobiæ* [cc] *filio meo : Vade, et adduc quemcumque pauperem inveneris ex fratribus nostris, qui tamen in mente habeat Deum ex toto* [dd] *corde suo. Hunc adduc* [ee], *et manducabit pariter meum* [ff] *prandium hoc : Ecce sustineo te, fili, donec venias* (*Tob.* II, 2). Item illic : *Omnibus diebus vitæ tuæ, fili, Deum in mente habe, et noli*

LECTIONES VARIANTES.

[a] Convivendum *Lam. Lin. NC.* 1,2. *Thu. Bod.* 1,2, 3, 4. Conveniendum *Oxon.*
[b] Obtemperandum *Bod.* 1.
[c] Properandum *Oxon.*
[d] Peccare non debere *Lam. Lin. NC.* 1.
[e] In igne semper *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2.
[f] Quoque *Bod.* 2, 3, 4.
[g] Patientiam esse *Lam. NC.* 1.
[h] Susurrones et bilingues *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. *Corb.*
[i] Viduam *Oxon.*
[j] In hominem veniet *Corb.*
[k] Susceptum non *Corb.*
[l] De bono opere et misericordia *Lam. NC.* 1. *Corb.*
[m] Exclama in fortitudine *Voss.* 2.
[n] Plebi tuæ *Voss.* 2.
[o] Judicium non *Voss* 4.
[p] Dereliquerit *Lin.*
[q] Postulant quidem *Bod.* 3. Postulant a me *Bod.* 1, 2. *Lam. NC.* 1, 2. *Voss.* 2.
[r] Ut quid jejunavimus *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2.
[s] Et nescisti *Lin.*
[t] Jejuniorum vestrorum *Lam. NC.* 1. *Bod*, 2.
[u] Voluptates *Lin. Thu. Corb.*
[v] Quod ego elegi *Lam. Lin. NC.* 1. *Bod.* 1, 2, 4. *Voss.* D 3. *Colt.*
[x] Sed humiliare hominem *Colt.* Jejunium, dicit Dominus, per diem humiliare hominem animam suam, tametsi contorseris quasi circulum *Lam. Lin. NC.* 1. *Bod.* 1, 2, 4. *Colt. Voss.* 3.
[y] Nec sic hoc *Lam. NC.* 1. *Rod.* 2. Hoc non sic *Colt.*
[z] Consignationem injustitiæ *NC.* 1
[aa] Vesti eum *Colt.*
[bb] Adsum prope *Colt.*
[cc] Dixit Tobias filio suo *Lam. NC.* 2. *Bod.* 1, 2. *Voss.* 4.
[dd] Qui tamen habet Dominum in toto *Lam. NC.* 1.
[ee] Huc adduc *Corb.*
[ff] Pariter mecum *Thu. Corb. Lam. Lin. NC.* 1, 2. *Bod.* 1, 2. *Voss.* 2.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

CAP. I. — *Ut quid mihi jejunatis.* Vide Frontonis Ducæi notas in Homiliam VI Chrysostomi *ad populum Antiochenum.*

Nisi humiliet. Vide Cotelerii notas in caput III Epistolæ Barnabæ.

Digitized by Google

præterire præcepta ejus. Justitiam fac omnibus diebus vitæ tuæ, et noli ambulare viam [a] *iniquitatis : quoniam agente te ex veritate, erit respectus operum tuorum. Ex substantia tua fac eleemosynam, et noli avertere faciem ab ullo paupere. Ita fiet ut nec a te avertatur facies Dei. Quomodo habueris, fili, sic fac. Si tibi fuerit copiosa substantia, plus ex illa fac eleemosynam. Si exiguum habueris* [b], *ex hoc ipso exiguo communica. Et ne timueris cum facis eleemosynam, præmium bonum reponis tibi in diem necessitatis : quoniam eleemosyna a morte liberat et non patitur ire in tenebras. Munus bonum est eleemosyna* [c] *omnibus qui faciunt eam coram summo Deo* (*Tob.*, IV, 5-11). De hoc ipso apud Salomonem in Proverbiis : *Qui pauperi* [d] *miseretur, Deo fœnerat* (*Prov.* XIX, 17). Item illic : *Qui dat pauperibus, numquam indigebit. Qui autem avertit oculum suum* [e], *in multa penuria* [f] *erit* (*Prov.* XXVIII, 27). Item illic : *Eleemosynis* [g] *et fide peccata purgantur* [h] (*Prov.* XVI, 6). Item illic : *Si esurierit inimicus tuus, ciba* [i] *eum ; et si sitierit, potabis* [j] *eum. Hoc enim faciens carbones vivos* [k] *superfundes in caput* [l] *ejus* (*Ibid.* XXV, 21, 22). Item illic : *Sicut aqua extinguit ignem, sic eleemosyna extinguit peccatum* (*Eccli.* III, 33). Apud eumdem in Proverbiis : *Ne dixeris : Abi et revertere* [m], *cras ego dabo, cum possis continuo bene facere. Non enim scis quid contingat sequenti die* (*Prov.* III, 28). Item illic : *Qui obturat aures suas* [n] *ne audiat* [o] *imbecillum, et ipse invocabit Deum, et non erit qui exaudiat eum* (*Ib.* XXI, 13). Item illic : *Qui conversatur sine vituperatione in justitia* [p], *beatos filios relinquit* [q] (*Ib.* XX, 7). Apud eumdem in Ecclesiastico : *Fili, si habes, bene fac tecum, et Deo dignas oblationes offer* [r], *memorare quoniam mors non tardat* (*Eccli.* XIV, 11, 12). Item illic : *Conclude eleemosynam in corde pauperis, et hæc pro te orabit* [s] *ab omni malo* (*Ib.* XXVII, 12). De hoc ipso in Psalmo XXXVI, misericordiam [t] et posteris prodesse : *Junior fui, etenim senui* [u], *et non vidi justum derelictum nec semen ejus quærens panem. Tota die miseretur et fœnerat* [v], *et semen ejus in benedictione est* [x] (*Ps.* XXXVI, 25, 26). De hoc ipso in Psalmo XL : *Beatus* [y] *qui intelligit super egenum et pauperem, in die malo liberabit illum Deus* (*Ps.* XL, 2) : Item in Psalmo CXI : *Distribuit* [z], *dedit pauperibus, justitia ejus manebit in sæculum sæculi* (*Ib.* CXI, 9). De hoc ipso apud Osee : *Misericordiam volo magis* [aa] *quam sacrificium, et agnitionem Dei plus quam* [bb] *holocaustomata* (*Ose.* VI, 6). De hoc ipso in Evangelio cata Matthæum : *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam* [cc], *quia ipsi saturabuntur* (*Matth.* V, 6). Item illic : [dd] *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur* (*Ibid.* 7). Item illic : *Thesaurizate vobis thesauros in cœlo, ubi neque tinea neque comestura* [ee] *exterminat, et ubi fures non effodiunt et furantur* [ff] (*Ibid.* VI, 20, 21). *Ubi enim fuerit thesaurus tuus, illic erit et cor tuum.* Item illic : *Simile est regnum cœlorum homini negotianti quærenti bonas margaritas ; ubi autem invenit pretiosam margaritam* [gg], *abiit et vendidit omnia quæ habuit, et emit illam* [hh] (*Matth.* XIII, 45, 46). Etiam modicum opus prodesse. Item illic : *Et qui potaverit* [ii] *unum ex minimis istis calicem aquæ frigidæ in nomine discipuli, amen dico vobis, non perdet* [jj] *merces ejus* (*Matth.* X, 42). Nemini negandam eleemosynam. Item illic : *Omni poscenti te* [kk] *da, et ab eo qui voluerit mutuari ne aversatus fueris* [ll] (*Luc.* V, 42). Item illic : *Si vis ad vitam* [mm] *venire, serva mandata. Dicit ille : Quæ ? Dicit illi Jesus : Non occides, non mœchaberis, non falsum testimonium* [nn] *dices, honora patrem et matrem, et diliges proximum tibi tamquam te* [oo]. *Dicit illi juvenis : Omnia ista observavi. Quid adhuc mihi deest ? Dicit illi Jesus : Si vis perfectus esse, vade et vende* [pp] *omnia tua, et da pauperibus* [qq], *et habebis the-*

LECTIONES VARIANTES.

[a] In viam *Voss.* 2.
[b] Quomodo et habueris *Bod.* 2. *Voss.* 2. *Thu. Lam.*
[c] Eleemosyna, omnibus facientibus *Corb.*
[d] *Sic Lam. Voss.* 3. Pauperum *Oxon.* Deum fœnerat *Thu. Corb.*
[e] Oculum in multa *Bod.* 1, 2, 4. *Lam. Thu. Corb.*
[f] In magna inopia *NC.* 2.
[g] Eleemosyna *Bod.* 1. *Voss.* 2.
[h] Delicta purgantur *Bod.* 1, 2, 3.
[i] Pasce *Lin. Bod.* 1, 4. *Thu. Voss.* 2.
[j] *Sic Voss.* 3. *Bod.* 2. Potabis *Impr.* Pota *Oxon.*
[k] Carbones ignis *NC.* 2. *Colt.*
[l] Capiti *Lam. Lin. Bod.* 1, 2. *Thu. Voss.* 2. Superponet capiti *Corb. Colt.*
[m] Vade et revertere *Colt.* Cras dabo tibi *Lam. NC.* 1, 2.
[n] Aures ne audiat *Bod.* 1, 3. *Voss.* 2.
[o] Infirmum *Colt.*
[p] Vituperatione justitiæ *Colt.*
[q] Relinquet *Colt. Voss.* 2.
[r] Oblationes offeres *NC.* 1, 2, *Colt. Lam. Voss.* 2.
[s] Te exorabit *Corb. Lin. NC.* 1, 2, *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Lam. Thu. Voss.* 2.
[t] Misericordiam fac et poteris prodesse *Corb.*
[u] Juvenior fui et senui et numquam *Colt. Corb.*
[v] Miseretur et commodat *Bod.* 1, 2, 4. *Voss.* 2.
[x] Benedictione erit *Lam. NC.* 1, 2. *Bod.* 1, 2, 4. *Colt.*
[y] Felix qui *Bod.* 4. *Thu. Corb.*
[z] Dispersit *Lam. Lin. NC.* 1, 2. *Bod.* 1, 2, 4. *Colt. Voss.* 2. *Thu. Corb.*
[aa] Misericordiam malo quam *Lam. Lin. NC.* 1, 2. *Bod.* 2, 4. *Thu. Corb.*
[bb] Dei quam *Lam. Lin. NC.* 1. *Thu. Corb. Colt.*
[cc] Beati esurientes et sitientes *Voss.* 2. *Lam. NC.* 1. *Bod.* 1, 2, 4. *Thu. Corb.*
[dd] Felices misericordes *Bod.* 4. *Thu.*
[ee] Comestura demolitur *Colt.*
[ff] Effodiunt. Ubi *Lin. NC.* 2. *Thu. Bod.* 1, 4. *Voss.* 4. Nec furantur, *supra de Opere et Eleem.*
[gg] Bonam margaritam *Colt.*
[hh] Ad emendam illam *Lin.*
[ii] Dederit uni *Colt.* Tantum in nomine meo *Colt.*
[jj] Non perdet mercedem *Colt.*
[kk] Petenti da *Colt.*
[ll] Ne averteris te *Bod.* 3. *Voss.* 4.
[mm] In vitam *Colt.*
[nn] Non mœchaberis, non furtum facies, non falsum *Colt.*
[oo] Proximum tuum tamquam teipsum *Colt.* Proximum tamquam *Thu.*
[pp] Vende bona *Bod.* 1, 2, 4. Omnia bona *Colt. Voss.* 2.
[qq] Egenis *Lam. Lin. NC.* 1. *Thu. Voss.* 2.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

Junior fui. Plerique libri veteres habent *juvenior* Apuleius, lib. 8, Metamorphoseon : *Sed unus præ cæteris et animo fortior et ætate juvenior.* Sosipater Charisius, lib. II : *Aliquando primus et secundus, ut senex senior, juvenis juvenior.* Sic etiam apud Fulgentium Placiadem, lib. I *Etymologicon.*

Digitized by Google

saurum in cœlo, et veni, sequere me (*Matth.* XXIX, 17-20. Item illic : *Cum venerit Filius hominis in majestate sua* [a] *et omnes Angeli cum eo, tunc sedebit in throno claritatis suæ* [b], *et colligentur* [c] *ante eum omnes* [d] *gentes. Et segregabit* [e] *illos ab invicem, quemadmodum pastor segregat oves ab hœdis. Et statuet oves ad dexteram* [f], *hœdos autem ad sinistram* [g]. *Tunc dicet Rex eis qui ad dexteram suam sunt : Venite, benedicti Patris mei, percipite* [h] *regnum quod vobis paratum est ab origine mundi. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare; sitivi, et potastis me* [i]; *hospes fui, et adduxistis* [j] *me; nudus et texistis me* [k]; *infirmatus sum* [l], *et visitastis me; in carcere fui, et venistis* [m] *ad me. Tunc respondebunt ei justi dicentes : Domine, quando te vidimus hospitem et adduximus* [n], *nudum et vestivimus? Quando autem te vidimus infirmum* [o] *et in carcere et venimus ad te? Et respondens Rex dicet eis : Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni horum ex fratribus meis mininis, et mihi fecistis. Tunc dicet illis qui a sinistris ejus* [p] *sunt : Discedite a me, maledicti, in ignem æternum* [q] *quem præparavit* [r] *Pater meus diabolo et angelis ejus. Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare; sitivi, et non potastis me; hospes fui, et non adduxistis me; nudus fui, et non vestistis me; infirmus et in carcere, et non visitastis* [s] *me. Tunc respondebunt et ipsi dicentes : Domine, quando te vidimus esurientem aut sitientem aut hospitem aut nudum aut infirmum aut in carcere, et non ministravimus* [t] *tibi? Et respondebit illis* [u] *: Amen dico vobis, quamdiu non fecistis uni ex mininis his, neque mihi fecistis. Et abibunt isti in ambustionem æternam, justi autem in vitam æternam* (*Matth.* XXV, 31-46). De hoc ipso in Evangelio cata Lucam : *Res vestras* [x] *vendite, et date eleemosynam* (*Luc.* XI, XII, 33). Item illic : *Qui fecit quod est intus, fecit et quod foris est. Verumtamen* [y] *date eleemosynam, et ecce vobis omnia sunt munda.* Item illic : *Ecce dimidium ex substantia mea do egenis; et si cui* A *quid fraudavi* [z], *quadruplum reddo* [aa]. *Dixit* [bb] *autem Jesus, quia salus hodie domui huic facta est, quoniam et ipse filius est Abrahæ* (*Luc.* XXI, 40, 41). De hoc ipso [bb] ad Corinthios II : *Vestra abundantia illorum inopiam suppleat, ut et illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum, ut sit æqualitas, sicut scriptum est : Qui multum habuit non abundavit, et qui modicum non indiguit* [cc] (II *Cor.* VIII, 14, 15). Item illic : *Qui parce seminat, parce et metet, et qui seminat in benedictione* [dd], *de benedictione et metet* [ee]. *Unusquisque autem sicut corde proposuit, non quasi ex tristitia vel ex necessitate. Hilarem enim datorem diligit Deus.* Item illic, *Sicut scriptum est : Distribuit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in æternum.* Item illic : *Qui autem administrat* [ff] *semen seminanti, et panem ad edendum* B *præstabit, et multiplicabit semen vestrum* [gg], *et augebit incrementa frugum justitiæ vestræ, ut in omnibus locupleteniini.* Item illic : *Administratio hujus officii non tantum supplevit ea quæ sanctis desunt, sed abundavit* [hh] *per multam* [ii] *gratiarum actionem in Deum* (II *Cor.* IX, 6, 7, 9-12). De hoc ipso in Epistola Joannis : *Qui habuerit substantiam mundi* [jj], *et viderit fratrem suum desiderantem* [kk], *et clauserit viscera sua* [ll] *ab eo, quomodo charitas Dei* [mm] *manet in illo* [nn] (I *Joan.* III, 17)? De hoc ipso in Evangelio cata Lucam : *Cum facis prandium aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neque fratres* [oo], *neque vicinos, neque divites, ne forte et illi reinvitent te, et fiat tibi retributio. Sed, cum facis epulum, voca* [pp] *pauperes, debiles, cæcos et claudos, et beatus* [qq] *eris, quoniam non habent retribuere tibi; retribuetur* [rr] *autem tibi in re-* C *surrectione justorum* (*Luc.* XIV, 12-14).

CAP. II — IN OPERE ET ELEEMOSYNIS, ETIAMSI PER MEDIOCRITATEM MINUS FIAT, IPSAM VOLUNTATEM SATIS ESSE.

In Epistola Pauli ad Corinthios II : *Si voluntas prompta est, secundum quodcumque* [ss] *habuerit, acceptabile* [tt]

LECTIONES VARIANTES.

[a] In claritate sua *Lam. NC.* 1. *Bod.* 1, 2, 4. *Thu. Corb.*
[b] Super sedem majestatis *Cott.*
[c] Congregabantur ante *Cott.*
[d] Omnes gentes terræ *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2.
[e] Et separabit *Cott.*
[f] Oves quidem a dextris *Cott.*
[g] A sinistris *Cott.*
[h] Possidete paratum *Cott.*
[i] Dedistis mihi potum *Lin.* Mihi bibere *Cott.*
[j] Et collegistis *Cott.*
[k] Operuistis *Cott.*
[l] Infirmus *Corb. Voss.* 2. *Sic supra lib.* II. *Voss.* 2.
[m] Visitastis me *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Lam. Lin. NC.* 1.
[n] Collegimus.
[o] Infirmari *Lam. Lin. NC.* 1. *Bod.* 1, 2, 4. *Thu. Corb. Sic supra lib.* II. *Cott.*
[p] Ad sinistram *Bod.* 1, 2, 4. *Thu. Corb. Cott. Voss.* 2.
[q] In supplicium æternum *Cott.*
[r] Quem paravit *Bod.* 1. *sic supra.*
[s] Venistis ad me *Lin.*
[t] Administravimus *Bod.* 1. 4, *Thu. sic supra Voss.* 2.
[u] Tunc respondebit *Lam. NC.* 1. *Corb.*
[v] Minimis meis *Corb.*
[x] Vendite quæ possidetis *Lin.*
[y] Verum date *Bod.* 1, 3, 4. Vobis munda omnia *Lam. NC* 1. *Bod.* 1, 2, 3, 4.
[z] Defraudavi *Lin.*
[aa] Reddam *Lam. NC.* 1. *Corb.*
[bb] Paulus ad *NC.* 1, 2. *Corb.*
[cc] Non indigebit *Corb.* Non minoravit *Bod.* 1. *Voss.* 2.
[dd] In benedictionem *Thu.*
[ee] Metet vitam æternam *Lam. NC.* 1. *Cott.*
[ff] Qui administrat *Lam. Lin. Bod.* 1, 2, 3, 4. *NC.* 1, 2. *Thu. Corb.*
[gg] Seminationem vestram *Lam. NC.* 1. *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Benev. Voss.* 2.
[hh] Sed et abundavit *Lam. NC.* 1. *Bod.* 1, 2. Abundabit *Bod.* 2. *Thu. Voss.* 4.
[ii] Per multarum *Lam. NC.* 1. *Cott. Voss.* 2.
[jj] Hujus mundi *Lam. NC.* 1. *Cott.*
[kk] Desiderantem aliquid *Lam. Bod.* 2. *Ver.*
[ll] Viscera sua quomodo *Bod.* 1, 3, 4. *Voss.* 2.
[mm] Agape Dei *Benev.*
[nn] Manebit in illo *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2.
[oo] Neque cognatos tuos, neque vicinos *Cott.*
[pp] Voca mendicos *Lam. Lin. NC.* 1, 2. *Bod.* 1, 2, 4. *Thu. Corb. Cott. Voss.* 2.
[qq] Felix eris *Bod.* 1, 4. *Thu Ver. Voss.* 2.
[rr] Restituetur autem *NC.* 1. *Bod.* 1, 2, 4; *Thu.*
[ss] Ipsa voluntate quod habuerit *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. secundum quod unusquisque *Corb. Voss.* 2.
[tt] Acceptabilis *NC.* 2.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

Item illic cum venerit. Ista usque ad *Justi autem in vitam æternam*, desunt in codice Burgundico et in Lamoniano.

Digitized by Google

est, non secundum quod [a] *non habuerit; neque sit aliis* [b] *refrigerium, vobis autem pressura* (II Cor. VIII, 12, 13).

CAP. III. — AGAPEN [c] ET DILECTIONEM FRATERNAM RELIGIOSE ET FIRMITER EXERCENDAM.

Apud Malachiam : *Nonne Deus unus condidit nos? Nonne pater unus est omnium nostrum* [d]*? Quid utique dereliquistis* [e] *unusquisque fratrem suum* (*Malach.* II, 10)? De hoc ipso cata Joannem : *Pacem* [f] *vobis remitto, pacem meam do vobis* (*Joan.* XIV, 27). Item illic : *Hoc est mandatum meum, ut diligatis invicem, quemadmodum dilexi vos. Majorem hac charitatem nemo habet, quam ut animam suam quis ponat pro amicis suis* (*Ib.* XV, 13). Item illic : *Beati* [g] *pacifici, quoniam ipsi filii Dei vocabuntur* (*Matth.* V, 9). Item illic : *Amen dico vobis, quoniam, si* [h] *duobus ex vobis convenerit in terra* [i]*, de omni re quamcumque petieritis, continget vobis a Patre meo qui in cœlis est. Ubicumque enim fuerint duo aut tres collecti in nomine meo, ego cum eis sum* (*Matth.* XVIII, 19). De hoc ipso ad Corinthios I : *Et ego quidem, fratres, non potui vobis loqui quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus; quasi infantibus* [j] *in Christo, lac vobis potum dedi* [k]*, non escam* [l]*. Dum enim* [m] *adhuc pusilli eratis, non poteratis, sed neque nunc potestis, adhuc enim estis carnales. Ubi enim in vobis æmulatio* [n] *et contentio et dissensiones, nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis* (I Cor. III, 1-3)? Item illic : *Etsi habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum* [o]*. Etsi in cibos* [p] *distribuero omnia mea, et si tradidero corpus meum ut ardeam* [q]*, charitatem* [r] *autem non habeam, nihil proficio* [s]*. Charitas magnanima est, charitas* [t] *benigna est, charitas non æmulatur, charitas non agit perperam, non inflatur, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super injustitiam, collætatur autem in veritate. Omnia diligit, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet* [u]*. Charitas numquam excidet* (I Cor. XIII, 2-8). De hoc ipso ad Galatas : *Diliges proximum tibi* [v] *tamquam te. Si autem mordetis* [x] *et incusatis invicem, videte ne consumamini ab invicem* (*Gal.* V, 14-16). De hoc ipso in Epistola Joannis : *In hoc* [yy] *apparent filii* [y] *Dei et filii diaboli. Omnis qui non est justus, non est de Deo, et qui non diligit fratrem suum. Qui enim fratrem suum odit, homicida est. Et scitis quia omnis homicida non habet in se vitam æternam in se manentem* (I Joan. IV, 16). Item illic [z] : *Si quis dixerit quoniam diligit Deum, et fratrem suum odit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum quem videt* [aa]*, Deum quem non videt quomodo potest diligere?* De hoc ipso in Actibus Apostolorum : *Turba autem eorum qui crediderant anima ac mente una agebant, nec fuit inter illos discrimen ullum, nec quicquam suum judicabant ex bonis* [bb] *quæ eis erant, sed fuerunt illis omnia communia* (*Act.* IV, 32). De hoc ipso in Evangelio [cc] cata Matthæum : *Si obtuleris munus tuum ad altare, et illic recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque illic munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo, et tunc veni et offer* [dd] *munus tuum ad altare* (*Matth.* V, 23). Item in Epistola Joannis : *Deus charitas est, et qui manet in charitate* [ee]*, in Deo manet, et Deus* [ff] *in eo* (I *Joan.* IV, 16). Item illic : *Qui dicit se in luce esse et fratrem suum odit, mendax est* [gg]*, et in tenebris ambulat usque adhuc* (I *Joan.* II, 9).

CAP. IV. — IN NULLO GLORIANDUM, QUANDO NOSTRUM NIHIL SIT.

In Evangelio cata Joannem : *Nemo potest quicquam accipere, nisi datum fuerit illi de cœlo* (*Joan.* III, 27). Item in Epistola Pauli ad Corinthios prima : *Quid enim habes quod non acceperis? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis* [hh] (I *Cor.* IV, 7)? Item in Basilion primo : *Nolite gloriari, neque loquamini* [ii] *elata* [jj]*, et non procedat magniloquentia* [kk] *ex ore vestro, quia Deus scientiarum* [ll] *Dominus* (I *Reg.* II, 3). Item illic : *Invalidus factus est arcus potentium, et infirmi accincti sunt virtute* [mm]. De hoc ipso in Machabæis : *Justum est subditum Deo esse et mortalem non paria Deo sentire* (II *Mach.* IX, 12). Item illic : *Et verba viri peccatoris ne timueritis* [nn]*, quia gloria ejus in stercora* [oo] *erit et in vermes. Hodie*

LECTIONES VARIANTES.

[a] Quod non habuit *Lam.*
[b] Ut sit aliis refrigerium *Corb. Bod.* 1, 2. Ut aliis refrigerium, vobis pressura sit *Thu.*
[c] Charitatem *Lam. NC.* 2. *Bod.* 1. *Voss.* 2.
[d] Omnium? Quid *Corb.*
[e] Despicit unusquisque *NC.* 2. *Corb.*
[f] Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo *Cott.*
[g] Felices *Bod.* 1, 2, 4. *Lam. Thu.*
[h] Duo ex vobis convenerint *Lam. Lin. NC.* 1. *Bod.* 2, 3.
[i] Super terram *Cott.*
[j] Parvulis in Christo *Cott.*
[k] Lacte vos potavi, *Bod.* 1, 2, 4. *Lam. Lin. NC.* 1. *Ver. Benev. Thu. Corb.*
[l] Non cibo *Lam. Lin. NC.* 1. *Thu. Corb.*
[m] Escam nondum enim poteratis *Lam. NC.* 1. *Lin. Bod.* 2.
[n] In vobis cadit æmulatio *Bod.* 3. Vobis sunt *Cott.*
[o] Nihil proficio *Bod.* 3. *NC.* 2.
[p] In cibos pauperum *Lam.*
[q] Ut ardeat *Benev. Ver. Corb.*
[r] Agapen *Lam. NC.* 1. *Thu. Lin. Sic passim infra.*
[s] Nihil sum *Cott.*
[t] Magnanima est, patiens est, benigna est, non inflatur, non dehonestatur, non quærit quæ sua sunt, non cogitat malum, ingaudet injustitiam *Cott.*
[u] Omnia suffert, *Lam. Lin. NC.* 1. *Bod.* 2 *Cott.*
[v] Proximum tuum tamquam teipsum *Cott. Thu. Corb. Lam. Lin. NC.* 1, 2.
[x] Mordetis, et criminatis *Bod.* 1. Accusatis *Lam. Bod.* 2. Ad invicem *Bod.* 3.
[y] Apparebunt filii *Lam. Bod.* 2. *NC.* 1.
[z] Item illic: Qui fratrem *Thu. Cor.*
[aa] Fratrem quem videt quotidie *Cott.*
[bb] Nec quisquam suum judicabat de bonis *Corb.*
[cc] In Evangelio *desunt in Thu.*
[dd] Tunc offeres *Lam. Bod.* 2. *NC.* 1.
[ee] Manet in dilectione *Lam. Bod.* 2. *NC.* 1.
[ff] Deus in eo erit *Bod.* 1. In Deo manet. Item *Bod.* 2, 3, 4.
[gg] Odit, homicida est, *Bod.* 3.
[hh] Accepisti *Lam. Bod.* 1, 2. *NC.* 1
[ii] Eloquamini *Bod.* 2.
[jj] Elate *Corb.*
[kk] Magniloquela *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2.
[ll] Scientiarum Dominus est. *Cott.*
[mm] Accincti sunt robore, *Bod.* 3.
[nn] Timueris *Lam. Lin. NC. Bod.* 4. *Cott.*
[oo] Stercore *Lam. Lin. NC.* 1.

Digitized by Google

extolletur [a], *et cras non invenietur* : *quoniam conversus est in terram suam, et cogitatio ejus* [b] *periit* (I *Mach.* II, 62).

CAP. V. — HUMILITATEM ET QUIETEM IN OMNIBUS TENENDAM.

Apud Esaiam sic dicit Dominus Deus : *Cœlum mihi thronus* [c], *et terra scabellum pedum meorum. Quam mihi sedem* [d] *ædificabitis, aut quis locus ad requiem mihi ? Omnia enim ista fecit manus mea, et sunt mea omnia ista. Et super quem aspiciam* [e] *alium, nisi super humilem et quietum et trementem* [f] *sermones meos* (*Isa.* LXVI, 1, 2) ? De hoc ipso in Evangelio cata Matthæum : *Beati mites* [g], *quoniam ipsi hæreditabunt terram* (*Matth.* V, 5). De hoc ipso cata Lucam : *Qui minimus erit* [h] *in omnibus vobis, hic erit magnus* (*Luc.* IX, 48). Item illic : *Qui se extollit humiliabitur, et qui se humiliaverit exaltabitur* (*Ibid.* XIV, 11). De hoc ipso ad Romanos : *Noli altum sapere* [i], *sed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne forte nec tibi parcat* (*Rom.* XI, 20). De hoc ipso in Psalmo XXXIII : *Et humiles spiritu salvabit.* Item ad Romanos : *Reddite omnibus quæ debentur* [j], *cui tributum tributum, cui vectigal vectigal, cui timorem timorem, cui honorem honorem. Nemini quicquam debeatis, nisi ut invicem diligatis* (*Rom.* XIII, 7). Item in Evangelio cata Matthæum : *Diligunt primum recumbendi locum in cœnis* [k], *et primam sessionem in synagogis, et salutationes in foro et vocari ab hominibus rabbi. Vos autem ne vocaveritis* [l] *rabbi. Unus est enim vobis magister* (*Matth.* XXIII, 6-8). Item in Evangelio cata Joannem : *Non est servus major domino suo, neque apostolus major eo qui se misit. Hæc scientes beati eritis* [m], *si ea feceritis* (*Joan.* XIII, 16). Item in Psalmo LXXXI : *Humilem et pauperem justificate.*

CAP. VI. — BONOS QUOSQUE [n] ET JUSTOS PLUS LABORARE, SED TOLERARE DEBERE, QUIA PROBANTUR.

Apud Salomonem : *Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio* [aa] *tribulationis* (*Eccli.* XXVII, 6). Item in Psalmo L : *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum Deus non despiciet* [o]. Item in Psalmo XXXIII : *Proximus est Dominus contritis* [p] *corde, et humiles spiritu salvabit.* Item illic : *Multæ pressuræ* [q] *justorum, sed* [r] *ex omnibus illis liberabit eos Dominus.* De hoc ipso apud Job : *Nudus exivi de utero matris meæ, nudus etiam ibo* [s] *sub terram. Dominus dedit, Dominus abstulit. Sicut Domino placuit* [t] *ita factum est. Sit nomen Domini benedictum* [u]. *In his omnibus quæ contigerunt ei* [v], *nihil peccavit Job labiis suis in conspectu Domini* (*Job* I, 21). De hoc ipso in Evangelio cata Matthæum : *Beati plangentes* [x], *quoniam ipsi consolabuntur* (*Matth.* V, 4). Item cata Joannem : *Hæc locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis, in sæculo autem pressuram* [y] *habebitis; sed fidite* [z], *quoniam ego vici mundum* [aa] (*Joan.* XVI, 33). De hoc ipso ad Corinthios secunda : *Datus est mihi stimulus carnis meæ angelus Satanæ, qui me colaphizet, ut non extollar. Propter quod ter Dominum rogavi ut discederet a me, et dixit mihi : Sufficit tibi gratia mea. Nam virtus in infirmitate perficitur* (II *Cor.* XII, 7-9). De hoc ipso ad Romanos : *Gloriamur in spe claritatis Dei, non solum autem, sed et gloriamur in pressuris, scientes quoniam pressura tolerantiam operatur, tolerantia autem probationem, probatio autem spem. Spes autem non confundit, quia dilectio Dei infusa* [bb] *est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis* (*Rom.* V, 2-5). De hoc ipso cata Matthæum : *Quam lata et spatiosa via est quæ ducit ad interitum, et multi sunt* [cc] *qui intrant per eam ! Quam arcta et angusta via est quæ ducit ad vitam, et pauci sunt qui eam inveniunt* (*Matth.* VII, 13) ! De hoc ipso in Tobia : *Ubi sunt justitiæ tuæ ? Ecce quæ pateris* (*Tob.* II, 24). Item in Sapientia Salomonis : *In locis* [dd] *impiorum gemunt justi. In illorum autem perditionem abundabunt* [ee] *justi* (*Prov.* XXVIII, 28).

CAP. VII. — NON CONTRISTANDUM SPIRITUM [ff] SANCTUM, QUEM ACCEPIMUS.

Paulus [gg] apostolus ad Ephesios : *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in die* [hh] *redemptionis. Omnis amaritudo et ira et indignatio et clamor et blasphemia* [ii] *auferantur a vobis* (*Ephes.* IV, 30).

LECTIONES VARIANTES.

[a] Extollitur *Bod.* 2.
[b] Peribit *Lam. Lin. Colt. NC.* 1. *Bod.* 1, 2, 4. *Thu. Corb.*
[c] Sedes *Corb.*
[d] Mihi domum *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. *Corb.*
[e] Super quem aspiciam, nisi *Bod.* 2.
[f] Et timentem *Bod.* 3.
[g] Felices mites, *Bod.* 4. *Thu.*
[h] Minimus fuerit *Bod.* 3.
[i] Altum respicere *Rod.* 3.
[j] Omnibus debita *Bod.* 1.
[k] In comestione *Bod.* 3.
[l] Nolite vocari *Lin.* Ne vocemini *NC.* 2. Vocati fueritis, *Corb.*
[m] Felices eritis *Bod.* 1. 4.
[n] Bonos quoque *Bod.* 1, 2. 4.
[o] Despicit *Bod.* 2. Spernit *Lin. NC.* 2. *Bod.* 3. *Thu. Corb.*
[p] Contribulatis corde *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Thu. Corb. Colt.*
[q] Multa flagella *Bod.* 3. Multæ tribulationes *NC.* 2. *Colt.*
[r] Et ex omnibus, *Corb.*
[s] Ibo in terram *Bod.* 1, 4. *Thu. Colt.*
[t] Domino visum est *Lam. Bod.* 1, 2, 4. *Lin. NC.* 1, 2. *Thu. Corb. Colt.*
[u] Benedictum in sæcula *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2.
[v] Contigerunt, nihil *Bod.* 2.
[x] Felices *Bod.* 4. *Thu.* Lugentes *Bod.* 1. Qui lugent *Colt.* Plangentes nunc *Lam. NC.* 1.
[y] Pressuram sed *Thu. Bod.* 1, 3, 4.
[z] Confidite *Bod.* 1, 3.
[aa] Vici sæculum *Bod.* 1, 4. *Thu. Corb.*
[bb] Diffusa *Colt.*
[cc] Introeunt *Lam. Lin. NC.* 1, 2. *Bod.* 1, 2. 4. *Thu. Corb.*
[dd] In loco *Bod.* 2.
[ee] Perditione ululabunt *Colt.* perditionem *Impr.*
[ff] Contristare *Lam. Lin. NC.* 1.
[gg] Paulus ad *Oxon. Corb. Lam. Lin. NC.* 1, 2. *Bod.* 2, 3.
[hh] In diem *Thu. Corb. Lam. Lin. NC.* 1, 2. *Bod.* 2.
[ii] Auferatur *Thu. Corb.* A vobis, cum omni malitia *Vir. Colt.*

Digitized by Google

CAP. VIII. — IRACUNDIAM VINCENDAM ESSE, NE COGAT DELINQUERE.

Apud Salomonem, in Proverbiis : *Melior est vir patiens forti. Qui enim iracundiam continet* [a], *melior est quam qui urbem capit* (*Prov.* XVI, 32). Item [b] illic : *Imprudens eadem die enuntiat iram suam, abscondit autem inhonorationem suam astutus* (*Ibid.* XII, 16). De hoc ipso [c] ad Ephesios : *Irascimini, et nolite peccare* [d]. *Sol non occidat super iracundiam vestram.* (*Ephes.* IV, 26). Item in Evangelio cata Matthæum : *Audistis quia dictum est* [e] *antiquis, Non occides ; qui autem occiderit, reus erit judicio. Ego autem dico vobis quia omnis qui irascitur fratri suo sine causa, reus erit judicio* (*Matth.* V, 21).

CAP. IX. — INVICEM SE FRATRES SUSTINERE DEBERE.

Ad [f] Galatas : *In contemplatione* [g] *habentes unusquisque, ne et vos tenteminí. Alterutrum* [h] *onera sustinete, et sic adimplebitis legem Christi* (*Gal.* VI, 1).

CAP. X. — IN DEUM SOLUM [i] FIDENDUM ET IN IPSO GLORIANDUM ESSE.

Apud Hieremiam : *Non glorietur sapiens in sapientia sua, neque glorietur fortis in fortitudine sua, neque glorietur dives in divitiis suis, sed in hoc glorietur qui gloriatur* [j], *intelligere et nosse* [k] *quoniam ego sum Dominus, qui facio misericordiam et judicium et justitiam super terram, quoniam in his est voluntas mea, dicit Dominus* (*Hier.* IX, 22). De hoc ipso in Psalmo LIV : *In Domino speravi, non timebo quid faciat mihi homo.* Item illic : *Non nisi soli Deo subjecta est* [l] *anima mea.* Item in Psalmo CXVII : *Non metuam quid faciat mihi homo, Dominus mihi auxiliator* [m] *est.* Item illic [307] : *Bonum est confidere in Domino* [n] *quam fidere in* [o] *homine. Bonum est sperare in Dominum quam sperare in principibus* [p]. De hoc ipso apud Danielem : *Responderunt autem Sidrac, Misac et Abdenago, et dixerunt regi Nabuchodonosor : Rex, non opus est nobis de hoc verbo respondere* [q] *tibi. Est enim Deus, cui nos servimus, potens eripere nos de camino ignis ardentis ; et de manibus tuis, rex, liberabit nos. Et si non, notum sit* [r] *tibi quia diis tuis non servimus, et imaginem auream quam statuisti non adoramus* [s] (*Dan.* III, 16-18). Item apud Hieremiam : *Maledictus homo qui spem habet in homine ; et benedictus homo qui fidit in Domino, et erit in Deo spes ejus* (*Hier.* XVII, 5). De hoc ipso in Deuteronomio : *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies* (*Deut.* VI, 13). De hoc ipso ad Romanos : *Et coluerunt et servierunt creaturæ, relicto Creatore* [t]. *Propter quod et tradidit illos Deus in passiones ignominiæ* (*Rom.* I, 25). De hoc ipso apud Joannem : *Major est qui in vobis est quam qui in hoc mundo* (I *Joan.* IV, 4).

CAP. XI. — EUM QUI FIDEM CONSECUTUS EST, EXPOSITO PRIORE [u] HOMINE, CŒLESTIA TANTUM ET SPIRITALIA COGITARE DEBERE, NEC ATTENDERE AD SÆCULUM, CUI JAM RENUNTIAVIT.

Apud Esaiam : *Quærite Dominum ; et cum inveneritis, invocate eum. Cum autem appropinquaverit vobis, relinquat impius vias suas, et vir facinorosus* [v] *cogitationes suas, et convertatur ad Dominum, et misericordiam consequetur, quia in multum* [x] *remittet peccata vestra* (*Isa.* LV, 6). De hoc ipso apud Salomonem : *Vidi universa opera quæ facta sunt sub sole, et ecce omnia vanitas* (*Eccle.* I, 14). De hoc ipso in Exodo : *Sic autem comedetis eum. Lumbi vestri præcincti, et calciamenta* [y] *vestra in pedibus vestris, et bacula vestra in manibus vestris, et edetis eum festinanter. Pascha est enim Domini* [z] (*Exod.* XII, 11). De hoc ipso in Evangelio cata Matthæum : *Nolite cogitare dicentes : Quid edemus, aut quid bibemus* [aa], *aut quid vestiemur? Hæc enim nationes inquirunt* [bb]. *Scit autem* [cc] *Pater vester quia horum omnium indigetis. Quærite primum regnum Dei et justitiam ejus, et omnia ista apponentur*

LECTIONES VARIANTES.

[a] Iracundiam contemnit *Bod.* 3, 4. Qui iracundiam continet capiet urbem *Colt.*
[b] In Parabolis *Lam. NC.* 1, 2. *Bod.* 2. Proverb. *NC.* 2,
[c] Paulus *Oxon. Lam. NC.* 1, 2. *Bod.* 2. *deest in impressis.*
[d] Delinquere *Lam. Lin. NC.* 1. *Bod.* 2. 4.
[e] Dictum est ab antiquis *Lam. NC.* 1.
[f] Paulus *Oxon. Lam. NC.* 1, 2. *Bod.* 2.
[g] Vos fratres, et si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spiritales estis, inservite hujusmodi in spiritu mansuetudinis, considerans teipsum ne tenteris. Invicem onera vestra portate *Colt.*
[h] Alter alterius onera *NC.* 2. *Lin.* Onera vestra *NC.* 1. *Bod.* 2.
[i] Deo solo *Bod.* 2.
[j] Glorietur fortis *Colt.* Glorietur, qui gloriatur fortis *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2.
[k] Nosse debet *Thu.* Et sciat quia ego sum Dominus, *Colt.*
[l] Deo subita *Bod.* 2.
[m] Adjutor *Lam. Lin. Bod.* 2. Et ego videbo inimicos meos *Colt.*
[n] Domino *Thu. Colt.* Dominum *Oxon.*
[o] In homines *Thu. Bod.* 4. *Colt.*
[p] In principes *Bod.* 1, 2, 4.
[q] Sermone respondere *Bod.* 2.
[r] Et nunc notum sit *Lam. Bod.* 2. *NC.* 1.
[s] Nec imaginem auream quam statuisti adoramus *Lam. Lin. NC.* 1. adorabimus *Corb.*
[t] Creatore, qui est benedictus in sæcula *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. *Colt.*.
[u] Expoliato priore *Thu.*
[v] Facinorosus semitas *Corb.* iniquus consilia sua *Lin.*
[x] Quia multum misericors est et remittet *Bod.* 4.
[y] Et caligæ vestræ *Lam. NC.* 1. *Lin. Bod.* 1, 2, 4. *Thu. Corb. Colt.*
[z] Pascha est Domini *Thu.*
[aa] Edimus aut quid bibimus *Colt.*
[bb] Nationes quærunt *Lam. NC.* 1. *Bod.* 1, 2, 3, 4.
[cc] Scit enim Pater *Colt.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

Cap. VIII.—*Sine causa.* Cassianus, lib. VIII, cap. 20, scribit ita legi in quibusdam exemplaribus, et addit superflua esse *sine causa*, et adjecta ab his qui imputandam iram pro justis causis minime putaverunt, cum utique nullus quamlibet absque ratione commotus, sine causa se dicat irasci. Hieronymus quoque in caput IV Epistolæ *ad Ephesios*, et caput V *Matthæi*, unde sumptus est hic locus, ait a quibusdam codicibus addi *sine causa*, et istud radendum esse, quia *ira viri justi justitiam Dei non operatur.* Vide Erasmi annotationes in hunc Matthæi locum, et Renatum Massuetum in lib. IV Irenæi, cap. 13.

Digitized by Google

vobis. Item illic : *Nolite cogitare in crastinum. Crastinus* [a] *enim dies ipse cogitabit* [b] *sibi. Sufficit diei malitia sua* (*Matth.* VI, 31-34). Item illic : *Nemo retro attendens et superponens manum suam super aratrum aptus est regno Dei* (*Luc.* IX, 62). Item illic : *Aspicite volatilia cœli, quoniam non seminant, neque metunt, neque colligunt in horrea, et Pater vester cœlestis pascit illa* [c]. *Nonne vos pluris estis illis* (*Matth.* VI, 26)? De hoc ipso cata Lucam : *Sint lumbi* [d] *vestri accincti, et lucernæ ardentes* [e], *et vos similes hominibus exspectantibus dominum suum quando veniat* [f] *a nuptiis, ut cum venerit et pulsaverit aperiant illi. Beati servi illi quos adveniens dominus invenerit vigilantes* (*Luc.* XII, 35-37). De hoc ipso apud Matthæum : *Vulpes* [g] *foveas habent, et volucres cœli diversoria* [h], *Filius autem hominis non habet ubi* [i] *caput suum inclinet* (*Matth.* VIII, 20). Item illic : *Qui non renuntiat omnibus quæ sunt ejus, non potest meus discipulus esse* (*Luc.* XIV, 33). De hoc ipso ad Corinthios prima : *Non estis vestri. Empti* [j] *enim estis pretio magno. Clarificate et portate Deum in corpore vestro* (I *Cor.* VI, 19). Item illic : *Tempus collectum* [k]. *Superest ergo ut et qui habent uxores, quasi non habentes sint, et qui plangunt* [l], *quasi non plangentes, et qui gaudent, quasi non gaudentes, et qui emunt, quasi non ementes, et qui possident, quasi non possidentes, et qui hoc mundo utuntur* [m], *quasi non utuntur* [n]. *Præterit enim figura hujus mundi* (*Ibid.* VII, 29-31). Item illic : *Primus homo de terræ limo* [o], *secundus homo de cœlo* [p]. *Qualis ille e limo, tales et qui de limo ; et qualis cœlestis, tales et cœlestes. Quomodo portavimus imaginem ejus qui de limo est, portemus et imaginem ejus qui de cœlo est* (*Ibid.* XV, 47-49). De hoc ipso ad Philippenses : *Omnes* [q] *sua quærunt, et non quæ sunt Christi* [r] (*Philip.* II, 21); *Quorum finis est interitus,* [ss] *quorum deus venter est, et gloria in confusionem* [s] *eorum qui terrena sapiunt. Nostra autem conversatio in cœlis est ; unde et salvatorem exspectamus Dominum nostrum Jesum Christum,* A *qui transformabit corpus humilitatis nostræ conformatum* [t] *corpori claritatis suæ* (*Phil.* III, 19-21). De hoc ipso ad Galatas : *Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo* (*Gal.* VI, 14). De hoc ipso ad Timotheum : *Nemo militans Deo obligat se molestiis* [u] *sæcularibus, ut possit placere ei cui se probavit. Sed et si certaverit* [v] *quis, non coronabitur, nisi legitime pugnaverit* (II *Tim.* II, 4). De hoc ipso ad Colossenses : *Si mortui estis cum Christo ab elementis mundi* [x], *quid* [y] *tamquam viventes in mundo* [z] *vana sectamini* (*Coloss.* II, 20)? Item de hoc ipso : *Si consurrexistis* [aa] *cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens ; quæ sursum sunt sapite, non quæ terrena sunt* [bb]. *Mortui enim estis,* B *et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Cum autem Christus apparuerit, vita vestra, tunc et vos cum eo apparebitis in gloria* (*Ibid.* III, 1-4). De hoc ipso ad Ephesios : *Exponite* [cc] *prioris conversationis veterem hominem, qui corrumpitur secundum concupiscentias deceptionis* [dd]. *Innovamini autem spiritu sensus vestri, et induite novum hominem* [ee], *eum qui secundum Deum constitutus est* [ff] *in justitia et sanctitate et veritate* (*Ephes.* IV, 22-24). De hoc ipso in Epistola Petri : *Quasi hospites et peregrini, abstinete vos a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam, conversationem autem habentes* [gg] *inter Gentes bonam, ut dum detrectant* [hh] *de vobis quasi de malignis* [ii], *bona opera vestra aspicientes magnificent Deum* (I *Pet.* II, 11). De hoc ipso in Epistola Joannis : *Qui dicit se in* C *Christo manere debet quomodo ille ambulavit et ipse ambulare.* Item illic : *Nolite diligere mundum neque ea quæ in mundo sunt. Si quis dilexerit mundum, non est charitas Patris in illo : quoniam omne quod in mundo est concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et ambitio sæculi, quæ non est a Patre, sed ex concupiscentia sæculi* [jj] *; et mundus transibit, et concupiscentia ejus. Qui autem fecerit voluntatem Dei* [kk] *manet*

LECTIONES VARIANTES.

[a] Crastinus enim ipse *Bod.* 1.
[b] Cogitat *Bod.* 1. Cogitavit *Bod.* 3, 4.
[c] Cœlestis alit illa *Lam. Lin. NC.* 1, 2. *Bod.* 2, 3. *Colt.*
[d] Lumbi vestri præcincti *Lam. Lin. Bod.* 2. *NC* 1, 2. *Colt.*
[e] Ardentes in manibus *Bod.* 1, 3.
[f] Quando revertatur *Colt.*
[g] Vulpes cubilia *Lam. Bod.* 1, 2, 4. *NC. Thu. Corb.*
[h] Cœli nidos *Colt.*
[i] Caput inclinet *Thu.* Reclinet *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2.
[j] Empti estis magno *Lam. Bod.* 2, 4. *NC.* 1.
[k] Tempus enim breve est *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. *Colt.* Collectum : reliquum *Bod.* 2. *Lam. NC.* 1.
[l] Qui flent, quasi non flentes *Lam. Lin. Bod.* 1, 2, 3, 4. *Thu. Corb.*
[m] Utuntur de hoc mundo *Colt.*
[n] Quasi non abutantur *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2.
[o] De terra e limo *Bod.* 2, 4. De limo *Corb.* De limo terrenus.
[p] Cœlo cœlestis *Colt.*
[q] Omnes enim *Lam. NC.* 1. Quæ sua sunt quærunt *Bod.* 1. *Colt.*
[r] Item illic : Multi ambulant, quos sæpe dicebam vobis, nunc autem et flens dico, inimici sunt crucis Christi *Colt.*
[s] In confusione *Thu.* In pudendis *Bod.* 1.
[t] Configuratum *Bod.* 3. Ad conformem *Colt.*
[u] Implicat se negotiis *NC.* 2. *Colt.*
[v] Certaverit in agone *Lam. Bod.* 2. *NC.* 1. *Colt.*
[x] Hujus mundi *NC.* 1. *Bod.* 2.
[y] Quid adhuc *Colt.*
[z] De hoc mundo decernitis *Colt.*
[aa] Resurrexistis Christo *Bod.* 2, 4. Consurrexistis Christo D *Lam.*
[bb] Non quæ super terram *Colt.*
[cc] Deponite *Corb.* Expurgate pristinam conversationem *Colt.*
[dd] Desideria erroris *Colt.* Renovamini hominem *Colt.*
[ee] Hominem qui *Bod.* 3. *Thu.*
[ff] Creatus est in justitia *Colt.*
[gg] Conversationem habentes inter gentiles *Lam. Lin. NC.* 1, 2. *Bod.* 2, 3, 4. *Colt.*
[hh] Tractant de vobis *Colt.* Detrectandum vobis putant *Bod.* 1.
[ii] De malefactoribus *Colt.*
[jj] Concupiscentia ejus et mundus *Lam. Lin. NC.* 1, 2.
[kk] Perfecerit voluntatem *Colt.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

CAP. XI.—*Nostra conversatio.* Vide Frontonis Ducæi notas ad Homiliam XLVI Chrysostomi in sanctum Julianum martyrem.

Digitized by Google

in æternum, quomodo Deus manet in æternum (I *Joan.* II, 6, 15-17). Item in Epistola Pauli ad Corinthios prima : *Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi. Nam et Pascha nostrum immolatus est Christus. Itaque festa* [a] *celebremus, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ et nequitiæ, sed in azymis sinceritatis et veritatis* (I Cor. V, 7, 8).

CAP. XII. — NON JURANDUM.

Apud Salomonem [b] : *Vir multum jurans* [c] *replebitur iniquitate, et non discedet a domo ejus plaga ; et si vane juraverit, non justificabitur* [d] (*Eccli.* XXIII, 11). De hoc ipso cata Matthæum : *Iterum audistis quia dictum est antiquis : Non perjurabis. Reddes autem Domino juramenta tua. Ego autem dico vobis non jurare omnino* [e], *neque per cœlum, quia thronus Domini est ; neque per terram, quia scabellum est pedum ejus; neque per Jerolosymam, quia civitas est magni regis : neque per caput tuum juraveris, quia non potes unum capillum album facere aut nigrum. Sit sermo vester : Est, est ; Non, non. Quod autem his abundantius est a malo est* (*Matth.* V, 34-37). De hoc ipso in Exodo : *Non accipies nomen Domini Dei tui* [f] *in vanum* (*Exod.* XX, 7).

CAP. XIII. — NON MALEDICENDUM.

In Exodo : *Non maledices, neque principi populi tui detraxeris* (*Exod.* XXII, 27). Item in Psalmo XXXIII : *Quis est homo qui vult vitam et amat videre* [g] *dies bonos* [h] ? *Contine* [i] *linguam tuam a malo, et labia tua ne loquantur dolum* [j]. De hoc ipso in Levitico : *Et locutus est Dominus ad Moysen dicens : Produc eum qui maledixerit foras extra castra, et imponent omnes qui audierunt manus suas super caput ejus, et lapidabit* [k] *eum omnis synagoga filiorum Israel* (*Levit.* XXIV, 13). De hoc ipso in Epistola Pauli ad Ephesios : *Omnis sermo malus de ore vestro non* [601] *procedat* [l], *sed bonus ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus* (*Eph.* IV, 29). De hoc ipso ad Romanos : *Benedicentes* [m], *et non maledicentes* (*Rom.* XII, 14). De hoc ipso in Evangelio cata Matthæum : *Qui dixerit fratri suo : Fatue, reus erit in gehennam* [n] *ignis* (*Matth.* V, 22), De hoc ipso cata eumdem Matthæum : *Dico autem vobis quia omne verbum otiosum* [o] *quod locuti fuerint homines, reddent pro eo rationem in die judicii. De sermonibus enim tuis justificaberis, et de sermonibus tuis condemnaberis* [p] (*Matth.* XII, 36).

CAP. XIV. — NUMQUAM MUSSITANDUM, SED CIRCA OMNIA QUÆ ACCIDUNT [q] BENEDICENDUM DEUM.

Apud Job : *Dic verbum aliquod in Dominum* [r], *et morere. At ille intuitus eam dixit : Tamquam una ex ineptis mulieribus locuta es. Si bona excepimus* [s] *de manu Domini, mala cur non tolerabimus* [t] ? *In his* [u] *omnibus quæ acciderunt ei nihil peccavit Job labiis suis in conspectu Domini* (*Job.* II, 9). Item illic : *Animadvertisti* [v] *ad puerum meum Job ? Non enim est similis illi quisquam in terris: homo sine querela, verus Dei cultor, abstinens se ab omni malo* [x] (*Job* I, 8). De hoc ipso in Psalmo XXXIII : *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo.* De hoc ipso in Numeris : *Desinat murmuratio eorum a me, et non morientur* (*Num.* XVII, 10). De hoc ipso in Actibus Apostolorum : *Circa mediam autem noctem Paulus et Silas orantes gratias agebant Deo. Audiebant autem eos vincti* [y] (*Act.* XVI, 25). Item in Epistola Pauli ad Philippenses : *Omnia autem pro dilectione* [z] *facientes sine murmurationibus* [aa] *et reputationibus, ut sitis sine querela et immaculati* [bb] *filii Dei* (*Philip.* II, 14).

CAP. XV. — AD HOC TENTARI HOMINES A DEO UT PROBENTUR [cc].

In Genesi : *Et tentavit Deus Abraham, et dixit ad illum : Accipe filium* [dd] *tuum unicum quem* [ee] *diligis Isaac, et vade in terram* [ff] *altam, imponens* [gg] *illum ibi in holocaustum hostiam* [hh] *in unum* [ii] *ex montibus de quo tibi dixero* [jj] (*Gen.* XXII, 1). De hoc ipso in Deuteronomio : *Tentat* [kk] *Dominus Deus vester vos, ut sciat*

LECTIONES VARIANTES.

[a] Itaque diem festum *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2.
[b] Salomonem : Multum *Bod.* 1, 3, 4. *Thu.*
[c] Implebitur *Lam. Lin. NC.* 1. *Cott.*
[d] *Oxon addit :* Et si frustra juraverit, dupliciter punietur.
[e] Jurare in totum *Oxon.*
[f] In os tuum in vanum *Bod.* 3.
[g] Et cupit videre *NC.* 1, 2. *Bod.* 1. *Cott.*
[h] Dies optimos *Lam. Bod.* 4. *Thu.*
[i] Prohibe linguam *Cott.*
[j] Ne loquantur insidiose *Lam. Lin. NC.* 1. *Ver. Bod.* 2. *Thu.*
[k] Lapidabunt *Thu. Cott.*
[l] Non prodeat *Lam. Lin. NC.* 1. *Bod.* 1, 2. 4.
[m] Benedicite et nolite maledicere *Cott.*
[n] Reus erit gehenna *Lam. Lin. NC.* 1. *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Corb. Cott.*
[o] Verbum vacuum *Lam. Lin. NC.* 1. *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Thu. Corb.*
[p] Damnaberis *Lam. Lin. NC.* 1. *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Thu. Corb.*
[q] Accidunt, semper *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. *Cott.*
[r] Contra Dominum *Cott.*
[s] Bona suscepimus *Bod.* 3.
[t] Mala non tolerabimus *Bod.* 1, 2. 4.
[u] In omnibus *Bod.* 2.
[v] Animadvertisti in pueros *Lin.* Animadvertisti puerum *Lam. Bod.* 1. 3, 4. *NC.* 1. Vidisti puerum *Cott.*
[x] Omni opere malo *Bod.* 3.
[y] Cæteri vincti *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. *Cott.*
[z] Pro delectatione *Lam. NC.* 1. *Bod.* 1, 2, 3, 4.
[aa] Sine murmurationibus et hæsitationibus *Cott.*
[bb] Immaculati sicut *Cott. Bod.* 2.
[cc] Ut explorentur *NC.* 2. *Bod.* 1, 4.
[dd] Filium tuum illum *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. *Thu.*
[ee] Dilexisti *Bod.* 1, 2. 4. *Thu.*
[ff] Altam *Lam. Lin. NC.* 1, 2. *Bod.* 1, 2. 4. *Cott. Omittit Oxon.*
[gg] Et impones *Bod.* 1, 2, 3. *Cott.*
[hh] Holocaustum *abest Bod.* 1, 2. *Thu. Corb.* In holocaustum hostiam *Impressa et mss. exemplaria plurima.*
[ii] In uno *Bod.* 1, 2, 3, 4.
[jj] Quem tibi dixero *Cott.*
[kk] Tentavit vos *Cott.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

CAP. XII. — *Non justificabitur.* Editio Anglicana addit ex quodam veteri libro, *ut si frustra juraverit, dupliciter punietur.* Illic autem annotatum est ea deesse in impressis, exstant vero in capite XXIII libri Ecclesiastici, sed aliis verbis.

[601] *Iterum audistis.* Ista usque ad *De hoc ipso* audita sunt ex codice Lamonii et ex Gratianopolitano.

Digitized by Google

si diligitis Dominum Deum vestrum ex toto corde vestro et ex tota anima vestra (*Deut.* XIII. 3). De hoc ipso in Sapientia Salomonis : *Et si coram hominibus tormenta passi sunt, spes eorum immortalitate plena est; et in paucis vexati, in multis bene disponentur, quoniam Deus tentavit illos* [a] *et invenit illos dignos se. Tamquam aurum in fornace probavit illos, et quasi holocausta hostiæ* [b] *accepit illos, et in tempore* [c] *erit respectus illorum* [d]. *Judicabunt nationes et dominabuntur populis, et regnabit Dominus eorum in perpetuum* (*Sap.* III, 4). De hoc ipso in Machabæis [e] : *Abraham nonne in tentatione inventus est fidelis, et deputatum est ei ad justitiam* (I *Mach.* II, 52)?

CAP. XVI. — DE BONO MARTYRII.

In Proverbiis Salomonis : *Liberat de malis animam* [f] *martyr* [g] *fidelis* (*Prov.* XIV, 25). Item illic : *Tunc stabunt justi in magna constantia adversus eos qui se angustiaverunt et qui abstulerunt labores* [h] *eorum. Videntes turbabuntur timore horribili, et mirabuntur in subitatione insperatæ salutis, dicentes inter se* [i], *pœnitentiam habentes* [j], *et per angustiam spiritus gementes : Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum* [k] *et in similitudinem improperii. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam et finem illorum sine honore. Quomodo* [l] *computati sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors illorum est ! Ergo erravimus a via veritatis, et justitiæ lumen non luxit nobis, et sol non est ortus nobis. Lassati sumus* [m] *in iniquitatis via et perditionis, et ambulavimus solitudines difficiles, viam autem Domini ignoravimus. Quid nobis* [n] *profuit superbia, aut quid divitiarum jactatio contulit nobis ? Transierunt omnia illa tamquam umbra* (*Sap.* V, 1-9). De hoc ipso in Psalmo CXV : *Pretiosa* [o] *in conspectu Domini mors sanctorum* [p] *ejus.* Item in Psalmo CXXV : *Qui seminant in lacrymis, in exultatione* [q] *metent. Ambulantes* [r] *ambulabant et plorabant mittentes semina sua, venientes autem venient in exultatione tollentes gremia* [s] *sua.* [sic] De hoc ipso in Evangelio cata Joannem : *Qui amat animam suam perdet illam ; et qui odit animam suam in isto sæculo, in vitam æternam inveniet* [t] *illam* (*Joan.* XII, 25). Item illic : *Cum autem tradiderint vos, nolite cogitare quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis* (*Matth.* X, 19). Item illic : *Veniet hora ut omnis qui interficit vos* [u], *arbitretur* [v] *officium se Deo facere. Sed et hoc facient, quoniam non cognoverunt Patrem neque me* (*Joan.* XVI, 2). De hoc ipso cata Matthæum : *Beati qui persecutionem passi fuerint propter justitiam* [x], *quoniam ipsorum est regnum cœlorum Matth.* V, 10). Item illic : *Ne timueritis eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Magis autem metuite eum qui potest animam et corpus occidere in gehennam* [y] (*Matth.* X, 28). Item illic : *Quicumque me confessus fuerit coram hominibus, et ego confitebor illum coram Patre meo* [z] *qui in cœlis est. Qui autem me negaverit coram hominibus, et ego negabo eum coram Patre meo, qui in cœlis est. Qui autem sustinuerit* [aa] *usque in finem, hic salvus erit* (*Ibid.* XXXII, 22). De hoc ipso cata Lucam : *Beati eritis cum vos oderint homines, et separaverint vos et expulerint, et maledixerint nomini vestro quasi nequam propter Filium hominis. Gaudete in illa die et exultate ; ecce enim merces vestra multa* [bb] *in cœlis* (*Luc.* VI, 22). Item illic : *Amen dico vobis, nemo est* [cc] *qui relinquat* [dd] *domum, aut parentes* [ee], *aut fratres, aut uxorem, aut filios* [ff] *propter regnum Dei, et non recipiat septies tantum in isto tempore, in sæculo autem futuro vitam æternam* [gg] (*Luc.* XVIII, 29). De hoc ipso in Apocalypsi : *Et cum aperuisset quintum signum* [hh], *vidi sub ara Dei animas occisorum propter Verbum Dei et martyrium suum, et clamaverunt magna voce dicentes : Quousque, Domine sanctus et verus, non judicas et vindicas sanguinem nostrum de his qui in terris inhabitant ? Et datæ sunt* [ii] *eis singulis stolæ albæ, et dictum est eis ut requiescerent brevi adhuc tempore* [jj], *donec impleatur* [kk] *numerus conservorum et fratrum eorum, quique postea occidentur exemplo ipsorum* (*Apoc.* VI, 7-11). Item illic : *Post hæc vidi turbam multam, quam dinumerare* [ll] *ex his nemo poterat, ex omni gente, et ex omni tribu, et ex omni populo et lingua, stantes in conspectu throni et in conspectu Agni,*

LECTIONES VARIANTES.

[a] Probavit illos, et invenit illos dignos esse, et holocaustum *Cott.*
[b] Holocaustum ac hostiam *Bod.* 1. Holocausti hostiam *Lam. NC. Bod.* 2, 3. Holocaustum hostiam *Ben. Ver. Thu.*
[c] Tempore illo *Bod.* 1.
[d] Respectus illorum fulgebunt ; tamquam scintillæ in arundineto current *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. *Cott.*
[e] In Genesi *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2.
[f] Animam suam *Lam. NC.* 1. *Cott.*
[g] Martyr Dei *Bod.* 2.
[h] Qui diripuerunt labores *Lam. Lin. NC.* 1, 2. *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Thu. Cott.*
[i] Dicent inter se *Thu.*
[j] Pœnitentiam agentes *Cott.*
[k] In risu et in similitudine *Lam. Bod.* 1, 2. 4. *Corb. NC.* 1. *Cott.*
[l] Ecce quomodo *Bod.* 3.
[m] Luxati sumus *Cott.*
[n] Ut quid nobis profuit *Cott.*
[o] Pretiosa est *Lam. NC.* 1.
[p] Mors justorum *Bod.* 1. 4. *Thu.*
[q] In gaudio *Lin. Cott.*
[r] Ambulantes ibant et flebant portantes *Lin.* Ambulabant *Thu.* Ambulant et plorant *Corb.* Euntes ibunt et flebunt mittentes *Cott.*
[s] Tollentes manipulos suos *Lin. Bod.* 1. Portantes *Cott.*
[t] Conservat *Bod.* 2. *Lam. NC.* 1. Conservabit *Lin. Bod.* 1, 4. *Thu. Corb.*
[u] Occiderit vos *Lam. NC.* 1. *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Thu. Corb.*
[v] Putet officium *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Thu.* Judicium Deo *Cott.*
[x] Causa justitiæ *Lam. Lin. NC.* 1. *Bod.* 1, 2.
[y] Occidere in gehenna *Lam.* Mittere in gehennam *Cott. NC.* 1. *Thu.*
[z] Coram Patre meo et Angelis ejus *Bod.* 1.
[aa] Qui autem perseveraverit *Lin. Cott.*
[bb] Multa in cœlis *Bod.* 1, 4. Copiosa est *Cott.*
[cc] Nemo est hic *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2.
[dd] Qui reliquerit *Bod.* 4.
[ee] Domum aut agrum *Corb.*
[ff] Aut filios aut agros *Cott.*
[gg] Vitam æternam possidebit *Lam. Bod.* 2. *NC.* 1.
[hh] Quintum sigillum *Bod.* 1.
[ii] Et data est singulis stola alba *Thu.*
[jj] Breve adhuc tempus *Corb.*
[kk] Donec suppleatur *Bod.* 2.
[ll] Dinumerare nemo poterat *Lam. Lin. Bod.* 1, 2. 4. *Bin.*

Digitized by Google

et erant amicti stolas albas, et palmæ fuerunt in manibus eorum, et magno clamore dicebant : Salus Deo [a] *nostro sedenti super thronum et Agno. Et respondit unus ex senioribus dicens mihi* [b] *: Qui amicti sunt stolis albis, qui sunt? et unde* [c] *venerunt? Et dixi ei : Domine mi, tu scis* [d]. *Et ait mihi : Hi sunt qui venerunt ex magna tribulatione, et laverunt stolas suas, et candidas eas fecerunt in sanguine Agni. Ideo sunt* [e] *in conspectu throni Dei, et serviunt ei diebus et noctibus in templo ejus, et is qui sedet in throno inhabitabit super eos. Neque esurient* [f], *neque sitient umquam, sed neque sol super eos cadet, neque ullum æstum patientur* [g] *: quoniam Agnus qui in medio throni est, teget* [h] *eos, et deducet eos* [i] *ad fontes vitæ* [j] *aquarum, et absterget Deus omnem lacrymam ex oculis* [k] *eorum* (Apoc. VII, 9-17). Item illic : *Qui vincet, dabo illi edere de ligno vitæ* [l] *quod est in paradiso Dei mei.* Item illic : *Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ* (Apoc. II, 7-10). *Beati* [m] *erunt qui vigilabunt et servabunt* [n] *vestimenta sua, ne nudi ambulent et videant turpitudinem suam* (Apoc. XVI, 15). De hoc ipso Paulus ad Timotheum [o] in secunda : *Ego jam delibor* [p], *et tempus instat meæ assumptionis* [q]. *Bonum agonem* [r] *certavi, cursum perfeci, fidem servavi. Jam superest* [s] *mihi corona justitiæ, quam mihi reddet Dominus in illo die justus* [t] *judex; non solum autem mihi, sed et omnibus qui dilexerint adventum ejus* (II *Tim.* IV, 6-8). De hoc ipso ad Romanos : *Sumus filii Dei. Si autem filii, et hæredes Dei, cohæredes autem Christi; siquidem compatiamur* [u], *ut et commagnificemur* (*Rom.* VIII, 16). De hoc ipso in Psalmo CXVIII : *Beati* [v] [311] *qui immaculati sunt in via et qui ambulant in lege Domini* [x]. *Beati qui perscrutantur martyria ejus* [y].

CAP. XVII. — MINORA ESSE QUÆ IN SÆCULO PATIMUR QUAM SIT PRÆMIUM QUOD PROMISSUM EST.

In Epistola Pauli ad Romanos : *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad superventuram* [z] *claritatem quæ revelabitur in nobis* (*Rom.* VIII, 18) De hoc ipso [aa] in Machabæis : *Domine, qui sanctam habes scientiam, manifestum est quia, cum possem a morte liberari, durissimos dolores corporis tolero, flagellis vapulans, animo autem propter tui ipsius metum libenter hæc patior* (II *Mach.* VI, 30.) Item illic : *Tu quidem, impotens, ex hac præsenti vita nos perdis. Sed mundi Rex defunctos nos pro suis legibus in æternam vitæ resurrectionem suscitabit.* Item illic : *Potius est ab hominibus morti datos expectare spem a Deo, iterum ab ipso suscitandos. Tibi enim resurrectio in vitam non erit.* Item illic : *Potestatem inter homines habens, cum sis corruptilis, facis quod vis. Noli autem putare genus nostrum a Deo esse derelictum. Sustine et vide magna potestas ejus qualiter te et semen tuum torquebit.* Item illic : *Noli frustra errare. Nos enim propter nosmetipsos hæc patimur peccantes in Deum nostrum. Tu autem ne te existimes impunitum futurum, aggressus pugnare cum Deo* (II *Mach.* VII, 9-19).

CAP. XVIII. — DILECTIONI DEI ET CHRISTI NIHIL PRÆPONENDUM.

In Deuteronomio : *Diliges Dominum Deum tuum de toto corde tuo et de tota anima tua et de tota virtute tua* (*Deut.*VI,5). Item in Evangelio cata Matthæum : *Qui amat patrem aut matrem super me* [bb] *non est me dignus ; et qui* [cc] *amat filium aut filiam super me non est me dignus; et qui non accipit crucem suam et sequitur me non est meus discipulus* (*Matth.* X, 37). Item in Epistola Pauli ad Romanos : *Quis nos separabit* [dd] *a charitate Christi* [ee] *? pressura, an angustia, an persecutio* [ff], *an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? sicut scriptum est:Quoniam causa tui* [gg] *occidimur* [hh] *tota die, deputati sumus ut oves* [ii] *victimæ; sed in his omnibus supervincimus pro eo qui dilexit nos* (*Rom.*VIII, 35-37).

CAP. XIX. — VOLUNTATI NON NOSTRÆ, SED DEI, OBTEMPERANDUM.

In Evangelio cata Joannem : *Non descendi de cœlo ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus* [jj] *qui me misit* (*Joan.* VI, 38). De hoc ipso cata Matthæum : *Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste; verumtamen non quod ego volo, sed quod tu* [kk] (*Matth.* XXVI, 39). Item in prece quotidiana : *Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra.* Item cata Matthæum : *Non*

LECTIONES VARIANTES.

[a] Laus Deo *Bod.* 3.
[b] Et respondens unus ex senioribus dixit mihi *Bod.* 3.
[c] Sunt hi et unde *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2, 3.
[d] Domine, tu scis *Bod.* 1, 2, 3, 4.
[e] Propter hoc sunt *Lam. NC.* 1. *Thu. Corb. Cott.*
[f] Non esurient neque amplius sitient *Lin. Cott.*
[g] Ullum dolorem patientur *Bod.* 3.
[h] Throni est, reget *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Thu. Corb.*
[i] Deducere eos *Bod.* 2.
[j] Ad fontem vitæ *Cott.* Ad fontem aquæ vitæ *Bod.* 3.
[k] Ab oculis *Bod.* 1. 3.
[l] Ex ligno *Bod.* 1, 3, 4.
[m] Felices *Bod.* 1. 4. *Thu.*
[n] Vigilant et servant *Bod* .1. *Cott.*
[o] Item Paulus ad Timotheum *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. *Thu. Corb.*
[p] Ego jam libor *Bod.* 1, 2. *Thu.*
[q] Instat assumptionis *Bod.* 1, 3, 4.Repositionis *Cott.*
[r] Bonum certamen *Bod.* 2. *Cott.* Cursum consummavi *Cott.*
[s] De cætero reposita *Cott.*
[t] Ille justus *Bod.* 1, 2, 4.
[u] Compatiamur et commagnificemur *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. Simul magnificemur *Rod.* 1.
[v] Felices *Bod.* 1. 4. *Thu.*
[x] Ambulant in via Domini *Bod.* 1, 2. *Thu. Corb.*
[y] Martyria ejus, et in toto corde exquirunt eum *Bod.* 1.
[z] Ad futuram gloriam *Bod.* 1.
[aa] De hoc ipso in Machabæis *desunt ista in Impressis, sed agnoscunt Veron. Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. *Corb.*
[bb] Plus quam me *Cott.*
[cc] Et qui diligit *Corb.*
[dd] Quid separabit *Thu.*
[ee] Ab agape Christi *Lam. NC.* 1. *Bod.* 4. *Corb.*
[ff] Tribulatio, angustia *Cott.*
[gg] Quoniam propter te *Bod.* 3.
[hh] Mortificamur *Cott.*
[ii] Oves occisionis *Bod.* 1. *Cott.*
[jj] Patris mei qui me misit *Cott.*
[kk] Sed quod tu vis *Cott.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

CAP. XVII.—*De hoc ipso in Machabæis.* Ista et quæ sequuntur usque ad finem capituli, addita sunt ex editione Anglicana et ex codice Fuxensi, tum etiam ex Turonensi.

Digitized by Google

omnis qui mihi dicit : Domine, Domine, introibit in regnum cœlorum; sed is qui facit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse introibit in regnum cœlorum (*Matth.* VII, 21). *Item cata Lucam : Ille autem servus qui cognoscit voluntatem domini sui et non paruerit voluntati ejus, vapulabit multis* [a] (*Luc.* XII, 47). In Epistola Joannis : *Qui autem fecerit voluntatem Dei, manet in æternum, quomodo et ipse manet in æternum* [b]. (I *Joan.* II, 17).

CAP. XX. — FUNDAMENTUM ET FIRMAMENTUM SPEI ET FIDEI ESSE TIMOREM.

In Psalmo CX. : *Initium sapientiæ timor Domini.* De hoc ipso in Sapientia Salomonis : *Initium sapientiæ metuere Deum* (*Eccli.* I, 16). Item in Proverbiis ejusdem : *Beatus homo est qui veretur omnia per metum* [c] (*Prov.* XXVIII, 14). De hoc ipso apud Esaiam : *Et super quem alium respiciam, nisi super humilem et quietum et trementem sermones meos* (*Isa.* LXVI, 2)? De hoc ipso in Genesi : *Et vocavit eum Angelus Domini de cœlo, et dixit illi : Abraham, Abraham. Ille autem dixit : Ecce ego. Et dixit : Noli imponere* [d] *manum tuam super puerum, neque feceris illi quicquam. Nunc enim cognovi quoniam times Deum tuum et non pepercisti filio tuo dilectissimo propter me* (*Gen.* XXII, 11). Item in Psalmo II. *Servite Domino in timore et exultate ei in tremore.* Item in Deuteronomio Dei vox ad Moysen : *Convoca ad me populum, et audiant verba mea, ut discant timere me* [aa] *omnibus diebus quos ipsi vivent super terram* (*Deut.* IV. 10). Item apud Hieremiam : *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et consummabo super domum Israel et in domo Juda testamentum novum, non secundum testamentum quod disposueram patribus eorum in die cum apprehendi manum illorum, educere eos de terra Ægypti, quia non permanserunt in testamento meo et ego neglexi eorum, dicit Dominus, quia hoc testamentum quod disponam domui Israel. Post dies illos, dicit Dominus, dans legem meam in sensu eorum scribam illam, et ero illis in Deum, et ipsi erunt mihi in plebem, et non docebunt unusquisque fratrem suum dicentes : Cognosce Dominum, quia omnes scient me a minore usque ad maximum eorum, quia propitius ero iniquitatibus eorum, et peccatorum eorum non ero memor amplius. Si exaltatum fuerit cœlum in sublime, dicit Dominus, et si humiliata fuerit terra deorsum, et ego non reprobabo genus Israel, dicit Dominus, pro omnibus quæ fecerunt. Ecce ego congregabo eos ex omni terra qua dispersi illos in ira et in furore meo et in exacerbatione magna, et conteram illos in locum istum, et relinquam illos in pavore, et erunt mihi in plebem, et ero illis in Deum et dabo illis viam alteram et cor aliud, ut timeant me omnibus diebus in bono cum filiis suis, et consummabo eis testamentum æternum quod non avertam post illos, et timorem dabo in cor eorum, ut non discedant a me, et visitabo super illos benefacere illis et plantare illos in terra sua in fide et in omni corde et in omni animo.* (*Hier*, XXXI, 31-41). Item in Apocalypsi : *Et viginti quatuor seniores in conspectu sedentes in thronis suis ceciderunt supra facies suas et adoraverunt Deum dicentes : Gratias agimus tibi, Domine Deus omnipotens, qui es et qui fuisti, quod accepisti potestatem tuam magnam et regnasti, et gentes iratæ sunt, et venit ira tua et tempus quo de mortuis judicetur et detur merces servis tuis Prophetis et sanctis timentibus nomen tuum pusillis et magnis, et disperdere eos qui corruperant terram* (*Apoc.* XI, 16-18). Item illic : *Et vidi alium Angelum volantem per medium cœlum habentem Evangelium perenne, evangelizare sedentibus super terram et in omnes nationes et tribus et linguas et populos, dicentem voce magna : Timete Deum, et date ei honorem, quoniam venit hora judicii ejus, et adorate eum qui fecit cœlum et terram et mare et fontes aquarum* (*Apoc.* XIV, 6, 7). Item illic : *Et vidi quasi mare vitreum mixtum igni, et pascentes bestiæ cum agnis ejus, et numerus nominis ejus* CXLIV *stantes supra mare vitreum habentes citharas Dei, et cantant canticum Moysi servi Dei et canticum Agni dicentes : Magna et mirabilia opera tua, Domine Deus omnipotens, justæ et veræ viæ tuæ sunt, Rex gentium. Quis non timeat et det honorem nomini tuo? quia solus pius, et quoniam omnes nationes venient et adorabunt in conspectu tuo, quoniam justitiæ tuæ manifestatæ sunt* (*Apoc.* XV, 2-4). Item in Daniele : *Fuit vir habitans in Babylonia, cui nomen erat Joachim, et accepit uxorem nomine Susannam, filiam Helchiæ, formosam valde et timentem Deum ; et erant parentes ejus justi, et docuerunt filium suum secundum legem Moysi* (*Dan.* XIII, 1-3). Item in Daniele : *Et sumus humiles in omni terra hodie propter peccata nostra, et non est hoc tempore princeps neque propheles neque dux, neque holocaustia neque oblatio neque hostia, neque thus, neque locus sacrificare coram te et invenire misericordiam a te : et in anima et spiritu humilitatis acceptos nos habe ut holocausti victimas arietum et taurorum et quasi multa millia agnorum qui sunt pinguissimi. Sic fiat hostia nostra coram te hodie, et consumetur potestas illorum, quoniam non erubescent qui confidunt in te. Et nunc sequimur toto corde nostro, et timemus et quærimus faciem tuam. Ne nos in opprobrium* [aaa] *tradas, sed fac nobiscum secundum tranquillitatem tuam, et secundum multitudinem misericordiæ tuæ libera nos* (*Dan.* III, 37, 42). Item illic : *Et rex vehementer gavisus est, et jussit Danielem de lacu leonum ejici ; et nihil ei nocuerunt leones, quia confidebat et crediderat in Deo suo. Et jussit rex ; et perduxerunt illos homines qui accusaverant Danielem, et miserunt illos in lacu leonum et uxores eorum et natos eorum. Et antequam per-*

LECTIONES VARIANTES.

[a] Multis plagis *Colt.*
[b] Deus manet in æternum *Colt.*
[c] Omnia propter metum *Colt.*
[d] Inferre manum *Colt.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

CAP. XX. — *Item in Deuteronomio.* Ista et quæ sequuntur usque ad *Item in psalmo* XXXIII : *Timete Dominum*, addita sunt ex codice sancti Albini, et ex codice Attrebatensi S. Eligii.

Digitized by Google

venirent in pavimentum lacus, apprehensi sunt a leonibus A *et omnia ossa eorum comminuerunt. Tunc Darius rex scripsit : Omnibus gentibus, tribubus et linguis quæ sunt in regno meo : pax sit vobiscum a facie mea. Censeo et ago ut hi omnes qui sunt in regno meo sint timentes et tremientes summum Deum cui servit Daniel, quia ipse est Dominus vivus et permanens in sæcula, et regnum ejus non transibit, et dominatio ejus in perpetuum ambulat, et solus facit signa et prodigia et mirabilia in cœlo et in terra, qui eripuit Danielem de lacu leonum* (*Dan.* VI, 24-28). Item in Michæa : *In quo assequar Dominum et apprehendam illum in sacrificiis, in holocaustomatis, in vitulis anniculis, si accepto fuvet Dominus in millibus arietum pinguium, aut dabo primitiva mea impietatis fructum ventris mei, peccatum animæ meæ. Renuntiatum tibi est homo, quod bonum aut quod Dominus exquirit aliud, nisi* B *ut facies judicium et justitiam et diligas misericordiam, et paratus sis ut eas cum Domino Deo tuo. Vox Domini in civitate invocabitur, et timentes nomen ejus salvabit* (*Mich.* VI, 6-9). Item in Michæa : *Pasce populum tuum in virga tua, oves hereditatis tuæ, et habitantes separatim convelle in medio Carmelo. Parabunt Basanim et Galaadim secundum dies sæculi, et secundum dies profectionis eorum a terra Ægypti ostendam illis mirabilia. Videbunt gentes et confundentur ex omni fortitudine sua, et superponent manus in os suum. Aures illorum exsurdabuntur, et lingent pulverem quomodo serpentes. Trahentes terram conturbabuntur, et lingent pulverem. In constitutione sua ad Dominum Deum suum expavescent, et timebunt ab te. Quis Deus quomodo tu elevans injustitiam et transgrediens impietates* C (*Mich.* VII, 14-18)? Et in Nahum : *Montes commoti sunt ab eo, et colles contremuerunt, et denudata est terra ante faciem ejus et omnes qui inhabitant illam. A facie iræ ejus quis sustinebit, et quis resistit in ira animi ipsius? Animatio ipsius fluere facit principatus, et petræ dissolutæ sunt ab illo. Bonus Dominus illis qui eum sustinent in die pressuræ, et cognoscens illos qui eum timent* (*Nah.* I, 5-7). Item in Aggæo : *Et audivit Zorobabel filius Salathiel de tribu Juda et Jesus filius Josedech sacerdos magnus, et omnes qui superfuerunt de populo voces Domini Dei sui, quoniam misit illum Dominus ad illos, et timuit plebs a facie Dei* (*Agg.* I, 12). Item in Malachia : *Testamentum fuit cum vita et pace, et dedi illis timorem timere me a facie nominis mei* (*Malach.* II, 5). Item in Psalmo XXXIII : *Timete Dominum,* D *omnes sancti ejus, quoniam non est inopia eis qui eum metuunt.* Item in Psalmo XVIII : *Timor Domini sanctus perseverans in sæcula sæculorum* [a].

CAP. XXI.—NON TEMERE DE ALTERO JUDICANDUM.

In Evangelio cata Lucam : *Nolite judicare, ne judicemini ; nolite condemnare, ne condemnemini* (*Luc.* VI, 37). De hoc ipso ad Romanos : *Tu qui es qui judicas alienum servum? domino suo stat aut cadit. Stabit autem ; potens est enim Deus statuere eum* (*Rom.* XIV, 4). Et iterum : *Quare sine excusatione* [b] *es, o homo omnis qui judicas. In quo enim judicas alium, te ipsum condemnas : eadem enim agis quæ judicas. Speras autem, tu qui judicas eos qui mala agunt et eadem facis, quia ipse effugies judicium Dei* (*Rom.* II, 1-3)? Item in Epistola Pauli ad Corinthios prima: *Et qui se putat stare, videat ne cadat* (I *Cor.* X, 12). Et iterum : [a b] *Si quis se putat* [c] *scire aliquid, nondum scit* [d] *quemadmodum oporteat eum scire* (I *Cor.* VIII, 2).

CAP. XXII.—ACCEPTA INJURIA, REMITTENDUM ET IGNOSCENDUM.

In Evangelio [e] in prece quotidiana : *Remitte* [f] *nobis debita nostra, sicut et nos remittimus debitoribus nostris* (*Matth.* VI, 12). Item cata Marcum : *Et cum steteritis ad orationem, remittite si quid habetis adversus aliquem, ut et Pater vester qui in cœlis est remittat vestra peccata vobis. Si autem* [g] *vos non dimiseritis, neque Pater vester qui in cœlis est dimittet vos peccata vestra* (*Marc.* XI, 25). Item illic : *In qua mensura mensi fueritis* [h], *in ea remetietur vobis* (*Marc.* IV, 24).

CAP. XXIII.—VICEM MALIS NON REDDENDAM.

In Epistola Pauli ad Romanos : *Nemini malum pro malo reddentes.* Item illic : *Non vinci a malo, sed vince in bono* [i] *malum* (*Rom.* XII, 17, 21). De hoc ipso in Apocalypsi : *Et dixit mihi : Ne signaveris verba prophetiæ libri hujus, quia jam tempus in proximo est, et hi qui perseverant nocere noceant, et qui in sordibus est sordescat adhuc, justus autem adhuc justiora faciat* [j], *similiter et sanctus sanctiora. Ecce venio cito, et merces mea mecum est, reddere unicuique secundum facta sua* [k] (*Apoc.* XXII, 10).

CAP. XXIV.—NON POSSE AD PATREM PERVENIRI [l] NISI PER FILIUM EJUS JESUM CHRISTUM [m].

In Evangelio cata Joannem : *Ego sum via, veritas et vita. Nemo venit ad Patrem nisi per me* (*Joan.* XIV, 6). Item illic : *Ego sum ostium* [n]. *Per me si quis introierit, salvabitur* (*Joan.* X, 9).

CAP. XXV.—AD REGNUM DEI, NISI [o] BAPTIZATUS ET RENATUS QUIS FUERIT, PERVENIRE NON POSSE.

In Evangelio cata Joannem : *Nisi quis renatus* [p] *fuerit ex aqua et Spiritu* [q], *non potest introire in regnum*

LECTIONES VARIANTES.

[a] Timor Domini sanctus permanens in æternum *Cott.*
[b] Inexcusabilis *Cott.*
[c] Se sperat *Bod.* 2.
[d] Nondum hoc scit *Corb.* Nondum cognovit *Cott.*
[e] In Evangelio Matthæi : Remitte *Cott.*
[f] Dimitte nobis *Bod.* 2. *Corb.* et sic deinceps.
[g] Si autem vos. *Desunt hæc in Thu.*
[h] Metiveritis *Corb.*
[i] In bonum *Thu. Corb. Cott.*
[j] Justus justiora faciet *Bod.* 1. *Cott.*
[k] Opera sua *Cott.*
[l] Patrem venire *Bod.* 1, 2, 3, 4.
[m] Nisi per Christum *Bod.* 1, 2. *Thu. Corb.* Nisi per Dominum *Cott.*
[n] Sum janua *Bod.* 1, 3. *Cott.*
[o] Nisi quis baptizatus *Cott.*
[p] Natus fuerit *Bod.* 3, 4.
[q] Et Spiritu sancto *Lam. Lin. NC.* 1.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

CAP. XXII. — *Remitte nobis debita.* Vide Erasmi annotationes in caput sextum Matthæi.

Digitized by Google

Dei. Quod enim natum est de carne caro est, et quod natum est de spiritu spiritus est (*Joan.* III, 5). Item illic : *Nisi ederitis carnem Filii hominis et biberitis sanguinem ejus, non habebitis vitam in vobis* (*Joan.* VI, 54).

CAP. XXVI. — PARUM ESSE BAPTIZARI ET EUCHARISTIAM ACCIPERE, NISI QUIS FACTIS ET OPERE PROFICIAT.

In Epistola Pauli ad Corinthios prima : *Nescitis quia qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, unus tamen accipit palmam* [a]? *Sic currite* [b] *ut occupetis* [c]. *Et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos vero incorruptam* [d] (I *Cor.* IX, 24). In Evangelio cata Matthæum : *Omnis arbor non faciens fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur* (*Matth.* III, 10). Item illic : *Multi mihi dicent in illa die : Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo dæmonia* [e] *exclusimus, et in tuo nomine virtutes magnas* [f] *fecimus? Et tunc dicam illis : Numquam vos novi* [g], *recedite a me, qui operamini iniquitatem* (*Matth.* VII, 22). Item illic : *Luceat* [h] *lumen vestrum coram hominibus, ut videant bona opera vestra et clarificent* [i] *Patrem vestrum qui in cœlis est* (*Matth.* V, 16). Item Paulus ad Philippenses : *Lucete sicut* [j] *luminaria in mundo* (*Phil.* II, 15).

CAP. XXVII. — BAPTIZATUM QUOQUE GRATIAM PERDERE QUAM CONSECUTUS SIT, NISI INNOCENTIAM SERVET.

In Evangelio cata Joannem : *Ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne quid tibi deterius fiat* [k] (*Joan.* V, 14). Item in Epistola Pauli ad Corinthios prima : *Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis* [l] *templum Dei violaverit, disperdet* [m] *illum Deus* (I *Cor.* III, 16). De hoc ipso in Paralipomenon : *Deus vobiscum est, dum estis vos cum ipso. Si dereliqueritis eum, derelinquet vos* (II *Paral.* XV, 2).

CAP. XXVIII. — NON POSSE IN ECCLESIA REMITTI EI QUI IN DEUM DELIQUERIT.

In Evangelio cata Matthæum : *Qui dixerit verbum adversus Filium hominis, remittetur illi. Qui autem dixerit adversus Spiritum sanctum, non remittetur illi, neque in isto sæculo neque in futuro* (*Matth.* XII, 32). Item cata Marcum : *Omnia peccata remittentur filiis hominum et blasphemiæ. Qui autem blasphemaverit in Spiritum sanctum, non remittetur illi* [n], *sed reus erit æterni peccati* (*Marc.* III, 29). De hoc ipso in Basilion primo : *Si delinquendo* [o] *peccet* [o] *vir adversus virum, orabunt* [p] *pro eo* [q] *Dominum. Si autem in Deum peccet homo, quis orabit pro eo* (I *Reg.* II, 25)?

CAP. XXIX. — DE ODIO NOMINIS ANTE PRÆDICTUM.

In Evangelio cata Lucam : *Et eritis odibiles omnibus hominibus propter nomen meum* (*Luc.* XXI, 17). Item cata Joannem : *Si sæculum vos odit, scitote quoniam me primo odiit* [r]. *Si de sæculo essetis, sæculum quod suum esset amaret; sed quia de sæculo non estis, et ego elegi vos de sæculo, propterea odit vos sæculum. Memento sermonis* [s] *quem dixi vobis : Non est major servus domino suo* [t]. *Si me persecuti sunt, et vos persequentur* (*Joan.* XV, 18). Item in Baruch : *Veniet enim tempus, et quæretis me et vos et qui post vos fuerint audire verbum sapientiæ et intellectus, et non invenietis. Nationes autem cupient videre sapientem, et non continget eis; non quia deerit aut deficiet sapientia hujus sæculi terræ, sed neque deerit sermo legis sæculo. Erit enim sapientia in paucis vigilantibus et taciturnis et quietis sibi confabulantes, quoniam quidam eos horrebunt et timebunt ut malos. Alii autem nec credunt verbo legis Altissimi. Alii autem ore stupentes non credent, et credent, et contradicentes erunt contrarii et impedientes spiritum veritatis. Alii autem erunt sapientes ad spiritum erroris et pronuntiantes sicut Altissimi et fortis edicta. Alii autem personales fidei. Alii capaces et fortes in fide Altissimi, et odibiles alieno.*

CAP. XXX. — QUOD QUIS DEO VOVERIT CITO REDDENDUM.

Apud Salomonem : *Prout voveris votum Deo, ne moram feceris reddere illud* (*Eccle.* V, 3). De hoc ipso in Deuteronomio [u] : *Si autem voveris votum Domino Deo tuo, non tardabis reddere illud; quia inquirens quæret illud Dominus Deus tuus a te, et erit in peccatum* [v]. *Ea quæ egredientur per labia tua observabis, et facies* [x] *donum quod locutus es ore* [y] *tuo* (*Deut.* XXIII, 21). De hoc ipso in Psalmo XLIX : *Sacrifica* [z] *Deo sacrificium lau-*

LECTIONES VARIANTES.

[a] Accipit brabeion *Bod.* 3.
[b] Currite omnes *Thu.*
[c] Omnes comprehendatis *Cott.*
[d] Nos autem incorruptibilem *Cott.*
[e] Dæmonia ejecimus *Cott. Voss.* 3.
[f] Virtutes multas *Bod.* 1. *Cott.*
[g] Cognovi *Cott.*
[h] Sic luceat *Cott.*
[i] Et magnificent *Bod.* 2.
[j] Ad Philippenses : Inter quos lucetis sicut *Cott.*
[k] Deterius contingat *Bod.* 1. *Voss.* 3.
[l] Si quis autem *Cott.*
[m] Violaverit, violabit *Lam. NC.* 1. *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Cor.*
[n] Qui autem blasphamaverit, non habet remissam *Thu. Corb. Voss.* 3. Non habebit remissam *Bod.* 1, 2, 4. *Lam. Lin. NC.* 1. Remissionem *Cott.*
[o] Delinquendo peccaverit *Corb. Thu.* Delinquendo deliquerit *Cott.*
[p] Orabit sacerdos *NC.* 2. Orabunt justi *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2.
[q] Ad Dominum *Bod.*
[r] Me primum *Cott.* Me priorem odit *Bod.* 1. *Voss.* 3.
[s] Sermones quos *Thu.* Sermonum quos locutus sum *Corb.*
[t] Domino suo : neque apostolus major eo qui misit illum *Lam. Bod.* 2. *NC.* 1. *Cott.*
[u] Item in Deuteronomio *Imp.*
[v] In te peccatum *NC.* 1. *Bod.* 2. Si ea quæ egredientur per labia tua non observabis *Voss.* 3.
[x] Et facies Domino Deo tuo donum *Cott. NC.* 1. *Bod.* 2.
[y] Ex ore *Cott.*
[z] Immola *Cott.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

CAP. XXIX.—*Item in Baruch.* Ista et quæ sequuntur usque ad finem capituli, addita sunt ex iis duobus codicibus paulo ante commemoratis. (*Eo sane diligentius hæc loca asservanda videntur quod ista prophetæ Baruch adscripta verba, quotquot supersunt, nec in Scripturæ sacræ archetypa, nec in ulla translatione sive græca, sive latina inveniantur.* EDD.)

Digitized by Google

dis, et redde Altissimo vota tua. Invoca me in die pressuræ [a], *et eximam te* [b], *et clarificabis me* [c]. De hoc ipso in Actibus Apostolorum : *Cur implevit* [d] *Satanas cor tuum* [e] *mentiri te Spiritui sancto, cum esset* [f] *fundus in tua potestate? Non hominibus mentitus es, sed Deo* (*Act.* v, 3). Item apud Hieremiam : *Maledictus* [g] *qui facit opera Dei negligenter* (*Hier.* XLVIII, 10).

CAP. XXXI. — EUM QUI NON CREDIDERIT JAM JUDICATUM ESSE.

In Evangelio cata Joannem : *Qui non crediderit jam judicatus est, quia non credidit in nomine unici* [h] *Filii Dei. Hoc autem est judicium, quoniam lux venit in sæculum, et magis dilexerunt* [i] *homines tenebras quam lucem* (*Joan.* III, 18). De hoc ipso in Psalmo : *Propterea non resurgent* [j] *impii in judicio, neque peccatores in consilio justorum.*

CAP. XXXII. — DE BONO VIRGINITATIS ET CONTINENTIÆ.

In Genesi : *Multiplicans multiplicabo tristitias tuas et gemitus tuos* [k] ; *et in tristitia paries filios, et erit* [l] *conversio tua ad virum tuum, et ipse tui dominabitur* (*Gen.* III, 16). De hoc ipso in Evangelio cata Matthæum : *Non omnes capiunt verbum, sed illi quibus datum est. Sunt enim spadones qui ex utero matris nati sunt, et sunt spadones qui coacti sunt ab hominibus, et sunt spadones* [m] *qui se ipsos castraverunt propter regnum cœlorum. Qui potest capere capiat* (*Matth.* XIX, 11). Item cata Lucam : *Filii sæculi hujus generant et generantur. Qui autem habuerunt dignationem sæculi illius et resurrectionis a mortuis, non nubunt, neque nubuntur* [n]. *Neque enim incipient mori. Æquales enim sunt Angelis Dei, cum sint filii resurrectionis* (*Luc.* XX, 34). Resurgere [o] autem mortuos Moyses significat cum dicit in rubo [p] : *Dominus Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob, non est Deus mortuorum, sed vivorum* (*Exod.* III, 6). *Omnes enim illi vivunt* (*Luc.* XX, 38). Item in Epistola Pauli ad Corinthios prima : *Bonum est homini mulierem non contingere* [q]. *Propter fornicationem* [r] [sic] *autem unusquisque uxorem suam habeat, et unaquæque virum suum habeat. Uxori vir debitum reddat, similiter et uxor viro. Uxor corporis sui potestatem non habet, sed vir. Similiter et vir corporis sui potestatem non habet, sed uxor* [s]. *Nolite fraudare invicem nisi, ex conventione* [t] *ad tempus ut vacetis orationi ; et iterum revertimini* [u] *ad id ipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram. Hoc dico secundum veniam* [v], *non secundum imperium* [x]. *Volo autem omnes homines esse sicut et me. Sed unusquisque proprium habet donum a Deo* [y], *alius sic, alius autem sic* (I *Cor.* VII, 1). Item illic : *Cœlebs cogitat ea quæ sunt Domini, quomodo placeat Deo. Qui autem matrimonium contraxit, cogitat ea quæ sunt mundi hujus quomodo placeat uxori* [z]. *Sic et mulier et virgo innupta cogitat ea quæ sunt Domini, ut sit sancta* [aa] *et corpore et spiritu. Quæ autem nupsit cogitat de iis quæ sunt mundi hujus, quomodo placeat viro* (*Ibid.* 32). Item in Exodo, cum præcepisset Dominus Moysi ut sanctificaret populum in diem tertium, sanctificavit ille, et adjecit [bb] : *Estote parati : tribus diebus* [cc] *non accedetis ad mulieres* [dd] (*Exod.* XIX, 15). Item in Basilion primo : *Et respondit sacerdos ad David et dixit : Non sunt panes profani in manu mea, nisi panis sanctus unus* [ee]. *Si observati sunt* [ff] *pueri a muliere, manducabunt* (I *Reg.* XXI, 4). Item in Apocalypsi : *Hi sunt qui cum mulieribus se non coinquinaverunt. Virgines enim permanserunt. Hi sunt qui sequuntur Agnum quocumque ierit* [gg] (*Apoc.* XIV, 4).

CAP. XXXIII. — NIHIL PATREM JUDICARE, SED FILIUM, ET PATREM AB EO NON HONORIFICARI A QUO NON HONORIFICATUR FILIUS.

In Evangelio cata Joannem : *Nihil Pater judicat, sed judicium omne Filio dedit, ut omnes honorificent Filium sicut honorificant Patrem* [hh]. *Qui non* [ii] *honorificat Filium, non honorificat Patrem qui eum misit* (*Joan.* V, 22). Item in Psalmo LXXI : *Deus, judicium tuum regi da, et justitiam tuam filio regis, judicare populum tuum* [jj] *in justitia.* Item in Genesi : *Et pluit Dominus super Sodomam et Gomorram sulphur et ignem de cœlo a Domino* (*Gen.* XIX, 24).

LECTIONES VARIANTES.

[a] Tribulationis *Cott.*
[b] Et eruam *Cott.*
[c] Magnificabis *Cott.*
[d] Ut quid implevit Satanas *Thu. Cott.*
[e] Mentiri te apud Spiritum sanctum *Lam. Lin. NC.* 1, 2. *Bod.* 1, 2, 4. *Benev. Ver.*
[f] *Sic Bod.* 1 *Cott. Voss.* 3. *Impressa legunt* Cum esset fundus in tua. *Oxon. Cum* esset fundus venditus, in tua erat potestate.
[g] Maledictus homo *Lam. Bod.* 1. *NC.* 1. *Cott.*
[h] Unigeniti *Cott.*
[i] Magis dilexerunt tenebras *Bod.* 2. 4. *Thu. Corb. Cott.*
[j] Non exsurgent *Bod.* 1. *Voss.* 3. Ideo non resurgent *Cott.*
[k] Replens replebo mœrores tuos, suspirium tuum, et in tristitia paries natos tuos *Cott.*
[l] Et conversio tua *Bod.* 1, 2, 4. *Voss.* 3.
[m] Sic et spadones *Bod.* 1. Eunuchi *Cott.*
[n] Neque uxores ducunt *Bod.* 1.
[o] De resurrectione autem mortuorum non legistis in libro Mosis *Cott.*
[p] In rubo vidi Dominum Deum Abraham, et Deum Isaac, et Deum Jacob *Bod.* 1, 4. *Corb.*
[q] Mulierem non tangere *Lam. Bod.* 2. *NC.* 1. *Cott.*
[r] Propter fornicationes *Lam. Lin. NC.* 1. *Bod.* 2.
[s] Sed mulier *Lam. Lin. NC.* 1, 2. *Bod.* 2, 3, 4.
[t] Conventione, et ad tempus *Lam. Bod.* 1, 2. 4. *Lin. NC.* 1.
[u] Revertimini ad ipsum *Lam. NC.* 1. *Lin.* Convertimini *Corb.*
[v] Secundum consilium *Bod.* 3.
[x] Non secundum jussum *Lam. Bod.* 1, 2, 4. *NC.* 1. *Thu. Benev. Ver.* Secundum indulgentiam, et non secundum imperium *Cott.*
[y] Habet Charisma a Deo *Lam. Bod.* 1, 2, 3, 4. *Voss.* 3. *Lin. NC.* 1.
[z] Placeat Deo. Qui autem cum uxore ; cogitat quæ sunt mundi hujus, quomodo placeat uxori : et divisæ sunt : mulier *Cott. Ver.* Placeat uxori : et virgo innupta *Lam. Cott. NC.* 1. *Bod.* 2.
[aa] Ut sancta sit corpore *Bod.* 1, 3.
[bb] Adjecit dicens *Lam. Lin. Bod.* 1, 2. *NC.* 1. *Voss.* 3.
[cc] In tribus diebus *Cott.*
[dd] A mulieribus *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2.
[ee] Non sunt mihi panes abunde, nisi panis unus.
[ff] Si custoditi sunt *Cott.*
[gg] Quocumque vadit *Bod.* 3, 4. *Cott. Voss.* 4.
[hh] Patrem qui eum misit *Lam. NC.* 1. *Voss.* 3.
[ii] Honorat *Cott.*
[jj] Populos tuos *Bod.* 4. *Cott.*

Digitized by Google

CAP. XXXIV. — FIDELEM GENTILITER VIVERE NON OPORTERE [a].

Apud Hieremiam : *Hæc dicit Dominus : Secundum viam gentilium* [b] *ne ambulaveritis* (*Hier.* VII). De hoc ipso quod segregare se quis debeat a gentilibus, ne sit socius culpæ et fiat particeps plagæ [c] eorum. In Apocalypsi : *Et audivi aliam vocem de cœlo dicentem : Exi de ea, populus meus, ne particeps sis delictorum ejus, et ne perstringaris plagis ejus : quoniam delicta ejus usque ad cœlum pervenerunt, et meminit Dominus Deus iniquitatum ejus* [d]. *Ideo reddidit* [e] *ei dupla, et in quo poculo miscuit, duplum* [f] *remixtum est ei ; et in quantum se clarificavit et deliciarum habuit, in tantum* [g] *datus est ei et cruciatus et luctus, quoniam in corde suo dicit : Regina sum, et vidua esse non possum, nec luctum visura sum. Propterea una hora plagæ ejus advenient* [h], *mors, luctus et fames, et igni cremabitur, quoniam fortis est Dominus Deus qui eam judicabit. Et flebunt et plangent se in ea reges terræ qui cum ea fornicati sunt et in delictis* [i] *conversati sunt* (*Apoc.* XVIII, 14). Item apud Esaiam : *Exite de medio eorum, qui fertis vasa* [j] *Domini* (*Isa.* LII, 11).

CAP. XXXV. — DEUM AD HOC PATIENTEM ESSE, UT NOS PŒNITEAT PECCATI NOSTRI ET REFORMEMUR.

Apud Salomonem in Ecclesiastico : *Ne dixeris, Peccavi, et quid accidit mihi* [k] *triste? Est enim Altissimus* [l] *patiens redditor* (*Eccli.* V, 4). Item Paulus ad Romanos : *An numquid opulentiam bonitatis ejus et patientiam* [m] *contemnis, ignorans quia bonitas Dei in pœnitentiam te adducit? Tu autem, secundum duritiam tuam et cor impœnitens, thesaurizas tibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera sua* (*Rom.* II, 4).

317 CAP. XXXVI. — MULIEREM ORNARI SÆCULARITER NON DEBERE.

In Apocalypsi : *Et venit unus ex septem Angelis habentibus phialas, et aggressus est me dicens : Veni, ostendam tibi damnationem meretricis magnæ sedentis super aquas multas, cum qua fornicati sunt reges terræ. Et vidi mulierem sedentem super bestiam. Et mulier illa amicta erat pallium purpureum* [n] *et coccineum, et adornata erat auro et lapidibus pretiosis et margaritis, tenens poculum aureum in manu sua plenum execrationum et immunditiæ et fornicationis totius terræ* (*Apoc.* XVII, 1). Item ad Timotheum [o] : *Sint mulieres* [p] *vestræ cum verecundia et pudicitia, componentes se, non in tortis crinibus, neque auro,* [q] *neque margaritis* [r], *aut veste pretiosa, sed ut decet mulieres promittentes castitatem per bonum conversationem* (I *Tim.* II, 9). De hoc ipso in Epistola Petri ad Ponticos : *Sit in muliere non exterior ornamenti aut auri aut vestis cultus, sed cultus cordis* (I *Pet.* III, 3). Item in Genesi : *Thamar cooperuit se pallio, et adornavit ; et cum aspexisset eam Judas, visum est ei meretricem esse* (*Gen.* XXXVIII, 14).

CAP. XXXVII. — FIDELEM NON OPORTERE [s] OB ALIA DELICTA, NISI OB NOMEN SOLUM, PUNIRI.

In Epistola Petri ad Ponticos : *Nec quisquam vestrum tamquam fur aut homicida* [t] *patiatur, aut tamquam maleficus, aut curas alienas agens,* [u] *sed tamquam Christianus* (I *Petr.* IV, 15).

CAP. XXXVIII. — SERVUM DEI INNOCENTEM ESSE DEBERE, NE INCIDAT IN POENAM SÆCULAREM.

In Epistola Pauli ad Romanos : *Vis non timere potestatem? Bonum fac, et habebis laudem ex illa* [v] (*Rom.* XIII, 3).

CAP. XXXIX. — DATUM NOBIS ESSE EXEMPLUM VIVENDI IN CHRISTO.

In Epistola Petri ad Ponticos : *Christus enim passus est pro nobis* [x], *relinquens vobis* [y] *exemplum, ut sequamini vestigia ejus : qui peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus : qui cum malediceretur, non remaledixit* [z] ; *cum pateretur, non minabatur* [aa], *tradebat autem se judicanti* [bb] *injuste* (I *Petr.* II, 21). Item Paulus ad Philippenses : *Qui in figura Dei* [cc] *constitutus, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed* [dd] *se exinanivit* [ee], *formam servi accipiens, in similitudinem* [ff] *hominis factus, et habitu* [gg] *inventus ut homo. Humiliavit se, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus*

LECTIONES VARIANTES.

[a] Non debere *Corb.*
[b] Vias gentium *Bod.* 2, 4.
[c] Et fiat particeps plagæ, in Apoc. *Bod.* 1, 2, 4.
[d] Iniquitatis ejus *Bod.* 1, 3, 4.
[e] Reddet ei dupla *Cott.*
[f] Duplum remiscuit *Bod.* 1.
[g] Tantum datum *Bod.* 2. Datur *Bod.* 1, 2, 3.
[h] Adveniet *Bod.* 1.
[i] Deliciis *Oxon.*
[j] Qui portatis vasa *Cott.*
[k] Et quid accidit mihi? est *Corb.* Tristitiæ *Bod.* 2.
[l] Patiens, et redditurus *Cott.* Altissimus et patientissimus *Lam. Bod.* 2. *NC.* 1.
[m] An divitias bonitatis, et longanimitatis ejus, et patientiam *Cott.*
[n] Pallio purpureo et coccineo *Corb.*
[o] Item Paulus ad Tim. *Lam. Bod.* 2. *Lin. NC.* 1.
[p] Sint, inquit, mulieres *Bod.* 2.
[q] Auro, nec argento *Cott.*
[r] Neque in margaritis pretiosis *Bod.* 2.
[s] Fidelem non debere *Corb.*
[t] Homicidam agens puniatur *Cott.*
[u] Curas alienas agens puniatur *Bod.* 2. Alieni speculator *Tert.*
[v] Laudem ab illa *Lam. NC.* 1. *Bod.* 4.
[x] Christus passus est pro vobis *Thu. Corb. Cott.*
[y] Relinquens exemplum *Bod.* 1. 3.
[z] Non maledicebat *Bod.* 2.
[aa] Non comminabatur *Corb.*
[bb] Judicanti se *Bod.* 3.
[cc] Cum in figura Dei constitutus esset *Cott.*
[dd] Sed semetipsum *Bod.* 1. 4. *Cott.*
[ee] Inanivit *Thu. Corb.*
[ff] In similitudine *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Corb. Thu.* Hominum *Bod.* 2.
[gg] In specie inventus *Cott.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

CAP. XXXVII. — *Curas alienas agens.* Sic etiam legit sanctus Augustinus in *Expositione* inchoata epistolæ Pauli *ad Romanos*, cap. 10.

Digitized by Google

exaltavit illum, et donavit illi nomen ut sit super A *omne nomen* [a], *ut in nomine Jesu* [b] *omne genu curvetur, cœlestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur* [c] *quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris* (*Philip.* II, 6-11). Dehoc ipso in Evangelio cata Joannem : *Si ego lavi pedes vestros magister et dominus, et vos debetis* [d] *aliorum pedes lavare. Exemplum enim dedi vobis, ut, sicut ego feci* [e], *et vos aliis faciatis* [f] (*Joan.* XIII, 14).

CAP. XL. — NON JACTANTER NEC TUMULTUOSE OPERANDUM.

In Evangelio cata Matthæum : *Nesciat sinistra* [g] *tua quid faciat dextera tua, ut sit eleemosyna tua* [h] *in abscondito ; et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.* Item illic : *Cum facis eleemosynam, noli* B *buccinare* [i] *ante te quomodo hypocritæ faciunt in vicis et synagogis ut clarificentur* [j] *ab hominibus. Amen dico vobis, compleverunt* [k] *mercedem suam* (*Matth.* VI, 3,2).

CAP. XLI. — INEPTE ET SCURRILITER NON LOQUENDUM.

In Epistola Pauli ad Ephesios : *Stultiloquium* [l] *et scurrilitas, quæ ad rem non pertinent, nec nominentur quidem in vobis* (*Eph.* V, 4).

CAP. XLII. — FIDEM IN TOTUM [m] PRODESSE, ET TANTUM NOS POSSE QUANTUM CREDIMUS.

In Genesi : *Et credidit Abraham Deo, et* [n] *deputatum est ei ad justitiam* [o] (*Gen.* XV, 6). Item apud Esaiam : *Et si non credideritis, neque intelligetis* (*Isa.* C VII, 9). Item in Evangelio cata Matthæum : *Modicæ fidei, quare dubitasti* [p] (*Matth.* XIV, 31)? Item illic : *Si habueritis fidem* [q] *quasi granum sinapis, dicetis monti huic : Transi hinc illo, et transibit, et nihil impossibile* [a18] *erit vobis* (*Matth.* XVII, 19). Item cata Marcum : *Omnia quæcumque oratis et petitis, credite quia accipietis et erunt vobis* (*Marc.* XI, 24). Item illic : *Omnia possibilia* [r] *credenti* (*Marc.* IX, 22). Apud Abacuc : *Justus autem ex fide mea vivit* [s] (*Abac.* II, 4). Item in Daniele Ananias, Azarias, Misahel credentes Deo, liberati sunt [t] de flamma ignis (*Dan.* III, 24,92).

CAP. XLIII. — POSSE EUM STATIM CONSEQUI [u] QUI VERE CREDIDERIT.

In Actibus Apostolorum : *Ecce aqua, quid est quod me impedit baptizari* [v] *? Tunc dixit* [x] *Philippus : Si credis ex toto corde* [y] *tuo, licet* (*Act.* VIII, 36).

CAP. XLIV. — FIDELES INTER SE DISCEPTANTES NON DEBERE GENTILEM JUDICEM EXPERIRI.

In Epistola Pauli ad Corinthios prima : *Audet quisquam vestrum adversus alterum negotium habens disceptare* [z] *apud injustos, et non apud sanctos ?* [aa] *An nescitis quia sancti hunc mundum* [bb] *judicabunt ?* Et iterum : *Jam quidem in totum delictum* [cc] *in vobis est, quia judicia habetis cum invicem* [dd]. *Quare non magis injuriam patimini* [ee]*? aut quare non magis fraudamini ? Sed vos injuriam facitis et fraudatis, et hoc* [ff] *fratribus ! An nescitis* [gg] *quoniam injusti regnum Dei non consequentur* [hh] (I *Cor.* VI, 1-9)?

CAP. XLV. — SPEM FUTURORUM ESSE, ET IDEO FIDEM NOSTRAM CIRCA [ii] QUÆ PROMISSA SUNT PATIENTEM ESSE DEBERE.

In Epistola Pauli ad Romanos : *Spe salvati sumus. Spes autem quæ videtur non est spes. Quod enim videt quis, quid sperat ? Si autem quod non videmus speramus, per patientiam* [jj] *speramus* (*Rom.* VIII, 24).

CAP. XLVI. — MULIEREM IN ECCLESIA TACERE DEBERE.

In Epistola Pauli ad Corinthios prima : *Mulieres* [kk] *in Ecclesia taceant. Si quæ* [ll] *autem quid dicere volunt, domi viros suos interrogent* (I *Cor.* XIV, 34). Item ad Timotheum : *Mulier cum silentio discat in* [mm] *omni subjectione. Docere autem mulierem non permitto, neque præpositam* [nn] *esse viro, sed esse in silentio. Adam enim primus formatus est, deinde Eva ; et Adam seductus non est, mulier autem seducta est* (I *Tim.* II, 11-14).

LECTIONES VARIANTES.

[a] Nomen quod est super *Bod.* 3. *Thu. Colt.*
[b] Flectetur omne genu *Colt.* Genu curvent *Bod.* 1, 2, 4. *Thu.*
[c] Confiteatur Deo *Lam. NC.* 1. *Colt.*
[d] Alter alterius pedes *Colt.*
[e] Ego feci vobis *Colt.*
[f] Et vos faciatis *Bod.* 1. *Voss.* 3.
[g] Sinistra quid *Lam. NC.* 1. *Thu.*
[h] In absconso *Bod.* 2. *Colt. Lam. Lin. Bod.* 2. *NC.* 1. *Colt. Voss.* 4.
[i] Noli tuba canere *Lin. NC.* 2. Tumultuari *Bod.* 3. *Benev. Ver. Voss.* 4.
[j] Honorificentur *Colt.*
[k] Pensaverunt *Lam. Lin. Thu. NC.* 1. *Corb. Bod.* 2, 4. Perceperunt *NC.* 2. *Colt.* Receperunt *Bod.* 1. *Voss.* 3. Compensaverunt *Benev. Ver.*
[l] Multiloquium *Bod.* 3.
[m] Fidem tantum *Voss.* 3, 4. *NC.* 2. Fidem prodesse *Thu.*
[n] Reputatum *Colt.*
[o] In justitiam *Colt.*
[p] Ad quid dubitasti *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2, 4. *Thu. Corb.*
[q] Fidem sicut *Bod.* 1, 2.
[r] Possibilia sunt *Corb.* Possibilia sunt credentibus *Colt.*
[s] Ex fide vivet *Lam. Lin. NC.* 1. *Bod.* 1, 2, 3. Justus autem meus, ex fide *Colt.*
[t] Credentes liberati sunt *Bod.* 1, 2, 4.
[u] Consequi Baptismum *Lam. NC.* 1.
[v] Quod me impediat tingi *Lam. NC.* 1, 2. *Bod.* 1, 2, 4. *Thu. Corb. Colt. Voss.* 1.
[x] Dixit ei *Corb.*
[y] In toto corde *Bod.* 1. *Colt.*
[z] Audet aliquis vestrum negotium disceptare *Colt.*
[aa] Sanctos ? Nescitis *Bod.* 1.
[bb] Sancti mundum *Lam. Lin. NC.* 1, 2. *Thu. Corb. Bod.* 1, 2, 4. De hoc mundo *Colt. Voss.* 3.
[cc] Tantum delictum *Colt.*
[dd] Habetis invicem *Bod.* 1. *Colt.*
[ee] Fraudem patimini *Lam. Bod.* 1. *NC.* 1. Sustinetis *NC.* 2. Injuriam accipitis *Bod.* 1.
[ff] Et hoc fratres *Bod.* 4.
[gg] Aut nescitis *Thu. Corb.*
[hh] Non possidebunt *Lam. Lin. NC.* 1. *Bod.* 2. *Colt.*
[ii] Ideo fidelem circa *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2.
[jj] Per patientiam speramus *Lam. Bod.* 1. *NC.* 2. Exspectamus *Bod.* 1. *Voss.* 3. *Oxon.*
[kk] Mulier *Corb.* Mulieres vestræ *Lam. Bod.* 1, 2, 3, 4. *Colt. NC.* 1. *Voss.* 3. Ecclesia tacere debent *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2.
[ll] Si quid autem discere *NC.* 2. Si quæ autem sint *Lin.*
[mm] Humilitate *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. *Corb.* Submissione *Bod.* 1, 4. *Thu.* In omni modestia *Colt.*
[nn] Dominari in virum *Colt.*

Digitized by Google

CAP. XLVII. — DELICTO ET MERITO NOSTRO FIERI UT LABOREMUS, NEC DEI OPEM IN OMNIBUS SENTIAMUS.

Apud Osee : *Audite sermonem Domini, filii Israel, quia judicium est Domino* [a] *adversus incolas terræ,* [b] *quod neque misericordia, neque veritas, neque agnitio Dei sit super terram, sed execratio, et mendacium, et cædes, et furtum, et adulterium diffusum est super terram. Sanguinem sanguini supermiscent. Idcirco terra lugebit cum universis incolis suis, cum bestiis agri, cum serpentibus terræ, cum volucribus cœli, et deficient pisces maris, ut nemo judicet* [c], *nemo* [d] *revincat* (*Osee.* IV, 1-4). De hoc ipso apud Esaiam : *Numquid non valet manus Domini* [e] *ut salvos faciat? aut gravavit aurem* [f] *ut non exaudiat? Sed peccata vestra inter vos et Deum separant, et propter delicta* [g] *vestra avertit faciem a vobis, ne misereatur. Manus enim vestræ inquinatæ sunt sanguine* [h], *et digiti vestri in peccatis. Labia autem vestra locuta sunt facinus, et lingua vestra injustitiam meditatur. Nemo loquitur vera, neque est judicium verum. Fidunt in vanis et loquuntur inania qui parturiunt* [i] *dolorem et pariunt* [j] *facinus* (*Isa.* LIX, 1-4). Item apud Sophoniam : *Defectione deficiat a facie terræ, dicit Dominus. Deficiat homo, et pecudes deficiant, volucres cœli et pisces maris, et auferam iniquos a facie terræ* (*Soph.* I, 2).

CAP. XLVIII. — NON FŒNERANDUM.

In Psalmo XIII : *Qui pecuniam suam non dedit in fœnore* [k], *et munera super innocentes non accepit. Qui ista fecerit* [l] *non commovebitur* [m] *in æternum.* Item apud Ezechielem : *Homo autem qui erit justus hominem non opprimet et pignus debitoris reddet* [n], *et rapinam non faciet* [o], *et panem suum esurienti dabit, et nudum operiet, et pecuniam suam in usuram non dabit* (*Ezech.* XVIII, 7,8). Item in Deuteronomio : *Non fœnerabis fratri tuo usura pecuniæ* [p] *et usura ciborum* (*Deut.* XXIII, 20).

[313] CAP. XLIX. — INIMICOS QUOQUE DILIGENDOS.

In Evangelio cata Lucam : *Si diligitis qui vos diligunt, quæ est vobis gratia? Et peccatores enim diligunt eos qui se diligunt* [q] (*Luc.* VI, 32). Item cata Matthæum : *Diligite inimicos vestros, et orate pro his qui vos persequuntur, ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est, qui solem suum* [r] *oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos* (*Matt.* V, 44,45).

CAP. L. — SACRAMENTUM FIDEI NON ESSE PROFANANDUM.

Apud Salomonem in Proverbiis [s] : *In aures imprudentis noli quidquam dicere, ne, quando audierit, irrideat sensatos sermones tuos* (*Prov.* XXIII, 9). Item in Evangelio cata Matthæum : *Ne dederitis sanctum canibus, neque miseritis margaritas vestras ante porcos, ne forte inculcent ea pedibus suis* [t] *et conversi elidant vos* (*Matth.* VII, 6).

CAP. LI. — QUOD NEMO IN OPERE SUO EXTOLLI DEBEAT.

Apud Salomonem in Ecclesiastico : *Noli te extollere in faciendo opere tuo* (*Eccli.* X, 29). Item in Evangelio cata Lucam : *Quis vestrum habens servum arantem aut pastorem, et venienti* [u] *de agro dicit continuo : Transi, recumbe* [v]*? Sed dicit illi : Para aliquid quod cœnem* [x], *et accingere, et ministra mihi donec manducem et bibam; et postea tu manducabis et bibes. Numquid habet gratiam servo illi* [y] *quia fecit quæ ei imperata sunt? Sic itaque et vos, cum perfeceritis* [z] *quæ vobis imperata sunt, dicite : Servi supervacui* [aa] *sumus, quod habuimus* [bb] *facere fecimus* (*Luc.* XVII, 7-10).

CAP. LII. — CREDENDI VEL NON LIBERTATEM IN ARBITRIO POSITAM.

In Deuteronomio : *Ecce dedi ante faciem tuam vitam et mortem, bonum et malum. Elige vitam tibi, ut vivas* [cc] (*Deut.* XXX, 19). Item apud Esaiam : *Et si volueritis et audieritis me, bona terræ edetis* [dd]. *Si autem nolueritis, et non audieritis me, gladius vos consumet. Os enim Domini locutum est ista* (*Isa.* I, 19). Item in Evangelio cata Lucam : *Regnum Dei* [ee] *intra vos est* (*Luc.* XVII, 21).

CAP. LIII. — DEI ARCANA PERSPICI NON POSSE, ET IDEO FIDEM NOSTRAM SIMPLICEM ESSE DEBERE.

In Epistola Pauli ad Corinthios prima [ff] : *Videmus nunc per speculum in ænigmate* [gg], *tunc autem facie ad faciem. Nunc scio ex parte, tunc autem cognoscam* [hh] *sicut et ego cognitus sum* [ii] (*I Cor.* XIII, 12). Item apud Salomonem in Sapientia : *Et in simplicitate*

LECTIONES VARIANTES.

[a] Judicium est a Domino *Lam. Bod.* 2. Domini *Voss.* 1.
[b] Terræ, eo quod *Bod.* 4.
[c] Ut nemo sit qui judicet.
[d] Nemo qui *Lin.*
[e] Ut salvet *Lam. NC.* 1, 2. *Corb.*
[f] Gravavit aures *Thu. Corb.*
[g] Propter peccata *Lin. NC.* 1. *Bod.* 1. 3, 4.
[h] Plenæ sunt sanguine *Bod.* 3. *Voss.* 4.
[i] Parturiunt dolum *NC.* 2.
[j] Pariunt iniquitatem *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. *Corb.*
[k] Dedit ad usuram *Cott.* Dedit fœnori *Bod.* 1. *Thu. Corb.*
[l] Facit hæc *Corb.*
[m] Non delebitur *Lam. Bod.* 2. *NC.* 1.
[n] Et debitum reddet *Corb.* Debitori reddet *Cott.*
[o] Rapinam non rapiat *Bod.* 1, 3, 4. *Thu.*
[p] Usuras *Bod.* 1, 2, 3, 4. In usura *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. *Lin.* Usuram *Bod.* 1. *Lin. Thu.* Usuram pecuniæ *Cott. Voss.* 3, 4.
[q] Peccatores enim diligunt eos qui se diligunt *Lam. Lin. NC.* 1, 2. *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Thu. Corb.*
[r] Solem suum *Lam. Lin. NC.* 1. *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Voss.* 3. Solem oriri *Oxon.*
[s] Solomonem in Parœmiis *Oxon. Et sic semper ubi apud cæteros legitur* Salomonem *et* Proverbiis.
[t] Ne inculcent ea pedibus *Cott.* Conculcent eas *NC.* 2 *Bod.* 2.
[u] Pastorem venientem *Lam. Corb. NC.* 1.
[v] Transi et recumbe *Corb.*
[x] Ut cœnem *Corb.*
[y] Servus illi *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2.
[z] Cum feceritis *Thu.*
[aa] Servi inutiles *Thu. Corb.*
[bb] Quod debuimus facere *Bod.* 1, 2. 4. *Cott.*
[cc] Elige vitam, ut vivas *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Thu. Corb.*
[dd] Terræ manducabis *Cott.*
[ee] Ecce regnum Dei *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. *Cott.*
[ff] Paulus in Epistola ad Corinthios prima *Corb.*
[gg] Per ænigmata *Lin.*
[hh] Tunc cognoscam *Bod.* 1.
[ii] Sicut cognitus *Cott.*

Digitized by Google

cordis quærite illum [a] (*Sap.* I, 1). Item apud eumdem: *Qui ambulat simpliciter, ambulat fidenter* (*Prov.* X, 9). Item apud eumdem: *Altiora te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris* (*Eccle.* III, 22). Item in Salomone: *Noli esse multum justus* [b], *et noli argumentari plus quam oportet* [c] (*Eccle.* VII, 17). Item apud Esaiam: *Væ qui arguti sunt in semetipsis* (*Isa.* III, 9). Item in Machabæis: *Daniel in sua simplicitate liberatus est de ore leonum* (I *Mach.* II, 60). Item in Epistola Pauli ad Romanos [d]: *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quam incomprehensibilia* [e] *sunt judicia ejus, et quam investigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit? vel quis prior dedit ei, et retribuetur illi? Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia, ipsi claritas in sæcula sæculorum* (*Rom.* XI, 33-36). Item ad Timotheum: *Stultas autem et ineruditas quæstiones devita, sciens quia lites generant. Servum autem Dei non oportet litigare, sed mitem esse ad omnes* (II *Tim.* II, 23, 24).

CAP. LIV. — NEMINEM SINE SORDE ET SINE PECCATO ESSE.

Apud Job: *Quis enim mundus a sordibus* [f]*? Nec unus, etiamsi unius* [g] *diei sit vita ejus in terra* [h] (*Job.* XIV, 4, 5). Item in Psalmo: *Ecce in iniquitatibus* [i] *conceptus sum, et in delictis concepit* [j] *me mater mea* (*Ps.* L, 7). Item in Epistola Joannis: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, et veritas in nobis non est* (I *Joan.* I, 8).

CAP. LV. — NON HOMINIBUS, SED DEO, PLACENDUM.

In Psalmo LII: *Qui hominibus placent* [310] *confusi sunt, quia Deus nihil fecit illos.* Item in Epistola Pauli ad Galatas: *Si hominibus* [k] *placere vellem* [l], *Christi servus non essem* (*Gal.* I, 10).

CAP. LVI. — DEUM NIHIL LATERE EX HIS QUÆ GERUNTUR.

In Sapientia Salomonis: *In omni loco speculantur oculi Dei bonos et malos* (*Prov.* XV, 3). Item apud Hieremiam: *Ego Deus approximans, et non Deus de longinquo* [m]. *Si absconditus fuerit homo in absconditis* [n], *ergo ego non* [o] *videbo eum? Nonne cœlum et terram ego impleo, dicit Dominus* (*Hier.* XXIII, 23, 24). Item in Basilion I: *Homo videt in facie* [p], *Deus autem in corde* (I *Reg.* XIV, 7). Item in Apocalypsi: *Et scient omnes ecclesiæ* [q] *quia ego sum scrutator* [r] *renis et cordis, et dabo unicuique vestrum secundum opera sua* [s] (*Apoc.* II, 23). Item in Psalmo XVIII: *Delicta quis intelligit? Ab occultis meis* [t] *munda me, Domine* (*Ps.* XVIII, 13). Item in Epistola Pauli ad Corinthios secunda: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut reportet* [u] *unusquisque* [v] *sui corporis propria secundum quæ egit, sive bona, sive mala* (II *Cor.* V, 10).

CAP. LVII. — FIDELEM EMENDARI ET RESERVARI [x].

In Psalmo CXVII: *Emendans emendavit* [y] *me Dominus, et morti non tradidit me* (*Ps.* CXVII, 13). Item in Psalmo LXXXVIII: *Visitabo in virga* [z] *facinora eorum et in flagellis delicta eorum. Misericordiam autem meam non dispergam* [aa] *ab eis* (*Ps.* LXXXVIII, 33). Item apud Malachiam: *Et sedebit* [bb] *conflans et expurgans sicut aurum et argentum, et emundabit filios Levi* (*Malach.* III, 3). Item in Evangelio: *Non exibis inde donec exsolvas novissimum quadrantem* (*Matth.* V, 26).

CAP. LVIII. — NEMINEM CONTRISTARI MORTE DEBERE, CUM SIT IN VIVENDO LABOR ET PERICULUM, IN MORIENDO PAX ET RESURGENDI SECURITAS [cc].

In Genesi: *Tunc dixit Dominus ad Adam: Quia exaudisti vocem uxoris* [dd] *tuæ, et manducasti ex illa arbore de qua sola præceperam tibi ne manducares* [ee], *maledicta terra erit in omnibus operibus tuis. In tristitia et gemitu edes ex ea omnibus diebus vitæ tuæ. Spinas et tribulos ejiciet tibi, et edes pabulum agri* [ff] *in sudore vultus tui. Edes panem tuum donec revertaris in terram de qua et sumptus es: quia terra es, et in terram ibis* (*Gen.* III, 17-19). Item illic: *Et complacuit Enoch Deo; et non est inventus* [gg] *postmodum, quia Deus illum transtulit* (*Gen.* V, 24). Et apud Esaiam: *Omnis caro fœnum, et omnis claritas ejus ut flos fœni. Aruit fœnum, et flos decidit. Sermo* [hh] *autem Domini manet* [ii] *in æternum* (*Isa.* XL, 6-8). Apud [jj] Ezechielem: *Ipsi dicunt: Arida facta sunt ossa nostra, periit spes nostra, exspiravimus; propterea prophetiza, et dic* [kk]:

LECTIONES VARIANTES.

[a] Quærite Deum *Thu. Voss.* 4. Dominum *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Lam. Lin. NC.* 2.
[b] Multum sapiens *Lin.* Multum sapiens apud seipsum *Cott.*
[c] Quam necesse est *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. *Thu. Corb.*
[d] Paulus ad Rom. *Corb.*
[e] Quam inscrutabilia *Lam. Lin. NC.* 1. *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Thu. Corb. Voss.* 3.
[f] Sine sordibus *Ver. Benev.*
[g] Nec si unius *Bod.* 1.
[h] Terra: non potest esse sine querela *Cott.*
[i] Ecce in facinore *Lam. Lin. NC.* 1. *Bod.* 1, 2, 4. *Thu. Corb. Voss.* 3.
[j] In peccatis concepit *Lam. Lin. NC.* 1. *Bod.* 1, 3, 4. Aluit me in utero *Voss.* 3.
[k] Si adhuc hominibus *Lam. NC.* 1.
[l] Placerem *Bod.* 1. *Voss.* 3.
[m] Deus de longe *Lam. NC.* E longinquo *Cott.*
[n] Quod si absconditus fuerit homo in absconditis suis *Lam. NC.* 1. Absconditus ergo *Corb.*
[o] Ergo non *Bod.* 3.
[p] Videt in faciem, Deus autem in cor *Thu. Lin.* Deus videt in corde *Cott.*
[q] Et scient omnes gentes et Ecclesiæ *Bod.* 1. *Voss.* 3.
[r] Sum Dominus scrutator *Lam. NC.* 1.
[s] Opera vestra *NC.* 2. Opera *Thu.*
[t] A secretis meis *Lam. Lin. NC.* 1. *Bod.* 1, 2. *Thu. Corb. Voss.* 3.
[u] Recipiat unusquisque *NC.* 2.
[v] Nostrum quod gessit *Cott.*
[x] Reservari debere *Lam. NC.* 1.
[y] Castigans castigavit *Cott.* Castigans emendavit *NC.* 1, 2.
[z] In virga ferrea *Bod.* 1. *Voss.* 3.
[aa] Non disperdam *Corb.* Auferam *Bod.* 3. *Voss.* 4.
[bb] Et sedit Deus *Lam. Lin. NC.* 1. *Bod.* 2. *Thu.*
[cc] Et in resurgendo securitas *Bod.* 3.
[dd] Mulieris *Lam. Lin. NC.* 1. *Bod.* 1, 2, 4. *Voss.* 3.
[ee] Ne manducares, et manducastis ex ea *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2.
[ff] Edes panem tuum de pabulo agri *Corb.*
[gg] Non est inventus, quia *Cott.*
[hh] Verbum *NC.* 2. *Manut.*
[ii] Manebit *Bod.* 3, 4.
[jj] Ezechielem: Dicunt *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Thu. Corb.*
[kk] Propheta et dic *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Cott. Voss.* 3.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

CAP. LIV. — *Neminem sine sorde.* Citat hunc locum Hieronymus in libro I *Dialogorum adversus Pelagianos.*

Digitized by Google

Hæc dicit Dominus [a] *: Ecce ego aperio monumenta vestra, et educam vos de monumentis vestris, et inducam vos in terram Israel. Et dabo Spiritum meum in vos, et vivetis. Et ponam vos in terram vestram, et cognoscetis quoniam ego Dominus locutus sum, et faciam, dicit Dominus* (*Ezech.* XXXVII, 11-14). Item in Sapientia Salomonis : *Raptus est* [b] *ne malitia mutaret intellectum illius. Placita enim erat Deo anima illius* (*Sap.* IV, 11 14). Item in Psalmo LXXXIII : *Quam dilectissimæ* [c] *habitationes tuæ, Deus virtutum! Desiderat et properat* [d] *anima mea ad atria* [e] *Dei* (*Ps.* LXXXIII, 2,3). Et in Epistola Pauli ad Thessalonicenses : *Nolumus autem vos ignorare, fratres, de dormientibus, ne contristemini sicut et cæteri, qui spem non habent. Si enim credimus quia Jesus mortuus est et resurrexit, sic et Deus eos qui dormierunt in Jesu adducet cum eo* (*I Thess.* IV, 13, 14). Item ad Corinthios I : *Stulte* [f], *tu quod seminas non vivificatur nisi prius* [g] *mortuum fuerit.* Et iterum : *Stella a stella differt in claritate, sic et resurrectio* [h]. *Seminatur corpus in corruptione, resurgit sine corruptela* [i]. *Seminatur in ignominia* [j], *resurgit in gloria. Seminatur in infirmitate, resurgit in virtute. Seminatur corpus animale, resurgit* [k] *spirituale* (*I Cor.* XV, 36, 41-44, 53-55). Et iterum : *Oportet enim corruptivum istud induere incorruptionem et mortale hoc induere immortalitatem.* [321] *Cum autem corruptivum hoc induerit incorruptionem, et mortale hoc induerit incorruptionem, tunc fiet verbum quod scriptum est : Absorpta est mors* [l] *in contentionem* [m]. *Ubi est, mors, aculeus tuus? ubi est, mors, contentio tua?* Item in Evangelio cata Joannem : *Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi ego fuero et ipsi sint mecum, et videant claritatem meam quam mihi dedisti ante constitutionem mundi* [n] (*Joan.* XVII, 24). Item cata Lucam : *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum, in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum* (*Luc.* II, 29,30). Item cata Joannem : *Si me dilexissetis, gauderetis* [o] *quoniam vado ad Patrem, quia Pater major me est* (*Joan.* XIV, 28).

CAP. LIX. — DE IDOLIS QUÆ GENTILES DEOS PUTANT.

In Sapientia Salomonis ; *Omnia idola nationum æstimaverunt deos, quibus neque oculorum usus est ad videndum, neque nares ad percipiendum* [p] *spiritum, neque aures ad audiendum, neque digiti in manibus ad contrectandum* [q], *sed et pedes eorum pigri ad ambulandum. Homo enim fecit illos, et qui spiritum* [r] *mutuatus est, is finxit illos. Nemo autem sibi similem homo poterit deum fingere. Cum sit enim mortalis, mortuum fingit* [s] *manibus iniquis. Melior est autem ipse iis quos colit; quoniam ipse quidem vixit, illi numquam* (*Sap.* XV, 15-17). De hoc ipso : *Neque opera attendentes cognoverunt quis esset artifex, sed aut ignem, aut spiritum, aut citatum aerem, aut gyrum stellarum, aut nimiam aquam, aut solem et lunam, rectores orbis terræ deos putaverunt : quorum si propter speciem hoc æstimaverunt, sciant quanto his Dominus sit speciosior : aut si virtutes et opera eorum mirati sunt, intelligant ab ipsis quoniam qui hæc constituit fortia fortior est illis* (*Sap.* XIII, 1-4). Item in Psalmo CXXXIV : *Idola gentium argentum et aurum, opus manuum hominum. Os habent, et non loquuntur, oculos habent, et non vident, aures habent, et non audiunt* [t]. *Neque enim est spiritus in ore eorum. Similes fiant* [u] *illis qui faciunt ea* [v] *et omnes qui confidunt in illis* (*Ps.* CXXXIV, 15-18). Item in Psalmo XCV : *Omnes dii gentium dæmonia, Dominus autem cœlos fecit* (*Ps.* XCV, 5). Item in Exodo : *Non facietis vobis deos argenteos neque aureos* (*Exod.* XX, 23). Et iterum : *Non facies tibi idolum nec cujusquam similitudinem* (*Ibid.* XX, 4). Item in Hieremia : *Hæc dicit Dominus : Secundum vias gentium nolite incedere, quia timent illa in personis suis, quia legitima gentium vacua sunt. Lignum de saltu excisum opus fabri, et conflatum aurum et argentum speciose composita sunt, in marculis et in clavis confirmaverunt illa, et non movebuntur, quia confixibilia sunt. Argentum appositum est a Tharsis. Venit aurum Moab. Opera artificum omnia. Hyacinthum et purpura vestient eam. Tollentes tollent ea, quia non prodient. Nolite timere ea, quia malum non faciunt, et bonum non est in illis. Sic dicite : Dii qui cœlum et terram non fecerunt intereunt a terra et de sub cœlo isto. Exhorruit cœlum in hoc et abhorruit multum magis vehementer, dicit Dominus. Hæc maligna fecit plebs mea. Dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et effoderunt sibi laqueos detritos qui non poterant aquam continere. Verberavit te dilectio tua, et nequitia tua accusabit te. Et scito et vide quia amarum tibi erit quod dereliqueris me, dicit Dominus Deus tuus, et non speraveris in me, dicit Dominus Deus tuus, quia in sæculum contribulasti jugum meum et dirupisti vincula tua, et*

LECTIONES VARIANTES.

[a] Dicit Dominus omnipotens *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2.
[b] Raptus est justus *Colt.* Commemoratus est in brevi, explevit tempora, placebat enim Deo *Colt.*
[c] Quam amabiles *Bod.* 3. Amabilia tabernacula *Lin.*
[d] Concupiscit et deficit *Lin. NC.* 2.
[e] In atria *Bod.* 1.
[f] Insipiens tu *Colt.*
[g] Nisi ante *Lam. Lin. NC.* 1. *Bod.* 2. *Voss.* 3. Stella enim *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. *Colt.*
[h] In resurrectione *Bod.* 1. Mortuorum *addit Oxon.*
[i] In incorruptione *Bod.* 1. *Voss.* 3.
[j] In ignobilitate *Colt.*
[k] Resurgit corpus *Bod.* 1. *Voss.* 3.
[l] Absumpta est mors *Lam. Bod.* 1, 2, 4. *NC.* 1.
[m] Sine contentione *Lam. Bod.* 2. *NC.* 1.
[n] Antequam mundus fieret *Colt.*
[o] Gauderetis utique *Lin.*
[p] Nares ad odoraudum *Colt.*
[q] Digiti manuum ad tractandum *Lam. NC.* 1. *Bod.* 1, 2, 4. *Voss.* 3. Manus ad palpandum *Colt.*
[r] Spiritum mutuat *Lam. NC.* 1.
[s] Mortalis, mortuum finget *Voss.* 3, 4.
[t] Non audiunt ; nares habent, et non odorabunt; manus habent, et non palpabunt; pedes habent, et non ambulabunt *Rod.* 1. *Colt. Voss.* 3.
[u] Similes sint omnes *Lam. Lin. NC.* 1. *Bod.* 1, 2, 4. *Thu. Corb.*
[v] Faciunt ea. Item *Bod.* 1, 2, 3, 4.

VARIORUM NOTÆ.

{ CAP. LIX.—*Item in Hieremia.* Baluzius, haud dubie e suis codd. addidit locos Jer., Isa. et Apoc. *Lips. edd.*

Digitized by Google

dixisti : Non serviam, sed ibo super omnem montem excelsum et super omnem collem altum et super omne lignum umbrosum. Ibi confundar in fornicatione. Ligno et lapidi dixerunt quia pater meus es tu, et lapidi, Tu genuisti me. Et converterunt ad me dorsum, et non faciem suam (*Hier.* x, 2-5, 9, 11; ii, 12, 13, 19 20, 27). In Esaia : *Cecidit vel dissolutus est draco. Facta sunt sculptilia eorum ut bestiæ et pecora. Auferetis* [333] *illa collo ligata quasi sarcinam laborantes et esurientes et non valentes* (*Isai.* xlvi, 1, 2, 3). Et iterum : *Collecti simul non poterunt salvari de bello. Ipsi autem captivi ducti sunt tecum* (*Hier.* li, 15-18). Et iterum: *Cui me assimilastis? Videte et intelligite quia erratis corde, qui committitis aurum de sacculo et argentum in statera ponderatis in pondere conducentes. Artifices fecerunt manu facta, et inclinantes se adoraverunt illud et levaverunt in humeris, et sic ambulabunt. Si autem posuerint illa, loco manebunt, et non movebuntur; et qui clamaverint ad illa non audient, a malis non salvabunt eos.* Item in Hieremia : *Dominus, qui fecit cœlum et terram, in virtute correxit orbem terræ, in sua prudentia extendit cœlum, et multitudinem aquarum in cœlo, perduxit nubes ab extremo terræ, fulgura in nubibus. Et ejecit ventos de thesauris suis. Insatuatus est omnis homo ab scientia sua, confusus est omnis artifex in sculptilibus suis, quia falsum conflavit. Non est spiritus in illis. Vacuata sunt opera inclusa, in tempore conspectionis illorum peribunt.* Et in Apocalypsi : *Et sextus Angelus tuba cecinit. Et audivi unum ex quatuor angulis arcæ aureæ quæ est in conspectu Dei dicentem sexto Angelo qui habebat tubam : Solve quatuor Angelos ligatos super flumen magnum Euphratem. Et soluti sunt quatuor Angeli qui erant parati in horam et diem et mensem et annum, ut occiderent tertiam partem hominum, et numerus exercituum equestrium dismiriades myriadon. Audivi numerum eorum. Et sic vidi equos in visu et sedentes super eos habentes loricas igneas et hyacinthinas et sulphureas, et capita equorum, et ex ore eorum exiit ignis et fumus et sulphur. A tribus plagis istis occisa est tertia pars hominum ex igne et fumo et sulphure quod exiit de ore eorum, est et in caudis eorum. Caudæ enim eorum similes anguillis, habentes enim capita, et in eis nocent. Et reliqui hominum qui non sunt occisi in istis plagis, nec pœnitentiam egerunt opera factorum manuum suarum, ut non adorent dæmonia et idola, id est simulacra aurea et argentea et ærea et lapidea et lignea, quæ neque videre possunt neque ambulare, et non egerunt pœnitentiam homicidiorum suorum.* Item illic : *Et tertius Angelus secutus est eos dicens in voce magna : Si quis adorat bestiam et simulacrum ejus, et accepit inscriptionem in fronte sua aut super manum suam, hic bibet de vino iræ ejus et punietur igne et sulphure sub oculis Angelorum sanctorum et sub oculis Agni, et fumus tormentorum eorum in sæcula sæculorum ascendet* (*Apoc.* ix, 1, 13-21; xiv, 9-14).

CAP. LX. — CIBORUM NIMIAM CONCUPISCENTIAM NON APPETENDAM.

Apud Esaiam : *Edamus* [a] *et bibamus, cras enim morieniur. Non remittetur vobis peccatum istud quousque moriamini* (*Isa.* xxii, 13, 14). Item in Exodo [b] : *Et consedit populus manducare et bibere, et surrexerunt* [c] *ludere* (*Exod.* xxxii, 6). Paulus ad Corinthios prima : *Cibus nos non commendat Deo; neque, si manducaverimus* [d], *abundabimus; neque, si non manducaverimus, egebimus* [e] (I *Cor.* viii, 8). Et iterum : *Cum convenitis* [f] *ad manducandum, invicem expectate. Si quis esurit* [g], *domi manducet, ut non ad judicium* [h] *conveniatis* (I *Cor.* xi, 33, 34). Item ad Romanos : *Non est regnum Dei esca et potus, sed justitia et pax et gaudium in Spiritu sancto* (*Rom.* xiv, 17). In [i] Evangelio cata Joannem : *Ego cibum habeo* [j] *quem vos non nostis. Meus cibus est ut faciam voluntatem ejus qui me misit et perficiam* [k] *opus ejus* (*Joan.* iv, 32, 34).

CAP. LXI. — POSSIDENDI CONCUPISCENTIAM ET PECUNIAM NON APPETENDAM.

Apud Salomonem in Ecclesiastico : *Qui diligit argentum, non satiabitur argento* (*Eccli.* v, 9). Item in Proverbiis : *Captans annonam maledictus in plebe est. Benedictio autem in ejus capite est qui communicat* [l] (*Prov.* xi, 26). Item apud Esaiam : *Væ qui* [m] *conjungunt domum* [n] *ad domum* [o] *et agrum* [p] *ad agrum continuant, ut auferant proximo suo* [q] *aliquid. Numquid* [333] *habitabitis soli super terram* (*Isa.* v, 8)? Item apud Sophoniam : *Ædificabunt domos, et non inhabitabunt* [r], *et instituent vineas, et non bibent vinum earum, quia prope est dies Domini* (*Soph.* i, 13, 14). Item in Evangelio cata Lucam : *Quid enim prodest homini lucrifacere totum mundum, se ipsum autem perdere* [s] (*Luc.* ix, 25)? Et iterum : *Dixit autem illi Dominus : Stulte, hac nocte expostulatur* [t] *anima tua* [u]. *Quæ ergo* [v] *parasti, cujus erunt* (*Luc.* xii, 20)? Et

LECTIONES VARIANTES.

[a] Non dicemus; Edamus et *NC.* 1.
[b] Exodo : Consedit *Bod.* 1.
[c] Exsurrexit *Thu. Voss.* 3.
[d] Ederimus *Thu.*
[e] Deficiemus *Bod.* 3.
[f] Cum conveneritis *Lam. NC.* 1.
[g] Esurierit *Bod.* 1. 3.
[h] In judicium *Bod.* 1, 3, 4.
[i] Item in Evangelio *Bod.* 1, 4.
[j] Cibum habeo manducare *Corb. NC.* 2.
[k] Ut perficiam *NC.* 2.
[l] Communicans ei *Bod.* 1.
[m] Væ his, qui *Colt.*
[n] Adjungit domum *Bod.* 1.
[o] Ad domum, villam ad villam, *Lin. Corb.*
[p] Agrum agro *Lam. Lin. NC.* 1. *Bod.* 1, 3, 4. *Thu.*
[q] Proximis suis *Bod.* 2, 3. *Corb.* Proximi *Bod.* 1, 4.
[r] Non habitabunt in eis *Lam. NC.* 1, 2. *Bod Colt.*
[s] Si animæ suæ detrimentum patiatur *NC.* 2.
[t] Postulatur anima *Lam. NC.* 1.
[u] Anima tua a te *Lin.*
[v] Præparasti *Lam.*

Digitized by Google

iterum : *Commemorare quoniam percepisti bona* [a] *in vita tua, et Lazarus similiter mala* [b]. *Nunc vero hic rogatur* [c], *tu autem doles* (*Luc.* XVI, 25). Et in Actibus Apostolorum : *Dixit autem Petrus ad eum : Argentum quidem et aurum non est mihi. Quod autem habeo, hoc tibi do : In nomine Jesu Christi Nazareni* [d] *surge et ambula. Et apprehensa manu* [e] *ejus dextera, excitavit* [f] *eum* (*Act.* III, 6). Item [g] ad Timotheum prima : *Nihil intulimus in hunc mundum, verum nec auferre quid possumus* [h]. *Habentes itaque exhibitionem et tegumentum, his contenti simus. Qui autem volunt divites fieri, incidunt in tentationem* [i] *et muscipulam et desideria multa et nocentia, quæ mergunt hominem in perditionem et in interitum. Radix enim omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes naufragaverunt a fide et inseruerunt se doloribus multis* (I *Tim.* VI, 7-10).

CAP. LXII. — MATRIMONIUM CUM GENTILIBUS NON JUNGENDUM.

Apud Tobiam : *Uxorem accipe ex semine parentum tuorum, et noli sumere alienam mulierem* [j] *quæ non est ex tribu parentum tuorum* (*Tob.* IV, 12). Item in Genesi : *Mittit puerum suum Abraham, ut de semine suo* [k] *accipiat Rebeccam filio ejus Isaac* (*Gen.* XIV). Item in Esdra satis non fuit Deo, cum vastarentur Judæi, nisi alienigenas uxores cum filiis quoque quos ex illis procreaverant reliquissent (I *Esdr.* X). Item in Epistola Pauli ad Corinthios prima : *Mulier vincta est* [l] *quamdiu vivit vir ejus Si autem dormierit, liberata est, ut cui* [m] *vult* [n] *nubat, tantum in Domino. Felicior* [o] *autem erit, si sic permanserit* [p] (I *Cor.* VII, 39, 40). Et iterum : *Nescitis quoniam corpora vestra membra Christi sunt? Auferens membra Christi* [q], *faciam membra fornicariæ* [r]*? Absit. Aut nescitis quia qui conglutinatur* [s] *fornicariæ unum corpus sunt? Erunt enim duo in una carne. Qui autem se conjunxerit* [t] *Domino, unus spiritus est* [u] (*Ibid.* VI, 15-17). Item ad Corinthios secunda : *Nolite conjungi cum infidelibus. Quæ autem participatio est justitiæ et iniquitati? aut quæ est communicatio luci* [v] *ad tenebras* (II *Cor.* VI, 14)? Item de Salomone in Basilion tertio : *Et averterunt uxores alienigenæ cor ejus post deos suos* (III *Reg.* XI, 4).

CAP. LXIII. — GRAVE DELICTUM ESSE FORNICATIONIS.

In Epistola Pauli ad Corinthios prima : *Omne delictum quodcumque fecerit homo extra corpus est. Qui autem fornicatur, in corpus suum peccat. Non estis vestri. Empti enim estis pretio magno. Clarificate et portate Dominum in corpore vestro* (I *Cor.* VI, 18-20).

CAP. LXIV. — QUÆ SUNT CARNALIA QUÆ MORTEM PARIANT, ET QUÆ SPIRITALIA QUÆ AD VITAM DUCANT.

Paulus ad Galatas : *Caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem. Hæc enim invicem* [x] *adversantur sibi, ut non quæ vultis ipsa faciatis. Manifesta sunt autem facta carnis; quæ sunt,* [y] *adulteria, fornicationes, immunditiæ, spurcitiæ, idololatriæ, veneficia, homicidia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes* [z], *animositates, provocationes, simultates, dissensiones, hæreses, invidiæ, ebrietates, comessationes, et his similia* [aa]. *Quæ* [bb] *prædico, quia qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt. Fructus autem spiritus*

LECTIONES VARIANTES.

[a] Recepisti bona *Lam. NC.* 1.
[b] Lazarus autem mala *NC.* 1, 2.
[c] Hic lætatur *Lam. Colt.* Hic quiescit *Bod.* 1. Hic consolatur *Bod.* 2. *Corb.*
[d] Nazaræi *Thu.*
[e] Apprehendens manum *Lin.*
[f] Elevavit *Thu.*
[g] Item Paulus *Bod.* 2.
[h] Auferre possumus *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Thu. Lam. Voss.* 3. Auferre poterimus *Colt.*
[i] Incidunt in laqueos tentationum *Corb.* In laqueum diaboli *NC.* 2. Muscipulam diaboli *Colt.*
[j] Alienam uxorem *Bod.* 1, 4. *Voss.* 3. *Thu.*
[k] Accipiatur Rebecca *Lam. Lin. NC.* 1. *Bod.* 1, 2, 4. *Thu.*
[l] Mulier alligata est *NC.* 2.
[m] Liberata est, cui *Voss.* 3. *Lam. Lin. NC.* 1. *Bod.* 1, 2, 4.
[n] Cui volet *Thu. Corb.*
[o] Beatior *Bod.* 1. *NC.* 2.
[p] Permanserit. Item de hoc ipso ad Corinthios prima *Bod.* 1, 3, 4.
[q] Tollam membra Christi *Colt.* Auferens ergo *Bod.* 2.
[r] Membra meretricis fornicariæ *Lam. NC.* 1. *Bod.* 1. *Colt. Voss.* 3.
[s] Qui conglutinantur *Bod.* 2, 4. *Thu. Corb.* Adhæret meretrici *Voss.* 3.
[t] Se conjungunt *Colt.*
[u] Uno spiritu sunt *Colt.*
[v] Lumini *Voss.* 3.
[x] Enim adversantur *Voss.* 3.
[y] Fornicatio, impudicitia *Colt.*
[z] Æmulatio, ira, rixa, animositates *Colt.*
[aa] Similia. Quia qui talia agunt *Lam. Lin. NC.* 1, 2. *Bod. Thu. Corb.*
[bb] Prædico vobis sicut prædixi, quia *Colt.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

CAP. LXI. — *Percepisti bona.* Vide notas Frontonis Ducæi in Homiliam sextam Chrysostomi *ad populum Antiochenum.*

CAP. LXIII. — *Fornicationis.* Aliquando fornicatio abusive sumitur, ut apud Gratianum, 31, quæst. 1, cap. *Hac ratione*, ubi secundæ nuptiæ dicuntur esse vere *fornicatio*, et mox additur eam fornicationem esse honestam. Quod verum est. Et tamen Michael Siricius hæc verba, ut solent adversarii cælibatus clericorum, ut telum adversus mores nostros avide arripuit in præfatione libri quem scripsit *de Uxore una tantum habenda*, ut ostenderet aliquam inter nos esse honestam scortationem, adeoque scortationem ex sententia nostra peccatum non esse, sed virtutem. Quæ dicta esse magna vi intemperantiæ palam est : locus enim ille id non evincit, sed tantum eam vivendi consuetudinem esse honestam quam auctor studio pudicitiæ vocare voluit fornicationem, tametsi vere fornicatio non sit, sed legitima maris et feminæ conjunctio. Nam et in canonibus sancti Patricii episcopi Hibernorum, et in Pœnitentiali Fulberti, episcopi Carnotensis, vocabulum fornicationis sumitur pro actu ipso coeundi generaliter. Et sanctus Augustinus in capite sexto libri *de Bono conjugali*, ait in ipsa immoderatiore exactione debiti carnalis, etsi eos pravi mores ad talem concubitum impellunt, nuptias tamen ab adulterio seu fornicatione defendere.

Digitized by Google

est charitas, gaudium, [a] *pax, magnanimitas, bonitas,* [b] *fides, mansuetudo, continentia, castitas. Qui enim sunt Christi carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis* [c] (*Gal.* v, 17, 19-24).

CAP. LXV. — OMNIA DELICTA IN BAPTISMO DEPONI.

In Epistola Pauli ad Corinthios prima : *Neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum*[324] *appetitores* [d], *neque fures, neque fraudatores, neque ebriosi, neque maledici, neque raptores* [e] *regnum Dei consequentur. Et hæc quidem fuistis; sed abluti estis, sed sanctificati* [f] *estis in nomine Domini Jesu nostri Christi et in Spiritu Dei nostri* (I *Cor.* VI, 9-11).

CAP. LXVI. — DISCIPLINAM DEI IN ECCLESIASTICIS PRÆCEPTIS OBSERVANDAM.

Apud Hieremiam : *Et dabo vobis pastores secundum cor meum, et pascent oves pascentes* [g] *cum disciplina* (*Hier.* III, 15). Item apud Salomonem in Proverbiis : *Fili, ne neglexeris disciplinam Dei, neque defeceris ab eo correptus. Quem enim Deus diligit corripit* (*Prov.* III, 11, 12). Item in Psalmo II : *Continete* [h] *disciplinam, ne forte irascatur Dominus, et pereatis a via recta* [i]. *Cum exarserit cito ira ejus super vos, beati omnes qui confidunt in eo* [j]. (*Ps.* II, 12). Item in Psalmo XLIX : *Peccatori autem dicit Deus : At quid exponis justificationes meas* [k], *et assumis testamentum meum per os tuum? Tu autem odisti disciplinam, et abjecisti* [l] *sermones meos retro?* (*Ps.* XLIX, 16, 17). Item in Sapientia Salomonis : *Disciplinam qui abjicit infelix est* (*Sap.* II, 11).

CAP. LXVII. — PRÆDICTUM QUOD DISCIPLINAM SANAM ASPERNATURI ESSENT.

Paulus ad Timotheum secunda : *Erit tempus quando sanam doctrinam non sustinebunt, sed secundum sua desideria* [m] *coacervabunt sibi magistros prurientes in audiendo, scalpentes aures. Et a veritate quidem auditum avertent* [n], *ad fabulas autem convertentur* (II *Tim.* IV, 3, 4).

CAP. LXVIII. — RECEDENDUM AB EO QUI INORDINATE [o] ET CONTRA DISCIPLINAM [p] VIVIT.

Paulus ad Thessalonicenses : *Præcipimus autem vobis in nomine* [q] *Domini nostri* [r] *Jesu Christi, ut discedatis ab omnibus fratribus ambulantibus inordinate et non secundum traditionem quam acceperunt a nobis* (II *Thessal.* III, 6). Item in Psalmo XLIX : *Si videbas furem, simul currebas* [s] *cum eo, et cum adulteris* [t] *portionem tuam ponebas* (*Ps.* XLIX, 13).

CAP. LXIX. — NON IN SAPIENTIA MUNDI NEC IN ELOQUENTIA ESSE REGNUM DEI, SED IN FIDE CRUCIS ET IN VIRTUTE CONVERSATIONIS.

In Epistola Pauli ad Corinthios prima : *Misit me Christus annuntiare, non in sermonis sapientia, ne inanis fiat crux Christi. Verbum enim crucis stultitia est iis qui pereunt, iis autem qui salvantur virtus Dei est. Scriptum est enim : Perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo. Ubi sapiens? ubi scriba? ubi conquisitor* [u] *hujus sæculi? Nonne infatuavit* [v] *Deus sapientiam hujus mundi? Quoniam quidem* [x] *in sapientia Dei non cognovit mundus per sapientiam Deum, complacuit Deo per stultitiam prædicationis salvare credentes. Quoniam Judæi signa desiderant* [y], *et Græci prudentiam* [z] *quærunt. Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam, ipsis autem vocatis Judæis et Græcis Christum Dei virtutem et Dei sapientiam* (I *Cor.* I, 17-24). Et iterum : *Nemo se decipiat. Si quis putat sapientem se esse in vobis, mundo huic stultus fiat*[aa], *ut sit sapiens. Sapientia enim hujus mundi stultitia est apud Deum. Scriptum est enim : Reprehendes*[bb] *sapientes in astutia ipsorum* (I *Cor.* III, 18-20). Et iterum : *Dominus cognovit cogitationes sapientium*[cc], *quia sunt stultæ*[dd] (*Ps.* XCIII, 11).

CAP. LXX. — PARENTIBUS OBSEQUENDUM.

In Epistola Pauli ad Ephesios : *Filii, obsequentes estote parentibus vestris. Hoc enim est justum. Honora patrem tuum et matrem*[ee] *tuam, quod est mandatum*

LECTIONES VARIANTES.

[a] Pax, patientia, benignitas, bonitas *Colt.*
[b] Fides, modestia, mansuetudo, continentia, castitas, dilectio, adversus hujusmodi non est lex *Colt.*
[c] Cum passionibus et desideriis *Colt.*
[d] Masculorum concubitores *Lam. NC.* 1. *Bod.* 1, 2. *Colt. Voss.* 3.
[e] Neque rapaces regnum Dei *Colt.*
[f] Sed sanctificati, sed justificati *Lam. Lin. NC.* 1, 2.
[g] Pascent vos cum disciplina *Colt. Voss.* 3.
[h] Apprehendite disciplinam *Bod.* 2.
[i] Pereatis a via justa *Colt.*
[j] Felices omnes qui confidunt in eum *Colt. Corb.*
[k] Dixit Deus : Quare tu narras justitias meas *Colt.* Ut quid *Voss.* 3.
[l] Projecisti... post te *Colt.*
[m] Desideria ambulantes *Lam. NC.* 1.
[n] Auditum avertentes *Lam. Bod.* 2. *NC.* 1. *Corb.*
[o] Inordinate vadit *Corb.*
[p] Disciplinam Dei vivit *Lam. NC.* 1.
[q] Vobis, fratres, in nomine *Lam. Lin. NC.* 1.
[r] *Sic Græca, Lam. Lin. NC.* 1. *Bod.* 1, 2. *Thu. Corb. Voss.* 3. *Imp. omittunt* Domini nostri.
[s] Concurrebas ei *Lam. NC.* 1. *Thu. Bod.* 1, 2, 3, 4.
[t] Inter mœchos *Bod.* 4. Cum mœchis particulam *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. *Thu. Corb.*
[u] Conquisitor hujus mundi *Lam. NC.* 1.
[v] Stultam fecit sapientiam *Colt. Voss.* 3. Stultitiam fecit Deus *Bod.* 1.
[x] Quandoquidem sapientiam Dei non cognovit mundus per insipientiam suam; placuit Deo per stultitiam. *Lam. NC.* 1 *Bod.* 2. Per sapientiam suam *Colt.*
[y] Signa petunt *Bod.* 1. *Voss.* 3.
[z] Græci sapientiam quærunt *Colt. Voss.* 3.
[aa] Sæculo huic stultus fiat *Bod.* 1, 3, 4. *Voss.* 3.
[bb] Reprehendens *Lin. NC.* 1. Reprehendam *Morel.*
[cc] Sapientum hominum *Lam.*
[dd] Quia sunt vanæ *Bod.* 1.
[ee] Et matrem, quod *Bod.* 1, 2, 4.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

Verbum enim crucis. Vide Massuetum ad librum primum Irenæi, pag. 17.

Digitized by Google

primum in promissione [a], *ut bene sit tibi et sis longævus super terram* (*Ephes.* VI, 1, 7, 9). A

CAP. LXXI. — PATRES [b] QUOQUE ASPEROS ESSE CIRCA FILIOS NON OPORTERE.

Item illic : *Et vos* [c], *patres, nolite in iracundiam mittere* [d] *filios vestros, sed nutrite eos in disciplina* [e] *et correptione Domini* (*Eph.* VI, 4).

CAP. LXXII. — SERVOS, CUM CREDIDERINT, PLUS DOMINIS CARNALIBUS SERVIRE DEBERE.

In Epistola Pauli ad Ephesios : *Servi* [f], *obedite dominis carnalibus cum metu et tremore* [345] *et in simplicitate cordis vestri sicut Christo, non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed quasi servi Dei.* B (*Ephes.* VI, 5).

CAP. LXXIII. — ITEM DOMINOS MITIORES ESSE DEBERE.

Item illic [g] : *Et vos, domini, eadem facite ad eos, remittentes iracundiam* [h], *scientes quia et vester* [i] *et ipsorum Dominus est in cœlis, et exceptio personarum non est in illo* [j] (*Ephes.* VI, 4, 7, 8).

CAP. LXXIV. — VIDUAS PROBATAS QUASQUE HONORANDAS.

In Epistola Pauli ad Timotheum prima : *Viduas honora quæ vere sunt viduæ. Quæ autem delicata est vidua, vivens* [k] *mortua est* (I *Tim.* V, 3). Et iterum : *Juniores autem viduas præteri* [l]. *Cum enim* [m] *delicatæ fuerint, in Christo nubere volunt, habentes judicium,* C *quoniam primam fidem reprobaverunt* (I *Tim.* V, 11).

CAP. LXXV. — SUORUM, ET MAXIME FIDELIUM, CURAM PLUS UNUMQUEMQUE HABERE DEBERE.

Apostolus ad Timotheum prima : *Si quis autem suorum, et maxime domesticorum, non agit curam, fidem denegat, et est deterior infideli* (I *Tim.* V, 8). De hoc ipso apud Esaiam : *Si videris nudum, vesti, et domesticos seminis tui non despicias* [n] (*Isa.* LVIII, 7). De quibus domesticis in Evangelio dictum est : *Si patremfamilias dixerunt Beelzebub, quanto magis domesticos ejus* (*Matth.* X, 25) ?

CAP. LXXVI. — MAJOREM NATU NON TEMERE ACCUSANDUM.

Ad Timotheum prima : *Adversus majorem natu accusationem ne receperis* (I *Tim.* V, 19). D

CAP. LXXVII. — PECCANTEM PUBLICE OBJURGANDUM.

In Epistola Pauli ad Timotheum prima : *Peccantes coram omnibus corripe, ut et cæteri metum habeant* (I *Tim.* V, 20).

CAP. LXXVIII. — CUM HÆRETICIS NON LOQUENDUM.

Ad Titum : *Hæreticum hominem post unam correptionem devita, sciens quoniam perversus est hujusmodi et peccat, et est a semetipso damnatus* (*Tit.* III, 10, 11). De hoc ipso in Epistola Joannis : *Ex nobis exierunt, sed non fuerunt ex nobis. Si enim fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum* (I *Joan.* II, 19). Item ad Timotheum secunda : *Sermo eorum ut cancer serpit* (II *Tim.* II, 17).

CAP. LXXIX. — INNOCENTIAM FIDENTER PETERE ET IMPETRARE.

In Epistola Joannis : *Si cor nostrum nos non reprehendat, fiduciam habemus ad Deum, et quodcumque petierimus accipiemus ab eo* (I *Joan.* III, 21). Item in Evangelio cata Matthæum : *Beati* [o] *mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* V, 8). Item in Psalmo XXIII : *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus? Innocens manibus et mundo corde* [p] (*Ps.* XXIII, 3, 4).

CAP. LXXX. — NIHIL LICERE DIABOLO IN HOMINEM, NISI DEUS PERMISERIT.

In Evangelio cata Joannem dixit Jesus : *Nullam haberes potestatem adversus me, nisi data tibi esset desuper* (*Joan.* XIX, 11). Item in Basilion tertio : *Et excitavit Dominus Satanan ipsi Salomoni* (III *Reg.* XI, 23). Item in Job [q] prius Deus permisit, et tunc diabolo licuit (*Job* II, 6). Et in Evangelio Dominus [r] ante permisit, dicendo Judæ : *Quod facis fac celerius* [s] (*Joan.* XIII, 27). Item apud Salomonem in Proverbiis : *Cor regis in manu Dei* (*Prov.* XXI, 1).

CAP. LXXXI. — MERCEDEM MERCENARIO CITO REDDENDAM.

In Levitico : *Non dormiet merces mercenarii tui apud te usque in mane* [t] (*Levit.* XIX, 13).

CAP. LXXXII. — NON AUGURANDUM.

In Deuteronomio : *Non ominamini* [u], *neque auguremini* (*Deut.* XVIII, 10).

LECTIONES VARIANTES.

[a] Primum in repromissione *Lam. Lin. Bod.* 1, 2. *Voss.* 3.
[b] Parentes quoque *Bod.* 2, 4.
[c] Vos patres *Thu. Voss.* 3. *Corb.* Parentes *Oxon.*
[d] Iracundiam provocare *NC.* 1.
[e] Cum disciplina *Colt.* In disciplinam et correptionem *Lam. Bod.* 2 *NC.* 1. *Voss.* 3.
[f] Servi Christi *Lam. NC.* 1, 2. *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Voss.* 3.
[g] Item illic *desunt in impressis, quæ vocem illic transponunt. Restituo ex Lam. NC.* 1. *Voss.* 3. *Lin.*
[h] Remittentes iracundiam *Lam. Colt.*
[i] Et vestrum ipsorum *Voss.* 3.
[j] Non est apud illum *NC.* 2.
[k] Viva mortua est *Bod.* 1. 4, *Corb.*
[l] Adolescentes autem viduas devita *Colt.* Omitte *Voss.* 3.
[m] Delicatæ fuerint *Benev. Lam. NC.* 1. *Bod.* 1, 2, 3, 4. In deliciis fuerint *Voss.* 3.
[n] Despexeris *Bod.* 1. *Voss.* 3.
[o] Felices mundo *Lam. Thu. Corb. Lin. NC.* 1. *Bod.* 1, 2, 4.
[p] Mundus corde *Bod.* 4.
[q] In omnibus prius Deus *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2.
[r] Ante præmonuit *Bod.* 1.
[s] Fac velocius *Lam. NC.* 1. *Bod.* 4. *Colt.* Velociter *Lin.* Citius *NC.* 2. *Bod.* 3.
[t] Usque ad *Bod.* 2. Usque mane *Bod.* 1, 4. *Colt.*
[u] Ominaberis neque auguraberis *Colt.*

Digitized by Google

CAP. LXXXIII. — CIRRUM IN CAPITE NON HABENDUM[a].

In Levitico : *Non facietis cirrum ex coma capitis vestri* (*Levit.* XIX, 27).

CAP. LXXXIV. — NON VELLENDUM.

Non corrumpetis effigiem barbæ vestræ (*Levit.* XIX, 27).

CAP. LXXXV. — SURGENDUM CUM EPISCOPUS ET PRESBYTER VENIAT.

In Levitico : *A facie senioris exsurges, et honorabis personam* [b] *presbyteri* [c] (*Levit.* XIX, 32).

CAP. LXXXVI. — SCHISMA NON FACIENDUM, ETIAMSI IN UNA FIDE ET IN EADEM TRADITIONE PERMANEAT QUI RECEDIT.

In Ecclesiastico apud Salomonem : *Scindens ligna periclitabitur* [sic] *in eis, si exciderit ferrum* (*Eccli.* X, 9). Item in Exodo : *In domo una comedetur, non ejicietis de domo carnem foras* (*Exod.* XII, 46). Item in Psalmo CXXXII : *Ecce quam bonum et quam jucundum* [d] *habitare* [e] *fratres in unum* (*Ps.* CXXXII, 1)! Item in Evangelio cata Matthæum : *Qui non est mecum, adversus me est, et qui mecum non colligit spargit* [f] (*Matth.* XII, 30). Item in Epistola Pauli ad Corinthios prima : *Obsecro autem vos, fratres, per nomen Domini nostri Jesu Christi ut id ipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata, sitis autem compositi* [g] *in eodem sensu et in eadem sententia* (I *Cor.* I, 10). Item in Psalmo LXVII : *Deus, qui inhabitare facit unanimes* [h] *in domo* (*Ps.* LXVII, 6).

CAP. LXXXVII. — FIDELES SIMPLICES CUM PRUDENTIA ESSE DEBERE.

In Evangelio cata Matthæum : *Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ* (*Matth.* X, 16). Et iterum : *Vos estis sal terræ. Si autem sal infatuatum fuerit* [i], *in quo salietur? Ad nihil* [j] *valet, nisi ut projiciatur foras et conculcetur* [k] *ab hominibus* (*Matth.* V, 13).

CAP. LXXXVIII. — FRATREM NON CIRCUMVENIENDUM.

In Epistola Pauli ad Thessalonicenses prima : *Non circumvenire* [l] *in negotio fratrem suum, quia ultor* [m] *est Deus de his omnibus* (I *Thess.* IV, 6).

CAP. LXXXIX. — SUBITO VENIRE FINEM MUNDI.

Inquit Apostolus [n] : *Dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet* [o]. *Cum dixerint pax* [p] *et firmitas* [q], *tunc illis repentinus adveniet interitus* [r] (I *Thess.* V, 2). Item in Actibus Apostolorum : *Nemo potest cognoscere tempus aut tempora* [s] *quæ Pater posuit in sua potestate* (*Act.* I, 7).

CAP. XC. — UXOREM A VIRO NON RECEDERE, AUT SI RECESSERIT, INNUPTAM MANERE.

In Epistola Pauli ad Corinthios prima : *Iis autem quæ nupserunt præcipio, non ego, sed Dominus, uxorem a viro non separari* [t], *si autem recesserit* [u], *manere innuptam* [v], *aut reconciliari viro, et virum uxorem non dimittere* [x] (I *Cor.* VII, 10).

CAP. XCI. — TANTUM UNUMQUEMQUE TENTARI QUANTUM POTEST SUSTINERE.

In Epistola Pauli ad Corinthios prima : *Tentatio vos non occupabit* [y], *nisi humana. Fidelis autem Deus, qui non patietur vos tentari super quod* [z] *potestis, sed faciet cum tentatione etiam evadendi facultatem, ut possitis tolerare* (I *Cor.* XI, 3).

CAP. XCII. — NON QUICQUID LICET ESSE FACIENDUM.

Paulus in Epistola ad Corinthios prima : *Omnia licent, sed non omnia expediunt. Omnia licent, sed non omnia ædificant* (I *Cor.* VI, 11).

CAP. XCIII. — PRÆDICTUM QUOD HÆRESES FUTURÆ ESSENT.

In Epistola Pauli ad Corinthios prima : *Oportet et hæreses esse, ut probati manifesti sint in vobis* (I *Cor.* XI, 19).

CAP. XCIV. — CUM TIMORE ET HONORE EUCHARISTIAM ACCIPIENDAM.

In Levitico : *Anima autem quæcumque manducaverit ex carne sacrificii salutaris, quod est Domini, et immunditia ipsius super ipsum est, peribit anima illa de*

LECTIONES VARIANTES.

[a] Cirrum non habendum, *Sic Thu. Corb. Lam. NC.* 1, 2. *Lin. Bod.* 1, 2, 4. *Impressa addunt* in capite. In Levitico.
[b] Honorificabis personam *Cott.*
[c] Presbyteri tui *Bod.* 2.
[d] Ut quid bonum et voluptabile *Benev. Lin. Bod.* 4.
[e] Ut habitent *Bod.* 2, 4.
[f] Non colligit, dispergit *Lam. Bod.* 1, 2, 4. *NC.* 1, 2. Non congregat *Cott.*
[g] Sitis autem perfecti *Bod.* 1. *Voss.* 3.
[h] Unius moris in domo *Cott.*
[i] Sal evanuerit *Cott.*
[j] Ad nihilum *NC.* 2. Valet ultra *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2.
[k] Nisi projici foras et conculcari *Bod.* 4. *Thu. Corb. Voss.* 3.
[l] Noli circumvenire fratrem suum *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2, 4. Vide nequis circumveniret *Cott.*
[m] Vindex *Cott.*
[n] Finem mundi. In Evangelio *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. *Lin.*
[o] Diem autem illam et horam nemo scit, neque Angeli cœlorum, nisi Pater solus *addit Cott.*
[p] Dixerint homines pax *Bod.* 2.
[q] Et securitas *Bod.* 1.
[r] Superveniet interitus *Lam.*
[s] Momenta aut tempora *Cott.*
[t] Non discedere *Bod.* 2. *Cott.*
[u] Discesserit *Cott.*
[v] Innuptam permanere *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2.
[x] Vir uxorem non dimittat *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2.
[y] Occupavit. *Oxon.* Occupabit *Thu. Corb.* Apprehendit *Bod.* 1.
[z] Super id *Bod. Lam. NC.* 1.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

CAP. LXXXIII. — *Cirrum.* Isaacus Casaubonus in animadversionibus ad librum secundum Suetonii, ait hanc vocem græcam non esse, sed Alexandrinorum, ut alia multa in interpretatione Bibliorum græca, vel Cilicum Phasalitarum.

Digitized by Google

populo suo (*Levit.* VII, 20). Item ad Corinthios prima : *Quicumque ederit panem aut biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini* (I *Cor.* XI, 27).

CAP. XCV. — BONIS [a] CONVIVENDUM [b], MALOS AUTEM VITANDOS.

Apud Salomonem in Proverbiis : *Ne adduxeris impium in habitaculum justorum* (*Prov.* XXIV, 15). Item apud eumdem in Ecclesiastico : *Viri justi sint tibi convivæ* (*Eccli.* IX, 22). Et iterum : *Amicus fidelis medicamentum vitæ et immortalitatis* (*Ibid.* VI, 16). Item illic : *Longe abesto ab homine potestatem habente occidendi* [c], *et non suspicaberis timorem* (*Ibid.* IX, 13). Item illic : *Beatus* [d] *qui invenit amicum verum, et qui enarrat justitiam auri audienti* (*Ibid.* XXV, 12). Item illic : *Sepi aures tuas spinis, et noli audire linguam nequam* (*Ibid.*, XLVIII, 23). Item in Psalmo XVII : *Cum justo justificaberis* [e], *et cum viro innocente innocens eris, et cum perverso perversus eris* [f]. (*Ps.* XVII, 28). Item in Epistola Pauli ad Corinthios prima : *Corrumpunt ingenia bona confabulationes pessimæ* (I *Cor.* XV, 33).

[327] CAP. XCVI. — FACTIS, NON VERBIS, OPERANDUM.

Apud Salomonem in Ecclesiastico : *Noli citatus esse in lingua tua, et inutilis et remissus in operibus tuis* (*Eccli.* IV, 34). Et Paulus ad Corinthios prima : *Non in sermone est regnum Dei, sed in virtute* (1 *Cor.* IV, 20). Item ad Romanos : *Non auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur* (*Rom* II, 13). Item in Evangelio cata Matthæum : *Qui fecerit et sic docuerit, maximus vocabitur in regno cælorum* (*Matth.* V, 19). Item illic : *Omnis qui audit verba mea et facit ea, similabo eum viro sapienti qui ædificavit domum suam super petram. Descendit pluvia* [g], *venerunt flumina, flaverunt venti et impegerunt in domum illam, et non cecidit. Fundata enim fuit super petram. Et omnis qui audit verba mea, et non facit* [h] *ea, similabo eum viro stulto qui ædificavit domum suam super arenam. Descendit pluvia, venerunt flumina, flaverunt venti et impegerunt in domum illam, et cecidit, et facta est ruina ejus magna* (*Matth.* VII, 24-27).

CAP. XCVII. — ET AD FIDEM ET AD CONSECUTIONEM PROPERANDUM.

Apud Salomonem in Ecclesiastico : *Ne tardes converti ad Deum, et ne differas* [i] *de die in diem. Subito enim venit ira illius* [j] (*Eccles.* V, 8).

CAP. XCVIII. — CATECUMINUM PECCARE JAM NON DEBERE.

In Epistola Pauli ad Romanos : *Faciamus mala dum veniunt bona* [k], *quorum condemnatio justa est* (*Rom.* III, 8).

CAP. XCIX. — JUDICIUM SECUNDUM TEMPORA FUTURUM, VEL ÆQUITATIS ANTE LEGEM, VEL LEGIS POST MOYSEN.

Paulus ad Romanos : *Quotquot sine lege peccaverunt, sine lege* [l] *peribunt ; et quotquot in lege peccaverunt per legem et judicabuntur* (*Rom.* II, 12.).

CAP. C. GRATIAM DEI GRATUITAM ESSE DEBERE.

In Actibus Apostolorum : *Pecunia tua* [m] *tecum sit in perditione, quia existimasti* [n] *gratiam Dei per pecuniam possideri* [o] (*Act.* VIII, 20). Item in Evangelio : *Gratis* [p] *accepistis, gratis date* (*Matth.* X, 3). Item illic : *Domum Patris mei domum fecistis negotiationis, et domum orationis vos fecistis speluncam latronum* (*Joan.* II, 16) Item apud Esaiam : *Qui sititis, vadite ad aquam ; et quotquot non habetis pecuniam, euntes emite, et bibite* [q] *sine pecunia* (*Isa.* LV, 1). Item in Apocalypsi : *Ego* α *et* ω, *initium et finis. Ego sitienti dabo de fonte aquæ vitæ gratis. Qui vicerit, possidebit ea* [r] *et eorum hæreditatem; et ero ejus Deus, et ille erit mihi filius* [s] (*Apoc.* XXI, 6).

CAP. CI. — SPIRITUM SANCTUM IN IGNE FREQUENTER APPARUISSE.

In Exodo : *Et mons Sina fumabat* [t] *totus, quoniam descenderat Deus in eum in igne* (*Exod.* XIX, 18). Item in Actibus Apostolorum : *Et factus est subito de cælo sonus quasi ferretur flatus vehemens, et implevit totum illum locum in quo erant sedentes* [u]. *Et visæ sunt illis linguæ divisæ quasi ignis, qui et insedit in unumquemque illorum ; et impleti sunt omnes Spiritu sancto* (*Act.* II, 2). Item in sacrificiis quæcumque accepta habebat Deus, descendebat ignis de cœlo qui sacrificata consumeret (I *Reg.* XVIII, 33). In Exodo : *In flamma ignis apparuit Angelus Domini de rubo* (*Exod.* III, 2).

CAP. CII. — CORREPTIONEM BONOS QUOSQUE [v] LIBENTER AUDIRE DEBERE.

Apud Salomonem in Proverbiis : *Qui corripit impium, odietur ab eo. Corripe sapientem, et diliget te* [x] (*Prov.* IX, 8).

LECTIONES VARIANTES.

[a] Cum bonis *Lam. NC.* 1. *Voss.* 3.
[b] Conveniendum *Mor. Man.*
[c] Occidendi. Item illic *Lam. Bod.* 1, 2, 4. *Thu. Corb.*
[d] Felix qui invenit *Bod.* 4. *Thu.*
[e] Cum electo electus eris *Lin. Cott.*
[f] Perverteris *Lin.*
[g] Ascenderunt venti *Cott.* Descenderunt pluviæ *Lam. NC.* 1. *Bod.* 1.
[h] Non faciat *Oxon.* Non facit *Lam. Lin. NC.* 1. *Voss.* 3.
[i] Differas diem in diem *Lam. Lin. NC.* 1.
[j] Ira illius, et in tempore vindictæ disperdet te *Lin. Cott.*
[k] Mala, ut veniant nobis bona *Lam. NC.* 1.
[l] Quotquot inique peccaverunt, inique *Lam. Lin. NC.* 1, 2. *Bod.* 1, 2, 4. *Voss.* 3.
[m] Tecum sit in interitum *Bod.* 1. *Voss.* 3.
[n] Qui æstimasti *Cott.* Existimasti te *Lam. NC.* 1.
[o] Possidere *Lam NC.* 1.
[p] Quod gratis accepistis *Cott. Bod.* 3.
[q] Emite et edite *Cott.*
[r] Possidebit hæc *Cott.*
[s] In filium *Bod.* 3.
[t] Fumigabat totus *Cott.*
[u] Sedentes Apostoli *Lam. Bod.* 2. *NC.* 1.
[v] Bonos quoque *Bod.* 1, 3, 4. *Cott.*
[x] Et diliget te. Item in Psalmis : Corripiet me justus et increpabit me in misericordia sua *Bod.* 3.

Digitized by Google

CAP. CIII. — A MULTILOQUENTIA [a] TEMPERANDUM.

Apud Salomonem : *Ex multiloquentia non effugies peccatum, parcens autem labiis sensatus eris* (*Prov.* x, 19).

CAP. CIV. — NON MENTIENDUM.

[b] *Abominatio est Domino* [c] *labia mendacia* (*Prov.* xii, 22).

CAP. CV.— FREQUENTER EMENDANDOS QUI DELINQUUNT IN DOMESTICO MINISTERIO.

In Salomone : *Qui parcit baculo* [d], *odit filium* (*Prov.* xiii, 24). Et iterum : *Ne destiteris* [e] *parvulum emendando* (*Prov.* xix, 12).

CAP. CVI.—INJURIA ACCEPTA, PATIENTIAM TENENDAM, ET ULTIONEM DEO RELINQUENDAM [f].

[316] *Ne dixeris, Ulciscar me de inimico meo, sed sustine Dominum ut tibi auxilio sit* (*Deut.* xxxii, 35). Item alibi : *Mihi vindictam, ego retribuam, dicit Dominus* (*Rom.* xii, 19). Item apud Sophoniam : *Exspecta me, dicit Dominus, in die resurrectionis meæ in testimonium, quoniam judicium meum ad congregationes gentium, ut excipiam reges et effundam super eos iram meam* (*Soph.* iii, 8).

CAP. CVII. — NON DETRAHENDUM.

Apud Salomonem in Proverbiis : *Noli diligere detrahere, ne extollaris* [g] (*Prov.* xvii, 9). Item in Psalmo xlix : *Sedens adversus fratrem tuum detrahebas, et adversus filium matris tuæ ponebas scandalum* (*Ps.* xlix, 21). Item in Epistola Pauli ad Colossenses [h] : *De nullo male loqui, nec litigiosos esse* (*Tit.* iii, 2).

CAP. CVIII. — NON ESSE PROXIMO INSIDIANDUM.

Apud Salomonem in Proverbiis : *Qui fodit foveam proximo suo, ipse incidet in eam* (*Prov.* xxvi, 27).

CAP. CIX. — INFIRMOS VISITANDOS.

Apud Salomonem in Ecclesiastico : *Ne pigriteris visitare infirmum. Ex his enim in dilectione firmaberis* (*Eccli.* vi, 39). Item in Evangelio : *Infirmus fui, et* [i] *visitastis me; in carcere fui, et venistis ad me* (*Matth.* xxv, 36).

CAP. CX. — SUSURRONES MALEDICTOS ESSE.

In Ecclesiastico apud Salomonem : *Susurro et bilinguis maledictus* [j]. *Multos* [k] *enim turbabit pacem habentes* (*Eccli.* xxviii, 15).

CAP. CXI.—SACRIFICIA MALORUM ACCEPTALIA [l] NON ESSE.

Apud eumdem : *Dona iniquorum non probat* [m] *Altissimus* (*Eccli.* xxxiv, 23).

CAP. CXII. — GRAVIUS JUDICARI DE HIS QUI IN SÆCULO PLUS HABUERUNT POTESTATIS.

Apud Salomonem : *Judicium durissimum in his qui præsunt* [n] *fiet. Exiguo enim conceditur misericordia, potentes autem potenter tormenta patientur* (*Sap.* vi, 6). Item in Psalmo secundo : *Et nunc, reges, intelligite, emendamini* [o] *qui judicatis terram* (*Ps.* ii, 10).

CAP. CXIII. — VIDUAM ET PUPILLOS PROTEGI OPORTERE.

Apud Salomonem : *Esto pupillis misericors ut pater, et pro viro matri illorum; et eris velut filius Altissimi* [p], *si obedieris* (*Eccli.*, iv, 18). Item in Exodo : *Omnem viduam et orphanum non vexabitis. Si autem vexaveritis eos* [q], *et vociferantes exclamaverint ad me, exaudiam exclamationes eorum, et irascar animo in vobis, et perimam vos gladio; et erunt conjuges vestræ viduæ, et filii vestri orphani* (*Exod.* xxii, 22). Item apud Esaiam : *Judicate pupillo* [r], *et justificate viduam, et venite, disputemus, dicit Dominus* (*Isa.* i, 17). Item apud Job : *Conservavi egenum de manu potentis, et pupillo cui non erat adjutor auxiliatus sum. Os viduæ benedixit me* (*Job.* xxix, 12). Item in Psalmo lxvii : *Patris orphanorum et judicis viduarum* (*Ps.* lxvii, 5).

CAP. CXIV.— DUM IN CARNE EST QUIS, EXOMOLOGESIN FACERE DEBERE.

In Psalmo quinto : *Apud inferos autem quis confitebitur tibi* (*Ps.* vi, 6) ? Item in Psalmo xxix : *Numquid exomologesin* [s] *faciet tibi pulvis* (*Ps.* xxix, 12) ? Item alibi exomologesin faciendam : *Malo pœnitentiam peccatoris quam mortem* [t] (*Ezech.* xxxiii, 11). Item apud Hieremiam : *Hæc dicit Dominus : Numquid qui cadit non surget* [u], *aut qui avertitur non convertetur* (*Hier.* viii, 4) ?

CAP. — CXV. ADULATIONEM PERNICIOSAM ESSE.

Apud Esaiam : *Qui vos felices dicunt, in errorem vos mittunt, et semitas pedum vestrorum turbant* [v] (*Isa.* iii, 12).

CAP. CXVI. — PLUS AB EO DILIGI DEUM, CUI IN BAPTISMO PLURA PECCATA DIMITTUNTUR.

In Evangelio cata Lucam : *Cui plus dimittitur, plus*

LECTIONES VARIANTES.

[a] A multiloquio *Cott.*
[b] Apud Solomonem. *Sic Lam. NC.* 1 *et Bod.* 2. *Deest in Impr.*
[c] Labia mendacia. Item : os quod mentitur occidit animam *Cott.* Item illic : Noli velle mentiri omne mendacium, assiduitas illius non bona *Lin.*
[d] Parcit virgæ *Cott.* Baculo suo *Bod.* 1, 4.
[e] Destitueris parvulum *Lam. Lin. NC.* 2.
[f] Ultionem relinquendam. Apud Solomonem : Ne dixeris reddam malum, sed exspecta Dominum et salvabit te *Cott.* Exspecta Dominum *Lam. Bod.* 2. *Lin. NC.* 1.
[g] Detrahere, ne eradiceris *Bod.* 3. *NC.* 1. *Cott.*
[h] Ad titum *Oxon.*
[i] Visitastis me ; nudus fui, et vestistis me *Lin.*
[j] Maledictus in plebe *Sir.*
[k] Multos enim tribulant *Cott.*
[l] Accepta non esse *Bod.* 1, 2, 4. *Lam.*
[m] Reprobat *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. *Cott.*
[n] In his qui præstant *Lam. NC.* 1.
[o] Erudimini qui judicatis *NC. Lin.*
[p] Et filius Altissimi eris *Bod.* 1.
[q] Vexabitis *Bod.* 1, 2, 4. Nocueritis *Cott.*
[r] Judicate pupillum *Cott.*
[s] Numquid confitebitur *Bod.* 1.
[t] Exomologesin malo peccatoris, et pœnitentiam quam mortem *Ver. Mon.*
[u] Non adjiciet ut resurgat *Cott.*
[v] Vestrorum conturbant *Lam. NC.* 2. *Bod.* 2, 3.

Digitized by Google

diligit; et cui minus [a] *dimittitur, modicum diligit* (*Luc.* VI, 47).

CAP. CXVII. — FORTEM CONGRESSIONEM ESSE ADVERSUS DIABOLUM, ET IDEO FORTITER NOS STARE DEBERE, UT POSSIMUS VINCERE.

In Epistola Pauli ad Ephesios : *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus potestates et principes hujus mundi et harum tenebrarum* [b], *adversus spiritalia nequitiæ in cœlestibus. Propter hoc induite arma* [c] *Dei, ut possitis resistere* [d] *in die nequissimo, ut, cum omnia perfeceritis, stetis accincti lumbos vestros in veritate Evangelii, induentes* [e] *loricam justitiæ, et calciati pedes in præparatione Evangelii pacis, in omnibus* [f] *assumentes scutum fidei, in quo possitis omnia ignea jacula* [g] *nequissimi extinguere, et galeam salutis assumere et gladium spiritus, qui est* [h] *verbum Dei* [i] (*Eph.* VI, 12-17).

CAP. CXVIII. — ITEM, DE ANTICHRISTO, QUOD IN HOMINEM [j] VENIAT [k].

Apud Esaiam : *Hic homo qui concitat terram* [l], *commovet reges, qui ponit orbem terræ totum desertum* (*Isa.* XIV, 16, 17).

CAP. CXIX. — GRAVE FUISSE JUGUM LEGIS, QUOD A NOBIS ABJECTUM EST, ET LEVE ESSE JUGUM DOMINI, QUOD A NOBIS SUSCEPTUM EST.

In Psalmo secundo : *Ad quid tumultuatæ sunt* [m] *gentes, et populi meditati sunt inania ? Adstiterunt reges terræ, et principes congregati sunt* [n] *in unum adversus Dominum et adversus Christum ejus. Dirumpamus vincula eorum, et projiciamus* [o] *a nobis jugum eorum* (*Ps.* II, 1). Item in Evangelio cata Matthæum : *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego vos requiescere faciam* [p]. *Tollite jugum meum super vos, et discite a me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum bonum est* [q], *et onus meum leve* [r] *est* (*Matth.* XI, 8). Item in Actibus Apostolorum : *Visum est sancto Spiritui et nobis nullam vobis imponere sarcinam quam ista quæ ex necessitate sunt, abstinere vos ab idolothytis et sanguinis effusione* [s] *et fornicatione. Et quæcumque vobis fieri non vultis, aliis ne feceritis* [t] (*Act.* XV, 8).

CAP. CXX. — ORATIONIBUS INSISTENDUM.

In Epistola Pauli ad Colossenses : *Instate orationi, vigilantes in ea* (*Coloss.* IV, 2). Item in Psalmo primo : *Sed in lege* [u] *Domini voluntas ejus, et in lege ejus meditabitur die ac nocte* [v] (*Ps.* I, 2).

LECTIONES VARIANTES.

[a] Pusillum dimittitur *Lam. NC.* 1. *Lin. Bod.* 1, 2. *Thu Ben. Ver.*
[b] Mundi, rectores tenebrarum harum *Cott.*
[c] Induite tota arma *Lam. Lin. Bod.* 1, 2, 4. *NC.* 1. *Ben.*
[d] Possitis persistere *Lam. Bod.* 2 *NC.* 1.
[e] Veritate, induentes *Lam. Lin. NC.* 1. *Bod.* 2.
[f] Evangelii; in omnibus *Ver.*
[g] Ignita jacula *Lam. Lin. Bod.* 1, 2, 4. *Benev. Ver. Thu.*
[h] Galeam salvationis *Bod.* 1, 2. 4. *Lam.*
[i] Sermo Dei *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Thu. Corb. Lam.*
[j] Homine *Oxon. Lam. Lin NC.* 1. *et Bod.* 1, 2, 4. *Impr.* Hominem. Homine invenietur *Cott.*
[k] Veniat. Paulus ad Thessalonicenses : Cum revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis *Cott.*
[l] Terram et commovet *Bod.* 2.
[m] Quare fremuerunt *Bod.* 5. *Cott.*
[n] Principes convenerunt *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2, 3. Collecti sunt *Bod.* 1. 4. Convenerunt in unum *Cott.*
[o] Abjicianus *Ver. Bod.* 4.
[p] Reficiam *Lam. Lin. Bod* 1, 2.
[q] Suave est *Lam. NC.* 1. *Bod.* 1, 2, 3. *Cott.*
[r] Sarcina mea levis *Bod.* 1. *Thu. Corb.*
[s] Et sanguine et *Bod.* 1, 2. 4. *Thu. Corb. Benev. Ver.* Et suffocatione *Cott.*
[t] Nec feceritis *Cott.*
[u] Beatus qui non abiit in consilio impiorum et in via peccatorum non stetit, et in cathedra pestilentiæ non sedit, sed in lege Domini *Cott.*
[v] Item apud Salomonem : Ne impediaris orare semper, ac non cesses usque ad mortem justificari, quoniam merces Domini manet in æternum, *addit Oxon. è 4 codd. Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. *Cott.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

CAP. CXIX. — *Et invenietis.* Ista et quæ deinceps ad finem libri, desunt in codice sequuntur usque Gratianopolitano.

---

[a] LIBER

DE SPECTACULIS.

ARGUMENTUM. — *Agit primum auctor adversus illos qui spectacula gentilium publica Scripturarum auctoritate vindicare nitebantur, et quamquam nusquam dissertis Scripturæ verbis prohibita sint, damnata tamen idololatriæ interdicto hinc probat, quod nullum non spectaculi genus idolis consecratum sit. Deinde, per*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

[a] DE SPECTACULIS. — Prima libri istius editio prodiit ex officina Pauli Manutii. Rarissima sunt vetera illius exemplaria. Morellius, Goulartius et Rigaltius nullum habuerunt, neque Angli : ego habui duo, unum ex bibliotheca monasterii sancti Dionysii Remensis, aliud quod fuit olim collegii Fuxensis, ex Colbertina. Horum librorum auctoritate emendavi hunc librum, nihil addens de meo neque mutans. Variæ autem sunt virorum eruditorum opiniones de ejus auctore. Quidam illum decretorio judicio abjudicant Cypriano ; contra, plures viri docti et eruditi, nimirum illustrissimus cardinalis Baronius, Jacobus Pamelius, Petrus Faber Sanjorianus, Jacobus Sirmondus, Desiderius Heraldus, ac fortasse alii, illum citant tanquam genuinum

Digitized by Google

singula ludorum genera, quæ sint in spectando pericula, paulo latius quam Epistola secunda ad Donatum prosequitur, et præsertim eorum quibus obscœnitatis, inquit, magisterium traditur simulacris libidinis.» Postremo spectaculo Christiano homine digna, quibus merito oblectare se debeat, paucis recenset. Imitatus haud dubie librum Tertullianei de Spectaculis, quem alicubi et græce et latine se scripsisse ille indicat, tam refertum iis omnibus quæ ad hoc institutum faciunt, ut commentarii loco esse possit dum de spectaculorum diversitate agendum est.

I. Cyprianus plebi in Evangelio stanti salutem. Ut me satis contristat et animum meum graviter affligit cum nulla mihi scribendi ad vos porrigitur occasio, detrimentum est enim meum vobiscum non colloqui, ita nihil mihi tantam lætitiam hilaritatemque restituit quam cum adest rursus occasio. Vobiscum me esse arbitror cum vobis per litteras loquor. Quamquam igitur ita se hæc habere quæ dico certos vos esse sciam nec quicquam de verborum meorum veritate dubitare, tamen etiam argumentum sinceritatem rei asserit. Nam, cum nulla prorsus præteritur occasio, probatur affectio. Quamvis ergo certus sim vos non minus esse in vitæ actu graves quam in sacramento fideles, tamen, quoniam non desunt vitiorum assertores blandi et indulgentes patroni qui præstant vitiis auctoritatem et, quod est deterius, censuram Scriptorarum cœlestium in advocationem criminum convertunt, quasi sicut innocens spectaculorum ad remissionem animi appetatur voluptas : nam et eo usque enervatus est ecclesiasticæ disciplinæ vigor et ita omni languore vitiorum præcipitatur in pejus, ut jam non vitiis excusatio sed auctoritas detur, placuit paucis vos nunc non instruere, sed instructos admonere, ne, quia male sunt vincta vulnera, sanitatis obductæ perrumpant cicatricem. Nullum enim malum difficilius extinguitur quam quod faciles reditus habet, dum et multitudinis consensu asseritur, et excusatione blanditur.

II. Non pudet, non pudet, inquam, fideles homines et christiani sibi nominis auctoritatem vindicantes, superstitiones vanas gentilium cum spectaculis mixtas de Scripturis cœlestibus vindicare et divinam auctoritatem idololatriæ conferre. Nam, quomodo id quod in honore alicujus idoli ab ethnicis agitur a fidelibus Christianis spectaculo frequentatur, et idololatria gentilis asseritur, et in contumeliam Dei religio vera et divina calcatur ? Pudor me tenet præscriptiones eorum in hac causa et patrocinia referre. Ubi, inquiunt, scripta sunt ista, ubi prohibita? Alioquin et auriga est Israel Helias, et ante arcam David ipse saltavit. Nabla, cynares, æra, tympana, tibias, citharas, choros legimus. Apostolus quoque dimicans cestus et colluctationis nostræ adversus spiritalia nequitiæ proponit certamen. Rursus, cum de stadio sumit exempla, coronæ quoque collocat præmia. Cur ergo homini Christiano fideli non liceat spectare quod licuit divinis Litteris scribere? Hoc in loco non immerito dixerim longe melius fuisse istis nullas Litteras nosse quam sic Litteras legere. Verba enim et exempla quæ ad exhortationem evangelicæ virtutis posita sunt, ad vitiorum patrocinia transferuntur; quoniam non ut spectarentur ista scripta sunt, sed ut animis nostris instantia major excitaretur in rebus profuturis, dum tanta est apud ethnicos in rebus non profuturis.

III. Argumentum est ergo excitandæ [sic] virtutis, non permissio sive libertas spectandi gentilis erroris, ut per hoc animus plus accendatur ad evangelicam virtutem propter divina præmia cum per omnium laborum et dolorum calamitatem concedatur pervenire ad æterna compendia. Nam quod Helias auriga est Israelis non patrocinatur spectandis circensibus : in nullo enim is circo cucurrit. Et quod David in conspectu Dei choros egit nihil adjuvat in theatro sedentes Christianos fideles : nulla enim obscœnis motibus membra distorquens desaltavit græcæ libidinis fabulam. Nabulæ, cynaræ, tibiæ, tympana, citharæ Domino servierunt, non idolis. Non igitur præscribatur ut spectentur illicita ; a diabolo artifice ex sanctis in illicita mutata sunt. Præscribat igitur istis pudor, etiamsi non possunt sanctæ Litteræ. Quædam enim Scriptura magis providet in præcipiendo. Verecundiam passa, plus interdixit, quia tacuit. Veritas, si ad hæc usque descenderet, pessime de fidelibus suis sensisset. Nam et plerumque in præceptis quædam utilius tacentur : admonent sæpe dum interdicuntur. Ita etiam tacentur dum in Litteris scripta sunt, et præceptorum loco severitas loquitur, et ratio docet quæ Scriptura conticuit. Secum tantummodo unusquisque deliberet, et cum persona professionis suæ loquatur, et nihil umquam indecorum geret. Plus enim ponderis habebit conscientia quæ nulli se alteri debebit nisi sibi.

IV. Quid Scriptura interdixit ? Prohibuit enim spectari quod prohibet geri. Omnia, inquam, ista spectaculorum genera damnavit quando idololatriam sus-

STEPH. BALUZII NOTÆ.

Cypriani factum, etiam illustrissimus cardinalis Bellarminus videtur existimasse esse Cypriani. Ego, in ea opinionum diversitate nemini præjudicans, arbitratus sum non esse temere sejungendum a legitimis sancti Martyris operibus, præsertim cum observatum a nonnullis sit non ita discrepare a stylo ejus, ut quidam existimarunt.

I.— *Plebi in Evangelio stanti.* Sic liber Novatiani *de cibis Judaicis*, si vera est inscriptio, inscriptus est: *Plebi in Evangelio perstanti.*

Scribendi occasio. Plures sunt sancti Martyris Epistolæ eodem sensu scriptæ.

Vitæ actu. Codex Fuxensis, *justis actibus.*

Vitiis. Idem codex, *flagitiis.*

Sicut innocens. Veteres libri, *sine culpa innocens.*

II. — *De Scripturis cœlestibus.* Eodem modo tractat hoc argumentum magister Cypriani Tertullianus in libro suo *de Spectaculis.*

Nabla. Vide Hospinianum, lib. II *de Templis*, cap. 23, pag. 309.

Digitized by Google

tulit, ludorum omnium matrem, unde hæc vanitatis et levitatis monstra venerunt. Quod enim spectaculum sine idolo? quis ludus sine sacrificio? quod certamen non consecratum mortuo? Quid inter hæc Christianus fidelis facit? Si idololatriam fugit, quid qui jam sanctus sit de rebus criminosis voluptatem capit? Quid contra Deum superstitiones probat, quas amat dum spectat? Cæterum, sciat omnia hæc inventa dæmoniorum esse, non Dei. Impudenter in Ecclesia dæmonia exorcizat quorum voluptates in spectaculis laudat; et cum semel illi renuntians, rescissa sit res omnis in Baptismate, dum post Christum ad diaboli spectaculum vadit, Christo tamquam diabolo renuntiat. Idololatria, ut jam dixi, ludorum omnium mater est; quæ ut ad se Christiani fideles veniant, blanditur illis per oculorum et aurium voluptatem. Romulus Conso, quasi consilii deo, ob rapiendas Sabinas circenses, primus consecravit. Cæterum reliqui, dum Urbem fames occupasset, ad avocationem populi acquisiti sunt ludi scenici, Cereri et Libero dicati postmodum reliquisque idolis et mortuis. Græca illa certamina vel in cantibus, vel in fidibus, vel in vocibus, vel in viribus præsides suos habent varia dæmonia; et quicquid est aliud quod spectantium aut oculos movet aut delinit aures, si cum origine sua et institutione quæratur, causam præfert aut idolum aut dæmonium aut mortuum. Ita diabolus artifex, quia idololatriam per se nudam sciebat horreri, spectaculis miscuit, ut per voluptatem posset amari.

V. Plura prosequi quid est necesse, vel sacrificiorum in ludis genera monstruosa describere, inter quæ nonnumquam et homo fit hostia latrocinio sacerdotis, dum cruor etiam de jugulo calidus exceptus spumanti patera, dum adhuc fervet, et quasi sitienti idolo in faciem jactatus crudeliter propinatur, et inter voluptates spectantium quorumdam mors erogatur, ut per cruentum spectaculum sævire discatur, quasi parum sit homini privata sua rabies, nisi illam [act] et publice discat. In pœnam hominis fera rabida nutritur in deliciis, ut sub spectantium oculis crudelius insaniat. Erudit artifex belluam, quæ clementior fortasse fuisset si non illam magister crudelior sævire docuisset. Ergo, ut taceam quicquid latius idololatria probat, quam vana sunt ipsa certamina, lites in coloribus, contentiones in cursibus, favores in honoribus, gaudere quod equus velocior fuerit, mœrere quod pigrior, annos pecoris computare, consules nosse, ætates discere, prosapiam designare, avos ipsos atavosque commemorare! Quam hoc totum otiosum negotium, immo quam turpe et ignominiosum, hunc, inquam, memoriter totam equini generis sobolem computantem et sine offensa spectaculi cum magna velocitate referentem! Parentes Christi, si præroges, nescit, ut infelicius sit et scire. Quod si rursum prærogem quo ad aliquod spectaculum nescit, aut infelicior, si scit. Quod si rursum prærogem quo ad aliquod spectaculum itinere pervenerit, confitebitur per luparum, per prostitutarum nuda corpora, per publicam libidinem, per dedecus publicum, per vulgarem lasciviam, per communem omnium contumeliam. Cui ut non objiciam quod fortasse commisit, vidit tamen quod committendum non fuit, et oculos ad idololatriæ spectaculum per libidinem duxit, ausus secum sanctum in lupanar ducere, si potuisset; qui festinans ad spectaculum, dimissus e Dominico et adhuc gerens secum, ut assolet, Eucharistiam, inter corpora obscœna meretricum Christi sanctum corpus infidelis iste circumtulit, plus damnationis meritus de itinere quam de spectaculi voluptate.

VI. Sed, ut de hoc scenæ inquinamento inverecundo jam transitum faciam, pudet referre quæ dicuntur, pudet etiam accusare quæ fiunt, argumentorum strophas, adulterorum fallacias, mulierum impudicitias, scurriles jocos, parasitos sordidos, ipsos quoque patresfamilias togatos modo stupidos, modo obscœnos, in omnibus stolidos, in omnibus inverecundos. Et cum nulli hominum aut generi aut professioni ab improborum istorum sermone parcatur, ab omnibus tamen ad spectaculum convenitur. Commune dedecus delectat, videre vel recognoscere otia vel discere. Concurritur illic ad pudorem publicum lupanaris, ad obscœnitatis magisterium, ne quid secreto minus agatur quam quod in publico discitur; et inter ipsas leges docetur quidquid legibus interdicitur. Quid inter hæc Christianus fidelis facit cui vitia non licet nec cogitare? quid oblectatur simulacris libidinis, ut in ipsis deposita verecundia audacior fiat ad crimina? Discit et facere dum consuescit videre. Illæ tamen quas infelicitas sua ad servitutem inseruit et prostravit, libidines publicas occultant, et dedecus suum de latebris consolantur. Erubescunt videri etiam quæ pudorem vendiderunt. At istud pu-

STEPH. BALUZII NOTÆ.

IV. — *Ludorum omnium matrem.* Vide Ovidium lib. v *Fastorum*, et Petrum Fabrum Sanjorianum lib. IV *Agonisticon*, cap. 3, ubi fuse ista explicat. Vide etiam librum Tertulliani *de Spectaculis*.

Romulus Conso. Vide supra pag. 569.

Cantibus Codex Fuxensis, *fletibus*. Quæ postea sequuntur, Faber cap. 4 fere putat esse ex glossemate.

V. — *Parentes Christi.* Ita codex Fuxensis. Alius et editio Manutii, *partes*, errore manifesto : comparatio est inter genealogiam equi et genealogiam Christi; scit iste Christianus genealogiam equi, nescit genealogiam Christi. Turpe et miserabile.

Secum sanctum. Codex Fuxensis, *secum corpus quod est sanctum*. Codex Remensis et editiones, *secum Spiritum sanctum*.

Dimissus e Dominico. Codex ex quo liber iste editus est a Manutio, non habebat *e Dominico*, et propterea appositus est in illa editione asteriscus, ut intelligi daretur aliquid huic deesse. Pamelius laudat manuscriptum in quo scriptum erat *dimissus e Dominico*, ut in codice Remensi; Fuxensis habet *amisso Dominico*, per errorem librarii.

Gerens Eucharistiam. Vide supra, pag. 461, et quæ notata sunt ad librum *de Bono Patientiæ*.

Christi sanctum. Emendatum ex libro Fuxensi.

VI. — *Argumentorum strophas.* Ita veteres libri. Antea legebatur *agentium strophas*, nullo sensu. Vide Lexicon Martinii et Etymologicon linguæ Latinæ Gerardi Joannis Vossii.

Inter ipsas leges. Vide supra pag. 381.

Digitized by Google

blicum monstrum omnibus videntibus geritur, et prostitutarum transitur obscœnitas. Quæsitum est quomodo adulterium oculis admitteretur. Huic dedecori condignum dedecus superducitur. Homo fractus omnibus membris, et vir ultra muliebrem mollitiem dissolutus, cui ars sit verba manibus expedire; et propter unum nescio quem nec virum nec feminam, commovetur civitas tota, ut desaltentur fabulosæ antiquitatum libidines. Ita amatur quidquid non licet, ut quæ etiam ætas absconderat, sub oculorum memoriam reducantur.

VII. Non est libidini satis malis suis uti præsentibus, nisi suum de spectaculo faciat in quo etiam superior ætas erraverat. Non licet [808], inquam, adesse Christianis fidelibus, non licet omnino, nec illis quos ad delinimenta aurium ad omnes ubique Græcia instructos suis vanis artibus mittit. Clangores tubæ bellicos alter imitatur raucos, alter lugubres sonos spiritu tibiam inflante moderatur, alter, cum choris et cum hominis canora voce contendens spiritu suo, quem de visceribus suis in superiora corporis nitens hauserat, tibiarum foraminibus modulatur; nunc effuso, et nunc intus occluso atque in aerem pro certis foraminum meatibus emisso, nunc in articulo sonum frangens, loqui digitis elaborat, ingratus artifici qui linguam dedit. Quid loquar comicas et inutiles curas? quid illas magnas tragicæ vocis insanias? quid nervos cum clamore commissos? Hæc etiamsi non essent simulacris dicata, adeunda tamen et spectanda non essent Christianis fidelibus; quoniam, etsi non haberent crimen, habent in se maximam et parum congruentem fidelibus vanitatem.

VIII. Nam illa altera reliquorum dementia est manifesta otiosis hominibus negotiatio; et prima victoria est ut ultra modum humanum venter esurire potuisse super titulo coronatæ edacitatis flagitiosæ nundinæ; ictibus vulnerum infelix facies locatur, ut infelicior venter saginetur. Quam fœda præterea ista luctamina, vir infra virum jacens amplexibus inhonestis et nexibus implicatur! In tali certamine viderit vel vincat, pudor tamen victus est. Ecce tibi alter nudus salit, alter orbem æreum contentis in aerem viribus jactat. Hæc gloria non est, sed dementia. Denique remove spectatorem, reddideris vanitatem. Fugienda sunt ista a Christianis fidelibus, ut jam frequenter diximus, tam vana, tam perniciosa, tam sacrilega spectacula, a quibus et oculi nostri et aures essent custodiendæ. Cito in hoc assuescimus quod audimus, quod videmus. Nam, cum mens hominis ad vitia ipsa ducatur, quid faciet, si habuerit exempla naturæ corporis lubrica quæ sponte corruit? quid faciet, si fuerit impulsa? Avocandus est igitur animus ab istis.

IX. Habet Christianus spectacula meliora, si velit; habet veras et profuturas voluptates, si se recognoverit. Et, ut omittam illa quæ nondum contemplari possunt, habet istam mundi pulchritudinem, quam videat atque miretur, solis ortum aspiciat, rursus occasum mutuis vicibus dies noctesque revocantem, globum lunæ temporum cursus incrementis suis decrementisque signantem, astrorum micantium choros et assidue de summa mobilitate fulgentes, anni totius per vices summa de summo membra divisa, et dies ipsos cum noctibus per horarum spatia digestos, terræ molem libratam cum montibus, et profluа flumina cum suis fontibus, extensa maria cum suis fluctibus atque littoribus, interim constantem pariter summa conspiratione nexibusque concordiæ extensum aerem medium tenuitate sua cuncta vegetantem, nunc imbres contractis nubibus profundentem, nunc serenitatem refecta raritate revocantem, et in omnibus istis incolas proprios, in aere aves, in aquis pisces, in terra hominem. Hæc, inquam, et alia opera divina sint Christianis fidelibus spectacula. Quod theatrum humanis manibus exstructum istis operibus poterit comparari? Magnis licet lapidum molibus exstruatur, cristæ sunt montium altiores, et auro licet tecta laquearia resplendeant, astrorum fulgore vincentur. Numquam humana opera mirabitur quisquis se recognoverit filium Dei. Dejicit se de culmine generositatis suæ qui admirari aliquid præter Dominum potest.

X. Scripturis, inquam, sacris incumbat Christianus fidelis; et ibi [809] inveniet condigna fidei spectacula. Videbit instituentem Deum mundum suum, et cum cæteris animalibus hominis illam admirabilem fabricam melioremque facientem. Spectabit mundum in delictis suis, justa naufragia, piorum præmia, impiorumque supplicia, maria populo siccata, et de petra rursus populo maria porrecta. Spectabit de cœlo descendentes messes, non ex aratro impressas, flumina transitus siccos refrænatis aquarum agminibus exhibentia. Videbit in quibusdam fidem cum igne luctantem, feras religione superatas et in mansuetudinem conversas. Intuebitur et animas ab ipsa etiam morte revocatas. Considerabit etiam de sepulchris admirabiles ipsorum consumptorum jam ad vitam corporum reductas, et in his omnibus majus jam videbit spectaculum, diabolum illum, qui totum detriumphaverat mundum, sub pedibus Christi jacentem. Quam hoc decorum spectaculum, fratres, quam jucundum, quam necessarium, intueri semper spem suam, et oculos aperire ad salutem suam! Hoc est spectacu-

STEPH. BALUZII NOTÆ.

[808] *Adulterium oculis.* Vide supra p. 379.
Fractus omnibus membris. Vide supra p. 380.
Muliebrem mollitiem. Vide supra p. 381.

X. — *Detriumphaverat.* Tertullianus in *Apologetico : Illos numquam magis detriumphamus quam cum pro fidei obstinatione damnamur.* Minutius Felix : *Quos populaverant detriumphatos colere cœperunt.* Sic etiam dicebant *depompare* pro *contumelia afficere*, uti pluribus exemplis ostendimus in nova nostra collectione Conciliorum p. 716, 724. In antiqua versione concilii sexti, actione 12, in Epistola Sergii CP. *ad Honorium Papam* legitur : *Dum redarguisset atque depompasset pravam ejus impietatem.*

Digitized by Google

lum quod videtur etiam luminibus amissis. Hoc est spectaculum quod non exhibet prætor aut consul, sed qui est solus et ante omnia et super omnia, immo ex quo omnia, Pater Domini nostri Jesu Christi, cui laus et honor in sæcula sæculorum. Opto vos, fratres, semper bene valere. Amen.

LIBER
DE LAUDE MARTYRII.

ARGUMENTUM. — *Laudem martyrii sublimi dicendi genere prosequitur, tria potissimum toto libro late pertractans : quid nempe sit, quantum sit, et cui rei prosit. Pulchris interim similitudinibus et argumento a quotidianis funeribus sumpto, ad mortem pro Christo lubenter obeundam hortatur. Jam inter virtutes martyrii enumerat, quod universi doloris expertes martyres Domini propitiatio coronet, ita ut in eos non competat illud Christi, usquè quadrantem ultimum reddere. Præmii vero loco proponit, tum a gehennæ metu securitatem, tum vitæ æternæ consecutionem, paucis poetico quodam more utrique describens, deinde quod quibusdam sit coronæ loco martyrium, aliis qui sanguine suo lavantur peccatorum redemptio. Postremo, ubi scripturis aliquot ad confessionem nominis Christi eos animavit, ut sui memores sint rogat, cum in eis Dominus martyrium cœperit honorare, utpote quibus petentibus non negare credatur Dominus.*

I. Etsi incongruens est, fratres charissimi, in hoc favore dicendi aliquid trepidationis afferre, minimeque deceat gloriam tantæ devotionis infringere ex eo quod fatear me cœpisse dubitare, tamen identidem dico ipsa animum deliberatione confringi [a], cum exequendæ laudis cupiditate succenditur, et a loquendo magnitudine virtutis inhibetur, cum aut non deceat tacere, aut periculosum sit parum dicere, nisi quod æstuanti hæc res sola subvenit quod videatur ignosci ei facile posse qui non timuit audere. Quamobrem, charissimi fratres, etsi potentia [b] rei oneratur facultas ingenii, ut, quantum se in exprimenda martyrii dignitate protulerit, tantum ipso pondere laudis oppressa atque æstimatione rerum omnium de quibus cum maxime loquitur debilitata ac fracta, intra se ipsam illaqueata oratione deficiat, nec habenis liberis ac solutis in apertum sermonis eloquium vim tantæ laudis expromat [c], tamen erit aliqua, nisi fallor, in eloquendo

LECTIONES VARIANTES.

[a] Ipsa animi mei deliberatione confringi : nam *Lam. Ebor. NC.* 1. Confringam *Thu.*

[b] Quamobrem etsi potentia *Lam. Ebor. NC.* 1.

[c] Tantæ laudis exprimat *Lam. Lin.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

DE LAUDE MARTYRII.—Hic liber editus fuit ab Erasmo ex codice Gemblacensi admodum mendoso. Ait autem Erasmus in annotationibus suis neminem fore tam obesæ naris quin illico sensurus sit stylum hujus operis longe lateque discrepare a dictione Cypriani. Contra, Baronius censet esse Cypriani, et opinionem Erasmi de diversitate styli convellit argumento suscepto ex libro IV sancti Augustini *de Doctrina Christiana*, ex quo collegit Cyprianum non semper servare idem dicendi genus, nempe interdum sublime sectari et verborum exuberantia copiosum esse, aliquando vero humili atque submisso dicendi genere. Quod verum est. Bellarminus quoque existimat esse Cypriani. Aliqui colligunt hoc opus non esse Cypriani, quod directus sit ad Moysem et Maximum, et quod constet Moysem mortuum esse ante electionem papæ Cornelii, adeoque ante lucem et pestem quæ universum orbem depasta est anno 252, cujus occasione Cyprianus scripsit librum *de Mortalitate*. Verum ista argumentatio nullius est momenti. Habemus enim plurimos codices optimos et vetustissimos in quibus nulla mentio Moysis et Maximi, et in titulo libri scriptum est simpliciter : *Incipit de Laude Martyrii*, vel aliquid simile. Moysis ergo et Maximi nomina adjecta sunt ab aliquo studioso, qui intelligens ex verbis istius libri opus esse directum ad confessores, sibi persuasit eos non esse alios quam Moysem et Maximum et cæteros confessores ad quos Epistolæ XV et XXIV sunt directæ. Adde in favorem hujus operis, illud ubique in omnibus codicibus antiquis reperiri constanter inter ea opera sancti Cypriani, quæ nullam habent difficultatem quin sint Cypriani. Ejus præterea varia loca descripsit Florus, diaconus ecclesiæ Lugdunensis, in excerptis suis ex operibus sancti Cypriani, in quibus nulla loca refert quæ non sint vere Cypriani. Nam quod ad stylum spectat, possum ego eodem argumentandi genere uti quo usus est vir doctissimus Jacobus Billius, ut assereret Gregorio Thaumaturgo Metaphrasim in Ecclesiasten, quàmquam reclamante stylo, quia inter germana ipsius opera reperiebatur in codice reginæ litteris capitalibus scripto ac Gregorii antiquitatem propemodum æquante, id quod magni apud se momenti esse ait. Ita quoque ego dicere possum de libro *de Laude Martyrii*, qui exstat in codice Seguieriano scripto litteris majusculis ante mille annos. Habui autem sexdecim vetera illius exemplaria ad quæ illum emendavi. Non afferam autem varias illorum lectiones : quasdam tantum annotabo quæ mihi videntur esse alicujus momenti. Illud autem in primis monebo, nescire me quo fato evenerit ut magna pars istius operis omissa sit in codice Thuano et in Metensi sancti Arnulphi, in quibus post illa verba in pagina 343, *oneratur facultas*, multa desunt omissa a librariis usque ad hæc in pagina 345, *summa nimirum*. Rursum eodem errore in pagina 350, post *coronantur electi*, cætera desunt omissa similiter a librariis, et illic, ut id quoque dicam, legitur in codicibus illis *curantur* pro *coronantur*.

I. — *Animum*. Codex S. Arnulphi et Thuanus habent *animi mei deliberatione*. Sic etiam codex S. Dionysii Rem. nisi quod librario excedit vox *mei*. Nicolaus Faber ita etiam emendavit in libro suo impresso, in quo annotavit varias lectiones ex codicibus mss.

Digitized by Google

facultas [a], quæ ipsius operis oratione munita [b] vage fundat [c] quod a dicendo impar ingenii conscientia submoveat. Cum igitur, fratres charissimi, tot tantisque rebus impliciti, ad comprobandos [d] salutis eximios pulcherrimosque proventus omni studio ac labore nitamur, non verear ne quo ignaviæ metu territus vel revocer vel extinguar, cum si quis ad id voluerit de quo aginus intueri, spe devotionis expensa, atque ipsa ejus magnitudine ponderata, magis miretur audere potuisse in quo [aa] me positum et amplitudo rei premeret et confusam gaudio mentem in angustias animi voti sui fervor urgeret. Nam quis est quem non ista res terreat? quis quem non admirationis suæ pavore subvertat?

II. Est enim profecto, nisi fallor, etiam in ipso conscientiæ rubore admiranda formido [e] quæ nos exigitet pariter et inflammet; cujus quanto penitius inspexeris potestatem, tanto ex ipso venerandæ claritatis aspectu religionis suæ præmittat horrorem [f]. Considerare enim utique debetis quantæ sit gloriæ vitæ quamlibet maculam et sordes polluti corporis et longa vitiorum tabe concretâ contagiâ tantoque temporis tractu mundi crimen exceptum unius ictus remediis expiare, quo et augeri merces et crimen possit excludi. Unde omnis consummatio et status vitæ in martyrio est collocatus. Hoc fundamentum vitæ et fidei, hoc præsidium salutis, hoc vinculum libertatis et honoris; et quamvis sint et alia per quæ adipisci lux possit, tamen ad proximitatem muneris repromissi pœnis patrocinantibus melius pervenitur.

III. Quantæ enim sit gloriæ ponderate, hujus vitæ cupiditatibus relegatis [g], atque ab omni animum naturæ mundique commercio segregatum, contra adversantis discrimen opponere, nec sævitiam torquentis horrere, animari hominem dolore quo credatur extingui, et id sibi in augmentum virtutis assumere quod cruciatui putat prodesse qui punit. Nam præduranti bus licet ossis resultans ungula recurrat in vulnus, et cruribus fingris cum avulsa corporis parte rediens avena ducatur, stat immobilis tamen pœnis suis fortior, hoc solum setum ipse convolvens, quod in illa crudelitate carnificum plus pro quo patitur Christus ipse patiatur. Nam quando, si negaverit Dominum, pro eo crimen subeat pro quo vicisse debebat, necesse est eum videri cuncta tolerare cui victoria debetur et pœna [h].

IV. Igitur, quoniam res summa martyrium est, tria sunt quæ ex eo nobis proposuimus esse dicenda: quid sit [i], quantum sit, cui rei prosit. Quid est ergo martyrium? Delictorum finis, periculi terminus, dux salutis, patientiæ magister [j], domus vitæ, quo profecto etiam ea occidunt quæ in futuro discrimine potuissent tormenta reputari. Per hoc et testimonium nomini redditur, et majestas notninis redampliatur; non quod per se ipsa minui possit vel de scelere retractantis [k] magnitudo ejus infringi, sed quod redundet ad gloriæ cumulum, dum circumstrepentis populi terror impavidos animos dat dolori, et minis frendentis invidiæ addit ad titulum quod tantum sibi mens crescat in pugna quantum se ille putaverit vincere per quem Christus hominem voluerit coronare. Tunc ergo omne fidei robur expeditur, tunc credulitas comprobatur, cum in sermones vulgi atque in opprobrium veneris, cumque te contra illas populare insanias religiosa mente firmaveris, convincens scilicet ac repugnans quicquid sub persona tua in injuriam Christi profanus sermo jactaverit; ut cum adverso mari moles opposita reluctatur, feriant licet fluctus, et revolutum æquor identidem pulset, tamen hæret immobilis virtus, nec undis circumspumantibus adoperta succumbit, donec per scopulos vis digesta se supprimat, et superjacens saxis in aperta littoris spatia victum æquor evadat.

V. Quid enim est in illis aliud quam sermo vacuus et inane colloquium et inanium voluptas prava verborum, sicut scriptum est: *Oculos habent et non vident, aures habent et non audiunt* (*Psal.* cxiii, 13). *Grossum est cor insipiens eorum, nequando convertantur et sanem illos* [l] (*Isa.* vi, 10). Non enim dubium est quin hoc de omnibus [aa] dixerit quorum dura mens semper et obstinata pectoris feritas a devotione vitali fugata dissentit, ducente dementia, furore rapiente,

LECTIONES VARIANTES.

[a] Eloquendo fides *Lam. Ebor. NC.* 1. *Lin.*
[b] Ratione munita *Lam. Ebor. NC.* 1.
[c] Large *Oxon.* Vage fundat *Lam. Lin. Ebor. NC.* 1.
[d] Corroborandos *Lam. Ebor. NC.* 1.
[e] Fortitudo *Lam.*
[f] Honorem *Lam. Ebor. NC.* 1. *Lin.*
[g] Relevatis *Lam. Ebor. NC.* 1.
[h] *Sic Oxon. Lam. Ebor. NC.* 1. *et Imp.*
[i] Quid sit hoc *Lam. Ebor. NC.* 1.
[j] *Sic Lam. Ebor. NC.* 1. *Oxon.* Iter patientiæ, magister domus vitæ *Imp.*
[k] *Sic Lam. Ebor. NC.* 1. Tractantis *Imp.*
[l] *Sic Lam. Ebor. NC.* 1. Salvem *Oxon.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

In eloquendo facultas. Ita editio Manutii. Nam antea legebatur *fides*, quam lectionem habent etiam quidam libri veteres.

Oratione munita. Ita veteres editiones et plures libri veteres. Remensis habet *orationem muniat ac vage.*

II. — [aa] *Formido.* Non quæ terreat, sed quæ proficiscitur ex reverentia quæ prosequimur eos quos veremur et honoramus, ut dixi ad librum I *Testimoniorum* cap. 21, p. 281, in voce *formidolosi.*

Vitæ et fidei. Quidam libri veteres non habent *vitæ*, etc.

III. — *Relegatis.* Quidam libri veteres habent *debelatis*, alii *revelatis.*

IV. — *Redampliatur.* Id est augetur.

Circumstrepentis populi. Vide supra p. 455.

Immobilis virtus. Vox *virtus*, quæ non est necessaria, deest in quibusdam libris veteribus. Et pronum est existimare vocem *immobilis* referri ad molem.

Victum æquor. Quidam libri *ictum*, unus meus *ipsum.*

V. — *Inanium.* Quinque libri veteres *alienati animi.*

Digitized by Google

omni denique illos immanitate vexante, qua instigantur pariter ac feruntur; ut cum illis ad pœnam sua facta sufficerent, pœnam ipsam persecutionis agitatæ crimen oneraret.

VI. Totum hoc in laudem martyrii spectat, totum gloriam passionis illuminat; in qua spes futuri temporis cernitur, in qua Christus ipse operatur, cujus aguntur exempla quæ petimus, cujus et virtus est qua repugnamus. Et quia in hoc loco aliquid proferre suppetit, summa nimirum est ista atque admiranda dignatio, et quam nec mente concipere nec verbis valeamus implere. Quid enim nobis amplius potuisset larga pietate largiri quam ut in se primus ostenderet quod in aliis coronaret? Mortalis factus est ut immortales esse possemus, et humanæ sortis exitum [a] pertulit, per quem reguntur humana; atque, ut nobis videretur præstitisse quod passus est, confessionem tribuit, martyria subjecit, omnia denique quibus lux opprimi [b] posset in remedium salutare nativitatis suæ meritis relegavit, humilitate præcipua, virtute divina. Cujus rei quique digni esse meruerunt morte caruerunt, omnem hanc mundi teterrimam, labem subacta mortis conditione, vicerunt.

VII. Non enim dubium est quantum a Domino consequantur qui saluti suæ nomen Dei prætulerunt, ut in illa judicii die meliores cruor faceret, sanguisque fusus immaculatos esse [c] monstraret. Mors quippe integriorem facit vitam, mors magis deducit ad gloriam. Sic quotiescumque, lætantibus stipulis [d], distenta imbribus frumenta turgescunt ac fœcundæ messes coguntur æstate [e], sic quoties ferro vitis abscinditur, erumpentibus pampinis melius uva vestitur. Nam in et augmentum proventuri temporis cedit quicquid injuria sua proficit. Flammas quippe plerumque agris juvit immittere quo calore vagantis incendii cæca terræ spiramenta laxentur. Juvit leves stipulas crepitanti igne torrere, ut se altius gravida seges tolleret et parturientibus culmis densior arista floreret [f]. Igitur talis et martyrii primo casus, postmodum fructus est, qui mortem tam contemnat ut vitam morte custodiat.

VIII Quid enim tam eximium atque sublime est, quam inter tot instrumenta carnificum devotione robusta cunctam fidei reservare virtutem [g]? Quid tam magnum atque pulcherrimum, quam inter tot A circumstantium gladios libertatis suæ Dominum ac salutis auctorem repetita sæpius voce profiteri? et maxime si ante oculos tuos ponas nihil detestabilius esse dedecore, nihil fœdius servitute, nihil aliud te debere jam petere, aliud optare quam eripiendum esse cladibus sæculi, exuendum malis mundi, et inter ruinas orbis jam jamque perituri alienum a terrena contagione versari? Quid enim tibi cum hac luce, cui lux æterna promissa est? Quid cum hoc vitæ naturæque commercio quem cœli amplitudo deposcit? Sane teneat cupiditas ista vivendi, sed quos inexpiabili malo sæviens ignis æterna scelerum ultione torquebit. Teneat cupiditas ista vivendi, sed quibus et mori pœna est et durare tormentum. Tibi jam et mundus ipse succumbit et terra cedit, qui B morientibus cunctis ad hoc reservatus es ut martyr esse potuisses. An non quotidiana cernimus funera, cernimus novos exitus corporis diu tracti [h], sævientibus morbis inexpertæ cujusdam cladis exitia, ac stragem populatarum urbium intuemur, unde [i] possimus agnoscere quanta martyrii habenda sit dignitas, ad cujus gloriam nos cogere etiam lues cœpit.

IX. Etenim, charissimi fratres, respicite [sic] ad hoc, quæso vos, plenius, in quo et salus vertitur et sublimitas computatur, licet non sim nescius etiam vos plenissime nosse stantium omnium nos judiciis contineri, neque ignorare hanc esse nobis traditam disciplinam, ut sine ullo terrore militiæ vim tanti nominis tueamur; quippe quos pridem a desiderio lucis istius cupiditas æternæ memoriæ deduxerit, quos futurorum vota divellerint [j], quosque ab omnibus C vitiis optanda Christi societas segregarit, nisi si exitio succumbere, morti animam dubitamus offerre, nec jam retinenda sunt nobis et amplectenda beneficia divina quorum ultra rerum ardorem tanta sit merces quantum in dicendo humana mediocritas vix possit implere. Sanguini nostro patet cœlum, sanguini nostro gehennæ cedit habitaculum, et inter omnia gloriæ pulchrior sanguinis titulus et integrior corona signatur.

X. Sic, quoties de hoste triumphalibus spoliis onustus miles ingreditur, vulneribus suis gaudet. Sic, quoties tempestatibus diu nauta fatigatus littora tuta contigerit, felicitatem suam de perpesso periculo ducit. Est enim profecto, nisi fallor, labor lætus per

LECTIONES VARIANTES.

[a] Exitium *Lam. Ebor. NC.* 1.
[b] Opprimi *Lam. Ebor. NC.* 1. Supprimi *Oxon.*
[c] Et sanguis suus esse *Lam. Ebor. NC.* 1. Quos sanguis suus martyres esse *Oxon.*
[d] Latentibus stipulis *Lam. Ebor. NC.* 1.
[e] Coquuntur æstate *Oxon. ex codd. Lam. Ebor. NC.* 1.
[f] Arista floreat *Lam. Ebor. NC.* 1.
[g] Reserare *Lam. Ebor. NC.* 1.
[h] Exitus corporis diu tractati *Lam. Ebor.*
[i] Unde possimus *Lam. Ebor. Lin.* Ut possimus *Oxon.*
[j] Diu fefellerint *Lin.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

VI. — *Teterrimam labem.* Codex sancti Arnulphi et Thuanus, *deterrimam.* Nicolaus Faber posuit in suo libro *deterrima*, quo etiam modo scriptum est in codice sancti Dionysii Remensis.

VII. — *Messes coguntur.* Quatuor libri veteres, *coquuntur.*

VIII. — *Instrumenta.* Codex sancti Arnulphi, *stramenta.* Vide supra p. 464.

IX. — *Novos exitus.* Duo libri veteres et editio Morellii, *exitus diversos factis et sævientibus.*

Lues cœpit. In quibusdam libris veteribus scriptum est *cœperit.* Respicit autem auctor ad luem et pestem quæ tunc depasta est orbem, cujus occasione Cyprianus scripsit librum *de Mortalitate.*

Stantium. Codex sancti Arnulphi et Thuanus *statu.*

Inter omnia gloriæ. Codex sancti Arnulphi, *inter omnia gloriarum.* Sic etiam Thuanus, nisi quod habet *omnium.*

Digitized by Google

quem securitas invenitur. Igitur toleranda sunt omnia, patienda cuncta, nec appetendum quomodo brevi gaudeas tempore et perpetuo puniaris ardore. Meminisse enim debes velut quadam te fœderis pactione constrictum, ex qua aut capessendæ salutis sit justa conditio, aut pœnæ merita formidolositas, inter adversa pariter ac prospera, arma inter et tela; hincque te sæcularis ambitio, inde cœlestis admonet magnitudo.

XI. Si salutem times perdere, scito te mori posse. Porro autem contemnenda tibi mors est, cui Christus occisus est. Ante oculos tibi, quæso, concurrant Dominicæ passionis exempla, concurrant oblata et præmia et parata discrimina, et quantam inter se habeant difficultatem res utrasque conspicito. Nec enim poteris confiteri, nisi scias quantum noceas [a] si negaveris. Cœlo martyres gaudent, veritatis inimicos ignis absumet. Paradisus Dei testibus floret, negatores gehenna complexa æternus ignis inardescet. Et, ut de cæteris taceam, hoc nos utique magis debet hortari, quod confessio vocis unius Christi perpetua confessione servetur, sicut scriptum est : *Qui me confessus fuerit in terris coram hominibus, et ego confitebor eum coram Patre meo et coram Angelis ejus* (*Luc.* XXII, 8). Adhuc accedunt ad gloriæ cumulum ornamenta virtutum. Ait enim : *Fulgebunt justi tamquam scintillæ in arundineto discurrentes, judicabunt nationes, et dominabuntur populis* (*Sap.* III, 7).

XII. Magna est enim, fratres charissimi, claritas vitam salutis æternæ honestate passionis ornare, magna sublimitas ante ora Domini aspectumque Christi potestatis humanæ tormenta contemnere nec horrere. Sic Daniel minas regis et leonum fremen-tium rabiem per constantiam fidei [b] suæ vicit, dum adorandum nullum alium esse quam Deum credidit. Sic in camino pueris constitutis in se arsit incendium, dum ignes justi tolerant quos [c] de gehenna Domino credendo metuebant. Unde et retulere condigna, non in posterum tracti, non salutis æternæ præmio reservati. Fidem illorum Deus vidit, ut quod sibi post exitum promiserant videre mererentur in corpore. Nec enim poterit æstimari quanta in præsenti tribulatione sit merces [d], si sævitia fugit, si cessit flamma [e]. Erat enim una mens omnibus, quam nec violentia frangeret, nec ira subverteret, nec a devotionis obsequio timor mortis inhiberet. Unde per gratiam Domini factum est ut sic in illis rex potius videretur punitus esse, dum evadunt quos se crediderat occidere.

XIII. Nunc jam ad [847] eam rem, fratres charissimi, veniam ex qua ostendere satis possim quanta martyrii virtus habeatur; quæ tametsi omnibus est nota proque ingenitæ claritatis insignibus expetenda, tamen plus addidit necessitas temporis desiderio voluntatis [f]. Etenim est in muneribus magnis [g], si eo tempore quis coronetur quo coronatum se putat, si forte moriatur. Igitur, cum sit sublime excelsumque martyrium, nunc magis est necessarium quando mundus ipse subvertitur, partimque orbe concusso natura deficiens ultimi exitus momenta testatur. Nam et cum cœlo imber incumbit, pluviam tristem aer prætendit [h], et quoties atra tempestas horrenti imminet pelago, per inter aperta nubium nocte coruscantium fulmina relucescunt; sed et cum mare magnis fluctibus volvitur, paulatim unda se tollit, paulatimque æquor albescit, donec cernas ita postmodum ruere ut in illis [i] quibus retunditur saxis spumam altius jaciat quam undam tumidum pelagus expuebat. Legis scriptum esse usque quadrantem [j] nos ultimum reddere. Sed [k] solis hæc pars est ablata martyribus. Etenim qui salutis æternæ cupiditatibus freti vitæ hujusce desideria vicerunt, hos expertes doloris universi Domini præcepta fecerunt [l]. Igitur hinc primum, charissimi fratres, poterimus exponere quanta martyrii virtus possit implere.

XIV. Atque, ut transeam cuncta, meminisse debemus quanta sit gloria ad Christum immaculatum venire, consortem passionis existere, perpetuaque cum Domino æternitate regnare, carere exitiis imminentibus sæculi, nec inter cruentam morborum populantium stragem communi cum cæteris sorte misceri. Atque, ut sileam de corona, si tibi in his naturæ lubricis malis posito vitæ prominteretur excessus, nonne omni mente gauderes? Si, inquam [m], te in hujus mundi turbinibus fluctuantem vicina arcesseret requies, nonne mortem pro remedio computares? Positus inter arma carnificum ac tela probantium quæstionum, stans sublimis ac fortis, considerans quanta sit pœna negare eo tempore quo frui sæculo nequeas, cujus causa negares : quoniam quidem gra-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Noceat *Lam. Ebor. NC.* 1.
[b] Per substantiam fidei *Lam. Ebor. Lin. NC.* 1.
[c] Quos *Lam Ebor. Lin. NC.* 1.
[d] Præsenti tribulatione *Lam. Ebor. NC.* 1. In præsenti tributa sit merces *Oxon.*
[e] Consedit *Lam Ebor. NC.* 1. Si sævitia fuit, cessit; si flamma constitit *Oxon.*
[f] Desiderio voluntatis *Lam. Ebor. NC.* 1. Voluptatis *Oxon.*
[g] Est muneris magni *Lam. Ebor. NC.* 1.
[h] Pluvias aer tristis ostendit *Oxon.* Prætendit *Lam. Ebor. Lin. NC.* 1.
[i] Illisis *Oxon. ex codd. Lam. Ebor. NC.* 1. *Imp.* In illis.
[j] Usque ad novissimum quadrantem *Lam. Ebor. NC.* 1.
[k] Sed est solis *Lam. Ebor. NC.* 1.
[l] Promissa fecerunt *Lam. Ebor. NC.* 1. Domini propitiatio coronat *Oxon.*
[m] Si qua *Lam. Ebor. Lin. NC.* 1.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

XI. — *Dominicæ passionis.* Iidem codices *promissionis.*

XII. — *Occidere.* Iidem codices et quidam alii *occidisse.*

XIII. — *Nunc magis.* Codices sancti Arnulphi et Thuanus, *nonne magis.*

Domini præcepta. Tres libri veteres, *promissa.*

Exponere. Codex sancti Arnulphi, *expendere.*

XIV. — *Populantium.* Male *vapulantium* in codice sancti Arnulphi.

Digitized by Google

via tormenta ac puniendi noxiis artes in perniciem nostram Dominus sciebat armari, quo fortes ad omnem tolerantiam faceret. *Fili*, inquit, *accedens ad servitutem Dei, sta in justitia et timore, et præpara animam tuam ad tentationem* (*Eccli.* II, 1). Sed et beatissimus Paulus apostolus exclamavit et dixit [a]: *Mihi vivere Christus est et mori lucrum* (*Philip.* I, 21).

XV. Quamobrem, charissimi fratres, fide firma, devotione robusta, contra minas [b] sæculi atroces et asperos insequentium fremitus adversa virtute resistendum est nec timendum, quorum spes æternitatis et vita cœlestis est, quorumque ardor in cupidinem lucis accenditur, et salus de promissa immortalitate lætatur. Hoc vero quod catenis arctantibus manus strictæ et circumacti graves cervicibus nexus solido deprimunt pondere, vel quod equuleo corpus extensum cadentes stridet ad lamnas, non expetendi sanguinis sed tentationis est causa. Nam et ipsam martyrii dignitatem [c] quemadmodum possemus agnoscere, nisi illam etiam cum damno corporis nostri cogeremur optare? Sensi equidem, nec me veritas fallit, cum sævæ [d] incumbentium manus membra divellerent, artusque laniatos tortor sæviens exararet, nec tamen vinceret, circumstantium verbis [e], magnum istud est, profecto nescio quod [f], non doloribus subigi, non pœnis angentibus frangi. Sed erant aliæ dicentium voces; et puto liberos habet. Nam est illi socia in penatibus conjux: et tamen nec vinculo pignorum cedit, nec obsequio pietatis abductus a proposito suo deficit. Noscenda res est et virtus penitus scrutanda visceribus. Nec enim levis est [g] ista quæcumque confessio propter quam homo patitur, et mori posse.

XVI. Etenim, charissimi fratres, virtus est tanta martyrii, ut per illam credere etiam ille cogatur qui te voluit occidere. Scriptum est et legimus: *In dolore sustine, et in humilitate tua habe patientiam, quoniam per ignem probatur aurum et argentum* (*Eccli.* II, 4). Quoniam ergo nos terrenis tentationibus probat Dominus, et his sæculi malis scrutator Christus expendit, gratulandum nobis est atque lætandum quod non illis nos perennibus reservet exitiis, sed gaudeat ab omni contagione purgatos. Cæterum ab his quos hæreditatis participes adsciscit [h] et in regna cœlorum libenter assumit, quid utique aliud quam integritatis ambitum quærit? Sua ipse dixit universa, et quæ jacentibus se explicant campis, et quæ in obliquos se erigunt colles; sed et quod rudi magnitudo circumvenit, et quod pelago circumfluente lubricum æquor includit. Quod si illi adjacent omnia, nec a nobis exposcit nisi facta sincera, auro, ut ipse dixit, similes esse debemus. Aurum quippe cum relucentibus terris tremulo videris splendere sub lumine [i] et in liquidum flammis torrentibus resolvi, nam et artificis gratia fere sic est, cominus quoties anhelantibus æstuans ignis evomitur, aditu terræ canali angusto dives [j] flamma elicitur; et refluentibus glebis arena retinetur. Unde necesse est universa sufferre, quo possimus omni scelere carere, sicut per Prophetam suum dixit: *Et si coram hominibus tormenta passi sunt, tamen spes illorum immortalitate plena est, et vexati in paucis, in multis bene disponentur, quoniam Deus tentavit illos, et invenit illos dignos se* [k], *et quasi holocausti hostiam accepit illos* (*Sap.* III, 4).

XVII. Quod si te dignitas ambitiosa deterret, et congesta in thesauris pecuniæ magnitudo admonet, quæ semper propositum [l] bonæ mentis avertit, et devotam Domino suo animam furiali agit horrore, quæso, repetas verba cœlestia. Nam et ipsa vox dicentis est Christi: *Qui perdiderit animam suam pro nomine meo, recipiet in hoc sæculo centuplum, et in futuro vitam æternam possidebit* (*Matth.* X, 39); qua utique nihil majus, nihil utilius computare debemus. Nam, licet pretiosarum vestium more purpura in imagines currat, et lentescentibus filis aurum erret ad speciem, nec de effossis gravia quibus incumbis desint metalla thesauris, vacua tamen, nisi fallor, ista atque inania computabuntur, si adjacentibus [m] tibi cunctis, sola salus deesse videatur, *sicut* Spiritus sanctus loquitur nihil nos in vicem animæ nostræ posse dare. Ait enim: *Si totum orbem lucrifeceris, et animam tuam perdideris, quid proderit tibi, aut quam homo commutationem dabit* [n] *pro anima sua?* (*Matth.* XVI, 26). Vacua sunt enim universa quæ cernimus, et quæ infirmis radicibus posita solidioris suæ vim nequeant sustinere. Nam quod de sæculo capitur, vetustate temporis frustratur. Unde, ne quid esset dulce vel charum quod salutis æternæ præferri cupiditatibus possit, Dominicis amputata præceptis, jure proprio ac lege privata sunt, ne in tormentis scilicet [o] patrem positum filius frangeret, neve obstrictum durati roboris pectus in aliam voluntatem affectus mutaret. Solam veritatem salutemque solam inter magnos complectendam esse cruciatus suo Christus jure constituit, in quo conjux et liberi et

LECTIONES VARIANTES.

[a] Exclamat et dicit *Lam.*
[b] Contra omnes *Lam. Ebor. Lin. NC.* 1.
[c] Dignationem *Lin.*
[d] Sæpe *Lam. Ebor. Lin.*
[e] Verbis dici *Lam. Ebor. NC.* 1.
[f] Nescio quid *Lam. Ebor. Lin. NC.* 1. Dici profecto, non doloribus *Oxon.*
[g] Illud *Lam. Ebor. NC.* 1.
[h] Adscivit *Lam. Ebor. NC.* 1.
[i] Lumine prodest *Lam. Ebor. NC.* 1.
[j] Dives omnis *Lam. Ebor. NC.* 1.
[k] *Sic Lam. Ebor. NC.* 1. Sui *Oxon.*
[l] Quæ sæpe propositum *Lam. Ebor. NC.* 1.
[m] Si adjacentibus *Lam. Ebor. Lin. NC.* 1.
[n] Dare potest *Lam. Ebor.*
[o] Patrem positum *Lam. Ebor. NC.* 1.

STEPH. BALUZII NOTÆ

XV.—*Socia in penatibus.* Editio Erasmi et quidam libri veteres præferunt *societas*.

XVII.—*Purpura in imagines.* Ista explicare videtur Tertullianus in libro *de Pudicitia*, ubi agit de vestibus purpura oculandis.

Digitized by Google

nepotes, in quo omnis viscerum soboles felici usurpanda victoria est.

XVIII. Nam et Abraham sic Deo placuit; qui tentatus a Deo, et filio suo non pepercit; pro quo ignosci forsitan posset, si illum dubitasset occidere. Armavit manus religiosa devotio; et omnes pietatis affectus Domini jubentis imperio[a] pietas paterna neglexit. Nec horruit quod nati funderet sanguinem, nec intremuit ad vocem, et adhuc[b] pro eo Christus non fuerat occisus. Quid enim charius eo qui, ne quid invitus hodie sustineres, prius passus est quod doceret? Quid eo dulcius qui, cum ipse sit Deus noster et Dominus, tamen patientem pro se hominem regni cœlestis efficit cohæredem? O grande nescio quid, sive quia illud conscientiæ ratio vix sustinet capere, quamvis magna semper mireturur ad munera, sive quia tam larga est majestas Dei, ut insperantibus cunctis etiam ea offerat quæ nobis contemplatione factorum nefas fuerit optare. Etenim, si tantum salus daretur æterna, pro ipsa perpetuitate vivendi haberemus in gratia[b]. At nunc, cum cœlum et judicandi de cæteris facultatem perenni sæculo largiatur, quid est in quo non se parem his omnibus possit humana mediocritas experiri? Si injuriis ageris, prior actus est ille. Si contumeliis premeris, Dei munus imitaris. Unde et parum est quicquid pertuleris pro eo, qui nihil amplius potes facere, nisi quod in hoc salus universa consistit, quia martyrio totum ille promisit. Denique Apostolus, cui cordi fuere semper universa, cum instar munerum promissorum penitus mirarelur, *Æstimo*, inquit, *non esse condignas passiones hujus temporis ad superventurum claritatem quæ revelabitur*[c] *in nobis* (*Rom.* VIII, 18). Etenim secum ipse volvebat quantæ mercedis existeret ut ei cui sufficeret morte carere non tantum salutis daretur præmium, sed et conscendere cœlum, cœlum quod nec fugata lux cogit in noctem, nec alternis vicibus dies aperit in lucem; sed aeris liquidi serena temperies per sudum igneo fulgore rutilantem puram explicat claritatem.

XIX. Jam superest, charissimi fratres, ut debeamus ostendere cui rei martyrium prosit, atque, ut illud profecto doceamus quod nos ad hunc gloriæ titulum metus excitet futurorum. Etenim quibus magna promissa sunt, magis magna sunt quæ metuenda illis esse videantur. Num nec se in arma miles accendit prinsquam inimica hostes tela commoverint: nec navem aliquis statione subduxit nisi animum pelagi pavor strinxerit: sed et intentans suis opibus scrutator agricola non ante felici terram suscitat vomere quam in pulverem imbre concepto putris gleba solvatur. Ita est omnis naturalis hic usus, nescire quid prosit nisi agnoveris quod occidit. Unde et datur sanctis omnibus præmium, dum infligiuntur injustis tormenta factorum. Igitur quæ suis promiserit Dominus nemini qui nesciat dubium, sed nec dubium quantos minetur ignes suppliciorum. Et, quoniam ita se attulit sermo ut de utrisque habeatur ratio; paucis, ut de utrisque dixi, breviter exponam.

XX. Sæviens locus, cui gehenna nomen est, magno plangentium murmure et gemitu[d] et eructantibus flammis per horrendam spissæ noctis caliginem sæva semper incendia camini fumantis expirat, globus ignium arctatus obstruitur et in varios pœnæ exitus relaxatur. Tunc sæviendi plurima genera, dum in se ipse convolvit[e] quicquid ardoris emissi edax flamma cruciarit. Illos quibus recusata vox Domini et imperia fuere contempta disparibus coercet exitiis; proque merito salutis exactæ vires suas suggerit, dum pars sceleri[f] discrimen imponit. Et alios quidem moles intolerabilis curvat, alios per abruptum clivosi tramitis collem vis sæva præcipitat, et catenarum sifidentium nexum[g] grave pondus inclinat. Sunt et quos agens strictim rota[h] et indefessa vertigo, et quos tenaci inter se densitate

LECTIONES VARIANTES.

[a] Imperiis *Lam. Ebor. NC.* 1.
[b] Ingrati *Oxon ex codd. Lam. Ebor. NC.* 1.
[c] Revelatur *Oxon.* revelabitur *Lam. Ebor. NC.* 1.
[d] Murmurat genitu *Lam. Ebor. NC.* 1.
[e] Totum in se ipse convolvit cum *Lam. Ebor. NC.* 1. Tum in se *Oxon. Pamel.*
[f] Sceleris *Pamel. Oxon.* Pars sceleri *Lam. Ebor. NC.* 1.
[g] Nexu *Lam. Ebor. NC.* 1.
[h] Rotet indefessa *Lam.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

XX.—*Cui gehenna nomen.* Gehennæ descriptio exstat in libro *ad Demetrianum* p. 224.

Eructantibus flammis. Supra, Epist. XV, p. 25: *In Domini area constituti, exuri paleas inextinguibili igne conspicitis.* Epist. LV, p. 81: *Cum in tormentis cruciabundus flammæ cremantis ardoribus uraretur.* Epist. LVI, p. 94: *Persecutores nostri flammæ pœnalis perpetuo ardore flammare.* Ad Demetrianum p. 224: *Cremabit addictos ardens semper gehenna et vivacibus flammis vorax pœna.* Vide Arnobium, lib. II, et Lactantium, lib. VII, cap 26.

Et alios quidem. Istic instituit enumerationem tormentorum quibus in tartaro cruciantur damnati; idque facit eo ferme modo quo Gentiles pœnas sub tartari exprimebant. Nam et in Epistola XXXI, p. 44, tartarum dixit pro inferno. Erunt fortassis qui ex ea descriptione tartari quam istic instituit auctor istius libri colligent ista non esse Cypriani, quod illa nimis accedere videatur ad opiniones gentilium de tartaro. Ad istam objectionem nihil reponi potest, nisi quod Cyprianus, cum vellet inculcare Christianis horrendas pœnas damnatorum, ut etiam ea enumeratione tormentorum eis persuaderet omni ope nitendum esse ut pie viverent et secundum regulas Evangelii, ne in illas pœnas inciderent, excurrisse more rhetorum per ea pœnarum genera quæ gentiles putabant esse apud inferos, quia, ut ait Cicero in libro II *de Legibus*, multos divini supplicii metus a scelere revocat. Vide Prosperum, lib. III, cap. 12: *De Vita contemplativa*, et sanctum Gregorium, lib. IX *Moralium in Job*, cap. 39, sive penultimo. Vide etiam notas nostras ad illum locum libri III Salviani, *æterni ignis tormenta.*

Digitized by Google

constrictos adhærens corpori corpus includit, ut et absumat incendium, et gravet ferrum, et se cruciet turba multorum.

XXI. Quibus autem inquisitus semper fuit Deus aut notus, numquam excidit Christi locus; ubi jacet gratia, ubi virentibus campis terra luxurians alumno [350] se induit gramine, et redolente pascitur flore; ubi altum nemora tolluntur in verticem, et ubi densior arborem coma vestit quicquid curvantibus ramis scena dejiciens inumbrarit. Omnia illic non frigoris, nec ardoris, nec ut in autumno arva requiescant, aut iterum vere novo tellus fœcunda parturiat. Unius cuncta sunt temporis, unius poma feruntur æstatis; quippe cum nec mensibus suis tunc luna deserviat, nec per horarum sol momenta decurrat, aut in noctem lux fugata concedat. Habet populos quies læta, sedes tenet placida, ubi fons scaturiens medius sinu alvei prorumpentis emergit, et rauco per intervalla circuitu sinuosis flexibus labitur, ut in ora nascentium sibi fluminum dividatur. Hinc ergo magna laus martyrum, hinc nobilis corona victorum, quibus majora his repromissa sunt, quibus auctiora sunt præmia. Quod vero vel feris corpus objicitur, vel imminens gladius non timetur, dignationis ostenditur ratio, manifestatur electio. Etenim incongruens fuerat ut quem æquum tanti muneris judicasset, inter terrena vitia sordesque retineret.

XXII. Merito enim nihil vobis, o boni martyres, denegatum, quos spes æternitatis alit et lucis, quorumque devotio universa et mens cœlesti dedita cernitur servituti. Merito, inquam, merito nihil vobis velle non licitum, quorum animo despectus hic mundus et alienata sæculi facies velut confusa tenebrarum inhorruit cæcitas, cui est semper hic mundus loco carceris, tecta pro claustris, in vita semper habita commeatus. Sic quippe triumphante victoria de his malis rapitur quem non pompatico gressu vana subjecit ambitio, aut popularis extulit magnitudo, sed quem cœlesti cupiditate flagrantem suo Christus addidit regno.

XXIII. Nihil itaque tam magnum atque venerandum quam quod liberat a morte et facit vivere et dat perpetuo regnare. Sanctis Dei hoc aptum, miseris necessarium, omnibus gratum, quo lætantur boni, relevantur abjecti, coronantur electi. Etenim Deus omnium cultor velut quoddam martyrio [a] remedium vitæ dedit quando aliis illud pro merito eorum tribuit, aliis pro misericordia sua tradidit. Vidimus quippe ad hunc nominis [b] titulum fide nobiles venisse plerosque ut devotionis obsequium mors honestaret. Sed et alios frequenter aspeximus interritos stetisse, ut admissa peccata redimentes, cruore suo loti haberentur in sanguine, et revivisce- A rent interempti qui viventes computabantur occisi. Mors quippe integriorem facit vitam, mors amissam invenit gloriam. Nam hoc spes jam amissa percipitur, hoc salus cuncta reparatur. Sic cum arentibus campis [c] sementa defecerint, et herbis terra morientibus æstuarit, supinis e collibus fluvium juvit elicere et scaturientibus rivis arva sitientia temperare, quo se in uberes culmos victa agri jejunitas funderet, et pluviali imbre mentito seges densior inhorreret.

XXIV. Quid igitur, fratres charissimi, potissimum referam, quidve dicam? Sic in unum convenientibus titulis dignitatis, turbatur animus, deducitur sensus, et in ipso conatu nitentis eloquii impar sermo vanescit. Quid enim est dici quod satis esse possit, B cum si vim æternæ salutis expresseris, occurrat ambitio, si ambitum dixeris, præveniat magnitudo? Res simulque congruunt simulque concurrunt; nec est quod dignum proferendum esse videatur. Ita impetus orationis audentis velut implicitos irretitosque obviam ex adverso martyrii exempla tenuerunt. Quæ vox, quæ latera, quæ vires instar muneris tanti capiant sustinere? Confessione vocis unius adversa succumbunt, læta proveniunt, patent regna, parantur imperia, devincitur pœna, mors subjicitur, vita profertur, et [351] infestantis inimici repugnantia arma solvuntur [d]. Si delictum est, occidit; si crimen, absistit. Unde, quæso vos, vestris hoc mentibus ponderate, tantumque de nostra oratione percipite quantum sciatis vos posse sentire.

C XXV. Veniat ante oculos vestros qui dies *ille* sit cum spectante populo, atque intuentibus cunctis, contra terrenas cruces et minas sæculi inconcussa devotio reluctetur, quam suspensi animi mentesque sollicitæ de ancipiti trepidatione, gratulantium formidinis pavidæ quatiantur horrore, quæ illic anxietas quæ exoptatio precum, quæ vota memorentur, cum adhuc nutante victoria, atque in incertos exitus casu victrix capiti corona dependeat, cumque illa pestilens ac furibunda confessio accendatur ira, inflammetur insania, omni denique pectoris rabie ac minis frendentibus torreatur. Etenim quantum hoc sit quis ignorat, ut non doloribus vulnerum, non ictibus quæstionum, velut despecta nostra fragilitas et humanæ virtutis inopinata cedat audacia, stare hominem nec moveri, torD queri nec tamen vinci, sed pœna ipsa potius qua cruciatur armari.

XXVI. Considerate quid sit, charissimi fratres, omnem martyrii firmitatem sensibus vestris animisque proponite. Ecce enim in passione cujuslibet vocati gaudent jampridem acciti e sæculo martyres, gaudent bonorum omnium nuntii, gaudent pariter electi. Ibi lætatur milite suo Dominus, lætatur teste

LECTIONES VARIANTES.

[a] *Sic Imp.* Quoddam in martyrio *Oxon Lam. Ebor. NC.* 1.
[b] Homines *Lam. Ebor. NC.* 1.
[c] Glebis *Lam. Ebor. NC.* 1.
[d] Resolvuntur. *Lam. Ebor. NC.* 1.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

XXII. — *Nihil vobis denegatum.* Supra, Epist. XV, p. 26 : *Quid enim petitis de indulgentia Domini quod non impetrare mereamini.*

Digitized by Google

nominis sui Christus. Parum est quod dico, fratres charissimi, parum est. Ita magna mihi ratio in hoc genere dicendi ac moles admiranda suscepta est; sed arbitrii, quæso vos, gravitas ab intentione propria non desit, sciens tantum de martyrio posse dici quantum potuerit æstimari. Unde et hæc sola exequendæ laudis fuit causa, non quo parem me gloriæ ejus atque idoneum judicarem, sed quod tantam in illo cernerem esse virtutem, ut, etsi parum de eo dicerem, plurimum me dixisse profiterer. Nam præferatur licet bono fidei custodia justitia, melioremque se inter omnium laudes virginitas immaculata cognoscat, cedat tamen necesse est sanguini [a] summittaturque cruori. Illi elegerunt bonum, hi imitati sunt Christum.

XXVII. Nunc vero, charissimi fratres, ne quis me arbitretur omnem salutem non alio statu quam in martyrio collocasse, hoc primo profecto respiciat, neque me tantum esse qui loqui videor, neque ita se habere ordinem rerum, ut immortalitatis spes repromissa unius partis latere nitatur. Sed, quoniam ita Dominus suo ore testatus est, esse habitacula penes patrem multa, nihil majus credidi ea gloria qua probantur hi homines qui sæculari indigni sunt vita [b]. Igitur, charissimi fratres, æmula religione certantes, velut incentivo quodam mercedis agitati [c], omnem virium copiam tolerantiamque subeamus. Non enim movere nos debent caduca, quæ semper in eversionem suam, non modo lege proposita, sed etiam ipso fine temporis urgentur. Exclamat Joannes et dicit : *Jam securis ad radicem arboris posita est* (*Joan.* XII, 35), monstrans scilicet et ostendens ultimam esse rerum omnium senectutem. Sed et ipse Dominus : *Ambulate*, inquit, *dum lucem habetis, ne vos tenebræ comprehendant* (*Matth.* III, 10). Quod si illo tempore ambulandum nobis esse prædixit, utique ut nos magis [d] ambularemus ostendit.

XXVIII. Atque ut ad laudem martyrii redeam, vox est beatissimi Pauli dicentis : *Nescitis quoniam qui in agone currunt, multi certant, unus autem accipit palmam? Vos autem sic currite ut omnes comprehendatis* (I *Cor.* IX, 24). Sed et alibi, quod ad martyrium possit hortari, cohæredes nos Christi vocavit. Quin etiam, ne quid omitteret, *Si cum Christo*, inquit, *commortui estis, quid tamquam viventes in hoc sæculo decernitis* (*Coloss.* II, 20)? Etenim, [sss] charissimi fratres, qui resurrectionis præmia sustinemus, qui judicii diem quærimus, qui denique regnaturos nos esse cum Christo confidimus, sæculo mortui esse debemus. Nam nec poteris optare martyrium, nisi ante oderis sæculum, nec pervenire ad Dei præmium, nisi amaveris Christum. Qui autem amat Christum, non amat sæculum. Christus enim abjectus est sæculo, sicut et sæculum Christo, ut scriptum est : *Mundus mihi crucifixus est, et ego mundo* (*Gal.* VI, 14). Nemini amabilis fuit mundus quem non ante damnaverit Dominus, nec salute potuit frui æterna qui mundi gloriatus est vita. Vox est ista Christi dicentis : *Qui in hoc sæculo amaverit animam suam, in futuro perdet illam; qui autem in hoc sæculo oderit illam, in futuro inveniet eam* (*Matth.* X, 39). Sed et apostolus Paulus : *Imitatores*, inquit, *mei estote, sicut et ego Christi* (I *Cor.* VI, 1). Et alibi [e] ipse : *Volo vos omnes*, ait, *si fieri potest, imitatores meos esse* (I *Cor.* VII, 7).

XXIX. Dixit hoc ille qui passus est et qui ad hoc passus est ut imitaretur Dominum, utique et nos ad hoc voluit pati ut per ipsum imitaremur Christum. Si justus es et Deo credis, quid pro eo sanguinem fundere metuis quem pro te toties passum esse cognoscis? In Esaia sectus, in Abel occisus, in Isaac immolatus, in Joseph venundatus, in homine crucifixus est. Et, de cæteris quidem taceo, quæ nec oratio potest dicere nec animus sustinere. Vincitur conscientia humilitatis exemplo; et quanta considerat quæ dum pateretur acciderint, miratur passum propter quem cuncta trepidarint. Dies fugit in noctem, in tenebras lux cuncta concessit, atque inclinato per alternas vices pondere, omnis terra commota dissiluit, turbati manes, monumenta nudata sunt, et sepulchris in hiatum dehiscentibus terræ, reddita luci corpora restiterunt [f], fluxu sanguinis mundus intremuit, scissa quæ foribus dependebant vela, templum omne mugiit. Unde magnum est imitari eum qui moriendo [g] arguit sæculum. Igitur, cum ad exemplum Dominicæ passionis atque ad omne testimonium Christi animam tuam ponas nec fundere sanguinem metuas, martyrio totum necesse est cedat. Martyrii inæstimabilis gloria, infinita mensura, immaculata victoria, inæstimabilis titulus, triumphus immensus; quippe qui et propria confitentis laude [h] præfertur, velut socio Christi cruore decoratur.

XXX. Itaque, charissimi fratres, licet sit hoc totum Dominicæ promissionis et muneris, licetque tribuatur ex alto, nec capiatur nisi ejus imperio, sed nec aut mente concipi aut exprimi verbis aut oratione percurri aut quibuslibet eloquentiæ viribus possit impleri, tamen erit hoc benevolentiæ vestræ, erit charitatis et amoris, si volueritis nostri memores esse cum in vobis Dominus martyrium cœperit honorare. Vos intra se sanctum illud altare, vos intra se magna illa venerandi nominis sedes, veluti sinu quodam gremii amplectentis includit, vos imperia perennis temporis sustinent, et illud quo regnaturi semper estis semperque victuri. O beati et quibus vere dimissa sunt peccata; si tamen qui Christi compares estis, aliquando peccastis. O beati quos a primordio

LECTIONES VARIANTES.

[a] Cedat tamen sanguini *Oxon.* Necesse est *Lam. Ebor. NC.* 1.
[b] *Sic Lam. Ebor. NC.* 1. *Imp.* Indigni sunt. Igitur.
[c] Agitatione *Lam. Ebor. NC.* 1.
[d] *Sic Imp.* Ut nunc *Oxon. Lam. Ebor. NC.* 1.
[e] *Sic Lam. Ebor. Lin. NC.* 1.
[f] Consiterunt *Oxon. ex codd. Lam. Ebor. NC.* 1. *Imp.* restituerunt.
[g] *Sic. Lam. Ebor. NC.* 1. *Imp.* Scissa quæ foribus dependebant vela, templum omne mugiit : qui moriendo.
[h] Consistentis *Lam. Ebor. Lin. NC.* 1.

Digitized by Google

mundi Domini sanguis infecit, et quos merito splendor iste nivei amictus induerit, et candor stolæ ambientis ornarit. Videor denique ipse mihi jam cernere proque arbitrio mentis humanæ ante oculos et aspectum divinum illud mihi et insigne concurrit, videor, inquam, mihi jam cernere ut ille vere nobilis numerus Christi sui gloriam interque comitetur. Ibit ante ora ejus felix caterva victorum [a], et se densantibus turmis, velut solis exortu totum illuminatum agmen inferet potestatem, Et utinam perabjecto mihi istud videre contingat! Sed hoc Dominus poterit efficere quod vobis petentibus creditur non negare.

His D. Cypriani operibus dubiis in editione Baluziana subjectus cujusdam anonymi de Rebaptismate libellus, quem opportuniori loco in tomo præcedenti inseruimus.

LECTIONES VARIANTES.

[a] *Sic Lam. Imp.* Virorum.

AD OPERA D. CYPRIANI

GENUINA

APPENDICES.

PROLEGOMENA

DE SCRIPTIS SANCTI CYPRIANI OPERIBUS DUBIIS, DEPERDITIS, ATQUE EIDEM SUPPOSITIS.

ARTICULUS I.

D. Cypriani opera dubia.

Præter opera, quæ genuinos S. Cypriani fœtus esse, apud omnes constat, nonnulla alia illius nomine in mss. editisque libris circumferuntur; quorum aliqua dubia sunt, alia ipsi certe afficta, de quibus hic paucis agam, secutus ordinem, quo ea in Baluziana editione Veneta recensentur.

I. In primis occurrit *de Spectaculis* liber insignis (1), nec Cypriano indignus, cui eum etiam multi adscripserunt, nimirum Baronius, Jacobus Pamelius, Petrus Faber, Sanjorianus, Jacobus Sirmondus, Desiderius Heraldus, Bellarminus. Favet his tum ipsa libri inscriptio: *Cyprianus plebi in Evangelio stanti salutem*; tum persona scribentis, qui sese velut aliquem præsulem ab Ecclesia sua absentem exhibet, et cui ægre est, quod nec coram, nec quotiescumque lubet, per litteras suas alloqui possit: quod in sanctum Episcopum nostrum vel in senatum latentem, vel exulantem Curubi recte convenit. Favent deinde temporis notæ: nam et vigente paganismo scriptus est, et de usitato tunc more sanctissimæ Eucharistiæ a fidelibus domum suam ex Ecclesia deferendæ, deque Exorcismis tum frequentibus meminit; quæ eadem illius ætate Carthagine viguisse constat. Favet denique, quod hujus opusculi auctor Tertullíani libros *de Spectaculis* hinc et inde imitatus sit, quos sancto nostro familiares fuisse nemo ignorat.

Sed et stylus libri ad Cyprianeum non parum accedit, ut nonnullis eruditis non nisi perperam ab illo diserepare videatur. Fatendum tamen est, hanc styli differentiam minime dubiam esse, Cyprianum legere assueto. Neque etiam reperire hic est eam dicendi vim et efficaciam ipsi tam propriam nec sacrorum textuum usum, quo in operibus suis mirum in modum excellunt. Adde, quod præter Cypriani nomen nihil in eo opusculo legatur, quod hoc ad Carthaginenses potius, quam ad alterius Ecclesiæ fideles conscriptum fuisse suadeat. Immo vero, cum auctor de ludorum in urbe Roma, non alibi, origine meminerit, et post multa sub finem operis gregem suum ad dignum Christianis spectaculum, mundi scilicet fabricam, sacrasque litteras, provocans, dicat: *Hoc est spectaculum, quod non exhibet prætor aut consul, sed, qui est solus ante omnia, et super omnia, immo ex quo omnia, Pater Domini nostri Jesu Christi*, etc. Cum, inquam, hæc ibi dicat, suspicio esse posset, hunc librum ad Romanos potius, quam ad Carthaginenses scriptum fuisse; cum hi non Consulem, sed Proconsulem haberent, ideoque hic, non ille, nominandus fuisse videatur. Quod vero ad Cypriani nomen attinet, potuit hoc a librario, qui librum ipsius esse opinabatur, adscribi. Itaque opusculum hoc inter dubia S. Cypriani relinquendum existimamus, donec in alterutram partem aliquid certius productum fuerit.

II. Præclarum pariter opus est liber *de laude Mar-*

(1) Iste et sequens liber ad normam editionis Baluzianæ Parisiensis supra excusi fuere. EDD.

Digitized by Google

tyrii, stylo oratorio, magisque elaborato, quam indubitata S. Cypriani opuscula, si Epistolam *ad Donatum* excipias, conscriptus. Erasmus, et post hunc Joannes Fellus, et Elias Dupin (1), illum propterea S. Cypriano abjudicarunt, et cujusdam otiosi oratoris fœtum esse censuerunt. Contra Baronius (2) Erasmum ob solam styli differentiam sic censurantem graviter reprehendit, et ex S. Augustino (3) probat, S. Cyprianum non eodem semper scribendi genere usum fuisse, sed modo *submisso*, ut in libro, seu Epistola LXIII, de calice Domini *ad Cæcilianum*, modo *temperato*, ut in libro *de Disciplina et habitu virginum*, modo etiam *grandi*, ut in hoc eodem libro, dum res ita posceret, ab eo factum esse, S. Augustinus ibidem observat. Idem Fellus opusculum hoc inde præterea oppugnat, quod de hac tum grassante in eo fiat mentio, et tamen Moysi, et Maximo, et cæteris confessoribus inscriptum sit : nam cum S. Moysem sub Decio, anno 251, martyrio coronatum constet, pestem vero Fellus, imperante Gallo primum exortam esse, statuat; hinc infert librum illum esse scriptoris de rebus ab ætate sua remotis parum instructi. Ad hæc reponi potest, cum Tillemontio, non probari pestem illam sub Gallo primum exarsisse, licet tum acerbius grassata fuerit; atque adeo ex hoc capite laudatum librum S. Cypriano abjudicari non posse. Baluzius in Annotatis alio responso utitur, negando scilicet libri inscriptionem Moysi et Maximo in plurimis codicibus optimis et vetustissimis, quos habuerit, reperiri asseritque in his tantum similiter præmitti : *Incipit de laude Martyrii*, vel aliquid simile. Hinc ipse in editione sua priorem illam inscriptionem, velut ab alio additam, prætermisit. Eamdem a tribus codicibus antiquis pariter abesse Joannes Fellus testatur. At necesse non est huc recurrere, cum S. Moysis, Maximi, Nicostrati, cæterorumque confessorum Romanorum Epistola, quæ XXVI, est inter Cyprianicas, minime inane argumentum præbeat pro eodem libro S. Cypriano vindicando, quod Eminentissimus Bellarminus libro de Scriptoribus ecclesiasticis in S. Cypriano haud dubie insinuavit, dum ait : memoratos Confessores in prædicta Epistola de ea mentionem facere. Rem ipsam expono. Confessores illi inter cætera hæc scribunt : « Percepimus igitur, iterum dicimus, frater Cypriane, magna gaudia, magna solatia, magna fomenta, maxime quod et gloriosos Martyrum, non dicam mortes, sed immortalitates gloriosis et condignis laudibus prosecutus es. Tales enim excessus talibus vocibus prosequendi fuerunt, ut, quæ referebantur, sic dicerentur, qualiter facta sunt. Ex tuis ergo litteris vidimus gloriosos illos martyrum triumphos, et oculis nostris quodam modo cælum illos petentes prosecuti sumus, et inter Angelos ac Potestates, Dominationesque cœlestes constitutos contemplati sumus. Sed et Domi-

(1) Dupin, *Biblioth.* t. I, p. 267 et 278; Tillemont., tom. IV, not. 14, *in Cypr.*; Ceillier, tom. III, p. 154.
(2) Baron., *ad ann.* 255, num. 37 et seqq.
(3) Augustin., lib. IV *de Doctrina Christiana*, c. 21.

num apud Patrem testimonium suum illis promissum perhibentem auribus nostris quodam modo sensimus. » Certum igitur est, S. Cyprianum Martyrum in cœlis gloriam, Christique apud Deum Patrem testimonium inter alia ipsis proposuisse, ut eosdem ad martyrium vehementius excitaret. Jam vero geminam quidem sancti Martyris Cypriani ad eosdem Epistolam habemus, quarum altera XV, altera XXV, est in editione Baluzii Veneta, qua utimur; sed quamvis utraque quædam sit ad eumdem agonem exhortatio, in neutra tamen cœlestis gloria martyrum, aut Christi testimonium memoratur, ideoque aliud quoddam ejusdem Sancti opusculum verbis præcitatis eos designasse, necesse est. Atqui utrumque istud in laudato libro *de laude Martyrii* occurrit. In primis de Christo apud Patrem suum testante ait : « Et ut de cæteris taceam, hoc nos utique magis debet hortari, quod Confessio vocis unius Christi perpetua Confessione servetur, sicut scriptum est : Qui me confessus fuerit in terris coram hominibus, et ego confitebor eum coram Patre meo, et coram Angelis ejus. » De Martyrum quoque gloria ibidem multis disserit, et sub finem denique ait : « O beati, quos a primordio mundi Domini sanguis infecit, et quos merito splendor iste nivei amictus induerit, et candor stolæ ambientis ornavit! Videor denique ipse mihi jam cernere, proque arbitrio mentis humanæ ante oculos et aspectum divinum illud mihi et insigne concurrit; videor, inquam, mihi jam cernere, ut ille vere nobilis numerus Christi sui gloriam, iterque comitetur. Ibi ante ora ejus felix caterva victorum, et se densantibus turmis, velut solis exortu totum illuminatum agmen inferet potestatem : et utinam perabjecto mihi istud videre contingat! » Hæc, aliaque, quæ studiosus lector confessorum Epistolam cum laudato libro conferendo deprehendet, magnam suspicionem movent, hunc ab illis lectum fuisse. Hinc laudatus Cardinalis Bellarminus illum inter dubia S. Cypriani opera recensuit, non quod illum talem judicaret, sed quod Erasmus de eo dubitasset. Sed nec stylum a cæteris illius opusculis dissidere arbitratus est, nisi, quod magis elaboratus sit, quam alia, sed non magis, quam omnia; cum Epistola *ad Donatum* huic minime cedat. Pro eodem sancto Martyri asserendo etiam observat Baluzius in annotatis, illum ubique in omnibus codicibus antiquis (inter quos unum Seguieriarum, litteris majusculis ante mille annos scriptum, numerat) « reperiri constanter inter ea opera S. Cypriani, quæ nullam habent difficultatem, quin sint S. Cypriani. » Præterea laudat Flori Lugdunensis excerpta ex operibus S. Cypriani, in quibus varios locos ex eodem libro occurrere ait, cum tamen cætera omnia certe Cypriani sint. Diffiteri tamen non possumus, quin præter diversitatem styli hinc et inde etiam nonnullæ phrases obscuriores in eo legantur, quas in Sancti operibus indubitatis non facile reperire est. Sed et in inferorum pœnis commemorandis morem Gentilium nonnihil sequitur, quod haud scio, an sanctum Cyprianum satis sapiat. Itaque, licet multum propendeam,

Digitized by Google

ut laudatum librum ipsi adscribam, id tamen certo facere non ausim. Censuerunt quidem primum Lovanienses ac deinde etiam Parisienses operum S. Augustini editores, eumdem librum a sancto Doctore in libro I, cap. 30, contra Gaudentium citari; sed quæ ipse ex S. Cypriano ibi memorat, proprie ac multo pressius habentur in Epistola *ad Donatum*.

III. Librum *de Disciplina et bono pudicitiæ* Baluzius inter opuscula S. Cypriano vulgo adscripta primo loco recensuit, Bellarminus et Pamelius genuinum ejusdem fœtum esse censuere contra Erasmum aliosque (1), qui illum propter styli dissimilitudinem eidem abjudicarunt. Auctorem certe habuit episcopum a grege suo absentem, quique eum continuis exhortationibus ad virtutum studia excitare solebat, prout ex ipso libri exordio indubitatum est. Scriptum esse persecutionum temporibus colligere etiam licet, dum in eo dicitur : « Persecutionem non potest timere (Virginitas) dum illum de securitate potest provocare. » Hinc Pamelius opinatus est, in secessu sub Decio editum esse : verum hoc parum verisimile est, cum Pontius illius non meminerit, qui ex operibus a Sancto editis utilitatem secessus ejusdem tam studiose commendavit, ideoque sine dubio maxime commemorasset librum in ipso secessu conscriptum. Præter styli discrepantiam Tillemontius (2) in eo, præterea deprehendisse sibi visus est aliquem de divina gratia locum, ex quo scriptor S. Augustino posterior judicari posset, nisi de persecutione ibidem fieret mentio, quam tamen ipsam ad Vandalos, aliosque hæreticos forsan pertinere suspicatus est. Verum ad hæc recte reposuit Maranus (3) minus probabilem esse hanc conjecturam, cum in indubitatis S. Cypriani operibus multo plura ejusmodi, ac forte expressiora de divina gratia testimonia occurrant. Cæterum notat Pamelius librum hunc tum in insigni et vetusto codice Carthusiæ Coloniensis, teste Gravio, tum in codicibus Ludovici Carrionis, et S. Pantaleonis Coloniæ S. Cypriano inscribi; auctorem vero multum imitatum esse Tertullianum in libro de Pudicitia, et ex eo plurima transumpsisse : quod ad stylum autem spectat, ejusmodi breves sententias et enthymemata etiam in libro *de Disciplina et habitu Virginum* reperiri, et ubicumque sanctus antistes Tertullianum imitatus est. Illud certum est, præter styli dissimilitudinem, quo non semper eodem S. Cyprianus usus est, nihil obstare, quo minus ipsi adscribatur.

IV. Librum, qui ad Novatianum Hæreticum *de Spe veniæ non neganda* inscriptus est, ob similem dictionis differentiam Erasmus, Tillemontius (4), aliique, alteri auctori adscribendum judicarunt, cætera nec S. Cypriano indignum, nec ab illius ætate remotum esse confessi. Certe auctor, qui in ipso libri exordio sese episcopum esse prodit, non nisi unam post eam, quam Decius suscitaverat, persecutionem memorat, in qua posteriore multos, qui in prima ceciderant, invictos stetisse asseverat. Quamobrem Maranus (1), eum post persecutionem Galli in pacificis Valeriani imperii primordiis scripsisse merito autumavit. Eumdem Afrum fuisse, passim colligunt eruditi, quod ad Felicissimi Schisma in Africa fere unice notum, alludere videatur, dum ait : « Quid ad ista respondeant perversissimi Novatiani, vel nunc INFELICISSIMI pauci? » S. Cornelii opus non esse, ut Erasmus suspicatus est, suadent ista ejusdem verba : « Sacramentum Baptismatis, quod in salutem generis humani provisum, et soli Ecclesiæ cœlesti ratione celebrare (Christus) per os suum præostendit. » Hæc S. Cypriani errorem de Hæreticorum Baptismo olent, a quo S. Cornelius remotissimus semper fuit.

At vero Maranus præter styli dissonantiam aliud quidpiam in eodem advertisse censet, ob quod sancto martyri tribui non possit. Librum auctor sic exorsus est : « Cogitanti mihi, et intolerabiliter animo æstuanti, quidnam agere deberem de miserandis fratribus, qui vulnerati non propria voluntate, sed diaboli sævientis irruptione, adhuc usque, hoc est, per longam temporum seriem agentes, pœnam darent; ecce ex adverso obortus est alius hostis, et ipsius paternæ pietatis adversarius, hæreticus Novatianus, etc. » Et rursus postquam dixisset, multos ex iis, qui in « prima acie » id est, Deciana persecutione, vulnerati fuerunt « .... postea, id est secundo prælio..... fortiter perseverasse, » subjunxit : « Ecce quam gloriosos quam Domino caros, Schismatici isti ligna, fœnum, stipulam appellare non dubitant, quorum pares, hoc est, in eodem crimine lapsus sui adhuc usque constitutos, nec ad pœnitentiam admittendos esse præsumunt. » Ex hisce vero Maranus duo infert : primum, auctorem libri episcopum fuisse, qui moleste ferebat, Novatianum sibi in lapsis pœnitentibus humaniter tractandis impie adversari. Alterum, eumdem auctorem, dum scriberet, nondum pacem concessisse iis, qui sub Decio lapsi fuerant; atque adeo hunc S. Cyprianum non esse, quem constat, imminente Galli persecutione, in concilio Carthaginensi pacem lapsis, etiam ante expletam totam pœnitentiam, dandam esse decrevisse, ne persecutioni succumberent. Nec inanis est hæc Marani argumentatio : non tam certa tamen, quam ipsi visa est. Nam primo quidem, quod priori loco de pœnitentia « per longam temporum seriem » producta legitur, ad litteram accipi non potest, nisi quis dicere voluerit, Novatianum hæresim suam sub Valeriano primum spargere cœpisse, aut certe hujus rei notitiam tum tantum ad auctorem libri pervenisse; quorum neutrum dici potest. Non primum, quia ex commentario prævio constat, illum sub Decio una cum schismate hæresim suam excitasse. Non etiam secundum, quia nulla verisimilis ratio produci potest, ob quam episcopus Afer, qualem Maranus auctorem libri fuisse admittit, Novatiani hæresim, in Africa

(1) Dupin., *Biblioth.* tom. I, pag. 267. Ceillier, *Histoire*, tom. II, pag. 153.
(2) Tillemont, tom. IV, art. 28, pag. 46 et 81.
(3) Maran. in Vita, § 35, pag. 118.
(4) Tillemont, *Mémoires*, tom. IV, art. 41, p. 56.

(1) Maran., loc. cit.

Digitized by Google

notissimam, et in concilio Carthaginensi damnatam, tamdiu ignorare potuerit. Videtur itaque scriptor de tempore minus exacte locutus ; et ista : *Adhuc usque, hoc est, per longam temporum seriem*, non ad Valeriani, sed ad Galli imperii primordia referenda esse. Sed neque ex secundo textu certo inferri potest, quod inde intulit Maranus ; auctorem scilicet, dum scriberet, nondum pacem concessisse lapsis sub Decio. Non enim hanc ipsis a se datam inficiatur, sed eam hujusmodi pœnitentibus ad id usque tempus a Novatiano, ejusque asseclis tam duriter negatam esse affirmat, ut, si horum judicio standum esset, ne ad pœnitentiam quidem etiam tunc lapsi pœnitentes admittendi essent. Non satis quoque verisimile est, eumdem auctorem, jam imperante Valeriano, etiam cogitasse, quid lapsis pœnitentibus agendum esset, cum jam inde sub Decio in Carthaginensi æque ac Romano concilio decretum fuisset, lapsos ad pœnitentiam plenam, et hac expleta ad pacem admittendos esse; ac deinde præterea in altera Carthaginensi synodo, imperatore Gallo, statutum, ut propter instantem persecutionem lapsi omnes, qui a primo die lapsus sui pœnitentiam agere cœperant, nec ab Ecclesia recesserant, eadem pace mox impertirentur. Quamobrem si episcopus ille Afer tum etiam reipsa cogitaverit quid de lapsis facere deberet, dicendus est de iis loqui, qui posteriori decreto non comprehenderentur : et hac ratione tota difficultas evanescit, cum hujusmodi deliberatio æque in S. Cyprianum, quam alium quemcumque cadere potuerit. Marani igitur observatio magis quidem dubium facit, an laudatus liber non potius alteri, quam S. Cypriano adscribendus sit, sed huic certo abjudicandum esse, non evincit.

V. *Exhortatio ad Pœnitentiam* Divi Cypriani medio hoc sæculo in lucem protracta est, primamque lucem vidit Bononiæ anno 1751, ex typographia S. Thomæ Aquinatis, apud Hieronymum Corciolani, vulgante eam ex ms. codice Bibliothecæ Canonicorum Regularium congregationis S. Salvatoris, quæ Bononiæ est, viro eruditissimo et reverendissimo domino, hujus ipsius congregationis quondam abbate generali, Joanne Chrysostomo Trombellio. Ediderat jam ille, adstipulantibus aliis suæ congregationis, quæ eruditissimis viris abundat canonicis, similium *anecdotorum Patrum Latinorum opusculorum* volumen unum. Et in voluminis II, prima parte ita inscripta : *Cypriani, Hilarii aliorumque veterum Patrum Latinorum opuscula a Canonicis Regularibus S. Salvatoris nunc primum edita*, communicat cum eruditis hunc Cypriani libellum. Sagacissimus editor, licet non omni certitudine asserat, proprium esse hunc libellum D. Cypriani opus, pronus tamen omnino est huic S. Doctori eum ut vindicet; primo, quod Cypriani nomen illi præpositum codex referat; secundo, quod eadem, qua in libris *Testimoniorum* Cyprianus utitur, et hic adhibeatur disputandi, Scripturæque testimonia allegandi ratio; tertio, quod disciplina hic stabiliatur quæ, Cypriani tempore impugnata, tali vindice indiguerat; indicatur enim ibi non obscure, recipiendos in Ecclesiam lapsos, et a spe veniæ minime arcendos quorumvis criminum reos, dummodo canonicæ pœnitentiæ sese subjecerunt. Nec tacet quæ in contrarium adsint argumenta; infringit tamen illa : primum est, interpretationem Scripturæ hic allegari valde diversam ab ea qua utitur Cyprianus : huic Trombellius replicat, veteres modo unam, modo aliam Scripturæ interpretationem sequi, hujusque rei adeo multa, adeo perspicua documenta haberi, ut de ea jam nemo dubitet ; affertque unum, sed manifestum exemplum in Augustino, qui versiculum 22 cap. XVIII *Ezech.* quater adducit, et diverso semper modo ; incusat præterea amanuenses, quod licentiam non levem sibi arrogarint substituendi non raro interpretationem sibi prædilectam interpretationi, qua usus fuerat auctor ille quem exscribebant.

Alterum est, quod veterum nemo hunc libellum alleget, aut Cypriano attribuat : cui id opponendum putat Trombellius, nec ita temere affirmandum, veteres alios hunc libellum non allegasse, cum tot doctorum opera adhuc desideremus, nec multum curandum esse negativum argumentum, ex veterum silentio desumptum : dari autem posse rationem satis probabilem, cur ex veteribus, quos quidem habemus, nemo libellum hunc alleget, quod desierit haud multo post Cypriani tempora error is, quem libellus iste confutat, ideoque desierit etiam occasio, ob quam allegaretur. Jungit etiam hanc de libelli auctore dubitandi rationem, quod exstiterint jam pridem nonnulli etiam inter Latinos, qui Cyprianum hoc in scribendi genere imitabantur, in quorum numero Pelagius eminuerit. Cum expensis hisce omnibus maxime tamen vero simile sit ad Cyprianum pertinere hunc libellum, vel saltem ad vetustum, valde probabilem, et coævum Cypriano scriptorem, et libris *Testimoniorum* adeo æqualem, ut quasi unum cum illis corpus, si conjungatur, videri debeat; nec modica, ut Trombellius judicat, ejus sit utilitas, « eum ego, inquit Cl. Oberthur (1) censui nec præteriri posse, nec a libris Testimoniorum separari deberi. »

De ipsa autem libelli hujus utilitate ita doctissimus Editor disserit : « An non valde utilis est libellus, in quo usitatissimus Ecclesiæ mos eminet, » ut scilicet exortus error adductis pluribus Scripturarum testimoniis statim reprimatur; et in quo tanta vetustissimæ versionis portio inest? Quodsi eo ordine, quo codices eorum temporum conscripti erant, sacros Libros hic allegari censes, emolumentum aliud continuo in eo habes, quod quidem hic multis commendare minime est opus, sed profecto non leve est. Habet etiam hoc commodi, ut sacras Scripturas allegans, *Ecclesiastici* librum adducat, exemplo suo ostendens, quanto in pretio prioribus ipsis Ecclesiæ sæculis habitus sit liber ille, quem nunc Protestantes minimi faciunt.

(1) Oberthurr *Opera omnia SS. PP.*, vol. III. *Opera S. Cypriani*, tom. I, Wirceburgi 1782. In Epistola ad Cl. Mich. Ignat. Schmidt pag. 20.

Digitized by Google

ARTICULUS II.

Divo Cypriano supposita opera.

I. Varia insuper apud Baluzium habentur opuscula, S. Cypriano olim pariter adscripta, quæ ipsius non esse, eruditi critici satis consentiunt. Ex his liber *de Aleatoribus*, cujusdam Romani Pontificis, judice Bellarmino, potius esse videtur, cum auctor initio scribat : « Quoniam nobis divina et paterna pietas Apostolatus ducatum contulit, et Vicariam Domini sedem cœlesti dignatione ordinavit, et originem Authentici Apostolatus, super quem Christus fundavit Ecclesiam, in superiore nostro portamus, accepta simul potestate solvendi et ligandi, et curatione peccata dimittendi. » Judice Dupinio (1) scriptus quidem est ab Episcopo : at non concludendum est ex laudatis verbis esse Papam Romanum, eo quod se Christi Vicarium appellet, hoc enim nomen apud veteres omnibus episcopis datur. Hujus tractatus stylus minus adhuc similis est stylo Cypriani, cum sit involutus, obscurus, plenusque verbis minime Latinis. In eo Scriptura sacra aliter reperitur citata, ac in Cypriani libris, illiusque auctor mentionem facit libri inscripti *Doctrina*, sive *Doctrinæ Apostolorum*, quem post S. Cyprianum compositum esse omnino verisimile est.

II. Liber *de Singularitate Clericorum* opus est utilissimum, in quo probatur Clericos cum mulieribus non debere habitare. Nonnulli Origeni, alii S. Augustino falso adjudicarunt ; Baronius (2) nemini æquius quam S. Cypriano nostro attribui posse statuit, sed ab hac opinione dissentiunt Bellarminus, Pamelius, cæterique neoterici, qui etsi librum illum insignem ac utilem, atque antiqui scriptoris esse passim agnoscant, stylum tamen ejusdem, et barbaras voces (3), quæ hinc inde in eo occurrunt, S. Cypriano indignum esse merito pronunciant. Hunc tractatum alii etiam Hieronymo, quidam Gaudentio Brixiensi tribuerunt. Sed neque Hieronymi, neque Origenis stylo scriptus est (4), magisque accederet ad stylum Gaudentii, episcopi Brixiensis, nisi obstarent manuscripta, et ea quæ typis sunt excusa, quorum nullum eum illi tribuit. Editionis Anglicæ auctor contendit hunc tractatum fuisse compositum temporibus Venerabilis Bedæ, cum quæstio de cœlibatu in Occidente agitata est : at hæc conjectura nulla solida nititur ratione (5).

III. Liber *de duodecim Abusionibus sæculi*, qui etiam Augustino adscribitur, neque hunc patrem, neque Cyprianum, judice Marano, habet auctorem ; nam præterquam, inquit Dupinius, quod stylus, ac scribendi modus plane est diversus, Scriptura sacra semper in eo citatur juxta Hieronymi versionem. Pamelius eum attribuit certo cuidam Errado, cujus nomen ad marginem hujus libri adscriptum in manuscripto Augustini reperit ; alii tribuunt Patricio, Hyberniæ episcopo, cæteri Clymaco. Hic tractatus inter opera D. Augustini editus est ; testatur insuper Fellus olim in linguam Anglorum translatum fuisse, et in volumine manuscripto Homiliarum Saxonicarum reperiri sub hoc titulo : *De duodecim Abusivis secundum disputationem S. Cypriani, episcopi et martyris.*

IV. His Tractatibus adjicienda est *Oratio in laudem Martyrii*, et altera *de Duplici Martyrio, ad Fortunatum*, quæ ab aliquo recentiore auctore animi gratia compositæ sunt. Prior stylo ornato et plus æquo affectato scripta est : et patet ejus auctorem id intendere, ut orationem ex formula conscribat. Exordio incipit perinde ac si ad populum concionaretur ; ejus periodi sunt elaboratæ, cogitationes nimia religione attenuatæ, ac ordo valde coactus. Oratio *de Duplici Martyrio* minus accurate scripta est ab aliquo auctore recentiore, qui Cypriani stylum volebat imitari. Ab Henrico Gravio et Pamelio creditus est Erasmus hujus fraudis auctor ; sed absque solido fundamento Erasmi nomini non leve hoc dedecus inusserunt ; et certe vir ille doctus eam melius occultasset fraudem ; quamvis enim auctor fingat se scribere 240 annis, aut circiter post Christum, ait tamen Religionem latius, quam imperium diffundi. Meminit persecutionum Diocletiani, et Maximi, sive Maximiani, *belli* adversus Turcas ; facitque mentionem monachorum eorumque artium.

V. Tractatus *de Operibus Christi Cardinalibus*, sive principalibus, Cypriano tributus, licet stylus sit plane alius, fide multorum mss. restitutus est Arnaldo a Bonnevallo, in diœcesi Carnutensi Abbati, Bernardi amico, qui circa medium sæculi XII floruit, eumque papæ Adriano IV inscripserat, quique alios tractatus *Bibliothecæ SS. Patrum* insertos eodem stylo conscripsit *de Verbis Christi, de Cruce, sex dierum Operibus*, et *Mariæ Virginis Laudibus* ; ac denique librum *Meditationum*, qui, nondum editus, operibus Cypriani, in Anglia, typis Oxoniensibus novissime editis adjectus est (1).

VI. Nihil dicam de *Expositione in Symbolum Apostolorum*, quod eximium opus Hieronymo etiam adscriptum, nunc omnium judicio restituitur legitimo parenti Ruffino Torano, Aquileiensis ecclesiæ presbytero ; de hac Expositione Gennadius in *Catalogo Virorum illustrium* meminit, dum ait : « Proprio autem labore, immo gratiæ Dei dono, exposuit idem Ruffinus Symbolum, ut in ejus comparatione alii non

(1) Dupin. *Bibliothec. Auctor.*, tom. I, pag. 278, in not. o, edit. lat. Colon., et pag. 267.

(2) Baronius ad annum 253, num. 44.

(3) Talia verba barbara sunt : *Repulsarium*, *constitutionarios*. *vulgaritatis*, *flumirorum*, *probrositatis*, *participia*, *adunari*, *vanificat*, *egestosam*, *procuratiua*, *absentarii*, *etc.*, *conjugaliter*.

(4) Vid. *Hist. Theolog. Critic.*, tom. IX, *de Scriptis Origenis* pag. 260 sqq.

(5) Vid. Maran., in Vita Cypriani, § 36, pag. 120 sq., edit. Venet. 1728.

(1) Hæc, ut sane decebat, ad suam medii ævi ætatem, remittenda atque suo auctori legitimo adscribenda opuscula in hujusce Bibliothecæ decursu, Deo favente, curabimus. EDD.

Digitized by Google

exposuisse credantur. » Inter Hieronymi opera supposititia etiam nunc exstat (1).

VII. Tractatus *de Hæreticorum Baptismo*, adversus S. Cypriani sententiam a doctissimo Rigaltio primum in lucem editus, veteris est auctoris, qui ante Augustini tempora, et Cypriani forsan ætate vixit. Hunc libellum *de Rebaptismate* Baluzius, monente primum Philippo Labbeo, scriptum fuisse censet (2) ab Ursino, monacho Afro, quem Gennadius in libro *de Scriptoribus Ecclesiasticis* inter Scriptores ævi quarti jam desinentis nominat, et scripsisse tradit adversus eos qui rebaptizandos hæreticos decernunt, atque docuisse rebaptizandos non esse eos, qui in nomine vel simpliciter Christi, vel in nomine Patris, et Filii et Spiritus sancti, quamvis pravo sensu baptizantur, iis autem post simplicem Trinitatis confessionem sufficere ad salutem manuum impositionem (3).

Persuaserunt potissimum Baluzio, ut opusculum hoc Ursino tribueret, licet Guilelmus Cave illud quod invalescente persecutione scriptum videatur, ævo Cypriani asserat, illa verba : « post tot sæculorum tantam seriem » quæ ipsum inter et Apostolos intercesserit; elisamque putat Cavei censuram exinde quod, ut ipse alias de tempore concilii Eliberitani ostendisset, mentio persecutionis facta antiquitus fuerit ab ils etiam, qui diu post extinctam persecutionem vixere. Rigaltius econtra, editor Oxoniensis, Tillemontius, Caveus, Maranus et Gallandius arbitrantur opus esse Auctoris ab ævo Cypriani parum distantis (4).

VIII. Non magis S. Cypriani operibus genuinis accenseri possunt Tractatus *de Montibus Sina et Sion*, *adversus Judæos;* liber ad Vigilium Episcopum *de Judaica Incredulitate*, et Tractatus *adversus Judæos*, qui insecuti sunt Dominum nostrum Jesum Christum. Nam primum a viro compositus est, qui Rabbinorum, et Caballistarum deliriis fidem adhibebat, nugasque Cypriani ingenio prorsus indignas complectitur. Alterum opusculum *de Incredulitate Judaica*, non nisi præfationem esse cujusdam Christiani senis, qui seso Celsum nominat, in Jasonis Christiani, et Papisci Judæi dialogum, e Græco Latine a se redditum, legenti manifestum est. Hæc præfatio ideo inter opera Cypriani forsan adoptata, licet præcipiti nimium judicio, aliquando fuit, quod in codice Colbertino 1453 signato, hoc ejus initium sit : *Cyprianus Vigilio fratri salutem!* Porro vetustus is Dialogus Græcus est, cum Origenes lib. IV contra Celsum ejusdem meminerit (5). Quis qualisque fuerit ille Celsus, qui ea in latinum sermonem versa, præfatione bene longa, Vigilio episcopo (1) nuncupata auxit, non constat; id solum liquet ex plurimis præfationis locis, eum vigentibus adhuc persecutionum temporibus, et ante susceptam ab imperatoribus fidem Christianam scripsisse.

IX. Tertium denique *adversus Judæos* Tractatum ob nimiam styli dissonantiam Cypriano tribui non posse Critici pariter consentiunt; observat insuper Cl. Dupinius duobus his in operibus, præfatione nimirum Vigilio inscripta, et Tractatu *adversus Judæos*, nihil congruens et solidum reperiri (2).

X. Carmina *Genesis et Sodoma* inscripta Cyprianum auctorem habere Pamelius arbitratus est, eo quod a Georgio Fabritio ac Morellio et in codice ms. Bibliothecæ Victorinæ apud Parisios ipsi tribuantur; quodque aliquot phrases Cyprianicas in iisdem deprehendisse sibi videretur. Verum hæ rationes exigui momenti sunt, neque memorata Carmina sancto Martyre sat digna sunt, et ignoti cujusdam auctoris esse rectius creduntur. Nihil pariter suadet, alterum item carmen *ad Senatorem* ex Christiana Religione ad Idola conversum. Sancto nostro vindicare, uti nec *Hymnum de Cruce Domini* vel de *Pascha Domini*, uti Pamelius, vel *Lignum vitæ*, uti Fabritius legerunt, quem, eodem teste Pamelio, codex Dunensis Victorino adscribit, et post cujus finem alter codex Cornelii Gualteri habet : *Cœlii Cypriani episcopi et martyris Hymnus de Pascha Domini N. J. Christi, aut secundum quosdam Victorini Pictabronensis* (id est, *Petabonensis* vel *Petavionensis*) *Episcopi*, cujus nomine etiam in aliis mss. codicibus exstare dicitur. In Baluzii editione Veneta Victorinum Pictaviensem præfert.

XI. Alii Tractatus Cypriano inscripti non tantum sunt supposititii sed etiam nugas et mendacia continent. Sic opus *de Cœna* ridiculum, ac ineptiis refertum est, non modo itaque sancto Martyre nostro, sed nec Christiano homine dignum est; fœtus scilicet cujusdam nugatoris, sacræ Scripturæ historiis ad ineptas fabulas suas abusi, ut mirum sit, illum S. Cypriano nostro umquam adscribi potuisse. Tillemontius (3), ob ineptissimos non ex rebus profanis, sed ex Scripturis sacris etiam per fas et nefas deductos jocos illud Turca dignius, quam Christiano jure merito existimat. Testatur Salmasius in Notis ad Flavium Vopiscum, pag. 396, se beneficio doctissimi jurisconsulti Jureti habuisse hunc Libellum manuscriptum ab Azelino monacho Rhemensi versibus redditum cum hoc titulo : *Cœna Azelini, Rhemensis*

(1) Similiter hunc librum cum Rufini operibus dabimus. EDD.

(2) Baluzii not. *a.* in Anonymi librum *de Rebaptismate*, pag. 735, edit. Venet. 1748.

(3) Vide tom. præced.

(4) Maran. in *Vita S. Cypriani*, § 35, pag. 117. Galland. *Biblioth. SS. Patrum*, tom. III, Prolegom., pag. 23, et Walch. *Histor. der Ketzer.*, t. II, pag. 368 seqq.

(5) Vid. Hist. Theolog. critic., tom. I, de Aristone Pellæo, artic. II, pag. 386, 392.

(1) Hunc Vigilium Pamelius Tridentinum episcopum fuisse conjicit; sed, quod Celsus Vigilio suo de futuro martyrio gratulatur, eumque ait Dei judicio martyrem destinatum fuisse, cum mirabili modo Episcopus constitutus est; id Vigilio Tridentino aptari non potest; quem sæculo IV, exeunte in summa Ecclesiæ pace viventem nemo spe et expectatione Martyrem dicere potuit.

(2) Dupin. *Bibl. Auctor.*, tom. I, pag. 269, edit. lat. Colon.

(3) Tillemont., *Mémoir.*, tom. IV, pag. 81, art. 65, *Sur S. Cyprien.*

Digitized by Google

monachi, quam condidit ad Henricum imperatorem imitatus Cyprianum Carthaginensem. De eodem libro sequentia refert Casimirus Oudinus (1) : « Unum « quoque me admonuit circa opusculum *Cœna Cy-* « *priani* in operibus ejus inscriptum, vir eruditione « clarissimus Godefridus Guilielmus Leibnitius, epi- « stola Hanoveræ scripta, anno 1707, die 29 decem- « bris, haberi apud se editionem hujus opellæ fac- « tam in Germania anno 1681, in parva forma, cum « versione illius versibus Germanicis, atque in ista « editione, quæ dubio procul ex fidę ms. codicis an- « tiqui et sinceri facta fuit, opusculum constare xx « capitibus, ac Maurum quemdam (ut opinor Gallum) « dedicasse illud Lothario Regi Francorum Filio Lu- « dovici IV, Transmarini dicti, qui regnum anno 954, « per annos xxxii tenuit, ad annum usque 985. « Unde patet, opusculum istud nullius meriti, ac « quod Regi Francorum dedicaretur indignissimum, « esse fœtum hominis indocti, ac sæculi decimi ob- « scurissimi, a temporibus Cyprianicis remotissimi. « Quæ a clarissimo Leibnitio mecum communicata « posteros celare nolui. »

XII. Ejusdem farinæ sunt duo Tractatus, utpote superstitione, atque impietate referti (2), quos reperit editor Oxoniensis sub nomine Cypriani, alterum Latine, alterum Græce scriptum. Primi titulus, *Secreta* Cypriani *seu arcana* : alterius, εὐχαὶ Κυπριανοῦ, *Preces Cypriani*. Utrumque, utpote fœdissimæ superstitionis plenum luce prorsus indignum judicavit. Hæc autem, judice Marano (3) supposita videntur fuisse Cypriano Antiocheno.

XIII. Sic etiam *Revelatio Capitis S. Joannis Baptistæ*, quod fabulosum opusculum in antiquissima Vindelici Spirensis editione reperitur sub nomine S. Cypriani, est narratio fabulosa, scripta post Athanasium, Cyrillum, Theodosium, Wandalos, Marcellini et Pipini Chronica, quorum in ea mentio fit.

XIV. Ad Sanctum quoque nostrum non spectat *Confessio S. Cypriani*, quæ Græce ac Latine exstat apud Baluzium, quæque inter apocrypha in Decreto Gelasii recensentur ; sed ea cognominis sancti, Antiocheni seu Nicomediensis Martyris, esse creditur, qui una cum S. Justina virgine martyre, ad diem xxvii septembris Romano Martyrologio inscriptus est. Hanc *Confessionem* sive *Pœnitentiam* ejus, qua prioris vitæ flagitia uberrime deflet, primus edidit Cyprianicorum operum Oxoniensis editor, et post eum Baluzius : qui tamen et ipsam illam Græce quoque protulit ex Bibliotheca Colbertina, atque ad latus Latinæ versionis posuit, quod plurimis hinc scateat mævis, ex Græco forsan facilius corrigendis. Præsulem Antiochenum hunc fuisse dicunt alii, passumque Nicomediæ sub Diocletiano martyrium una cum Justina virgine, quam insane deperibat. Nazianzenus, Prudentius, Metaphrastes, alii, cum Carthaginensi Cypriano confundunt. Oxoniensis operum Cyprianicorum editor non contemnendis fultus conjecturis diserte affirmat talem Cyprianum Antiochenum nusquam exstitisse, quin totam, quæ circumfertur de eo narrationem, miram sane, vetustissimam tamen fabulam, et ante Nazianzeni tempora jam natam, quam et heroico carmine tribus libris Eudocia Augusta olim depinxit, nihil aliud esse, quam Cypriani Carthaginensis historiam ab aliquo ex eorum numero, qui Martyrum res gestas novis argumentis decorare gestiebant; mire interpolatam, vel potius de novo conditam.

XV. Falso etiam tribuuntur S. Cypriano *Oratio pro Martyribus*, atque *Oratio quam sub die passionis suæ dixit*. Utramque adscribit Maranus, (1) Cypriano Antiocheno. Dupinius censet duos Tractatus *Martyribus* inscriptos, et *Confessionem* sive *Pœnitentiam Cypriani Martyris*, opera esse a recentioribus Græcis adscripta Cypriano martyri, qui forsan fuit ipse episcopus Carthaginensis, cujus vita amplificata est (2).

XVI. Nonnulla alia nomen Cypriani præ se ferunt, velut *Tyronis et Senecæ notæ*, quas Cyprianum auxisse vocabulis Christianorum usui aptis existimat post Trithemium Groterus, a quo hæ notæ in lucem editæ sunt (3). Editum est ab Anglis sub nomine Cypriani computum Paschale, quod a Paulo Diacono designari existimant, cum ait : « Cyprianum Chronicam valde utilem composuisse. » Scriptoris ætatem indicat computum, quod ad quintum Gordiani annum, et Consules Arianum et Papum perducitur. Non omnino repugnat, ut jam tum conversus fuisse Cyprianus existimetur, quamvis id Pontius Diaconus suadeat serius contigisse. Sed non quadrat hujus scriptoris styli barbaries cum elegantia sermonis, quam Cypriano in primordiis conversionis studio fuisse perspicitur ex Epistola *ad Donatum* (4). Hic auctor ait Christum Pascha celebrasse quinta vice, et sexta obiisse anno xvi Tiberii, cum per unum annum tantum Evangelium annuntiasset. Systema illud vetus est, unde Dupinius concludit esse opus auctoris antiqui.

XVII. Falso denique S. Cypriano Carthaginensi adscriptus fuit liber *de Trinitate*, qui Novatianum

(1) Casimir. Oudin. *Commentar. de Scriptor. Eccles.*, tom. I, pag. 275 et 276.
(2) Dupin. *Biblioth. Auctor.*, tom I, pag. 269.
(3) Maran. in *Vita Cypriani*, § 36, pag. 124.

(1) Vid. Maran. in *Vita Cypriani*, § 37, pag. 124 seqq.
(2) Idem ibidem.
(3) Monendus est lector superesse quemdam libellum, qui licet Cyprianum pro auctore non habeat, instauratorem tamen agnoscit, *Tyronis* intelligo, et *Senecæ notas*, quas præsul et martyr noster auctuario satis grandi locupletavit, adjiciens vocabula Christianorum usibus necessaria, quæ in codice a Grutero edito affatim comparent. *Oxonienses editores ad calcem indicis operi Cypriani.*
(4) Ut barbaries pateat, prima periodus describenda est : *Multo quidem non modico tempore anxii sumus, et æstuantes, non jam sæcularibus, sed et in sanctis et divinis Scripturis quærentes invenire, quidnam sit primum diei, non mensis, in quo mense præceptum est Judæis in Ægypto 14. lunæ comedere Pascha.* Numquam Cyprianus eo modo mentem suam explicasset,

Digitized by Google

Pseudoepiscopum Romanum, de quo sectione II multis egimus, auctorem habet.

XVIII. Præter Opuscula jam recensita, Baluzius proxime post S. Cypriani Epistolas subjecit tres alias velut dubias, quarum primam ex duobus codicibus vetustis mss., uno Bibliothecæ illustrissimi Joannis Bohieri, altero Bibliothecæ monasterii S. Remigii Rhemensis, secundam ex codice Fuxensi Bibliothecæ Colbertinæ, ac tertiam denique ex hoc item codice et altero Rhemensi S. Remigii depromptas esse affirmat. Prima Cornelii papæ nomine *ad Cyprianum* exstat, estque brevis, sed acris reprehensio erroris de hæreticis rebaptizandis. Verum, ut alibi jam diximus, non credimus controversiam illam S. Cornelium inter ac Cyprianum umquam motam fuisse, neque Ruffini auctoritatem hac in parte admittimus. Apocrypha est ergo hæc Cornelii Epistola. Altera, cujus inscriptio hæc est : *Cyprianus plebi Carthagini consistenti æternam in Domino salutem* ; non modo a S. Cypriani stylo nimium differt, sed etiam ejusdem ætatem non sapit, cum adversus sacræ Scripturæ Traditores, primum sub Diocletiano notos, scripta sit. Tertia sic exorditur : *Cyprianus benedicto et dilectissimo Parenti Turabio in Domino æternam salutem* ; estque consolatoria ad eumdem de obitu filiæ dolentem. Eadem hæc Epistola sub nomine S. Hieronymi *ad Tyrasium* olim venit ; sed ab eruditis ipsi penitus abjudicata, inter supposititia ejusdem opera nunc relata est. Nec magis illam ad S. Cyprianum nostrum spectare probat styli inconcinni humilitas et dictionis obscuritas.

XIX. Clarissimi Duumviri Edmundus Martene et Ursinus Durandus in amplissima collectione veterum Scriptorum et Monumentorum historicorum etc., tomo IX, S. Cypriani Carmen ad Felicem *de Resurrectione mortuorum*, ex ms. codice Corbeiensi ante annos 900 exarato erutum primo loco ponunt. Quis Cyprianus hujus Carminis auctor fuerit, etsi pro certo affirmare noluerunt Cl. Editores in observatione prævia, negant tamen illud adscribendum esse celeberrimo illi Carthaginensi episcopo et martyri, tam propter orationem nimis salebrosam, quam propter violatas frequentius metri leges. Editum quidem hoc carmen jam fuit ad calcem operum Tertulliani, sed nimis audacem se exhibuit Editor, qui, violatas a Cypriano, quisquis ille fuerit, metri leges, humilemque stylum impatienter ferens, opusculum istud elegantioribus versibus reddere conatus est. Dederunt igitur operam Martene et Durand, ut ex laudato ms. hoc Carmen, quale ab auctore prodiit, suæ restituerunt integritati.

ARTICULUS III.

De quibusdam S. Cypriani operibus deperditis.

I. E tredecim illis Epistolis, quas a S. Cypriano velut pastoralis suæ vigilantiæ testes ad Romanum Clerum transmissas, ex ejusdem Epistola decima quarta scimus (1) septem superesse, reliquas desiderari Cl. Maranus haud contemnendis demonstravit argumentis (2). Ambæ quoque litteræ, quas S. Cyprianus de Felicissimi ordinatione, ejusdemque ac presbyterorum ipsi adhærentium causa ad Clerum ac populum suum pridem scripserat, et quarum exempla prius per Caldonium ac Fortunatum ad Cornelium miserat, quemadmodum ipsemet Cyprianus in Epistola XLII, alias XLV, ad eumdem Cornelium loquitur, interciderunt. Periit etiam Epistola Circularis, quam S. Cyprianus ad omnes provincias Carthaginensi Metropoli suffraganeas dederat, quatenus de legitimo ejusdem Cornelii episcopatu apud omnes constaret, monerentque singuli episcopi, ut Novatianum detestati, Cornelio adhærerent. Ita discimus ex Epistola XLV, alias XLVIII, ad Cornelium. In Epistola LV, alias LIX, ad Cornelium de duabus litteris mentionem facit, quarum prima Cornelio proxime miserat nomina omnium Catholicorum episcoporum, qui Carthaginensi Metropoli suberant, eo consilio, ut, si quis præter illos ad ipsum scriberet, sciret hunc unum de sacrificatis, vel libellaticis, aut hæreticis esse. Altera autem inter cætera etiam Fortunati pseudoepiscopatum eidem nuntiavit. Ambæ Epistolæ interciderunt.

Ex Epistola LVIII, alias LXI, ad Lucium manifestum fit, Sanctum Cyprianum una cum cæteris Africæ episcopis communem ad eumdem Lucium R. P. Epistolam dedisse, per quam et Pontificatus apicem, et confessionis gloriam ipsi gratulatus est. Hæc ipsa etiam desideratur. Tandem etiam litteræ S. Cypriani per Diaconum Rogatianum ad Firmilianum missæ, quibus eum de dissensione cum Stephano certiorem faciebat, (quemadmodum ex Epistola Firmiliani ad Cyprianum LXXV eruitur) interciderunt.

II. Pontius Diaconus enumerationem scriptorum S. Cypriani hisce concludit verbis (3) : *Quis denique tot confessores, frontium notatarum secunda inscriptione signatos, et ad exemplum martyrii superstites reservatos, incentivo tubæ cœlestis animaret?*

Cum sanctus Pontius Cypriani litteras inter ipsius opera non computarit, censet doctissimus Ceillierius (4), laudata verba haud referri posse ad Epistolam LXXVII, in qua confessores ad metalla damnatos sub Valeriano solatur ; sed designare aliquod opusculum singulare, diversum etiam ab *Exhortatione Martyrii*, de qua prius Pontius disseruerat (5). Hinc colligit Ceillierius hoc opusculum intercidisse, quemadmodum et litteras, quas S. Cyprianus ad S. Augustinum et S. Felicitatem martyres Capuanos in

(1) Cyprian. Ep. XIV, aliis XV et XX, ad Clerum Romanum.

(2) Maran., in *Vit. Cyprian.* I, § IX, pag. 27, edit. Venetæ, 1758.

(3) Pontius, in *Vita S. Cypriani*, pag. 5.

(4) Cellier, tom. III, *Hist. Génér. des Auteurs*, pag. 152.

(5) *Quis martyres tanta exhortatione divini sermonis exigeret.* Pont., in *Vita*, l. c.

Digitized by Google

Campania durante persecutione Valeriani dederat (1). Siquidem S. Cyprianus suam sollicitudinem atque charitatem ultra Africam etiam extendebat (2).

III. Hisce adhuc adjungimus brevem observationem de Epistola sexagesima octava, utrum S. Cypriano sit revera adscribenda. Supra jam adnotavimus, dum de Epistolis S. Martyris disseruimus, memoratam ad Stephanum Epistolam de Marciano Arelatensi Episcopo abstinendo, quam non solum Cypriani editores Pamelius, Baluzius, Fellus, sed et sanæ notæ scriptores Cypriano vindicant, tamquam apocryphum, eoque indignam censuisse Launoium. Quin tamen erudito viro subscribamus, multa quidem obstant; nam, ut a Basnagio (1) annotatum, non solum Cypriani stylo scripta est, sed et ea complectitur, quæ Cypriani tempora, mores, disciplinam, maxime sonat, ita, ut ovum non sit ovo similius, quam hæc Epistola cæteris Cypriani. Alio etiam argumento eam auctori suo vindicat Fellus; etenim S. Augustinus Epistolæ cujusdam Cypriani ad Stephanum meminit, quæ prorsus ad quæstionem de Baptismate non spectat; cumque duæ tantum ejusdem ad Stephanum Epistolæ supersint, quarum altera de Baptismate agit, id est septuagesima: ad hanc omnino respexisse Augustinum, verisimile est.

(1) In antiquissimo manuscripto ab editore Oxoniensi ad finem indicis Scripturæ allegato, de his litteris mentio habetur hunc in modum: *Christiani quartam persecutionem passi sunt a Decio imperatore auctore malorum. Hac persecutione Cyprianus per Epistolas hortatus est Augustinum et Felicitatem, qui passi sunt apud civitatem Capuensem Metropolim Campaniæ, Valeriano imperante.*

(2) Tillemont., *Mémoir.*, tom. IV, pag. 73.

(1) Basnage, *Annal. Politico-Eccles.*, ad annum 254.

APPENDIX PRIMA.

OPUSCULA DUBIA.

LIBER

DE DISCIPLINA ET BONO PUDICITIÆ.

EPISTOLA IGNOTI AUCTORIS.

I. Aliquas officiorum meorum partes non æstimo præterisse, dum semper enitor, vel maxime quotidianis Evangeliorum tractatibus, aliquando vobis fidei et scientiæ per Dominum incrementa præstare. Quid enim aliud in Ecclesia Domini utilius geri, quid accommodatius officio episcopi potest inveniri, quam ut doctrina divinorum, per ipsum insinuata collataque, verborum, possint credentes ad repromissum regnum pervenire cælorum? Hoc certe mei et operis et muneris, quotidianum votivum negotium, absens licet, obtinere connitor; et per litteras præsentiam meam vobis reddere conor. Dum vos solito more allocutionibus missis in fide interpello, ideo convenio, ut Evangelicæ radicis firmitate solidati, adversus omnia diaboli prælia stetis semper armati. Absentem me non credam, si fuero securus. Verumtamen omnia quæ utiliter proferuntur, et æternæ vitæ statum tractantibus vel definiunt, vel promittunt; ita demum fructuosa sunt, si ad emolumentum operis, divinæ indulgentiæ viribus, adjuventur. Non solum proferimus verba quæ de Scripturarum sacris fontibus veniunt, sed cum ipsis verbis, preces ad Dominum et vota sociamus, ut tam nobis quam vobis, et sacramentorum suorum thesauros aperiat, et vires ad implenda quæ cognoscimus, tribuat. Periculum enim majus est voluntatem Domini cognovisse, et in Dei voluntatis opere cessasse.

II. Quamvis ergo ad multa vos negotia et ad divinæ monitionis præcepta, semper ut scitis exhorter (quid enim mihi aliud votivum aut majus potest esse, quam ut per omnia perfecti stetis in Domino), tamen ut præcipue pudicitiæ claustra teneatis (quod et facitis) admoneo: scientes templum esse vos Domini, membra Christi, habitationem Spiritus sancti, electos ad spem, consecratos ad fidem, destinatos ad salutem; filios Dei, fratres Christi, consortes Spiritus Sancti, nihil jam carni debentes, quasi renatos ex aqua et pudicitia, præter voluntatem (*Joh* I, 13)

EDIT. OXON. NOTÆ.

I. — *De disciplina.* In nullo ms. Epistolam hanc videre contigit.

Absentem me non credam. Pamelius ait: Ita Gravius ad marginem et ms. pro *non credo.* PAMEL.

Verumtamen omnia quæ utiliter proferuntur. Pamelius ait: Hoc ex iisdem Gravius ms. pro eo quod alii, proferunt; non placet autem quod habet solus Manutius, *viriliter.* PAMEL.

Ad implenda quæ cognoscimus. Pamelius ait: Hanc conjecturam Erasmi sequuntur Gravius, Manutius, et Morellius, poterat nomen, *quaque*, accipi pro *quacumque*, præsertim cum sic legant etiam mss. PAMEL.

II. — *Præter voluntatem quam velle debemus ut nostra sit. Pamelius ait:* Ex Costerio habeo, *ut*, pro *et*, adhuc tamen totus locus obscurus est. Ms. cod., *et in nostra fit*, sed non placet. PAMEL.

Digitized by Google

quam velle debemus ut nostra sit: præstetur etiam propter redemptionem, ut corrumpi non possit, quæ a Christo consecrata sit. Nam si Apostolus Ecclesiam sponsam Christi (II *Cor.* XI) pronuntiat, oro vos, quanta pudicitia exigitur, ubi Ecclesia inter matrimonia sponsa virgo præstetur? Et ego quidem, nisi quod breviter vos admonere proposui, latissimas satis puto, et locupletes pudicitiæ laudes proferre potui: sed supervacuum duxi laudare eam diutius apud colentes. Vos enim illam ornatis dum geritis, et plures ejus laudes exercendo profertis; facti ejus ornamentum, dum et illa vestrum est, mutuo decore invicem fœnerando. Illa vobis disciplinam bonorum suggerit morum, vos illi ministerium præstatis operum sanctorum. Nam et illa quantum et quid possit per vos apparuit, et quid vos velitis, ipsa demonstravit et docuit; copulatis in unum, duobus bonis mandatorum et rerum, ne quid mutilum videretur, si aut præcepta ministeriis, præceptis ministeria defuissent.

III. Pudicitia est honor corporum, ornamentum morum, sanctitas sexuum, vinculum pudoris, fons castitatis, pax domus, concordiæ caput. Pudicitia sollicita non est cui placeat nisi sibi: pudicitia semper verecunda, dum innocentiæ mater est: Pudicitia semper ornatur solo pudore, bene sibi tunc conscia de pulchritudine, si improbis displicet; pudicitia nihil ornamentorum quærit, decus suum ipsa est. Hæc nos commendat Domino, connectit Christo: hæc expugnat omnia de membris illicita desideriorum prælia, pacem nostris corporibus inducit: beata ipsa, et beatos efficiens apud quoscumque habitare dignatur; quam numquam accusare possunt, nec qui eam non habent: venerabilis etiam hostibus suis, dum illam multo magis mirantur, qui eam expugnare non possunt. Sed ut matura et in viris probata semper, et a feminis appetenda; sic inimica ejus impudicitia semper est detestanda: obscœnum ludibrium reddens ministris suis, nec corporibus parcens nec animis. Debellatis enim propriis moribus, totum hominem suum sub triumphum libidinis mittit; blanda prius, ut plus noceat dum placet; exhauriens rem cum pudore; hostis continentiæ, frequenter perveniens ad sanguinem cupiditatum infesta rabies, incendium conscientiæ bonæ, mater impœnitentiæ, ruina melioris ætatis, contumelia generis, expugnans sanguinis et familiæ fidem, alienis affectibus suos inserens filios, in aliena testamenta sobolem ignoti et corrupti generis inducens. Quæ plerumque extra sexum ardens, dum se non continet intra concessa, parum sibi putat satisfactum, nisi in virorum quoque corporibus non voluptatem novam quærat, sed extraordinaria et portentosa contra ipsam naturam ex viris per viros monstra conquirat.

IV. Sed enim pudicitia locum primum in virginibus tenet, secundum in continentibus, tertium in matrimoniis. Verum in omnibus gloriosa est cum gradibus suis. Nam et matrimoniorum fidem tenere laus est, inter tot corporis bella; et matrimonio de continentia modum statuisse, majoris virtutis est, dum etiam licita rejiciuntur. Certe ex utero sanctitatem custodisse, et infantem se usque in senectutem in sua ætate tota tenuisse admirandæ utique potentiæ est: nisi quod blandas corporis leges non nosse, magis felicitatis est, notas jam vicisse virtutis est; sic tamen ut et virtus ista de dono Dei veniat, licet se in membris hominibus ostendat.

V. Pudicitiæ, fratres, antiqua præcepta sunt. Quare antiqua dico? Quia cum ipsis hominibus instituta sunt. Nam et ideo vir suus feminæ est, ut præter eumdem alterum nesciat, et ideo viro reddita est mulier, ut subjecto quod fuerat ei proprium, nihil requirat alienum. Sic et duo, inquit, erunt in carne una (*Matth.* XIX, 6), ut in unum redeat quod unum fuerat, ne separatio sine reditu occasionem præstet alterius. Inde et Apostolus: *Caput mulieris pronuntiavit virum* (I Cor. XI, 3), ut conjunctione duorum pudicitiam probaret. Nam ut alterius caput membris aptum non potest esse, ita et alieno capiti membra non sua: caput enim suis convenit membris, et membra capiti suo; utraque naturali fibula in concordia mutua cohærent, ne qua oriente discordia de divisione membrorum pactum divini fœderis rumperetur. Addit tamen et dicit: Quoniam qui uxorem suam diligit, seipsum diligit (*Ephes.* V, 23, 29). Nemo enim carnem suam odio habet, sed nutrit et fovet eam, sicut et Christus Ecclesiam. Charitatis cum pudicitia ex hoc magna præscriptio, si uxores diligendæ sunt à viris suis sicut et Christus dilexit Ecclesiam; et ita uxores maritos debent diligere, ut Ecclesia diligit Christum.

VI. Hanc sententiam Christus quando uxorem dimitti non nisi ob adulterium dixit (*Matth.* V, 32): interrogatus, tantum honorem pudicitiæ dedit. Hinc nata est illa sententia: Adulteras non sinetis vivere (*Levit.* XX, 10). Hinc Apostolus dicit: *Hæc est voluntas Dei, ut abstineatis vos a fornicatione* (I *Thessal.* IV, 3). Hinc et illud dicit: *Membra Christi, membris meretricis non esse jungenda* (I Cor. VI, 9, 15). Hinc traditur Satanæ in interitum carnis qui, proculcato jure pudicitiæ, vitia carnis exercet. Hinc merito regnum cœlorum non tenent adulteri; hinc est omne peccatum extra corpus esse, solum adulterum peccare in suum corpus: hinc cæteræ præceptoris auctoritates, quas nunc recolere omnes non est necesse, apud vos præsertim qui illas nostis frequenter et facitis; quæ licet descripta non sint, queruli tamen de his non potestis esse. Adulter enim

EDIT. OXON. NOTÆ.

Quæ a Christo consecrata sit. Pamelius ait: Hic iterum Costerius, *quia Christo*, sed vel Erasmo teste, ille sensus constat, et sic legunt etiam mss. cod. PAMEL.

VI. — *Adulter enim non habet excusationem. Pamelius ait:* Hoc rursum ex Tertull. de Pudicitia, non procul ab initio, referens ad excusationem peccati, quod ille male juxta suum errorem ad excusationem veniat. PAMEL.

Digitized by Google

non habet excusationem, aut habere potuit, quia ducere licebat uxorem.

VII. Sed sicut matronis jura præscripta sunt, quæ ita sunt nexæ, ut divelli inde non possint, virginitas vero et continentia extra jus omne sunt: nihil ad virginitatem de matrimoniorum legibus pertinet, altitudine sua transcendit omnes. Si ulla prava hominum ausa leges supergredi conantur, virginitas æquat se Angelis: si vero exquiramus, etiam excedit; dum in carne luctata victoriam etiam contra naturam refert, quam non habent Angeli. Virginitas quid aliud est quam futuræ vitæ gloriosa meditatio? Virginitas neutri sexus est: virginitas est perseverans infantia: virginitas est voluptatum triumphus: virginitas filios non habet, sed quod plus est, filiorum contemptum habet, non habet fœcunditatem, sed non habet orbitatem: felix quod est extra partus dolorem, felicior autem quod est extra funerum filiorum calamitatem. Virginitas quid est aliud quam soluta libertas? Maritum non habet dominum. Virginitas affectationibus omnibus soluta est: non matrimoniis est dicata, non sæculo, non liberis. Persecutionem non potest timere, dum illam de securitate potest provocare.

VIII. Sed quia pudicitiæ nobis breviter sunt exposita præcepta, jam pudicitiæ ponamus exemplum, Plus enim proficitur, cum in rem præsentem venitur: nec de virtute dubitabitur, quando quod præcipitur exemplis etiam signatur. Exemplum pudicitiæ a Joseph cœpit (*Gen.* XXXIX, 7) Adolescens Hebræus generosus de patre, generosior de innocentia, ob invidiam revelationum distractus a fratribus Ismaelitis, in domum devenerat hominis Ægyptii; obsequio et innocentia et tota servitutis fide facilem et benevolum in se animum sui provocaverat domini, cujus faciem tam sermo liberalis, quam ætas omnibus commendaverat. Sed ista generositas ab uxore domini aliter quam decebat accepta est: in domus parte secreta, et sine arbitris, alta et facinoribus accommoda; putavit se pudicitiam adolescentis incontinens mulieris impudicitia, nunc promissis, nunc minis posse superare. Et cum retentus est vestibus, eo quod moliretur fugam, propter tanti facinoris audaciam ipsas vestes relinquens, et corporis nudi sinceritatem habiturus innocentiæ testem; ad crimen impudicitiæ suæ imprudens mulier adjicere non dubitavit calumniam: et cæteris et marito, squalida et fervens, spreto desiderio suo, conquesta est dolore simulato, quod Hebræus adolescens vim sibi molitus fuisset inferre, quam ipsa conata fuerat irrogare. Maritalis ardor rerum inscius, et uxoris accusatione graviter inflammatus incenditur. Pudicus vero juvenis, quia delicto conscientiam non miscuit, in imum carceris truditur. Sed sola non est in carcere pudicitia: nam est cum Joseph Deus, et nocentes dantur in manu ejus, quia innocens fuerat. Somniorum præterea obscura dissolvit, quia spiritus in tentatione vigilabat, et per dominum liberatur a vinculis. Qui in domo minor cum periculo fuerat, regiæ domus sine periculo dominus effectus est: generositati suæ redditus, fructum pudicitiæ et innocentiæ, Deo judice, a quo meruerat, accepit.

IX. Sed non minus, ex parte diversa, aliud nobis pudicitiæ simile de continentia feminarum exoritur exemplum. Fuit, ut legimus, Susanna (*Dan.* XIII) filia Helciæ, uxor Joachim pulcherrima, pulchrior moribus. Hanc nullum ad decorem commendabat species; simplex enim erat. Excoluerat pudicitia, et cum pudicitia sola natura. Hanc e senioribus duo cœperant deperire, nihil memores nec divini timoris, sed nec suæ annis jam marcescentis ætatis; ita illos in flagrantia transactæ juventutis incendia, redivivæ libidinis flamma revocabat: pudicitiæ latrones amorem profitentur, sed oderant. Resistenti minantur calumnias, adulterii se dicunt accusatores voto adulteri. Inter quos libidinis scopulos auxilium de Domino petebat, quia viribus corporis repugnare non valebat. Et exaudivit de cœlo clamantem ad se pudicitiam Dominus; et cum iniquitate oppressa duceretur ad pœnam, vidit inimicorum liberata vindictam. Bis victrix, et in periculo suo tam funeste toties consepta, et libidinem evasit, et mortem. Infinitum erit si exempla prosequar plura: his duobus contentus sum, præsertim cum omnibus sit viribus per istos pudicitia defensa.

X. Non illos emollire potuit in vita generosi sanguinis memoria, quæ in quosdam licentia lasciviæ est ministra: non decor corporis, et apte positorum figura membrorum, quæ suggerit plerumque ut, quasi flos quidam, properans velociter transituræ ætatis, porrecta voluptatis occasione pascatur: non anni primi virentis, sed majoris ætatis; cum rudis adhuc sanguis æstuans, naturæ flammas accendat, et in medullis versata cæca incendia ad remedium, verum etiam per periculum pudoris itura: non ulla

EDIT. OXON. NOTÆ.

VII.—*Quæ ita sunt nexæ, ut divelli inde non possint. Pamelius ait:* Locus pro matrimonii indissolubilitate. Est autem locus ille mutilus, quod etiam asterisco adnotavit Manutius. Prosequuntur quidam codices mss. alia distinctione quæ sequuntur, in hunc modum. Altitudine sua transcendit omnes. Si ulla prava hominum leges ausa supergredi conantur, virginitas æquat se Angelis Dei. Sed nec sic satisfaciunt. PAMEL.

Virginitas neutri sexus est. Pamelius ait: Gravius ad marginem, et codex S. Pantaleonis *neuter;* sed prius placet. PAMEL.

VIII. — *Distractus a fratribus. Distrahere* est rem auctioni expositam, non uni addicere; sed pluribus varia in loca apportantibus divendere. Eatenus distrahebatur Josephus, quod a fratribus non singulari alicui domino, sed catervæ Midianitarum negotiatorum, venundatus esset.

Ad crimen impudicitiæ. Pamelius ait, Optime sic mss. codices, pro, *pudicitiæ.* PAMEL.

Qui in domo minor. Recte etiam hoc mss. codices pro, *minori*, neque enim in *minori*, sed in *majori* erat periculo ibi Joseph.

X. — *Ut quasi flos quidam properans velociter transituræ ætatis. Pamelius ait:* Pulchre sic restituit hunc locum Gravius pro eo quod alii legunt, *quasi flos quidem properans velociter transire ætatis.* Nam et consentiunt mss. codices, qui etiam legunt *porrectæ*, pro eo quod alii *porrecta.* PAMEL.

Digitized by Google

latebrarum et sine ullo conscio, quæ tuta quibusdam putatur, occasio; quæ maxima vis est admittendi sceleris, cum deliberationibus occurrit impunitas. Non posita necessitas de auctoritate jubentium, et in temeritate participum atque sociorum; quo genere franguntur etiam sæpe recta consilia. Non præmia ipsa et bonitas, non accusationes, non minæ, non pœnæ, non mortes; nihil tam sævum, tam durum, tam triste, quam cecidisse de alto pudicitiæ gradu. Digni tanto judicis divini præmio, quorum alter regio pene throno illustraretur, altera concordia mariti dotata inimicorum mortibus redimeretur. Hæc sunt et his similia semper nobis ante oculos exempla ponenda, his paria diebus noctibusque meditanda.

XI. Nihil animum fidelem sic delectat, quam integra immaculati pudoris conscientia. Voluptatem vicisse, voluptas est maxima: nec ulla major est victoria, quam ea quæ de cupiditatibus refertur. Qui hostem vicit, fortior fuit, sed altero; qui libidinem repressit, seipso fortior fuit: qui inimicum prostravit, externum hostem percussit; qui cupiditatem depressit, hostem domesticum superavit. Malum omne facilius vincitur quam voluptas: quia illud quicquid est, horridum est; hoc blandum est. Nihil tam difficile opprimitur, quam quod per illud armatur. Qui cupiditates tollit, et metus sustulit; nam ex cupiditatibus metus veniunt. Qui cupiditates vincit, de peccato triumphat: qui cupiditates vincit, malum generis humani sub pedibus suis jacere ostendit: qui cupiditates vicit, pacem sibi perpetuam dedit: qui cupiditates vicit, libertatem sibi, quod etiam est ingenuis difficillimum, reddit. Meditanda ergo nobis, fratres, ut res docent, semper pudicitia: quo facilior sit, nullis artibus constat. Quæ enim illa consummata voluntas, quæ nisi impediretur, longe est, sed nostra est: ita non est acquirenda, sed fovenda quæ nostra est.

XII. Quid enim est aliud pudicitia, quam mens bonesta ad custodiam corporis data; ut sexibus redditus pudor, severitate signatus, fidem honoris de incorrupta sobole servaret? Pudicitiæ autem, fratres, competunt et cogniti sunt in primis divinus pudor, et præceptorum sancta meditatio, et animus propensus ad fidem, et mens attonita ad sacram religionem: deinde videre, ne quid in se ultra modum sculptum, ultra honestatem productum, ne quid proditum, ne quid arte fucatum, ne quid ad irritandos, aut redintegrandos dolos lenocinatum. Non est pudica quæ affectat animum alterius movere, etiam salva corporis castitate. Longe absint quibus pulchritudo non ornatur, sed prostituitur. Nam sollicitudo de pulchritudine, et malæ mentis judicium et deformitatis est. Sit natura corporis libera, nec divinis operibus inferatur vis. Semper est misera, quæ sibi non placet qualis est. Quid capillorum mutatur color? quid oculorum extremitates suffuscantur? quid facies artibus in diversam formam convertitur? quid postremo speculum consulitur, nisi quia ne ipsa sit timetur? Cultus etiam mulieris pudicæ pudicus sit: adulterium fidelis nec in coloribus noverit. Vestibus aurum intexere, quasi pretio est vestes corrumpere. Quid inter fila staminum delicata, rigida faciunt metalla? nisi ut fluentes humeros premant, et luxuriam infeliciter animi jactantis ostendant? Quid cum cervices peregrinis lapidibus urgentur et absconduntur, quorum pretia etiam sine artibus Kalendarium cujusvis excedunt? Non ornatur mulier, sed vitia mulieris ostenduntur. Quid cum digiti tali auro onerati, nec intrare possunt, nec egredi; utrum usus exposcitur, an patrimoniorum inanis pompa monstratur? Mirum negotium, mulieres ad omnia delicatæ, ad vitiorum sarcinas fortiores sunt viris.

XIII. Sed ut repetam quæ cœperam, colenda semper pudicitia viris et fœminis, omni custodia servanda est intra limites suos. Cito natura corporis periclitatur in corpore, dum rapit illam secum caro, quæ semper in lapsu est. Sub prætextu quippe naturæ quæ homines semper urget ad affectus, quibus ruinæ collapsi generis resarciuntur; blandimento voluptatis fallens, non ducit ad continentiam legitimæ conjunctionis sobolem, sed jactat in crimen. Ergo contra has carnis insidias, quibus se diabolus et socium ingerit et ducem facit, obluctandum est omni genere virtutis. Assumatur secundum Apostolum Christi opera, et a consortio carnis quantum potest animus colligatur: separetur consensus a corpore, vitia semper castigentur ut odiantur: ante oculos observetur deformis iste atque dejectus peccati pudor. Pœnitentia ipsa cum luctibus suis commissorum criminum inho-

EDIT. OXON. NOTÆ.

XI.—*Quæ enim consummata illa voluntas. Pamelius ait:* Gravius in margine, *voluptas*, sed neque hoc perspicuum locum reddit. PAMEL.

XII.—*Deinde videre nequid in se ultra modum sculptum. Pamelius ait:* Hæc ex initio mutuatus est libri Tertull. *de Cultu Fem.*, ubi docet etiam in cultu consistere pudicitiam, quod ipsum supra tractavit, lib *de Discipl. et Hab. Virg.* Cyprianus; ubi latius de similibus Tertulliani locis. Atqui recte Erasmus conjecit legendum: *lenocinatur* pro *lenocinantium*. PAMEL.

Quid oculorum extremitates suffuscantur. Pamelius ait: Ita censet legendum Erasmus, pro eo quod habebat vetus excusus codex, *suffocantur*, eo quod, inquit, stibio nigror oculis addi soleat: verum si legatur *suffucantur*, aut *fucantur*, accedet magis ad illud Cypriani, libro cit., *Oculos circumducto nigrore fucare*. PAMEL.

Kalendarium cujusvis excedunt. Similiter Tertullianus, *de Habitu muliebri*, uno lino decies sestertium insumitur, saltus et insulas tenera cervix fert, graciles aurium cutes Kalendarium expendunt, et in sinistra per singulos digitos de singulis saccis ludit: et seipsum explicans, hæ sunt vires, inquit, ambitionis tantarum usurarum substantiam uno et muliebri corpusculo bajulare. Kalendarium enim seu Kalendarii liber (ut nuncupatur a Seneca, Epist. 88) et tabulas domesticas significat, quibus annotantur, quæ in singulos menses accipiuntur, et eas in quibus proscriptæ erant usuræ ad Kalendas exigendæ, sicut recte annotavit Rhenanus: Ulpianus enim et Africanus jurisconsulti, posteriori hac significatione utuntur. Quare non est necesse confugere ad conjecturam Erasmi, ut legatur, *cylindrorum onus excedunt*.

Digitized by Google

nesta contestatio est. Nihil consideretur curiose in A ctus auriga, ultra concessas corporis metas extollentis vultibus? Sermo et brevis sit, et sobrius risus, signum est enim animi facilis et remissi, nam contactus recedat etiam honestus. Nihil corpori liceat, ubi vitandum est corporis vitium. Cogitetur quam honestum sit vicisse dedecus, quam inhonestum victum esse dedecore.

XIV. Dicendum etiam quod adulterium voluptas non est, sed mutua contumelia, nec delectare potest, quod et animam interficiat et pudorem. Coerceat animus stimulos carnis, refrænet impetum corporis. Accepit enim hanc potestatem, ut illi ad imperium ejus membra servirent; et quasi legitimus ac perfectus auriga, ultra concessas corporis metas extollentes se carnis impetus, cœlestium præceptorum habenis reflectat; ne ultra terminos suos currus iste corporis raptus, in periculum suum secum et ipsum rapiat aurigam. Sed inter hæc, immo et ante hæc, contra turbas et vitia omnia de divinis castris auxilium petendum est: solus enim potens est Deus qui homines dignatus est facere, et plena hominibus auxilia præstare. Ego pauca dictavi, quoniam non est propositum volumen scribere, sed allocutionem transmittere. Vos Scripturas aspicite, exempla vobis de ipsis præceptis hujus rei majora conquirite. Fratres charissimi, bene valete.

MONITUM.

Hic novis Editoribus locus et animus erat libellum D. Cypriano recenter adjudicatum, cui titulus: *Exhortatio ad Pœnitentiam*, denuo edendi ex anecdotis CCII. VV. Trombelli et Mingarelli, canonic. regular. *qui* primi hunc librum ex vetustissimis membranis eruerunt, ac publici juris fecerunt, Bonon., ann. 1751. Hunc vero librum inventu difficillimum, in Italiæ bibliopolarum schedis latitantem, nondum, licet omni ope quæsitum, opportune repertum, serius in decursu istius Bibliothecæ dandum esse pollicemur.

APPENDIX SECUNDA.

OPUSCULA SUPPOSITA.

LIBER DE ALEATORIBUS.

TRACTATUS PERPERAM CYPRIANO ADSCRIPTUS.

I. Magna nobis ab universa fraternitate cura [a] successit: maxime ex rea [b] perditorum omnium audacia, id est, aleatorum quæ animos ad nequitiam in se illicit, ut in lacum mortis mergat [c]. Et quoniam nobis divina et paterna pietas Apostolatus ducatum contulit, et vicariam Domini sedem cœlesti dignatione ornavit, et originem authentici Apostolatus, super quem Christus fundavit Ecclesiam in superiore nostro [d] portamus, accepta simul potestate solvendi ac ligandi et curatione peccatá dimittendi: salutari [e] doctrina admonemur, ne cum delinquentibus assidue ignoscimus, ipsi cum eis pariter torqueamur.

B II. Ideo sal terræ dicimur, ut ex nobis omnis fraternitas cœlesti sapientia saliatur. Nam cum dicat: *Sal autem si fatuatum* [f] *fuerit, nihil* [g] *valebit nisi ut projiciatur foras et conculcetur ab hominibus*; hoc veremur et timemus, ne in [h] Ecclesia securi, quod nobis sacerdotalis dignitas tradita est [i] negligentes, juxta quosdam fratres inertes reperiamur: aut dum falsam communicationem damus, id quod cum honore de Dei dignatione percepimus, indignante Domino et exprobrante amittamus; dicit enim Scriptura divina: *Væ erit pastoribus.* Quod si ipsi pastores negligentes reperti fuerint, quid respondebunt [j] Domino pro

LECTIONES VARIANTES.

[a] *Sic Ebor. Imp.* Cura fidelis.
[b] *Sic Ebor. Imp.* Et rea.
[c] *Sic Bod.* 1. *Ebor. Imp.* Ad nequitiam se in lacum. Laqueo mortis tingant *Ebor.*
[d] *Sic Bod.* 1. *Corb. Imp.* Vestro.
[e] *Sic Bod.* 1. *Imp.* Solvendi, salutari *Bod.* 1.

C [f] Fatuum *Bod.* 1.
[g] Nihilo *Bod.*
[h] Ne cum *Bod.* 1.
[i] Dignitas est *Bod.* 1,
[j] A Domino trad. *Bod.* 1.

EDIT. OXON. NOTÆ.

I.—*Magna nobis ab universa fraternitate cura.* Forte legendum: *universæ fraternitatis cura.* Est tamen adhuc plane mutilum hujus libri frontispicium. PAM.

Et quoniam nobis. Præterumsi voculam *in* superfluam. RIGALT.

Et quoniam nobis divina et paterna pietas, etc. Nec Faber notat hunc Tractatum non esse Cypriani. Nam ex hoc loco apparere alicujus Pontificis Romani scriptum esse. PAMEL.

II. — *Ne in Ecclesia securi.* Etiam hic interposita erat particula *cum* superflua. PAMEL.

Indignante Domino, exprobrantes amittamus. Censeo legendum, *et exprobrante.* PAMEL.

Digitized by Google

pecoribus? Quid de Domino pecora dicent? a pecoribus se esse vexatos? non credetur illis : incredibilis res est pastores pati posse aliquid a pecore; magis punientur propter mendacium suum. Et alia Scriptura dicit : *Rectorem te petierunt, noli extolli. Esto in illis quasi unus ex ipsis : curam illorum habe et considera.* Et iterum : *Existimate sacerdotem esse cultorem*, et omnes esse apud eum delicias, granaria plena, et de quocumque desideraverint [a] pabulo oves, eas saturare. Nam ut constaret nos, id est episcopos, pastores esse ovium spiritalium, hoc est, hominum fidelium qui sub cura nostra constituti, ne ullum [b] in eis scabiei vitium reperiatur; quo magis a nobis quotidie perscrutentur, ut medicamine cœlesti adhibito, vellera eis florida crescant quæ ad naturam vestis salutaris proficiant.

III. In Evangelio Dominus ad Petrum dixit : *Petre, inquit, amas me?* Et Petrus respondit : *Etiam Domine, tu scis quoniam amo te. Dixit : Pasce oves meas*; et sollicite mandans tertio confirmarit dicendo : *Pasce* [c] *oves meas.*

IV. Et quoniam Episcopum [d], id est, Spiritum sanctum per impositionem manus, cordis excepimus hospitio; cohabitatori nostro ne ullam [e] molestiam proponamus, Apostolus [f] monet et dicit : *Nolite contristare Spiritum sanctum qui in vobis est; et nolite extinguere lumen, quod effulsit in vobis.* Quanta autem Episcopum bene agentem et salubriter admonentem, sine tribulatione corporis, condigna maneant [g] Martyria : tanta et in Episcopum negligentem [h] nulla de Scripturis sanctis documenta promentem, cumulentur tormenta; apostolus nos excitat Paulus, et condigno statu episcopos et procuratores Evangelicæ doctrinæ ponit et dicit : *Quamdiu erit infans, procuratores et actores habet; at cum creverit hæreditatem suam expetit.* Nos etiam dispensatores et procuratores Evangelii sumus; hoc quoque inter dispensatores et procuratores quæritur, ut quis fidelis et justus inveniatur; si ergo apud dispensatores et procuratores quæritur, ut quis fidelis et justus inveniatur, quid si oves [i] delinquant, et delinquentibus dispensatores? Non ipsi delinquentium se pondere onerant? Apostolus [j] Paulus commemorat, quando ad Timotheum docendum et corroborandum in fidei firmitate, ne quid Deum fallat, et ne malignum orationibus justorum intercedat, providus et sollicitus dicit : *O Timothee fili, commendatum serva : noli spernere donum quod in te est per impositionem manuum seniorum : accingere fortiter, et viriliter age ministerium tuum, et cum integritate supple : esto cæteris bonum* [k] *exemplum; nemo tibi contradicat, nemo juventutem tuam contemnat : peccantem coram multis castiga, ut et cæteri metum habeant, et ne communicaveris peccatis alienis.* Et iterum : *Si quis frater fornicarius, aut idolorum cultor, aut avarus, aut raptor sive injustus nominatus fuerit, cum ejusmodi quidem nec cibum capere.* Et alio loco : *Quicumque frater more alienigenarum vivit, et admittit res similes factis eorum, desine in convictu ejus esse; quod nisi tu faceris* [l], *et tu particeps eris ejus.* Et in doctrinis Apostolorum : Si quis frater delinquit in Ecclesia, et non paret legi; hic nec colligatur, donec pœnitentiam agat, et non recipiatur, ne inquinetur et impediatur oratio vestra. Et Apostolus etiam iterum dicit : *Eximite malos e medio* [m] *vestri.*

V. Quod si multorum testium varia et consonanti monitione docemur [n], cum delinquentibus fratribus cibo ne quidem vesci; quanto magis debeat et ab sacrificio Christi arceri? Quam magna et larga pietas Dei filii, quod in futurum præscius nobis consulat : ne quis inter fratres incautus denno laqueis diaboli capiatur? Sollicitos esse jussit et providos atque eruditos; quoniam hostis ille antiquus circuit, pulsans Dei servos, non uno genere tentans. Multæ enim sunt tentationes ejus quorum primordia sunt : idololatria, mœchiæ, furta, rapinæ, avaritia, fraus, ebrietas, impatientia, adulterium, homicidium, zelus, perfidia, falsa testimonia, eloquium falsum, invidia, extollentia, maledictum, error, et si qua sunt similia quæ his congruunt; ex quibus est aleæ tabula.

LECTIONES VARIANTES.

[a] *Sic Bod* 1. *Imp.* Considaverint *Bod.* 1, 2.
[b] Nullum *Bod.* 1.
[c] *Sic Lam. Ebor. Bod.* 1. *Corb. Imp.* Ad Petrum dixit, pasce.
[d] Episcopum *Bod.* 1.
[e] Et cohab. nostro nullam *Bod.* 1,
[f] Dominus *Bod.* 1,
[g] Sint *Bod.* 1.
[h] Tanto et Ep. negl. ei *Bod.* 1.
[i] Omnes *Bod* 1. *Corb.*
[j] Apostolus idem P. *Bod.* 1
[k] In bonum *Bod.* 1.
[l] Nisi feceris *Bod.* 1.
[m] Nescio *Bod.* 1.
[n] Unitatem et consonantem monitionem docemur ne cum del. frat. cibum *Bod.* 1.

EDIT. OXON. NOTÆ.

Rectorem te petierunt. Etiam hic malim *posuerunt.* PAMEL.

Existimate sacerdotem. Nescio ad quam Scripturam alludat. Nisi forte respiciat eas quæ agriculturam verbi spectant. PAMEL.

Ne ullum in eis scabiei vitium reperiatur. Ita lego pro eo quod erat, *scabie*; est tamen adhuc locus obscurus et mutilus. PAMEL.

III. — *Confirmarit.* Ita Pamel., Baluz., Oxon. an pro *confirmavit*, male lectis. mss.? EDD.

IV. — *Cohabitatori nostro.* Superflua *et* particula locum reddebat obscurum. PAMEL.

Sine tribulatione corporis. Hic velim adjectum *etiam.* PAMEL.

Et cum digno statu. Prorsus lego *condigno.* PAMEL.

Providus et sollicitus dicit. Omnino et istud lego, pro *dicens.* PAMEL.

Et in doctrinis Apostolorum. Unde hæc citat nescio; neque enim reperiuntur aut in Canonibus aut in Constitutionibus Apostolicis. PAMEL.

V. — *Cum delinquentibus.* Rursum omisimus, *ne* particulam superfluam. PAMEL

Quam magna et larga pietas Domini filii. Lego *Dei* PAMEL.

Non uno genere tentans. Censeo legendum *tentationis.* PAMEL.

Mœchiæ. Prorsus aut hoc legendum, aut *mœchia*, pro eo quod erat, *mœchæ.* PAMEL.

Digitized by Google

VI. Præest [a] diaboli laqueus manifestus, venenum portans lethale serpentis, et inductio corrumpens; quæ cum videtur nihil esse, magna amplexu [b] operitur deletio. Quid illud est, quæso, fideles, ut manus quæ jam ab injuriis humanis expiata est, et ad sacrificium Dominicum admissa, et quod ad salutem totius hominis pertinet, dignatione [c] suscipit; quæ ad laudem Domini in oraculo exsurgit; quæ [d] signum crucis, per quod tuemur, frontibus imprimit: ipsa quæ [e] divina sacramenta consumunt: quid est, inquam, ut iterum laqueis diaboli, unde exuta est, implicetur et per ipsa damnetur? Aleatrices manus, libidinoso studio consueverunt, id est, aleæ tabulæ; quod est diaboli venabulum [f], et delicti vulnus insanabile. Aleæ tabulam dico, ubi diabolus præsto est, ad [g] amicapiendum summissus, et cum ceperit de captivo triumphum, perfidia, falsa testimonia. Tabulam aleæ dico; ubi dementia, et furia, et venale perjurium, imperium et colloquium serpentinum. Illic rabiosa amicitia, illic atrocissimi sceleris fraternitas [h] discordans, illic convicia et audacia sæva, et mens insana, et fera impatientia. Aleæ tabulam dico; ubi possessionum amissio, et pecuniarum ingentium [i] perditio, monstrum, et demonstrans litigiosum, furax dementia.

VII. O aleatorum noxia, sedentaria, et pigra nequitia! O manus crudeles, et ad periculum sui armatæ, quæ bona paterna et opes avorum sudore quæsitas ignominioso studio dilapidant: manus trux, noxia et insomnis nocte dieque continuis instrumentorum suorum armigera: quæ peccando seipsam damnavit, et post peccata non desinit ire! O nequam manus, in perniciem Domini sui armata, quæ sordidissimi æris totam substantiam perdit; et cum tot essent augendæ rei familiaris et multarum abundantiæ opum, modo inops et pauper est! Alea est, quam lex odit: alea est, quam [j] sequitur crimen ignobile; ubi manifesta tentatio, et pœna occulta. Alea est alveus [k] mali, et supplantatio amici, quæ nec lucrum confert, sed totum consumit. Hinc deinde pauperes fiunt, hinc opes suas perdunt, hinc jam consumptis omnibus rebus suis, mutuis pecuniis se obruunt: hinc patrimonium, sine ulla fori calumnia amittunt. Qualis est lis, ut quos nemo persequitur, seipsos per invidiam persequantur? ut paternas suas hæreditates sub ossorum multiformi numero [l] dispergant?

VIII. Est et quando ipsi aleatores cum prostitutis mulieribus penes auctorem suum nocturnas vigilias, clausis foribus, celebrant: armantur adversus se miseri, spiritu diaboli repleti: et illic duplex aut geminum crimen admittunt. Hic concrepat aleæ sonus, illic silentio operatur incestus: hic sine ullo dignitatis suæ respectu, sine ulla excusatione, pestifero studio cedere bonis suis cogitur; illic secreto mortale venenum bibitur. Unde hæc sacrilegia meditatio, unde hoc crimen, auctorum testimonio comprobamus? Cum enim quidam studio litterarum bene eruditus, multum meditando hoc [m] malum et tam perniciosum studium adinvenit, instinctu solius Zabuli, qui eum artibus suis repleverat; hanc ergo autem ostendit, quam et colendam sculpturis cum sua imagine fabricavit. Statuit itaque imaginem suam cum nominis sui subscriptione, suggerente sibi amico, qui ut hanc artem excogitaret in pectore subjecit [n]. Sic ergo se in imagine speciosa demonstrans, alto quodam loco condidit; et in sinus suos hanc aleæ tabulam gestans, ut quasi ipse lusor et adinventor hujus malitiæ appareret, cujus nomen a Dei servis nominari non deberet

LECTIONES VARIANTES.

[a] *Sic Bod.* 1. *Imp.* Præsto est.
[b] Amplexibus *Bod.* 1.
[c] Ipsa dig. *Bod.* 1.
[d] Ipsa sig. *Bod.* 1.
[e] Ipsa, ad *Bod.* 1.
[f] Zabuli malum *Bod.* 1.
[g] Et ad *Bod.* 1.
[h] Immanitas, illic *Bod.* 1.
[i] Perditus, et dem. lit. et, *Bod.* 1.
[j] Insequitur *Bod.* 1,
[k] Laqueus est ille mali *Bod.* 1.
[l] *Sic Corb. Imp.* Sub hostium suorum multif. num. Disperdant *Bod.* 1.
[m] Malum *Lam.*
[n] *Sic Corb. Imp.* In peccatorem subvenit,

EDIT. OXON. NOTÆ.

VI.—*Magna amplexu operitur deletio.* Locus multis est corruptus. PAMEL.

Manus quæ jam. Omnino lego hoc, pro *tam;* adjicio vero, *est*, ex Antonino. PAMEL.

Ad sacrificium Dominicum admissa. Aut alludit ad veterem consuetudinem, de qua libro *de Lapsis*, aut (quod magis apparet ex sequentibus) de presbyteris loquitur. PAMEL.

Quæ ad laudem Domini. Sic recte Anton. et Morellii quidam codex, pro *ipsa.* PAMEL.

Quæ signum crucis, etc. Hoc iterum ex Antonino pro eo quod erat, *ipsa per quam tuemur signum crucis in frontibus.* PAMEL.

Ipsa quæ divina sacramenta. Juxta præcedentem Antonini lectionem, non sum veritus interserere *quæ.* PAMEL.

Quid est, inquam. Particulam, *inquam*, ex eodem Antonino adjeci; quippe apud quem haud dubio sic legendum, pro eo quod habet, *inquit.* PAMEL.

Diaboli venabulum et delicti vulnus. Hæc lectio quoque ejus placet, præ vulgata, *Zabuli malum et diaculnus.* Juxta quem iterum paulo post *et* præterquam misimus. PAMEL.

Ubi dementia et furia. Antoninus, *ubi mentis furia.* PAMEL.

Illic rabiosa amicitia. Sic etiam ille, et alius quidam Morellii codex, pro *rabidosa.* PAMEL.

Scelcris fraternitas. Ita alius Morellii codex pro *immanitas.* PAMEL.

VII.—*Opes avorum sudore quæsitas.* Alius Morellii codex sudoribus, sic et Anton. PAMEL.

Cum et tot essent augendæ rei, etc. Aliquid desideratur, nempe *occasiones*, aut simile quid. PAMEL.

Alea est alveus mali, etc. Hoc rursum ex Anton. pro *laqueus est ille mali, et supplantatio inimici, qui.* PAMEL.

Sine ulla fori calumnia. Ex eodem *fori*, pro *forti.* Sed vicissim apud illum reponendum *calumnia*, pro *pecunia.* PAMEL.

VIII. — *Instinctu solius Zabuli.* Hoc quoque ex eodem, pro *instigatu*, qui etiam legit *adimplevit*, pro *repleverat;* sed hoc male. PAMEL.

In sinus suos. Forte, *in sinu suo;* est tamen adhuc locus obscurus et mutilus. PAMEL.

Digitized by Google

(sic enim in nomine turpis est, quomodo in factis iniquus) et quisque Dei servus aleæ tabulam amplectitur, auctoris nomine vocaretur. Ille enim cum se in statunculis et simulacris formaret, aliud crimen adinvenit, quo se ab imitatoribus suis [a] colendum, et sibi sacrificandum instituit; ita ut qui vellet studio ejus adhærere, non ante manum in tabulam porrigeret, nisi auctori hujus prius sacrificasset. Inde factum est, ut olim qui homo fuerat, et facinoris admissionis adulter, post mortem, a profanis [b] et errantibus sub fictitio nomine Dei, talis coli meruerit.

IX. Aleæ tabula qui ludit, et maleficia [c] nosse debet, quod a Dei servis longe sit, sciens [d] quoniam foris maleficus et venenarius, et iterum in judicii diem in igne rotante torquebitur. Aleæ tabula qui ludit, prius auctori ejus sacrificare debet, quod Christianis non licet dicente Domino : *Sacrificans diis eradicabitur*, nisi Deo soli; et iterum : *Nolite sacrificare diis alienis, ne incitetis me in operibus manuum vestrarum ad disperdendum vos.* Christianus qui es, et aleæ tabula ludis, licet non sacrifices, lege hujus facinoris particeps es. Et utique Dominus occurrit et dicit : *Exi de ea, populus meus, ne sis particeps delictorum ejus.* Et iterum : *Discedite, discedite inde, exite de medio ejus qui portatis vasa Domini, et immundum ne tetigeritis.* Christianus quicumque es et alea ludis, hoc primo [e] in loco credere debes, quia non Christianum, sed Ethnicum tibi nomen est; et illud quod ad sacrificium Dominicum pertinet, in vacuum sumis. Sic enim [f] dicit : *Omnis immundus non tanget* [g] *sacrificium Sancti.* Dicit enim Scriptura : *Omnis vir manducans carnem sacrificii, et immunditia ejus super ipsum; pereat anima illa de populo meo.*

X. Aleator quicumque es, Christianum te dicis; quod non es, eo quod sæculo particeps es : nec amicus [h] Christi potes esse, qui cum inimico Christi tenes amicitiam. Certe qualis dementia aleatorum fidelium, ubi insaniunt, et furacissimis vocibus pejerant; et deorbati Zabuli caligine, invicem sibi manus inferunt, maledicunt, se devovent, parentum originem turbis præsentibus dehonorant. Sonat publice aleæ strepitus, festinant ad necem hæreditatis suæ manus : nec intelligit miser, quid sibi noceat, quando se aleæ auctorat. Et qui jam sæpius vincitur, rursus ad nocentius studium, Zabulo suadente, animatur. O ars infesta studentibus, et stuprum libidinosum! quod non divitias, sed nuditatem et inopiam præstat; manus carnifex, manus noxia, quæ nec post lucra desinit, sed adhuc post damna ludit. Christianus qui alea ludit, ad sacrificium Zabuli, immolantibus penes auctorem [i], manus polluit. Et idcirco Dominus ad hoc indignari dicit : *Nolite*, inquit, *extendere manus vestras injuste, ne exacerbetis me, et non sinam vos diu permanere super terram;* et iterum : *Abstinete manus vestras ab injusto, et ne feceritis quicquam mali.* Et apostolus beatissimus Paulus similiter dicit : *Videte fratres, ne obfiguremini* [j] *huic sæculo, et pompis et deliciis et voluptatibus ejus; sed continete vos ab omni injustitia* [k]. *Nam qui delinquit in Deum, nulla fit excusatio* [l], *nec indulgentia ulla, et nemini venia datur.* In Evangelio Dominus dicit : *Si quis*, inquit, *dixerit blasphemias in Filium hominis, dimittetur illi : at is qui peccaverit in Spiritum sanctum, non dimittetur illi, nec hic, nec in futuro sæculo.* Et iterum Propheta dicit : *Si delinquendo peccet* [m] *vir adversus virum, orabitur pro eo ad Dominum : si autem in Deum peccaverit, quis orabit pro eo?* Et beatus apostolus Paulus, procurator, vicarius Christi, Ecclesiasticam curam agens, ponit et dicit : *Vos estis templum Dei, et in vobis Christus habitat; si quis templum Dei violaverit, perdet illum Deus.* Iterum Dominus in Evangelio suo negat peccatores, et exprobrat dicens : *Recedite a me omnes qui operamini injustitiam; numquam vos cognitos habui.* Et Joannes apostolus dicit : *Omnis qui peccat, non est de Deo, sed de diabolo est; et scitis quoniam ideo venturus est Filius Dei, ut perdat filios diaboli.*

LECTIONES VARIANTES.

[a] Colendum diceret, sacrificandi sibi legem terminabit : ita *Bod.* 1.
[b] *Sic Bod.* 1. *Imp.* Pronis.
[c] Maleficium *Bod.* 1.
[d] Scientes *Bod.* 1.
[e] *Sic Bod.* 1. Primum *Imp.*
[f] Enim Dominus *Bod.* 1.
[g] Tangat *Bod.* 1,
[h] *Sic Bod.* 1. *Corb. Imp.* animus.
[i] *Sic Corb. Imp.* Pœnis auctoris
[j] Configuremini *Bod.* 1.
[k] Injustitia sæculi *Bod.* 1.
[l] Quod delicti in Deum nulla sit excusatio *Bod.* 1
[m] Peccatur adversus *Bod.* 1.

EDIT. OXON. NOTÆ.

In statunculis et simulacris. Adjecimus, *et*, ante *desideratum.* PAMEL.

Quo se ab imitatoribus colendum, etc. Ita rursum ex illo, pro eo quod erat, *colendum diceret, sacrificandi sibi legem terminavit.* PAMEL.

Sub fictitio nomine Dei. Prorsus sic lege, pro *fictioso.* PAMEL.

IX. — *Maleficus et venenarius.* Nova vox, quantum apparet, a venerandis idolis derivata. PAMEL.

Omnis vir manducans carnem sacrificii. Prorsus sic restitui hunc locum, ex lib. *de Lapsis*, ubi sic citatur hæc Scriptura, pro eo quod erat, mendicans : lego ex eodem, immunditia, pro immunditiæ. PAMEL.

X. — *Certe qualis dementia.* Antonin. *O qualis*, qui etiam *pejerant*, legit pro, *perjurant.* PAMEL.

Et deorbati Zabuli caligine. Anton. *diaboli.* Nova autem est vox, *deorbati.* PAMEL.

Turbis præsentibus. Hoc ex eodem reposui, pro eo quod erat, *turpibus*, pessime. PAMEL.

Immolantibus penes auctores. Rursum obscurus locus. Eadem phrasi supra occurrit. PAMEL.

Et ne feceritis quicquam mali. Omnino sic lego, quia præcedit, *abstinete.* PAMEL.

Videte fratres ne obfiguremini. Ubique alibi Cyprian. *configuremini.* PAMEL.

Et nemini venia datur. Etiam hoc lego pro *veniam*; videtur autem hoc pertinere ad errorem Novatianorum. PAMEL.

Si delinquendo peccet vir. Istud quoque ex Cypriani aliis locis, pro *peccatur.* PAMEL.

Digitized by Google

XI. Si quis aleator Christianus es, tuus et hæreditatis tuæ inimicus es. Quicumque es, desine ab illa dementia miser. Quid te in laqueum mortis cum diabolo ultra præcipitas ? quid opes et divitias tuas sordidissimo ære [a] admittis ? quid te laqueis sæcularibus involvis, ut de sæculo [b] judiceris ? quid inimicum tuum favoribus laudando, delinquis ; cum quo necesse est puniaris ? Esto potius, non aleator, sed Christianus : pecuniam tuam assidente Christo, spectantibus Angelis, et martyribus præsentibus, super mensam Dominicam sparge : patrimonium tuum, quod forsitan sævo studio perditurus eras, pauperibus divide : divitias tuas Christo vincenti committe : servus cum Domino tuo vocare, studio deifico obsequere, artem Domini imitare, quæ non perdit sed potius acquirit. Desine ab illis tuis furacissimis moribus, cohibe præcipitem nequitiam tuam : sit tibi cum pauperibus quotidianis lusus, sit tibi cum viduis frequens operatio ; censum et apparatus tuos omnes ad studium Ecclesiæ distrahe : aurum tuum, et argentum, et pecunias tuas in thesauris cœlestibus repone ; fundos et villas tuas, justa operatione ad paradisum remove : ut peccata donentur tibi, eleemosynis et orationibus continuis incumbe. Alea ne luseris : ubi lusus nocivus est et crimen mortale [c] ; ubi dementia sine consideratione ; ubi nulla veritas, sed mendaciorum mandra. Abscide inde manum tuam, et averte inde cor tuum : extrahe caliginem inimici ab oculis tuis, et purifica manum tuam a sacrificiis Zabuli : abige abs te furaces mores, esto patiens et Christianus, esto tibi et vitæ tuæ in operationibus justus et providus. Fuge diabolum persequentem, et fuge aleam inimicam rerum tuarum : studium sit tibi sapientiæ, Evangelii monitis erudire, puras manus ad Christum extende, ut promereri Dominum possis, aleam noli respicere. Amen.

LECTIONES VARIANTES.

[a] *Sic Corb. Imp.* Sordidissimus æris.
[b] Cum sæculo *Bod.* 1. *Corb.*
[c] Crimen immortale *Corb.*

VARIORUM NOTÆ.

XI.—*Ad paradisum remove.* Forte, *remitte.* PAMEL.
Et crimen mortale. Prorsus sic lego cum altero Morelii cod. pro. *immortale.* PAMEL.
Mendaciorum mandra. Alius, *mendacii malitia.* PAMEL.

DE SINGULARITATE CLERICORUM.

TRACTATUS CYPRIANO PERPERAM ADSCRIPTUS, NECNON AUGUSTINO ET ORIGENI JUXTA QUOSDAM.

Promiseram quidem vobis ante tempus epistolam, filii charissimi, quæ omnium morum instituta de lege commendans, summatim omnia etiam contineret, quæcumque universis clericis generaliter ad dirigendam regulam competunt disciplinæ. Sed quia nunc de feminarum commoratione vulgariter inter vos quidam ad ignominiam devoluti sunt, etiam de hac re specialiter vobis, Domini correptione scribere compulsus sum, qui miserum me pro vestra negligentia cum severitate corripiens, mandare præcepit, ne clerici cum feminis commorentur. Et licet hæc admonitio sola litterarum mearum auctoritate sufficeret, tamen ne me somniatorem irrideat quisquam, sicut Joseph fratres irriserunt, Scripturarum addimus firmitatem : ut omnes sciant hoc etiam modo per revelationem Dominum jubere, quod litteris cognoscitur ante jussisse ; nec nos esse adulterantes verbum Domini, aut volentes jactanter de revelationibus gloriari, sed sic ante conspectum Domini referendo non mentiri quod loquimur ; sicut a Domino confidimus nos non audisse mendacium, præsumentes vocem apostoli Pauli protestantis : Non enim sumus, inquit, sicut plurimi adulterantes verbum Dei, sed ex sinceritate, sicut ex Deo, coram ipso in Christo loquimur. In dolore itaque maximo constituti de quibusdam putrefactis membris corporis nostri, et in gemitu jacturam lamentantes Ecclesiæ, quæ per segnitiem nostram redigitur per dies singulos ad nimiam pau-

EDIT. OXON. NOTÆ.

De Singularitate Clericorum. Videtur circa Bedæ populares nostri tempora, quando de cœlibatu Clericorum maxime fervebat præsertim in Occidente controversia, conscriptus liber ; qui sæculo respondet a revelatione desumptum argumentum. Ferebatur enim, Gabrielem Angelum duodecim articulos signatos detulisse, quod conjugium Sacerdotum non esset tolerandum. Post vulgatam versionem in usu receptam, scriptum fuisse constat : nec refert quod Origenis sententiam tueri videatur auctor ; siquidem hoc ad hypothesin quam susceperat, pertinebat. *Rigaltius ait*, Codex Fossatensis Cypriano tribuit. In Corbeiensi inscribitur, Augustini *de Singulariate Clericorum.*

Sed quia nunc de feminarum commoratione. Pamelius ait, Manutius et Morellius, cum Landulpho de Columna, *commemoratione.* Verum prius habet Antoninus cum vet. excus. et argumento libri magis convenit. Nisi vero etiam Landulphus legeret illud *de*, superfluum putarem, et omitterem cum Antonino. PAMEL.

Ad ignominiam devoluti sunt. Pamelius ait, Ex vitio codicis Remboldi legebatur *ignominiæ*, duntaxat quod non placeret, reposuit Erasmus *ignominiose*, et illud legunt Antoninus et vet. exc. PAMEL.

Domini correptione. Pamelius ait, Manutius et Morellius *correptione*, verum prius placet obsequentia, præsertim si legamus cum Antonino, *corripiens* pro *conveniens.* PAMEL.

Digitized by Google

citatem ; credimus nos ex parte aliqua sublevari, quod diligentiæ nostræ negligentia quorumdam obesse non possit, quibus numquam nostræ litteræ defuerunt, quæ per absentiam nostram frequentiam omnibus pensaverunt dissimulationis suæ : ut unusquisque contemptor reum semetipsum conscribat, nos autem libera fronte contemptoribus exclamemus, quod Salomon confidenter exprobrat : Quoniam quidem vocabam, inquit, et non obaudiebatis : et extendebam verba mea, et non intendebatis, sed irrita faciebatis mea consilia, meis autem increpationibus non intendebatis ; itaque et ego vestræ perditioni superridebo Gratulabor ergo adversum vos, cum advenerit vobis interitus, et cum advenerit vobis subito tumultus : eversio autem simul et procellæ, et cum advenerit vobis pressura et expugnatio. Erit enim cum me invocaveritis, ego autem non exaudiam vos. Quærent me mali, et non invenient : oderunt enim sapientiam. Verbum autem Domini non assumpserunt, neque voluerunt meis consiliis intendere. Spreverunt enim meas correptiones : ideoque edent viæ suæ fructus, et sua impietate satiabuntur.

Ad vos nunc mea exhortatio convertitur, quos nolumus experiri talia præcipitia ruinarum. Metuite quantum potestis ejusmodi casus exitia : et in ista subversione, labentium vos experimenta perterreant. Nimium præceps est qui transire contendit, ubi alium conspexerit cecidisse : et vehementer infrænis est, cui non incutitur timor alio pereunte. Amator vero est salutis suæ, qui evitat alienæ mortis incursum. Et ipse est providus, qui sollicitus fit cladibus cæterorum, sicut Salomon approbat, dicens : Astutus videns malum puniri, vehementer erudietur. Et iterum : Cadentibus impiis justi vehementer terrebuntur. Adversaria est confidentia, quæ periculis vitam suam pro certo commendat. Et lubrica spes est, quæ inter fomenta peccati salvari se sperat. Incerta victoria est, inter hostilia arma pugnare. Et impossibilis liberatio est, flammis circumdari, nec ardere. Quod Salomon non negat, dicens : Quis alligabit in sinu suo ignem, vestimenta autem sua non comburet ? Aut qui ambulabit super carbones ignis : pedes vero non comburet ? Sic qui introierit ad uxorem proximi sui, non erit immunis, neque omnis qui tangit eam. Credite, quæso vos, credite divinæ fidei, quinimo quam nostræ : quia omne quidquid pollicetur, non potest fallere, dicente Domino : Facilius est, inquit, cœlum et terram præterire, quam de lege unum apicem cadere. Et iterum : Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non præteribunt. Ipsi ergo nos fallimus, quotiens inordinaliter credimus, æstimantes per fidem nostram legis præcepta mutari : ut inter masculos et feminas speremus passim castitatem immobilem custodiri.

Difficile quis venenum bibet et vivet. Verendum est dormienti in ripa, ne cadat, cum dicat Apostolus : Qui se putat stare, videat ne cadat. In hac parte expedit plus bene timere, quam male fidere. Et utilius est infirmum se homo cognoscat, ut fortis existat ; quam fortis videri velit, et infirmus emergat. De qua re præsumptores objurgat Apostolus, dicens : Si quis putat se aliquid esse, cum nihil sit, seipsum implanat. Pro certo implanator proprius suam animam decepit, qui non cavendo contraria, noxiis rebus semetipse commiserit. Ille autem tutius sibi consulit, qui circa malos semper infidus species quascumque noxias extimescit. Quorum distantiam Salomon disseruit, dicens : Sapiens timendo declinabit ab omni malo : insipiens autem confidens sui miscetur iniquo. Magnum sapientiæ divinæ consilium inventum est, ubi timoris auxilio liberemur. Magna compendia providentiæ, ut aliquando fiat virtus et victoria per timorem. Magna remedia Dominus contulit ad salutem, ut habeat ot timidus laudem, sicut Salomon repetit, dicens : Beatus vir qui veretur omnia per metum. Inæstimabilis Domini misericordia, quæ unicuique homini suam contulit gloriam : et incomprehensibilis pietas, quæ secundum pugnas dedit et palmas : ut conflitendo masculorum sævitiam superemus, et timendo feminarum blandimenta vincamus ; dummodo et de virtute et de infirmitate super nos Dominus glorias operetur : ut in omnibus et per omnia omnipotentem semetipse testetur, dividens differentias triumphorum ; ut tam consiliis quam viribus a nobis bella vincantur, ne si vicerimus solius fidei fortitudine, contra Salomonem vacua essent opera sapientiæ. Nunc igitur sapientiæ arma gestanda, ubi feminei et virilis sexus certamen indicitur. Unde Salomon sic instruit, dicens, Prudentiam, inquit, fac notam tibi, ut te servet a muliere aliena et pessima. Videte nunc prudentiam in isto bello, non fidem nobis datam esse victricem, quæ nos timiditatis remedio liberasset : et contemplamini quæ sunt modo arma sumenda, si vultis habere legis auxilia. Estote timidi, ut sitis intrepidi, et licet timor in certamine infirmitas esse videatur ; tamen secundum verbum Apostoli, virtus in infirmitate perficitur. Separamini deprecor, separamini contagione pestifera.

Quantumcumque fuerit unusquisque longius ab adversis tantum non sentit adversa. Minus voluptatibus stimulatur, qui non est ubi frequentia est voluptatum. Et minus avaritiæ molestias patitur, qui divitias non videt, si admittimus Apostolum pollicen-

EDIT. OXON. NOTÆ.

Reum semetipsum conscribat. Pamelius ait, Etiam hic Remboldus reposuit, *rerum* corruptissime ; nam illud habent vet. excus. Gravius et Morelius. PAMEL.

Cum advenerit vobis interitus. Pamelius ait, Nec vet. excus. Neque Remboldus hoc habent, sed est apud 70. Quare recte quoque ex conjectura Cauchii adjecimus, et illud quod sequitur. PAMEL.

Adversaria est confidentia. Pamelius ait, Ita etiam ille rectius, quam vulg. *adversa*. PAMEL.

Quinimo quam nostræ. Pamelius ait, Accipit *quinimo* pro *potius* ; nam illud *plus* : neque habent vet.exc. neque Remboldus, sed primus Erasmus addidit. PAMEL.

Quæ unicuique homini suam contulit gloriam. Pamelius ait, Remboldus vitio operarum habebat *suo*, quod cum non quadraret, reposuit Erasmus, *undique* pro *unicuique* ; at prius genuinum est. PAMEL.

Digitized by Google

tem : Qui volunt, inquit, divites fieri, incidunt in tentationem et in muscipulas, et desideria multa et inutila et noxia, quæ mergunt hominem in perditionem et in interitum. Non aliter tentationibus subjacet qui junctus est feminæ ; in qua nihil est aliud nisi quod feriat proximantem. Aculeus peccati facta est forma feminea ; et mortis conditio non aliunde surrexit, nisi de muliebri substantia. Quod Salomon ad nostram sollicitudinem memorat, dicens : A muliere factum est initium peccati, propter hanc omnes morimur. Inde mortales tenemur, nec timemus. Quid si jam mortales essemus ? Per mulierem liberavit nos equidem Christus, sed unde adhuc morimur formidare debemus. Tunc liberatio ipsa constabit in femina, si a nobis mors revincatur, quæ per feminam venerat. Cæterum si adhuc per mulierem circa nos scandala dominantur, liberationis Christi fecimus pro certo dispendium. Siquidem in futurum spes ista libertatis manet, quam fidei nostræ Christum credimus contulisse : ut tunc nobis omnino mulier non noceat, cum et ipsa mors fuerit evacuata. Nam si modo putamus nos intentabiles esse muliebribus jaculis ; quid ergo restat cœlestibus regnis ? Non immerito tales sensus Apostolus increpat, dicens : Jam satiati estis, jam divites facti estis : sine nobis regnatis, et utinam regnetis. Tempus ergo luctaminis adhuc geritur, et mors per feminam adhuc usque grassatur. Mentior, si non videmus exinde interitus plurimorum. Quanti et quales Episcopi et clerici simul et laici, post confessionum victoriarumque calcata certamina, post magnalia et signa vel mirabilia usquequaque monstrata, noscuntur cum his omnibus naufragasse ; cum volunt in navi fragili navigare ? Quantos leones domuit una muliebris infirmitas delicta, quæ cum sit vilis et misera, de magnis efficit prædam ? Quod Salomon loquitur, dicens : Pretium meretricis tantum est unius panis, mulier autem pretiosas animas capit.

Ante nos ista tractantur, et nullis terroribus coercemur, quid faceremus, si opinionibus tantummodo gestas historias audiremus ? Sed hæc est semper incredulitas humanæ duritiæ, ut non solum, audiendo, sed etiam videndo non credat alteros interisse, nisi et se ipsam viderit interire ; nec sociorum mortibus quatitur, dum illos promeritos aut invalidos opinatur. Se autem multum mereri, aut multum valere fiducialiter putat, nesciens præberi cunctis exempla, cum fuerint quibusdam irrogata supplicia, sicut Dominus in Evangelio proponit et dicit : Putatis quod hi Galilæi præ omnibus Galilæis fuerint peccatores, qui talia passi sunt ? Non. Dico vobis : Nisi pœnitentiam habueritis, similiter perietis, sicut illi supra quos cecidit turris in Siloa, et occidit eos. Putatis quoniam et ipsi debitores fuerunt præ omnibus hominibus habitantibus in Hierusalem ? Non. Dico vobis : Si non pœnitueritis, similiter perietis.

Miramur si Adam per Evam seductus est, quem nulla morientium exempla præcesserant, et nisi jussio una constrinxerat, cum modo nos nec innumerabiles mortes, nec infinita jussa compescant. Quibus convenienter dicitur secundum increpationem Domini : Si Adam vidisset mortes, quæ factæ in vobis, olim in cilicio et cinere pœnitentiam egisset. Dico autem vobis, quoniam Adæ tolerabilius erit in die judicii, quam vobis. Longe sit pestis illa, et lues, et clandestina pernicies. O quam inordinabilis feminæ propinquitas jaculatur, cujus vicina est delictorum latrocinium. Non est in hac societate sinceritas approbabilis, quæ collisiones habet velut quibusdam fluctibus turbulentas. In hac familiaritate non habitat amica concordia, quoniam non nisi discordantes inimicitias creat. Fecit equidem viro Dominus mulierem adjutricem, sed serpentis invidia personam sumpsit hostilem. Quod si illa de viro suo nata, usque hodie ipsum cui jungitur, tentat : quanto magis illa quæ copulatur, nulla lege conjuncta ? Et si illi qui duo sunt in carne una concreti, tentationibus mutuis invicem pungunt, quid facient hi qui in una carne nec nati nec juncti sunt ? Præsertim quia nec Deum jam invocare permittitur, qui charitate alterius avocatur, nec sinitur cogitare divina, qui sibi quæsivit cui exiberet domesticam curam. Propter quod sic Apostolus consulit, dicens : Volo vos sine sollicitudine esse. Qui sine uxore est, sollicitus est quomodo placeat Deo : qui autem habet uxorem, cogitat quæ sunt hujus mundi, quomodo placeat uxori. Quid est nunc quod in hac conjunctione delectet, in qua sunt solæ pugnæ ? aut quæ utilitas favet, ubi non sunt officia conjugalia, quando nec ipsa possunt esse secura.

Causale est omne quod feminæ est : et copulatio ejus semper infesta est. Fœdere suo magnas molestias præstat ; et cui adhæserit contra fas, insanabilem ingerit plagam. De carbonibus scintillæ dissiliunt, de ferro rubigo nutritur, morbos aspides sibilant, et mulier fundit concupiscentiæ pestilentiam, quam Salomon sic comparat, dicens : De vestimentis procedit tinea, et a muliere iniquitas viri. Volo

EDIT. OXON. NOTÆ.

Et in muscipulas. Pamelius ait, Omisimus vocem *diaboli*, quod neque vet. excus. neque Remboldus habeant, neque alibi Cyprianus, tamen ubique *muscipulam* legit. PAMEL.

De magnis efficit prædam. Pamelius ait, Antoninus addit *ejus* pro *suam* ; antiquus vero alter codex Morellii longe aliter legit, *de magnis tantum et fortibus suam mixtam efficit prædam*. PAMEL.

Dum illos promeritos aut invalidos opinatur. Pamelius ait, Non male etiam Erasmus, *emeritos*, nisi sequeretur, *si autem multum mereri*, quare illud ex vet. excus. et Remboldo reposuimus. PAMEL.

O quam inordinabilis. Pamelius ait, Sic etiam Antoninus. Vet. excus. vero et Remboldus *inordinalis*, locus obscurus. Conjicit autem Gravius legendum *lenocinium* pro *latrocinium*, sed hoc non satisfacit. PAMEL.

Causale est omne quod feminæ est. Pamelius ait, Erasmus *Casuale*, at illud vet. exc. et Remboldus. Alludere videtur ad illud :

Semper habet lites, alternaque jurgia lectus. PAMEL.

Digitized by Google

scire quæ sit affectio ista communis, quæ morbi dissensio semper ambigua, quæ propositum suum nutantibus consiliis impugnando conturbat. Ut quid sibi adhibuit mulierem qui ducere contempsit uxorem? Omnis qui non manducaverit carnem, ut quid habitationem suam carnis apparatibus replet? Et qui non biberit vinum, quid videndi oblectatione perfruitur? Quasi non aliquoties videndo nec gustando copia esculentorum animus pascitur, et vini odoriferi sola fragrantia suscitatur sæpius animus. Quid per hypocrisin vult ab hominibus abstinens dici, et in secreto carnibus et ebrietate distendi? Habent multi divitias quas suis usibus negant, sed pro cupiditate conservant; quibus si nulla cupiditas inhæsisset, nec cupiditatis insignia possiderent. At vero quia cupiditate possessi sunt perfruuntur animo quod usu non tangunt. Ita is qui despexit vinculum nuptiarum, et aliter vinculis femineis obligatur; quamvis nullo concubitu misceatur, desiderio tamen, visu, colloquio, conjunctione semper oblectatur. Nam si desiderium feminæ non haberet, numquam feminam suis oblectamentis assumeret.

Immo vero insuper mihi suspectum placitum dedit: qui non legitimam duxit, et legitimam recusavit: nisi fallor, in publico argumentatus est hominibus promittere sanctitatem, et in occulto sine uxore non esse. Duo argumenta sanctitatis et libidinis hinc et inde miranda sunt, quæ utraque invicem tegunt, et utraque invicem produnt. Ingeniosus eunuchus et mœchus invidet sibi dum consulit, et dum quærit utrumque, neutrum facit; ut sanctus minime deputetur, qui non vera conjunctione perfruatur, cum Paulus apostolus dicat: Alligatus es uxori? ne quæsieris solutionem. Solutus es ab uxore? ne quæsieris uxorem. Sed consentio non esse castitatis hujus pudicitiam violatam: suspiciosis tamen malam porrigit famam; et pudicitiæ bonum frustra intrinsecus laborioso agone custodit; qui illud forinsecus efficit infamari, destruens magisterium Pauli providentis pariter et monentis: Ut quid, inquit, libertas mea judicatur ab infideli conscientia? Si ergo gratiæ participo: ut quid blasphemor pro eo quod gratias ago? Pejus est quam mœchia, continentiam ducere criminosam, et infamem facere sanctimoniam. Blasphemiam ingerit religioni quam colit, qui quod confitetur, non ante omnes impleverit; ne Christianitas credatur esse fallacia, et mœchatio videatur esse sanctitatis velamento vestita. Propter quod Dominus in Evangelio sic præmonet, dicens: Sic luceat lumen vestrum coram hominibus, ut videntes opera vestra bona, magnificent Patrem vestrum qui in cœlis est. Hoc sequitur et Paulus apostolus, dicens: Non ergo blasphemetur bonum vestrum. Et iterum: Providentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus. Et alio loco: Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. Et estote sine scandalo Judæis, et Græcis, et Ecclesiæ Dei, sicut et ego per omnia omnibus placeo.

Sed opponitur forsan, quid est quod ipse iterum dixerit? Si hominibus placere vellem, Christi servus non essem. Numquam se quæcumque dicta legis excludunt, sed certis locis responsa universa defixa sunt. Illic placere hominibus non licet, ubi voluntas hominum non capit Domini voluntatem. Ubi vero accentant homines quod ad gloriam proficit Dei; innotescere omnibus ipse Paulus apostolus præcepit. Unusquisque, inquit, nostrum, proximo suo placeat ad bonam ædificationem. Quale ergo præmium sanctitatis exspectat, qui non solum blasphemiam sanctitatis ab infidelibus provocat, sed etiam fidelibus perniciosum præbet exemplar; ut infirmi sub prætextu dilectionis subtiliter fornicentur, et pudicus impudicissimæ castitatis præbeat magisterium, destruens quod Paulus apostolus comminatur: Periit, inquit, frater infirmus in tua conscientia, propter quem Christus passus est? Sic autem peccantes in fratres, et percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis. Et quidem non hoc juvenibus tantum, sed et senibus congruit, fratrum imbecillitati consulere; ne senectus perire provocet juventutem, ex qua debent omnia salutaria documenta procedere: sicut Eleazarus in libro Machabæorum profitetur et dicit: Præmitti malo in infernum, quam patrias leges deserere. Non enim ætate nostra dignum est fingere; ut multi adolescentium arbitrati Eleazarum nonaginta annorum, transisse ad vitam alienigenarum, et ipsi propter meam simulationem, et propter modicum et corruptibile tempus vitæ, per me seducantur, et odium ac maculam senectuti meæ acquiram. Ille maluit vitam suam tormentis objicere, quam cuiquam magister perditionis existere: et nos ubi nulla tormenta sunt, fluxibus solis, nolumus salvandos fratres anteponere: nec contenti sumus sine ullis cruciatibus tam nobis prodesse quam cæteris, cum ille noluit vivere moriturus: sicut inferius prosecutus est; dicens: Quamobrem fortiter vita excedens, senectute dignus apparebo, adolescentibus quidem exemplum forte relinquam, ut prompto animo ac fortiter pro gravibus et sanctis legibus honestæ morti succedant. Cum

EDIT. OXON. NOTÆ.

Omnis qui non manducaverit carnem. Videntur ea ætate clerici a carnibus et vino abstinuisse. PAMEL.

Videndi oblectatione perfruitur. Siclego cum vetere excus. pro *vini*, neutrum habet Remboldus. PAMEL.

Suspectum placitum. Placitum pro *decretum.* Solus enim Manut. *placidum.* PAMEL.

Qui illud forinsecus efficit infamari. Ita ex Antonino, et quodam Morellii cod. pro *quod forinsecus*; legit etiam ille codex *permittit* pro *efficit.* PAMEL.

Blasphemiam ingerit religioni quam colit. Sic optime quidam Morellii codex, pro *contulit.* PAMEL.

Senectute quidem dignus. Adjicimus *quidem*, ex vet. cod. Nam legitur in Machabæis. PAMEL.

Digitized by Google

hoc etiam laicos deceat, ne aut extraneis occasionem blasphemandi, aut fraternitati opportunitatem fornicationis opponant; tum maxime clericos vehementer necessitas ista constringit; quibus aut religio blasphemata, aut fraternitas perdita pœnas duplices irrogabit. Nec invenient in judicio Domini ullum omnino solatium, qui alienigenis et fratribus peccandi fomitem ministrarunt. Propter quod sic Paulus apostolus Titum instruit, dicens: Teipsum bonorum factorum præbens exemplum in doctrina, in integritate, in gravitate, in verbo sano atque irreprehensibili: ut adversarius revereatur, nihil habens de nobis dicere mali. Et iterum: Omnibus, inquit, fidem bonam ostende, ut bonam doctrinam Salvatoris Domini nostri præferant in omnibus. Sic et ad Timotheum scribit, dicens: Forma esto fidelibus in sermone, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate. Quod et Petrus apostolus hortatur, dicens: Conversatio, inquit, vestra in gentibus bona sit, ut in eo quod detrahunt de vobis tamquam de malefactoribus, de bonis operibus vestris glorificent Deum. Et iterum: Quoniam sic est, inquit, voluntas Dei, ut benefacientes obmutescere faciatis stultorum hominum ignorantiam.

Nec quisquam sibi proponat et dicat: Habere volo quod vincam: hoc est enim dicere, vivere desidero sub ruina. Quis tam stultus qui arctari cupiat ad laborem, cui offertur delicatus triumphus? Neque enim duplex triumphus est sub feminæ præsentia probari victorem, quam est in singularitate servare integram sponsionem sanctimoniæ. Et cum sit unus titulus gloriarum, hoc loco unus fortis est, qui satis laborat; et cum illo qui parum laborando vicerit, pariter muneratur. Quid quod ille quinimmo consummatus adscribitur, qui se omni tempore femineis affectibus ostentat abscissum? quia eum Dominus in Evangelio perfectum vocat, qui totum suis usibus amputaverit patrimonium. Certe etiam soli cuicumque, quotidiani triumphi pro castitate non desunt; quia numquam desideriis carnalibus spiritum cessat infestare corpus humanum, quod Apostolus affirmat, dicens: Caro, inquit, concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem: hæc enim invicem adversantur sibi, ut non quæcumque vultis illa faciatis. Habes nunc carnem tuam, quam superes semper: quid tibi vis alteram vel conducere? Nemo super unam febrem cupit adhibere pejorem; ne incipiat hemitritæo insanabili laborare, cui nullus valeat medicus subvenire. Neque aliquis super onus proprium tollit insuper alienum; ne oneribus duobus oppressus, usque ad inferos demergatur. Unde sic Hieremias propheta docet sanctitatis pondus singulariter sustinendum. Bonum est, inquit, viro cum portaverit jugum grave in juventute sua; sedebit singulariter et silebit, quoniam tulit super se jugum grave.

Sed quisquam malignus obsecutor ad dictum apostoli Pauli confugiet dicentis: Onera vestra sustinete invicem, et sic implebitis legem Christi: Non hæc sunt onera, quæ Paulus apostolus imperat subvehenda; sed ut tolerantes nosmetipsos discordia nulla discernat; et in tentationibus constitutis fratribus præbeamus auxilia: non ut ipsi nobis tentamenta per feminas procuremus, sed ut tentamentorum magis pondera sublevemus; cum sciat quale sit sanctitatis jugum, quod vix singulare portetur. De quo non solum ipse, sed et Dominus noluit certum definire præceptum, dicens: Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est. Et iterum: Qui potest capere, capiat. Si ergo difficile singulariter magnitudo istius ponderis toleratur; quomodo tolerabitur, si geminatis ponderibus prægravetur? Et si singulares pene omnes vix durant carnales insidias sustinere; quid faciunt illi qui ex utroque latere gladiis impendentibus non cunctantur incumbere? Plus dico. Si mariti et uxores desideria conjugalia quotidie gerentes, sibi non sufficiunt; quid agunt illi qui ad augendas impugnationes feminis sociantur? Ex improviso vel transeunter ad horam femineus aspectus occurrens, velut sagittas alienis oculis jactat. Quando libera non est simplex reverentia; quid illic geritur, ubi libertatis sumit mulier in contubernalitate constantiam? quando in domesticis negotiis nunc lacertos ac femora lanificis operibus nudat, nunc æstuans detegit membra, nunc fatigata jactatur, aut in usu aliquando dissolvitur; nunc blanditias exhibet, et quod est venenosius super cuncta psallere delectatur, aut canere? Cujus cantu tolerabilius est audire basiliscum sibilantem. Contra quam Salomon sic nos cautos efficit, dicens: Cum cantatrice noli assiduus esse, nec audias illam, ne forte dispereas in efficacia ejus. Taceo reliqua, quæ magis pudenda sunt quam dicenda: solum hoc dico, in dolore vel in ira mulierem frangi conspicere, jam non est sine mulcedine. Quid dicimus si videas jucundantem, aut quod est deterius blandientem? Semel dixerim, omnis inconveniens sodalitas mulierum, gluten est delictorum, et viscum toxicatum, quo diabolus aucupatur. Incongrua est sodalitas feminarum, quarum sodalitatem ita nos rursum Salomon docet in omnibus præcavere: Cum aliena, inquit, muliere ne sedeas omnino, et ne alterceris cum illa in vino, ne forte declinet cor tuum in illam, et sanguine tuo labaris in perditionem.

Postremo si animum nostrum confidimus in hac

EDIT. OXON. NOTÆ.

Quinimo consummatus. Prorsus sic lego cum Morellio pro *qui minimo*. Quia supra hanc vocem habuimus eadem significatione, et consentiunt vet. exc. cod. et Remboldus. PAMEL.

Certe etiam soli cuicumque. Adjicio ex iisdem *soli*. PAMEL.

Hemetritæo insanabili laborare. Hemetritæus febris est, juxta Remboldum, tertiana una et dimidia. PAMEL.

Sed quisquam. Omisimus voculam *si* interjectam juxta cod. vet. et Remboldum. PAMEL.

Ex improviso vel transeunter, Antoninus *in transitu,* sed illud bis terve infra repetitur. PAMEL.

Aut in usu aliquando dissolvitur. Remboldus legebat

Digitized by Google

communitate durare semper, vel illud apud nos debet esse suspectum; ne ipsæ quæ nobiscum conveniunt, in nos ipsos forsitan moveantur, aut in alteros amores præ rapida ætate incitamentis furialibus stimulentur, et erit nobis causa aut quod pejus est, sine causa ut fornicatio nos maculet aliena, apud quos suggeritur cæteris occasio lupanaris; et crimine alieni reatus absorbebimur, cui nos ipsi subornamus immunditiæ lenocinium. Propter quod apostolus Paulus de similibus ita nos instruit, dicens: Si propter escam frater tuus scandalizatur, jam non in charitate ambulas. Noli esca tua illum perdere, propter quem Christus mortuus est. Et iterum: Bonum est non manducare carnem, neque bibere vinum, neque ostendere in quo frater tuus offenditur, aut scandalizatur, aut infirmatur. Et alio loco: Hoc, inquit, judicare magis, ne ponatis offendiculum aut scandalum fratri. Et de semetipso sic ait: Propter quod si cibus scandalizat fratrem meum, jam non manducabo carnem in æternum, ne fratrem scandalizem. Cum ergo nos pulsat conjunctionis hujus molestia detestabilis; et si adulteros non potest facere, facit tamen pejores adulteris et incestis. Quis enim cordis alterius scrutator qualitatem uniuscujusque perpendat; et pro altera persona contra Satanam repugnator, circa Deum vero idoneus fidejussor esse præsumat? De semetipso demens est, qui aliquid pollicetur, ne dicam si etiam pro femina sponsionem ponere videatur; cum Paulus apostolus sic de se pronuntiet, dicens: Non quia jam accepi, aut jam justificatus sum, aut jam perfectus sum: sequor autem si quomodo comprehendam, in quo et comprehensus sum a Christo. Fratres ego me non arbitror comprehendisse: unum tamen, posteriora quidem obliviscens, ad ea quæ sunt ante pedes, ad regulam sequor, ad palmam supernæ vocationis Domini nostri Jesu Christi. Quicumque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus. Mihi, inquit, pro minimo est, ut a vobis judicer, aut ab humano die: sed neque meipsum judico, qui autem judicat me, Dominus est. Et alio loco: Beatus, inquit, qui non judicat semetipsum, in quo probat alium. Quamvis ergo nos nec de nostra stabilitate certum aliquid habeamus, qui sine cessatione concutimur, inter fluctus sæculi sustinentes procellosos incursus; tamen si alicui tanta fiducia est de immobilitate propriæ firmitatis; saltem sollicitus reformidet, ne ipse sit scandalum visibus alienis, sed terreatur voce Domini comminantis: Væ, inquit, huic mundo ab scandalis: verumtamen væ homini illi per quem scandalum venit. Si has Domini comminationes religioso corde metuimus et veremur, plus de aliis quam de nobis extimescamus periculum nostrum, qui mutuis (ab apostolo Paulo) utilitatibus obligamur: Non quæ sua sunt, inquit, singuli cogitantes, sed quæ aliorum. Et iterum: Nemo quod suum est quærat, sed quod alterius.

Sed aliquis arripiens de ipso Paulo quod opponat: Unusquisque, inquit, vestrum pro se rationem reddet Deo: et unusquisque suam sarcinam portabit. Qui non vult ergo pro altero reddere rationem, nec causis ejus, nec negotiis debet particeps illicitus interesse: et qui liber vel immunis circa sarcinas alienas conatur existere, nihil alienum contraria conditione teneat infra se. Nam necesse est ut rationi alterius subjiciatur, qui negotium tractaverit alienum. Oportet eum damno perstringi vel dispendio sarcinarum, apud quem sub intuta custodia fratris sarcinæ perierunt; quia quicquid in domo nostra sub minus idonea tutela perditum fuerit, aut latrones effregerint, nostrum est, et a nobis exigetur quicquid per inertiam nostram male commissum custoditur. Tunc vero ab invicem liberi sumus, si nihil apud nos de re alterius reservetur.

Forsitan aliquis dicat: Ergo nec ad domum orationis debemus pariter convenire, ne aliquis aliquem scandalizet. Hæreticæ professionis est ista contradictio calumniosa, quæ de bonis præscribit, ut asserat mala; et de sanctitate præjudicat, ut immunditiam subtiliter introducat; de licito calumnias facit, ut obtinere illicitum possit. Propter quod apostolus Paulus hæresi huic ante præscribit, dicens: Verumtamen neque mulier sine viro, neque vir sine muliere in Domino. Absit, absit, ut ubique feminæ præscribantur, aut ubique permissio tribuatur. Habent loca sua circa maritum, circa filios, circa fratres, circa parentes, circa servos; et in domo orationis tantummodo juxta cunctos clericos. In mansione autem una, sine cognatione competenter non habent socios. Hæc est libera quæ stat. Stare vero non potest quicquid inclinaverit libera, dicente Scriptura: Non declinabis in dextram, neque in sinistram. Et Dominus in Evangelio: Quod amplius est, a malo est. Disce nunc temperantiæ modum, qui per licentiam quæris excessum. Ama feminas inter sacra solemnia, et odio habe in communione privata; si vis Salomonis tenere doctrinam: Tempus, inquit, amandi, et tempus odiendi.

Tunc ergo cavenda sunt feminæ participia, quando geritur carnalium curarum continua unanimiter frequentia: quoniam inter curas suas caro semper incitamenta cupidinis provocat; et illic parit fomenta peccandi, ubi pertractans commoda sua temporalis vitæ cogitationibus senserit paululum relaxari; sicut Salomon asserit, dicens: Deprimit terrena cogitatio sensum multa cogitantem. In conventu vero sacrorum, ubi spiritus dominatur, ancilla semetipsam cognoscens perdit suæ voluptatis usum; perdit et luxum dum tractantur cœlestia, dum celebrantur sancta

EDIT. OXON. NOTÆ.

in risu; pro quo Erasmus rectius *in risum*: sed illud habet vet. exc. PAMEL.

Neque ostendere. Non est istud hodie apud Apostolum. PAMEL.

Ab apostolo Paulo. Erasmus *testante Apostolo*, at illud arridet, quia est in vet. cod. PAMEL.

In conventu vero Sacrorum, etc. Pulcher locus pro Sacris Ecclesiæ; quippe ubi dicit tractari cœlestia,

Digitized by Google

mysteria ; tota humanitas occupatur, ubi non humana, sed divina sunt omnia : ubi veneratio vel tremor et terror incutitur ; animis universis sepulta est perfecta substantia carnalis. Inter ipsa fere carnis mercimonia multi voluptatem corporis negligunt, scilicet quando a legionibus exercitia meditantur armorum, aut crepat litibus forum, aut resonant litteris auditoria, aut negotiatores commerciis instanter incumbunt, aut artifices in artificia ipsa propensi sunt : quanto magis ubi non carnale opus hominum ; sed spiritale geritur Angelorum ? Nihil illic impugnationes possunt, ubi et ipsi dæmones cedunt ; et nulla sexus alicujus permittitur considerari distantia, ubi nec ætas, nec dignitas, sed sola æqualitas regnat : atque ut plenius dicam, omnes illic tales sensus accipiunt ; ut et ipsa conjugalitas ignoretur, ubi Christus loquitur, auditur, attenditur, et per omnia et in omnibus solus est totum, testante Apostolo et dicente : Ubi non est, inquit, Judæus et Græcus, circumcisio et præputium, Barbarus et Scytha, masculus et femina, servus et liber, sed omnia et in omnibus Christus. Hunc plane conventum gloria est celebrare cum feminis, in quo nulla est discretio qualitatis, ubi tantum licet omnes æquare sine aliqua differentia : ut nec in ipso Baptismate cujusquam nuditas erubescat, ubi Adæ et Evæ renovatur infantia : nec exponit, sed potius accipit tunicam.

Quod si et illic sit aliquis diabolo pejor, qui feminarum aspectibus feriatur, de nullo tamen congregatio vestra culpatur, quæ propter cœlestia, non propter terrena colligitur. Verumtamen si quis illic luxuriosis obtutibus fuerit, nullo modo aiterum lædit, qui non ad hominem, sed ad Christum pro salute processit. Quinetiam de suis contradictionibus contradictores excludam, ut non meis, sed suis propositionibus cedant. Si inter festa sancta potest communis conventio scandalizari, ubi tentator ipse diabolus tremuit ; quis illic stabilem se esse promittit, ubi tentator audenter occurrit? et si illic periclitamur, ubi Dei præcepta nos congregant, quid agimus ubi Dei jussa nos separant ? et si turbamur illic, ubi Dei voluntate munimur ; quanto magis ubi non solum diabolum, sed etiam Dominum habemus adversum ? Cum sacrosanctis enim jussis nobis divina protectio ministratur, sicut Esaias ait : Legem, inquit, in adjutorium dedit ; sine jussionibus vero divinis nullum potest esse præsidium.

Aliud est quod Deus imperat facere, et aliud voluntati ejus obsistere : cujus ita sunt mandata servanda, ut si aliquid jusserit quod secundum homines injustum esse videatur, justum credatur et fiat ; et si justum jusserit, justum reputetur et fiat : cum sine justitia non potest esse quod mandat, qui potens est injustitiam justificando vocare justitiam, et justitiam reprobando injustitiam probare transversam, cujus voluntas est sola et vera justitia. Si enim totum quod gerimus, ad hoc tantummodo gerimus, ut Domino placeamus ; profecto hoc solum erit justum quicquid voluerit, et jusserit, et probaverit Deus cui placere gestimus. Nam cum servi non possint a semetipsis scire quid suis dominis placeat, nisi dominorum sequantur imperia ; et utique homines hominum similium sibi non valeant voluntates agnoscere, nisi acceperint quod observent : multo magis mortales nesciunt immortalis Dei justitiam comprehendere, nisi ipse justitiarum suarum dignetur indicia demonstrare, sicut Salomon approbat, dicens : Quis enim hominum poterit scire consilium Dei ? aut quis poterit cogitare quid velit Deus ? Cogitationes enim mortalium timidæ, et incertæ providentiæ nostræ. Corpus enim quod corrumpitur, aggravat animam : et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. Difficile æstimamus quæ in terra sunt, et quæ in prospectu sunt invenimus cum labore : quæ in cœlis autem sunt, quis investigabit? Sensum autem tuum quis scit, nisi tu dederis ei sapientiam, et miseris Spiritum sanctum de altissimis ? Et si correctæ sunt semitæ eorum qui in terra sunt, et quæ tibi placent didicerint homines, et per sapientiam sanati sunt : ambulantes in tenebris sibimetipsis lumen non possunt ostendere, nisi ultroneum seipsum non videntibus offerat lumen. Ita humana cæcitas ad Deum non dirigit viam, nisi ipse lucernam legis ostendat. Unde David sic loquitur, dicens : Lucerna est, inquit, pedibus meis verbum tuum, et lux semitis meis. Et iterum : Præceptum Domini lucidum illuminans oculos. Hoc est ergo luciferum quodcumque fuerit a Deo intimatum : et hoc Deo dignum, quod ipse Deus voluntati suæ fatetur acceptum, ut exerceat per omnia dominatum. Alioqui nec nos servi adscriberemur, nec ipse Dominus haberetur ; si secundum voluntatem nostram permitteremur impendere servitutem, et arbitrio nostro non Dei eligeremus exercitamenta justitiæ. Tales Paulus apostolus vanificat, dicens : Ignorantes, inquit, Dei justitiam, et suam volentes statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti. Tollantur nunc e medio ambages istæ tam vanæ, et querimoniæ inaniter calumniosæ. Ad spiritales actus cum feminis, Deo juvante, non metuimus adunari, qui per Dei jussionem justitiam nos credimus operari, ex qua nobis scimus munimenta supponi. Privatim vero, continentibus quamplurimum clericis et virginibus, hospitia separanda sunt, quia quod Deus iniquum judicat, justum esse non potest. Contubernium tamen etsi nulla in ipso contubernio

EDIT. OXON. NOTÆ.

celebrari sancta mysteria, opus spiritale Angelorum geri, ea Dei præcepta nos congregare et colligere. PAMEL.

Cum sine justitia non potest esse. Phrasis est auctoris. Vetus exc. et Remboldus legunt *sine victoria*. Sed non placet. PAMEL.

Cogitationes enim mortalium. Recte sic Gravius et Morellius, pro eo quod alii *cogitationes immortalium*. Nam sic habet liber Sapientiæ, quam Salomonis titulo citat, quomodo et paulo post librum Ecclesiastici. PAMEL.

Digitized by Google

turpis consuetudo noscatur, accendit; quia impossibile est integritatem ad victoriam pervenire, quæ contendit contra Dei jussa pugnare. Quantum enim lex obedientibus suggerit adjutorium, tantum inobedientibus incitat peccatum, dicente Apostolo : Virtus, inquit, peccati, lex. Qui nos ergo jussit ut in sacris suis cum feminis triumphemus, ipse jubet ut privatim pugnas femineas caveamus.

Sunt equidem necessitates aliæ, quæ nos quoque privatim feminas videre compellant, sed etiam ipsæ divini operis vel præcepti imperant efficaciam, ut visitemus, ut solatia præbeamus, ut hortamenta vitalia salubriter intimemus : nec tamen et in his officiis minor cura agenda est pro moribus nostris, ut clarescant in nostra operatione indicia puritatis. Severitas non desit, quæ sub clerico feminam possit astringere, ut ipsam consolationem nostram suscipiat cum tremore, et ita sentiat visitationis affectum, ut clericum veneretur. Ac ne tardius sit evagari per singula, tenam quicquid agimus, honestum esse potest, si semper in nobis signa honestatis eluceant : sicut Paulus apostolus universa complexus est, dicens : Omnia vestra honeste fiant. Et iterum : Sicut præcepimus, inquit, vobis, ut honeste ambuletis. Non bene succedit quidquid agitur passim : et sanctum non est quod geritur sanctum, nisi sancte quod sanctum est peragatur, sicut Salomon asserit, dicens : Qui enim custodierint juste justa, justificabuntur. Sinceriter ergo sinceritas ipsa servanda est; et omne quod voti est, etiam in actu signandum, ne aliud vota commendent, et aliud actus insinuent. Undique probanda est institutio voluntatis, et undique consummandus est cursus uniuscujusque certaminis; ne minus sit aliquid ad triumphum, si non plenius dimicetur. Hinc Paulus apostolus introducit documenta certaminum : Sed et qui in agone, inquit, certat, non coronabitur, nisi qui legitime certaverit. Et iterum : Nescitis, inquit, quoniam qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accepit bravium. Sic currite, ut comprehendatis. Omnis enim qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet : et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, vos autem incorruptam. Plenitudo est ergo sanctitatis, et palma perfecta, ut ex omni parte secum non habeat quod recuset; ne quod profitetur odisse, tenendo videatur amare.

Quod si aliquis dicit : Captivum teneo adversarium meum, cui semper insultem, videat ne forte adversus eum captivus incipiat prævalere. Numquam securus cum thesauro latro tenetur inclusus : nec intra unam caveam habitans cum lupo tutus est agnus. Ipse se voluit superari, qui hostem proprium in suas portas induxit; et intestinum gladium sibi ipse supposuit, qui locum habitationis suæ adversarii ingressibus reseravit; et qui fretus est conversari cum scandalo, sine causa dicit : Pacatus esse volo cum diabolo; contra Apostolum dicentem : Nolite locum dare diabolo. Omni ergo modo muniendus est locus, ubi fuerit thesaurus absconditus, ne per unam cavernam totum parietem latro suffodiat. Nam si deforis expugnans vix muris expellitur, quantum valebit si intra muros acceperit habitaculum? Et si illi qui contra eum claudunt, aliquotiens ab eodem capiuntur; quanto magis ille, qui ultroneus illi patefecerit ingressum, decipitur? Cum dicat Salomon : Si justus vix salvus fit, injustus ubi parebit? Omnes ergo rimæ, ne dicam portæ, claudendæ sunt, ne per unum foramen castra omnia penetrentur : et universa componenda sunt munimenta, ne per modicum non munitum tota civitas ruat, sicut Salomon repetit, dicens : Qui spernit modica, paulatim cadet.

Fit studio autem hujus perversitatis arbitror, ut a clericis ad communitatem femina magis quam masculus eligatur. Numquid tantum mulier utilior est commodis clerici, quantum prodest masculus continens, vel puer masculo continenti? Aut ipsa erit decens utilitas, quam indecens communitas facit? Et ubi erit quod Salomon ait : Omne animal diligit simile sibi? Et iterum : Volatilia ad sibi similia conveniunt. Sed et si femina utilior existimatur, non oportebat carnalia emolumenta præponere utilitatibus spiritalium commodorum : et expediebat qualemcumque virum inutilem sustinere pro existimatione munienda, quam bonos effectus mulieris cum existimatione turpissima. Quod Salomon comparat, dicens : Melior est, inquit, iniquitas viri, quam benefaciens mulier. Artificialia sunt itaque semper diaboli veneficia, quibus ingenium suæ calliditatis exercens, sanctimoniæ deditos dolosis commoditatibus juvat ut perdat : et inter continentes quasi necessaria emolumenta mutuis adjuvaminibus subministrans, agit prius masculum et feminam pariter conversari; ut postquam inseparabiles fecerit per alterutra solatia, possit occidere dantes simplices animos ad castitatis vota servanda : et impugnationis suæ arma subducens interim, quasi placidus fautor suggerit

EDIT. OXON. NOTÆ.

Ut ipsam consolationem nostram suscipiat. Vetus excusus ac Remboldus, et hoc et sequentia plurali numero legunt, sed præcedit *feminam*. PAMEL.

Et omni quod voti est. Confirmatum hinc votum tacitum castitatis annexum cœlibatui clericorum, de quo paulo post apertius.

Et palma perfecta. Hinc apparet atque etiam legi debere : *unus accepit palmam.* Sicut ubique legit Cyprianus. PAMEL.

Ipse se voluit superari. Vet. exc. et Remboldus *penetrari.* PAMEL.

Sine causa dicit. Vet. exc. *non dicit* : sed prius placet. PAMEL.

Qui spernit modica, paulatim cadet. Erasmus, male, *cadit;* nam prius habet Ecclesiasticus. PAMEL.

Sic studeo autem, etc. Hoc Erasmo placet pro eo quod erat, *arbitrio.* Legendum videtur, *fit studio.* PAMEL.

Quam bonos effectus mulieris. Erasmus *affectus*, minus recte. PAMEL.

Agit prius masculum et feminam, etc. Remboldus omiserat *conversari*, et Erasmus legeba *adjicit*, illud vero habet vet. exc. PAMEL.

Digitized by Google

sanctitatis argumenta, donec dirutus inter ambos inimicam nutriat concordiam. Facit affabiles sibi invicem et deservire, et assentator infestus impedimenta removens universa, commodis eorum gaudet efficaciam commodare; ut tota eos sibimetipsis necessitate commendans, exhibere eos possit in alterutrum solita consolationis pendere. Non vult eos in aliquo impedire, ne separet tam spiritaliter quam carnaliter. Inconcussos efficit vivere, ne ipsa societatis initia immaturo tempore fœdera cœpta conturbent. Usque adeo illos, videntibus cunctis, ad perfectum sanctitatis invitat, fovet, sublevat: ut Dei esse computent beneficia ipsa contraria, quibus inducuntur ut pereant; nescientes numquam Deum juvare quod vetat. Quibus in tantum diabolus blandiens securitatem præparat sanctimoniæ, ut conjunctos se magis æstiment quam disjunctos, immobiles circa libidinem perdurare: quos cum omni tranquillitate deducens, nullis procellis aut fluctibus inquietat; et velut in medio mari minus cautos inducit relaxare vela, nec quærere gubernacula, ut subita tempestate concitatos, naufragos ex insperata commotione submergat. Hanc primo exhibet lenitatem, ut duas naves oblectet ad invicem convenire; quas cum fecerit junctas, repentinis turbinibus in semetipsas elidere possit et frangere: et his utitur blandimentis, ut subtractis omnibus jaculis compescens adversa, suggerens prospera, tamdiu sopitum ignem sine ullis flammis occultet, donec duas faculas jungens, simul ambas accendat: et tamdiu cessat sævitiæ suæ tela supponere, donec sicut peritus venator quos occisurus est laquei sui vinculis alliget. At ubi indissolubili catena devinctos adstrinxerit; velut lanista protinus duos gladiatores adversus invicem compellit armari; et subinde stimulans membra, statim gladios aptat, statim succendit insaniam, et vulnificos amplexus impingens, utrumque simul uno ictu mortificat. Sic explicat quod ante præstare videtur, sic de simplici charitate amorem conflat illicitum, sic per sanctitatem sibi inducit interitum; dum contentus est cedere, sic valet fortius occupare; et dum summissus patitur semetipsum præbere devictum, sic plenius devincere gloriatur. Cujus versutias Paulus apostolus sic intelligit, dicens: Non enim ignoramus, inquit, astutias ejus. Male itaque in hac participatione pacati sunt, qui ad bella pacificante diabolo perducuntur, et non bene in sanctitate proficiunt, quibus ad detrimentum profectus ipse inimici artificio subornatur; nec recto cursu moliuntur continentiæ scalas ascendere, quos ut de alto præcipitet, elaborat ad culmen adversarius protelare. Sed necesse est caducis lapsibus elidantur, qui viam lubricam tenuerunt, de qua Salomon sic prædicat, dicens: Est via quæ videtur apud homines recta esse; novissima autem ejus veniunt in profundum infernorum.

Sed aiunt: Si de hac conjunctione clerici denotantur, notandi sunt etiam sancti plerique nobiscum. Sicut Helias, qui mansit apud viduam: sive Apostoli, qui mulieres secum comites circumducebant: ut Joannes, qui matrem Domini assumpsit, eodem Domino delegante; aut ipse Dominus, cui de suis facultatibus alimenta præstabant aliquæ mulieres religiosæ, cui etiam Martha ministrabat ad mensam, et qui singulariter locutus est ad puteum sedens cum aliena muliere Samaritana, vel cui recumbenti femina lacrymis pedes lavit, et capillis extersit. Callidi argumentatores et jurisperiti fallaces: qui dum cupiunt prævaricari controversias actionesque causarum, etiam ipsa jura transvertunt; et cum nolunt competentibus coerceri jussionibus legum, ad illudendos judices inconvenientibus exemplis velut similes conjecturas juris objiciunt: qui per Salomonem ipsius legis sagacitate proluntur: Peccator, inquit, homo evitat correptionem, et ad voluntatem suam invenit comparationem. Tales ergo non per orationem, sed per correctionem potius revincendi sunt, ut non ante interpretatis orationibus instruantur, quam admiserint quod ad defensionis solatium repererunt; sicut nos adversus hujusmodi homines Salomon edocet, dicens: Noli, inquit, respondere insipienti ad ipsius insipientiam, ne similis fias illi; sed responde insipienti contra ipsius insipientiam, ut non videatur sibi sapiens esse.

Revera magni homines qui se comparant sanctis, et eximia conversatio nostra, quæ Prophetis vel Apostolis videatur æqualis. Ad occasionem luxuriæ nostræ in perversum sanctos volumus imitari; et in cæteros actus vestigia justorum nolumus sequi. In quibusdam infirmos nos excusamus ad imitanda facta majorum; et in aliis nos æquales majoribus protestamur: cum Helias ipse in angustia constitutus, imparem se patribus suis ante Deum fateatur. Numquid, inquit, melior sum patribus meis? Hoc Helias de antecessoribus suis in infirmitate sua cogitur exclamare: et nos Heliæ vel Prophetis, et Apostolis, et Domino virtutem nostram non dubitamus æquare? Video plane sic apud vos calcari avaritiam, sicut Apostoli propria cuncta dimiserunt. Video crapulam

EDIT. OXON. NOTÆ.

In semetipsas elidere. Censeo legendum *illidere.* PAMEL.

Ignem sine ullis flammis occultet. Recte sic Morellius et Gravius cum vet. exc. et Remboldus pro eo quod alii *occultat.* PAMEL.

Et dum summissus. Adjicio *dum* et vet. exc. PAMEL.

Controversias, actionesque causarum. Genuina quoque est hæc lectio, et Remboldus pro eo quod reposuit Erasmus: *controversas actiones, quæ causarum.* PAMEL.

Sed per correctionem. Placet et ista pro *correptionem.* PAMEL.

Et in cæteros actus. Etiam hæc pro *inter.* PAMEL.

Video plane sic. Et hic et paulo post adjecit negationem *non*, Erasmus; sed non est opus. Est enim ironia, sicut et in eo quod sequitur *cognosco*, etc. Idem est judicium de his adjuncta ab illo negatione, ad illam sententiam, *si Christus seipsum*, etc. præsertim si legamus cum illis *facit* pro *faciet.* PAMEL.

Digitized by Google

et ebrietatem sic vestris conviviis abesse, sicut Apostoli nihil habentes frequenter coacti sunt esurire. Cognosco taliter in nobis jejunia, sitim, famem, nuditatem propter instantiam doctrinæ solius ubique pollere, sicut in Apostolis legimus triumphasse; et approbantur apud nos eadem exercitia fervere virtutum, quibus Apostoli omnia vitia tremuerunt. Plane quadraginta dierum jejunium Domini meditamur, et orationes excubiasque quibus ille per solitudines etiam nocturna silentia rumpebat. Numquid similes agones frequentamus contra luctamina vitiorum, et sic agimus rigore, austeritate, vigiliis, passionibus, labore, necessitate, afflictione, abstinentia, quibus peccata calcantur, ut nemo de nobis mali aliquid suspicetur? Per quæ Paulus apostolus conscientiam suam innotuisse omnibus gloriatur: In omnibus, inquit, commendantes nosmetipsos quasi Dei ministros, in sustentatione multa, in pressuris, in tentationibus, in tribulationibus, in angustiis, in plagis, in custodiis, in carceribus, in seditionibus, in invocationibus, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in castitate, in scientia, in longanimitate, in bonitate, in Spiritu sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei, per arma justitiæ a dextris et a sinistris. Ad has imitationes infirmi sumus; et ad mulieres circumducendas possibilitatem nobis comparandæ imitationis adsciscimus: quod si etiam cuncta illorum quisquam se implere jactasset; me tamen nullius suadela poterat inclinare, ut alios nunc Apostolos crederem, contra apostoli Pauli professionem: Numquid, inquit, omnes Apostoli? Numquid omnes Prophetæ? Si Christus seipsum comparare ausus est Deo, qui ait: Pater major me est: aut si Apostoli coæquare semetipsos ausi sunt Christo: nos hodie Apostolis æquales facit consimilis fortitudo. Misera humanitas in hac æqualitate non times fulminari, quæ de Filio Dei, aut de filiis tonitrui, non cunctaris peccatis tuis exempla velut similia mutuare? Cum superbiæ sit elata jactantia, etiam minimis Ecclesiæ quemquam comparabilem velle conscribit, cum Paulus moneat et dicat: Alter alterum superiorem sibi existimantes. Et inferius addidit, dicens: Hoc sentite de vobis quod et in Christo Jesu, qui cum in forma Dei esset constitutus, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens.

Minus itaque de nostris viribus sentiendum est, nec fortitudini sanctorum nostra infirmitas comparanda est, sicut nobis apostolus Paulus de semetipso magisterium proponit, et dicit: Non enim audemus, inquit, comparare nos aut conferre quibusdam qui seipsos commendant, sed ipsi in nobis ipsis nosmetipsos nobis commendantes: non supra mensuram gloriantes, sed ad mensuram gratiæ, quam nobis mensus est Deus. Etenim contemplamur quod iterum dixit: Plus ab illis omnibus laboravi, nihil melius, nihil aptius mihi proponitur, unde vincam, nisi ut de ipso de quo mihi præscribitur, ego ipse præscribam. Certe plus omnibus ipse laboravit, et tamen ad mulieres circumducendas collegas suos imitari contremuit, ne se ad interitum subjiceret tentationi carnali. Unde ipse rationem sic reddidit, dicens: Ego, inquit, sic curro, non quasi in incertum: sic pugno, non quasi aerem cædens, sed affligo corpus meum et in servitutem redigo, ne forte aliis prædicans, ipse reprobus inveniar. Huic ergo te compara, qui Apostolum jactas; et ex ipso disce quid metuas, qui clamat et dicit: Oro vos, imitatores mei estote. Nolnit itaque de mulieribus circumducendis habere fiduciam; qui non ignorabat quantum aliæ virtutes ab aliis virtutibus differant, et aliam claritatem solis, et aliam lunæ, aliam vero stellarum, de charismatibus Ecclesiasticis similitudinem comparans intimaverat. Sed nos contra de apostolica nobis coæquatione blandimur, non intendentes penitus quid Apostoli et sancti omnes invicta virtute gesserunt, et difficilem rumpere quærimus viam, cum per facilia planior sit nobis apposita; contra Salomonem dicentem: Non te credas, inquit, viæ laboriosæ, ne ponas animæ tuæ scandalum. Nec ullus considerat, quoniam unus securus in lubrico graditur, et alius qui impar est, labitur: unus per rupes cursu montes ascendit, alius si se coarctavit, cadit. Uni contingit per tempestates navigia feliciter explicare, et alteri talis felicitas non potest evenire; quod Paulus apostolus decernit, dicens: Unusquisque, inquit, proprium donum habet ex Deo, unus quidem sic, alius vero sic.

Sed qui mihi de sanctorum exemplo præjudicant; quid aliud exemplum nolunt contemplari, quod metuant: et qui Apostolis coæquari contendit, quare non magis presbyteros adulteros apud Danielem ad formidinem sibimetipse proponit? Hæc autem non ideo propono, ut quasi Apostolorum imitatoribus contradicam, sed ut illos confundam, qui se sanctis exæquent. Nec nego ipsos esse sectandos, quos doctores accepimus cuncti; sed adversus eos contendo, qui cupientes ad mala sua bonorum historias depravare, legem Dei sibi æstimant suffragari; sicut omnes qui perire festinant, et sub obtentu sanctorum dedecora sua volunt esse celata, ut sub imitatione majorum contraria quæque committant; quos apostolus Paulus prodit et publicat, dicens: Quod autem facio, et facturus sum, ut amputem occasionem; eorum qui volunt occasionem; ut in eo in quo gloriantur, tales inveniantur quales et nos sumus. Nam et hujus

EDIT. OXON. NOTÆ.

In invocationibus. Voces nonnullæ hic redundantes e margine videntur in textum irrepsisse.

Unus per rupes. Vetus exc. et Remboldus *ripas.* PAMEL.

Paulus apostolus decernit, dicens. Adjicio *dicens* ex vet. exc. PAMEL.

Quid aliud exemplum volunt. Ex eodem cum Morellio lego sic, pro *volunt.* PAMEL.

Et qui Apostolis. Solus Manutius *Apostolicis.* PAMEL.

Digitized by Google

modi pseudo-apostoli sunt operarii dolosi, transfigurantes se in Apostolos Christi. Hoc addunt ad cumulum perditionis cumulandum, ut bonos infament, quorum exemplo utuntur ad malum; quibus utile esset satis et salubre, si cujuscumque historiæ seipsos magis crederent non intellexisse rationem, quam aliquid inhonestum arbitrarentur in lege: quos apostolus Paulus corripit et confundit, dicens: Non intelligentes neque quæ loquuntur neque de quibus affirmant. Et iterum: Si quis putat se scire aliquid, necdum cognovit quemadmodum eum oporteat scire. Vacant itaque præjudicia petulantium, quos ingenia suæ perversitatis errabunda transducunt; et quærunt competentes suis sensibus historias quas exponant, qui male agentes mutuant legalia patrocinia. Bene agentibus bona sunt omnia, quæcumque scripta sunt, qui benedicta bene suscipiunt; sicut Paulus apostolus pollicetur: Scimus quoniam bona est lex, si quis ea legitime utatur.

Obtinuimus confundendo contradictores. Convertamur subinde eosdem quos vicimus insuper erudire, ne aut ut sanctos remanere patiamur in crimine, aut ignari deputemur in reddendo rationem, ut publice victi pœnitentiam gerant: aut si noluerint, nos expunximus quod ad nostram pertinet diligentiam; ut quomodo satisfecimus supra dictæ sententiæ Salomonis, ita satisfaciamus Paulo apostolo concionanti: Servum, inquit, Domini non oportet litigare, sed mitem esse ad omnes, docibilem, patientem, cum omni modestia corripientem eos qui resistunt veritati; ne forte det illis Deus pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, et resipiscant a diaboli laqueis, a quo captivi tenentur secundum ejus voluntatem.

Omne quidquid ab auctoribus nostris gestum est, rationabiliter gerebatur: ut posteris nobis adversus prævaricatores munita undique auctoritas traderetur, propter hæresin amputandam quam superius taxavimus, de assumendis feminis; quam sive per semetipsum, sive per servos suos Dominus paululum relaxavit, ne nimio rigore in totum Domini fabrica damnaretur; prævidebantur a Domino hæretici qui nuptias auferunt; et quos Dominus junxit, contra naturæ principium, et contra Evangelium separare contendunt. Quibus interdicens jam tunc auctoritas parabatur, ne maritatæ mulieres accidere vetarentur ad Christum, qui in præsentia servierunt. Sed non sine moderamine fuit etiam ipsa permissio procurata, quæ non sibi operabatur quod gerebat, sed cæteris. Nam sic allocutus Dominus Samaritanam, ad horam docuit et recessit, nec defensionem continuandis excessibus fecit. Ad horam quoque Martham passus est ministrantem. Sed quid erat aliud Domino, nisi regni cœlestis prandia ministrare? Numquid *sub Domino* non fuere convivia? Aut sub majestate ejus erat alius cibus aut potus, quam disciplina *tantummodo* quæ pascebat? Testante ipso Domino ac dicente: Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus *qui misit* me. Sic Apostolos mulierum comitatus decebat non ut perderent, sed ut discerent reverentiam, *et propter* humanitatis exhibendum ministerium sequebantur, sicut in Evangelio de Domino et de ipsis *pariter memoratur*: Et factum est, inquit, post hæc et ipse iter faciebat per civitates et castella evangelizans *regnum* Dei, et duodecim cum illo, et mulieres quæ erant curatæ a spiritibus immundis et infirmitatibus, *Maria* quæ vocatur Magdalene, de qua dæmonia septem exierant, et Joanna, uxor Chuzæ procuratoris *Herodis*, et Susanna, et aliæ multæ quæ et ministrabant ei de facultatibus suis.

Numquid adhærebant singularibus singulæ, aut indisciplinatæ commorantes, perseverabant illecebroso consortio conversantes? Ubi tota Ecclesia propemodum videbitur, ut non ad convivationes improbas, sed ad discenda bonæ conversationis studia sequerentur. Ideo non inde scribitur, quod nostris convivationibus coæquetur, non risus, non jocus dicitur affuisse. Nec sicut apud quosdam nunc usque assolet fieri, chorus psallentium virginum aures venenosis cantibus asseritur demulsisse. Et ut de Apostolis breviter probem, quantum illis fluxa familiaritas *potuit* displicere, qui compulsi sunt et de ipso Domino loquente cum femina dubitare, nisi eos *majestatis* notitia probata compesceret, sicut Evangelista refert, dicens: Inter hæc, inquit, venerunt *discipuli ejus, et* mirabantur quod cum muliere loqueretur. Nemo tamen dixit illi: Quid quæris, aut quid loqueris cum ea? Quid autem loquar accessum feminæ ad pedes Domini provolutæ, cujus luctus et planctus ad *defensionem* lasciviæ suæ non erubescunt improbi flagitare? Usque adeo illos propria cæcitas rapit, ut nec de similibus causis audeant reluctari, de quibus Salomon: Excæcavit, inquit, eos malitia eorum, ut nescirent sacramenta Dei. Joannes autem matrem Domini suscepisse videtur, sed matrem cujus mores maternum indicat nomen. Tamen non possum et alias Christi matres admittere, nec æquanda est mulieribus cunctis, quæ genuit Majestatem. Helias quoque jussus est a Domino relinquere solitudinem et ingredi tabernaculum viduæ. Pro imperio Domini laboravit ut in domo mansisset, cui solitudo solatium præstabat et requiem; occasionem illi Dominus obtulit ad magnalia facienda, ut magis famis tempore tam ipsi viduæ quam pupillis ejus sufficientia tribueret alimenta, qui jejuniis usquequaque afflictus tolerave-

EDIT. OXON. NOTÆ.

Quos Dominus junxit. Aut sic legendum cum Erasmo, aut cum vet. exc. et Remboldo, *quod Dominus jussit*; prius tamen arridet magis. PAMEL.

Sic Apostolos mulierum comitatus decebat. Vet. exc. *Apostolus*, etc. *docebat.* PAMEL.

Ubi tota Ecclesia propemodum videbitur. Locus prorsus obscurus. Vet. excusus vero et Remboldus legunt *conjurationes improbrosas*, pro *convivationes improbas*, non recte. PAMEL.

Ideo non inde scribitur. Hoc ex cod. vet. exc. pro quo Remboldus, *adeo*; Erasmus vero, *ad ea bene describitur.* Morell. *adeo non bene.* PAMEL.

Tamen non possum. Istud rursum ex illorum utroque, pro eo quod Erasmus *possunt.* PAMEL.

Digitized by Google

rat indigentiam; et qui missus venerat pasci, pastus A quinimo conferens miseris, miserias egestatis fecit excludi. Et hoc non potest cujusquam favere luxuriæ; cum nulla fuerit opportunitas scandali ubi transeunter quod pejus est egestosam habuerit mansionem, quam quicumque hospes effugeret. At hic apud quos hospitatus est, implevit et rediit; qui etiamsi moraretur, suspectus esse non potuit. Qualis illic fuit communitatis effectus, ubi non erat victus? Et qualem ad viduam habuit Helias introitum, cui fames dedit hospitium? Quisquis es qui te vis Heliæ de commoratione viduæ vocari discipulum, prius solitudinis afflictiones, et quadraginta dierum tolera jejunii exitum, et aut non quæres feminam, aut non erit qui cum femina commoretur, et tamen si valueris tibi serva. Nobis autem in spiritu et virtute Heliæ B non alium quam Joannem solum Angelus, et Dominus Christus insinuat.

Proh dolor! dolere cogimur quod docemus: qui usque ad hoc venimus, ut in comparatione fluxorum, de sanctorum tremendis virtutibus disputemus. Parce, jam parce, protervitas. Numquam tibi sancti consentiunt; qui religiosa, modesta, veneranda, pudica, pudorata cum feminis negotia peregerunt. Aut si adhuc per sanctos cavillationis anfractus contendis exquirere; nos tamen amicos Dei non novimus, nisi ad venerationem tantummodo memorari, quod David docuit, dicens: Mihi autem vehementer honorificati sunt amici tui, Deus. Eant nunc prædones pudoris, et plagiarii castitatis, mulierculis suis exponere molestias querelarum. Apud sanctos nostros non habent C omnino suffugium, quibus misceri Ecclesiæ auctoritate Pauli apostoli prohibetur: Et hos, inquit, devita; ex his enim sunt qui repunt in domos, et captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur variis desideriis.

Post hoc edictum utinam confidant sibi Angelorum exempla conducere. Nos jam non valent flectere, qui novimus et Angelos cum feminis cecidisse. Ab ipsis equidem bene patrocinia mutuantur, sed nos nullum Angelum audimus contra Paulum apostolum: Etsi, inquit, ego aut Angelus Dei aliter evangelizaverit vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit. Insaniunt prorsus, ardent desiderio feminarum, quotquot huic interdictioni non cedunt; et obscœnitatibus inhiantes, malunt mori, quam con- D tenti sint a lateribus mulierum aliqua disjunctione divelli: ut ad explendam suæ aviditatis ingluviem etiam puncto temporis non sint sine feminæ voluptate: et hunc habent in mulieribus fructum, ut in illis semper defixa intentione, desideria satient oculorum, ne vel momentum aliquod transeat, quando indigeant quod affectant. Sic inter eos integritas emoritur; ubi omnis commoratio, sive convivendo, sive commanendo corruptis affectionibus inquinatur. Quos sanctus Petrus apostolus designavit, dicens: In conviviis suis luxuriantes, oculos habentes plenos mœchationibus, et incessabilibus delictis, capientes animas infirmas. Hos etiam ita Salomon denotat: Abominatio est, inquit, coram Domino defigens oculum. Plane contra, purum oculum testatur se habere Job, qui ait: Et si oculis consensit cor meum. Verum enimvero ille potest suis oculis obnoxius non teneri; cui nolenti repentinus occursus mulieris scandalum moverit, quod protinus mens quod nolebat expellit. Ille autem commotionem sui visus non meretur evadere, qui apud se scandali materiam tenet, qui vult intentionis suæ affectibus frui, qui affectat habere quod oculis offensionem ingerat, quorum aviditas inexplebilis inter offendicula continua nullo modo potest omnino compesci; quod Salomon approbat, dicens: Infernus et interitus non satiantur, similiter oculi hominum insatiabiles sunt. Et in alio loco: Non satiatur oculus videndo, Et iterum: Nequius oculo quid creatum est?

Hac castigatione non compuncti, divina interdicta nefandæ familiaritatis obstinatione contemnunt, et adhuc insuper de charitate causantur, qui secundum verbum Esaiæ amaritudinem pro dulcedine devorantes, nudam fœditatem velamento boni nominis tegunt; dum apud eos sub falsa dilectione, vera dilectio violatur. Sed exclamat charitas et appellat, tales ego non junxi, falsa altera est quæ me simulando confinxit. Numquam Dei præceptis obsisto, numquam fluxis faveo, per me sanctitatem non opto culpari. Calumnias mihi aversa germanitas facit, pericula et ego inter falsos fratres incurri. Succurre, meus præco, succurre, Paule apostole, dic testimonium meum, ne quod de me annuntias pervertatur. Finis autem præcepti est charitas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta. Dilectio deputabitur, per quam sanctitatis injuria criminationibus appetitur? Aut illorum erit sincera fraternitas æstimanda, de quibus filiæ matris Ecclesiæ perducuntur in culpam? Si talis Christiana charitas annotatur; indubitanter odia meliora sunt, quæ dum separant, neminem maculant. Hæc autem parricidalis dilectio fratres persecutores adunare consuevit, qui libenter patiuntur de suo consortio filias Ecclesiæ fornicarias diffamari, contra charitatem quam Paulus apostolus docuit, dicens: Dilectio proximi malum non operatur. Egregia probatio charitatis, quæ non tantum noxia germani-

EDIT. OXON. NOTÆ.

Egestosam. Sic recte Morellius, Remboldus et vet. exc. quum alii *egestuosam.* PAMEL.

Amicos Dei non novimus, nisi ad venerationem. Locus insignis pro veneratione Sanctorum. PAMEL.

Qui novimus et Angelos cum feminis cecidisse. Etiam hic auctor filios Dei (*Gen.* VI) Angelos interpretatur. PAMEL.

Suæ aviditatis ingluviem. Vet. exc. et Remboldus *illuviem*, neutrum displicet. PAMEL.

Quando indigeant. Hoc certe ex illo reposuimus pro *cum.* PAMEL.

Si talis Christiana charitas adnotatur. Rectius sic vet. exc. et Remboldus, quam alii *advocatur.* PAMEL.

Digitized by Google

tate officit proximo, sed etiam subjecta non vult esse A præscriptionibus Apostolicæ jussionis. Confundantur assertores dilectionis hujuscemodi, quos judicant illi, qui pro communibus commodis etiam consanguineam deserunt charitatem.

In omni mundo pene totum junctum est genus humanum, et ubique cognatio naturalis alterna peregrinatione discernitur. Possunt parentes, possunt filii, possunt fratres, possunt et ipsi, quod plus est, conjuges a Deo concessa sibi naturæ vincula disrumpere; et clerici Deo non concedente, insuper prohibente, mulierum nexibus ancillatam non valent recusare charitatem? Optanda semper cognatis absentatur affinitas proximorum; et peregrinari ab extraneis feminis clerici reluctantur? quibus faciendum fuerat, etiam si peculiare aliquid vel inconsuetum Dominus B imperasset; qui ad explicanda impossibilia habent Spiritum sanctum, quem mundani homines non habent. Unde Joannes apostolus sic admonet, dicens: Filioli, vincite illos, quoniam major est qui in vobis est, quam qui in hoc mundo. Nunc vero possibile etiam gentibus (non dicam Christianis) et leve prospicitur, et apud clericos sine ullis effectibus evacuatur; ut parum sit eis Dei mandata despicere, nisi aliud dedecus habeant quod nec sectantur, non dicam vincunt omnium gentium consuetudinem: quibus Dominus per Ezechielem exprobrat et dicit: In legalibus meis non ambulastis, et justificationes meas non fecistis. Sed neque secundum justificationes gentium, quæ sunt in circuitu vestro, fecistis. Pudendum nescio quid dilectio ista significat, quæ extorqueri contra naturam C putatur.

Adhuc habeo quid mirari: Cum videam de Christianis plerosque maritos pariter et uxores continentiam destinantes, domicilia singularia magis eligere, ut consensu communium votorum sine irritatione præsentiæ et concordante secessu valeant obtinere: et eunuchi nostri non durant sine feminæ sodalitate dormire? Apud illos amor conjugalis continentiæ amore pensatur; et apud spadones cohabitatio feminæ numquam potest habere fastidium. Dicat eunuchorum charitas, dicat, ne forte in hac secessione magis conjugalis charitas peccet; ut apostoli Pauli consilium videatur conjugibus insinuasse divortium: Tempus, inquit, quod restat, breve est. Reliquum est ut et qui habent uxores, sic quasi non habentes D esse nitantur, et qui non habent, quasi habentes esse glorientur. De his ipse Apostolus ait: Gloria in turpitudine ipsorum.

Dilectio est, inquiunt. O dilectio quæ **invidet sibi**! O charitas quæ cupit se in vituperatione **laudari**! Grande miraculum, ut virginum charitas **virgines** faciat velut conjuges credi: et conjugum **charitas** conjuges faciat velut virgines æstimari. Ecce **vera** dilectio, quæ in conjugalitate dividit, ut in **castitate** conjungat. Ecce sancta dilectio, quæ **conjugalibus** ad communem laudem inducit absentiam. **Hi pro** certo sese inseparabiliter diligunt, qui ut **triumphos** sibi inferant, a seipsis discedunt; quibus nec **crimen**, nec natura, nec lex, nec Dominus, nec Apostolus potestatem unius interdixit aut tulit, sed pro tuendis paribus votis, semota unanimitate absentari **charitas** quam voverunt, qui nec crimini, nec naturæ, *nec legi*, nec Domino, nec Apostolo, nec ipsi conjugalitati succumbunt; quos tantum virginitas probrosa *condemnat*, quantum illos conjugalitas castrata glorificat, quibus sufficiat ad supplicium dedecorosum, *quod spadones* a conjugibus judicantur. Ad quorum increpationem non tacendi sunt etiam filii Israel, qui *apud Esdram* uxores et filios contra divina jura susceptos non cunctati depellere, nec contra Domini charitatem *conati* sunt excusare. Verum fatear, si permittor. Qui nunc pro dimittendis feminis, alienis adhærent: *quid* facerent si liberos et uxores projicere jubeantur? Aut quando valebunt pro Christo renuntiare *cognatis*, qui mulierculas non suas præponunt Christi præceptis? Dico eos facilius pro iisdem mulierculis *parentes* proprios abnegare, quam propter Christum ipsas mulierculas relinquere posse; despicientes quod *in* Evangelio ipse Dominus dixit: Si quis venit *ad me* et non odit patrem suum, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut fratres, et sorores, et animam suam, non potest meus esse discipulus.

Si de abjiciendis parentibus dubitantes, indigni sunt Christo, quid sibi promittunt, *quos contemptores* exhibet Christo non parentalis affectio? Ac per hoc illorum meritis evacuantur, quos vident contemplatione Christi nullas personas excipere cognatorum. Nec minus eos, sed pejus etiam illi confundunt, qui metuentes non tantum cum aliena, sed etiam cum sua carne luctari amputatis genitalibus abscedunt. De quibus modo examinationis suspendo sententiam, relinquens alia disputatione promendam. Secundum confusionem spadonum, non dubito meliores asserere, qui nec sibi parcunt quidem, dicam feminis audent tentamenta porrigere. Respondeant spiritales eunuchi, quis furor in dilectione mulierum, vel quod sit in contubernalitate feminæ mysterium, *ut in* per-

EDIT. OXON. NOTÆ.

Adhuc habeo quid mirari. Non placet quod reposuit Erasmus, *quid mirari non valeo*, nisi addatur *satis*. Certe illud habent vet. exc. et Remboldus. Est autem locus de voto continentiæ conjugum. PAMEL.

Eunuchi nostri non durant. Neque hic arridet lectio Erasmi: *Et eunuchi dubitant.* PAMEL.

Potestatem unius. Adjecerat Erasmus *conversationis*, sed superflue. PAMEL.

Non cunctati sunt depellere. Hoc rursum ex vet. exc. cum Gravio et Morellio, pro eo quod corrupte Remboldus et cæteri *contati*. Manutius vero *contenti*. PAMEL.

Verum fatear, si permittor. Etiam hæc Morellii et illorum gemina est lectio, pro eo quod Erasmus *fateor, si permittar*. PAMEL.

Nec minus eos, sed pejus etiam illi confundunt. Mendum cod. Remboldi hic quoque remansit hactenus in excusis, *nec minis eos sed pœnis*. PAMEL.

Digitized by Google

niciem suam alienis membris indulgeant, cum illi sua quoque incunctanter abscindant? Hi confirmatos in se artus abjiciunt; et illi adversariis artubus glutinantur. Hi pro integritate spiritali cum tormento non integri corporis dimicare non dubitant; et illi sine tormento, integri esse sine feminarum dimidietate detrectant. Sed adversus illos comparatio nulla est facienda de nostris; ne consolentur addicti quibuscumque judiciis Christianis. Pejores sunt et aliqui memorandi, ut major pœna sit a detruncato damnari. Judæos considerent usque hodie pro legis imperio carnis suæ partem circumcisione truncare; et sciant quid mereantur, qui, Evangelio jubente, dissimulant circumcisi mulierum præsentia peragere Domini voluntatem, non intelligentes quod ipse Dominus dixerit: Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. Puto etiam de Gallis suis nobis idololatræ exprobranter insultent, qui abscindentes semetipsos libenter excruciant, dummodo cum damno status sui, simulacrorum dissimulationibus pareant. Clerici autem nostri, ad lucrum magis corporis proprii, damnum volunt mulierum secum commorantium sustinere; quas etiam de substantia propria evellere oportebat, si cum illis nasci contingeret, ne comparati idololatris et sacrilegis, erubescerent. De quibus et Dominus contemptores arguit, dicens: Prudentiores sunt filii sæculi hujus filiis lucis. Ergo nostris clericis talium profana devotio est præponenda, quibus cum tantis exitiis amabilia sunt turpia sacerdotia. Clerici vero pro dignitate sacerdotii cœlestis non sanguinem fundunt, non tolerant ferrum, non est aliquod vulnus, non est aliquis cruciatus; sed solus contra Dominum feminæ tenet aspectus. Sic in fœminas ruunt, sic feminas amant, ut non sperent manifestari dilectionis suæ quandoque posse impura mysteria; sicut per consimiles eorum turpiter publicata sunt et detecta; quos Paulus apostolus prævideral, jam tunc, dicens: Quorumdam hominum peccata manifesta sunt præcedentia ad judicium, quosdam autem et sua subsequuntur. Similiter autem et facta bona manifesta sunt, et quæcumque aliter se habent abscondi non possunt.

At contra et ipsi dicunt: Nonnulli de contemptoribus nostris similiter feminas habentes in domibus, martyrium consecuti sunt, ut illorum innocens conscientia probaretur. Nolo mihi martyrio quisquam moveat actionem; quia sæpius et mœchi, et sanguinarii, et ebriosi, et omnium scelerum rei, reperta pugnæ occasione conversi, meruerunt ad martyrii veniam pervenire. Ideo enim martyrium appellatur tam corona, quam baptisma; quia baptizat pariter et coronat. Auge nunc, si licuerit quibusdam inviolata feminarum societate martyrium promereri; sine indulgentia quoque illis martyrium ipsum non fuit, quos reatus prohibitæ contubernalitatis non absolvit. Nec innocentes in ipsa innocentia potuit approbare; quibus contemptum legis et conversationis illicitæ fœditatem, et, quod est gravius super omnia, crimen Ecclesiæ cernitur ignovisse. Etenim noxia est innocentia, quæ sponsæ Christi officit famæ. Et cum Christus agnus innocens, immo ipse cœlestis innocentia, quod est verius, totum se contempserit pro Ecclesia, ut eam sine macula ulla vel ruga redderet illibatam; qualis est clericus cui ad hoc sponsa Christi committitur, ut pro unius feminæ amore culpari totam Ecclesiam patiatur. Audemus dicere: A Deo patre missus est Filius de sinu Patris, et regno absens esse duravit, ut Ecclesiam faceret innocentem, et clericus mulieris latus deserere non potest, ne Christi Ecclesiam reddat infamem?

Sed aiunt: In martyrio ignoscitur nobis, sicut indultum est parentibus. Hoc ergo et nos omnes de peccatis nostris confidamus; ut qui agere bene laboramus, inter luxurias evagemur, et discurramus per semitas peccatorum, retinacula dimittamus, et frena laxemus: Eamus nos quacumque mundus abstulerit, et ubicumque nos diabolus invitaverit, libere fornicemur, invideamus, rapiamus, fraudemus, omnia mala securi committamus; martyrium subveniet et evademus. Sic enim Paulus apostolus pollicetur: Faciamus mala ut veniant bona: quorum damnatio justa est. Huic martyrio spem tradant, quos mathematici docuerunt habere de erastino præscientiam; has coronas exspectent, qui super Angelos et Christum per astrologos didicerunt scire tempora, quæ Pater in sua posuit potestate, ut vel tunc recordentur, ante martyrii tempus bene agere debuisse, cum diem Domini senserint sicut furem. Sed credamus super illos martyrium jam jamque pendere. Interim priusquam martyres fiant, legibus subjacent; ut judicio subjiciantur, nisi armis exarmentur. Audaciæ nefas est, illis adversus auctoritatem Domini parentum personas objicere, quibus ipse Dominus contradictionis hujus abstulit vocem. In legalibus, inquit, patrum vestrorum nolite ambulare, et justificationes eorum nolite custodire; et studiis eorum nolite commisceri, et nolite inquinari. Ego Dominus Deus vester, in præceptis meis ambulate, et justificationes meas custodite.

Sciant nunc adempta sibi esse parentalia patrocinia, qui huc atque illuc recurrentes contradictionum latebras quærunt, ne unquam feminis careant: et quia undique defensionis suffragio deseruntur, novissimis cunctis argumentis exhaustis, sententiam Pauli apostoli opitulari sibi opinantur, et dicunt: Tu qui es, qui de servo alieno judices? Agnoscit equidem Paulus apostolus constitutionis suæ verba prolata; sed constitutionarios et prolatores ipsos igno-

EDIT. OXON. NOTÆ.

De Gallis suis. Galli uti vere annotavit Remboldus erant sacerdotes Cybeles, a Gallo fluvio sic dicti. PAMEL.

Meruerunt ad martyrii veniam. Reposuit Erasmus *palmam*, sed quia de peccatoribus loquitur, qui ipso martyrio veniam impetrabant, illud illorum placet. PAMEL.

Digitized by Google

rat. Illis enim contulit defensionem, qui nullam partem legis impugnant; et ipsis tribuit patrocinium, qui ex voto suo aliquid faciunt, nec quidquam Ecclesiasticis juris impediunt. Jus tractat vivendi, et non edendi; arbitrium uniuscujusque confirmans. De similibus neminem jussit judicari, quæ voluntati singulorum auctoritas divina concedens, in utraque parte faciendi et non faciendi clementer indulsit. Illos autem Ecclesiasticis tribunalibus subdidit, quos transgressores ordinariæ transgressionis nulla impunitas excusavit; ut qui passim (Tu quis es, qui de servo alieno judices?) adversus nos veluti libellum contradictorium proferant, rationabile simul et certum recognoscant quod accipimus ab eodem Paulo apostolo repulsorium: Præcipimus, inquit, vobis fratres in nomine Domini nostri Jesu Christi, ut separetis vos a fratribus ambulantibus inordinate, et non secundum traditionem quam accepistis a vobis.

Evasimus, opinor, tanta ligamina quæstionum, quibus amatores eunuchos amplexus feminei ligaverunt: qui perversis interpretationibus decreta legalia demutare coguntur; et malunt audiri proponentes vana et fabulosa commenta, quam ipsi quæ vera sunt audiant: quos Paulus apostolus annuntiat, dicens: A veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur. Quiquid volunt adhuc exquirant, ut obsistant pro mulieribus veritati. Victoriam non habent, apud quos contra Esdram mulier potius quam veritas vicit. Vos autem, filii charissimi, non tantum persuasione, sed potestate convenio. Tale deliramentum despicite; quorum quæstiones Paulum apostolum scitis ubique damnasse, sicut ad Romanos scripsit, dicens: Rogo vos, fratres, diligenter observare eos qui dissensiones et offendicula præter doctrinam quam vos didicistis, aut dicunt, aut faciunt, et declinate ab ipsis. Sic et Timotheo delegat: Noli, inquit, verbis contendere; nihil enim utile est, nisi in subversionem audientium. Sollicite cura teipsum probabilem exhibere Deo, operarium irreprehensibilem, recte tractantem verbum veritatis. Stulta autem et inania eloquia devita: multum enim proficiunt ad impietatem, et sermo eorum sicut cancer serpit. Atque ut ostenderet clericis disponendis ad evacuandas quæstiones quæ sit doctrina conveniens, etiam Tito sic insinuat, dicens: Tu autem loquere quæ conveniunt sanæ doctrinæ: majores natu sobrios esse, prudentes, sanos in fide, in charitate, in patientia sincera. Ergo auditiones simplices obedientia vestra suscipiet, et versipellem contradictionum vitate fallaciam. Purum iter vestris gressibus mundate, et super spinas et tribulos nolite seminare vel calcare, ne bonum semen non possit vobis propter spinæ frutices sanctitatis fructus afferre. Unde propheta Hieremias sic hortatur et docet, dicens: Nolite, inquit, serere in spinis. Circumcidite vos Deo vestro, circumcidite præputium cordis vestri. Abscindenda sunt ergo de agro nostro cuncta quæ pungere et lacerare consueverunt; ne animus agricultoris in possessione sua malignis sentibus inseratur. Et amputanda sunt omnia nobis, quæcumque igniferi fomitis sulphurantibus flammis scatens fornax ebullientis carnis exæstuat; ne vel tenuis quidem scintilla servata majora conflet incendia. Quod Salomon manifestat, dicens: Ab scintilla una augetur ignis. Avertite occasiones impuras, quibus interiora pectoris penetrantur, ut liquida in vobis perspicuitas honoretur. Contenti estote singularitatem laboriosam pro pudore servando potius sustinere, quam sine labore ad dedecus pervenire.

Contemplamini quid sit populo sancto præesse, et considerate quale sit divinis sacramentis insistere. Alteris placere debent, qui alteris vivunt, et talis convenit cura sinceritatis sacratis, qualia sunt sacra ipsa quibus exhibent officia servitutis; ne circa Dominum offendant ipsi quod tractant, aut circa populum incipiant impedire quod prædicant. Propter quod Paulus apostolus sic testificatur: Et omnia, inquit, sustinemus, ne quod impedimentum demus Evangelio Christi. Et iterum: Nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum. Hac igitur institutione vobis quam plurimum laborandum est, de iis quibus ad manifestandam gravitatem singularitas magis quam pluralitas testis vera est. Respicite quanta mala conversatio hujus acquirat; quæ non nisi corruptionem seminat, pullulat vitia, cupiditatem concipit, ignominiam parit, rabiem concitat, porrigit furiam, lasciviam pascit, petulantiam nutrit, casus exaltat, ruinas ædificat, ripas eripit, præcipitia instruit, periculis navigat, naufragiis velificat, perditione gaudet, interitum fovet, confusionem mercatur, thesaurizat opprobrium, criminationes exaggerat, accusationes inflammat, et catervatim semel in fascem glomerans numerosas indagines captionum, per infinita dedecorum, multiplices mortes invehit in perniciem perditorum.

Tot itaque et tantas strages calamitatis et pessi-

EDIT. OXON. NOTÆ.

Jus tractat vivendi et non edendi. Obscurus locus. PAMEL.

Transgressores ordinariæ transgressionis. Recte sic Erasmus pro eo quod illi *ordindri*. PAMEL.

Rationabile. Et hic et supra alicubi vetus excusus, et Remboldus *rationali*. PAMEL.

Alteris placere debent qui alteris vivunt. Hæc quoque genuina est lectio, pro eo quod non male Erasmus, *altaribus placere debent, qui de altaribus vivunt*. PAMEL.

Ministerium nostrum. Prorsus sic legendum cum Morellio pro *vestrum*, quia consentit Apostolus. PAMEL.

Casus exaltat. Male Erasmus *casas*, neque vero etiam placet, quod reposuit ipse: *rapinas exigit*, pro eo quod illi μεταφορικῶς, *ripas eripit*. PAMEL.

Multiplices mortes invehit. Vetus excus. *simplices mentes*. Remboldus et alii plerique *simplices mortes*, pro quo Gravius et Manut. *mores*; Morellius autem *multiplices mortes*, quod placet maxime. PAMEL.

Et pessimæ conversationis. Interjecerat Remboldus denuo *strages*, sed non est opus. PAMEL.

mæ conversationis nemo prosternit, nemo calcat, nemo funestat, nisi singularis castitas sola : quæ munimen invictum est sanctimoniæ, et expugnatio fortis infamiæ; fortitudinis firmitas, et lasciviæ petulantis infirmitas; probitatis præsidium, et improbitatis excidium; animæ victoria, et corporis præda; ubertas gloriarum, et sterilitas criminum; pronuba sanctitatis, et repudium turpitudinis; sinceritatis indicium, et abolitio scandalorum; exercitium continentiæ, et evacuatio tota luxuriæ; pax secura virtutum, et debellatio quieta bellorum; puritatis culmen, et libidinis carcer; honestatis portus, et ignominiæ naufragalis locus : virginitatis mater, et hostis immunditiæ; lorica pudoris, et spolium probrositatis; corruptionis exitium, murus rigoris et destructio vulgaritatis; severitatis gladius, triumphator et occisor dissolutionis; armatura virium, et exarmatura fluxorum; integritatis dignitas; et fornicationis addictio; claritatis fastigium, et dedecoris præcipitium; voluntas bonorum operum, et afflictio vitiorum; refrigerium pudicitiæ, pœna petulantiæ; acquisitio triumphorum, et facinorum detrimentum; requies salutis, et perditionis exilium; vita spiritus, et carnis interitus; status qualitatis angelicæ, funus humanæ substantiæ. Hujus retinaculis omnis obscœnitas frænatur, et compedibus ejus calces furentis libidinis statuuntur. In hanc velut in scopulos franguntur impetus qualescumque sanguinis inundantis; et in illa sedatur spumans humoris insania corporalis. Quæ dum sibi subtrahit adminicula concupiscentiæ, mortua membra sua cognoscitur bajulare : de quibus apostolus Paulus prænonet, dicens : Mortificate ergo membra, quæ sunt super terram; fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, et avaritiam, quæ est idolorum servitus, propter quæ venit ira Dei.

Ab his omnibus non nisi splendido singularitatis cultro castratur humana natura, ut illibatos spadones ad convivium sanctitatis dispensante circumcisione introducat. Cui sanctitas ita promisit annuli sui nuptiale signaculum, ut sine ipsa virginitas resignetur, quæ se sola contenta cupidinem domat, mentemque rectificat, concupiscentiam subigit, desideria ardoris extinguit, artus debilitat, corpus ancillat : et ita carnalia crucifigit, ut tam masculus quam femina videatur in conversatione mentiri, dum illos utriusque sexus operatiose abscidit : aut neutrum faciens de duobus, tertiam formam conferre gloriatur ambobus, ut ante resurrectionem resurrectionis imaginem, ad instar Angelorum meditari noscatur. Quod promittens Dominus futurum : Qui digni, inquit, habentur sæculi illius et resurrectionis a mortuis, non nubent, neque nubentur, neque enim morientur. Nam sunt similes Angelis Dei : quia resurrectionis filii sunt. Hoc exigit sancta singularitas clericorum, ut antequam transfiguretur, jam transfigurata cernatur in Angelicæ claritatis aspectum, quæ omnia sibi amputans concupiscentiæ certamina deprædatur : cujus laudes Salomon exequitur, dicens : Melius est esse sine filiis cum claritate. Immortalitas est enim in memoria illius; quia et apud Deum nota est, et apud homines. Cum præsens est, imitantur illam, et desiderant eam, cum se abduxerit; et in perpetuum coronata triumphat, incoinquinatorum certaminum prælium vincens.

Non est sine filiis cum claritate, nisi singularitas sola, quam non solum conscientia sua nullis sordibus maculat, sed etiam nullæ opiniones suspectæ pluralitatis infamant. Nam si castitas, quod est difficile, masculum et feminam pariter in virginitate conservet, non habet claritatem; quam communitas ipsa non potest nisi quibusdam probrositatum tenebris obscurare. Singularitas vero ita clara est omnibus et exerta, ut cunctis splendore sui candoris pura manifestetur et lucida. Unde sic nos Apostolus edocet, dicens : Sicut filii lucis ambulate : fructus enim luminis est in omni bonitate, et justitia, et veritate, probantes quod beneplacitum sit Deo. Et iterum : Omnia, inquit, facite sine murmuratione et hæsitatione, et sitis irreprehensibiles et simplices sicut filii Dei immaculati in medio nationis pravæ et perversæ, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo. Sic ubique singularitas splendet, ut omnes pro illa splendere non dubitent : et ita sanctitatem in semetipsa clarificat, ut laudem sibi ab ipsis quoque inimicis extorqueat. Quod maxime de præposito quocumque Paulus apostolus mandat, dicens : Oportet autem eum et testimonium habere bonum ab his qui foris sunt, ut non in opprobrium incidat et laqueum diaboli. Hanc igitur amate, hanc tenete, quæ sola potest feminas debellare : cum adhuc concupiscentia nulla pectus impulsat, et dum adhuc simplicitas incorrupta permanet vel quieta, ad secretæ singularitatis tutelam cito concurrite, ne postmodum non valeatis effugere.

Præoccupandus est aditus cunctis insidiis, ne hostilitas prior obrepens occurrat improvidis. Salutare remedium est prævenire potius quam præveniri : et anticipare potius quam anticipari, viribus fortibus congruit. Ubicumque fuerit providentia, frustrantur universa contraria; ubi autem providentia negligitur, omnia contraria dominantur. Ante famem certamus, ante inopiam laborando fatigamus. Sic per omnia ca-

EDIT. OXON. NOTÆ.

Et sterilitas criminum. Hæc lectio vet. excus. genuina est, quia præcedit *ubertas*, pro qua cum Remboldus legeret *cupiditas*, reposuit, Erasmus *captivitas*. PAMEL.

Immortalitas enim est memoria illius. Contra hic recte non posuit Erasmus *immortalitas est enim memoria illius;* quia illud reperitur ad verbum Græce. Recte tamen ipse *quia* pro *quæ;* Græce enim est ὅτι. PAMEL.

Suspectæ pluralitatis. Rursum hic legebatur ex mendo cod. Remboldi *parilitatis*. PAMEL.

Non habet claritatem. Ego negationem superfluam censeo. PAMEL.

Ut omnes pro illa splendere non dubitent. Metaphrasis efficit ut Erasmus reponeret *spondere*. PAMEL.

Digitized by Google

lamitatibus cunctis tollimus locum, dum gerimus providentiam temporum futurorum. Quanto magis ante prævenienda est omni provisione calamitas feminarum; cujus cupido si admittitur incipere, numquam prorsus accipit finem? Cujus comparationem Salomon explicat, dicens: Infernus, et amor mulieris, et terra quæ non satiatur aqua, et ignis non dicit: sufficit. Unusquisque itaque qui securus est quia necdum tentatur, timeat; quia nihil de eo dicitur, prospiciat ne dicatur: Homines sumus, fragilitatem nostram carne portamus. Sic jam undique nos circumspecta vivacitate circumdare debemus et cingere, ut non sit pars aliqua quæ vacillet. Accipimus quidem fortitudinem spiritalem, per quam substantiæ nostræ fragilitas roboretur. Sed ita nobis spiritalis fortitudo collata est; ut providos non ut præcipites tueatur: ut illos muniat qui renuntiant importunitatibus delictorum, non eos qui se magis importunis delictis immergunt. Custos nobis datus est spiritus, sed ut contraria declinantibus assistendo subveniat, non ut contraria eligentibus faveat; nec ut voluntarios et pronos in adversa confortet, sed ut ab adversis nitentes separari confirmet. Nam quicumque perniciosis conatibus audet exercere virtutem, juvamen non habet Spiritus sancti, qui neminem vult ultroneum virum fortem ad fraudulentas victorias coarctari: nec protegit illum, quinimino sed deserit, quem periculis irruentem per illicitos eventus exquirere triumphos agnoverit; sicut ipse jam tunc per Salomonem locutus est, dicens: Amans periculum, in ipso peribit.

Ordine suo igitur, non nostro arbitrio virtus sancti Spiritus ministratur, et secundum institutum ejus prælia prosperantur. Numquam nisi præcipitatus exercitus cecidit, qui avidus fortiter facere ducis vel imperatoris sui dispositiones irrupit; multo magis perperam erogat fortitudinem, qui sine armis doctrinæ magistri Spiritus præsumpserit triumphare: cum dicat: Væ qui per præsumptionem suam aliquid faciunt, non per Deum.

Si qua igitur in vobis est fiducia virium spiritalium, quid spiritales deceat recordemini: et si creditis vos spiritaliter militare, agnoscite quod docemus non esse carnale, sicut Paulus apostolus loquitur, dicens: Si quis putat se prophetam esse, aut spiritalem, cognoscat quæ scribo vobis. Non est quod vobis in hac persuasione deceptoria blandiamini, ut quia spiritales estis, velitis inter flagitiosorum armamenta versari, nec vos inhabiles esse pro clericatus dignitate: quia majores majoribus consueverunt conflictiones occurrere. Acrius divitibus quam pauperibus invidetur, et non inopes, sed locupletes inquietat infestatio sæva latronum. Plus duces et principes quam milites ab hostibus appetuntur in pugna: et violentibus propulsantur ventis et turbinibus culmina, quæcumque sunt altiora. Ideo magis magisque quo plus cæteris unusquisque potest, sciat esse sibi metuendum ne in aliquo minoretur, propter quod Salomon sic admonet, dicens: Qui gloriatur, inquit in divitiis, paupertatem vereatur. Rogo vos quantum valeo, et ultra *quam* valeo, hæc sint studia omnium clericorum, ut singularitatis inaccusabilis secessione fungantur: ne aut *ipsi* per feminas, aut feminæ per illos ad ignominiosa ludibria provocentur. Si quis habet matrem, vel filiam, vel sororem, vel conjugem, vel cognatam, sic habeat, ut nulla ancilla intersit, neque aliqua ingrediatur extranea; ne ad hoc videatur tenere proximas suas, ut ipsarum causa libere sibi adhibeat alienas: quod si non possint ipsæ quæ sunt proximæ sine famularum ministerio, vel sine amicarum esse solatio; expedit ut migrent ad aliud domicilium, quam propter illas personæ contrariæ teneantur. Humanum est enim, ut nec clericus illas necessarias feminis fraudet, nec ipsæ clericum per importunas feminas sordident. Assignari possunt sanctis mulieribus, cum quibus vivant, dummodo cum clerico femina nulla commaneat. Non despecta, non vetula, sine affinitate, peculiariter suscipienda ad domesticum obsequium: quia magis illicito delinquitur, ubi sine suspicione securum potest esse delictum; maxime quia cupidini nulla deformitas, nulla despectio fastidii, vel vilis existit, sed diabolus pingens speciosum efficit quidquid fœdum vel horridum fuerit.

Si quis autem modo profectione cogente apud fratres, vel apud extraneos hospitatur, ubi mulieres intersunt; omnino se arctet, ne passibilitate aliqua vitietur. Semotus ac secretus Deo vacet et sibi, ne intus capiatur a diabolo; et qui foris capi non potuit, apud suos cadat. Qui hostes effugit, ad tempus pro salutaribus causis procedat ad faciem, et iterum cito discedere de conspectu festinet. Ubique gestanda est cum mulieribus; non continuanda præsentia, sed quasi transeunter feminis exhibenda est accessio quodammodo fugitiva. Protervitatis enim jam cœpta sunt repræsentari semper in medium; et perditionis meditatio est frequentativum inter mulieres celebrare processum. De qua re nobis Salomon moderamen imposuit, dicens: In medio mulierum noli assidens esse. Sic igitur ambulate, sic agite, ut semper in clericis Ecclesiæ senatus candidus constet. Severitas in vobis circa feminas vigeat, auctoritas polleat, vigor teneatur, gravitas veneretur.

Ut semel omnia colligamus ad clausulam, brevia-

EDIT. OXON. NOTÆ.

Ut providos, non ut præcipites tueatur. Adjecimus cum Morelio ex vet. exc. et Remboldo *ut*, omissa tamen voce *nos*: cum iisdem. PAMEL.

Fortiter facere ducis, etc. Cum iisdem adjecimus *fortiter*. PAMEL.

Multo magis perperam. Hactenus corruptissime ex vitio codicis Remboldi legebatur *per perituram*. PAMEL.

Quid, spiritales deceat, recordemini. Remboldus denuo corrupte *recordetur*, pro quo Erasmus *recordemur*. At illud genuinum est. PAMEL.

Inter flagitiosorum armamenta. Reposuerat Erasmus *armenta*. PAMEL.

Protervitatis. Male hæc cohærent; nec promptum est conjicere quid sibi velit scriptor hic: qui etiam S. Scripturas quas passim adducit, pro libitu detorquet. Videtur per *cœpta* intelligere *initia*.

Digitized by Google

rium relegimus vobis, quod ad compendiosam plenitudinem redigens Paulus apostolus insinuat : De cætero, fratres, quæcunque sunt vera, quæcumque pudica, quæcumque sancta, quæcumque amabilia, A quæcumque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate quæ accepistis, et didicistis, et audistis, et vidistis in me. Hæc agite ; et Deus pacis et dilectionis erit vobiscum. Amen.

DE DUODECIM ABUSIONIBUS SÆCULI

TRACTATUS,

PERPERAM CYPRIANO ET AUGUSTINO ADSCRIPTUS.

CAPUT PRIMUM.

Primus abusionis gradus est, si sine bonis operibus sapiens et prædicator fuerit, qui quod sermone docet, actibus explere negligit. Auditores enim doctrinæ, dicta facere contemnunt, cum prædicatoris opera a prædicationis verbis discrepare conspiciunt. Numquam enim fit efficax constituentis auctoritas, nisi eam effectu operis cordi affixerit audientis, præsertim cum et ipse doctor, si in vitiorum amorem delapsus fuerit, alterius doctoris medicamentum suis vulneribus adhibere parvipendit. Unde et ipse Dominus in Evangelio de doctrina pariter et bono opere instruere volens discipulos, qualem in his cautelam haberent admonebat, dicens : *Quod si sal evanuerit, in quo salietur* (*Matth.* v, 13) ? Hoc est, si doctor erraverit, a quo iterum doctore emendabitur? *Et si lumen, quod in te est, tenebræ sunt ; ipsæ tenebræ quantæ erunt* (*Matth.* vi, 23) ? Si namque oculus a videndi officio desierit ; quis a manu, vel a pede, vel a reliquo corpore illud ministerium exiget? Quapropter doctores cogitent, ne ampliori vindictæ subjaceant, si plurimis perditionis occasionem abundantius præstent. Nam et ipse Salomon dum multæ sapientiæ transgressionem incurrit, totius Israeliticæ plebis regni dispersionem solius sui merito præstitit. Quibus ergo committuntur multa, majora perdunt ; si non recte dispensaverint rectoris sui munera, quæ perceperunt. Cui enim plus committitur ab eo plus exigitur. *Et servus qui domini sui voluntatem intelligens non facit, acrioribus et gravioribus flagellis vindictæ vapulabit* (*Luc.* xii, 47).

CAPUT II.

Secundus abusionis gradus est, si sine religione B senex esse inveniatur. Cui cum membra exterioris hominis veterascunt; vires animi, id est, interioris hominis membra, incrementa roboris non capiunt. Plus enim omnibus religioni operam dare senibus competit, quos præsentis sæculi florida ætas transacta deseruit. Sicut namque in lignis ipsa reproba arbor comparet, quæ post flores fructus optimos cultori suo non exhibet : sic et in hominibus ipse reprobus est, quem flos juventutis deseruit, et tamen in sui corporis senectute, bonorum operum maturos fructus proferre parvipendit. Quid enim stolidius fieri potest ; si mens ad perfectionem festinare non contendat, quando totius corporis habitus senectute confectus ad interitum properat? Dum oculi caligant, aures graviter audiunt, capilli fluunt, facies C in pallorem mutatur, dentes lapsi numero minuuntur, cutis arescit, flatus non suaviter olet, pectus suffocatur, tussis cachinnat, genua trepidant, talos et pedes tumor inflat ; etiam homo interior qui non senescit, his omnibus aggravatur. Et hæc omnia ruituram jamjamque domum corporis cito prænuntiant. Quid ergo superest, nisi ut dum hujus vitæ defectus appropinquat, nihil aliud cogitare quam quomodo futura habitatio prospere comprehendatur, quisque senex appetat? Juvenibus enim incertus hujus vitæ terminus instat, senibus vero cunctis maturior ex hac luce exitus breviter concordat. Cavendæ sunt ergo homini duæ particulæ, quæ in illius carne non veterascunt, et totum hominem secum ad peccatum pertrahunt ; cor videlicet et lingua : quia cor novas D semper cogitationes machinari non desinit ; lingua impigre loquitur, quodcumque machinari cor senserit. Caveat ergo senilis ætas, ne istæ juvenescentes particulæ totam sui harmoniam decipiant, et per res ineptas reliqui corporis gravitatem illudant. Unicui-

STEPH. BALUZII NOTÆ.

Cap. I. — *Constituentis. Prædicantis* apud Augustinum, tom. 6. Paulo ante apud eumdem *complere*.

Rectoris. Largitoris, cod. Corbeiensis.

Et gravioribus. Sic duo codices mss. Reg. et Colbert. Aliter in edit. *acrioribus flagellis gravioribusque vindictis vapulabit*. Paulo ante apud Aug. *solo suo merito*.

Cap. II. — *Competit. Convenit* apud Aug.

Deseruit. Deserit in duobus mss. et Morell. In sequenti periodo similiter legimus ut apud Aug. *deseruit*, quamvis legatur *deserit* in codicibus mss. et editis operum Cypriani.

Quam. Hanc vocem addidi ex edit. Aug ubi sic legitur : *Quam quomodo futuræ aditus propere comprehendatur*. In cod. Corb. *futuræ aditus prosperitatis* ; eamdem editionem sequimur in aliis nonnullis locis, de quibus necesse non est admonere.

Secum. Deest ea vox in duobus mss.

Digitized by Google

que enim considerandum est, quid ætate eminenti dignum sit; ut hoc agat, quod nec vitam, nec ætatem, nec ministerium vile reddat.

CAPUT III.

Tertius abusionis gradus est, adolescens sine obedientia; quo mundus a recto rationis ordine depravatur. Qualiter namque in senectute aliis ministerium imperabit, qui in adolescentia se senioribus obedientem exhibere contemnit? Unde et in proverbio apud veteres habetur, quod dominari nequeat, qui prius alicui servitutem præbere denegat. Propter quod et Dominus Jesus in temporibus suæ carnis, dum adhuc ad legitimam ætatem doctoris non pervenerat, obedienter ministrationem parentibus suis præstitit. Sicut ergo in senibus sobrietas, et morum perfectio requiritur : ita etiam in adolescentibus, obsequium, et subjectio, et obedientia rite debetur. Quapropter et in mandatis legis primum in his quæ ad homines pertinent, patris et matris honor imperatur, quia quamvis carnalis pater non supervixerit, aut indignus fuerit; alicui tamen patri digno et viventi, paternus honor usque ad dignam ætatem a filiis præbendus esse ostenditur. Quatuor etenim modis per Scripturas divinas patres vocantur; hoc est, natura, gente, admonitione, et ætate. De patre namque naturali Jacob ad Laban loquitur : *Nisi timor patris mei Isaac adfuisset, tulisses omnia quæ mea sunt* (*Gen.* xxxi, 42). Gente vero pater dicitur, quando Dominus de rubo ad Moysen loquebatur : *Ego sum*, inquiens, *Deus patrum tuorum, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob* (*Exod.* iii, 6). Ætate autem et admonitione pariter pater dicitur, cum Moyses in cantico Deuteronomii loquitur : *Interroga patrem tuum, et annuntiabit tibi; majores tuos, et dicent tibi* (*Deut.* xxxii. 7). Quod si ergo naturalis pater superstes non fuerit, aut indignus fuerit; admonenti tamen aut seniori adolescentis obedientia præbenda erit. Quomodo ergo honoratus in senectute apparebit, qui disciplinæ laborem in adolescentia non sustinuerit? Quodcumque etenim homo laboraverit, hoc et metet. *Omnis namque disciplina in præsenti non videtur esse gaudii, sed mœroris; postea vero fructum pacatissimum exercitatio per eam reddet justitiæ* (*Heb.* xii, 11). Sicut ergo fructus non invenitur in arbore, in qua pampinus aut flos prius non apparuerit : sic et in senectute honorem legitimum assequi non poterit, qui in adolescentia disciplinæ alicujus exercitatione non laboraverit. Disciplina igitur absque obedientia, qualiter fieri potest? Adolescens ergo sine disciplina, adolescens sine obedientia est : quoniam et ipsa obedientia, quæ omnium disciplinarum mater est, magna exercitatione indiget; quæ sui normam studii in Christo Domino sumpsit, qui obediens patri usque ad mortem, crucis ignominiam libenter sustinuit.

CAPUT IV.

Quartus abusionis gradus est, dives sine eleemosyna; qui superflua usus sui quæ *custodienda* in posterum recondit, indigentibus et nihil habentibus non distribuit : per quod efficitur, ut dum *in terra* quæsita diligenti cura custodit, cœlestis patriæ perennem thesaurum amittat. Ad quem thesaurum *Dominus* Jesus adolescentem divitem, qui eum de perfectione interrogaverat, ita respondens invitavit : *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et veni, sequere me, et habebis thesaurum in cœlo* (*Matth.* xix, 21). Quem thesaurum nullus umquam hominum habere potest, nisi qui pauperibus solatia præstat, aut per seipsum pauper est. Non ergo dormiat in thesauris tuis, quod pauperes dormire non sinit. Dives namque etsi multa congregaverit, his frui solus nequaquam poterit; quia unius hominis natura multis rebus non succurrit. Quid ergo stultius est quam propter unius hominis victum et vestitum, totam regni cœlestis perdere perennem *jucunditatem*, et æternos inferni cruciatus, absque consolationis præstolatione subire? Quod igitur aliquando per necessitatem amittendum est, pro æterna remuneratione sponte distribuendum est. *Omnia enim quæ videntur, temporalia sunt, quæ non videntur æterna sunt* (II *Cor.* v, 18). Quamdiu namque temporales sumus, temporalibus temporalia deserviunt, et cum hinc transierimus, æternis æterna solatia præstabuntur. Idcirco non debemus diligere ea quæ non semper habebimus; præsertim cum expertem rationis avarum divitem, thesauri sui et agri, et omnia quæ habet, ostendant; quia toto cordis intuitu illas res amat quæ numquam se diligunt. Si enim aurum et argentum, et agros, et vestimenta, et cibos, et metalla, et bruta animalia quis dilexerit, hæc omnia vicem sibi amoris rependere non posse, ipsa rerum natura ostendit. Quid ergo a ratione longius est quam diligere, quod te amare non valet; et negligere illum, qui tuæ *dilectioni* cum dilectione omnia præbet? Propter hoc igitur non diligi mundus, sed diligi proximus a Deo præcipitur; quia proximus vicem sui amoris potest rependere, quod mundus minime posse non dubitatur. Sic enim inimicum esse diligendum Dominus præcepit,

STEPH. BALUZII NOTÆ.

Vile reddat. Duo codices mss. *vilescat.*

Ministerium aliis imperabit. Apud Aug. *ministrari sibi sperabit.*

Usque ad dignam. Usque ad perfectam et dignam. Aug.

Aut seniori. Sic cod. Reg. *admonenti seniori* edit. Paulo post delevimus ante *crucis ignominiam* hæc verba *mortem autem* quæ desunt in duobus mss. et apud Aug.

Adolescens ergo sine disciplina. Contra apud Augustinum : *Adolescens ergo sine obedientia, adolescens sine disciplina est.*

Usus sui. Conservationis suæ cod. Colb.

In thesauris tuis, quod. Sic cod. Reg. *in thesauris suis qui* edit. *in thesauris tuis quod pauperi prodesse potest,* Aug.

Perennem. Deest apud Aug.

Tuæ dilectioni. Sic cod. Reg. *suæ ditioni* edit. *tuæ ditioni* Aug.

Quod mundus minime posse. Sic Aug. et cod. Col-

Digitized by Google

ut illa dilectio amicum illum ex inimico efficiat. Quisquis ergo dives cupidus vult æternas habere divitias, distribuendo egenis præstet interim non mansuras. Si enim quod diligit non vendit, nemo potest emere quod cupit. Avari namque ideo in judicio a rectissimo judice nuncupantur maledicti, quia qui præteribant eorum habitacula non dicebant : *Benedictio Domini super vos, benedixímus vobis in nomine Domini* (*Psal.* CXXVIII, 8). Infelices ergo sunt avari divites, qui propter res transitorias, in æternam damnationem dilabuntur ; et e contrario : *Beati sunt misericordes, quia misericordiam consequentur* (*Matth.* v, 7). Felix est ergo misericors, dum in hac virtute non substantiam, sed affectum Deus requirit.

CAPUT V.

Quintus abusionis gradus est, femina sine pudicitia. Sicut enim omnes bonos mores procurat et custodit in viris prudentia, sic et in feminis cunctos honoris actus nutrit et fovet et custodit pudicitia. Pudicitia namque castitatem custodit, avaritiam refrænat, lites devitat, iram mitigat, libidinem occupat, cupiditatem temperat, lasciviam castigat, ebrietatem cavet, verba non multiplicat, gulæ concupiscentias purgat, furtum omnino damnat. Quid plura? Omnia vitia restringit; et omnes virtutes, et quidquid coram Deo et bonis hominibus laudabile est nutrit. Impudica namque vita nec laudem ab hominibus in præsenti sæculo, nec remunerationem a Deo exspectat in futuro. Pudica vero vita, famam bonam inter homines habet, et de spe futuræ beatitudinis gaudet. Præsentibus semetipsam imitabilem facit, posteris memoriam amabilem relinquit. Bonis semper moribus delectatur et consentit, et assiduis Scripturarum meditationibus et eloquiis animam vegetat. Bonorum præcedentium exempla custodit, et inseparabilia perfectis contubernia nectit. Duobus ergo modis constat veræ pudicitiæ exercitatio, id est corporis habitu et superficie et animi affectu interno. Per exteriorem modum coram Deo, providemus opera bona. Pudicitia namque corporis est, alienas res non appetere, et omnem immunditiam devitare, ante horam congruam non gustare velle, risum non excitare, verba vana et falsa non loqui; habitum per omnia ordinatum, compositionemque convenientem tam capillorum quam vestium, sicut decet, habere; cum indignis contubernia non inire; supercilioso intuitu neminem aspicere, vagari oculos non permittere; pompatico et illecebroso gressu non incedere; nulli inferior in incœpto bono opere apparere, nulli contumeliam aut ruborem incutere, neminem blasphemare, senes non irridere, bonis non invidere, meliori non controversari; de his quæ ignoras, non tractare, et ea quæ scis non omnia proferre : hæc enim proximis amabilem hominem reddunt, et Deo acceptabilem faciunt. Pudicitia enim animæ est, plus propter Dei oculos quam hominum omnia bona facere; appetitiones turpium cogitationum compescere; omnes meliores se esse æstimare, nemini invidere; de semetipso nihil confidere, Dei semper auxilio res omnes committere, ante Dei oculos semetipsum constituere, hæretica pravitate sensum non maculare, catholicis per omnia consentire ; Deo soli adhærere, castitatem æternæ mentis Deo Christo offerre ; omnia cœpta opera bona mortis tantum termino finire ; præsentes tribulationes animi fortitudine negligere, parvipendere; in terra præter proximos nihil amare, cuncti amoris thesaurum in cœlo constituere, et pro omni bono actu mercedem a Deo in cœlestibus sperare. Pudicitia ornamentum nobilium est, exaltatio humilium, nobilitas ignobilium, pulchritudo debilium, prosperitas laborantium, solamen mœrentium, augmentum omnis pulchritudinis, decus religionis, defensio criminum, multiplicatio meritorum, creatoris omnium Dei amicitia.

CAPUT VI.

Sextus abusionis gradus est dominus sine virtute, quia nihil proficit dominandi habere potestatem, si dominus ipse non habeat virtutis rigorem. Sed hic virtutis rigor, non tam exteriori fortitudine, quæ et ipsa sæcularibus dominis necessaria est, quam animi interiori fortitudine, exerceri debet. Sæpe enim dominandi per animi negligentiam perditur fortitudo, sicut in Heli sacerdote factum fuisse comprobatur; qui dum severitate judicis peccantes filios non coercuit, in eorum vindictam, Dominus velut consentienti ferociter non pepercit. Tria ergo necessaria hos qui dominantur habere oportet : terrorem scilicet, et ordinationem, et amorem. Nisi enim ametur dominus pariter et metuatur, ordinatio illius constare minime potest. Per beneficia ergo et affabilitatem procuret ut diligatur, et per justas vindictas, non propriæ injuriæ, sed legis Dei, studeat ut metuatur. Propterea quoque, dum multi pendent in eo, ipse Deo adhærere debet, qui illum in ducatum constituit ; qui ad portanda multorum onera, ipsum veluti fortiorem solidavit. Paxillus enim nisi bene fortiter firmetur, et alicui fortiori adhæreat, omne quod in eo pendet cito labitur; et ipse solutus

STEPH. BALUZII NOTÆ.

bert. *Quod mundus non potest, vel minime non posse dubitatur* edit. Paulo post legimus ex cod. Colbert. *cupidus vult*, pro *cupidus qui vult*.

Purgat. Oppugnat Aug.

Animam vegetat. Animum figit Morel. et duo codices mss.

Nulli inferior. Duo codices mss. *Nullo inferior incœpto.*

Debilium. Aug. *vilium.*

Amicitia. Duo codices mss. *amica.*

Quam animi. Addunt editi *indiget* ante has voces, et *bonis moribus* ante *exerceri.* Secutus sum duos codices mss.

Fortitudo. Aug. *Dominandi virtus.*

Judicis. Sic duo codices mss. pro *judicii*, quod erat in editis.

Ferociter. Deest apud Aug.

Digitized by Google

a rigore suæ firmitatis, cum oneribus ad terram delabitur. Sic et princeps nisi suo Conditori pertinaciter adhæserit, et ipse, et omne quod continet, cito deperit. Quidam namque per dominandi officium plus Deo appropinquant, quidam imposito sibi dignitatis honore deteriores fiunt. Moyses namque, accepto populi ducatu, familiarius Dei locutionibus utebatur : Saul vero, filius Cis, postquam sceptra regni suscepit, per inobedientiæ superbiam Deum offendit. Rex Salomon postquam patris sui David sedem obtinuit, Deus illum ultra omnes mortales velut ad innumerosi populi gubernationem sapientiæ munere ditavit. E contrario vero Hieroboam, servus Salomonis, postquam regni domus David occupavit partem, ad idolorum cultum decem tribus Israel, quæ erant in parte Samariæ, diverterat. Per quæ exempla evidenter ostenditur, quosdam in sublimiori statu ad majorem perfectionem crescere, quosdam vero per supercilium dominationis ad deteriora defluere. Per quod utrumque intelligitur eos qui ad meliora transcendunt, per virtutem animi et Dei auxilium posse id facere, et eos qui ad deteriora devertuntur, per mentis imbecillitatem pariter et negligentiam errare. Unde et dominum absque virtute fieri non decet, qui virtutem sine Dei auxilio nullatenus habet. Qui etenim multa tuetur, si non habet fortitudinem animi, non valet id agere, quoniam magna magnis infestationibus, vel adversitatibus solent laborare. Omnis ergo qui præest, hoc primitus animi tota intentione procuret, ut per omnia de Dei adjutorio omnino non dubitet. Si namque cœperit in actibus suis auxiliatorem habere Dominum dominorum, nullus hominum contemptui poterit habere ejus dominatum : *Non enim est potestas nisi a Deo* (*Rom.* XIII). Ipse enim elevat de stercore egenum, et sedere facit cum principibus populi sui, et deponit potentes de sede, et exaltat humiles ; ut subditus fiat omnis mundus Deo et egeat gloria Dei.

CAPUT VII.

Septimus abusionis gradus est Christianus contentiosus, qui, cum participationem nominis Christi per fidem et Baptismum susceperit, contra Christi dicta et propositum, mundi caduca delectamenta diligit. Omne enim de quo contenditur, aut propter propriam ejus rei dilectionem de qua agitur, aut propter alterius amorem, quæ sub odiosa specie latet, appetitur. Quemadmodum, verbi gratia, bellum animoso compugnantium conflictu cum odiosa res sit, propter amorem victoriæ et libertatis peragitur ; et multæ aliæ dilectæ species, sub odioso labore vel formidine, satis contentiose expetuntur. Unde patenter intelligitur nihil contendi posse, nisi propter dilectionem, speratam scilicet et subsequentem amabilem remunerationem. Qui igitur de mundo præsente ex quacumque causa contendit, perspicue ostendit quod illum diligit. Quomodo ergo mundum diligi per Joannem Spiritus sancti sermones interdicunt, qui ait : *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt* (I *Joan.* II, 15). Mundi enim amor et Dei pariter in uno corde cohabitare non possunt, quemadmodum iidem oculi cœlum pariter et terram nequaquam conspiciunt. Sed requirendum est si vere in mundo aliquid sit quod amari debeat, et quis sit ille mundus, quem diligi divina eloquia vetant. Terra ergo cum nascentibus ex ea, et metallis, et animantibus, et pulchritudine vestium, et oblectationibus ciborum, et iis quæ ad hæc pertinent, non diligi præcipitur ; sed proximus, propter quem hæc omnia facta sunt, amari jubetur. Hæc enim omnia prædicta, velut non mansura, ad cœlestem patriam pergentes concomitari nequeunt. Proximi vero velut mansuri regis cohæredes, semetipsos licenter invicem diligunt. Quod ergo semper in mundo non manet, et cum mundo pariter deficiet, et ipse mundus non amari præcipitur ; proximus autem, qui est pars regni cœlestis, in terra et inter ima elementa, a regni cœlorum appetitoribus non incongrue amatur, dum in suprema illa patria in æternum cohæres *habebitur*. Propterea vero mundus præsens non diligi imperatur, ne a Dei dilectione alienus, sæculi *dilector quisque* efficiatur. Non ergo debet contendi, quod non licet amari. Igitur Christianus, qui nominis Christi similitudinem tenet, morum quoque ejus similitudinem habere debet. Christianus enim *nemo recte* dicitur, nisi qui Christo moribus coæquatur. De Christo vero per Prophetam ita scribitur : *Ecce filius meus quem elegi, electus meus, complacuit in illo sibi anima mea : ponam Spiritum meum super eum. Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in platea vocem ejus* (*Is.* XLII, 1; *Matth.* XII, 18). Ecce Christus non contendit, neque clamavit : et tu si morum Christi similitudinem tenere cupis, ne contendas, ne abusivus in Ecclesia Christianus existas. Suis enim sectatoribus Christus præcepit : *Nolite vocari rabbi ; unus est enim pater vester, qui in cœlis est. Omnes enim vos fratres estis* (*Matth.* XXIII, 8), quibus ad supplicandum imperavit, cum dicit : *Sic autem orabitis : Pater noster qui in cœlis, sanctificetur nomen tuum* (*Matth.* VI, 9). Frustra ergo contendit patrem se habere in terra, qui patrem et patriam profitetur se habere in cœlo. Cujus patriæ nemo possessor efficitur, nisi qui de terrenæ patriæ contentione securus habetur.

CAPUT VIII.

Octavus abusionis gradus est, pauper superbus ; qui, nihil habens, in superbiam extollitur : cum e contrario divitibus sæculi non superbe sapere per apostolum Paulum imperetur. Quid ergo stolidius potest fieri quam illum qui per infirmam

STEPH. BALUZII NOTÆ.

Transcendunt. Sic cod. Colb. *Condescendunt* edit.

Egeat gloria. Sic Morel. et duo mss. : *egeat omnis gloriæ* in aliis.

Invicem. Hanc vocem addidi ex duobus mss. Morel. et Aug.

Digitized by Google

miseriam velut in terram abjectus, extremus et humilis incedere et contristari debuerat, supercilioso superbiæ tumore inflatam mentem contra Deum erigere? Per quod vitium lapsi corruerunt, qui in summo cœli conditi erant culmine. Quid ergo vult quasi potens in terra superbire, qui præ omnibus hominibus debuerat humilis apparere? Sed, ne de paupertate sua tristitiam habeant, quid a Deo recepturi sint pauperes attendant; ipse enim inquit: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* (*Matth.* v, 3). Recta namque dispensatione misericors judex cœli regnum illis committit quibus regni terrarum participationem inter mortales abstulit, ut ipse dives in cœli sede appareat qui in terra penitus nihil procurat. Cavendum ergo pauperibus est ne, dum per egestatem et necessitatem terrenum regnum præterennt, per mentis etiam impudentiam cœlorum regna amittant. Cum enim Dei dispensatione paupertatem necessariam acceperunt, in ipsorum arbitrio pendet utrum pauperes spiritu sint. Non quibuscumque namque pauperibus cœli regna promittuntur, sed his tantummodo in quibus divitiarum inopiam animorum humilitas comitatur. Pauper enim humilis pauper spiritu appellatur, qui, cum egenus foris cernitur, numquam in superbiam elevatur; quoniam ad appetenda regna cœlorum plus valet mentis humilitas, quam præsentium divitiarum temporalis paupertas. Etenim humiles qui bene divitias possessas habent, possunt pauperes spiritu appellari: superbos autem nihil habentes, haud dubium est beatitudine paupertatis privari. De quibus utrisque sancta Scriptura ita loquitur: *Est quasi dives nihil habens, et est quasi pauper, cum in multis divitiis sit* (*Prov.* XIII, 7). Quasi pauper ergo in multis divitiis est dives humilis spiritu; et nihil habens quasi dives est pauper superbus mentis affectu. Nobilis ergo inopia est mentis humilitas, et ineptæ divitiæ sunt animorum enormitas. Providendum est ergo pauperibus, ut semetipsos, quales sint, intelligant; et quia rebus consequi quod cupiunt non valent, mentis tumore superbire desinant.

CAPUT IX.

Nonus abusionis gradus est, rex iniquus. Etenim regem non iniquum, sed correctorem iniquorum esse oportet. Inde in semetipso nominis sui dignitatem custodire debet: nomen enim regis intellectualiter hoc retinet, ut subjectis omnibus rectoris officium procuret. Sed qualiter alios corrigere poterit, qui proprios mores, ne iniqui sint, non corrigit? quoniam in justitia regis exaltatur solium, et in veritate regis solidantur gubernacula populorum. Justitia vero regis est neminem injuste per potentiam opprimere, sine personarum acceptione inter virum et proximum suum juste judicare, advenis et pupillis et viduis defensorem esse, furta cohibere, adulteria punire, iniquos non exaltare, impudicos et histriones non nutrire, impios de terra perdere, parricidas et pejerantes vivere non sinere, ecclesias defendere, pauperes eleemosynis alere, justos super regni negotia constituere, senes et sapientes et sobrios consiliarios habere, magorum, ariolorum pythonissarumque superstitionibus non intendere, iracundiam differre, patriam fortiter et juste contra adversarios defendere, per omnia in Deo confidere, prosperitatibus animum non elevare, cuncta adversa patienter tolerare, fidem catholicam in Deum habere, filios suos non sinere impie agere, certis horis orationibus insistere, ante horas congruas cibum non gustare. *Væ enim terræ cujus rex puer est, et cujus principes mane comedunt* (*Eccle.* x, 16). Hæc regni prosperitatem in præsenti faciunt, et regem ad cœlestia regna meliora perducunt. Qui vero regnum non secundum hanc legem dispensat, multas nimirum adversitates imperii tolerabit. Idcirco enim pax sæpe populorum rumpitur, et offendicula etiam de regno suscitantur, terrarum quoque fructus diminuuntur, et servitia populorum præpediuntur, multi et varii dolores prosperitatem regni inficiunt, charorum et liberorum mortes tristitiam conferunt, hostium incursus provincias undique vastant, bestiæ armentorum et pecorum greges dilacerant: tempestates aeris et hyemis terrarum fœcunditatem et maris ministeria prohibent, et aliquando fulminum ictus segetes et arborum flores et pampinos exurunt. Super omnia vero regis injustitia, non solum præsentis imperii faciem offuscat, sed etiam filios suos et nepotes, ne post se regni hæreditatem teneant, obscurat. Propter piaculum enim Salomonis, regnum domus Israel Dominus de manibus filiorum ejus dispersit. Et propter justitiam David regis, lucernam de semine ejus semper in Hierusalem reliquit (III *Reg.* XI, 34-35). Ecce quantum justitia regis sæculo valeat, intuentibus perspicue patet. Est enim pax populorum tutamen patriæ, immunitas plebis, munimentum gentis, cura languorum, gaudium hominum, temperies aeris, serenitas maris, terræ fœcunditas, solatium pauperum, hæreditas filiorum, et sibimetipsi spes futuræ beatitudinis. Attamen sciat rex quod, sicut in throno hominum primus constitutus est, sic et in pœnis, si justitiam non fecerit, primatum habiturus est. Omnes namque quoscumque peccatores sub se in præsenti habuit, supra se modo implacabili, in illa pœna futura habebit.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

Prætereunt. Aug. *perdunt.*
Ne iniqui. Aug. *si iniqui.*
Animum non elevare. Non elevari animo Aug.
Terrarum fœcunditatem, etc. Sic emendavimus auctoritate cod. Colbert. et Aug. Male in aliis, *turbata rerum fœcunditate maris*, etc. Habet idem ms. *serenitate turbata* ante *terrarum*. Paulo post, lego ex duobus mss. *pampinos exurunt*, pro eo quod est in edit. *pampinos quosque exurunt.*

Digitized by Google

CAPUT X.

Decimus gradus abusionis est episcopus negligens; qui gradus sui honorem inter homines requirit, sed ministerii sui dignitatem coram Deo, pro quo legatione fungitur, non custodit. Primum namque ab episcopo, quid sui nominis dignitas teneat, inquiratur, quoniam, cum episcopus nomen græcum sit, speculator interpretatur. Quare vero speculator ponitur, et quid a speculatore requiritur, Dominus ipse denudat, cum sub Ezechielis prophetæ persona, episcopo officii sui rationem denuntiat, ita inquiens : *Speculatorem dedi te domui Israel. Audiens ergo ex ore meo sermonem, nuntiabis eis ex me. Si autem videris gladium venientem, et tu non annuntiaveris ut revertatur impius a via sua, ipse quidem impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram. Si autem tu annuntiaveris, et ille non fuerit reversus, ipse quidem in iniquitate sua morietur, sed tu animam tuam liberasti* (*Ezech.* III, 17). Decet ergo episcopum, qui omnium speculator positus est, peccata diligenter attendere, et postquam attenderit, sermone, si potuerit et actu corrigere; si non potuerit, juxta Evangelii regulam, scelerum operarios declinare : *Si enim*, inquit in Evangelio Dominus, *peccaverit in te frater tuus, corripe illum inter te et ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum : si te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos testes, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum : si illos non audierit, dic Ecclesiæ : si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus* (*Matth.* XVIII, 15). Tali ordine expellendus est quicumque doctori vel episcopo adhærere noluerit. Et qui tali ordine expulsus fuerit, ab alio aliquo doctore vel episcopo non debet recipi. De sacerdote namque scriptum est in lege : *Viduam aut repudiatam non accipiat uxorem* (*Levit.* XXI, 7). Qui ergo illum excommunicatum a catholico, illo non permittente, sibi jungit, jura sacerdotii sancti, in quo Christianorum genus electum est, excedit. Hac ratione episcopum, ad eos quibus in speculationem positus est, esse oportet. Cæterum vero, qualis in semetipso esse debeat, Paulus apostolus exponit : ut ad gradum episcopi veniens sit sobrius, prudens, castus, sapiens, modestus, hospitalis, filios habens subditos cum omni castitate, testimonium habens bonum ab his qui foris sunt, proferens doctrinæ fidelem sermonem; antequam episcopus sit, non plures habens uxores quam unam; non percussor, non bilinguis, non ebriosus, non neophytus, ut per hæc ipse ostendat in opere, quod alios docet in sermone doctrinæ (*I Tim.* III, 2). Caveant ergo negligentes episcopi quod in tempore vindictæ Dominus per Prophetam conqueritur, dicens : *Pastores multi demoliti sunt populum meum, et non pascebant gregem meum pastores, sed pascebant semetipsos* (*Ezech.* XXXIV, 8); sed potius procurent hi quos constituit Dominus super familiam suam, dare illis cibum in tempore suo mensuram tritici, puram scilicet et probatam doctrinam, quatenus veniente Domino mereantur audire : *Euge, serve bone et fidelis, quia supra pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam : intra in gaudium domini tui* (*Matth.* XXV, 23).

CAPUT XI.

Undecimus abusionis gradus est plebs sine disciplina, quæ, cum disciplinæ exercitationibus non servit, communi se perditionis laqueo constringit: iram etenim Domini absque disciplinæ rigore non evadit. Atque idcirco Psalmistæ vocibus indisciplinatæ plebi prædicatur : *Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus* (*Psal.* II, 12). Disciplina vero morum est ordinata correctio et majorum præcedentium regularum observatio. De qua disciplina Paulus apostolus ita loquitur dicens : *In disciplina perseverate; tamquam filiis vobis offert se Deus. Quod si extra disciplinam estis, cujus participes facti estis? Omnes enim adulteri, et non filii estis* (*Hebr.* XII, 8). Qui ergo adulteri, sine disciplina sunt, et cœlestis regni hæreditatem non capiunt : si filii autem paternæ disciplinæ correctiones ferunt, et hæreditatem quandoque recipere posse non desperent. De qua etiam disciplina Esaias quidem indisciplinatæ plebi prædicat, dicens : *Quiescite agere perverse, discite bene facere* (*Isa.* I, 16). Et ad eamdem *Psalmista* consona voce compsallit, dicens : *Declina a malo, et fac bonum* (*Psal.* XXXIII, 15). Infelix ergo est qui abjicit disciplinam. Audet enim extra milites aliquid qui, Dominum crucifigentes, non ejus sciderunt tunicam, qui Ecclesiæ Christi scindit disciplinam. Sicut enim tunica totum corpus præter caput tegitur, *ita* disciplina, omnis Ecclesia, præter Christum, qui caput est Ecclesiæ et sub disciplina non est, protegitur et ornatur. Ipsa vero tunica contexta desuper fuerat per totum, quia eadem disciplina Ecclesiæ a *Domino* de cœlo tribuitur et integratur. De qua Dominus cum ad Patrem ascendisset, postquam resurrexit a mortuis, ad Apostolos suos loquebatur, dicens : *Vos autem sedete hic in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto* (*Luc.* XXIV, 49). Tunica ergo corporis Christi disciplina Ecclesiæ est : qui autem extra disciplinam est, alienus est a corpore Christi. *Non scindamus igitur illam, sed sortiamur de illa cujus sit* (*Joan.* XIX, 24); id est, non solvamus quidquam de mandatis Domini, sed unusquisque in quo vocatus est, in eo permaneat apud Dominum.

CAPUT XII.

Duodecimus abusionis gradus est populus sine lege, qui, dum Dei dicta et legum scita contemnit, per diversas errorum vias eumdem perditionis laqueum incurrit. De quibus viis sub persona prævaricatoris populi, humanum genus Propheta ita deplangit : *Nos autem sicut oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit* (*Isa.* LIII, 6), de quibus viis etiam Sapientia loquitur per Salomonem : *Multæ*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

In quo. Sic cod. Reg.; edit. *quod.*

Multi. Sic cod. Corbeiensis apud Aug. citatus. Habent *multi* Morel. et Pamel., *mei* Aug.

Ipsa vero. Sic duo mss. *ipsa enim* edit.

Digitized by Google

viæ videntur hominibus rectæ, et novissima earum deducunt ad mortem (*Prov.* XIV, 12). Quæ utique multæ perditionis viæ tunc inceduntur, cum una regalis via, lex Dei videlicet, quæ neque ad dexteram neque ad sinistram declinat, per negligentiam deseritur. De qua scilicet via Dominus Jesus Christus, qui est finis legis ad justitiam omni credenti, denuntiat : *Ego sum via, veritas et vita, neque venit ad Patrem nisi per me* (*Joan.* XIV, 6). Ad quam viam omnes homines communiter invitat, dicens : *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos* (*Matth.* XI, 28); *quia non est personarum acceptio apud Deum* (*Rom.* II, 11), ubi non est Judæus, nec Græcus, masculus et femina, servus et liber, barbarus et Scytha, sed omnia in omnibus Christus : omnes enim unum sunt in Christo Jesu. Dum ergo Christus finis legis est, qui sine lege sunt, sine Christo fiunt. Igitur populus A sine lege, populus sine Christo est. Abusivum ergo in temporibus Evangelii populum sine lege fieri, quando Apostolis in cunctas gentes licentia prædicationis data est, quando tonitruum Evangelii per cunctas sæculi partes intonuit, quando Gentes quæ non sectabantur justitiam, apprehenderunt justitiam ; quando qui de longe fuerant, facti sunt prope in sanguine Christi : qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei in Christo ; quando est tempus acceptabile, et dies salutis, et tempora refrigerii in conspectu Altissimi ; quando unaquæque gens habet testem resurrectionis ; quando ipse Dominus protestatur, dicens : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII, 20). Non itaque simus sine Christo in hoc tempore B transitorio, ne sine nobis Christus esse incipiat in futuro.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

Sine lege. Cod. Colbert. *sine Christo.*

LIBER DE DUPLICI MARTYRIO,

AD FORTUNATUM, INCERTO AUCTORE.

I. Multifariam multisque modis ago gratias, Fortunate mihi in Domino charissime, divinæ benignitati quod et tuam pietatem excitavit ad exstimulandum officium meum, ut unico libello commilitonibus nostris materiam subministrarem, unde sibi, gratia Spiritus opitulante, munimenta telaque fabricarentur adversus persecutionum incursus ; et mihi quod petebas conanti, non dedignata est adesse, et quod utriusque nostrum operam non passa est esse sterilem, hoc est quod mei Fortunati pium desiderium bene fortunavit, et ministri sui officium voluit esse gregis sui beneficium. Scribis enim ex eo libro multum roboris et alacritatis accessisse strenuis, timidioribus autem et infirmis tantum animorum esse additum, ut ex his quoque per Dei gratiam, certam victoriam nobis promittere debeamus : eoque libentius D obtemperavi posterioribus tuis litteris, quibus orat tua charitas, ut, quoniam hoc auspiciis Domini nostri Jesu Christi bene successit, addam volumen alterum de duplici martyrii genere : quorum unum exhibetur cum sævit tortorum immanitas, alterum occultius quidem est, sed nihilominus fortem animum postulat, multaque divinitus armatura communitum. Utinam et hoc munus Christi Spiritus per me fratribus et commilitonibus nostris largiri dignetur, et quod dederit C bene prosperare ! Quemadmodum enim nihil sanctum nisi illo sanctificante, nihil potens nisi illo corroborante, ita nihil felix, nihil auspicatum, nisi illo prosperante. Sane, et vestris precibus et Domini bonitate fretus, aggrediar.

II. Martyr, ut iis quoque notum est qui græce nesciunt, *testem* sonat. Quamquam autem, post exortam Evangelicæ veritatis lucem, ecclesiastica consuetudo cognominis hujus honorem proprie tribueret iis qui in tormentis usque ad mortem perdurarunt in professione nominis Jesu Christi, et evangelicum instrumentum sanguine suo velut obsignarunt apud incredulos, omnis tamen piorum vita testimonium reddit Deo. Non quod ille cujusquam egeat testimonio, qui ex se fons est æternæ gloriæ, ut nec ullis hominum honoribus fieri possit honoratior, nec ullis mortalium ignominiis obscurior ; sed tamen ita visum est æterno illius divinoque consilio, ut suam bonitatem, sapientiam ac potentiam apud homines per homines velit illustrari ; sicut mundum gubernari voluit per Angelos, cum Angelorum ministerio non egeat, multaque hominibus per homines largiatur quæ per se dare poterat, qui quicquid vult nutu potest, et cui voluisse fecisse est. Et quamquam, ut dixi, ad illam ineffabilem majestatem nulla pertingit ignominia ;

VARIORUM NOTÆ.

Quod mei Fortunati, etc. Quamquam hic ut Cypriani esse persuaderet hunc librum, alterius libri ad Fortunatum meminerit, tamen ipse stylus repugnat. Neque enim veteres Patres umquam voce *fortunare* usi sunt, ne fortunæ viderentur aliquid tribuere.

Qui in tormentis usque ad mortem perdurarunt. Quam diversa significatione martyres accipiat Cyprianus, supra abunde diximus, præsertim tomo I, Epist. IX. Pamel.

Digitized by Google

tamen in Scripturis ita loquitur, quasi per nos honoretur, vel ignominia afficiatur. Nam in Deuteronomio cum Moyse expostulat, quod apud populum ob laticis penuriam murmurantem in Cades deserti Sin, ad aquas contradictionis non sanctificarit ipsum inter filios Israel, et ob hanc offensam non est illi nec Aaroni datum ingredi terram promissam, ac tot annis exspectatam, sed tantum e montis vertice procul aspicere licuit.

III. Porro quod dictum est *sanctificare* pro *glorificare*, qui litteras Hebræorum callent, affirmant esse sermonis illius proprietatem. Quod ipsum tamen ex aliis Scripturarum locis liquere potest, si minus illorum testimonio fidimus, quandoquidem et in oratione Dominica, *Sanctificetur nomen tuum* (*Matth.* VI, 9) dictum est, pro *glorificetur*, sive *clarificetur*, *nomen tuum*. Sic et Corinthios exhortatur ut glorificent ac bajulent Deum in corpore suo. Sicut enim nomen Dei glorificatur vita piorum hominum, in quibus ipse per Spiritum suum operatur quicquid faciunt boni, ita e diverso polluitur et infamatur malefactis eorum qui se Dei cultores profitentur. Quemadmodum et militis virtus aut servi probitas redundat in gloriam ducis aut heri, ita militis ignavia, aut servi nequitia, dedecori est duci aut hero, propterea quod horum mores magna ex parte pendent ab illorum moribus in quorum potestate sunt. Qui etiamsi prorsus absunt ab omni culpa, tamen popularis existimatio solet dominorum mores ex servorum moribus æstimare. Unde etiam hic videmus divinam Scripturam frequenter juxta mortalium affectus loquentem, velut in Levitico de eo qui de semine suo dedisset idolo Moloch, dicit : *Quia polluit nomen sanctum meum* (*Levit.* LXX, 3). At quod ab hominibus sanctificatum est pollui potest, Dei vero nomen in se semper est gloriosum, apud homines tantum contaminatur, quemadmodum mendax infamia non polluit virum integrum. Sic et apud Ezechielem clamat nomen suum fuisse pollutum inter Gentes impiis moribus Israelitarum. Quin et beatissimus Paulus scribens Romanis, ex auctoritate Prophetæ dicit, appellans Judæos, legem profitentes, sed ea quæ lex vetat facientes : *Nomen Dei blasphematur inter Gentes* (*Rom.* II, 24). Et in oratione Dominica, sicut attigi modo, ex auctoritate Redemptoris, oramus ut sanctificetur nomen Dei Patris, hoc est ut inclarescat et illustretur apud homines, utique per homines, vel potius in hominibus. Illustratur autem si Spiritus illius regnet in nobis, et si illius voluntati obtemperetur in terris, quemadmodum in cœlis nulla est rebellio. Quoniam autem homines ex sese nihil habent virtutis, quicquid per nos recte geritur cedit in gloriam Dei, et ideo thesaurum divinæ potentiæ promit interdum ex vasis fictilibus ; ut sublimitas sit virtutis Dei, et non ex nobis.

IV. Ergo quamquam omnis piorum vita martyrio suo glorificat Deum et Christum filium ejus, nullum tamen est illustrius testimonium apud homines, quam sanguinis, hoc est vitæ propter Deum contemptæ et mortis fortiter toleratæ. Reddiderunt et miracula testimonium divinæ potentiæ, præsertim apud incredulos : nam his proprie data sunt signa, quemadmodum scribit beatus Apostolus ; sed semper efficacius fuit sanguinis profusi testimonium. Quot morbos insanabiles verbo sanarat Dominus ! quot cæcos illustrarat ! quot mancos, paralyticos ac debiles restituerat ! quot exanimes ad vitam revocarat ! Et tamen pauci credebant in eum, et audiebat : *In Beelzebub ejecit dæmonia* (*Luc.* XI, 15). Cæterum, ubi ventum est ad sanguinem, ibi dejectum est Satanæ regnum, ibi subactus est mundus. Commemorat et Joannes evangelista triplex in terra testimonium, Spiritus, aqua et sanguis, quod efficacissimum est postremo recensens loco. Spiritum in columbæ specie descendentem super Jesum videre meruit Joannes Baptista ; an alii viderint incertum. Certe hoc testimonium Joanni datum est, quo desineret dubitare de Domino Jesu an ille esset qui baptizaret Spiritu et igni. Aquæ testimonium vidit Joannes evangelista, nec satis constat solusne viderit, an cum *multis*. Erat quidem hoc ingens mysterium sacri lavacri quo delentur peccata : sed vidit aquam simul effluere cum sanguine, qui nisi adfuisset, inefficax erat aqua. Quid enim prodest aboleri peccata, nisi succedat vita justitiæ quam confert sanguis ? *Quamquam* hi tres unum sunt : unus enim Deus est, qui per Spiritum, aquam et sanguinem declarat hominum generi virtutem ac bonitatem suam : aut ideo dicuntur unum esse, quoniam undique sibi constat testimonium, nec ulla ex parte dissonat ; quemadmodum quos arctissima jungit amicitia, propter summum animorum consensum, unus animus esse dicuntur.

V. Ac, juxta sensum crassiorem, hæc tria præcipua sunt in homine vitæ argumenta atque etiam instrumenta. Quamdiu enim pulmonis officio attrahitur vicissim ac redditur halitus, certum vitæ indicium est : unde loquendi consuetudine, spirare dicuntur qui vivunt, et expirasse qui vitam finierunt. Quin et anima latinis *flatus* dicitur, ad græcæ vocis imitationem, qui *ventum* ἄνεμον vocant. Super hæc, sunt in ipso homine subtilissimi spiritus, a corde ubi fontem habent sparsi per universum corpus, sed præcipue per arterias commeantes, licet et aliis partibus omnibus mixti ; hi si subito evolent, mortem præsentem afferunt : sin includantur, lenta ægrotatione consumunt hominem. Adest et humor

VARIORUM NOTÆ.

Ob laticis penuriam. Non recte Manutius et Morellius *laticis*, neque vero sic etiam alicubi Cyprianus, cui etiam heri nomen ignotum est. PAMEL.

[179] *Aut ideo unum dicuntur esse*, etc. Nimirum consentit hæc expositio annotationibus Erasmi, in hunc Epistolæ Joannis locum ; ipse vero Cyprianus longe aliter, de unitate Patris, Filii et Spiritus sancti interpretatur, libro *de Unit. Ecclesiæ*. Sic etiam alii veteres. PAMEL.

Digitized by Google

quidam naturalis, quem, ut arbitror, medici phlegma vocant, sparsus et ipse per universum corpus. Hujus usum numquam sentimus evidentius quam in sensu gustus : nisi enim hic admixtus sit inter linguam et palatum, nullum erit palati judicium. Et tamen hæc sic mixta sunt in homine, ut non sit sanguis absque spiritu et phlegmate, et pariter ad tuendam vitam conferunt omnia. Videmus quodvis animal mori simul atque sanguis efflnxerit; et, consumpto humore quem medici *radicalem* vocant, non aliter moritur homo, quam extinguitur lucerna consumpto oleo. Sed nimium diu moramur in contemplatione naturæ; quod tamen non inutiliter factum opinor a nobis, ut dilucidius fiat charitati vestræ mysterium in cujus contemplatione ideo versamur lubentius, quia salubrius. Nam, juxta naturæ considerationem, tunc ista magnam vim habent cum in vivo corpore sua munia peragunt, ac, juxta mysticam philosophiam, tunc demum plurimum valent cum corpus relinquunt.

VI. Nemo miratus est Dominum humano more spirantem ac respirantem : sed, cum in cruce clamore valido emisisset spiritum, simul intellectum est illum et verum fuisse hominem et verum Deum : hominem, quod juxta naturæ ordinem et ubi vitalem flatum emisisset, desiit vivere; Deum, quod simul cum ingenti clamore mortuus est, declarans se volentem ac spontaneum deponere vitam, quod humanarum virium nemo nescit non esse. Sensit efficax testimonium spiritus vicinus Centurio; sic enim narrat beatus Marcus : *Videns autem Centurio qui ex adverso stabat, quia sic exspirasset, ait : Vere hic homo Filius Dei erat* (*Marc.* xv, 39). Quid morte abjectius juxta carnem? sed nihil morte potentius juxta spiritum. Erat et illud præter naturæ cursum quod e latere exanimati corporis sanguis et aqua profluit, ut absolveretur triplex testimonium. Totum effudit spiritum ut nos respiraremus : quicquid erat humoris aquei reliquum, expressit, ut nos ablueremur : quicquid resederat in corde sanguinis, emisit, ut nos confirmaremur. Atque haud scio an perperam faciam hæc tria inter se conferens, cum sint unum, non natura, sed in mysterio. Si qua tamen est discretio, sanguis in testimonium ratione potissimum celebratur, quod in hoc Scriptura testatur esse vitam animantis, et ob id a cibis submovebatur edicto legis. Præterea magis est expositus hominum oculis sanguis quam spiritus aut aqua.

VII. Vita Domini, qui summus fuit martyr, quique et hodie pugnat et vincit in martyribus pluribus, fuit offendiculo. Non jam loquor de Pharisæis et Scribis, ipsis etiam cognatis ac fratribus fuit detestabilis, cum dicerent illum in furorem versum; sed mors illius non solum piis, sed impiis etiam fuit admirabilis, nec alibi magis verum fuit, quod *Dei virtus in infirmitate perficitur* (II *Cor.* xii, 9). Ibi fracta est Satanæ tyrannis, ibi devicti sunt inferi, ibi triumphatum est de diabolo, ibi dejectus orcus, cœlum apertum. Nimirum hoc erat quod instante mortis tempore deprecabatur Dominus : *Pater, clarifica filium tuum, ut filius tuus clarificet te* (*Joan.* xvii, 1). Quid homine mortuo contemptius? Quis enim veli Cæsarem mortuum metuat? Sed Christi morte quid efficacius? *Velum templi scissum est a summo usque ad imum*, terra concussa est, saxa discissa sunt, aperta sunt monumenta, revixerunt sepultorum corpora, sol medio die obtexit faciem suam (*Matth.* xxvii). Numquam per omnem vitam magis declaravit potentiam suam : mox, refractis omnibus mortis repagulis, vivum se discipulis exhibuit. Nimirum hoc est efficax illud sacrosancti sanguinis testimonium, qui solus potuit dirimere maceriam quæ Deum ab hominum genere separabat : solus potuit unica litura delere totum illud chirographum quod erat contra nos, et Satanæ in nos jus vindicabat. Neque enim sanguis hircorum aut vitulorum potuit abolere peccatum; umbræ erant illa et typi futurorum. Nec ullius hominis sanguis poterat tollere peccatum mundi, præter unici illius agni sanguinem cui Baptista tribuit testimonium, dicens : *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi* (*Joan.* i, 29).

VIII. Plus est tollere peccatum quam peccata, et peccatum, non hujus aut illius, sed mundi. Corpus enim peccati mundum universum occuparat : hoc per Christum esse sublatum, sanguis ipsius pro nobis effusus reddit evidens testimonium, melius pro nobis loquens, ut inquit Apostolus, quam sanguis Abel. Siquidem ille, clamans de terra, loquebatur vindictam : at Christi sanguis, de cruce clamans, pacem loquitur et reconciliationem. Quin idem sanguis, quoniam a nobis bibitur, si modo digne bibitur, clamat in cordibus nostris verba pacifica et solatii plena. Et illic triplex est testimonium, licet spiritali quodam modo. Clamat Spiritus, qui nobis arrhabonis loco datus est : *Abba pater, testificans quod sumus filii Dei* (*Rom.* viii, 16). Clamat aqua, per quam renati sumus, quod condonata sunt nobis omnia peccata; et si quis adhuc dubitat, accedit sanguinis testimonium, clamantis : quid adhuc hæsitas, quid adhuc pavitas tyrannum Satanam? ecce pretium quo te redemit Dei Filius. Nisi te salvum voluisset Deus, non tradidisset Unigenitum suum in mortem.

IX. *Nemo majorem charitatem habet, quam ut animam suam ponat pro amicis suis* (*Joan.* xv, 13). Si non est majus eximiæ benevolentiæ testimonium, quam si quis vitam impertiat amico, gravius est Dominici sanguinis testimonium, qui pro inimicis effusus est.

VARIORUM NOTÆ.

Vita Domini qui summus martyr fuit. Non existimo apud veteres Christum martyrem nuncupari. PAMEL.

Satanæ in nos jus vindicabat. Negligentia operarum apud Manutianum erat *judicabat*. PAMEL.

Ecce qui tollit peccatum mundi. Lugdunensis editio et Manutius legunt *peccata*, sed illud habet utraque Frobenii et Gravii editio, et genuinum esse constat ex interpretatione auctoris, quæ eadem est cum illa quam habet Erasmus in Annotationibus in Joannem; ita ut vel hinc confirmemur conjectura H. Gravii. PAMEL.

Digitized by Google

Effusus pro inimicis, fecit amicos ac filios Dei : atque ut consideremus hanc fore perpetuam amicitiam, reliquit nobis edendam carnem suam, reliquit bibendum sanguinem ; ut per eadem alerempur per quæ sumus redempti. Sanguinis aspersione confirmatum est vetus Testamentum, quemadmodum ad Hebræos scribens præclare docet beatissimus Paulus : Christi sanguine consignatum et corroboratum est novum Testamentum, hoc est testamentum et pactum gratiæ et remissionis peccatorum, per sanguinem Agni immaculati, qui in se recipere dignatus est totius mundi peccatum, quod omnes ex Adam contrahunt qui prodeunt in hanc vitam, et cujus contagio peccant quicumque peccant. Tanta autem est Christi sublimitas, ut fortasse non oporteat quemquam cæterorum hominum cum illo conferre, nisi ipse nobis tantam fiduciam præbuisset, qui non dedignatus sit discipulos suos vocare amicos, servulos suos vocare fratres et cohæredes. Quemadmodum igitur ille suo mirabili testimonio clarificavit Patrem in hoc mundo, atque etiam in cœlis: ita testimonium illius quodammodo consummatur testimonio sanctorum, quasi sit una passio Domini et servorum. Id ne quis existimet parum religiose dictum, beatus Paulus nobis patrocinatur, ita scribens ad Colossenses : *Qui nunc gaudeo in passionibus, pro vobis, et adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea pro corpore ejus, quod est Ecclesia* (*Coloss.* 1, 24). Quis enim nescit, fratres, quam uberem proventum effudit Ecclesiæ seges, Apostolorum ac cæterorum martyrum sanguine irrigata? Quo plus sanguinis effusum est, hoc magis effloruit multitudo fidelium : hoc latius sparsit suas propagines illa beata vitis a Christo stirpe surgens, et occupans orbem universum, quacumque patet ab Oriente ad Occidentem, ab Aquilone usque ad Austrum.

X. Ecce, fratres dilectissimi, a Domini redemptoris temporibus anni fluxerunt plus minus ducenti quadraginta; jamque hujus vitis palmites pene latius se sparserunt quam Romanum imperium, efferas etiam nationes musto Spiritus inebriantes, et quos nulla ferri vis domare potuit, emollit sanguis illius Agni candidi. Qui naturæ causas scrutantur, narrant adamantem nullæ chalybis duritiei cedentem, hircino sanguine maceratum, ictu malleorum dissilire : nullius autem adamas corde saxeo peccatorum durior. Hoc igitur cor ferreum, cor saxeum, cor plusquam adamantinum, emollit sanguis Christi, et hujus martyrum, qui supplerunt quod illius passionibus deerat. Hoc argumento summus ille pastor, et ut Petrus ait, princeps pastorum, testificatus est se esse pastorem bonum, quia animam suam posuit pro ovibus, nobis exemplum præbens, ut qui pro nostra qualicumque portione vices illius gerimus, parati simus et ipsi pro grege Dominico sanguinem fundere, nisi malumus videri mercenarii quam pastores. Domini verbis congruunt verba discipuli. Cum enim dixisset se gaudere in passionibus, quibus consummaret passiones Christi, perpetiens et ipse pro corpore Christi, quod est Ecclesia, qualia passus erat Dominus; causam adjecit cur ea libenter pateretur : *Cujus*, inquit, *factus sum minister secundum dispensationem Dei, quæ data est mihi in vobis, ut impleam verbum Dei* (*Coloss.* 1, 25). Et alio quodam in loco scribit se replevisse Evangelium. Sicut ergo mortibus martyrum consummantur passiones Christi, ita sanguine pastorum confirmantur promissa Christi. Nullum enim instrumentum indubitabilius, quam quod tot martyrum sanguine signatum est. Hoc nimirum est implere verbum Dei, hoc est replere Evangelium.

XI. Sed interim gravissimus dolor oboritur animo meo, dilecti, dum mecum reputo, cum adhuc recens ille Christi sanguis fervere debeat in cordibus fidelium, tam multos esse in quibus refrixit charitas : atque hoc gravius discrucior, quod tales non paucos pastores habeat Ecclesia, qui, non solum non opponunt corpora sua adversus luporum incursus, verumetiam ipsi lupos agunt, dum mactant ac perdunt animas simplicium, ipsi ventri suo, quæstui, et ambitioni servientes, adeoque non implent verbum Dei, ut illud cauponentur potius et impiis dogmatibus adulterent; nec cogitant quod ille pastorum Princeps severissimo judicio reposcet singulas oves, pro quibus redimendis sanguinem suum fuderat, de manibus eorum. Sed illos suum manet supplicium : nunc melius est ut, omissis querelis, nos invicem ad officium quod Christo debemus exhortemur.

XII. Triplex a Christo testimonium accepimus, triplex illi testimonium reddamus oportet. Rudimenta fideliter tradamus baptizandis, perfectiora baptizatis. Confirmemus illos fructibus Spiritus ad cœlestem vitam provocantes, et si res postulet, libenter etiam vitam commisso nobis gregi impendamus, nostraque morte vicissim Deum clarificemus. Et ne cui videatur mirum morte hominum glorificari Deum, audi beatum Joannem in Evangelio de Petro, cui Dominus prædixerat fore, ut ubi senuisset, ab alio cingeretur et duceretur quo nollet, ita loquentem : *significans qua morte esset glorificaturus Deum.* Quotquot igitur ab orbe condito propter Deum, propter justitiam ac pietatem mortui sunt, morte sua glorificaverunt Deum. Nam eleemosynas, jejunia, precationes, aliaque pietatis exercitamenta simulant etiam hypocritæ : mortem nemo suscepit alacriter, nisi qui

VARIORUM NOTÆ.

Anni fluxerunt plus minus ducenti quadraginta. Hoc addidit auctor ut putaretur vetustum opus, sed ipse sibi contradicit hac periodo, dum jam ea ætate latius sparsam dicit fidem, quam Romanum imperium ; neque enim id ante tempora Imperatoris Constantini verum fuisse satis constat. PAMEL.

Vices illius gerimus. Hoc rursum auctor addidit ut episcopus putaretur. PAMEL.

Cum adhuc recens ille Christi sanguis, etc. Etiam hoc ad subornationem pertinet. Neque vero uspiam Cyprianus malos pastores lupos nuncupat, sed solos, juxta Scripturam, hæreticos. PAMEL.

Digitized by Google

certo persuasum haberet, nihil adversi posse accidere iis qui persistunt in charitate Dei.

XIII. Neque tamen statim martyr est qui occiditur : occiduntur et sicarii et piratæ ; non supplicium facit martyrem, sed causa. Quod si qui leguntur sibi fortiter conscivisse necem, aut infirmitas erat morte quærens dolorum finem, aut ambitio, aut dementia. Nec hoc est testimonium præbere Deo, id facere quod et Deo displicet, et gentium etiam legibus prohibetur. Plurimum interest inter barbaricam immanitatem et martyrum modestissimam constantiam, in se imbecillem, in Christo fortem. Sunt qui certis artibus corpus stupefaciunt, ne sentiant cruciatus : hoc modo se quidem malefici muniunt adversus carnificum manus. Sunt et affectus impotentes, qui sensum adimunt animo, ita ut vel mortem impavidi perferant. Sed placidum illud ac mansuetum, illud humiliter sublime et sublimiter humile non videmus nisi in Christi martyribus. Non obtuentur trucibus oculis carnificem, non minitantur tyranno : magis dolent de illorum cæcitate quam de suis afflictionibus. Scilicet clamat et in illis Christus : *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt* (*Luc.* XXIII, 34). Non aliud spectant quam in cœlum, ubi spem omnem habent repositam. Sic ipse Dominus velut agnus sine voce ad mactationem ductus est : et si quam edidit vocem, ea magis declaravit animum mitem ac placidum, quam ullum potuisset silentium. Quam blanda oratione compellat Judam proditorem ! quam placide respondit cæsus alapa ! quam nihil ferocius loquitur Annæ et Caiphæ ! quam tranquille respondit Pilato ! Denique, cum Pharisæi, veluti victores, moverent capita sua, amarissimis conviciis in illum debacchantes, ille mitissimus clamat : *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.*

XIV. Non igitur mori per se testimonium est ; sed sic mori est testimonium præbere Deo. Stephanus juvenis inter homicidas, agnus inter lupos, stabat placido angelicoque vultu et ad Domini exemplum orabat pro lapidantibus, nec alibi habet oculos quam in cœlum. Illic videre meruit cujus præsidio superior erat persequentibus. Qui vero timet Deum, non metuit hominum sævitias. Qui ex animo diligit vitam cœlestem, facile vilem habet animam ; atque illi, cum beato Paulo, *vivere Christus est, mori lucrum* (*Phil.* I, 21). An non ingens lucrum est hanc et brevem et innumeris malis contaminatam vitam cum sempiterna felicitate commutare ? Hic Dominus, quemadmodum et in cæteris omnibus, sese formam nobis exhibuit. Quum enim instaret extremus actus martyrii, quem aiunt in fabulis oportere esse optimum, secessit, abjecit sese in terram, prolixe atque etiam frequenter, ac sanguineo sudore madescens, nostræ naturæ in se expressit imbecillitatem, ante testatus animi tædium ac tristitiam usque ad mortem, ne nos in desperationem caderemus si, cum omnia mortem præsentem intentant, horrorem naturæ senserimus. Nisi enim adesset sensus dolorum, nihil haberet admirabile martyrium : sed superare dolorem, corona dignum est. Horrere mortem, naturæ est, vincere naturam animi fortitudine, gratiæ est. Omnia potest Paulus, sed in eo qui ipsum corroborat. Sed quibus præsidiis vincitur naturæ infirmitas ? Si nos totos humi prosternamus, hoc est, si nihil omnino tribuamus viribus nostris ; si vigilemus et oremus instanter ; si nostram voluntatem divinæ voluntati submittamus, dicamusque illa ex animo, ex toto corde : *Transeat hic calix, si fieri potest ; sed fiat, non sicut ego volo, sed sicut tu vis* (*Matth.* XXVII, 7, 36).

XV. Novi ego ac flevi quosdam magna animi fortitudine præditos, qui, jam coronæ proximi, defecerunt, et quem diu professi fuerant, abnegarunt. Quid fuit in causa ? Dimoverant oculos suos ab eo qui solus robur dat infirmis, intermiserant orationem, ac cœperant ad humana præsidia respicere. Contemplabantur suæ naturæ vincula, considerabant aculeos, ungulas, candentes laminas, ferrum et ignem, reliquumque carnificinæ apparatum, etiam aspectu horrendum, et cruciatuum atrocitatem cum suis viribus conferebant, et ideo victoriam amiserunt e manibus. Ubi quis ita cogitat : « Hoc possum, illud perpeti non possum ; » numquam feliciter peraget martyrium. Sed qui se totum tradit divinæ voluntati, non alio spectans quam ad illius opem, is demum firmus est et invictus. Hoc autem fieri non potest, nisi adsit vera ac vivida fides, nihil hæsitans, nihil disquirens : ne cogitaveris quanta sit tyranni sævitia, quanta hominis imbecillitas, sed quanta sit Domini virtus, qui certat ac vincit in membris suis.

XVI. Ergo, ut a digressione reflectamus ad id quod erat constitutum, quemadmodum Domini mors potentior erat quam vita, ita voluit martyrum suorum mortem esse potentem. Quid enim infirmius quam vinciri, damnari, cædi, cruciari, occidi, et ad carnificis arbitrium præbere corpus ? Hæc species interdum misericordiam movet etiam sævissimis tyrannis. Verum, ubi jam monumenta martyrum pelluntur morbi, rugiunt dæmones, terrentur monarchæ, coruscant miracula, concidunt idola : tum apparet quam sit efficax ac potens martyrum sanguis. *Præsentia infirma, epistolæ graves* (II *Cor.* X, 10), audivit beatissimus Gentium Doctor ; hoc et ad martyres recte accommodabitur ; vita infirma et contempta, mors gravis ac potens. Jam non est par omnium martyrum in

VARIORUM NOTÆ.

Non supplicium facit martyrem, sed causa. Sumpsit quidem hoc ex D. Cypriano, sed quod ille contra hæreticos, iste adversus eos qui mortem sibi consciscunt, et maleficos in medium adducit. PAMEL.

Non minitantur tyranno. Non per omnia hoc verum esse patet, vel ex solo Prudentio, ubi et Laurentius et Romanus martyres contra faciunt, immo et Machabæi martyres non erunt, si huic auctori credendum sit. Caute itaque hic locus legendus, ne favere videatur pseudomartyribus nostri sæculi. PAMEL.

Jam non est par omnium martyrum in tormentis alacritas. Morel. et Manut. *martyrium*, verum non placet. PAMEL.

Digitized by Google

tormentis alacritas, quemadmodum nec omnes eodem genere mortis defungantur. Tres illi beati pueri in mediis flammis invenere refrigerium, et septi innocuo elemento, velut in conclavi canebant hymnum Domino. Daniel item citra noxam, leonum sodalitio est usus. Beatus Andreas, ut habet humana quidem historia, sed satis probatæ fidei, gaudens sibique gratulans ibat ad crucem. Alii diutius ac variis cruciatibus subinde moriuntur, nec tamen morte datur finire dolorem. Est igitur et illud veri martyris, hoc quoque totum arbitrio Dei committere. Novit ille quid expediat nobis et quid ad ipsius gloriam maxime conducibile sit. Tantum illud assidue cogitandum est: *Sive vivimus sive morimur, Domini sumus* (*Rom.* XIV. 8). Nec sibi quisquam displiceat, si corpore pariter et animo sentiat gravem ac diutinam molestiam, tantum fidat ei cui certat: *is non patietur quemquam tentari supra id quod potest, sed faciet etiam cum tentatione proventum* (I *Cor.* X, 13). Quosdam electos interdum patitur in tormentis deficere, ut agnoscant imbecillitatem suam, atque eosdem post fortissimos reddit in certamine. Hac dispensatione Petrus ter abnegavit Dominum, ut, edoctus quam nihil posset suis viribus, confirmaret fratres suos. Quomodo autem confirmaret? Ut sibi diffisi, fiduciam omnem collocarent in Domino.

XVII. Sed jam tempus est ut de altero martyrii genere disseramus charitati tuæ, de quo etiam accuratius est disputandum, quod occultum sit et omnium temporum commune; neque enim semper sæviunt Nerones, Diocletiani, Decii ac Maximini, numquam tamen cessat diabolus exercere Christi militiam professos. Et fortassis erunt posthac, donante Christo, tempora quibus nullæ tyrannorum persecutiones affligent Ecclesiam: numquam tamen defutura sunt certamina, numquam martyria quibus homines pii glorificent Deum. Ecclesia quidem adhuc in hoc exilio militans, peculiaribus gaudiis applaudit iis qui in professione nominis Jesu animas suas fideliter deposuerunt, et ad horum memorias magna cum alacritate concurritur: sed cœleste theatrum, Angelorum myriades et justorum cum Christo regnantium innumerabilis populus applaudunt omnibus qui sinceram fidem et charitatem invictam, quam habent erga Dominum Jesum, integritate et innocentia vitæ testificantur.

XVIII. Nec solum professione fidei, quæ juxta Paulum, ore fit ad salutem, glorificatur Deus, verum etiam confessione commissorum. Hæc ne temere ex nobis ipsis loqui videamur, adducenda sunt Scripturarum testimonia. Ergo, nisi piorum vita cederet in gloriam Dei, Christus non diceret in Evangelio: *Ut videant opera vestra bona, et glorificent patrem vestrum qui in cœlis est* (*Matth.* V, 16); nec Paulus Apostolus scriberet Galatis: *Et in me glorificabant Deum* (*Gal.* I, 24). Confirmatur hoc et per repugnantiam ex his quæ diximus. Etenim, si nomen Dei polluitur ac dehonestatur impia vita sui populi, atque bona illius vita cohonestatur. Damnatur apud Apostolum et philosophorum impia sapientia, *qui, cum Deum cognovissent, non tamen eum ut Deum glorificaverunt* (*Rom.* I, 21). Sapientiam profitebantur, et summam exhibebant stultitiam. Itaque, cum Deum esse profiterentur, tamen, turpiter viventes et idolis sacrificantes, falso testimonio quodammodo obscurabant Dei gloriam, quasi nec justus esset nec verax, aut quasi non unus esset, sed multi, aut quasi saxis esset assimilis. Id autem evidentius etiam testatur beatissimus Paulus, scribens ad Corinthios: *Empti*, inquit, *estis pretio magno, glorificate et portate Deum in corpore vestro* (I *Cor.* VI, 20). Ideo Deus redemit nos pretio sanguinis sui ut, semel a peccatis expurgati, deinceps vitam ipso dignam ageremus.

XIX. Ac symbolum imperatoris gestamus impressum frontibus nostris. Quid si gerens signum Christi, præstet opera Belial? nonne dedecoratur ille cujus insignia gerimus? Contra sicut imperator sibi placet de milite præstremo, sic existimans illius virtutem ipsi decori et ornamento esse: sic Deus gloriatur in his quos redemit, quos lavit, quos sanctificavit, quos Spiritus donativo dignatus est, si vitæ sanctimonia declararint Domini gratiam in ipsis non fuisse vacuam. Si Paulus gloriatur in discipulorum pietate, gaudium et coronam suam illos appellans, qui nihil erat nisi dispensator alieni muneris, annon Dominus magis gloriatur super his pro quibus mortuus est? Jam quod in libro Job ad hunc modum Satanæ loquitur Dominus: *Num animadvertisti servum meum Job, quomodo non sit ei similis super terram, homo simplex et rectus ac timens Deum, et recedens a malitia* (*Job.* I, 8)? nonne sermonem profert de suo cultore gloriantis? Beatus autem Paulus splendidiore etiam verbo usus est, scribens secundam ad Corinthios Epistolam: *Deo autem gratia, qui semper triumphat nos in Christo Jesu, et odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco: quia Christi bonus odor sumus Deo* (II *Cor.* II, 4). *Melius est nomen bonum super unguenta pretiosa* (*Eccli.* VII, 2). Scriptura gloriosam famam appellare solet odoramenta. Non tamen Deus gloriatur hominum more, sibi placens ac gestiens, sed nostram salutem ducit gloriam, et ideo subjecit Apostolus: *In his qui salvi fiunt, et in his qui pereunt.* Quomodo glorificatus Deus in his qui salvi fiunt? quoniam illius illustratur misericordia. Quomodo in his qui pereunt? quoniam in his declaratur illius justitia.

VARIORUM NOTÆ.

Ut habet quidem humana historia. Hæc quoque phrasis veteribus incognita, qui non humanas, sed ecclesiasticas historias nuncupant. PAMEL.

Diocletiani Morelius conjicit legendum *Valeriani.* Verum, etsi id fiat, plura sunt alia quæ Cypriani non esse convincunt. Neque vero uspiam de altero hoc martyrii genere apud illum sermo est. PAMEL.

Paulus apostolus scriberet Galatis. Recte sic Manutius pro *Corinthiis.* PAMEL.

Digitized by Google

XX. Nunc ipse sermonis cursus nos eo deduxit ut doceamus et peccatorum confessione glorificari Deum. Hic occurrit protinus ex libro Jesu Nave Achan, qui, quoniam, contra divinum edictum, sustulerat ex anathemate pallium coccineum insigne, ac ducentos siclos argenti, ac linguam auream siclorum quinquaginta, populus Israel terga vertit hostibus. Itaque Josue dixit Achan : *Fili mi, da gloriam Domino Deo Israel, et confitere, atque indica mihi quid feceris, ne abscondas* (*Josue* VII, 19). Confessus, dedit pœnas, et aversus est furor Domini. Ea confessio clarificavit Dei justitiam ac sapientiam : sapientiam, quod illius oculis nihil esset abstrusum ; justitiam, quod non sine causa passus esset hostes adversus Israelem invalescere, quodque leges ipsius nullus hominum impune violat. Nihil erat magni quod suffuratus erat Achan : magnum tamen erat documentum universo populo, quantum periculum sit Dei jussa negligere, eique velle imponere quasi quidquam illum fugeret, aut quasi faveret prævaricatoribus. Atque ille quidem cum esset Judæus, ob unicum peccatum, quod ipsi leve videbatur, severissimas pœnas dedit, lapidatus ab universo populo, corporis interitu salutem animæ redimens. Non enim judicat Deus bis in idipsum.

XXI. Sed quæ pœna manet illos qui, post tantam Evangelii lucem et gratiam, postea quam semel illuminati sunt, gustaverunt etiam donum cœleste, et participes facti sunt Spiritus sancti, gustaverunt æque bonum Dei verbum virtutesque sæculi venturi, in multa atque immania crimina relabuntur, crucifigentes sibimetipsis Filium Dei et ostentui habentes ? Qui hoc sunt etiam miserabiliores, quod, cum tales sint, aspernantur tamen pœnitentiæ salutaris remedium, contemnunt Ecclesiam maternum gremium offerentem et ad sanitatis instaurationem invitantem. Ejusmodi defectio quantam putas ignominiam inu Ecclesiæ ? Nec ea ignominia non potest pertinere ad Christum qui est caput Ecclesiæ, et per omnia sumn esse ducit quod est corporis ac membrorum ipsius. E diverso, quanta totius Ecclesiæ exultatio cum qui lapsus est, per pœnitentiam Ecclesiæ reconciliatur ? Ac ne putemus hoc gaudium apud nos tantum esse, Dominum audiamus in Evangelio κατὰ Lucam loquentem : *Ita dico vobis, quod gaudium erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta novem justos, qui non indigent pœnitentia* (*Luc.* XV, 9). Nam hæc clausula finit parabolam de pastore qui, relictis nonaginta novem ovibus, unam quæ a grege aberraverat multo labore quæsitam ac tandem inventam, imposuit humeris suis, et caulæ restituit. Simili sententia claudit parabolam de muliere quæ drachmam perditam invenerat : *Ita, dico vobis, gaudium erit coram Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente* (*Ibid.*). Nec tamen hoc sic accipiendum est, quasi Deo et ejus Angelis gratius sit post lapsum redire ad pietatem, quam citra lapsum perseverare in innocentia : sed Scriptura suo more loquitur secundum affectus humanos, illud testatum esse volens Deo gratissimam esse peccatorum conversionem : *Non enim quærit mortem peccatoris, sed magis ut convertatur et vivat* (*Ezech.* XVIII, 32).

XXII. Atque interdum piorum hominum lapsus, quamvis enormes, divina dispensatione vertuntur in summum Ecclesiæ profectum. Sic lapsus est Apostolorum princeps, sic Paulus gentium doctor, sic Maria Magdalene, quibus nunc Ecclesia præcipue gloriatur, quorum lapsus cesserunt in stabilimentum ac solatium domus Dei. Præterea non hic loquitur de vere justis, sed de justitia pharisaica, quemadmodum alibi dicit : *Non est opus sanis medico, sed male habentibus* (*Matth.* IX, 12). At non erant sani quibus hoc dicebat Dominus, sed, Legis qualicumque observatione tumidi, sibi videbantur sani, et ideo non desiderabant medicum.

XXIII. Hæc cum ad hunc habeant modum, desiderate frater, conemur assiduis exhortationibus excitare fidelium animos, ut tota etiam vita martyrium, hoc est testimonium, reddat Deo ; quod adeo negligendum non est, ut, nisi ea præcesserit, martyrium quod sanguine perhibetur non sit martyrium. Frustra enim cervicem præbueris carnifici, nisi prius occideris membra quæ sunt super terram, hoc est affectus qui militant adversus spiritum, odium, invidiam, avaritiam, libidinem : quibus quicumque servit, Deum quodam modo abnegavit, et, Christum ore profitens, vita Satanam deum confitetur. Nec hic sermo debet cuiquam videri durior, cum sit verax ac salutaris : quidquid homo quivis Deo anteponit, sibi deum facit, nec possumus duobus servire dominis : unus enim est Deus ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus diligendus.

XXIV. Quisquis igitur ore dicit : « Credo in unum Deum, » et servit avaritiæ, aut libidini, aut luxui, sibi mentitur sibique repugnat, aliud lingua sonans, aliud animo celans ; voce tantum testimonium perhibens Deo, cum vita Satanam colat. Efficacius autem est vitæ quam linguæ testimonium : *Non omnis qui dicit : Domine, Domine, intrabit in regnum, sed qui facit voluntatem Patris cœlestis* (*Matth.* VII, 21). Habent et opera suam linguam facundiam, etiam tacente lingua. Ideo Dominus in Evangelio κατὰ Joannem ita loquitur : *Opera quæ dedit mihi Pater ut perficiam ea, ipsa opera quæ ego facio testimonium perhibent de me* (*Joan.* V, 36). Quemadmodum igitur bona opera profitentur Deum, ita mala quodam modo loquuntur : *Non est Deus, nec scientia in excelso.* Quis non contremiscat,

VARIORUM NOTÆ.

Achan. Morelius *Achar.* Et sic etiam LXX, sed versio hæc mixta est ex vulgata editione Hieron. et LXX. Hoc autem mirum, quod pœnitentiam lapsorum martyrium quoddam facere videatur. PAMEL.

Kata Lucam. Manutius quidem hic et postea reposuit *secundum.* Verum quod illud Cyprianicum sit, puto auctorem sic ex instituto scripsisse. Est autem etiam, præter veterum sententiam, hujus loci expositio. PAMEL.

Digitized by Google

quis non inhorrescat, quis non laceret vestimenta sua, quis non obturet aures suas, si tales voces audiat ex Christiano? Quantus horror, quantus dolor occupat animos nostros cum quis, victus tormentis, jussus abnegare Christum, abnegat, et ad Jovis statuam thus adolet? Quam trepidamus metuentes ne Deus iratus fulmen in nobis vibret iræ suæ, ne terra dehiscens nos absorbeat? ut interdum unius impietas supplicii consortio multos involvat; et sunt scelera tam immania, ut vidisse quoque aut audisse sit detestabile. Sed cur alias in simili crimine tam sumus conniventes? cur et nobis adeo blandimur et aliis? At vide quid de talibus loquitur Apostolus scribens Tito : *Profitentur se nosse Deum, factis autem negant* (*Tit.* I, 16). Idem in priore ad Timotheum de vidua quæ negligit familiam : *Si qua autem suorum, maxime domesticorum, curam non habet fidem negavit, et est infideli deterior* (I *Tim.* v, 8). Si fidem negavit quæ negligentius habet suam familiam, quid dicturum putas de his qui se totos dediderunt mammonæ et ventri? De Christianis utique loquitur Paulus scribens Philippensibus, cum ait ; *Quorum finis interitus, quorum deus venter est* (*Phil.* III, 19). Quos eosdem taxat, scribens Romanis : *Hujusmodi Christo Domino non serviunt, sed suo ventri* (*Rom.* XVI, 18). *Servire*, juxta Scripturarum consuetudinem, dixit pro *colere*. Ventrem colunt, cum quem habent pro deo. Jam de avaritia manifestius etiam pronuntiat, scribens ad Colossenses : *Mortificate*, inquit, *membra vestra quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam et avaritiam, quæ est simulacrorum servitus* (*Col.* III, 5).

XXV. Execramur eos qui procumbunt ad Dianæ simulacrum : quanto justius eos execramur qui toto pectore serviunt mammonæ, qui illi quotidie sacrificant? Et si avarus est idololatra, qui pecuniæ studio tenetur, qui quod hæreditate obvenit aut industria partum est recondit, nec erogat in egenos; quid censendum est de his qui lenocinio, qui fœnore, qui rapto, qui fraude, qui calumniis, qui opprimendis pauperibus rem accumulant? Atque hæc idolorum servitus non solum invenitur inter Christianos, verum etiam, quod gemendum est, inter episcopos. Porro temulentia adeo communis est Africæ nostræ, ut propemodum non habeant pro crimine. Annon videmus ad martyrum memorias Christianum a Christiano cogi ad ebrietatem? An hoc levius crimen esse ducimus, quam hircum immolare Baccho? Mihi videtur multo gravius, si rem recta ratione velimus expendere. Cum tyrannus dicit : « Abnega Christum, et immola Jovi, et esto amicus noster; aut morere : » sæpe lingua negat, corde reclamante, et manus adolet thus, cum animus intus adoret Christum : quamquam hoc quoque gravissimum est crimen, tamen aliquam impietatis culpam elevat humanæ naturæ imbecillitas. Ibi Satanas tibi loquitur voce tyranni : at quid tibi dicit idem per tuam concupiscentiam : « Abnega Christum, et este dives : sacrifica Mammonæ, et Christo *nuntium* remitte. » Quid est quod pollicetur? aurum et argentum, inutilem materiam nisi exerceas. Nec dicit, « Morere, » sed, « Oblecta oculos; » immo potius hoc dicit : « Lucrare pecuniam, ad breve tempus habiturus, *perde in* æternum animam tuam. » Et tamen hic sponte submittis genua Satanæ, et, abnegato Christo, te *totum illi* mancipas. Quid autem Christus? « Meus esto, et vive in æternum; contemne divitias illas *temporarias*, et ego tibi centuplum reponam in hoc sæculo, et vitam æternam in futuro. Relinque terram, et accipe cœlum. » Ac Deus ista pollicens deseritur; et diabolus tam nihili res easque falso promittens, adoratur. O *fœdam* defectionem! o turpem idololatriam! o iniquam permutationem! Quo præmio sollicitavit humani *generis* primos auctores? Ostendit pomum, et dedit mortem. Mendacio fefellit : *Non moriemini, sed eritis sicut dii, scientes bonum et malum* (*Gen.* III, 4, 5). Atque illi delusi, qualem dominum deseruerunt, et ad quem defecerunt? a qua felicitate exciderunt, et in quas ærumnas semet conjecerunt? Sed idem ille tenebrarum princeps qui Evæ locutus est per serpentem, nobis loquitur per satellites suos ac ministros, per lenas et lenones, per eos qui pelliciunt ad amorem pecuniæ, ad ambitionem, ad voluptatem, avocantes a sinceritate quæ est in Christo Jesu. Idem ille loquitur nobis per concupiscentias nostras, quæ vivunt in membris nostris. Nec dicit quod homo tyrannus, « Aut mihi obtempera, aut morere; » nec ostentat carceres, catenas, uncinos, sartagines, aut caminos incensos, non cruces, laqueos aut gladios; sed tantum : « Contemne Deum, renuntia vitæ cœlestis hæreditati, et committe adulterium, et capies voluptatem. » Sed qualem? Momentaneam, et corporis *tantum*, *quot autem* amaritudinibus conditam? infamia, periculo, super omnia vero secreto conscientiæ cruciatu. Hæc est esca diaboli, hoc auctoramentum. Stipendium porro quale est? Dicat majore cum fide beatus Apostolus : *Stipendium peccati mors est* (*Rom.* VI, 23). Quæ mors? corporis, quam solam minitatur et inferre potest tyrannus homo? non, sed mors gehennæ, quæ finem nescit. Plus potest homo tyrannus quam diabolus. Ille quodammodo cogit hominis naturam, nihil aliud potest quam sollicitare : dejicere non potest, nisi assentiaris, contempsisse vicisse est.

XXVI. Major itaque venia debetur Christum in tormentis abneganti, quam sponte assentienti diabolo, cui credidisse est Christum abnegasse. Ille mendax est et omnis mendacii pater, illius promissa, quantumcumque fronte blandiantur, nihil aliud sunt quam prestigiæ pellicientes in exitium. Ne quis itaque sic sibi blandiatur : « Sum peccator, amo pecuniam, servio libidini, studeo honoribus, indulgeo vindictæ,

VARIORUM NOTÆ.

Porro temulentia adeo communis est Africæ, etc. Quod præmisit de episcopis, habet ex lib. Cypriani *de Lapsis*; hoc vero ex D. Augustino Epist. *ad Auxilium*, ut putetur Africanus esse. PAMEL.

Carceres, catenas, uncinos. Omnino sic legendum. PAMEL.

Digitized by Google

deditus sum voluptatibus : sed Christum non abnegavi.» At reclamat tibi Dominus ipse : *Non potes duos dominos colere* (*Matth.* VI, 24). Et interim horres abominandum thurificati aut libellati cognomen, ipse fortasse thurificatis aut libellatis deterior. Illos humanus metus violentior, quam ut Dominis natura possit vincere, eo compulit, ut impias voces promant lingua, reclamante conscientia ; tu tam vili mercedula sollicitatus, sponte deficis ad eum a cujus tyrannide te Christus suo sanguine redemit : cujus jam totus es factus, quemadmodum ait Apostolus : *Empti estis pretio magno*, et : *Jam non estis vestri* (I *Cor.* VI, 20, 19). Hujus militiam professus est ad salutare lavacrum, huic dedisti nomen, hujus sacramentis initiatus es, accepisti donativum et pignus Spiritus, ne quid dubitares de promisso stipendio, simulque diabolo denuntiasti perpetuas inimicitias, renuntiasti omnibus illius pompis ac voluptatibus ; exsufflasti, exsibilasti, jurasti in verba Redemptoris : cumque tot vitiis servias, tibi places quod nondum sis thurificatus aut libellatus.

XXVII. Si quis miles juratus in verba Cæsaris, profugeret ad Turcam, et ex illius arbitrio faceret ea quæ sciret ingratissima Cæsari ; nonne comprehensus ad supplicium raperetur ut desertor, ut perjurus, ut perfuga? Quis autem audiret eum ita defendentem : «Non sum desertor, non abnegavi Cæsarem? Annon mox audiret : «Quid refert si lingua tacuit? Reipsa abnegasti, et plusquam abnegasti, qui non solum deseruerit militiam, verum etiam ad tyrannum et hostem imperatoris tui irreconciliabilem transfugeris.» Merito fidelium aures abominantur *apostatæ* vocabulum : verum hoc non ibi tantum exsecrandum est, cum incenso thusculo aut scripto libello renuntiatur professioni nominis Christi ; sed ubicumque contemptis Christi legibus, obtemperatur Satanæ. Nec enim refert quid sonet lingua ; quæ si sonet Christum, cum animus sit deditus criminibus, non est professio, sed hypocrisis, abnegatura Christum si metus urgeat qui premit thurificatos aut libellatos. Atque in his rebus quæ sic inter se pugnant, ut neutra ferat alterius consortium, quoties hanc amplectimur, aliam abdicavimus ; quoties unam rejecimus, alteram agnoscimus. Cujusmodi sunt lux et tenebræ, bellum et pax, mors et vita, Deus et Belial ; quemadmodum testatur et beatus Paulus in secunda ad Corinthios : *Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? quæ autem conventio Christi ad Belial?* Adhæsisse Belial, est abnegasse Christum, utcumque lingua aut habitu Christum profitearis.

XXVIII. De hoc si quis simpliciorum dubitarit, dabo argumentum crassum et evidens. Fingamus tyrannum ita loqui Christiano : « Incende thus Jovi ; » nihil addentem nec exigentem ut Christum abneget : si adoleverit, nonne cunctis manifestum erit illum hoc ipso Christum abnegasse, quod Jovi fecerit thymiama, etiamsi nihil proferat impium in Christum? Quemadmodum qui magicis artibus utuntur (a quo malo nos Domini misericordia liberavit, sicut a cæteris omnibus quibus, juxta veterem hominem quondam ambulantes, tenebamur), tacite Christum abnegant, dum cum dæmonibus habent fœdus. Jam, si Machabæi fratres una cum matre maluerunt tot cruciatibus exanimari, quam carne suilla vesci, sic æstimantes enim Deum Legis auctorem negare, quisquis sciens ac volens legis præcepta violat, quo pacto sibi blanditur qui in luxu, temulentia, avaritia, rapinis, adulteriis aliisque criminibus consenescunt, quæ gentium etiam leges noluerunt esse impunita? Et cum tot modis Christum abnegent, cum toties immolent dæmonibus, pro Christianis haberi postulant? Atque in his sunt qui palam ista committunt, ac propemodum etiam gloriantur in rebus pessimis ; adeo non pudet aut piget admissorum ! et tamen audent venire in Ecclesiam sanctorum, audent misceri gregi Dominico. Tales interdum tolerat Ecclesia, ne provocati magis etiam perturbent populum Dei : sed quid prodest non ejici cœtu piorum, si meruerit ejici? Nam ejici remedium est, et gradus ad recuperandam sanitatem : ejectionem meruisse, summa malorum est. Ac frustra miscetur cœtui sanctorum in templo manufacto, si submotus est a consortio Dei et ab universo corpore mystico Christi.

XXIX. Oportet autem et illud considerare quantopere Christiani abhorrent ab idolothytis et ab ingressu fanorum, atque ab ipsis etiam simulacris. Cum beatus Paulus clamet neque idolum esse aliquid neque idolothytum, multo minus fanum ex lapidibus constructum est aliquid : et tamen plurimorum animus ea religione tenetur, ut mortem oppetant citius quam gustent idolis immolatum : et inexpiabile piaculum esse ducant, si ingrediantur fanum Jovis aut Apollinis aut Dianæ, seque putent contactu simulacri vehementer contaminari. Equidem probo taliùm religionem, si sibi constet in omnibus. Nunc, proh dolor! videre est quosdam in his pene superstitiose trepidos, in aliis ubi gravior erat metuendi causa, nimium esse securos. Per se non inquinat animam contactus idoli, nec ingressus fani, nec esus idolothyti : sed per se polluit conscientiam amor pecuniæ, incestus, rapina, hypocrisis et his similia monstra. Quam vero congruit horrere fani ingressum, nec horrere in templo Spiritui consecrato victimas immolare dæmoniis?

VARIORUM NOTÆ.

Thurificati aut libellati nomen. Hoc iterum ex D. Cypriano, qui tamen *libellaticos* nuncupat. PAMEL.

Ne quid dubitares. Nimis sæpe inculcat hanc certam in Dei fidem. PAMEL.

Turcam. Ita sorex suo indicio deprehenditur. PAMEL.

Utcumque lingua et habitu Christum profitearis. Caute et hoc legendum. PAMEL.

A quo malo nos Domini misericordia liberavit. Hoc etiam addidit, ut Cypriani videretur hic liber, quippe quem magicas artes professum fuisse, quamquam perperam, quidam tradunt. PAMEL.

Machabæi. Recte sic Manutius, pro eo quod erat, *Maccabæi*. PAMEL.

Digitized by Google

Clamat sanctus Paulus scribens Corinthiis : *Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus* (I *Cor.* III, 16). Rursus in eadem Epistola : *An nescitis quoniam membra vestra templum sunt sancti Spiritus qui in vobis est, quem habetis a Deo, et non estis vestri?* (I *Cor.* VI, 19.) Quod si Christianorum pectora sibi consecravit Deus, ut in illis inhabitet per Spiritum suum, illic deliciatur et inambulat, illic amat sibi offerri victimam puram in omni loco. Et qui in hoc templum Deo sacrum, ejecto sancto Spiritu, inducit abominationes quas in mystica visione conspexit Ezechiel; qui illic sedem facit Mammonæ, Veneri, Como, Baccho, aliisque portentis; qui ibi dæmonibus immolat spurcissimas hostias, veretur ingredi fanum gentium ne contaminetur. Proinde nemo sibi frustra blandiatur, *Deus non irridetur* (*Gal.* VI), constet sibi nostra religio, nec alios detestemur, ipsi gravioribus obnoxii criminibus : nec alibi simus religiose timidi, alibi impudenter impii. Sed, Christum semel professi, tota vita reddamus illi testimonium, et undique glorificemus illum, obedientes illius præceptis; ut in hoc cognoscant homines quod vere fidimus illi, quod ex animo diligimus illum, et quod non simulate ad sacrum lavacrum adduximus nos illius militiæ.

XXX. Beatus Apostolus prædixit nulli pie vivere volenti in Christo Jesu defuturam persecutionem. Si deest tyrannus, si tortor, si spoliator, non deerit concupiscentia, martyrii materiam quotidianam nobis exhibens. Postremo hæc ipsa mala quæ secum defert vita mortalium, quæque piis cum impiis communia sunt, martyrii coronam nobis parabunt, si placide, si cum gratiarum actione pertulerimus. Neque privati sunt martyrii gloria quicumque violenta morte consummati non sunt. Quis autem ausit vel Abraham patriarcham, vel hujus filium Isaac, vel beatum Job eximere e martyrum numero? Quæ carnificinæ gravius torserunt corpus, quam Patriarchæ mentem torquebant naturæ affectus, cum incunctanter ad Dei jussum appareret immolare filium unicum et unice charum, in quo tota spes erat illi posteritatis? Quid defuit Isaac martyrio, qui, nihil obmurmurans, passus est se colligari et imponi busto, nec expavit in cervicem vibratam machæram? Cujus autem martyrium audebimus conferre cum his quæ passus est Job?

XXXI. Quod si quis adhuc diffidit sermoni nostro, certe beati Pauli verbis non poterit diffidere. Is scribens ad Hebræos, orsus ab Abel usque ad Gedeonem, ingentem sanctorum catalogum recenset, in quo plures sunt qui non defuncti sunt morte violenta; immo pauci sunt qui sic mortui sunt; et tamen de omnibus pronuntiat : *Et hi testimonio fidei probati inventi sunt* (*Hebr.* XI, 39), perspicue declarans etiam vita bona peragi martyrium fidei. Ecclesiæ quidem usus discernit illos, cognominibus appellans eos qui violenta morte decesserunt; confessores, qui constanter in cruciatibus ac minis mortis professi sunt nomen Domini Jesu, parati mortem oppetere, vel potius martyrii supremam coronam ambientes. Apud Deum tamen quicumque carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis, quicumque Christo vere commortui sunt, eique in Baptismo consepulti sunt, ut jam non sibi vivant, neque mundo cui semel mortui sunt, sed ei qui pro ipsis est mortuus, martyres sunt, nec martyrum corona fraudabuntur : in primis autem monachi, qui vere monachi sunt, ac virgines quæ vere virgines sunt. Neque enim locus desertus, saccus pro veste, legumen pro cibo, neque jejunia, neque chamæuniæ monachum absolvunt; sub his involucris interdum latet animus valde mundanus. Quod ita deprehenditur, si ad munus aliquod ecclesiasticum vocentur : ibi videas quosdam ex illis facillime vinci deliciis, impatientiores injuriarum, appetentiores vindictæ quam quivis alius sit ex media plebe. Quid causæ est? Quoniam corpus exercuerunt magis quam animum; cum beatus Paulus doceat *quod exercitatio corporalis ad modicum utilis sit, pietas ad omnia valeat* (I *Tim.* IV, 18).

XXXII. Non hæc dixerim, quod improbandi sint qui talibus modis castigant corpus suum et in servitutem redigunt : sed quod Satanas, mille instructus artibus, nonnumquam illudit incautis, transfigurans se in angelum lucis, et ex hujusmodi corporum exercitamentis inducit illis falsam sanctimoniæ persuasionem; cumque intus madeant spiritalibus vitiis, et sibi et aliis habentur pii. Talis erat justitia *Pharisæorum*, cui prælata est, judice Christo, Publicani injustitia. Ita sunt et virgines fatuæ, quæ solidam existimant pietatem corpus habere viro intactum, cum animus avaritia, superbia, invidia et obtrectatione sit corruptissimus. Sunt et falso viduæ, quæ, dum vivunt in deliciis, Christo mortuæ sunt. In summa tamen, quisquis vere Christianus, cujusque status aut ordinis, habet certamina sua, habet crucem suam; quam si patienter tollit, si constanter sustinet, testimonio suo glorificat Dominum, tantum ne sibi vindicet laudem bonorum operum : hoc enim non est glorificare Deum, sed clarificare seipsum.

XXXIII. Habet unusquisque fidelium agones suos, habet adversarium diabolum, habet agonothetam Deum, habet theatrum non solum Ecclesiæ et Angelorum, sed et infidelium; quemadmodum dicit Pau-

VARIORUM NOTÆ.

Illic amat sibi offerri victimam, etc. Mire deterquet hanc Malachiæ Scripturam auctor. PAMEL.

Proinde nemo sibi frustra blanditur. Hoc rursum mutuatus est ad verbum ex libr. Cypriani *de Lapsis*. PAMEL.

Ecclesiæ quidem usus, etc. Non per omnia Cyprianicam esse hanc martyris et confessoris differentiam tomo I, Epist. IX, satis ostendimus. PAMEL.

Imprimis autem monachi. Illic etiam larvam sibi detrahit personatus histrio, qui nescivit Cypriani sæculo monachatum nondum natum. PAMEL.

Neque enim locus desertus. Plane sunt hæc Erasmica, atque adeo et caute legenda. PAMEL.

Digitized by Google

lus ad Corinthios : *Spectaculum facti sumus mundo et Angelis et hominibus* (I *Cor.* IV, 9). Si vincimus, gloriantur Angeli, gloriantur et fidelium Ecclesiæ, gloriatur et ipse Christus in membris suis. Sin vincimur ignavia nostra, triumphat Satanas cum angelis suis, insultant nobis increduli, ac Deum contumeliis afficiunt, dicentes : « Ecce qui jactant se redemptos a tyrannide Satanæ, qui prædicant se mortuos mundo, nihilo minus vincuntur a cupiditatibus suis quam nos, quos dicunt adhuc teneri sub regno Satanæ. Quid prodest illis Baptismus, quo dicunt exui veterem hominem cum actibus suis, et indui novum qui secundum Deum creatus est? Quid prodest illis Spiritus sanctus, cujus arbitrio dicunt se temperari? Cur semper in ore habent : Evangelium, Evangelium; cum tota vita discrepet ab Evangelii præceptis? » Quanto creditis pudore suffunditur Ecclesia, cum hæc ingeruntur ab hostibus, nec habet quo refellat opprobria! Nonne videmus totum Ecclesiæ cœtum demittere vultus atque erubescere, quoties aliqua virgo quæ Christo nupserat, dilapsa ex angelico contubernio, defecit ad stuprum aut conjugium? Quantus mœror occupat omnium nostrum animos, sed præcipue pastorum, si quando Christi miles, tormentis inferior, renuntiavit imperatori suo! Quantus autem ex adverso Satanæ triumphus!

XXXIV. Itaque, fratres dilectissimi, si vere diligimus Deum, si quotidie petimus ex animo : *Sanctificetur nomen tuum*; summo studio advigilemus, nec ubi polluamus nomen illius, sed et morte et vita glorificemus illum, juxta beati Pauli monita : Viventes sine querela ut simplices filii Dei, sine reprehensione in medio nationis pravæ et perversæ, inter quos luceamus sicut luminaria in mundo, verbum vitæ continentes, ad gloriam Christi Jesu regis et agonothetæ nostri, qui suum esse ducit quicquid in membris ipsius geritur. Patiamur cum illo, ut cum illo glorificemur in die Domini. Nos hic illum clarificemus apud homines, ut ille nos clarificet claritate sua coram Angelis suis, cum, ut inquit beatus Paulus, venerit glorificari in sanctis suis. *Nemo coronatur nisi legitime certaverit. Et hi qui corruptibilem coronam ambiunt, ab omnibus se abstinent* (I *Thess.* I, 9; II *Timoth.* II, 5; I *Cor.* IX), nihil non facientes quod ad victoriam conducit : quid nos facere convenit ut assequamur illam immortalis vitæ coronam incorruptibilem et immarcescibilem in cœlis?

XXXV. Hic si quis roget quo pacto quis possit esse martyr sine sanguinis effusione : quisquis hoc animo sequitur justitiam, ut mortem citius admissurus sit, quam velit a justitia deflectere, huic prompta voluntas pro martyrio deputabitur. Deus enim non æstimat quemquam ex eventu rerum, sed ex affectu. Cur enim ille fraudetur martyrii gloria, per quem non stetit quominus martyrium peregerit? Ut contra, mercedem apostatæ feret quisquis hoc animo vivit, ut Christum negaturus sit si jactura bonorum, aut corporis cruciatus, aut mors sit accipienda. Qui ob paululum pecuniæ pejerat, an is verebitur abnegare Christum, si res periclitetur, si intentetur infamia, carcer et mors? Qui ob febriculam ad incantatricum remedia confugit, an is malit cruciatus morte tristiores perferre, quam Christo renuntiare? Immo, qui toties ob brevem carnis delectatiunculam, ob momentaneam gloriam, deficit a Christo, vitam habebit vilem pro Christo? Nec hunc tyrannus fecit apostatam, sed ad tyrannum accessit apostata. Ut autem est similis certandi ratio, ita iisdem armis fratrum animi communiendi sunt ad has pugnas quibus ostendimus confirmandos ad martyrium. Fides est quæ pugnat et superat in martyribus : nec quisquam defecit in tormentis, nisi fidei defectu.

XXXVI. Orandus igitur assidue Deus, ut fidem in nobis augeat : est enim Dei donum, illi debetur omnis victoriæ gloria. Ingeramus illorum animis et infigamus quam horrendum crimen sit omnis idololatria, quam severe punita sit a Deo sub Lege vetere : quot millia trucidarit Moyses ob vitulum aureum. Deinde proponatur comparatio manifestæ idololatriæ, cum immolatur simulacris, et occultæ, cum, contempto Deo, obeditur per concupiscentiam Satanæ. Deinde conferatur inter se Deus fons omnis boni, et diabolus omnis malitiæ princeps. Ostendatur et ingenitas contubernii : in altera parte sunt filii Dei, concives Angelorum, et hæredes beatæ immortalitatis; in altera filii Belial, societas omnium dæmonum et hæredes gehennæ. Conferatur et impar malitiæ genus, comparentur diversa stipendia. Hæc si prius fuerint persuasa, et intimis infixa visceribus, facilis erit victoria. Nunc fides multis natat in labiis, cum in corde aut nulla sit, aut vehementer langueat. Quis enim non profitetur, quod in Deuteronomio legimus : *Audi, Dominus Deus tuus Dominus unus est.* Et : *Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies* (*Deuter.* VI)? Quis non quotidie recitat ore : Credo in Deum Patrem omnipotentem? At non credit in Deum, qui non in eo solo collocat totius felicitatis suæ fiduciam; nec unum habet Deum ac Dominum, qui per scortationem, per luxum et avaritiam Satanæ facit imperata; nec illi soli servit qui servit ventri, qui deditus est huic mundo, qui in pravo positus est.

XXXVII. Ethnici putant plures esse deos, et hoc tibi videris perfectus Christianus, quod persuasum habes unum esse Deum? quid magni facis? Idem credunt Judæi, qui quotidie blasphemant in synagogis

VARIORUM NOTÆ.

Demittere vultus. Quidam, non recte, *dimittere.* PAMEL.

Qui ob febriculam ad incantatricum remedia confugit. Nescio quæ remedia incantatricum intelligat. Nemo nescit per periammata et incantamenta vetulas remedia passim febricitantibus spondere. PAMEL.

Totius felicitatis suæ fiduciam. Corrupte et hic quidem *infelicitatis* : quia etiam paulo post omiserat vocem *es*, est etiam hoc caute legendum. PAMEL.

Digitized by Google

suis : idem credunt dæmones et contremiscunt. Si vere credis in Deum, crede justum et veracem : justum in remunerandis piis et puniendis impiis, veracem in promissis. Crede non esse spem salutis, nisi per Filium ejus, quem pro nobis omnibus tradidit in mortem : crede nihil accidere mali posse iis qui se totos illius voluntati tradiderunt et in illo perseverant. Hoc est credere in Deum Patrem, hoc est credere in Filium ejus, hoc est credere in Spiritum sanctum, unum Deum, et Ecclesiam sanctam, mysticum Christi corpus, extra quam non est salus, et in qua non est pernicies.

XXXVIII. Quisquis in tali petra pedes animi fixerit, adversus omnes tentationum incursus stabit immobilis. Exempli gratia : lacessitus es convicio, suggerit tibi caro vindictæ cupiditatem, priusquam respondeas sic cogita tecum : Hunc maledicum hominem subornavit diabolus, ut me dejiciat, ac dejectum perdat ; sed ausculta quid suadeat imperator tuus cui militas : *Beati*, inquit, *mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* Et : *Mea est vindicta, et ego retribuam.* Quid suadet fortissimus ille Christi dux Paulus : *Non nosmetipsos vindicantes, charissimi, sed date locum iræ.* Diabolus dicit : « Fruere vindicta, et perde vitam æternam. » Deus dicit : « Vince in bono malum, et noli resistere malo : et accipe cum Filio meo possessionem regni cœlestis. » Mox dispice utri potius expediat obtemperare. Dicit tibi per concupiscentiam tuam diabolus : « Mœchare, et fruere temporaria corporis voluptate, et esto meus servus et cohæres gehennæ. » Audi potius quid dicat tibi Deus : « Sperne temporariam voluptatem, et accipe centuplum, bonæ conscientiæ gaudium in hoc sæculo, et vitam æternam in futuro : et expende utri potius sit auscultandum. » Suggerit tibi per carnis affectum veluti per Evam Satanas : « Vive genialiter. » Ex adverso dicit Christus : *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolationem accipient.* Ad eumdem modum de cæteris tentationibus, objice tentatori clypeum Scripturarum, in quibus tibi loquitur Deus, non minore fide, quam si tibi coram ore ad os loqueretur. Ex his torrentibus sume tibi lapides, quibus dejicias superbum Goliath. Habes exemplum a Domino tuo, sic ille prostravit diabolum : nec dejicias animum si sæpius invadat, ac subinde majoribus machinis aggrediatur : nihil potest adversus eum qui tecum est. Dic illud Joannis : *Major est qui in nobis est, quam qui in isto mundo.* Succurrat illud Domini dictum : *Confidite, quoniam ego vici mundum.* His orationibus si Christi miles fuerit exercitatus ad conflictum, in dies comperiet suum antagonistam debiliorem.

XXXIX. Nec tamen remittendæ sunt excubiæ, si quando hostis simulabit tranquillitatem ; sed observans illius insidias, dicat cum beato Abacuc : *Super custodiam meam stabo, et gradum figam super petram,* A *omni custodia servans cor meum*, ne qua pateat aditus obambulanti quærentique quem devoret. Tutissimum autem cordis munimentum est sobrietas cum instanti oratione, jugique Scripturarum meditatione : *Omnis enim Scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus* (II *Tim.* III, 16). Ex hac igitur colligendæ sunt sententiæ, quas ad manum et veluti in procinctu habeas, ut his protinus serpentem caput erigentem dejicias. Nullus est enim animorum morbus, cui non præsens remedium divina Scriptura suppeditaret. Hinc comparanda sua exempla piorum sed præcipue Christi, quibus se quisque vel animet vel consoletur.

B XL. Venio nunc ad illa mala quæ vel ipsam naturam hominis comitantur, vel fortuito videntur inferri. Hæc quoque pius animus, et ad pugnandum instructus, sibi vertet in materiam coronæ. Exemplo faciam, quod dico, clarius. Excutitur aliquis facultatibus suis, sive bello, sive naufragio, sive rapina. Ne protinus hic cogitet laqueum, aut rationem malis artibus sarciendi quod periit ; sed ita secum loquatur : « Dominus est qui tentat me an diligam ipsum ex toto corde. Ipse dedit, ipse abstulit, sit nomen Domini benedictum. Gratias agat quod acceperit ex Domini benignitate, agat gratias quod amiserit ad probationem fidei. Si hæc dixerit eo animo quo dixit sanctus Job, cum illo mercedem accipiet. Dominus æstimat, non quantum quis perdat, sed quam patiC ter : quemadmodum non respicit quantum aliquis largiatur egentibus, sed quo animo. Habet aliquis filium unice charum, eo te mors orbat præmatura, pestilentia spoliat te charissimis, sponsa, liberis, amicis ; ferto patienter, et dic : « Domino ita visum, et sic fortassis et nobis expediebat et nostris : sit nomen Domini benedictum. » Sunt et morbi qui non minus atroces habent cruciatus, quam ulla potest inferre tortorum sævitia, veluti pleuritis, ischiasis, podagra, paralysis, calculus, renum et vesicæ exulceratio. Tale si quid acciderit, ne mens exasperetur ad impatientiam, ne lingua erumpat in voces blasphemas, sed cum beato David et Heli sacerdote dicat : *Dominus est, faciat quod bonum est in oculis ipsius.* Ita mala quæ non inferuntur ob Christi professioD nem, vertemus nobis in coronam, et Christo in gloriam. Ac fiet fortasse ut Dominus, nostra tolerantia propitiatus, aut auferat afflictiones aut mitiget ; quod si non fit, tamen hac ratione faciemus ut quod animo impatienti fuisset intolerabile, fiat patientia mitius. His atque hujusmodi argumentis non desinemus nos invicem exhortari, ad illustrandam Domini gloriam, cujus titulum et insignia gerimus. Præstemus illi martyrium in suo quisque statu et ordine, non solum in adversis, verum etiam in prosperis. In

VARIORUM NOTÆ.

Quoniam ipsi consolationem accipient. Est etiam hæc Erasmi versio. PAMEL.

Veluti pleuritis. Magis placet hoc Morelii, quam quod habebant prius excusi, *pleuretis*, aut Manut. *pleuresis.* PAMEL.

Digitized by Google

adversis agnoscamus amorem patris flagellantis nos A ad correctionem, et gratias agamus charitati qua diligit nos, ut filios, quos abdicare non vult, sed emendatos recipere. In prosperis æque gratias agamus illius bonitati, qua consolatur nos ut tentationum pondus possimus sustinere : ita fiet ut tota vita nostra nihil aliud sit quam testimonium, declarans apud credentes et incredulos sapientiam, bonitatem, misericordiam ac veritatem Dei Patris, et Filii illius Jesu, et Spiritus sancti. Amen.

ORATIO CYPRIANI ANTIOCHENI,

PRO MARTYRIBUS.

Hagios, hagios, hagios, sancte sanctorum, Pater patrum nostrorum, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, Deus Apostolorum, Deus Prophetarum, Deus Virginum, Deus bene viventium, Deus credentium, B Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi filii tui : te invocamus supplices, pariter et deprecamur, Fili unigenite, qui ex ore Altissimi procreatus es ante mundi dispositionem, et ex Mariæ sanctæ virginis utero per mysterium editus, orantibus nobis, sancti desiderii spiritale incrementum et integritatem cordis præstare dignare, ut lavacro salutari recreatum pectus a delictis carnalibus incolume persistat. Petimus fide illibata, mente incorrupta, devotione robusta, operatione seu dilectione continua, ut in Ecclesia sancta tua nos florere permittas : quoniam tibi flectimus genua et curvamus cervices, cui Angeli et Archangeli, millia millium Martyrum, chorus Apostolorum et Prophetarum gloria exsultant, cui omnes aves canunt laudes, linguæ confitentur cœlestium, C terrestrium et infernorum : tibi omnes aquæ in cœlo et sub cœlo confitentur; te insensibilia sentiunt : tu es solus, et præter te et extra te nemo. Te quæsumus, Domine, Pater omnipotens, qui soli filio conspicabilis es, cujus Angeli et Archangeli obtemperant tibi, Domine Pater : te oramus ut tribuas nobis mentem integram, innocentiam puram, sinceritatem devotam, conscientiam sanctam, puram, sobriam, castam, contra omnes insidias sæculi gloriosa fide degentem, contra diaboli minas et carnales illecebras munitum pectus concedas, ne violenti et cruenti hostis lethalibus laqueis implicemur, ut signum salutis æternæ incolume perferamus. Pelle a nobis omnem sæculi illuviem omnemque diaboli persuasionem. Laqueetur, concidat, et superetur a nobis, et amoveatur, sicut a Sarra famula tua Asmodeus, dæmon nequissimus, exstinctus per angelum tuum sanctum Raphael. Et sicut Tobiæ affuisti, ita mihi adesse digneris. Et ut tribus pueris in camino, et Danieli misericordiam præstitisti, sic circa nos famulos tuos facere digneris. Qui mortuos suscitasti, cæcos illuminasti, surdis auditum, mutis eloquia, claudis gressum, leprosis sanitatem dedisti, ita et da famulis tuis, qui te tota virtute mentis credimus natum, passum, venturum judicare vivos et mortuos. Assiste nobis, sicut Apostolis in vinculis, Theclæ in ignibus, Paulo in persecutionibus, Petro in fluctibus. Qui sedes super septem thronos ad dexteram Patris, respice nos et libera nos de æternæ mortis interitu : unus in uno, Pater et Filio, Filius in Patre, Spiritus sanctus, per quem et cum quo est tibi in sancta Ecclesia honor, virtus, claritas, majestas, potestas, benedictio, immortalitas, et nunc et in æternum, semper et in omnia sæcula sæculorum. Amen.

VARIORUM NOTÆ.

Cypriani Antiocheni. Quis fuerat iste Cyprianus, Antiochenus magus et Justinæ amasius, infra dicetur. Oxon.

Soli filio conspicabilis es. Mss. omnes et vet. exc. *conspectabilis.* Verum illud placet, quod similiter dixerit Prudentius : *coram refulsit ore conspicabilis.* Pamel. D

Innocentiam puram. Morellio rursus acceptam debemus vocem *puram*, et paulo post vocem *hostis*, ubi legitur *cruenti hostis*, alibi desideratas. Pamel.

Ut signum salutis æternæ incolume perferamus. Iisdem pene verbis utitur etiamnum Ecclesia in cæremoniis Baptismi. Pamel.

ORATIO CYPRIANI ANTIOCHENI,

QUAM SUB DIE PASSIONIS SUÆ DIXIT.

Domine sancte, Pater hagios, Deus hagie, et hagie Deus meus, quis enim major te? tibi gratias et laudem refero, Deus Abrahæ et Deus Isaac et Deus Jacob, Deus patrum nostrorum, Deus Apostolorum, et Deus Prophetarum, et Deus Martyrum, qui fuisti ante mundi dispositionem, Deus vivorum, venturus

VARIORUM NOTÆ.

Deus Abrahæ. Præmittit idem Gravius, *Deus Patrum nostrorum*, quod vulgo postponitur, quantum apparet; quia sic fere ubique Scriptura. Sed nobiscum legunt mss. Pamel.

Digitized by Google

judicare vivos et mortuos : qui es Deus verax, qui sedes super Cherubim et Seraphim sedem honoris tui, et prospicis abyssos : qui vides cuncta priusquam nascantur; qui habes potestatem occidere et rursus restituere; qui habes potestatem de arido viride facere. Tu omnium Dominus dominator, libera me ab hoc sæculo, et exaudi me orantem, sicut exaudisti filios Israel de terra Ægypti, et non tibi crediderunt, nec famulo tuo Moysi.

Væ peccatis meis ! Cum elevaveris confringere terram, sub qua fissura petrarum me absconsurus sum ab ante virtutem tuam? Cui monti dicturus sum : Cade super me : et cui colli : Tege me ab ante metum Domini, cum te levaveris confringere terram ? Rogo, Domine, subveni mihi : noli secundum actum meum me judicare, nihil enim in præceptis tuis parui. Exaudi me orantem, sicut exaudisti Jonam de ventre ceti, sic exaudias me, et ejicias me de morte ad vitam. Sicut Ninivitæ induerunt cinerem et cilicium, et pœnitentiam egerunt ante Dominum. Exomologesin facienti ante conspectum tuum pro universis peccatis meis, qui es amator pœnitentiæ, miserere mei. Sed et David dicit : Domine, propter nomen tuum dele peccatum meum. Et ego deprecans majestatem tuam : Dele universa peccata mea, et exaudi me orantem, sicut audisti tres pueros de camino ignis, Ananiam, Azariam, Mizaelem : et misisti angelum tuum cum nimbo roris, et confusus est Nabuchodonosor præpositus regni : quoniam tu es Rex regnantium et Dominus dominantium, qui solus habes immortalitatem, et lucem habitas inaccessibilem, quam nemo hominum videt, nec videre potest. Exaudi me orantem, sicut exaudisti Danielem de lacu leonum, et misisti Abacuc prophetam, et attulit ei prandium, et dixit : Prande prandium quod tibi misit Deus. Et dixit Daniel : Non relinquet Dominus quærentes se. Exaudi me orantem, sicut exaudisti Tobiam et Sarram dum orarent in atrio domus suæ : tunc obtulit pro eis Raphael angelus orationes eorum : sic et tu exaudias preces meas, et admittas ad aulam sanctam tuam orationes meas, et continenter mittas Angelum tuum, qui deleat universa delicta mea, sicut delesti spiritum immundum a Sara filia Raguel : et illumines cor meum, sicut illuminasti oculos Tobiæ. Exaudi me orantem, sicut exaudisti Susannam inter manus seniorum, sic me liberes ab hoc sæculo, quia tu es amator puræ conscientiæ. Exaudi me orantem, sicut exaudisti Ezechiam regem Judæ et delesti ab eo infirmitatem : sic et a me auferas infirmitatem carnis, et augeas mihi ad fidem, sicut illi auxisti annos quindecim ad vitam. Libera me de medio sæculi hujus sicut liberasti Theclam de medio amphitheatro, libera me ab omni infirmitate carnis meæ.

Te deprecor, Pater majestatis, qui in fine temporum misertus es nostri, mittens nobis Jesum Christum filium tuum Dominum Deum Salvatorem nostrum, natum ex Maria virgine de Spiritu sancto, annuntiante Gabriele angelo, per quem nos liberasti de periculo mortis imminentis.

Et te deprecor, Filium Dei vivi, qui fecisti tanta mirabilia, qui in Cana Galilææ de aqua vinum fecisti, propter Israel : qui cæcis oculos aperuisti; qui surdos audire fecisti, qui paralyticos ad sua membra revocasti; qui solvisti linguas blæsorum; dæmonio vexatos sanasti; claudos, currentes fecisti velut cervos ; mulierem de profluvio sanguinis liberasti; mortuos suscitasti ; super aquam pedibus ambulasti ; qui Petro labenti manum tradidisti ; qui mare fundasti, et terminum ei posuisti, et dixisti : Huc usque venies, et hic te confringes in virtute tua. Te deprecor Filium Dei vivi, propter universa commissa mea, qui es in cœlis Filius in Patre et Pater in te in sempiternum, qui sedes super Cherubim et Seraphim, sedem honoris tui.

Tibi assistunt Angeli, Archangeli, numerus innumerabilis, timentes et parentes honorem et virtutem tuam, clamantes voce magna et dicentes : Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus sabaoth. Tu ipse nobis testamentum fecisti : *Petite, et accipietis ; pulsate, et aperietur vobis. Quodcumque a Patre meo petieritis in nomine meo*, ego a Patre peto ut accipiatis. Ego peto, ut accipiam; quæro, ut inveniam ; ego pulso, ut aperiatur mihi; ego in tuo nomine peto, ut tu a Patre petas, et detur mihi. Paratus sum propter nomen tuum victimam sanguinis fundere, et quodcumque tormentum sustinere. Tu es, Domine, auditor meus et defensor : defende me ab adversario meo. Angelus tuus lucis protegat me, quoniam tu dixisti : *Quod credentes petieritis per orationem, dabitur vobis.*

Omnis homo mendax, tu es verax. Sicut tu repromisisti, potestatem habes, Domine, dare mihi omne sacramentum tuum cœleste, ut dignus sim faciem sanctorum tuorum videre. Spiritus in me operetur, voluntas tua in me fiat : quoniam tibi spopondi omnibus diebus vitæ meæ, qui passus es sub Pontio Pilato bonam confessionem, qui crucifixus descendisti, et conculcasti aculeum mortis. Devicta est mors, devictus est inimicus diabolus. Tu resurrexisti a mortuis, et apparuisti Apostolis tuis : sedes ad dexteram Patris, qui venturus es judicare vivos et mortuos. Tu dominaberis, libera me de manu quærentis animam meam. Per nomen tuum libera me ab adversaria potestate, ut opem des vincendi inimicum meum : quoniam tu es potens assertor et advocatus precum et petitionum nostrarum animarum. Die ac nocte interpellas pro peccatis meis,

VARIORUM NOTÆ.

Qui habes potestatem occidere. Adjicio, *accidere* cum Morellio ex ms. Adjicit autem præterea Gravius : *qui habes potestatem mortificare, et rursum vivificare*, sed non placet : alioqui enim bis id repeteretur. Ex ipso tamen addidi illud, et de *viridi aridum*. PAMEL.

Ante Dominum. Hoc rursum ex Gratio. Omisimus vero cum ms. paulo post, vocabulum *et*, superfluum.

Digitized by Google

orationem meam perferas ad Patrem tuum. Et tu, Domine sancte pater, digneris respicere super preces meas, sicut respexisti super munera Abel. Digneris me liberare ab igne et pœna perenni, et ab omni tormento quod parasti iniquis : per bonum et benedictum Jesum Christum Salvatorem nostrum, per quem tibi laus, honor, virtus, gloria, in sæcula sæculorum, Amen.

DE MONTIBUS SINA ET SION

TRACTATUS IGNOTI AUCTORIS, ADVERSUS JUDÆOS.

I. Probatio capitulorum quæ in Scripturis deificis continentur, quæ in Veteri Testamento figuraliter scripta sunt, per Novum Testamentum spiritaliter intelligenda sunt, quæ per Christum in veritate adimpleta sunt. Nobis enim per Jesum Christum spiritalis intellectus datus est, ipso Jesu dicente : *Vobis quidem datum est intelligere sacramenta Dei, aliis autem in similitudinibus.* Invenimus in Evangelio κατὰ Joannem scriptum : *Lex per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est.* Quæ lex Moysi in monte Sina data est. Verum iterum invenimus scriptum : *De Sion enim exiet lex, et verbum Domini ab Hierusalem.* Quatenus hoc intelligere debemus ? utrum Sina mons ubi a Deo Moysi lex data est, et Sion mons unde lex exivit, unum sint ; an vero alter sit Sina mons, et alter sit Sion mons. Invenimus enim hæc nomina duorum montium esse hebraica : verum latina interpretatio nominum differentium ab invicem, ostendit aliud esse Sina montem, et aliud montem Sion.

II. Hæc est interpretatio de hebraica lingua in latinam. Sina mons interpretatur tentatio æterna et odium ; æque et Sion interpretatur tentatio exacerbationis et speculatio. Vides ergo in hebraica interpretatione non sibi similare, sed neque esse unum montem, sed potius duos invicem a se differentes gratia et honore. Præterea, cum dicat David propheta in Psalmo II, *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, annuntians imperium ejus ;* ecce quatenus montem Sion sanctum designat. Unde manifestum est montem Sion cœlestem esse et spiritalem, et montem Sina esse terrenum. Nihil enim potest quod in terra est, esse sanctum, cum totus mundus mala facta habeat, et a diabolo sit maculatus, dicente Jesu : *Odit me sæculum, et ego odi illud* : quia facta illius sunt [a] mala. Ex qua re quidquid est in hoc sæculo terreno, sanctum esse non potest.

III. Sion autem [b] montem ex prophetico dicto constat esse sanctum et spiritalem; in quo monte Spiritus sanctus [c] filius Dei rex constitutus est, annuntians voluntatem et imperium Dei [d] patris sui : et Sina montem terrenum esse in arida terra constitutum, qui est in Syria Palæstina, ubi est terra Judæa, ubi est et civitas [e] illa interfectrix Prophetarum : ante cujus portam Christus a Judæis crucifixus est in horto : quæ civitas dicitur Hierusalem per Esaiam prophetam, spiritaliter vero execrata et derelicta. Nec immerito, quia et Deus ex eodem monte Sina terreno, per Moysen adhuc in carne terrena primi hominis positum, populo Judæorum terreno et carnali legem a Deo accepit illis tradendam, digitis sacris scriptam in dua-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Sunt facta illius *Foss. Mic. Vict.*
[b] *Sic Foss. Mic. Vict. Imp.* Non tam ex.
[c] Spiritu sancto *Foss. Mic. Vict.*
[d] *Sic Foss. Mic. Vic. Imp.* Dei et Patris.
[e] *Sic Foss. Mic. Vict. Imp.* Ubi est civitas.

VARIORUM NOTÆ.

I. — *Probatio capitulorum.* Mutilum est atque adeo obscurum hujus libri frontispicium, quod tamen legunt omnes excusi et mss. codd. præter Cambron., qui sic habet : *Quod probatio capitulorum*, etc. Neque ille satisfacit. Pamel.

Ipso Jesu. Cambron. *Christo.* Pamel.

Secundum Joannem. Hoc ex cod. Cambron. Marchin. Dunen. et Affligin. ad marginem, cum Morellio, pro eo quod Affligin. in ipso contextu et vet. exc. *juxta*; cæteri vero, *secundum.* Pamel.

De Sion enim exiet lex. Etiam hoc cum Morellio ex tribus codd. mss. pro *exibit.* Pamel.

Quatenus hoc intelligere debemus. Adjecimus interrogandi notam cum vet. exc. Gravio et Cauchio, et cum nulli eam legerent, loco submovimus ubi erat, *An unum.* Pamel.

Verum latina interpretatio. Manutius, *latina vero.* At illud genuinum est. Pamel.

II.—*Sina mons interpretatur.* Tamquam verbo prorsus passivo auctor noster voce *interpretor* passim utitur; in grammatica non minus quam in theologia hospes. Pamel.

In Psalmo II. Prorsus sic lego, non *primo*, cum etiam Cyprianus supra lib. *Testim.* III, cap. 29. *secundum* nuncupet hunc psalmum, hæc verba citans, non *primum.* Pamel.

Et montem Sina. Adjicio *montem*, ex Cambron. cod. ex eodem reposui illud, *Cum totus mundus mala facta habeat, et a diabolo*, pro eo quod erat *cum totus mundus propter mala facta a diabolo.* Pamel.

Quia et ego illud. Cambron., omisso *quia*, legit *et ego odi illud* ; neutrum placet, quia longe aliter Evangelista, *Quia ego testimonium perhibeo de illo.* Pamel.

III.—*Spiritus sanctus filius Dei.* De hac veterum loquendi formula, vide supra librum, *quod idola non sint dii.* Quare nihil movere debent lectorem, aut ista hunc aut duo similes infra docere. Neque enim ante hæreses de Spiritu sancto exortas, tam caute scripserunt veteres. Pamel.

Digitized by Google

bus tabulis lapideis (licet digitis sacris, tamen digitis in figura carnis), quasi populo carnali et durissimo : sicut fuerunt tabulæ lapideæ durissimæ, in quibus tabulis Legem acceperunt. Ideo in duabus, quia significaret unitatem populi dividi in duas partes, partem quæ salvatur, et partem incredulam quæ perit ; dicente Angelo ad Rebeccam uxorem Isaac : « Duæ gentes in utero tuo sunt, et duo populi de ventre tuo dividentur, et populus populum superabit, et major serviet minori. » Rebecca vero figuram portabat Ecclesiæ, sicut Isaac vir ejus typum in se portabat Christi. Ergo, cum dicit, *duæ gentes in utero tuo sunt*, quia et de gentibus duas partes futuras designabat, partem idololatram perditam, et partem credulam viventem per fidem; hanc unam partem gentium designat in utero Ecclesiæ permanere in generationem æternam in figura Rebeccæ; et partem populi infidelium Judæorum a ventre tunc Rebeccæ dividi, et separari a nativitate Ecclesiæ. Hæc fuit præfiguratio in Genesi per Angelum spiritaliter annuntiata. Hæc vero nomina montium talem habent interpretationem in lingua latina, ut demonstret veritatem, qui sint hi duo montes Sina vel Sion : quod quidem post paulolum dicturi sumus. Ita enim hanc veritatis interpretationem probavimus, de principio generis humani venientem. Ita ab initio mundi et deinceps omnes homines nascentes, de tempore et facto nomina a parentibus suis accipiebant (non quidem ex se, sed a Deo mente impellebantur, qui, antequam fiant, præscius est futurorum) ut quales post crementum ætatis suæ futuri essent, posteriori tempore verbis et nominibus hebraicis designaretur ; et quid singulis futurum esset, interpretatio nominum designaret veritatem; sicuti tunc temporis in Patriarchis completum est, secundum primi hominis carnem de terræ limo esse, ex ipso protoplasto probamus veritatem.

IV. Nomen accepit a Deo Adam. Hebraicum Adam in latino interpretatur terra caro facta, eo quod ex quatuor cardinibus orbis terrarum pugno comprehendit, sicut scriptum est : *Palmo mensus sum cœlum, et pugno comprehendi terram, et finxi hominem ex omni limo terræ : ad imaginem Dei feci illum.* Oportuit illum ex his quatuor cardinibus orbis terræ nomen in se portare Adam. Invenimus in Scripturis per singulos cardines orbis terræ esse a Conditore mundi quatuor stellas constitutas in singulis cardinibus. Prima stella, orientalis, dicitur ἀνατολή, secunda, occidentalis, δύσις, tertia stella, aquilonis, ἄρκτος, quarta stella, meridiana, dicitur μεσημβρία. Ex nominibus stellarum numero quatuor de singulis stellarum nominibus tolle singulas litteras principales, de stella Anatole a, de stella Dysis d, de stella Arctos a, de stella Mesembria m ; in his quatuor litteris cardinalibus habes nomen Adam. Nam et in numero certo per quatuor litteras græcas nomen designatur ἀδάμ, ita α μία, id est unum, δ τέσσαρα, id est quatuor, α μία, id est unum, μ τεσσαράκοντα, id est quadraginta. Fac, et invenies numerum quadragenarium senarium. Hic numerus XLVI passionem carnis Adæ designat, quam carnem in se figuralem Christus portavit, et eam in ligno suspendit. Quæ caro a Deo patre Jesu vocitata est Spiritus sanctus, qui de cœlo descendit; Christus, id est unctus, Dei vivi a Deo vocatus est ; spiritus carni mixtus, Jesus Christus. Hic ergo numerus XLVI passionem declarat, eo quod sexto millesimo anno, hora sexta passus : a mortuis resurgens ; quadragesima die in cœlos ascendit : vel quia Salomon quadraginta sex annis templum Deo fabricaverit. In cujus templi similitudinem Jesus carnem suam esse dixit, dicens Pharisæis : *Destruite fanum istud, et ego in tribus diebus excitabo illud.* Et Pharisæi dicebant : Quadraginta sex annis ædificatum est fanum istud, et hic in tribus diebus excitabit illud ? Dicebat autem Jesus fanum de corpore suo. »

VARIORUM NOTÆ.

Licet digitis sacris, tamen digitis in figura carnis. Manutius omissa voce *licet*, et semel tantum recitans voces illas, *digitis sacris*, paulo prius *certa* posuit. Verum vulgatæ lectioni consentiunt mss. nostri ; et si parenthesi hæc includantur, sensus erit perspicuus. PAMEL.

Ita enim hanc veritatis, etc. Locum hunc depravatissimum ex codic. mss. partim Affligin. Dun. Marchin. et vet. exc., partim Cambronensi ista restitui. *Ita ab initio mundi et deinceps omnes homines nascentes, de tempore et facto nomina a parentibus suis accipiebant (non quidem ex se, sed a Deo mente impellebantur, qui antequam fiant, præscius est futurum), ut quales post crementum ætatis suæ futuri essent, posteriori tempore verbis et nominibus hebraicis designaretur et quid singulis futurum esset, interpretatio nominum designaret veritatem.* PAMEL.

IV.—*Ex quatuor cardinibus orbis terrarum pugno comprehendit.* Hæc ex lacunis rabbinorum hausta; in *Pirke* R. Eliezer dicitur : « Incœpit Deus colligere pulverem primi hominis, e quatuor terræ angulis, vid. rubrum, nigrum, album, viridem. Ruber pulvis factus est sanguis, niger fuit pro visceribus, albus pro ossibus et nervis, viridis factus est corpus. Cur congesserit pulverem ejus ex quatuor mundi angulis ? quia dixerat sanctus benedictus, sive iverit homo ex oriente in occidentem, vel ex occidente in orientem, seu in quemcumque locum contenderit, et venerit terminus ejus ut separetur ex hoc mundo, ne tum terra dicat : In isto loco non est a me pulvis corporis tui, etc. » OXON.

Quatuor litteris cardinalibus habes nomen Adam. Nescivit cabbalista noster in nomine ADM tres tantum reperiri litteras. Sed, si nugarum istarum magis idoneus auctor exspectetur, consulat lector tomum nonum operum D. Augustini, tract. 10, in Evang. Joan., ubi hæc omnia occurrunt. OXON.

Id est unum, etc. Tum hoc, tum quæ sequuntur, *id est quatuor*, et *id est unum*, et rursum, *id est quadraginta*, adscripta erant in cod. ms. Dun. ad interpretationem græcarum vocum, in aliis mss. et vet. exc. omnino desiderabantur. Ad intellectum tamen majorem putavimus retinenda. PAMEL.

Quam carnem in se figuralem. Sane et caute hoc intelligendum recte annotavit Manutius. PAMEL.

Hic numerus 46. Ligneus hic supputator numerum 46 conficit ex numero 6000, numero 6 et 40. PAMEL.

Destruite fanum istud. Gravius *phanum*, et hic et bis postea : verum illud constanter mss. omnes, et non Festus modo, sed et Varro de L. L. lib. v, et Livius 1 dec. lib. x, a fando dictum fanum volunt.

Digitized by Google

V. Deinde Abel, filius Adæ, nomen accepit hebraicum, designans *fratris interfectionem* et *parentum luctum*. Item Enoch, qui ante diluvium Deo justus complacuit, et ideo de isto mundo in carnis suæ nativitate vivus translatus est in loco ubi Deus scit; ex quo loco, in consummatione mundi, innovari habet in hoc mundo, unde etiam translatus est ad confundendum et revincendum Antichristum. A quo interfecti martyria sua complebunt, viventes in æternum in sæcula sæculorum. Et ideo Enoch interpretatur *innovatus*. Deinde Job justus, qui ante diem judicii meruit voce judicis laudari, et ideo, diabolo devicto et superato, Job interpretatur *charissimus Dei*. Æque et Abraham in sua nativitate a parentibus suis Abram vocatus est; tentatus vero a Deo, fidelis inventus est, et a Deo benedictus pater multarum gentium constitutus est, et ideo, immutato a Deo nomine, Abraham vocatus est, interpretatur *pater multorum populorum*.

VI. Ecce interim de multis probationibus pauca diximus, ut ad duorum montium nominum pervenientes, interpretationes eorum montium nominum probemus, qualiter designata sunt ad nostram instructionem; ut ex hac interpretatione nominum, intelligamus montem Sina esse terrenum, et montem Sion esse cœlestem. Spiritaliter interpretatum Sina, *tentatio æterna* et *odium*; et mons Sion, *tentatio exacerbationis* et *speculatio*. Ita intelligitur cum dicitur mons Sina, tentatio æterna et odium, eo quod ex eo monte Moyses legem acceperit populo durissimo et contumaci. Per quam legem tentati a Deo æterno, inventi sunt non posse eamdem legem sustinere in perpetuum, exinde Deo in odium conversi sunt. Ideo in nomine montis Sina, unde legem acceperant, interpretatio nominis designavit populum tentatum a Deo, et in odium æternum esse conversos: ideo dicitur Sina tentatio æterna et odium. Invenimus enim in Scripturis eos esse a Deo tentatos. Ita positum dicente Domino ad Moysen : Exeat populus iste, et colligat sibi diurnum in diem, et tentabo eos an possint legem meam sustinere an non; et tentati a Deo per legem, inventi sunt ab ea lege alieni. Exinde Deo in odium æternum conversi sunt, et completa est interpretatio Sina. Manifesta vero et Moysen, per quem eos Deus per Legem tentavit, in latino interpretatur similiter Moyses tentatio Dei et inventio, per quem tentati a Deo inventi sunt alieni a Legis observatione, ideo in æternum Deo in odium conversi sunt. Hoc odium in ipso genere Judæorum scriptum invenimus, dicente Isaac de duobus suis filiis Esau majore et Jacob minore : *Jacob dilexi, Esau autem odio habui*. Esau vero major pilosus fuit totus, inquit, quasi corium pilosum, in figura populi majoris, in impietate delictorum suorum constituti. Et Jacob fuit lenis et minor, in figura populi novellioris, qui ex dicti audientia per credulitatis fidem ex aspredine sæculi in lenitatem conversus est ad Christum Deum et Dei Filium.

VII. Ecce probavimus per Scripturarum fidem populum majorem et vetustiorem esse Deo in odium conversum, secundum interpretationem montis Sina dicentis, tentatio æterna et odium. Æque Sion montis ita interpretatur tentatio exacerbationis et speculatio. Hæc vero interpretatio latina ligni sacri passionem designat, dicente Salomone de ipsa passione Dominica : « Contumelia et tormento interrogemus illum, ut sciamus reverentiam illius et probemus patientiam ipsius, et tentemus quæ eventura sunt illi. Si enim vere Filius Dei est, suscipiet illum, et liberabit eum de manibus contrariorum; morte turpissima condemnemus illum. Hæc cogitaverunt et erraverunt; excæcavit illos malitia ipsorum, et non intellexerunt sacramenta Dei. » Ecce tentatores Judæos : item scriptum est : « Et tentaverunt Deum in loco inaquoso. » Speculum vero altitudinem ligni declarat, dicente Salomone : « Posuerunt me velut custodiam pomarii, » eo quod in horto in ligno confixus inter duos latrones pependit : et de altitudine ligni ambos speculatur in figura duorum populorum malefactorum; Gentes in sæculi mala facta jacentes, et Judæos interfectores Prophetarum. Hi sunt duo populi malefactores; quorum figuram in se portabant duo latrones inter quos pependit innocens. Unus blasphemabat; alius vero confessus est quia innocens injuriam patiebatur. Jesus autem ambos speculabatur de ligno speculatorio, blasphemum et confessorem; confessorem salvavit et blasphemum perdidit, sicuti de duobus populis fecit.

§ VIII. Persecutores derelicti, qui in æternæ mortis sententia sibi non crediderint, si sic de sæculo exierint, perient. Gentes vero ad se conversæ fidem sibi habentes quia Filius Dei est; salvatæ videbunt in æterna

VARIORUM NOTÆ.

VI. — *Et mons Sion tentatio exacerbationis*. Addebant alii, *æternæ*; verum recte omisit Manutius cum Cambron. cod., quia supra non legitur. PAMEL.

Inventi sunt. Ex auctoritate ejusdem cod. omisi particulam *et*, superfluam. PAMEL.

Manifesta vero et Moysen, etc. Ad Moysis nomen, si sonus spectetur, accedere videtur *Massa*, quod tentationem denotat. OXON.—Locus usque adeo corruptus, ut mederi ex mss. non licuerit. Ex illis enim quatuor consentiunt cum excusis vulgatis, sicut etiam veteres excusi, præterquam quod legant *Moyses*, quomodo et Morellius legens etiam *Manifestat*, Cambron. cod. vero longe aliter : *Manifesta vero Moysi et Aaroni, per quos eos Deus per legem tentavit, in latino interpretatur. Similiter in monte tentati a Deo inventi sunt alieni*, etc. Fortassis ita legendum : *Et completa est interpretatio Sina, manifesta Moysi et Aaroni per quos eos Deus per legem tentavit*, omissis cæteris omnibus; quandoquidem prius eadem verba sint posita, atque adeo hic videantur superflua. PAMEL.

VII. — *Tentatio exacerbationis*. Videtur sono vocis deceptus a שגב derivasse scriptor hic suum interpretamentum. OXON.

Et tentemus quæ eventura sunt illi. Iterum istud ex Cambron. cod. pro *quæ ventura sint*; est enim græce apud LXX, τὰ ἐν ἐκβάσει. Omittunt vero mss. voculam *et*, paulo post.

Digitized by Google

sæcula sæculorum imperatorem et regem suum. Verum in ipsa passione pendens in ligno, duas partes populi prospiciens speculabatur de alto ligno. Pars populi, qui viderant virtutes ejus mirabiles et deificas, patientem illum injurias dolentes plorabant : alii vero Judæi irridentes, de arundine caput ejus quassabant, blasphemantes et dicentes : « Ave rex Judæorum, ubi est pater tuus? Veniat et liberet te de cruce. » Exinde exacerbatus Pater fecit cœlum patefieri, et tonitrua facta sunt, et tenebræ insustinibiles ; terra commota, patefacta sunt sepulchra, et corpora sua ejecerunt, et foras a se miserunt ; velum templi scissum est ; et a tanto fragore cœli et terræ motu, omnes qui stabant ante lignum, alii dolentes, alii vero blasphemantes et illudentes, prostrati in faciem jacuerunt, tremente tamquam mortui. Tunc Judæi intellexerunt se offendisse Deum, et in luctum conversi sunt ; et fuit exacerbatio. Eo enim tempore quo in ligno confixus pependit, dies fuerunt azymorum, qui sunt dies festi Judæorum. Eo die metuentes factum esse terræ motum, et cœli fragorem, prostrati in faciem, in terra plangentes, in luctum conversi sunt ; et in ipsa sua passione complevit propheticum dictum : « Et convertam dies festos eorum in luctum, et cantica eorum in lamentationem. » Ante enim, cum captivi detenti essent in Babylone, dicebant illis Babylonii : *Cantate nobis cantica de canticis Sion.* Et Judæi lamentantes captivitatem suam, dicebant Babyloniis, ut diximus, lamentantes se : *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?*

IX. Ecce quatenus completa est interpretatio montis Sion, tentatio exacerbationis et speculatio. Unde manifestum est montem Sion ligni sacri regnum esse in sanctitate justificatum, dicente David : *Annuntiate regnum Dei in Gentibus, quia Dominus regnavit a ligno, et transivit in Gentibus.* De quo regno ligni regalis idem propheta dicit : *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus annuntians imperium ejus.* Quod dictum propheticum per Pontium Pilatum in sua passione pendens in ligno complevit. Pontius Pilatus, impulsa mente a Deo, accepit tabulam, et titulum scripsit tribus linguis, hebraice, græce et latine : *Jesus Nazarenus rex Judæorum ;* et in capite ligni clavis tabulam cum nomine regis Judæorum confixit : et tunc manifestavit propheticum dictum, eo quod spiritaliter mons Sion crux est, quæ est virtus Dei, Apostolo dicente : *Crux Christi non credentibus stultitia est, credentibus autem crux virtus est Dei ;* et iterum dicit : *Nos autem annuntiamus vobis Christum, et hunc crucifixum : Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam ; ipsis autem vocatis Judæis et Græcis, Dei virtutem et Dei sapientiam.* Sic vero et alius propheta declarat lignum passionis Dominicæ esse montem Sion sanctum, in Spiritu ita dicens : *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus? Innocens manibus ;* dextera lævaque extensis, clavis fixis, innocentiam demonstrans. Ideo dicit : *Innocens manibus et mundo corde, qui non accepit in vano animam suam, et non juravit subdole proximo suo, hic accipiet benedictionem a Domino, et misericordiam a Deo salutari suo.* Omnis passio hominum in terram cadet, hæc sola passio crucis stantem demonstrat : unde verum dicimus montem sanctum lignum esse passionis. Inde innocens manibus et mundo corde non fuit. Nec enim mundus corde, eo quod Ægyptium calce percusserit in Ægypto, et mortificaverit eum, et manibus suis eum in arena obruerit ; Christus autem in montem sanctum ascendit lignum regni sui, ut moreretur a Judæis, quamquam ipse aliquem hominum non mortificaverit, nisi solum diabolum inimicum generis humani. Exinde in montem ascendit innocens et mundus corde ; et ideo propheta dicit : *Quis ascendet in montem Domini, et quis stabit in loco sancto ejus? Innocens manibus et mundo corde.* Et declaravit montem Sion sanctum esse sanctam crucem, dicente æque propheta : *De Sion exiet lex, et verbum Domini ab Hierusalem.* Lex Christianorum crux est sancta Christo Filio Dei vivi, dicente æque propheta : *Lex tua in medio ventris mei.* Percussus in lateris ventre de lancea, sanguis et aqua mixtus profusus fluebat, unde sibi Ecclesiam sanctam fabricavit, in qua legem passionis suæ consecrabat, dicente ipso : *Qui sitit, veniat et bibat. Qui credit in me, sicut scriptum est, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* Item in Psalmis : *Et erit velut lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo.* Ecce verbum propheticum, fructum resurrectionis die tertia spiritaliter intelligendum dicentis : *De sion exiet lex*, hoc est de ligno regali, *et verbum Domini ab Hierusalem*, quæ est Ecclesia.

X. Caro ligno confixa emisit verbum Dominicum dicens : *Heli, heli.* Et adimpletum est propheticum spiritale ante dictum : *De Sion exiet lex, et verbum Domini ab Hierusalem.* Hierusalem dicit de cœlo descendentem, novam civitatem, quadratam per qua-

VARIORUM NOTÆ.

VIII.—*Et corpora sua ejecerunt et foras a se miserunt.* Locum mutilum sic supplevimus ex Cambron. et Cauchii codd. Vulgati habebant dumtaxat : *et corpora a seipso*, pro quo non male Manut. cum aliis mss. *et corpora foras emisit.* PAMEL.

Prostrati in faciem. Hoc habeo ex omnibus mss. pro *prostrati in facie.* PAMEL.

IX. — *Pontius Pilatus impulsa mente.* Cum codex Remboldi negligentia operarum haberet *impolluta*, non male reposuit ex conjectura Erasmus, *infusa.* At illud genuinum est. PAMEL.

Sic vero et alius propheta. Manutius, *verum et alius*, sed illud habent mss. nostri. Mirum autem est quod alium prophetam dicat, quum idem David id pronuntiarit. PAMEL.

Et non juravit subdole. Quum sic legat alibi Cyprianus, hoc malo cum tribus mss. et excusis vulgatis, quam *in dolo* cum Cambron., *sub dolo*, cum Manutio. PAMEL.

X.— *Hierusalem dicit.* Quod adjecerat Erasmus, ut sensus constaret, de qua dicitur in Apocalypsi : *Vidi.* Nulli habent mss ; sed prius, cum illis legunt veteres excusi codd. PAMEL.

Digitized by Google

tuor Evangelia, habentem duodecim fundamenta duodecim Prophetarum, duodecim portas duodecim Apostolorum; per quorum annuntiationem Christiani in hanc civitatem sanctam et novam introierunt, quæ spiritalis est Ecclesia.

XI. Ecce probavimus per omnium Scripturarum deificarum fidem duos montes, Sina in terra et Sion in cœlo, duorum Testamentorum portare figuram, veteris Sina, et novi Sion. Ex quibus duobus montibus, videlicet duobus testamentis, posteriori tempore demonstratos et declaratos habemus duos populos; veterem et priorem Judæorum, et novum et posteriorem populum Christianorum : Judæos terrenos, qui terram promissam a Deo acceperunt carnales; et Christianos cœlestes, qui regna cœlorum a Deo promissa acceptori sunt in futuro sæculo. Caro enim Christianorum spiritalis et immortalis erit.

XII. Alia probatione veritatis in Scripturis posita, ex ea veritate cœlesti spiritalem facimus figurarum comparationem, de hujus mundi conversatione. Diximus enim, montis sancti Sion, quod lignum regale et sacrum, haberet interpretationem de hebraico, in græcum vel latinum, *tentatio exacerbationis* vel *speculatio*, eo quod de ligno speculabatur ante se stantes bonos et malos.

XIII. Ita invenimus ipsum Salvatorem per Salomonem *speculum immaculatum Patris* esse dictum, eo quod Spiritus sanctus Dei Filius geminatum se videat; Pater in Filio et Filius in Patre, utrique se in se vident, ideo speculum immaculatum. Nam et nos qui illi credimus, Christum in nobis tamquam in speculo videmus, in ipso nos instruente et monente in Epistola Joannis discipuli sui ad populum : *Ita me in vobis videte, quomodo quis vestrum se videt in aqua aut in speculo :* et confirmat Salomonicum dictum de se dicens : *Qui est speculum immaculatum Patris.*

XIV. Verum etiam et vitem æternam et veram se esse dixit; Patrem suum agricolam. Si ergo Christus vitis vera, utique constat quia et nos, qui in illo credimus et ipsum indnimus, sumus vitis vera, quæ est vinea Dominica, et Christus custos vineæ suæ, A dicente Salomone : *Posuerunt me custodem in vinea.* Invenimus vero in conversatione hujus mundi in similitudinem spiritalem figuraliter esse vineam, habentem dominum et possessorem suum. Tempore vero mataro, prope dies vindemiarum, positum in vineam custodem puerum in alto ligno, media vinea confixo; et in eo ligno faciunt speculam quadratam de arundinibus quassatis, et per singula latera quadraturæ specula faciunt cavernas ternas, quæ faciunt cavernas duodecim : per quam quadraturam cavernarum custos puer omnem vineam perspiciens custodiat, cantans, ne viator ingrediens vineam Dominicam sibi assignatam vexet, vel fures uvam vineæ conculcent. Quod si importunus fur egens in vineam voluerit introire et uvam demere, illic puer sollicitus B de vinea sua deintus de specula dat vocem malam, maledicens et comminans, ne in vineam viator fur audeat accedere, dicens : « Rectum ambula. » Fur autem, timens vocem pueri sibi comminantis, refugit de vinea, speculam videt, vocem audit, puerum intus in specula sibi comminantem non videt, et timens post viam suam vadit.

XV. Hæc conversatio sæcularis similatur gratiæ spiritali. Ita est enim et in populo deifico, sicut in vinea terrena. Vinea Dominica et spiritalis plebs est Christianorum, quæ custoditur jussu Dei Patris a puero Christo in ligni specula exaltato. Quod si viator diabolus, perambulans viam sæcularem, ausus fuerit de vinea spiritali hominem de plebe Dominica separare et vexare, statim a puero cœlesti voce correptus et spiritalibus flagris emendatus, exulans ad C centesimum, effugit in locis aridis et desertis. Hic est custos puer filius Dominicus; qui vineam suam sibi a patre commendatam salvandam et reservandam accepit : de quo Esaias propheta canit, dicens : *Ecce puer meus dilectissimus, ponam super eum spiritum meum, et judicium gentibus nuntiabit : non clamabit, neque contendet. Arundinem quassatam non confringet, et linum fumigans non extinguet, quoadusque expellat in contentione judicium; et in nomine ejus Gentes credent et sperabunt.*

VARIORUM NOTÆ.

XII.—*De hebraico in græcum, vel in latinum.* Istud D ex tribus aliis mss. pro eo quod erat, *in græco et latino.* Tamen locus adhuc obscurus. Quæ vero sequuntur intelligenda sunt sicut supra. PAMEL.

XIII.—*Per Salomonem.* Et hic et antea adscribit Salomoni quoque Sapientiæ librum. PAMEL.

In Epistola Joannis discipuli sui. Nusquam tale quid habent Joannis Epistolæ catholicæ. Videtur itaque reponendum Jacobi, ut alludat ad illud : *Hic comparabitur viro consideranti vultum suum in speculo.* Quo magis miror quod legat Cambronensis, *ad Paulum.* PAMEL.

XIV. — *Speculam quadratam.* Bonus hic scriptor nihil distare credidit speculum et speculam : pariter peritus derivationum et mysteriorum interpres. PAMEL.

XV.—*Et in nomine ejus gentes credent et sperabunt.* Etiam hoc est iisdem, quod miror, cum et apud Esaiam, et apud Matthæum non aliud habeatur, quam *sperabunt*, græce et latine; neque etiam Cyprianus supra lib. *Testim.* II, cap. 13, aliud legat quam, *credent.* PAMEL.

Digitized by Google

TRACTATUS
ADVERSUS JUDÆOS
QUI INSECUTI SUNT DOMINUM NOSTRUM JESUM CHRISTUM,
INCERTO AUCTORE.

I. Attendite sensum et intelligentiam vestram in Spiritu sancto, ut non tantum auribus audiatis, sed etiam oculis cernatis divinum Christi sacramentum. Cernitis ante a per fidem vestram : audire enim necessitatis est, credere sollicitudinis. Aurium officium est, indifferenter pariter vana atque utilia perspicere; fidei autem, nonnisi quæ probaverit, credere. Neque enim quidquam prodest libenter audire, nisi credulitas auditum confirmet. Fidei oculi sunt spiritus, per quem videntur spiritalia. Si ergo vos estis spiritales, intelligite cœlestia. Similes enim sui similia recognoscunt : etiam muta animalia de vocis sono invicem se intelligunt, leones fremitum, tauri mugitum et miles tubæ voces! Quanto ergo verius spiritales spiritalia intelligunt, cœlestes et hæredes patris sui præcepta et ea quæ testamento patris sui cauta sunt? Vos ergo, cum sitis Christi hæredes, intelligite testamentum ejus. Quod si quis per ætatem minus docibilis est ad intelligendum, habet Spiritum sanctum interpretem, illum sequatur; illo duce et magistro facillime poterit novi testamenti jura virtutemque cognoscere, quod hæreditas gentibus contributa est, hoc modo.

II. Deus et Pater in principio fecit hominem sua manu, eumque posuit in paradiso, data certa conditione præceptorum vitæ, legis et testamenti. Ille autem, contemptis patris præceptis, expulsus est paradiso in suam terrigenam nativitatem, in qua etiam defunctus est : sed Deus suscitavit genus justum de semine Adæ, quod semen conservavit in populum, super filium Noe et hæredes ejus. Ex illo genere invenit hominem justum, cui imperavit ut faceret fabricam in modum machinæ, capacitatis certæ mensurarum compagibus; ut illa conditus cum fratribus suis Noe, servaretur per illud genus : sed jusserat Deus, propter injustitiam hominum, orbem terræ aquis inundantibus deperire. Igitur postea salvus factus est cum suis Noe, cui constituit et Deus præcepti sui testificationem dicens : *Omnis res cibus vobis, quasi pabulum olerum, excepta carne in sanguine vitæ (Gen.* IX, 3); et posuit hujus testificationis signum in arcu. Post hæc rursus Dominus Deus testificatus est Abrahæ in Isaac, hoc modo dicens : *Tibi dabo hunc terram et semini tuo, et faciam te patrem multarum gentium* (*Gen.* XVII, 8). Et exinde increvit semen in multitudinem populi, et divisum est in duodecim Patriarchas. Sed etiam illis quoque Dominus testificationem posuit in monte Choreb per Moysen, de quo loco expulsis gentibus, constituit illic populum quem accepit et possedit pro missa sibi hæreditate : quibus etiam pleraque signa et miracula ostendit Deus, quasi charissimo filio. Sed idem populus, perceptis tot tantisque beneficiis, adversatus est patri, et dereliquit Deum vivum. Dereliquit enim Israel Dominum, ostendens ei terga et non faciem : nam faciem suam convertit ad idola; et interficiendo missos ad se Prophetas, qui de Christo prædicabant, exinde consuevit Israel persequi Christum, non tantum in corpore advenientem, sed etiam cum a Prophetis annuntiaretur. Universos etenim vates persecuti sunt, ex quibus quosdam lapidibus insectati, alios indigne excruciando peremerunt, non tantum ipsos, sed et per eos Dominum Christum. Quæ enim hujus probatio? scilicet eo quod insimulatos, et infidos, et perfidos, mendaces, et contrarios Christi susceperint; veros autem et fidei plenos impugnaverint. Moysen maledicebant, quoniam Christum prædicabat : Dathan amabant, quoniam Christum non prædicabat : Aaron repudiabant in sacerdotio, quoniam Christi similitudinem præferebat : Abiron constituebant, quoniam Christo contradicebat : David oderant, quoniam Chri-

VARIORUM NOTÆ.

I.—*In Spiritu.* Male Pamelius *et in Spiritu.* Maran. *Attendite sensum* et *intelligentiam vestram.* Videtur alludere ad illud Philip. IV : *Pax Dei custodiat sensus et intelligentias vestras.* Pamel.

Similes. Sic codices mss.; *similia* editi. Paulo post, *tubæ voces* ex cod. Colb. editi *tubam*, duo alii codices mss. *tubæ.* Maran.

Miles tubam. Rectius dixisset *equus tubam.* Non enim miles mutum animal. Pamel.

Sui. Hanc vocem addimus ex tribus codicibus mss. et Morel. Maran.

II.— *Certæ. Certa mensurarum compage* duo codices mss. Maran.

Fratribus. Legendum putat *filiis* Pamelius, sicque in Oxoniensi editione legitur; sed omnes codices vetusti cum Morellio habent *fratribus.* Maran. — *Cum filiis suis.* Prorsus sic legendum pro *fratribus*. Neque enim Noe arcam ingressus est cum fratribus, sed cum filiis. Similiter paulo post *arcu* pro *arca.* Posuit enim testimonium fœderis Deus in arcu cœli sive Iridis. Pamel.

In arcu. Sic Pamelius, quamvis Morellius et codices mss. habeant *in arca.* Maran.

In monte Choreb. Secuti alias omnes, sic et hanc scripturam juxta 70 citat., qui *Choreb* legunt pro *Oreb.* Pamel.

Digitized by Google

stum canebat : Saul extollebant, quoniam Christum non loquebatur : Samuelem respuebant, quoniam Christum loquebatur : Agag servabant, nihil enim de Christo loquebatur : Hieremiam lapidabant Christum vaticinantem : Ananiam diligebant Christo adversantem : Esaiam secabant Christum vociferantem : Manasse magnificabant Christum persequentem : Joannem interimebant Christum demonstrantem : Zachariam trucidabant Christum diligentem : Judam diligebant Christum tradentem.

III. Videtis quemadmodum Christum qui diligunt, odiuntur ; qui odiunt, amore flagrant apud indignam plebem. O pertinaciam persecutionis indignam usque ad mortis exterminationem ! non enim tantummodo testes Domini impugnaverunt, sed et ipsi Domino perfidi coloni contumeliam fecerunt Patri in Filio. Quid igitur digni fuerunt pati ob hoc admissum? scilicet fugari de regno, abdicari hæreditate : et ita factum est, et ita evenit, digna dignis obtigerunt. Pater enim contumeliam passus in Filio, Filius perpessus in Prophetis tempore quo moriebantur ; in suo tempore coactus est indignatione scribere novum testamentum, adhibitis testibus cœlo et terra et Angelo de templo, assistentibus Moyse et Helia. Hos enim testes adhibuit, cum pateretur in Israel ; hæc ita facta prædixit per Prophetas, his verbis : *Audi, cœlum, et præbe aurem, terra, quoniam Dominus locutus est ; Filios genui et exaltavi ; ipsi autem me spreverunt* (*Isa.* I, 2).

IV. Has voces effudit Dominus in Israel, vociferans et dicens : Vos me noluistis, alii me recipient, qui nondum nec mentionem mei audierunt. Vos nuptias meas sprevistis, alii ibunt qui non sunt vocati. Vos meum rus et vineam meam colere recusastis, unde fructus justitiæ proveniunt ; alii colent et fructus capient in Deo. Quæ ista tam dira mens et execranda cogitatio? Interficere ergo potuistis regem et sponsum? propter hoc testes sunt cœlum et terra, et quæ in illis sunt elementa : insuper omnis creatura testis est in mortem Christi. O novam crudelitatem ! commota est omnis nativitas in Domini passione ; populus mansit immobilis sine trepidatione : Angelus in pœnitentiam conciso velamine refugit ; plebs autem sine pavore, integra veste permansit : conversa sunt elementa et confusa ; Israel securus duravit. O duritia nova ! o audacia singularis ! o perfidia cruenta ! Pilatus exteræ gentis judex sæcularis, potestate temporalis, purificavit manus et abluit scelus necessitatis, dicens : *Innocens et immunis sum ab ejus sanguine* (*Matth.* XXVII, 24) ; plebs autem nec alienum nec externum imitata est, et insuper acclamabat : *Affige in cruce, tolle : sanguis hujus super nos et super filios nostros* (*Ibid.*). Violenta crudelitas, et plebs inhumana, et corda obtusa, et oculi reclusi, interfecerunt bene merentem suum, nec lacrymas profuderunt. Lugebant Apostoli, et populus gloriabatur : tremebat terra, et plebs lætabatur ; judicabatur Dominus, et Israel exultabat : patiebatur Christus, et impii exclamabant : cruciabatur Dominus, et plebs lætababatur ; suspendebatur Dominus, et plebs epulabatur : hac ignominiosa sua solemnitate iniqua consilia consignaverunt delicto crudelitateque sua.

V. Dic mihi et loquere, impie Israel, talem hostiam obtulisti, patri immolando suum filium? Talia profudisti libamina, sanguinem pignoris acceptissimi Deo? Ducebas choreas, Hierusalem, cum interficeretur Christus ; faustis vocibus cantus dabas, cum diceres : *Affige, suspende.* Propter hoc in fame et in ægritudine : Populo Israel (queritur de te Dominus), *Neomenias*, ait, *sabbatum et diem magnum non patior ; ferias et jejunium execratur anima mea* (*Isa.* I, 13). Nec immerito Deus odivit cæremonias vestras, in quibus unicum et primarium Filium ejus peremistis. O diem durum, et horam flebilem, et solemnitatem lugubrem, et terram infaustam et civitatem profanam, et populum Domini nece cruentum ! Interfecerunt enim Dominum, et latronem liberaverunt. Ob hanc ergo causam coactus est Dominus novum facere testamentum, consignatum septem signaculis, teste Moyse et Helia in monte ; ubi præcepit ne patefieret Scripturæ sacramentum, nisi Filius hominis resurrexisset a mortuis : sed, mox ut surrexit Dominus die tertia, aperuit testamentum novum, testamentum vitale, atque ita dixit : « Venite, exteræ gentes, hæredes mei ; Israel enim non obaudivit : quapropter ite, discipuli, in ultimam usque terram, et prædicate per orbem his verbis : « Venite undique, patriæ gentium, introite in æternam hæreditatem ; Israel enim noluit. Ne dubitetis ; nulla hic exceptio est, nec ingenuitatis, nec dignitatis, nec conditionis, nec positionis, nec formæ, nec ætatis ; licet dignitate magnifici, licet nobiles, licet senes, licet juvenes, licet pauperes, divites, boni malique, domini atque servi, æqualiter introite in hæreditatem : et si pedibus captus esset, corpore deformis ; etsi maculis turpis, et capite defectus videatur ; etsi oculis defectus, universis libere licet discumbere in convivio, et epulari in nuptias sponsi. »

VI. Ne hominem pudeat nec ætatis, nec humilita-

VARIORUM NOTÆ.

Agag. Sic Pamel. ex conjectura, quia nusquam servasse *Acham* leguntur Judæi, sed I Reg. XV refertur pepercisse Saul et populus Agag regi Amalech. Morellius et tres mss. *Acham.* MARAN.

III.—*Indignam.* Sic emendavimus auctoritate trium codicum mss. *dignam* editi. MARAN.

Moriebantur. Tres codices mss. *moriebatur.* MARAN.

Indignatione. Sic Morel. et duo codices mss. *in indignatione* Pamel. MARAN.

IV.—*Effudit. Effundit* cod. Colbert. MARAN.

Commota est omnis nativitas. Nativitas pro creatura : est autem mirum quod dicit, *Angelus in pœnitentiam conciso velamine refugit.* PAMEL.

Cruciabatur Dominus. Addidi vocem *Dominus*, prorsus necessariam. PAMEL.

V.—*Acceptissimi.* Unus codex ms. *acceptissimum.* MAR.

Consignatum septem signaculis. Quum alludere videatur ad lib. de quo Apocal. I, signatum signaculis septem, prorsus legendum censeo *septem signaculis*, nisi quis malit legi *a septem spiritibus*, quippe quorum etiam Apoc. I, fit mentio. PAMEL.

Epulari in nuptias. Sic cod. Colbert. *epulari ad*

Digitized by Google

tis, nec valetudinis, nec conditionis; consuevit enim Dominus hujusmodi hominem sustinere. Nam et cæcis oculos restituit, et claudos ambulare fecit, et mutis sermonem reddidit et maculosos emundavit, et mortuos suscitavit. Ne timeatis, qui peccastis, priores ad vitam venite : nec qui homicidium fecerit, paveat, quia fecerat; nec furatus aliena desperet, quia involaverat; nec publicanus timeat, quia concusserat. Omnibus enim remissio peccatorum statuta est, et tales Dominus desiderat humilitate abjectos, et specie indecoros, et valetudine fractos, et servitute depressos. Beati enim et gloriosi et magnifici, et potentes et divites et fortes, noluerunt acquiescere Domino, neque introire in nuptias sponsi; insuper indignissime peremerunt. Propterea factus est altissimus quisque eorum, humillimus; et fortissimus, invalidus; et prudens, stultus; et nobilis et dives, pauperrimus; et hæres, abdicatus : quoniam quidem ipsi abdicaverunt Regem modestissimum et benignissimum, dicentes (*Joan.* XIX, 15) : Ignoramus quis sit hic; non enim est Rex noster : habemus alium regem Cæsarem, propterea habent quem petiverunt. Tunc completa est prophetiæ vox, quæ prædixit illis : *Vos noluistis aquam Siloam quæ vadit silentio, sed magis voluistis aquam Rassin. Quapropter induco vobis regem Assyriorum, qui montes vestros in planum dabit, et introibit terras vestras* (*Isa.* VIII, 6). Atque ita factum est. Repudiatus enim Christus a populo, misit tyrannum quem voluerunt, qui civitates eorum diruit, et plebem captivitate damnavit, et spolia accepit, et ad solitudinem Sodomæ patriam eorum redegit. *Nam Dominus ex indignatione abstulit ab Hierusalem virtutem panis et aquæ; fortem, gigantem hominem et bellatorem, judicem, prophetam, destinatorem et senem laudabilem, conciliatorem et peritum architectum, et prudentem adjutorem* (*Isa.* III, 1). Hæc omnia autem auxilia munitiones et propugnacula transtulit ad Gentes, et omne regnum suum infixo signo; inhabitavit in illis, et castra metatus est liminis, et ibi constituit virtutis exercitum, ibique regnavit.

VII. Non est jam regnum Jerusalem, sed in nobis : Ilic castra, hic exercitus, hic dux, hic virtus, hic sponsus, hic nuptiæ, hic Rex, hic Christus, hic vita, hic suscitatio, hic æternitas. Hic est qui ab initio figuratus est, et a Prophetis honoratus, et in visceribus corporatus, et in Jordane tinctus, et a populo contemptus, et in ligno suspensus, et in terra sepultus. Hic est qui rupit vetus suum testamentum, et scripsit novum, quo Gentes ad possessionem bonorum suorum vocavit : ideoque nos Gentes humeris nostris crucem Domini nostri gestamus, crucem quam confessus est Israel Dominus; qui eos placide alloquebatur his verbis : *Venite ad me, omnes qui sub onere laboratis, et ego vos reficiam. Est enim jugum meum placidum, et onus levissimum* (*Matth.* XI, 28-30); et responderunt : *Non audiemus;* sed gentes nostræ exaudierunt, et crediderunt verbo salutari, quo patefactæ sunt aures eorum, et oculi illuminati cæcorum, et eloquiæ linguæ impeditorum, claudi prosilierunt velut fera lasciviens. Christus enim cum suo regno sedem posuit illis; plebs autem derelicta, nuda, deserta, viduata regno cœlesti atque terrestri : nam a cœlesti abjecti sunt, consecuti omnia instrumenta quæ possederunt, lychnum septem luminum, et machinam Testamenti, et vasa ærea, et tubas, et panem de cœlo, et terram sanctam lacte et melle profluentem; hac hæreditate privatus est Israel, et nunc derelictus in omni sua terra sine alimento, sine luminis auxilio. Auxilium enim et præsidium interemisti, et lumen persecutus es, et protectorem repulisti, et sponsum affixisti, et regem suspendisti : propterea exul es de patria tua, oberrans circa Gentium flumina, voce supplicum prece flevisti, dicens : « Expulsus sum miser de propriis sedibus meis, hospes et advena factus sum alienæ possessionis, sine domo, sine tecto; miserere deserti et impii et *indignæ* victi. »

VIII. Hæc pœna in Israel est, hæc conditio in Hierusalem; et nisi converterint mentes, et dixerint : « Vivit Dominus in sæcula; » non poterunt intrare in Domini requiem. Vivit etenim, et vivunt hæreditates ejus, et vivit quem interfecistis impie in Hierusalem : et tamen non tibi totam spem denegavit Dominus; dedit enim veniam pœnitentiæ, si quo modo possis pœnitere. Quis tam bonus, quis tam pius, tam misericors? « Accipe, inquit, salutem, licet me occideris : hæres esto cum libera, licet non merearis. Ignosco, si te pœnitet. » Ergo, si fas est, sic capite mentem bonam, vel sero vel tarde intelligite testamentum novum. Ea vos, Gentes, absolvite illis Scripturas suas, et dicite : Adorate Dominum pro meritis suis : *Quum manus extenderis, licet exaggeres, orationem tuam non exaudit; manus enim tuæ plenæ sunt sanguine. Lavamini, mundi estote, et venite, colloquamur, dicit Dominus Deus; eluite sanguinem ex vobis, et emundabit corda vestra super nivem, animas vestras super lac* (*Isa.* I, 15).

IX. Accedite huc, Scripturis credite, hic est salus : *De Sion exiet verbum et lex de Hierusalem* (*Isa.* II, 3); judicabit in medio Gentium, et corripiet plebem multam :

VARIORUM NOTÆ.

nuptias, alius cod. mss. : *epulari nuptias* edit. MARAN.

VI.—*Furatus aliena*. Sic duo codices mss. *qui furatur aliena* edit. MARAN.

Munitiones. Sic Colb. *munitionis* edit. MARAN.

VII.—*Ad possessionem bonorum suorum*. Ex conjectura sic quoque hunc locum restitui pro *passionem*. PAMEL.

Consecuti. Mutatus hic locus, lectore non admonito ac sine ulla auctoritate in editione Oxon. ubi sic habetur : *Nam a cœlesti abjecti sunt, destituti omni instrumento quod possederunt, lychno septem luminum, et machina*, etc. MARAN.

Prece. Sic duo codices mss. *precem* edit. MARAN. —*Voce supplicum precem flevisti*. Mira est phrasis, aut certe locus mutilus. Sic et illud nescio quid sibi velit : *hæres esto cum virgine*. PAMEL.

VIII.—*Quum manus tuas extenderis*. Ita legendum : hoc enim legunt 70 Esaiæ I, unde sumpta sunt sequentia. PAMEL.

IX.—*De Sion exiet*. Hunc locum emendavimus auctoritate cod. Colb., qui tamen habet *exiit*. Alius, *de Sion*

Digitized by Google

concidant gladios suos in aratra, et frameas suas in falcibus commutent : non sumet gens contra gentem gladium, desinent enim belligerare. Et tu, domus Jacob, venite, eamus in lumine Domini ; remisit enim plebem suam : completa est regio tua præsagiis alienis, et filii alienati sunt. Tua enim ipsa terra est, et exterum factum est genus Domini. Venite ergo, intrate et esto quasi una gens : miserere errantium : æquum est honorificari sententiam Dei, qualiter magnifici prostrati sunt, et humiles allevati, fortes debilitati, infirmi confirmati; divites ad paupertatem redacti, pauperes hæreditati, dominis servi dominati, regnantes subjecti, videntes orbati, orbati illuminati ; prudentes ad stultitiam, stulti ad prudentiam conversi.

X. Etenim, qui quondam vecordes et indocti spiritu, nunc Scripturas docent, et sciunt et intelligunt : qui autem ab initio docti et periti et legis disciplinam scientes, nesciunt legem, nesciunt legere, nec intelligunt spiritalia : et qui ex illis prudentibus cupiens A videre, venit, intelligit, rogat puerum aut parvulum, aut anum, aut viduam, aut rusticum, dicens : « Vivere cupio, dux esto mihi in Sion : enarra mihi novum Testamentum, reconcilia me Domino : ecce trado me tibi discipulum, interpretare mihi legem, quæ acta sunt in Choreb, dissere præcepta quæ in Sion, et in lege. Sine litteris disserit Scripturas eis, et puer docet senem, et anus persuadet diserto. Correptus ergo Israel sequitur, injecta manu ad lavacrum, et ibi testificatur quod credidit et accepto signo purificatus per Spiritum, rogat accipere vitam per cibum gratiæ panis qui est in benedictione et fit mirum spectaculum : et qui levitæ offerebant, et sacerdotes immolantes, et summi antistites fibantes assistunt puero offerenti ; discunt qui olim docebant, et jubetur eis B qui præcipiebant, et intinguntur qui baptizant, et circumciduntur qui circumcidebant : sic Dominus florere voluit Gentes. Videtis quemadmodum vos Christus dilexit.

VARIORUM NOTÆ.

exibit lex, et verbum Domini de Hierusalem. Editi : *de Sion Dei exiet verbum de Hierusalem.* MARAN.

Miserere errantium. Rursum videtur hic locus mutilus. PAMEL.

Pauperes. Hanc vocem quæ deerat in editis restitui ex tribus codicibus mss. qui usui etiam fuerunt ad cætera emendanda : sic enim habebant editi : *Divites ad paupertatem redacti, hæreditati dominantes servi, dominatui subjecti ad regnum vocati.* Pamel legit *dominatui.* MARAN.

X.—*Quæ acta sunt.* Codex Reg. *quæ acta est ;* alius *quæ acta in Choreb.* MARAN.

In lege. Sic cod. Colbert., editi *intellige.* MARAN.

Discunt. Sic Colbert., *discum* edit., unde Pamelius, ut sententiam expleret, addiderat *docentur* ante hæc verba, *qui olim docebant.* MARAN.

COENA,

CYPRIANO FALSO INSCRIPTA.

QUIDAM rex nomine Johel, nuptias faciebat in regione Orientis, in Cana Galilææ. His nuptiis invitati sunt plures. Igitur qui temperius loti in Jordane, affuerunt in convivio. Tunc commendavit Naaman, aquam sparsit Amos, Jacobus et Andreas attulerunt fœnum, Matthæus et Petrus straverunt, mensam posuit Salomon, atque omnes discubuerunt turbæ. Sed cum jam locus recumbentium plenus esset, qui superveniebant, quisque prout poterat, locum sibi inveniebat. Primus itaque omnium sedit Adam in medio, Eva super folia, Cain super aratrum, Abel super mulgarium, Noe super arcam, Japhet super lateres, Abraham sub arbore, Isaac super aram, Loth juxta C ostium, Jacob super petram, Moyses super lapidem, Helias super pellem, Daniel super tribunal, Tobias super lectum, Joseph super modium, Benjamin super saccum, David super monticulum, Joannes in terra, Pharao in arena, Lazarus super tabulam, Jesus super puteum, Zachæus super arborem, Matthæus in scamno, Rebecca super hydriam, Raab super stuppam, Ruth super stipulam, Thecla super fenestram, Susanna in horto, Absalon in frondibus, Judas super loculum, Petrus super cathedram, Jacobus super rete, Samson super columnam, Heli super sellam, Rachel super sarcinam. Patiens stabat Paulus, et murmurabat Esau, et dolebat Job quod solus sede-

EDITIONIS BALUZII NOTÆ.

His nuptiis etc. Sic codices octo mss.; editi : *Is invitavit plures ut cœnam ejus frequentarent.*

Commendavit. Sic Pamelius et codices omnes mss. Non tamen male Morellius, *commundavit.*

Recumbentium. Multi codices habent *discumbentium*, et paulo post, *prout poterant locum sibi inveniebant.*

Lateres. *Lapides* in plerisque codicibus mss. Quæ sequuntur *Abraham sub arbore* desunt in multis.

Daniel super tribunal. In tribus codicibus *David super tribunal*, et paulo post *Daniel super monticulum.*

Joannes. Sic codices omnes, unus Colbertinus *Jonas super lectum ;* editi *Jonas super terram.* D

Ruth super stipulam. Addidit has voces Pamelius, quæ deerant apud Morel. et in omnibus exstant codicibus mss. Quæ præcedunt *Raab super stuppam* in uno tantum vidi codice Sorbonico.

Absalon. Legitur in multis codicibus *Abessalon*, et hic habet Pamelius.

Dolebat Job. Sic emendavimus auctoritate septem vetustorum codicum : editi *et dolebat Jacob, Job solus sedebat in stercore ; quod* in nullo invenі codice.

Digitized by Google

bat in stercore. Tunc porrexit Rebecca pallium, Judith coopertorium, Agar stragulum, Sem et Japheth cooperuerunt. Recumbentibus illatus est gustus cœnæ, et accepit cucurbitas Jonas, olus Esaias, betas Israel, morum Ezechiel, sycomorum Zachæus, citrium Adam, lupinos Daniel, pepones Pharao, carduum Cain, ficus Eva, malum Rachel, prunum Ananias, bulbos Lia, olivas Aaron, ovum Joseph, uvas Noe, nucleos Simeon, acetum Jonas: accepit oxygarum Jesus Christus. Deinde supervenit Jacob cum filiis, et Laban cum filiabus suis, et sederunt super lapides. Venit et Abraham cum domesticis suis et Moyses cum cætera turba, et sederunt foris. Tunc respiciens Rex invitatos suos, sic ait: « Unusquisque vestrum veniat in vestiarium meum, et dabo singulis cœnatorias vestes. » Tunc aliqui ierunt, et acceperunt. Primus itaque omnium accepit Zacharias albam, Abraham passerinam, Loth sulphurinam, Lazarus lineam, Jonas cæruleam, Thecla flammeam, Daniel leoninam, Joannes triclinam, Adam pelliceam, Judas argyrinam, Raab coccineam, Herodias cardinam, Pharao marinam, Enoch cœlinam, Agar variam, David nervinam, Helias aeriam, Eva arborinam, Job biplagiam, Isaias mesotropam, Maria stolam, Susanna castaninam, Moyses conchylinam, Abel purpuream, Levi spartacinam, Thamar coloriam, Azarias carbasinam, Aaron murrinam, Judith hyacinthinam, Cain ferrugineam, Abiron nigram, Anna Persicinam, Isaac nativam, Paulus Tharsicam, Petrus operariam, Jacob pseudoalethinam, Jesus columbinam. At ubi divisit vestes, rex respiciens eos, sic ait: « Non ante cœnatum habebat penes se Salmasius, sic legebatur.

A bitis, nisi singuli singulas vices feceritis. » Atque ita sibi præceptas diaconias consummaverunt. Primus itaque omnium ignem petiit Helias, succendit Azarias, lignum porrexit Sara, collegit Jephte, attulit Isaac, conscidit Joseph, puteum aperuit Jacob, hyssopum porrexit Sepphora, ad lacum stabat Daniel, aquam attulerunt ministri, hydriam portabat Rebecca, vinum protulit Noe, utrem portabat Agar, attulit argentum Judas, vitulum adduxit Abraham, alligavit Raab, resticulam porrexit Jesus, pedes copulavit Helias, ferrum tradidit Petrus, elisit Daniel, occidit Cain, supportavit Abacuc, suspendit Absalon, pellem detraxit Helias, ventrem aperuit Hermocrates, mediana suspendit Tobias, sanguinem effudit Herodes, stercus projecit Sem, aquam adjecit Japheth, B elavit Helisæus, partes fecit Phalech, numeravit Auses, salem misit Molessadon, oleum adjecit Jacob, in focum imposuit Antiochus, coxit Rebecca, prior gustavit Eva. Explicitisque omnibus, omnes locis suis resederunt. Tunc intulit panes Saul, fregit Jesus, tradidit omnibus Petrus, intulit lentem Jacob, solus manducavit Esau, intulit intritam Abacuc, totum comedit Daniel, fabam intulit Amelsad, prior gustavit Misael. Sed, quoniam hærdum coctum comederat Isaac, et piscem assum Tobias, cœpit tumultuari Æglom. Valde esuriebat Daniel, panem petebat Hermocrates; non manducabat Joannes, nihil gustaverat Moyses, jejunus fuit Jesus, micas colligebat Lazarus. Cæteri autem partes suas tenebant, quas ex variis venationibus acceperant. Abraham vitulinam, C Esau cervinam, Abel agninam, Noe arietinam, Sam-

EDITIONIS BALUZII NOTÆ.

Agar stragulum. Hæc desunt in plerisque codicibus mss. Non pauci habent *cooperuerunt recumbentes*, unus Colbertinus *cooperuerunt se.*

Olivas Aaron. Plerique codices mss. et Morellius habent *uvas Aaron*, et paulo post *olivas Noe.*

Acetum Jonas. Sic octo codices mss. editi *dedit Acetum Jonas.*

Oxygarum. Aliter in sex codicibus mss. *accepit et hoc J. C.*

Unusquisque.... veniat.... et dabo. Sic emendavimus codicibus plerisque consentientibus, nisi quod nonnulli habent *in vestiario meo:* editi, *Quisque voluerit vestrum venire.... dabo.* Pamelius addidit *singulas*, quam vocem in uno tantum vidi codice ms.

Loth sulphurinam. Sic codices mss. et editi, præter Oxoniensem, ubi legitur *Job.*

Joannes triclinam. Trichinam legendum esse observat Salmasius annot. in Trebel. Pol. p. 342, in uno D ex regiis codicibus legitur *triginam.*

Judas argyrinam. Quidam codices mss. *argurinam*, alii *arguirinam.*

Herodias. Cod. Sorb. *Herodes.*

Helias aeriam. Quidam codices *aeream*, alii *aerinam.*

Job biplagiam. Edit. Oxon. *biblagiam;* repugnant alii codices mss. et editi.

Isaias mesotropam. Colbertinorum codicum alter *mesotratam*, quæ vox aptior videtur ad indicandum Esaiam medium fuisse scissum. Forte melius legeretur *mesotretam.*

Susanna castaninam. Sic pro *castalinam* legendum monet Salmasius not. in Vopisc., p. 410. Hanc observationem confirmat auctoritate Azelini monachi Remensis, qui cœnam hanc versibus rithmicis ante aliquot sæcula reddidit. In hoc opere, quod manu exa-

Helciæ pulchra filia,
Secura per pomæria,
Susanna fert castaneam.

Levi spartacinam. Cod. Colb. *partacinam*, unus ex regiis *spartaginam.*

Thamar coloriam. Sic alter codicum Colbert., atque ita legendum observat Casaubonus not. in Vopisc. p. 396; editi *colorinam.*

Aaron murrinam. Multi codices mss. *myrrinam.*

Judith hyacinthinam. Judas in plerisque mss. Colbertinorum, alter *Judas Zantinam.*

Anna Persicinam. Persinam Sorbon. et unus ex regiis.

Paulus Tharsicam. Candidam octo codices mss.

Jacob pseudoalethinam. Sic unus ex Regiis codicibus. Sic etiam legisse se testatur Salmasius in vetusto codice, not. in Treb. Pol. p. 342. Cæteri codices hanc lectionem confirmant, quorum multi habent *pseudoallechinam* vel *pseudoallecinam:* editi *alethinam. Joannes* legitur pro *Jacob* in sex codicibus mss.

Præceptas diaconias. Sic plerique codices mss. editi *præcepta diaconia.* Paulo ante *singuli* deest in plerisque codicibus mss.

Collegit Jephte. Desunt hæc in plerisque mss.

Hermocrates. In quibusdam codicibus *Hermogrates.* Sic etiam paulo post in quibusdam legitur *Malassadon.*

Antiochus. Ariochus in multis codicibus mss.

Amelsad. Melsad. in pluribus codicibus mss.

Esau cervinam. Sic Morel. et codices mss. Pamelius *Isaac.*

Digitized by Google

son leoninam, Elisæus ursinam : majorem tamen partem tenebat Benjamin. Postmodum dedit panes Pharao, omnibus divisit Joseph, discum attulit Herodes, partes composuit Rebecca, intulit Jacob, distribuit omnibus Noe. Primus ergo sustulit Joannes caput, cerebellum Abessalon, linguam Aaron, maxillam Samson, auriculam Petrus, oculos Lia, cervicem Holophernes, arterias Zacharias, collum Saul, armora Agar, interanea Jonas, fel piscis Tobias, cor Pharao, renalia Esaias, latus Adam, costam Eva, ilia Maria, ventrem Sara, vulvam Elisabeth, adipem Abel, femora Abraham, caudam Moyses, crura Loth, pedes Jacob, ossa collegit Ezechiel. Item Jacobus et Andræas intulerunt pisces : sustulit itaque asellum Jesus, labeonem Moyses, lupum Benjamin, mugilem Abel, murænam Eva, pellamidem Adam, locustam Joannes, gladium Cain, captionem Abessalon, polypum Pharao, turpitudinem Lia, auratam Thamar, scarum Agar, cantharidem David, halecem Joseph, saxatilem Hieremias, umbras Lazarus, soleam Juda, hirundinem Tobias, argentillum Judas, sepiam Herodes, carnutam Esau, glanculum Jonas, alopidem Jacob, salpam Molessadon, denticem Esaias, araneum Thecla, coracinum Noe, rubellionem Rebecca, lacertum Golias, mænam Maria, et leonem Samson. Posuit et Jonas acetum, Molessadon salem misit, prior intinxit Cain. Explicitisque omnibus, dedit adipem Abel, mel Jonatas, lac Abraham, conspersit Sara, dulcia fecit Jesus, perministravit Paulus. Sed, quoniam aliquot genera vini habebant, passum bibebat Jesus, Marsicum Jonas, Surrentinum Pharao, pellinum Adam, Gaditanum Moyses, Creticum Isaac, Adrianum Aaron, arbustinum Zacchæus, arsinum Thecla, Albense Joannes, Campanum Abel, Signinum Maria, Florentinum Rachel. Saturatione vini sopitus jacebat Adam, ebrius obdormivit Noe, satis biberat Loth, stertebat Holophernes, somnus tenebat Jonam, vigilavit prope gallum Petrus, suscitabatur Jesus, surgere quærebat Jacob, prior surrexit Labam. Tunc miscuit scyphum Benjamin, intulit Martha, prior bibit Petrus. Sed, quoniam vinum subduxerat Amelsad, et male miscuerat Jonas, murmurabat Hermippus, aquam bibebat Joannes, vinum petebat Maria, non consentiebat Susanna, plenam ampullam ferebat Martha, sitiebat Ismael, ire volebat Tobias, alienum calicem bibere volebat Jacobus. Sublatisque omnibus, aquam ad manus petebat Pilatus, tradidit Judas, ministrabat Martha, effudit Hermocrates, linteum porrexit Petrus, intulit lucernam Esaias, gratias egit Simeon, benedixit Anna, intulit coronas Rachel, David hyssopum porrexit, dedit unguentum Maria, perunxit Martha, poma intulit Adam, favum porrexit Samson, cytharam percussit David, tympanum Maria, psalterium duxit Jubal, choros duxit Judith, cantavit Asael, saltavit Herodias, laudes dedit Azarias, magis lusit Mambres, risum fecit Isaac, osculum porrexit Judas, valefecit Loth. Et cum vellent discedere, respiciens eos rex, sic ait : « Nunc per omnia diem nuptiarum celebrate, et frequentate, et demutate habitus, velut pompas facientes ; sic ite in domos vestras. » Placuit vero omnibus voluntas regis : atque ita primus omnium procedit in magistro Jesus, in custode Joannes, in retiario Petrus, in secutore Pharao, in venatore Nemroth, in delatore Judas, in hortulano Adam, in exordiario Eva, in latrone Cain, in pastore Abel, in cursore Jacob, in sacerdote Zacharias, in rege David, in cytharœdo Jubal, in piscatore Jacobus, in coquo Antiochus, in aquario Rebecca, in furnitore Ananias, in bestiario Thecla, in stupido Molessadon, in religioso Salomon, in ministra Martha, in milite Urias, in insano Herodes, in famulo Cham, in medico Tobias, in ebrio Noe, in risiculo Isaac, in tristi Job, in judice Daniel, in fabro Joseph, in prostituta Thamar, in formosa Rachel, in odibili Lia, in domina Maria, in impio Loth, in adversario Amalech, in structore Sem, in rusticulo Esau, in forti Golias, in pistore Hieroboam. Sed, quoniam contendebat Dina, aquam effundebat Aaron, et nudus erat Jonas ; tunc solem petebat Auses ut siccaretur Bersabee. Quo facto, jussit eos rex ad se venire ; qui venerunt altera die et munera ei obtulerunt. Pri-

A

B

C

D

EDITIONIS BALUZII NOTÆ.

Intulit Jacob. Hæc non inveni in mss.

Fel piscis. Sicotum in sex mss. *Syreotum* Remig.

Polypum. Polytum in mss.

Cantharidem. Cantoridem mss. Sic etiam *halegem*, *saxitanum*, *umbras*, *soliam* in plerisque.

Hirundinem. Arundinem in pluribus mss.

Glauculum Jonas. Quidam mss. *conculum*, alii *glaucum*.

Alopidam Jacob. Plerique codices *Job*. Paulo post *creneam*, *coracinam*, *helionem* in multis codicibus, *dentilem* in uno mss.

Mel Jonathas. Sic codex Sorb. alii *Jonas*, editi *Joannes*.

Conspersit. Consparsit in mss.

Perministravit. Sic codices mss. editi *perministravit*.

Suscitabatur. Suscitabat mss.

Laban. Lazarus Morel. et quidam mss.

Intulit Martha. Maria in sex mss. *Thamar* Sorbon.

Aquam. Plerique mss. *aquatum*.

Non consentiebat Susanna. Non inveni in mss.

Martha. Thamar in codice Sorbonico.

Petrus. Sic novem codices mss. *Martialis* in editis.

David hyssopum porrexit. Hæc desunt in octo codicibus mss. in quibus etiam legitur : *dedit unguentum Aaron.* Postea *perunxit Maria* in uno ex regiis codicibus.

Percussit. Porrexit in plerisque codicibus mss.

Choros. Multi codices habent *choreas*.

Cantavit Asael. Cantavit David in plerisque mss. codicibus.

Ite in domos vestras. Ite domibus vestris in plerisque mss. sic etiam paulo post in iisdem *prodit in magistro Jesus*.

In custode. Omnes codices mss. *in custodia*.

Nemroth. Mambrés in omnibus mss.

In exordiario. Morel. et codices mss. *in exodiario*.

In coco Antiochus. Ariochus in codicibus mss. *in coco jarito* Sorb.

In furnitore Ananias. mss. *in fornatorio*.

In ministra. mss. *in ministro*.

In rusticulo. Plerique mss. *in rustico*. Iidem paulo post *nudus erat Joannes*, *stolam petebat Auses*.

Quo facto. Morel. et quidam codd. mss. *pro quo facto*, alii *sub quo facto*. Paulo post desunt hæ voces

Digitized by Google

mus itaque omnium obtulit arietem Abraham, taurum Thecla, oviculam Noe, camelum Rebecca, leonem Samson, cervum Esau, vitulum Jesus, jumentum Jacob, currum Helias, vestem Judith, crines Barsabee, ligna Isaac, frumentum Joseph, resinam Ruben, pecuniam Abimelech, strobilos Levi, capsam Moyses, favum Petrus, copias Abigal. Sed, quoniam ante diem convivii, quædam de convivio subducta fuerant, jussu regis inquirebantur ab eis. Involverat enim strangulum multicolorium Agar, sigillum aureum Rachel, speculum argenteum Thecla, scyphum bibitorium Benjamin, annulum signatorium Thamar, coopertorium subsericum Judith, lanceam regiam David, alienam uxorem abduxerat Abimelech. Tunc jussit rex, ut omnes qui fuerant in convivio ducerentur ad tormenta. Quo facto, primus innocens decollatur Joannes, occiditur Abel, foras projicitur Adam, timens obmutescit Zacharias, fugit Jacob, quæritur Enoch, turbatur Abimelech, immutatur Nabuchodonosor, deprecatur Abraham, transfertur Helias, supprimitur Dina, includitur Noe, impingitur Loth, suffigitur Jesus, damnatur Daniel, accusatur Susanna, alligatur Joseph, occiditur Martha, tollitur Abacuc, bestiis datur Thecla, in fornacem mittitur Ananias, vinculis constringitur Samson, punitur Urias, flagellatur Paulus, tenditur Esaias, expoliatur Jonas, lapidatur Hieremias, excæcatur Tobias, non credebant Moysi, subducitur Abiron, suspenditur Abessalon, confunditur Rebecca, transducitur Agar, arguitur Pharao, relinquitur Dathan, deprimitur Chore, copulatur Isaac, A mittitur Nathan, convincitur Amalech, maledicitur Judas, dehonestatur Mambres, cognoscitur Loth, interficitur Phinees, dimittitur Ophni, timens moritur Heli, comprimitur Dina, decipitur Esau, subtrahitur Saul, dolet de facto Job, interrogatur Eva, Nescio clamat Cain, tenetur et negat Petrus. Sed quoniam multorum conscientia erat, in furto quod erat suscipiens Raab, quærebat Laban, infamabatur Susanna, erubat Joannes, negabat Rachel, docebat Moyses, plorabat Triphena, observabat Maria, attendebat Onesiphorus, tristis erat Paulus, jurabat Jacob, non credebat Pharao, mentiebatur Hieroboam, pavebat Susanna, erubescebat Rebecca, plangebat Hieremias. Postmodum, scrutatis omnibus, inventum est furtum apud Benjamin, quod erat in conscientia Joseph. Sed, postquam probatum est regi quod Achar filius Charmi solus esset reus furti, jussit eum mori donavitque eum omnibus. Tunc, occasione accepta, primus omnium calce eum percussit Moyses, abiit in complexum Jacob, vestem detraxit Thecla, ad terram elisit Daniel, lapide percussit David, virga Aaron, flagello Jesus, medium aperuit Judas, lancea transfixit Eleazar. Tunc jussit uti qui mortuus esset sepeliretur; et vendidit agrum Laban, emit Abraham, Joseph monumentum fecit, et ædificavit Nachor, aromata imposuit Maria, clusit Noe, superscripsit Pilatus, pretium accepit Judas; quo facto gaudeus clamat Zacharias, confunditur Elizabeth, stupet Maria, ridebat de facto Sara. Explicitisque omnibus domos suas repetierunt. C

B

EDITIONIS BALUZII NOTÆ.

altera die. In iisdem legitur *stropillos Levi* vel *stropilos*, *capsas Moyses*. *Ante diem quædam de convivio*.

Cognoscitur. Sic pro eo quod erat in editis *cegitur*, emendavi, codicis Colbert. auctoritate.

Quærebat. Editi *quærebatur*. Emendavimus auctoritate quatuor mss.

DE REVELATIONE

CAPITIS BEATI JOANNIS BAPTISTÆ TRACTATUS, INCERTO AUCTORE.

1. Narrat Josephus vinctum fuisse abductum Joannem Baptistam in castellum Machoenta, ibique caput ejus truncatum fuisse; narrat historia ecclesiastica sepultum in Sebaste, civitate regionis Palestinæ, quæ quondam Samaria est appellata. Post longum vero tempus, monumentum ejus pagani invaserunt, et ossa per campi planitiem dissipaverunt, rursumque collecta igne concremaverunt, et postea per agros cre- D

COMMENTARIUS.

1.—*Narrat Josephus.* Stupendissimum hanc narrationem subnectimus, ne quid Cypriano olim appensum desideraretur. Laterem videtur lavare Pamelius, qui notis suis mendaciorum scutinam purgare satagit. Oxon. —*Narrat Josephus.* Lib. nempe XVIII *Antiq.*, c. 10, seu juxta novam versionem 7. Quod ipsum ex illo repetit Eusebius lib. I *Hist. Eccl.*, cap. 11, sed juxta græcum exemplar 11; et postea Beda in cap. XIV Marci, ubi cum iisdem verbis utatur, atque inde illius hæc transcripta ad verbum videantur, non eum veritus reponere, *in castellum Mache xonta abductum.* Pam.

Narrat historia ecclesiastica, etc. Sic lego, quia nullam hujus rei facit mentionem Josephus, sed Hist. Eccl. lib. XI, cap. 28, auctore Ruffino, in sua ad Eusebium Appendice. Pamel.

Post longum vero tempus. Tempore nempe apostatæ Juliani, inquit Beda cum Ruffino: qui etiam rectius narrant adfuisse tunc quum dispergerentur ossa Joannis Bapt. monachos, non postea advenisse. Ex quibus etiam omnino legendum censeo *Philippum* pro *Josephum*, præsertim consentientibus Petro Trecensi in *Historia Scholastica*, ut omittam ms. quemdam de hac re tractatum, et Adone in Martyrol. ad 4. kal. Septem., qui cum Ruffino missa dicunt hæc ossa Athanasio per Julianum diaconum. Pamel.

Digitized by Google

mata projecerunt. Postea vero advenerunt quidam monachi, religiosi viri, de Hierosolymis ad locum ejusdem monumenti, audientes ea quæ Joanni acciderant, et quicquid potuerunt ex ossibus illius colligentes, ad patrem suum Philippum detulerunt Hierosolymam, et ille transmisit ea cum aliis viris religiosis Athanasio Alexandriæ pontifici fidelissimo. Ibique miro modo fuerunt servata, usque ad tempus Theophili ejusdem urbis episcopi. Qui Theophilus, jubente Theodosio principe, omnia idolorum fana in illa regione, Christo favente, destruxit, et ecclesiam miræ magnitudinis construxit, et in honorem ejusdem sancti Joannis Baptistæ consecravit, et illius ossa quæ sibi direxerat suprascriptus Athanasius, in eadem ecclesia congregatis ibi vicinis pontificibus ex omni parte catervatim, omnibusque ordinibus clericorum et populorum, honorifice constituit. Igitur, accedente Paschali festivitate, decollatus est Joannes Baptista imperante nequissimo Herode, qui dari saltanti puellæ caput ejus jussit; et multo post decollationem ejus, accedente illo anno quo constructa est ecclesia in nomine ejus, et ossa ejus ibidem collocata a Theophilo pontifice, jubente Theodosio principe, in honore ejus consecrata est quarto kalendas septembris. Solemnitas namque ejus mirifice est consecrata in dedicando. Caput autem illius tunc temporis repositum erat in loco quo illud in absconso uxor Herodis deposuerat, nemine sciente, postquam a filia in disco suscepit.

II. Si quis omnia plenius voluerit scire, Chronicam Marcellini principis legat; et ibi reperiet duos monachos ab Oriente in Hierusalem venisse causa orationis in tempore Marciani imperatoris. Quibus monachis in visione angelica dictum est: « Ite ad palatium Herodis, qui quondam hic fuit perfidus princeps: introeuntes perspicite diligenter, et ubi fumum e terra ascendentem videritis, fodientes ibi, caput Joannis Baptistæ incunctanter invenietis. » Et ita fecerunt, et cum magno honore clanculum secum Hierosolymam deportaverunt. Et non multo post a latronibus raptum est: qui mittentes in quemdam specum, ibidem dimiserunt, donec idem Joannes, Christo auxiliante, cuidam viro religioso nomine Marcello, sacerdoti, qui in eodem specu morabatur ut eremita, revelavit, dicens: « Accipe caput meum, quod in hoc specu depositum est a latronibus, et defer illud Juranno episcopo, qui nunc præest Alexandriæ civitati post Theophilum Deo charum, ubi reliquiæ corporis mei requiescunt. » Et sic fecit Marcellus, Christo annuente. In eadem igitur solemnitate collectionis reliquiarum illius translationis et ecclesiæ consecrationis, allatum est caput Joannis Baptistæ ad civitatem Alexandriæ a Marcello presbytero, et datum Juranno episcopo, quarto kalendas septembris. Et Jurannus suscepit illud, collocans mirabiliter in eodem loco perpetim custodiendum. Et ideo hodierna festivitas collectio reliquiarum beati Joannis Baptistæ, non decollatio nominanda, Christo annuente, et inventio ac revelatio capitis ejus. Jamque idem vir Domini Jurannus episcopus, et Marcellus sacerdos feliciter ad Dominum ex hoc mundo in pace migraverant.

III. Annis evolventibus non plurimis, cuidam viro religioso sacerdoti ac monacho, Felici nomine, qui orationis gratia ab occidentali parte in illis diebus Hierosolymam adierat, angelica visione dictum est: « Felix, surge concitus, et pergens ad civitatem Alexandriæ, invenies ibi ecclesiam in honorem sancti Joannis Baptistæ consecratam, ubi caput ejus cum tribus parvulis Innocentibus reconditum est. Quod accipiens transfer in partibus Galliarum in regione Aquitaniæ in locum quem tibi ostendero. » De qua visione certus et expergefactus reverendus senex, gaudio amplissimo repletus, pergens illico ubi jussus fuerat, sicut ei dictum fuerat, cuncta reperiens, rectori sui itineris grates innumeras rependit, properansque ad locum, thesaurum sibi a Deo destinatum in unius sportellæ concluſit sinu: statimque retro iter arripiens, junctis sibi sociis septem fratribus suis, qui cum eo abierant, vallansque clam omnem regionem illam, perveniens ad littora maris, invenit navem cum remigiis ac

COMMENTARIUS.

II.—*Chronicam Marcellini principis.* Antea mendose legebatur *Marcelli*. Citat enim etiam Beda loco citato chronicam Marcellini comitis. Is enim ad Chronicum Eusebii et Hieron. Appendicem scripsit, et produxit ad tempora usque Justiniani, quæ excusa est cum fastis consularibus Onuphrii Panvinii. PAMEL. — *Chronica* cod. mss. olim. BALUZ.

Mittentes in specum quemdam. Quod auctor a latronibus, Marcellinus comes et Simeon Metaphrastes a figulo quodam raptum dicunt sacrosanctum Baptistæ caput. Atque hinc factum puto ut maluerit Beda cum loco citato, tum in Hom. *de Collocatione seu Natali D. Joannis Baptistæ*, non aliud scribere quam incuriæ culpa deperditum. Quod de verbo ad verbum etiam transcriptum est in Bedæ et Adonis martyrologiis ad 6 kal. martii, quem Peritium vocat Metaphrastes. Quibus locis, uti et apud Usuardum, legendum esse Emessam, seu potius Emesium Phœniciæ civitatem, non Edessam, patet ex Marcellino, Metaphraste et Petro Trecensi, tum ex dicta narratione, et martyrol. D. Donatiani ms. et ipsius Adonis Chronicis. PAMEL.

Juranno episcopo. Beda legit *Julioramo*. Petrus Trecensis *Juliaramo*. Illud accedit magis ad lectionem Metaphrastis, qui cum ms. cod. legit *Uranio*, præsertim quum Marcellinus comes legat *Juliurnio*. Qui tamen non Alexandrinus, sed Emissenus episcopus fuisse ab illis omnibus perhibetur; atque adeo videtur auctor memoria lapsus, dum Alexandriæ episcopum facit et successorem Theophili, nisi forte inter Alexandrinos episcopos Uranius recensetur, aut Julioranus. PAMEL.

Ad civitatem Alexandriæ. Etiam hic sui oblitus videtur auctor, fortassis ex eo quod apud Alexandrinum, uti prius dixit, ossa D. Joannis Baptistæ essent recondita, et in ejus honorem ædificata ecclesia. Nam etiam pro aliis facit quod habet Sigebertus in Chronico ad annum Dom. 761, caput Joannis Bapt. ex Edessa (nam sic legendum censeo, pro eo quod est *in*) civitate transfertur. Nam de translatione in Gallias, id intelligi patet ex Vincentio Bellovacensi, Petro Trecensi et Antonio, item ex Chronico quodam ms. Guilielmitarum incerti auctoris. PAMEL.

Digitized by Google

gubernaculis a Deo paratam; quam ingressus est cum thesauro et magni pretii margaritis. Igitur fratres et socii ejus descendentes cum eo in navi, gratias agentes, in hymnis et laudibus Deum benedicentes, alta petunt æquora.

IV. Cumque in mare iter agere cœpisset, Felix, elevatis oculis, ad cœlum palmas tetendit, dicens : « Domine Jesu Christe, qui fecisti cœlum et terram, mare et omnia qui in eis sunt, et profundum abyssi intueris, qui super undas maris siccis pedibus ambulasti, et Petrum mergentem manu erexisti, et Paulum ter de naufragio liberasti; libera nos de magnis fluctibus hujus pelagi, ut viventes benedicamus nomen tuum in sæcula sæculorum. Mittere etiam, Domine, dignare sanctum Angelum tuum de cœlis, ut sit dux itineris nostri, sicut fuit quondam patribus nostris, quando eduxisti eos de terra Ægypti in fortitudine magna, et in manu tua valida; et perduc nos recto itinere ad locum optatum, ad sanctas et pretiosas margaritas collocandas. »

V. Hæc et his similia orante beato Felice, ecce nubes lucida descendit supra navem, et de medio nubis egressa est columba ad instar nivis candida, et super puppim navis immobilis perstitit, tam in die quam in nocte, usque dum in partibus Aquitaniæ ad littus maris Oceani pertingerent. Cumque non longe a terra se esse cognovissent, diverterunt ad portum qui appellatur Angolismensis, qui est situs in pago Alniensi. Ibique euntes de navi ad terram, paulisper requieverunt. Moventes autem ex eodem loco, duobus milliaribus peractis, invenerunt eminus corpora mortuorum, regem videlicet Wandalorum cum omni exercitu suo jacentem super faciem terræ, ut opinor, quasi viginti millia virorum : quoniam egressus fuerat idem populus crassa cervice de vagatione sua per mare cum classe magna, et ventus vehemens irruit in eos, et transvexit in partes Occidentis in supradictum portum Angolismensem. Nuntiatumque est Pipino regi Aquitarum, quod gens Wandala regnum ejus invaderet : misitque in omnes terminos Aquitanorum ac Xanctonicæ, nec non Angolismæ, sive omnes terminos eorum, ut contra eos pergerent ac dimicarent : quia idem rex Pipinus tunc morabatur in territorio Alniensi super fluvium Vultronæ, in palatio quod vocatur Engeriacum, inter medios fines Pictavorum ac Xanctonicæ. Denique, cum idem rex Pipinus cum omni multitudine armatorum occurreret hostibus suis, fecit Dominus salutem magnam omni exercitui suo, ita ut nullus evaderet ex hac multitudine, qui non cæde vastaretur. Supradictus autem rex videns sibi a Domino auxilium de cœlo fuisse præstitum, et ultionem de inimicis, ita ut non minuerentur de exercitu suo, nisi viginti viri quos præ cæteris valde diligebat. Quos accipiens, singulis deposuit feretris. Lætus pro victoria, mœstus pro amissorum funeribus exercitum revocat, pergere cupiens ad propria.

VI. Cumque ab hac cæde quasi quatuor milliaribus disjuncti essent, figere tentoria imperat; pressusque somno, stratum suum parari in papilionibus jubet. Tunc, pro lassitudine somno ingruente, vox divina oblata est, dicens ad eum : « Cur te piger somnus ita pressit? Noveris magni viri Joannis Baptistæ caput ex transmarinis partibus ab Oriente cum tribus parvulis Innocentibus ad hunc pagum deferri, et propter ejus meritum in hoc prælio divinitus victoriam tibi a Deo esse collatam. » Respondit ei rex Pipinus in visione, dicens : « Si tanta beneficia propter *ejus meritum* in me vigent, indica mihi quid agam, aut quemadmodum investigare vel invenire potero *eum.* » Respondit et vox divina, dicens : « Ecce post tergum tuum sequuntur te septem fratres in habitu *peregrinorum*, et unus qui cæteris præesse videtur, Felix vocatur. Vade in occursum eorum cum pancis, *et in* humilitate cordis benigne suscipe : adornatasque pretiosissimas margaritas pacifice tecum *ducere* coneris, et videbis magnalia Dei. » Vir autem Domini Felix, visa tanta multitudine cæsorum corporum, pavore perterritus, tamen de adjutorio Dei confisus, confortat socios, et ut paulisper iter agerent, admonet. Divertentesque ex adverso, parvulum *sibi* statuerunt habitaculum, ut eadem nocte usque mane in eodem permanere potuissent.

VII. Prædictus autem rex Pipinus a somno evigilans, intra semetipsum cogitare tacitus cœpit ex visione quam viderat, quid agere deberet; recogitans quia in antiquis est sapientia, et multorum peritorum prudentia. Mittensque concitus accersiri jubet virum prudentem ac bonis operibus pollentem, nomine Felicem, ut de tanta manifesta visione Dominum pulsaret, ut ei salubre consilium suggerere dignaretur. Igitur consilio inventum est ut exutis vestibus et calceamentis suis in cinere et cilicio nudis plantis incedentes, sicuti oraculo divino admonitus fuerat, obviam famulis Dei procederent. Cumque se *mutuo* conspexissent, jacentes, tam ipse quam omnes qui aderant, proni in terram tamdiu adoraverunt, *quoadusque* famuli Dei ad locum ubi jacebant, pertingerent. Cumque Dominum benedixissent, et se *invicem* salutassent, osculum pacis sibimet dederunt. Levantesque se a terra, lacrymabiliter interrogabant se invicem, qua causa hæc quæ viderant et audierant, accidissent. Vir autem Domini Felix cuncta intelligens a Deo esse manifestata, retexit historias quemadmodum Hierosolymam adierat orationis gratia, et thesaurum absconditum divina misericordia ei revelaverat. Et facta oratione cum omnes respondissent : Amen,

COMMENTARIUS.

F V.—*Regem videlicet Wandalorum.* Intelligendum est istud aut de strage Chilxingi Arvernensi et Amingi Pictaviensis comitum, quale quid indicat Sigebertus qui in auxilium venerant duci Aquitaniæ contra Pipinum : aut de ipsa cæde Vuayfarii ducis ceu regis, interfecti apud Petragoricos, juxta Adonem et Aimoinum, ut Wandalos illos nuncupet, quod a Vasconibus, atque adeo et Wandalis orti essent. Aut certe reliquiæ quæpiam Wandalorum rursum Gallias tunc infestantium, quemadmodum eos fecisse scribit Robertus Gaguinus paulo antequam regnaret Carolus Martellus, Pipini pater. PAMEL.

Digitized by Google

elevatis Felix pretiosissimis margaritis, capite scilicet Joannis Baptistæ et reliquiis sociorum ejus beatorum martyrum Innocentium; cum hymnis et laudibus psallentium dirigit chorum.

VII. Quo audito, cunctus exercitus qui in castris erat, quasi unus vir ei obviam processit numero triginta millia virorum. Exsequias vero mortuorum qui in prælio corruerant, secum deferentes, petebant auxilium de cœlo a Domino per præcursorem suum Joannem, ut cujus reliquiæ deportarentur divina gratia manifestare dignaretur; promittentes se tantam fidem habere, ut quidquid peteretur, sanctus Joannes Domino annuente tribuere posset : apprehendentesque sportellam, in qua beati Joannis Baptistæ caput continebatur, singulis feretris imposuerunt, mortuos tangentes. Miro atque inæstimabili modo, mox ut tetigit ossa jacentium, vita per mortuum mortuis reddita est. Surrexerunt autem eadem hora ab officio funeris, viginti viri tam celeriter ac si a somno essent excitati; et qui a flentibus amicis portabantur ad tumulandum, iisdem gaudentibus ad vitam redeunt. Videns autem rex Pipinus et cunctus exercitus magnalia quæ circa eos Dominus gesserat per præcursorem suum Joannem Baptistam; plaudentes manibus benedicebant Dominum, qui fecit mirabilia in cœlo et in terra. Vir autem Domini Felix et socii ejus gaudio repleti, una cum rege Pipino et exercitu ejus, levantes caput beati ac præcellentissimi præcursoris Christi Joannis Baptistæ et beatorum Innocentium, cum gaudio et lætitia iter agere cœperunt. Cumque nulla mora fieret in eundo, pervenerunt ad quamdam villam, quæ appellatur Vultronia. Cumque ibidem paulisper quievissent, obvius eis quidam cæcus factus est, qui statim sanus effectus est per beatissimi Præcursoris merita. Cumque de eodem loco eis moveri placuisset, arripiunt iter per viam quæ ducit ad paludem cognomine Mathevallis. Cumque eis aliquantulum ibi requiescere placuisset, ecce quidam debilis pedibus qui se erigere omnino nequibat, rependo se trahens obviam eis processit. Qui invocans meritum beati Joannis, ita redditus est sanitati, ut firmus et stabilis sine dolore incederet cum turbis.

VIII. Jamque propinquantes ad locum quo tendebant, super fluvium Vultroniæ ad palatium nomine Engeriacum pervenerunt. Audiens autem omnis populus, a maximo usque ad minimum, a viro usque ad mulierem, omnes simul in unum conglobati obviam eis processerunt. Cumque ibidem ante palatium regis Pipini pervenissent, in basilica beatissimæ et gloriosissimæ semper Virginis Mariæ, cum magno fervore et studio, illico ad custodiendum deposuerunt. Lætatusque est universus populus lætitia magna, et celebraverunt solemnitatem hujus diei quarto kalendas septembris, et reversi sunt unusquisque ad habitacula sua. Igitur beatus Felix et socii ejus cum venerando rege inter cætera Dominum deprecabantur, ut eis salubre consilium suggereret, quonam in loco sancta membra locarent. Ædificantesque basilicam, et in ea concavum ciborium cum sex columnis marmoreis mirifici operis bene compositis, non longe a Vultroniæ littore, sed, ut arbitror, centum stadiis. In quo cum aromatibus et plurimis bonis odoribus condientes caput beati Joannis Baptistæ almi præcursoris Christi, et beatorum trium Innocentium corpora simul in hoc ciborio concluserunt, bitumineque sigillato munierunt. Domino autem auxiliante, hoc ædificium completum est feliciter. Fecit etiam idem rex fontem ductorium, qui a duobus fere milliaribus per profundissimos terræ meatus ad palatium ejus ductus decurreret, et in ipsam basilicam per ferrum et æs introduceretur, ac subtus ciborium per concavam marmoream columnam ebulliret : ibique sacri baptismatis ablutio fieret : sicque iterum ad primos aditus reflecteretur. Convocans igitur rex Pipinus et beatus Felix pontifices et sacerdotes, omnesque patriæ nobiles, benedicentes ecclesiam, atque in honore ejusdem Joannis Baptistæ dedicando mirifice consecrantes, prædiis ac possessionibus suis a progenitoribus sibi dimissis eam nobiliter dotaverunt. Ordinatisque omnibus necessariis, monachos ibidem Deo in perpetuum servituros statuerunt, postmodum multa Domino mirabilia operante per famulum suum Joannem Baptistam. Tandem vero metam narrationi ponentes, oremus immensitatem bonitatis Christi, ut sua potenti dextra suffultos nos ad æternæ quietis stationem perducat, qui vivit et regnat cum Patre et Spiritu sancto per omnia sæcula.

DE PASCHA COMPUTUS.

MONITIO AD LECTOREM.

JOHANNES WALLIS S. T. P.

GEOMETRIÆ PROFESSOR OXONII.

S.

Cum reverendus admodum Johannes Fell, episcopus Oxoniensis, nuper a me petierit ut tractatum hic sequentem (qui Cypriani perhibetur esse, estque cum reliquis Cypriani jam edendus) perlegerem, et saltem numeros (quos depravatos esse suspicatus est) examinarem : quid hâc in re fecerim, paucis exponendum. Repertus olim est tractatus hic in bibliotheca Cottoniana manuscriptus, sed mendosus. Hunc reverendissimus Jacobus Usserius, nuper archiepiscopus Armachanus, exscribi curaverat;

Digitized by Google

suoque apographo suas de emendatione conjecturas calamo inseruit : indeque quem jam tractamus apographum nacti sumus. Hunc demum quem habemus apographum reverendus vir Thomas Gale, sacræ theologiæ professor, cum Cottoniano illo codice contulit, et sicubi deviatum erat restituit; suis item adjectis stricturis aliquot, quibus vel emendationes insinuabat, vel phrases aliquot inibi quæ cum Cypriani dictis alibi consentiunt, unde de auctore conjectura fieret. His ita ad me delatis, rem in eum fere quem vides ordinem conjeci. Putaram aliquando illas, sive Usserii, sive Galei, sive meas etiam de emendatione conjecturas, textui inserere, sed uncis inclusas; ipsiusque textus veculas, quæ videbantur mutandæ, alio charactere scribere, quo et manuscriptum fideliter exhiberem, et emendatio lectoris oculo foret obvia. Verum, mutato consilio, reverendo episcopo sic monente, qui totius operis editionem curat, quo pars hæc cæteris sit conformis, textum emendatum, sive ex eorum sive ex nostris conjecturis id fieret, integrum apposui; conjectis ad calcem paginæ, quæ vel in manuscripto menda fuerant, vel censebantur, vel aliæ erant de emendatione conjecturæ quam quæ in textu comparent. Numeris utitur hic codex solis Romanis (non item Indicis, Barbaricis vulgo dictis), habetque inter illos, litteram I superne notatam pro mille, et IIII, VIIII, XXXX, LXXXX, pro quatuor, novem, quadraginta, nonaginta (pro quibus nunc fere scribi solent M, IV, IX, XL, XC) : sicubi aliter factum est, id exscriptoris esse sentio, non autographi. Occurrunt quidem aliquoties in apographo nostro numeri Indici, 2, 3, 4, etc. : sed, inquisitione scrupulosius facta, id exscriptoris esse intelligo, et in autographo non inveniri; ut qui ea ætate qua scriptus censetur Cottonianus codex (sub finem noni a Christo sæculi), nondum apud Europæos nostros in usu fuerant (sed sæculo saltem undecimo, aut serius); sed nec parentheseos notæ ibidem comparent; nescio an interstinctionum puncta : quæ itaque ex judicio nostro supplevi. Numeros qui passim erant mendosi et depravati, ex calculo restitui, et consultis S. Scripturæ locis quo respiciebant. Alia menda graphica quamplurima, sive ut syntaxeos ratio postulabat, sive alias, ex conjectura supplevi; indicata tamen codicis ms. lectione, ut, si quis inde rectius conjecerit, id ipsi liberum foret. Atque hæc sunt quæ jam ante aliquot menses monenda duxi.

Postquam hæc ita absolveramus, ipsique typothetæ suos composuerant typos, mox prelo subjiciendos, spes facta est ex Remensi codice apographum hunc delatum iri. Monuit itaque reverendus episcopus prelum sufflaminandum, atque exspectandum donec apportaretur ille apographus : quod post aliquot septimanas factum est, favore reverendi doctissimique viri P. Mabillon, ordinis Benedictini, cum hoc titulo : Cæcilii Cypriani de Pascha computus inchoat. ; et hoc præmisso lemmate, Ex ms. C. Bibliothecæ S. Remigii Rem. olim LXXI notato, nunc vero 133. Hunc nacti apographum, cum nostro contuli; reperique sic a nostro variantem ut in notis monemus; nec minus mendosum. Id saltem bene contigit ut non semper eodem loci mendosus fuerit uterque codex, sed nunc ex illo noster, nunc ille ex nostro corrigendus. Atque id porro quod plurimis in locis, quæ ex conjecturis sive Usserii, sive Galei, sive nostris, emendaveram, codex hic confirmat. Quo casu, omissis conjecturis illis, autoritatem hujus codicis inter variantes lectiones cito; nec conjecturas interpono, nisi cum uterque codex videtur vitiosus. Numerique, in hoc comparent soli Romani, quales in altero (sed $\overline{oo}$ pro mille), non Indici, nec parentheseos notæ : atque interstinctionum nescio an ulla habita est in autographo ratio. Pro Calendis habetur Kl., quippe in veteri scriptione K pro Ca scribi solebat, ut krus pro carus, etc. In apographo altero habetur quidem Kal., sed ab exscriptore credo substitutum, qui non erat de singulis litterarum apicibus sollicitus, ipsa verba exhibere contentus; quod in utroque apographo contigisse suspicor. Litteris autem U, G, W, notas et conjecturas designo Usserii, Galei et nostras : litterisque C, R, codices Cottonianum et Rhemensem, saltem nostros inde descriptos apographos. Quæ adhuc supersunt menda (supersunt enim) tuo, lector, arbitratui permitto, ipsumque sive de conjecturis nostris, sive de ipso opere, ejusve auctore, judicium. Vale. Vicesimo secundo die julii, anno æræ Dionysianæ, 1682.

INCIPIT EXPOSITIO BISSEXTI.

ALITER,

CÆCILII CYPRIANI DE PASCHA COMPUTUS INCHOAT.

Multo quidem non modico tempore [a] anxii fuimus et æstuantes, non in [b] secularibus, sed in sanctis et

LECTIONES VARIANTES.

[a] *W. sic restituo, et suppleo* fuimus. *R.* An. XII. *C.* Multæ quidem tempore annorum æstuantes. *G.* Multi quidem tempore antiquorum æstuabant.

[b] *C. R.* sæcul. *et sic fere semper.*

HENRICI DODWELLI NOTÆ.

Expositio Bissexti. Verba Usserii apographo suo præfixa. *Ex antiquo codice Cottoniano, Longobardicis litteris descripto, sub finem noni a Christo sæculi. Huic tractatui* (*depravatissime scripto*) *in ms. Cottoniano*

Digitized by Google

divinis Scripturis quærentes invenire, quisnam [a] sit primus dies novi mensis, in quo mense præceptum est [b] Judæis in Ægypto [c] XIV luna immolare Pascha. [d] Annuit itaque sanctissimus qui id vidit, et invenimus. [e] Invenimus autem, per ipsius omnipotentis Dei Patris immensam bonitatem et justitiam, et Christi filii ejus Domini et Dei nostri [f] incomparabilem misericordiam, qui propter peccata nostra [g] obediens suo Patri, exposuit animam suam; cum A qua resurgens a mortuis die tertia, pollicitus est [h] discipulis suis vitam æternam, et dedit [i] pignus Spiritus sancti gratiam credentibus in passione et resurrectione sua. In quo [j] Spiritus ipse Dominus volentibus, id est totis fidei viribus quærentibus, servis suis revelat [k] alta mysteria, et [l] manifestat obscura sacramenta. [m] Ac propterea credentes, et pro certo scientes quia nihil denegat Deus, sed unicuique volenti et desideranti præstat sicuti et vult, [n] commisimus

LECTIONES VARIANTES.

[a] *R.* esset.
[b] *R. deest* Judæis.
[c] *R.* a quarta decima luna immolari.
[d] *W. sic restituo. C.* annuit itaque sanctus sum qui dividet. *R.* annuit sanctus qui vidit et invenimus.
[e] *C.* invenlemus. *C.* felicius.
[f] *R.* incomparabili misericordia.
[g] *R.* obaudiens.
[h] *R.* discentibus suis.
[i] *C. deest* pignus.
[j] *R.* spiritus ipse Dom.
[k] *C. deest* alta.
[l] *R.* manifesta
[m] *C.* hæc, *et sic aliquoties pro* ac.
[n] *C.* cum simus. *G.* consensimus.

B

HENRICI DODWELLI NOTÆ.

perperam adscriptus est hic titulus : Incipit Expositio Bissexti, *anno Christi* 243, *scripto*. Galeus, qui apographum cum codice Cottoniano contulit, ad ea verba *perperam adscriptus*, adnotat : *Manu tamen coæva, et litteris majusculis*. Michael Seneschallus, in sua *Triade Evangelica, seu Quæstione Triplici, de anno, mense et die Christi nati, baptizati et mortui*, Leodii edita, anno 1669, *quæst.* 3, *cap.* 2, memorat, ex Godofredo Wendelino, a Sirmondo Rhemis repertum, et Bucherio transmissum anno 1648, vetus ms. hoc titulo prænotatum : *Cæcilii Cypriani de Pascha Computus*. Quem eumdem nos esse cum hoc tractatu conjecimus, propter hæc verba quæ inde citat, *Jesus Christus Dominus et Salvator noster post annos* 1579 (a primo Paschate Hebræorum in Ægypto) *cum discentibus suis manducavit Pascha sexto idus aprilis, feria quinta, et passus est altera die, sexta feria*. Quæ hic infra occurrunt, parum mutata : quod, nacti tandem apographum codicis Rhemensis, certo comperimus. Verum, hac unica inspecta periocha, Seneschallus inde opus hoc S. Cypriano abjudicat, *tum quia nemo hactenus Sancto illi tale opus adscripsit, tum quia τὸ* cum discentibus suis, *longe abest a solito Cypriani nitore, tum quia non erat Cyprianus qui tam pingues errores admitteret contra artem quam explicandam suscepisset*. Ego me vadem non spondeo. Sed, ad primum, si pseudepigraphus sit, at spurius certe non est et supposititius, sed antiquum esse liquet, et Cypriani ætate scriptum res ipsa docet : et, si Cypriano nemo adscripserit, neque cuiquam alio, quod sciam, adscripsit quispiam ; sed in bibliothecis latuit, necdum editus, et a paucis forte observatus. Neque verum est, quod *nemo tale opus Cypriano adscripserit* : nam Paulus Diaconus id facit in Vita Cypriani : *Chronicam quoque valde utilem composuit*. Ad secundum, vox *discentibus* in nostro codice non habetur, neque hic, neque alio loco ubi in Rhemensi codice comparet, sed, ejus loco, *discipulis*. Quidquod neque tam barbara censebatur, ea ætate, vox *discentes*, hoc sensu, qui eam aliquoties (quod monet reverendus episcopus Oxoniensis) usurpaverit *Tertullianus* (quem maxime imitatus est Cyprianus et veneratus, Magistrum appellare solitus, referente Pamelio in vita Cypriani), *De Patientia*, cap. III : *Ille cui legiones Angelorum, si voluisset, uno dicto de cœlis affuissent, ne unius quidem* discentis *gladium ultorem probavit* ; et *de Præscript.* cap. XXX : *Adhuc in sæculo supersunt qui meminerint eorum, etiam proprii* discentes *et successores ipsorum, ne si posteriores negare possint*. De Baptism. cap. II, *Baptismus non exstat alius nisi postea Christi, qui tunc utique a* discentibus *dari non poterat*. Nitorem vero quod spectat, non mirum est si scriptis alioqui genuinis, a librariis harum rerum imperitis, mendose descriptis, multum nitoris decedat. Ad tertium vero, quod errarit assignando passioni Christi annum et diem qui rationibus astronomicis de ætate lunæ repugnet ; non mirum est si Cypriano id contigerit ea ætate qua paucissimi erant, etiam ex sanctis Patribus, rerum astronomicarum ita perfti quin labi possent. Pro Cypriano autem, hæc saltem faciunt, tum quod codex ms. satis vetustus hunc auctorem perhibet, neque alius perhibetur quispiam ; tum quod vir cl. D. *Gale* peculiares aliquot phrasiologias hic observat quæ apud Cyprianum occurrunt alibi ; tum denique quod monet reverendus episcopus Asaphensis Guilielmus LLoyd, harum rerum satis curiosus, cum plures fuerint sacrarum Scripturarum latinæ versiones, eam exacte sequitur hic auctor qua et Cyprianus usus est. Neque tamen ille Cyprianum concludit hujus auctorem esse, eo quod, sub finem operis, computum suum terminet ad annum Gordiani quintum, Arriano et Papo consulibus ; qui annus est uno anno prior quam quo se Christianum professus est Cyprianus. Quod tamen fieri potest, cum historiarum et chronologiæ scriptores, non semper ad eum ipsum annum rem perducunt quo ipsi scribunt, sed desinunt potius ad annum aliquanto superiorem. Quod hic minime mirum erit, si Pascha anni quinti Gordiani ultimum fuerit eo imperatore celebratum, ineunte (qui proximo anno secutus est) Philippo Arabe ante Paschа. Mirum potius esset si Cyprianus, alibi terrarum agens, consulum Romanorum meminerit eo ipso anno quo alibi scriberet. Sed et distincta illa, sub initium, Patris et Filii et Spiritus recordatio, passionis item et resurrectionis Christi die tertio, et salutis per eum consequendæ ; et diserta agnitio gratiarum Spiritus sancti, pignoris instar collatarum, aliaque ejusmodi, satis redolent virum jam nuper ad Christianismum conversum, atque hæc præcipua Christianismi capita volentem distincte proferre. Ego interim nihil statuo : neque tanti res est ut simus de auctore admodum solliciti.

C

D

Æstuantes. Gal. : Cyprian. de laude Mart., *nisi quod hæc æstuanti*, etc.

In sæcularibus. Gal. : Proterius episcopus ad Leonem PP. de ratione Paschatis, *Patres* (Nicæni)..... *compotum statuerunt, non juxta Judæorum nunc inductas..... actiones, neque secundum exteriorem putativam fictamque prudentiam, sed gratia Spiritus sancti instituti*.

Sanctissimus. C. Sanctus sum qui dividet. Gal. Illud *sum* quod sequitur in ms. supra lineam scribitur, alia manu ; et mendose pro *sp. W.* Neque id male, sed malim *Sanctissimus* ; quia mox de Patre, Filio et Spiritu sancto distincte loquitur, et pro *dividet*, lego *id vidit et* ; suppleoque cum codice R. *invenimus*, quod librarius, superfluum forte ratus quia geminum, omiserat.

Digitized by Google

nos in rem tam laboriosam; in qua re [a] non derelicti, sed potius ab ipso Deo [b] inspirati, volumus amantibus et [c] appetentibus studia divina, ostendere numquam posse Christianos a via veritatis errare, et tamquam ignorantes [d] quæ sit dies Paschæ, [e] post Judæos cæcos et hebetes ambulare. [f] Cumque a Deo nos evidenter incipiamus, [g] non tantum primum diem, [h] in quo in Ægypto agnus occisus est ostendere, sed [i] præteriti et futuri temporis dies Paschæ Judæorum et Christianorum demonstrare.

j Incipiamus itaque, dilectissimi fratres, ab Exodi lectione : in qua lectione [k] recognoscimus ipsum Deum et Dominum ad Moysen et Aaron fratrem ejus [l] in terra Ægypti dixisse : « Mensis hic initium mensium primus erit vobis in mensibus anni. [m] Fare ad omnem synagogam filiorum [n] Israel, dicens : [o] Decimo die mensis hujus accipiant sibi singuli per [p] domos tribuum ovem per domum; et si exigui erunt in [q] domo ut non sint sufficientes ad ovem, assumet secum [r] vicinum proximum suum, per numerum animarum [s] suarum, singuli quod sufficiet sibi, [t] computabunt [u] in ovem immaculatum, [v] anniculum, perfectum, masculum, [x] ab agnis [y] ab hædis accipietis. Et erit vobis observatum usque ad quartum decimum diem mensis hujus, et [z] occident eum [aa] omne vulgus Synagogæ filiorum Israel ad vesperam; et [bb] accipient de sanguine, et ponent super duos postes et super [cc] limen in [dd] domibus, in quibus [ee] cum edent in ipsis : et edent carnes istas nocte assatas igni, azyma cum [ff] pigridis edent. Non edetis de eis [gg] crudum, neque coctum aqua, nisi assatum, caput cum pedibus et interaneis, nihil derelinquetis ex eis in mane, et os non confringetis ab eo; quæ autem [hh] relicta fuerint de eo usque [ii] in mane, [jj] igni crematbuntur, [kk] ex intestinis ejus vorabitis, post suam occisionem. Sic autem comedetis eum : lumbi vestri præcincti, et caligæ vestræ in pedibus vestris, [ll] et bacula vestra in manibus vestris, et edetis [mm] illud festinanter; Pascha est enim Domini. »

Præcepit igitur Deus per Moysen universæ synagogæ filiorum Israel in mense novo, qui est initium mensium, primus in mensibus anni, in quo habite ederent Pascha quartadecima luna, [nn] ad hoc utique, [oo] ut et suam divinitatem credentibus nobis in Christo manifestaret, et [pp] eorum latrocinium jam tunc ab initio sæculi demonstraret : [qq] et qui in Ægypto ad vesperam, id est in novissima sæculi [rr] tempora præcincti et calceati [ss] adversus [tt] Dei Agnum immaculatum, prima die Azymorum ad vesperam cum gladiis et fustibus exierunt; et [uu] universa quæ ab omnibus Prophetis [vv] Dei [xx] prædicta fuerant, in eum commiserunt. Et ideo [yy] qui jam non secundum imaginem, sicut [zz] illi, sed secundum veritatem, in commemorationem [aaa] Passionis Filii Dei, Pascha celebramus; nihil aliud in primis nisi mensem novum [bbb], quis sit, et unde incipiat, et ubi finiat, totis viribus fidei nostræ, diligenter requirere debemus. Et tunc inveniemus, nec ante, nec post [ccc] XIV lunam inventam posse, ab ipsis Judæis Pascha [ddd] observari.

Quod ipsum quidem evidenter [eee] incipiat nobis ostendere sancta et divina Geneseos Scriptura, dicens : « In principio fecit Deus cœlum et terram. Terra

LECTIONES VARIANTES.

[a] R. derelictis.
[b] C. insperati. U. inspirati. R. inspirati et illuminati
[c] G. apparentibus. U. appetentibus. G. approbantibus, R. adpetentibus.
[d] R. quod.
[e] R. posuit.
[f] C. et R. cum quando nos. U. onus. G. Cumque a Deo nos.
[g] C. notandum.
[h] R. quo Ægypto.
[i] R. et præterea futuri.
[j] C. incipiamus, ergo itaque, *et deest* dilectissimi. R. Incipiam itaque, dilectissimi fratres, ab Exodo delectione.
[k] C. cognoscimus ipsum. R. recognoscimus ipsum Dominum nostrum.
[l] R. hi terram.
[m] C. Facere. G. loquere. R. Fare.
[n] R. Israhel, *et sic ubique*.
[o] C. decima.
[p] C. domus.
[q] C. domum.
[r] C. vicinum et proximum.
[s] R. *deest* suarum.
[t] C. computet.
[u] R. in quem ovem
[v] R. perfectum, masculum, anniculum.
[x] C. R. *inserit* erit vobis. W. *redundat et videtur ex proxima linea huc transumptum.*
[y] R. et ab.
[z] R. C. occidet.
[aa] R. omnis.
[bb] C. accipiant
[cc] R. liminaria.
[dd] C. domus.
[ee] C. comeditis.
[ff] R. amaritudine.
[gg] R. crudam... coctam... assatam.
[hh] R. derelicta.
[ii] C. *deest* in.
[jj] C. igne.
[kk] R. *recte desunt* ex intestinis ejus vorabitis post occisionem.
[ll] C. *deest* et bacula vestra in manibus vestris.
[mm] R. eum.
[nn] C. adhuc.
[oo] C *deest* ut.
[pp] R. illorum.
[qq] C. *deest* et qui in Ægypto ad vesperam.
[rr] C. *deest* tempora.
[ss] C. adversum,
[tt] R. Agnum Dei.
[uu] C. *deest* universa.
[vv] R. *deest* Dei.
[xx] R. prædicata.
[yy] C. quia.
[zz] R. illis et. C. prius.
[aaa] C. *deest* passionis.
[bbb] C. quæ. R. qui.
[ccc] R. quartadecima luna inventa.
[ddd] C. observare.
[eee] R. incipiet.

HENRICI DODWELLI NOTÆ.

Immaculatum, etc. G. sic Cyprianus alibi, *immaculatum, anniculum, perfectum*, lib. II, *adv. Jud.*.

Cum pigridis. G. ἀχὶ πικρίδων, Cyprian. ut supra.

Ex intestinis ejus vorabitis post occisionem. G. Unde hæc?

Secundum imaginem. G. Cyprian. ad Demetrianum, *Quod ante occiso agno præcedit in imagine, impletur in Christo, secuta veritate.*

Digitized by Google

autem erat invisibilis et incomposita, et tenebræ erant super abyssum, et Spiritus Dei superferebatur super [a] aquas. Et dixit Deus : Fiat lux ; et facta est lux, et vidit Deus lucem quia bona est. Et divisit Deus inter lucem et [b] inter tenebras. Et vocavit Deus lucem diem, et tenebras [c] vocavit noctem. Et [d] facta est vespera et factum est mane dies unus. »

[e] Referendo igitur et insinuando nobis sancta Scriptura ipsum Dominum divisisse inter lucem et [f] inter tenebras, id est inter diem et noctem, evidenter [g] ostendit hunc esse primum diem et [h] sequentem ejus noctem ; inter quos omnium [i] artifex æqualiter, hoc est irreprehensibiliter divisit.

[j] Qui nunc comprehenditur esse VIII kl. apr. a quo die computantes aliqui ex nobis qui priores voluerunt hunc mensem novum ostendere, et ipso XIV luna inventa dies Paschæ secundum Judæos demonstrare ; dixerunt eumdem mensem ab [k] id. martii incipere et in diem id. apr. consummare ; et sic impegerunt. Ac propterea ipsos dies [l] XXX quamvis recte diviserint in [m] XI et XIX : undecim [n] scilicet in communi anno retrorsum computantes, et ad idus martii pervenientes, [o] decem et novem in priorem illum annum quo embolismus incurrit immittentes, et usque ad idus april. devenientes. In hoc erraverunt, ut dixi, cum vere primum diem novi mensis comprehendere non potuerunt. Quæ res sic modo vere ostensa demonstrabitur, cum in ipso Pinace a nobis composito, nullus annus fallere invenietur.

Volentes igitur hunc mensem vero ostendere, unde incipiat et ubi finiat, revertamur ad Genesim, quæ retulit nobis ipsum [p] Deum [q] divisisse inter primum diem et primam noctem. Unde recognoscimus, [r] et inter secundum et [s] inter tertium diem et noctem, neminem alium nisi ipsum [t] Deum divisisse, et sic [u] a quarta die hoc officium soli et lunæ injunxisse. Ipsa sunt enim duo luminaria [v] majora, de quibus [x] ait Deus : « Fiant luminaria in firmamento cœli [y] sicut appareant super terram, et dividant inter diem et noctem ; et sint [z] in signis, in tem-

LECTIONES VARIANTES.

[a] *C.* aquam.
[b] *C. deest* inter.
[c] *C. deest* vocavit.
[d] *C.* factum est vespere,
[e] *C.* Referendum, *et deest* igitur.
[f] *R. deest* inter
[g] *R.* ostendimus.
[h] *C.* sequente ejus nocte.
[i] *C. perperam inserit* nocte inter quos omnium die.
[j] *C.* in hunc. *G.* is nunc. *R.* qui nunc, *etc., sed codex C, totam periocham multo aliter habet, ut in notis subjectis.*
[k] *R.* idus.
[l] *R.* XXX gen. quamvis
[m] R. in XI et X et IX.
[n] *W. sic rescribo.* R. sciunt et in.
[o] *R.* X et IX.
[p] *R.* Dominum.
[q] *C.* dividisse.
[r] *C. deest* et.
[s] *C. deest* inter.
[t] *R.* Dominum.
[u] *R.* a quarto die hoc officium solis et lunæ illuxisse.
[v] *C. deest* majora.
[x] *R.* Dominus dixit.
[y] *C.* sicut pariant, *U.* pareant, *G.* sicut appareant, *R.* ita ut luceant.
[z] *C.* in signis, et in diebus et in mensibus et in temporibus et in annis.

HENRICI DODWELLI NOTÆ.

Qui nunc comprehenditur esse. W. Codex *C.* totam hanc periocham multo aliter habet, et calculum plane (aliorum) alium : *In hunc* (lego *Is nunc*) *comprehenditur esse* XI *kal. apr. A quo die putantes* (lego *computantes*) *aliqui ex nobis qui prioris* (lego *priores*) *voluerunt hunc mensem novum ostendere. Dixerunt enim eumdem mensem ab* VIII *id. martii incipere, et in die non. april. consummare : Hac* (lego *Ac*) *propterea ipsos dies* XXIX. *Revertamur ad Genesin*, etc. Duas itaque opiniones rejicit hic auctor, quærentium (ante illum) initium primi mensis : alteram in codice R. quam, ut prolixius expositam, in textum recipimus ; alteram in codice C, quam in notis exhibemus. Illi quos notat codex R existimasse videntur lunam cum sole quarto mundi die creatam, quasi quartamdecimam ; ut fuerit, eo exeunte, et ineunte die secundo, plenilunium, quam vocant lunam quintamdecimam, et quidem in ipso æquinoctio ; adeoque, die primo, fuerit undecima : et propterea, annum mundi reputantes incipere a die primo, triginta dies, quibus mensem plenum constare volunt, in duas partes distribuebant, dierum XI et dierum XIX : ut, finito anni lunaris mense duodecimo (hoc est diebus CCCLIV), foret, pro novilunio primi mensis (in anno solari communi, qui XI diebus longior est quam communis lunaris) vel repedandum diebus XI ; vel, facto embolismo mensis decimi tertii dierum XXX, procedendum diebus XIX. Quam distributionem dierum XXX, auctor hic non improbat, sed improbat quem ipsi fecerant delectum diei in anno solari, quo mundum die primo, adeoque lunam fuisse conditam die quarto, autumabant. Reputabant enim diem illum primum, quo mundus crearetur, VIII kal. aprilis, hoc est martii diem XXV, quo die ut luna foret undecima, mensem quasi incœpisse reputabant ab idibus martii, hoc est martii die XV, adeoque, cum fuerit dierum XXX, idibus aprilis, qui est aprilis dies XIII, terminari, adeoque lunam decimam quartam, V kl. apr., hoc est martii die XXVIII, quo crearetur luna. Illi vero quos notat codex C, primum illum mundi diem reputabant XI kl. april., hoc est martii diem XXII : mensemque illum primum dierum XXIX, incœpisse quidem VIII id. martii, hoc est martii die VIII ; et terminari ipsis nonis aprilis, hoc est aprilis die V : ut decimaquarta fuerit luna, XII kl. apr., hoc est martii die XXI ; fueritque primus ille mundi dies plenilunium, seu luna decima quinta. Et quidem cum his sentire videtur codex C in paragrapho *Posthæc enim breviter dicam* (qui hic in notis sequitur), ubi dicitur *Hebræos numquam fecisse Pascha ante* XII *kl. aprilis*, quod eo die *luna nata* VIII *id. martii decima quarta fuerit.* Quamquam ne hic sibi constans est codex ille, quippe mox dicit, *lunam, quarta feria, in æquinoctium*, VIII *kl. apr. decimamquintam factam esse*, quod proprius accedit ad priorem opinionem dicentium lunam eo die factam quartamdecimam. Sed codex R, et quidem codex C, in sequentibus, rejicit etiam hanc opinionem, assignando primum diem quo Pascha celebrari possit (luna decimaquarta) XVI kl. aprilis, hoc est martii diem XVII ; cujus itaque novilunium, seu prima luna, fuerit IV non. martii, qui est martii dies IV. Quam opinionem in sequentibus statuminare satagit : ut dubium non sit codicem C ibidem depravatum esse.

Digitized by Google

poribus, et in diebus, et in annis ; et sint in splendore in [a] firmamento cœli, [b] ita ut luceant super [c] terram. Et sic est factum. Et fecit Deus duo luminaria majora, luminare majus, initium diei ; et luminare minus, initium noctis, » etc. Hæc sunt autem duo luminaria, quæ non tantum hoc officium acceperunt, ut dividant inter diem et noctem ; sed et ut sint in signis et in temporibus et in diebus et in annis.

[d] Propter hoc ergo Hebræi tunc qui digni fuerunt, [e] Spiritu Dei edocti, [f] singulos quoque annos secundum lunæ cursum computaverunt. Et, ut ad cursum solis occurrerent inter sexdecim annos, mensis primi [g] dies XXX, in duas partes, non æqualiter sed secundum rationem diviserunt ; sicut superius diximus nostros antecessores quidem, secundum Hebræos, recte divisisse [h] in XI et XIX ; diem autem primum mensis primi non comprehendisse et ideo errasse. Qui dies primus novi mensis secundum cursum lunæ duodecies decrescentis recognoscitur [i] XVI kl. april. In quo talis, eadem hora, inventa est luna, qualis ante annum fuit V kl. april. facta. Cujus anni dies Hebræi numerant [j] CCCLIV usque in XVII kl. aprilis. Qui autem secundum cursum solis computant, post undecim dies et [k] quartam diei, VI kl. april. suppletis diebus CCCLXV et [l] quarta diei, annum consummasse inveniunt, et sic primum diem novi mensis venturi V kl. april. A ostendunt. Ac propterea quatuor quadrantes quadriennii in unum diem redigentes, quinto quoque anno, non V kl. apr., sed [m] V kl. mart. immittunt, ne [n] primo diei mensis novi superventuri integrum diem immittant, et hunc totum ordinem quem Hebræi priores, et ante ipsam Romam conditam, certa ratione assecuti sunt, subvertant. Annus igitur Hebræorum, in XII menses divisus facit mensem XXIX S.; similiter et Romanorum in [o] duodecim quoque partibus, facit [p] mensem XXX S. Ergo inter XXIX S. et [q] XXX S. interest quæ intelliguntur esse horæ XI et [r] quarta horæ. In quibus XI horis et [s] quarta horæ prior ambulavit sol quando factus est initium diei. Sic autem et luna initium noctis fieri repromissa, non oportuit eam post occasum solis fieri, et sic in cœlo videri, quoniam debebat a [t] prima die videri et prosequi, [u] cum quo tam magnum officium fuerat adepta. Hoc est igitur quod per singulos menses, reparata quintadecima luna, proceditur a sole. Et ideo per annum plus ambulare invenitur sol XI dies et quartam partem diei. Et sic luna quæ quarta feria V kl. apr. [v] quintadecima fuerat facta, inventa est suppleto primo anno XXVI [x] qu. V kl. apr. Item secundo anno, adjectis XI diebus et [x] qu. inventa est VII S., V kl. apr. Tertio anno XVIII [x] dod. V kl. April. Quarto anno XXX, V kl. apr. Quinto anno XI [x] qu. Sexto anno XXII S. Septimo anno III [x] dod. Octavo autem anno B C

LECTIONES VARIANTES.

[a] *R.* solidamento,
[b] *C.* sic ut.
[c] *C.* terram, etc *omissis sequentibus.*
[d] *W. hanc totam periocham multo aliter habet codex C, ut in notis subjectis.*
[e] *R.* spiritum.
[f] *R.* in cœlis quoque.
[g] *R.* diei.
[h] XI et IX, *lege* in XI et X et IX.
[i] *R.* XVII.
[j] CCLVII.
[k] *R.* IV quartum.
[l] *W. suppleo* quarta diei, *propter* et *quod adhuc superest.*
[m] *R.* quintum kl. mart. immittuntur.
[n] *R.* primi.
[o] *R.* XII deciæ, quæ, *lege* XII-decim. quoque.
[p] *R.* menses
[q] *R.* XXXI.
[r] *R.* quartum.
[s] *R.* quartum.
[t] *W. malim* primo, *propter* cum quo *quod sequitur.*
[u] *R.* quum,
[v] *R.* XV decima.
[x] *W. suppleo quæ excidêrunt* qu. *pro* quadrante, *et* dod. *pro* dodrante, *propter* VII S. *et* XXII S. *quæ adhuc comparent.*

HENRICI DODWELLI NOTÆ.

Propter hoc. *W.* Hanc item periocham multo aliter habet codex C, atque ad VIII kl. apr. id accommodat, quod codex R. ad V kl. apr. Nempe sic, *Posthæc enim breviter dicam ; quod Hebræi tunc qui digni fuerunt, Spiritu Dei edocti singulos quoque annos secundum cursum lunæ* (supple *computaverunt*), *numquam fecerunt Pascha ante* XII *kal. apr. Quæ luna nata in* VIII *id. mart.* XIV *est in* XI (lege XII) *kal. apr. Cum quo tam magnum officium fuerat adepta. Hoc est itaque quod per singulos menses reparata* XV *luna præcidetur* (lege *proceditur*) *a sole ; et ideo per annum plus ambulare invenitur sol* XI *dies et quartam partem diei. Et sic luna quæ in quarta feria in æquinoctium,* VIII *kal. apr.* XV *fuerat facta, inventa est, suppleto primo anno* XXVI, VIII *kal. apr. Idem* (lege *Item*) *secundo anno, subtractis decem et novem inventa est* VII. *Tertio anno* XVIII. *Quarto* XXX. *Quinto* XI. *Sexto* XXII. *Septimo* III. *Octavo autem anno inventa est* XV, *qualis in principio in firmamentum cœli fuerat posita* VIII *kal. apr.* IV *feria.* De quibus sic adnotat Galæus : *Posthæc enim omnia breviter dicam, quod numquam factum est Pascha apud Judæos ante* XII *kal. apr. quæ luna nata in* VIII *id. mart.*, XIV *est in* XI (lege XII, *kal. apr.* Obs. Hæc ex *disputatione Murini episcopi Alexandrini de Ratione Paschali.* Quis sit *Murinus*, nescio. Simul cum hoc scriptore (Cyprianо) habetur in codice Cottoniano, et manu plane eadem exaratur. Laudat Josephum qui primus conscripsit circulum X et IX annorum, Anastasium, Theophilum, Cyrillum, Dionysium exiguum, et Victorinum qui scripsit Hilaro papæ, urbis Romæ episcopo. D

Facit mensem, XXIX. *W.* Suppleo quæ videtur excidisse *S.* notam semissis, et ut mox post XXX; nam 354 per 12 divisi, dant 29 cum semisse : itemque 365 et quarta, per 12 divisi dant 30 cum semisse proxime : ut fuerit Hebræorum mensis dierum XXIX cum semisse ; et Romanorum mensis, dierum XXX cum semisse, fere : ut legendum sit XXIX *S*, item XXX *S* ; et mox *Ergo inter* XXIX *S et* XXX *S*, etc.

Horæ XI *et quarta horæ.* *W.* Non hoc intelligendum est de incremento totius mensis ; nam horæ XI cum quadrante, pro numero mensium, duodecies sumptæ non conficient totidem dies ; sed pro incremento mensis dimidii, quantum acreverit ab initio mensis ad plenilunium ; nempe ut jam in plenilunio (peracto mense dimidio) tantumdem sol processerit, seu prior ambulaverit, hoc est, plus temporis impenderit in suo mense dimidio peragrando, quam in suo luna : quod vicies et quater sumptum (tot utique sunt in anno semimenses) conficiet totidem dies ;

Digitized by Google

inventa est XV, V kal. apr., qualis in principio fuerat facta.

Hac itaque [a] ratione non sua sed Dei sapientia instructi, [b] Hebræi circa cursum [c] lunarem, [d] juxta regulam primam Græcorum, more Ægyptiorum, et non secundum epactas lunares, non potuerunt [e] errare. Et ideo, quando primum in Ægypto, pridie [f] iduum apriliarum, secunda feria, XIV luna, immolaverunt Pascha; suppleto primo anno, [g] iterum non potuerunt [h] II id. apr. celebrare Pascha, [i] quoniam non [j] XIVa, sed XXVa [k] ab eis inventa est luna. [l] Itaque quærentes [m] XIV, necesse habebant [n] immissis [o] XVIII diebus [p] II kl. maii invenire XIV [q] lunam. Sed, ne secundo mense inciperent agere Pascha, [r] et non primo mense, qui est a [s] XVI kl. april. usque in XVII kl. maias, de XXV diebus lunæ [t] retrorsum computantes, id est XI dies ipsius lunæ deducentes, invenerunt, [u] XIV luna et sexta feria, [v] kl. apr., qui fuit annus communis et primus. Secundo anno item communi, A [x] XII kal. apr. III feria. Tertio autem anno [y] non retrorsum computantes, ne excederent XVI kal. apr., qui est dies primus mensis primi, [z] et in mensem XII præteriti anni inciderent, aliter computaverunt. Hic enim fuit annus, in quo non [aa] XIX, sed deducto uno, [bb] XVIII dies eos immittere oportebat. Quis autem hic unus [cc] de XIX qui deducitur dies, dicemus per Dei gratiam. Primo enim [dd] tempore, quando in Ægypto observata est Pascha, fuit ipso anno debitum, quadrans: primo anno sequente, factum est semis: secundo anno adjecto, factum est dodrans: tertio autem anno factum est as: tertius igitur annus in Pinace, in quo [ee] modo bissextus et embolismus invenitur. In quo anno Pascha, XIV luna, VI id. apr. et II feria [ff] fuisse ostenditur. B Quarto anno, communi, V kal. april. feria VI. Item quinto anno communi, [gg] XIV luna, XVI kal. [hh] april. feria III. [ii] Sexto anno, embolismus, non. april. feria II. Septimo anno, [jj] bissext. [kk] IX kal. apr. feria VI. Octavo anno embolismus, pridie

LECTIONES VARIANTES.

[a] *C.* facta.
[b] *C. deest* Hebræi.
[c] *R.* lunæ.
[d] *R. deest* juxta regulam primam Græcorum, more Ægytiorum, et non secundum Epactas lunares.
[e] *C.* errasse.
[f] *R.* idus Apr.
[g] *R.* eorum.
[h] *R.* pridie idus Apr.
[i] *C.* quo.
[j] *R.* XIV decima.
[k] *R.* inventa est ab eis.
[l] *C.* ita.
[m] *R.* XIV decimam.
[n] *C. deest* immissis.
[o] *C. recte* XVIII. *R.* XIX.
[p] *C.* III kal. maii, *R.* pridie kl. maias.
[q] *R. deest* lunam.
[r] *C. deest* et non primo mense, qui est a XVI kl. apr. usque in XVII kl. maias de XXV diebus lunæ.
[s] *R.* XIII.
[t] *C.* sed retrorsum (*lege*, non antrorsum, sed retrorsum).
[u] *R.* XIV dec.
[v] *R.* ipsis kl.
[x] *R.* XI. kl.
[y] *C.* Tertio autem anno, in Pinace, in quo bissextum et embolismus invenitur *etc. omissis aliquot versibus intermediis*.
[z] *R.* et in mense XII dec. præteriti anni inciderat.
[aa] *R.* nono X.
[bb] *R.* XIX octo.
[cc] *R.* XIX nove quid deducitur.
[dd] *W. sic suppleo quod mancum est in R.* Primo enim tempore quando in Ægypto observata est Pascha fuit ipso anno debitum. Secundo anno adjecto factum est, quarto autem anno factum est as (*excidentibus inter alia notis quadrantis, semissis, et dodrantis*). Tertius est igitur annus in Pinaxe, in quo, etc.
C [ee] *C*, Bissextum, *et deest* modo.
[ff] *C. deest* fuisse.
[gg] *R. deest* XIV luna.
[hh] *C. deest* April.
[ii] *C. deest* sexto anno, embolismus, non. apr. feria II. Septimo anno, bissext. IX kl. apr. feria VI.
[jj] *R.* Bissextum sed communi.
[kk] *R.* Embolismo II id.

HENRICI DODWELLI NOTÆ.

nempe dies XI cum quadrante, quanto scilicet solaris annus superat lunarem,

Circa cursum lunarem. G. Observa igitur *cursum lunarem, juxta regulam primam Græcorum, more Ægyptiorum et non secundum epactas.*

Immissis XVIII *diebus, II kal. maii. W.* Codex *R.* habet XVIIII, ideo forte quia mensis embolimæus dierum XXX solet esse, adeoque prorsum sumendi dies XIX; sed non ita primus mensis novi anni, quod librario forte in causa fuerit cur XVIIII pro XVIII hic poneret, ut alibi fieri solet ubi est embolismus: sed D omnino legendum XVIII, cum codice C. Nam dies XIX, post pridie id. april. immissi extenderent, non ad prid. kal., sed ad ipsas kal. maii, quod itaque substituendum hic erit, si illic retineatur XIX. Similiter cum codex C. immissis diebus XVIII, habet III kal. maii, legendum II kal. vel pridie. kal.

Sed ne secundo mense. W. Codex *C.* habet, *Sed ne secundo mense inciperent agere Pascha* (suppleo *non antrorsum*) *sed retrorsum computantes, id est dies ipsius lunæ deducentes, invenerunt* XIV *luna et sexta feria kal. apr.* Quæ satis clara sunt, et quantum dictu sufficit. Sed codex *R.* interpolatione forte facta, rem fusius, sic habet: *Sed ne secundo mense inciperent agere Pascha, et non primo mense, qui est a* XIII *kal. maias, de* XXV *diebus lunæ* (quot nempe habuit prid. id. apr:) *retrorsum computantes, id est undecim dies ipsius lunæ deducentes, invenerunt* XIV *dec.* (illud *dec.* redundat) *et sexta feria, ipsis kal. apr.* Quæ constare non possunt; nam a XIII kal. apr. ad XVII kal. maii non sunt (ne quidem inclusis utrisque extremis) nisi dies XVII. Sed omnino legendum est *a* XVI *kal. apr.*

Primo enim tempore. Locum hunc, qui in codice C. plane deest, in R. mancus est; utcumque supplevi. Sensus hic est: Cum annus solaris dierum 365, cum quadrante, superet communem lunarem dierum 354, diebus 11 cum quadrante; in solari primo communi, dierum 365, deest quadrans diei; anno secundo, propter similem defectum, deerit semissis; in tertio, dodrans; qui, cum simili quadrante, in anno quarto, complet assem, hoc est diem integrum; qui itaque anno illi quarto insertus, annum facit, bissextilem dictum, dierum 366; propter VI kal. martii bis positum. Quo fit, ut V kal. martii, singulique hunc diem sequentes, uno die serius contingant quam si illa non facta fuerit intercalatio. Quapropter, quæ pro communi anno lunari, facienda erat, in communi anno solari, repedatio dierum XI, jam facienda est, anno bissextili, dierum XII, propter annum solarem jam XII diebus excurrentem: contra vero, promotio pro anno embolimæo, alias dierum XIX, jam facienda erit dierum XVIII.

Digitized by Google

idus april. feria V. [a] Ecce itaque, quomodo superius computavimus quod [b] post annos octo, V kal. apr. iterum inventa est XV a luna. Sic [c] post annos octo, pridie idus apr. inventa [d] est XIV luna [e] et feria non secunda quomodo ante, sed quinta est inventa. Et ideo [f] XIV lunam, eodem pinace, [g] non per octo annos, sed per annos sedecim, ad diem suum primum redire ostendimus; et [h] in eo bissexti annos [i] secundum cursum solis sine errore ignorantium notavimus. Qui et ipse [j] XVI annis suppletis licet ad [k] certum diem suum. [l] immisso embolismo, tum XIV luna occurrit [m] tamen ad secundam feriam non occurrit, sed ad primam. Sic æque secunda sedecennitas [n] suppleta occurrit ad septimam feriam. [o] Tertia vero, feria sexta. Quarta autem, feria quinta. Quinta [p] sedecennitas, [q] feria quarta. Sexta [r] sedecennitas, feria quarta. [s] Septima autem, cum suppleverit annos CXII, revertitur ad [t] II id. apr. et [u] invenitur [v] luna XIV, et feria II.

Hi ergo sunt anni [x] CXII in quibus gyrantes, et a [y] primo die Paschæ observato in Ægypto annos computantes, usque ad Christum [z] pervenimus, et diem passionis [aa] et resurrectionis ejus ostendimus.

[bb] Prius est tamen ut reliquos annos octo pinacis, demonstremus, usque in octavum enim computavimus. Nono itaque anno [cc] communi, XIV luna, et II feria occurrit kal. apr. Item, decimo [dd] anno communi, XII kal. apr. sexta feria. Undecimo anno, [ee] bissextus et embolismus, VI id. apr. [ff] quinta feria. Duodecimo anno communi, [gg] V kal. Apr. secunda feria. [hh] Tertiodecimo anno item communi [ii] XVI kal. apr. [jj] sexta feria. Quartodecimo [kk] anno, [ll] embolismus non. apr. quinta feria. [mm] Quintodecimo anno bissext. communi, XIV kal. apr. secunda fe-

LECTIONES VARIANTES.

[a] *C.* Et cætaque.
[b] *R. deest* post. *C.* post, anno octavo, VIII kal. apr., *quod est suo calculo, supra a nobis recensito, conforme.*
[c] *C.* post, anno octavo, II id.
[d] *C. deest* est.
[e] *R.* sed feria non secunda, sed quinta, *omisso* quomodo ante. *C. deest* non *et* ante.
[f] *W. sic suppleo. C.* non hunc eodem pinacem. *R.* hunc eumdem pinacem.
[g] *C.* non per VIII sed decima diem, *pro* sed sedecim ad diem.
[h] *R.* ideo.
[i] *C. deest* secundum cursum solis.
[j] *R.* XVI dec. annus suppletus. C. XVI ann. suppletus.
[k] *R.* cœlum.
[l] *R. C.* in embol.
[m] *R. C. deest* tamen ad II feriam non occurrit. *R* tamen ad secunda feria non occurrit sed ad prima.
[n] *C.* supplet occurrat.
[o] *C. deest* Tertiæ vero feria VI, Quarta autem feria V.
[p] *R.* sedecennitas ostendit fer.
[q] *deest* feria IV sexta sedecennitas.
[r] *R.* decennitas.
[s] *R.* septimplum tempus cum impleverit annus.
[t] *R.* pridie idus.
[u] *C.* venit.
[v] *R.* luna quartadecima et secunda feria.
[x] *C. deest* CXII in. *R.* gyrantis, et ad diem primum Paschæ observatæ in Ægypto computantes annos.
[y] *C. deest* a.
[z] *C.* perveniemus.
[aa] *C. deest* et resurrectionis.
[bb] *C.* primo ut reliquus annus VIII pinaces.
[cc] *R.* commune.
[dd] *R. deest* anno.
[ee] *C.* bissextum et embolismo. *R.* bissextum et embolismus.
[ff] *C.* IV.
[gg] *R.* quintam kl.
[hh] *R.* XIV.
[ii] *R.* XIII.
[jj] *R.* feria sexta.
[kk] *R. deest* anno.
[ll] *C.* embolismo.
[mm] *R.* XII anno bis sextum nonum kal. apr. secunda feria.

HENRICI DODWELLI NOTÆ.

Superius computavimus. Usserius, pro *computavimus*, substituendum innuit *compotavimus* (et sic aliquoties), et quidem ea ætate, *compotus* et *compotista*, etc. dici solebant pro *computus*, *computista*, etc.

Et ideo. Poterat, secundum hanc hypothesin, pinacem instituisse per octonos annos, quoniam in annis octo luna XIV redit ad eumdem calendarii diem, licet non eamdem feriam, et ne quidem post annos sedecim ad eamdem feriam redit: sed maluit per sedecim annos computare (*sedecennitatem* vocat; mallem, *sedecennium*); ideo *forsan quia*, post sedecim annos, ad feriam proxime antecedentem redit, quod post octo annos non fit: pinacem ipsum, qui perierat, hic restituimus ad auctoris mentem.

PINAX.

Pascha XIV luna.		Feria.						
Caput in Ægypto.	II id. Apr.	II	I	VII	VI	V	IV	III
Communis I	kal. Apr.	VI	V	IV	III	II	I	VII
Communis II	XII kl. Apr.	III	II	I	VII	VI	V	IV
Bissext. Emb. III	VI id. Apr.	II	I	VII	VI	V	IV	III
Communis IV	V kl. Apr.	VI	V	IV	III	II	I	VII
Communis V	XVI kl. Apr.	III	II	I	VII	VI	V	IV
Embol. VI	non. Apr.	II	I	VII	VI	V	IV	III
Bissext. VII	IX kl. Ap.	VI	V	IV	III	II	I	VII
Embol. VIII	II id. Ap.	V	IV	III	II	I	VII	VI
Communis IX	kl. Ap.	II	I	VII	VI	V	IV	III
Communis X	XII kl. Ap.	VI	V	IV	III	II	I	VII
Biss. Emb. XI	VI id. Ap.	V	IV	III	II	I	VII	VI
Communis XII	V kl. Apr.	II	I	VII	VI	V	IV	III
Communis XIII	XVI kl. Apr.	VI	V	IV	III	II	I	VII
Embol. XIV	non. Apr.	V	IV	III	II	I	VII	VI
Bissext. XV	IX kl. Apr.	II	I	VII	VI	V	IV	III
Embol. XVI	II id. Ap.	I	VII	VI	V	IV	III	II
Sedecennitas		I	II	III	IV	V	VI	VII

Dies dominic proximesequen est Pascha Ch stianorum.

Digitized by Google

ria. Sextodecimo anno, facto embolismo, inventa est [n] iterum ad caput, id est in primo versu, luna [b] XIV, et prima feria, pridie id. April. in quo die diximus Judæos in Ægypto [c] primum observasse Pascha.

Unde usque ad Jesum filium Nave, [d] annis XLI suppletis, immolaverunt filii Israel Pascha kal. Apr. [e] sabbato. Ezechias autem [f] ab exitu ex Ægypto usque [g] in primum annum regni sui, post annos [h] DCCCLXVII, celebravit Pascha VI id. apr. [i] IV feria. Item Josias duodevicesimo anno regni sui, post annos [j] DCCCCLXX immolavit Pascha [k] XII kal. aprilis, feria II. [l] Esdras autem [m] eo tempore [n] quo suppletæ sunt [o] septem hebdomadæ, [p] a templo restituto et perfecto et [q] restituta civitate Hierusalem, post annos [r] Ī CXIV, sacrificavit Pascha XII kal. apr. sabbato. Sed et ipse Jesus Dominus [s] et Salvator noster, post annos [t] Ī DLXXIII [u] cum discipulis suis manducavit Pascha [v] VI id. april. V feria : et passus est altera die, [x] V id. april. VI feria.

A Hic est Christus Jesus qui, secundum carnem, Abrahæ fuit filius ; in cujus mysterio, [y] centenario patri natus Isaac super humeros suos portavit lignum : ut ex [z] eo demonstraretur, [aa] et adversarios expugnari, et credentes salutem consequi per lignum, id est per [bb] crucis signum. Ipse est Abraham, cui dixit Deus : « In semine tuo benedicentur [cc] omnes nationes terræ. » Numquid ergo [dd] aliquis in Isaac misericordiam consequitur ? Non ; sed [ee] omnis homo credens Deo in Christo [ff] benedicetur. Et ideo Abraham, quia [gg] a Deo Domino dictus est propheta, cum [hh] manifeste sciret, in sacramento Christi, centenario sibi [ii] natum filium, qui post diem tertium mortem evacuavit, et illum fortem [jj] et inimicum nostrum vinxit : [kk] deinde numeravit universos ver-
B naculos suos CCCXVIII, id est pro centenaria generatione triplicavit C, et fecit τ signum crucis, quibus adjunxit ιη nomen Jesu, et adversarios expugnavit, et filium fratris sui Loth de [ll] captivitate eorum liberavit. Et merito ipse Dominus et magister noster dicebat Judæis : « [mm] Si filii Abrahæ essetis, facta

LECTIONES VARIANTES.

[a] *C.* igitur.
[b] *C.* XVII *et infra* II id. April.
[c] *R.* primo.
[d] *C.* anni XLI suppleti.
[e] *R.* sabbatis.
[f] *W. sic suppleo. C. R.* ab Ægypto,
[g] *R.* ad.
[h] *R.* DCCCLXVIII.
[i] *C.* III.
[j] *R.* DCCCLXX.
[k] *C.* XVII.
[l] *R.* Hesdra.
[m] *C.* eodem.
[n] *C.* quod suppleti sunt hebdomada a tempore est.
[o] *W. sic emendo. R.* VI.
[p] *R. deest* a.
[q] *R.* civitatem restitutam.
[r] *R.* $\overline{CC}$ DLXXVIII, *sed* $\overline{CC}$ *est pro* $\overline{\infty}$.
[s] *C. deest* et.
[t] *C.* Ī DLXXIV, *excidente* V.
[u] *U.* Ī DLXXIX. *R.* $\overline{CC}$ DLXXVIX, cum discentibus suis.
[v] *C. manifesto mendo*, IX kal.
[x] *C.* VIII kal.
[y] *C. deest* centenario.
[z] *C.* eodem monstr.
[aa] *C.* adversario sexu repugnari.
[bb] *R.* crucis † in signum.
[cc] *R. inserit* in te.
[dd] *R.* Aliqui.
[ee] *C.* omnes.
[ff] *C.* benedicentur.
[gg] *R.* de Domino.
[hh] *C.* manifesta.
C [ii] *R.* nato filio.
[jj] *C. deest* et.
[kk] *W. sic suppleo, quod in mss. mancum est. C.* deinde numeravit universos vernaculos suos, centenaria generatione triplicavit et fecit signum crucis quibus adjunxit nomine Jesu. *R.* denumeravit universos vernas suos, et propter centenariam nativitatem triplicavit centum et fecit signum † quibus et adjecit XVIII in nomine huius.
[ll] *C.* servitute lib.
[mm] *R.* si filii Abrahæ estis, facta patris vestri facite.

HENRICI DODWELLI NOTÆ.

Pascha kal. Nempe tertiæ sedecennitatis anno nono.

Pascha VI. Nempe, post integrum pinacem (annorum 112) septies transactum (seu annos 784), anno octavi pinacis 83, hoc est sextæ sedecennitatis anno tertio.

Pascha XII. Nempe post 8 pinaces, anno 74 sequentis, seu quintæ sedecennitatis anno decimo.

Pascha XII. Nempe, post pinaces 9, anno 106 D sequentis, hoc est ultimæ sedecennitatis anno decimo. Numerat autem, ut infra patet, ab Exodo ad captivitatem Jechoniæ annos 995 ; hinc ad edictum Cyri, annos 70 ; hinc ad finem septem hebdomadum, 49 ; qui fiunt 1114.

Sed et ipse Jesus. G. Locus laudatus a Bucherio.

Pascha VI. Nempe, post pinaces 14, anno 11 sequentis. Estque locus hic, sed depravatus, quem citat, ex Bucherio, Seneschallus : qui confirmat calculi correctionem, quam ante posueram. Nempe *Usserius* jam ante, pro Ī DLXXIV (ubi V exciderat), restituerat 1579, quod ex annorum omnium computatione, infra sequente, faciendum constat ; indeque ex pinace, diem restitueram, ut vides. Quam correctionem confirmat codex R.

Suos CCCXVIII. Locus hic in utroque codice mancus est, adeoque obscurus ; sed ad hunc sensum restituendum esse, ex sequentibus liquet ; nempe cum Abraham adversarios expugnavit et liberavit amicos (*Gen.* XIV), numeravit vernaculos, hoc est famulos suos CCCXVIII. Quo contineri sentit hic auctor hæc mysteria prophetica ; nimirum, per C centenarii notam, signari, Abrahæ centenario natum iri filium Isaac ; quam litteram triplicavit (CCC) pro centenariis tribus prout tribus diebus iter fecit immolandus Isaac (Christi typus), qui et gestavit lignum, id est crucis signum ; estque signum crucis τ littera græca, notans numerum CCC. Sed præter hos trecentos, adjungit porro XVIII, hoc est, litteris græcis, ιη, quibus signari putat, utpote litteris initialibus, Ἰησοῦς, nomen Jesu. Adeoque, sicut per Abrahæ famulos CCCXVIII, liberatus est Loth, ita per τιη (quibus idem numerus signatur), id est per signum crucis et nomen Jesu, liberatus est Isaac, mortemque evacuavit seu evitavit illo die tertio. Quæ omnia non tam Isaac ultimo spectant, in quo misericordiam consequitur nemo, sed, cujus ille typus erat, Jesum Christum *semen Abrahæ* dictum.

Digitized by Google

Abrahæ facerotis. » [a] At illi itaque qui hæc a Christo audierunt non [b] Abrahæ sed diaboli facta iniqua facere elegerunt. [c] Ac propterea, Gentes, [d] facti estis filii Abrahæ, facta patris sui Abrahæ facientes, cum signo crucis et nomine Jesu, quotidianis diebus adversus angelos apostatas pugnantes, sermone Dei armati, qui de captivitate Satanæ liberat homines. Ipse est Abraham qui LXXV annorum credidit vocatus; et quamvis [e] multos, id est tamquam stellas cœli, filios [f] habere ab ipso Deo [g] sit prædictus; [h] tamen per unicum filium ejus, cujus imaginem portabat ille agnus immaculatus in Ægypto occisus, et ipse protoplastus Adam et omnis homo credens misericordiam [i] a Deo est consecutus.

Denique revertamur ad Exodum, id est ad diem [j] Paschæ primum, et exinde per ordinem dinumeremus [k] annos usque ad Christum. In quibus annis inveniemus nobis magna et [l] admiranda sacramenta demonstrari. [m] Dinumerantes itaque [n], ut dixi, per ordinem, [o] a die quo exierunt ex Ægypto usque ad diem quo oportebat eos exire de [p] eremo, anni XL: exeuntes autem de eremo et introeuntes [q] ut possiderent a [r] Deo [s] sibi repromissam terram, [t] a Jesu filio Nave usque ad [u] Samuelem, judicem et Dei [v] sacerdotem, secundum Pauli B. Apostoli sermonem, qui, spiritu [x] Dei edoctus, retulit eos [y] implevisse annos [z] CCCCL. Ipse est Samuel, qui [aa] ex præcepto Dei unxit Saul [bb] in regem qui prior regnavit in populo Judæorum annis [cc] XL. Post quem [dd] regnavit David annis [ee] XL et VI mensibus. Salomon, [ff] filius ejus, annis XL. Roboam annis [gg] XVII. [hh] Abia annis III. [ii] Asa annis XLI. [jj] Josaphat annis [kk] XXV. Joram annis VIII. [ll] Ochosias anno I. [mm] Athalias annis VIII. Joas [nn] annis XL. Amasias annis XXIX. Ozias annis [oo] LII. [pp] Joathas annis XVI. Achas annis XVI. Ezechias annis XXIX. Manasses annis LV. Amos annis II. Josias annis [qq] XXXI. [rr] Joachaz mensibus [ss] III. [tt] Joacim annis XI. [uu] Item Joacim, filius ejus, qui et [vv] Jechonias dictus est, diebus centum. [xx] Fiunt in se anni Regum [yy] DV. Ab Exodo autem DCCCCLXXXXV. Et capta est Judæa a rege [zz] Nabuchodonosor, *qui*, transmigrato Jechonia [aaa] in Babyloniam, constituit in Hierusalem [bbb] Sedeciam regem Juda, quem [ccc] post XI annos expugnavit, et filios ejus ante oculos ipsius interfecit; et sic ipsum [ddd] Sedeciam orbavit, et vinctum eum in Babyloniam duci jussit, et in molendino constituit, ubi et mortuus est. [eee] Et tunc adimpletum est de eo quod [fff] dictum est a Domino per Ezechielem Prophetam: « [ggg] Extendam [hhh] retiam meam super eum, et comprehendetur in conclusione, et adducam eum in Babylonem [iii] in terra Chaldæorum et istam terram non videbit, et illic morietur. » Similiter et [jjj] Hieremias propheta de eo et universo populo ejus prophetavit, dicens: « *Hæc di-*

LECTIONES VARIANTES.

[a] *C.* Et.
[b] *C.* Abraham.
[c] *C.* Hæc.
[d] *W. sic suppleo. C.* facti estis patris suæ Abrahæ facientes, cum signum crucis et nomine Jesu, sermone Dei armati, quotidianis diebus adversus angelos apostatas pugnantes qui de capt. *R.* facta patris sui Abrahæ facientes cum signum crucis et nomen hominis quotidianis diebus adversus angelos apostaticos expugnantes, sermone Dei armati, de captivitate Satanæ liberant homines.
[e] *R.* in multos.
[f] *C.* Abrahæ.
[g] *C.* det.
[h] *C.* tam.
[i] *C. deest* a Deo.
[j] *C.* Pascha I exinde.
[k] *C. deest* annos.
[l] *R.* admirabilia.
[m] *C.* numerantes.
[n] *R. deest* ut dixi.
[o] *R.* de.
[p] *R.* heremo *bis*.
[q] *R.* et possidentes.
[r] *R.* Domino.
[s] *C.* sive repromissam.
[t] *R.* ab homiuis.
[u] *R.* Samuel.
[v] *C.* levitam.
[x] *R.* Domini.
[y] *R.* implesse.
[z] *C.* CCCCXL.
[aa] *R.* jussu.
[bb] *C.* in regni qui orsu regnavit in populum.
[cc] *C.* XXI.
[dd] *C. deest* regnavit.
[ee] *C.* annis XLVI. *R.* annis XL, mensibus VI.
[ff] *R. deest* filius ejus.
[gg] *R.* XVI.
[hh] *R.* Abias.
[ii] *R.* Asaf annis XV.
[jj] *R.* Josafat.
[kk] *C.* XLV.
[ll] *C.* Oozias.
[mm] *W. sic restituo. C. et R.* Godolias annis VIII.
[nn] *C.* XI.
[oo] *C.* XLII.
[pp] *C.* Joacham.
[qq] *R.* XXI.
[rr] *R.* Joachas.
[ss] *C.* IV.
[tt] *R.* Joachim.
[uu] *R. deest* item.
[vv] *C.* Jechonia.
[xx] *R.* hi sunt anni DCCCCLXXXXV, *omissis reliquis*.
[yy] *C.* DCV, *sed calculus postulat* DV.
[zz] *R.* Nabuchonosor.
[aaa] *C.* Babylonia.
[bbb] *R.* Sedechiam.
[ccc] *R.* per.
[ddd] *R.* Sedechiam inorbavit.
[eee] *R. deest* et.
[fff] *R.* dixerat Dominus.
[ggg] *R.* et ext.
[hhh] *Sic uterque codex.*
[iii] *R.* et in.
[jjj] *R.* Jeremias, *et deest* propheta.

HENRICI DODWELLI NOTÆ.

Annis VIII. Retineo Athaliæ (quam Godoliam vocat uterque codex) annos 8 (utut nunc 6, nunc 7, memorentur II Chron. 22, 12 et 23, 1 et 24, 1 et alibi), quoniam hoc exigere videtur hujus calculus; atque alii chronologi saltem 7 numerant; et uterque codex consentit.

Ab Exodo autem DCCCCLXXXXV. Numeros, passim vitiosos, restituimus ex S. Scripturæ locis, quos respiciunt. Atque, sic emendati, exhibent (quem ille vult) numerum 995. Numeratis, scilicet, Davidis 6 mensibus, et Joachazi tribus, et Jechoniæ tribus mensibus cum decem diebus (pro quibus poni hic 100 dies) pro uno anno integro.

Digitized by Google

cit Dominus : Sic tradam [a] regem Juda, et principes [b] ejus, et residuos [c] in Hierusalem, qui derelicti sunt in terram istam, et eos qui [d] habitant in Ægypto ; et dabo eos in [e] dispersionem in omnia regna terræ, et in opprobrium, et in parabolam, et in odium, et in execrationem, [f] in omni loco quo eos expulero ; et [g] immittam in eos famem, et mortem, et gladium, donec deficiant a terra quam dedi eis. »

[h] Undecimo itaque anno Sedeciæ [i] suppleti sunt ab Exodo [j] anni mille et sex. Et tunc populus Judæorum, qui legem non observaverat, sed potius contra voluntatem Dei filios suos idolis immolaverat, et ipse captivus [k] agitur ; et civitas eorum quæ synagogæ [l] portaverat typum succensa ab adversariis [m] eradicatur ; et templum illud quod in mysterio Adæ fuerat fabricatum, et [j] sum a fundamentis [n] subvertitur, et ad planum redigitur. Et sic nobis [o] qui in novissimis diebus credere prævidebamur, magnum, ut dixi, sacramentum demonstrabatur. Etenim, [p] si meruerat ipse populus et civitas exterminari, [q] quid templum Dei [r] admiserat ut hoc pateretur ? nisi quia vere constat [s] id factum, ut [t] dixi, in mysterio ejus qui prior [u] legem Dei transgressus est, et fuit pater omnium peccatorum ; et [v] ideo non [x] solum Adæ oportebat [y] subveniri, sed et omnibus peccatoribus qui filii [z] fidei Abrahæ futuri prævidebantur, merito et ipsi civitati et templo priusquam [aa] subverteretur, post annos LXX restituto, repromittebatur. Et hoc erat quod jam [bb] tunc ab initio sæculi in Abraham patrem fidei demonstrabatur : qui cum supplesset a die nativitatis suæ annos LXX, non potuit de terra sua exire, nisi in [cc] signo Pentateuchi, cujus universa mandata populus Israel non erat observaturus, adjicerentur et anni V, et sic credens Deo, [dd] reputaretur ei ad justitiam. Hic est itaque Abraham de quo superius diximus, quod LXXV annorum [ee] crediderit vocatus. Ad quos LXXV annos adjicitur unus annus, et fiunt LXXVI. Quis autem hic qui adjicitur [ff] annus ? Ille scilicet qui de semine ejus agnus anniculus [gg] immaculatus est dictus. [hh] Igitur, de mille et sex deducamus LXXVI, et remanent anni DCCCCXXX ; quibus suppletis, Adam functus est [ii] vita.

Post hæc autem demonstremus captivitatis tempus, annorum LXX. Suppletis enim ab Exodo usque ad Jechoniam [jj] annis DCCCCLXXXXV, adjiciamus [kk] XI Sedeciæ, qui anni undecim in corpore LXX annorum computantur. [ll] Quo autem modo videamus. Ex quo capta est [mm] Hierusalem, ipse [nn] Sedecias, [oo] ut diximus, annis XI. [pp] Post quem Nabuchodonosor, qui eum in terra Chaldæorum vinctum duxit, [qq] annis XXV. [rr] Ilemaradan, annis [ss] XII. [tt] Balthasar annis IV. Et Darius [uu] Cyri filius, annis XVIII. [vv] Fiunt in se anni LXX. Et sic Cyrus [xx] suscepit regnum Medorum et Persarum.

Ipse est Cyrus cujus in principio regni, cum thesauris [yy] domus Dei, reversus est populus [zz] Judæorum in terra sua. [aaa] Ex quo tempore oportet nos hebdomadas computare. [bbb] De quibus Angelum Dei meminimus [ccc] Danieli dixisse : « LXX [ddd] hebdomades breviatæ sunt super populum tuum et super civitatem illam sanctam, ut [eee] consummetur peccatum, [fff] et ut signentur peccata et [ggg] deleatur injustitia, et expientur injustitiæ, et [hhh] ut reducatur justitia æterna, et ut signetur visio et [iii] prophetia, et ut ungueatur Sanctum sanctorum. Et cognosces et intelliges ab exitu sermonis, ut [jjj] respondeatur et ut [kkk] ædificetur Hieru-

LECTIONES VARIANTES.

[a] *R. addit* Sedechiam.
[b] *C. deest* ejus.
[c] *R. deest* in.
[d] *C.* inhabitant in.
[e] *R.* dissipationem.
[f] *C.* et in locum ubi.
[g] *R.* mittam.
[h] *R.* XI itaque annis suppleti sunt Ezechiæ ab Exodo anni $\overline{\text{DC}}$ VI ut et.
[i] *C.* Suppletæ.
[j] *C. deest* anni.
[k] *C.* agetur.
[l] *R.* portabat.
[m] *R.* traditur.
[n] *C.* subvertetur ad planum redigetur.
[o] *C. deest* qui.
[p] *C.* sic.
[q] *C.* quod.
[r] *C.* amiserat.
[s] *W. sic restituo. Uterque codex,* eum.
[t] *R.* dixit.
[u] *C.* legis.
[v] *C.* odio.
[x] *R.* solo.
[y] *C.* subvenire.
[z] *C. deest* fidei.
[aa] *C.* subverterentur.
[bb] *C. deest* tunc.
[cc] *R.* similitudine.
[dd] *R.* deputaretur ei justitia.
[ee] *C.* credens.
[ff] *R.* unus.
[gg] *C.* Immolatus est. Dictus.
[hh] *R.* legitur $\overline{\text{DC}}$ VI.
[ii] *C.* vitam.
[jj] *C.* anni.
[kk] *C.* XL, *et deest* Sedechiæ.
[ll] *C.* Qui.
[mm] *R.* Hyerusalem, *et sic sæpe.*
[nn] *R.* Sedechias, *et sic semper. C. semper* Sedecias.
[oo] *R. deest* ut diximus.
[pp] *C.* Cujus post mortem postquam Nab.
[qq] *C.* anni.
[rr] *R.* vitæ Marodat.
[ss] *R.* XI.
[tt] *C.* Baldasar.
[uu] *R.* Asiriæ.
[vv] *R.* sunt.
[xx] *C.* suscipit.
[yy] *R. deest* domus.
[zz] *R. deest* Judæorum.
[aaa] *C.* Ex ipso enim.
[bbb] *R.* De ipsis enim.
[ccc] *R.* Danielo.
[ddd] *C.* hebdomadæ.
[eee] *R.* consumetur.
[fff] *C. deest* et ut signentur peccata, *et mox* et expientur injustitiæ.
[ggg] *R.* deleantur injustitiæ.
[hhh] *C. deest* ut.
[iii] *C.* prophetiæ, et sanctus sanctorum.
[jjj] *R.* responderetur.
[kkk] *C.* ædificaretur.

HENRICI DODWELLI NOTÆ.

Darius Cyri filius. W. id est gener, ut cui nupserat Atossa, Cyri filia.

Digitized by Google

salem usque ad Christum ducem, [a] hebdomades VII A et hebdomades [b] LXII; [c] et convertetur et ædificabitur platea et murus, et exinanientur tempora : et post hebdomadas has [d] LXII, disperibit unctio, et judicium non est in eo : et civitatem et illum sanctum corrumpet cum illo duce qui veniet, et excidentur in cataclysmo, et usque ad finem belli breviati [e] exterminii. [f] Et [g] confirmabit testamentum multis hebdomas una : [h] et in dimidio hebdomadis auferetur meum sacrificium et libatio, [i] et super [j] illum sanctum [k] execratio vastationum, et usque ad consummationem temporis consummatio dabitur super hanc vastationem.

« Et [l] confirmabit, inquit, testamentum multis hebdomas una. » Hæc est [m] ergo hebdomas una quam segregavit Angelus de [n] LXX, et posuit in novissima B sæculi tempora. Quam hebdomadam recognoscimus habere annos septem : in quibus oportet primo Enoch et Eliam venire, et per [o] suam prophetiam magnæ multitudini Evangelium, id est novum testamentum, confirmare. [p] Sic etenim audivimus Angelum [q] Danieli dixisse : « [r] Confirmabit testamentum multis hebdomas una. Et in dimidio, inquit, hebdomadis auferetur meum sacrificium et libatio. » Dimidium autem hebdomadis, tempus et tempora et dimidium temporis ostendit : quod est triennium et menses sex ; [s] qui fiunt dies, secundum [t] Apocalypsin, mille CCLX. In quibus diebus ille Antichristus magnam faciet vastationem : et ideo tunc nemo Christianorum poterit Deo sacrificium offerre, quoniam ipse [u] nequissimus incipiet in templo Dei [v] sedere, C et ignorantibus [x] se Deum affirmare : quem oportet Jesum [y] Dominum et Salvatorem nostrum spiritu oris sui interficere, et præsentia adventus sui evacuare, et in ipso mundum consummare, sicut scriptum est. « Et super illud sanctum execratio [z] vastationum, et usque ad consummationem temporis consummatio dabitur [aa] super hanc vastationem. »

[bb] Post hæc revertamur ad VII, et sic ad [cc] LXII hebdomadas. Quæ septem hebdomadæ continent annos XLIX ; quibus suppletis, illo in tempore et Hierusalem restituta cognoscebatur, et platea per medium ejus ædificata considerabatur, murus in circuitu civitatis ipsius erectus, illa omnia quæ *intus* erant fortiter [dd] tuebatur. In qua civitate templum illud quod in [ee] similitudine Adæ fuerat destructum ; in [ff] nomine ejus iterum [gg] per XLVI annos est ædificatum, et in [hh] sacramento Spiritus sancti oleo est unctum ; quomodo ab Angelo fuerat dictum. Ut [ii] consummetur visio et [jj] prophetia et [kk] ungueatur [ll] sanctum sanctorum. [mm] Ipsum autem fuit sanctum sanctorum in imaginem hominis [nn] unctum, quod cum ipsa civitate, [oo] pro infidelitate Judæorum ab ipso Domino nostro iterum temporibus Vespasiani est exterminatum. [pp] Sic fuerat enim in eodem capitulo quod exponimus scriptum, « et post [qq] LXII hebdomadas [rr] disperibit unctio, et judicium non est in eo, et civitatem et illud sanctum corrumpet cum illo duce qui veniet, [ss] et excidentur [tt] in cataclysmo, [uu] et usque ad finem belli breviati [vv] exterminii. Excidentur, [xx] inquit, in cataclysmo. » De *quibus hoc* [yy] dixit ? Utique de ipsis Judæis, qui, post adventum Christi, [zz] in illa [aaa] obsidione et [bbb] expugnatione Vespasiani excisi et ejecti sunt de civitate sua, in qua jam non redeunt nec [ccc] in ipsa fine belli breviati. [ddd] Quod est autem [eee] hoc bellum breviatum ? nisi Antichristi regnum quod exsurgere habet contra populum Christianorum. [fff] Ipsi sunt dies de quibus ait [ggg] Dominus in Evangelio : « Et nisi abbreviati essent dies illi, non liberaretur omnis caro. »

LECTIONES VARIANTES.

[a] *C.* hebdomadas.
[b] *W. sic restituo. C. et* R.LXXII, *et sic aliquoties.*
[c] *C. deest* et convertetur et ædificabitur platea, et murus ; et exinanientur tempora, et post hebdomadas has LXII.
[d] *R.* LXXII.
[e] *C.* et exterminiis.
[f] *R.* sed.
[g] *C.* confirmavit.
[h] *C.* et dimidia hebdomadas.
[i] *C. deest* et.
[j] *R.* illud.
[k] *C.* ab initio.
[l] *C.* confirmavit.
[m] *C.* hebdomada, *et deest* ergo.
[n] *R.* DCLXX.
[o] *C.* eorum.
[p] *C.* sicut aud.
[q] *R.* Danielo. *C.* a Daniele.
[r] *C.* et confirmavit.
[s] *R.* quis dies.
[t] *R.* Apocalypsi in.
[u] *R.* Antichristus.
[v] *R.* consedere.
[x] *R.* Dominum se affirm.
[y] *C.* Christum et.
[z] *C.* vastationis.
[aa] *C.* et super.
[bb] *R.* Post hoc.
[cc] *R.* LXXII. *C.* LXX et duas.
[dd] *R.* tuebantur.
[ee] *C.* similitudinem.
[ff] *C.* omine.
[gg] *C. deest* per XLV annos est ædificatum.
[hh] *C.* sacramentum.
[ii] *C.* consummaretur.
[jj] *C.* prophetiæ. *R.* propheta.
[kk] *R.* ungeatur.
[ll] *C.* sanctus.
[mm] *Sic rescribo, sed C. et R.* ipsud.
[nn] *C.* victum.
[oo] *W. sic scribo. C.* cum. *R.* per.
[pp] *C.* quomodo et fuerat in eunde capitulo quem exposuimus. *R.* quem expouimus. *W. rescribo* quod.
[qq] *R.* LXXII. *C.* LXX et una.
[rr] *C.* peribit.
[ss] *C. deest* et.
[tt] *C. deest* in.
[uu] *C. deest* et.
[vv] *R.* ex terminis.
[xx] *R.* in quid in cataclismo diluvii.
[yy] *R.* dicitur.
[zz] *C. deest* in.
[aaa] *C.* ob seditione.
[bbb] *R.* pugnatione.
[ccc] *C. deest* in.
[ddd] *R.* Quod autem et in hoc.
[eee] *C. deest* hoc.
[fff] *C.* Ipsæ.
[ggg] *R.* Deus.

HENRICI DODWELLI NOTÆ.

Hebdomas una. U. vid. Hippolyt. apud Hieron. Dan. 9.

Digitized by Google

Restitutum est [a] ergo templum in nomine protoplasti, qui dictus est Adam, sicut [b] superius diximus, [c] annis XLVI. Sic autem ostenditur in nomine Adam : cum apud Græcos prima littera nominis ejus [d] dicatur alpha μία, secunda autem delta [e] τέσσαρες, iterum alpha μία, quarta my τεσσαράκοντα, [f] et fit numerus sex et quadraginta. Qui numerus annorum sic [g] comprehendetur. Cum [h] a die illo quo reversus est in terra sua Judæorum populus, regnavit Cyrus Persarum annis XXXI : post quem [i] Cambyses annis IX, et impleti sunt XXXX. Post annos autem XL, regnat [j] Smerdis Magus mensibus [k] septem ; qui menses a nobis non computantur ; [l] quare ? quoniam in septimo mense Cyri fundamenta templi [m] posuerunt, [n] et exinde usque ad annum secundum Darii opus [o] in eo non [p] confecerunt. Tunc prophetant Aggæus et Zacharias ; per quos exhortatus est eos Dominus, et unanimes accesserunt, et in quadriennio residuum opus templi consummaverunt. Quod ipsum quidem in primo libro [q] Esdræ manifeste demonstratur, quod sexto anno Darii templum Dei [r] sit per omnia consummatum. Ad XL adjiciamus [s] Darii VI, et fiunt XL et VI. Quibus annis adjecti sunt tres in mysterio passionis et resurrectionis Christi, et impleta est [t] hebdomada septima. Et tunc [u] platea et templum et murus et ipsa civitas, quadragesimo et nono anno suppleto, per omnia perfecta et [v] munita demonstrabatur. Sed hoc totum opus in sacramento Ecclesiæ perficiebatur.

Denique videamus quid ipsi XLIX anni significent. Non sine causa enim Deus voluit in septem [x] hebdomadibus tam magnum, id est [y] propheticum opus [z] consummari. Hoc autem [aa] modo [bb] propheticum fuisse [cc] intelligitur : cum de XLIX annis, in nomine Jesu Christi, decem et octo [dd] segregantur, et remanent XXXI : quibus suppletis, Christus Jesus propter credentium salutem passus est et resurrexit, et per semetipsum omnia perfecta ostendit ; et templum quod non humanis sed suis sacris manibus, [ee] secundum imperium Patris sui, [ff] formavit, non oleo sed spiritu Dei unxit ; et civitatem, id est Ecclesiam, lapidibus sanctificatis ædificavit, et in ipsa [gg] plateam constituit. Platea autem est via recta [hh] et plana, in qua ambulantes perveniunt ad vitam æternam. Huic civitati fortem et inexpugnabilem murum, id est sanctum nomen suum, constituit : per quod nomen omnes adversarios pedibus ejus subjicit. [ii] Ecce, Dei gratia, quam præclara et admirabilia [jj] nobis ostensa sunt per annos XLIX. Qui [kk] anni e contrario infidelibus, et persecutionem servis Dei facientibus, magnam demonstrant superventuram calamitatem. [ll] Qua autem ratione videamus. Hic [mm] enim mundus in quo justi et injusti [nn] ab initio sæculi conversantur, sex diebus est consummatus ; quibus suppletis, benedictus est dies septimus ; [oo] ille scilicet superventurus sabbati æterni. In his itaque diebus ab initio, non tantum diabolo et angelis [pp] ejus, sed et omnibus peccatoribus a Deo ignis est præparatus. In cujus flamma uri ille Finæus dives [qq] ab ipso Dei Filio est demonstratus. Hic est [rr] gehennæ ignis ; in cujus [ss] similitudine caminus imperio regis septies tantum incensus per XL et IX cubita [tt] excrevit, et adversarios Ananiæ, Azariæ et Misahel consumpsit, et [uu] ipsos tres pueros a Dei Filio protectos (in mysterio nostro qui sumus tertium genus [vv] hominum), non vexavit, [xx] suppletis itaque XLIX annis, post [yy] LXX captivitatis, facti sunt anni [zz] CXIX. Qui CXIX anni conjunguntur illis qui ab Exodo usque ad Jechoniam computati sunt anni DCCCCXCV, et fiunt in se anni usque ad Hierusalem restitutam, suppleta septima septimana, [aaa] anni I CXIIII.

Septima [bbb] autem septimana suppleta, necesse est nos ad [ccc] LXII [ddd] hebdomades [eee] converti : quæ continent annos CCCCXXXIV. Quibus suppletis oportuit Christum secundum carnem nasci. De quo

LECTIONES VARIANTES.

[a] *R.* igitur.
[b] *R.* supra.
[c] *R.* post annos XXX et VI.
[d] *R.* dicitur a alfamia, secunda autem delta, tesseres tertia, iterum alfamia, et quarta mi tessera conta.
[e] *C.* τέσσαρε.
[f] *R.* sic.
[g] *R.* comprehenditur.
[h] *R.* adjecto illo.
[i] Meabesses.
[j] *Sic rescribo.* *R.* Zmeridius. *C.* Hysmerius.
[k] *C.* VI.
[l] *C. deest* quare ?
[m] *R.* posuerat.
[n] *C.* eum.
[o] *R. deest* in.
[p] *R.* fecerat.
[q] *R.* Hesdræ.
[r] *R.* per omnia sit.
[s] *R. deest* Darii.
[t] *C.* hebdomades.
[u] *C.* plateas.
[v] *R.* protecta.
[x] *R.* hebdomadas.
[y] *R.* perfectum.
[z] *R.* consommari, *et sic sæpe.*
[aa] *C. deest* modo.
[bb] *R.* perfectum.
[cc] *R.* igitur.
[dd] *R.* congregantur.
[ee] *R.* ob imperio.
[ff] *R.* plasmavit.
[gg] *R. deest* plateam constituit.
[hh] *R. deest* et plana.
[ii] *R.* et ecce.
[jj] *C. inserit* nobilia.
[kk] *C.* animæ cont.
[ll] *C.* quia autem rationem.
[mm] *R.* etenim.
[nn] *R.* habitatione.
[oo] *C.* illi scil. *R.* ille.
[pp] *R.* erit.
[qq] *C.* ab initio, *et deest* Finæus.
[rr] *C.* Gehenna.
[ss] *C.* similitudinem.
[tt] *R.* exercuit.
[uu] *C.* ipsus .. puerus... protectus, *et deest* a.
[vv] *C. deest* hominum.
[xx] *C.* impletis.
[yy] *C.* captivitatem.
[zz] *R.* CXIV.
[aaa] *C. deest* anni.
[bbb] *C. deest* autem.
[ccc] *C.* LXXII.
[ddd] hebdomas.
[eee] *C.* reverti.

Digitized by Google

[a] in continenti Simeon, vir justus, portans eum [b] suis manibus, dixit ad Mariam matrem ejus : « Ecce hic positus est in casum et resurrectionem [c] multorum in Israel, et in signum cui [d] contradicetur. » Non tantum autem Simeon, sed et ipsi [e] CCCCXXX et IV anni, et signum crucis, et tempus passionis, et tertium diem resurrectionis ejus demonstraverunt. [f] Quo autem modo videamus. Superius enim diximus Abrahæ centenario natum filium in mysterio Christi ; et demonstravimus neminem in Israel benedictionem consecutum, aut nunc modo posse benedictionem consequi, nisi in semine ipsius Abrahæ, qui est [g] Christus. Et ideo in sacramento Christi [h] de CCCCXXXIV annis primo segregantur centum, et remanent [i] CCCXXXIV. [j] Anni CCC scilicet ostenderunt [k] τ crucis signum, et remanserunt XXXIV : [l] de quibus deductis [m] III, propter [n] diem resurrectionis ejus, remanserunt anni [o] XXXI. Quibus suppletis, oportuit propter peccata credentium pati Christum. [p] Ipsos igitur [q] CCCCXXXIV annos adjiciamus ad summam superiorem, et inveniamus annos ab Exodo usque ad nativitatem [r] Christi, [s] mille DXLVIII. Cujus nativitatis tempus cognoscere desiderantes, ipsos annos MDXLVIII ab Exodo, [t] id est a primo pinacis versu, diligenter [u] dinumeremus, et ad diem nativitatis ejus perveniemus. Qui dies sexta [v] sedecennitate in tertio decimo versu invenitur, [x] V kl. april. feria IV.

O quam præclara et divina Domini providentia ! [y] ut in illo die quo factus est sol, in ipso die nasceretur Christus, V kl. apr. feria IV. Et ideo de ipso [z] merito ad plebem dicebat Malachias propheta : « Orietur vobis sol justitiæ, et curatio est in [aa] pennis ejus. » Hic est sol justitiæ cujus in [bb] pennis curatio præostendebatur. De quo et Moyses in cantico [cc] recognoscitur dicens : « Et super [dd] pullos suos concupivit [ee] et expandens alas suas. » Ipse est Dominus in cujus [ff] similitudine hic sol annus per CCCLXV [gg] dies et quartam partem [hh] diei consummat. Quæ ipsa quidem pars quarta diei habet tres horas. Tres autem horæ imaginem portant illorum trium dierum qui in principio sæculi sine sole et luna [ii] fuerunt. Et ideo, [jj] quomodo tres horæ in [kk] quadriennio quater computatæ unum diem duodecim horarum [ll] effecerunt, sic et ipsi tres dies, per quatuor tempora ternos menses sibi [mm] defendentes, annum post XII menses suppletum demonstraverunt [nn]. Et sic, per hanc multiformem trinitatem, et ipse [oo] duodecim horæ Evangelium unum in quatuor partes divisum ostenderunt, [pp] et tres menses per quatuor tempora, id est per quatuor [qq] Evangelia, a Christo [rr] electos XII Apostolos nobis [ss] demonstraverunt.

Hi sunt Apostoli, quorum sermonibus ædificati, recognovimus Dominum nostrum anno [tt] sextodecimo imperii Tiberii Cæsarii passum; cum esset ipse [uu] annorum [vv] XXXI. Ad [xx] XVI ergo [yy] annum et XXXI, adjiciamus XVIII in nomine ipsius Jesu, et fit numerus LXV ; [zz] quibus desunt trecenti ut impleatur an-

LECTIONES VARIANTES.

[a] *C.* contenentissimus.
[b] *C.* manibus suis.
[c] *W. sic rescribo. C. et R.* mortuorum.
[d] *R.* contradicitur.
[e] *C.* CCCCXXIV.
[f] *C.* Quo autem quo modo.
[g] *R.* Christi.
[h] *R.* CCCCXXXVII anni.
[i] *R.* CCCXXXVII.
[j] *R.* Trecentis.
[k] *R.* crucis signum, *omisso* τ. *C.* τ Tau signum, *omisso* crucis.
[l] *C.* ex.
[m] *R.* tres.
[n] *C. deest* diem.
[o] *C.* XXXIII.
[p] *R.* his enim igitur.
[q] *C.* CCCXXXIV.
[r] *R.* Domini.
[s] *R.* $\overline{\text{oo}}$ DXXXVIII.
[t] *R. deest* id est a primo pinacis versu.
[u] *R.* Dinumeramus.
[v] *R.* sedecennitas.
[x] *C. deest* V kl. April. feria IV.
[y] *C. deest* ut in illo die quo factus est sol, in ipso die nasceretur Christus, V kl. april. feria IV ; et ideo de ipso.
[z] *R. deest* merito.
[aa] *C.* pinnis.
[bb] *C.* pinnis ejus cujus ostendebatur.
[cc] *C.* cognoscitur.
[dd] *R.* populum suum concupivit.
[ee] *R.* spandens alas.
[ff] *C.* similitudinem.
[gg] *C. deest* dies.
[hh] *C.* dies.
[ii] *C.* factus sunt.
[jj] *C. deest* quomodo.
[kk] *R.* quadriennium.
[ll] *C.* efficiunt ; ut et ipsæ III horæ diem.
[mm] *C. et R.* defendentes. *G.* dependentes.
[nn] *C.* dinumeraverunt.
[oo] *R. deest* duodecim.
[pp] *C.* æterni, *forte* et terni.
[qq] *R.* evangelistas, electos a Christo XII Apostolos.
[rr] *C.* electus Apostolus.
[ss] *R.* manifestaverunt.
[tt] *C.* XV.
[uu] *R.* anno.
[vv] *C.* XXX et uno.
[xx] *C.* XV.
[yy] *R. deest* annum et.
[zz] *R.* quibus CCC.

HENRICI DODWELLI NOTÆ.

De quo in continenti Simeon. C. *contenentissimus.* U. *continentissimus.* νουνεχίστατος, pro quo interpres, si forte fuerit interpres, legerat συνεχίστατος. G. immo *contentissimus*, ut sorte sua contentus : et Simeon ipse dixit, *Domine, nunc dimittis servum tuum in pace, quoniam oculi*, etc.

Qui dies. W. Nativitatem Christi, contra receptam sententiam conjicit in martii diem XXVIII : nisi forte, quæ de nativitate dicit sint de conceptione intelligenda ; quæ circa hoc tempus contigisse creditur, nempe mart. XXV.

Pars quarta diei habet tres horas. W. Immo sex horas : nam hic agitur de die 24 horarum, nisi vel totum νυχθήμερον divisum velit in 12 horas (nostrarum duplas), vel tres horas diurnas, velit a totidem nocturnis distinguere, quarum hic nullam rationem habeat.

Per quatuor tempora. W. id est, quatuor vicibus, seu quater.

Digitized by Google

nus secundum [a] cursum solis. CCC autem apud Græcos [b] per unam litteram notantur quæ dicitur [c] *tau*, et manifeste demonstrat omnibus [d] *tau* crucis signum. [e] Ecce iterum jam vere credamus quod V kl. april. secundum carnem natus sit Christus : in quo die probavimus solem factum.

Debemus ostendere [f] et id ipsum non fuisse [g] vacuum, sed [h] in salutem nostram fuisse præostensum. In die enim quarto quando factus est sol, ipso die et luna facta est XV, [i] altero autem die fuit XVI, tertio vero XVII : et sic plasmatus est Adam de terra, qui per suam inobedientiam non tantum sibi sed et nobis arcessierat mortem : [j] quam mortem Dominus noster Jesus conculcans, passus est luna XV; et requievit in corde terræ XVI; tertio autem die, luna XVII inventa, [k] reversus est ab inferis, de terræ fundamentis; et sic ipsi Adæ et omnibus credentibus in se restituit vitam æternam. Quomodo [l] ergo per cursum solis [m] signum *tau* et tempus passionis demonstratum est sic et per cursum lunæ tertius dies resurrectionis ejus evidenter ostensus est. A die enim [n] primo in quo facta est luna quintadecima, A exinde per dies [o] XV visa est in cœlo; sextodecimo autem die, sicut in anno XVI imperii Tiberii Cæsaris, velut mortua non [p] est ab hominibus visa; similiter [q] et XVII [r] die non est visa : [s] duodevigesimo autem, in [t] similitudine et in nomine ipsius Jesu, et ipsa post [u] tertiam diem ad vesperam restituta resurrexit, et nostram omnium resurrectionem futuram ad vesperam, id est [v] in novissima sæculi hora [x] demonstravit.

Ecce igitur [y] quanta nobis dies nativitatis Domini ostendit! qui [z] nativitatis dies ab Exodo repertus est, [aa] ut diximus, post annos Ī DXLVIII. Quos annos [bb] ab Exodo sic vere a nobis collectos [cc] ostendimus, cum et ipsorum annorum rationem non esse vacuam demonstramus. [dd] Dominus enim sanctus et divinus, ut ostenderet nobis quoniam futurorum B est præscius, et in ipsis annis manifestavit tempus in quo oportebat [ee] a Filio ejus aquam quæ abluit peccata, XV anno imperii Tiberii Cæsaris, sanctificari. Et ideo, quomodo Abraham quando expugnare voluit [ff] eos qui Loth filium fratris ejus captivum [gg] duxerunt, [hh] numerabat vernaculos suos primum XVIII in nomine

LECTIONES VARIANTES.

[a] *R. deest* cursum.
[b] *R.* pro una littera.
[c] *C.* τ Tau crucis signum, et man.
[d] *R.* crucem signum.
[e] *C. deest* Ecce iterum jam vere credamus quod V kl. April. secundum carnem natus sit Christus : in quo die probavimus solem factum.
[f] *C. deest* et id.
[g] *C.* unicum.
[h] *R. deest* in.
[i] *C.* quæ altero die.
[j] *R.* iniquam quam.
[k] *C.* ascendit ab.
[l] *R.* autem.
[m] *R.* cursum temporis passionis.
[n] *C.* plurimo.
[o] *R.* XII.
[p] *C. deest* est.
[q] *C. deest* et.
[r] *R. deest* die.
[s] *R.* XVIII.
[t] *C.* similitudinem et in nomen.
[u] *R.* tertium.
[v] *R. deest* in.
[x] *R.* monstravit.
[y] *C.* quis tanta nobis ostendit dies nat. Dom.
[z] *C. deest* nativitatis.
[aa] *R.* post annos, ut diximus.
[bb] *R. deest* ab Exodo.
[cc] *C.* ostendemus.
C [dd] *C.* ostendit qui futurorum est præscius.
[ee] *C.* Filium ejus aqua.
[ff] *R. deest* eos.
[gg] *R.* duxerat.
[hh] *R.* numeravit vernas suos primo CCCXVIII

IV. CHRONOLOGIÆ SYNOPSIS.

Anni ab Exodo.	
In Eremo	40
Judices	450
Reges ad Jechoniam	505
Ad captam Judæam	995
Sedecias	11
Ad conflagrationem urbis et templi	1006

Captivitas.	
Sedecias	11
Nabuchodonosor	25
Ulemaredan	12
Baltasar	4
Darius	18
	70
Ab Exodo ad Captivitatem	995
Captivitas	70
Septem hebdomades	49
Ad templum restauratum	1114
Duo et sexaginta hebdomades	434
Ad Christum natum	1548
Christi vita	31
Ad passionem	1579
Ad Gordiani quintum	215
Summa omnium	1794

Reges.	
Saul	40
David	40
Solomon	40
Roboam	17
Abia	3
Asa	41
Josaphat	25
Joram	8
Ochozias	1
Godolias	8
Joas	40
Amasias	29
Ozias	52
Joathas	16
Achas	16
Ezechias	29
Manasses	55
Amon	2
Josias	31
Joachaz	0
Joachim	11
Jechonias	0
	505

Restauratio templi.	
Nomen Adæ	α 1
	δ 4
	α 1
	μ 40
	46

Septem hebdomades.	
Cyrus	31
Cambyses	9
D Smerdis	0
Darius (II et IV)	6
Restauratio templi	46
Mysterium passionis	3
	49
C. Centenarius triplicatus, ccc.	300 τ signum crucis
Reliqui xviii	18 ιη nomen Jesu.
Vernæ Abrahæ	318 τιη

Digitized by Google

Jesu ; et [a] alios propter centenariam generationem, A in sacramento trium dierum [b] triplicans, numeravit CCC, et fecit [c] τ *tau* signum crucis : ita et nos de [d] ī DXLVIII annis, quindecies centenos deducamus, et remanent XLVIII : ex quibus in nomine Jesu [e] sublatis XVIII, inventi sunt anni XXX : quibus suppletis, Dominus Jesus a nativitate sua baptizatus est a Joanne anno quintodecimo imperii Tiberii Cæsaris : cujus anno sextodecimo passus est et resurrexit. Adjiciamus ergo iterum ad summam annos XXXI, et fiunt in se omnes ab Exodo usque ad passionem anni [f] ī DLXXIX. A quo tempore, id est a passione, usque ad annum quintum [g] Gordiani [h], Arriano et Papo consulibus, suppleti sunt anni [i] CCXV. Ab Exodo autem omnes anni [j] ī DCCXCIIII.

Hos autem annos omnes ab Exodo, id est a primo pinacis versu, [k] super septem sedecennitates illos usque numerando, omnes annos supradictos consummemus, et tunc [l] ad tertium versum primæ sedecennitatis [m] pervenientes, inveniemus secundum Judæos Pascha [n] XII kal. apr. feria tertia. Secundum nos autem [o] tertio versu primæ sedecennitatis, VII kal. apr. occurrit dominicus. Ipso itaque ordine in priora ambulantes usque in finem sæculi, Judæorum et Christianorum dies Paschæ [p] invenire volentes non erravimus. [q] Ac propterea Deo Patri omnipotenti, qui nos ad gratiam tantam vocavit, et divina sacramenta manifestavit, per Jesum Christum *Filium* ejus, Dominum [r] et Salvatorem nostrum semper sine cessatione gratias agamus.

LECTIONES VARIANTES.

[a] *C.* alium.
[b] *C.* replicans.
[c] *R.* † signum †.
[d] *C.* in.
[e] *R.* sublati.
[f] *W. Sic restituo ex calculo; C.* ī. DLXXXVIII. *R.* $\overline{\text{ō}}$ DLXXIV.
[g] *R.* Gordianum.
[h] *C.* Ariani et Papæ Consuu, *lego* consulatu.
[i] *R.* CCXX.
B [j] *W. sic restituo. C.* ī DCCXCVIII. *R.* ī DCCXCIX.
[k] *R.* per septem sedecennitates pervenientes, inveniemus.
[l] *W. suppleo* ad.
[m] *W. suppleo ex altero codice* pervenientes.
[n] *R.* IX kl. apr. feria sexta.
[o] *R.* octavo.
[p] *C. deest* invenire volentes.
[q] *C.* hac.
[r] *C. deest* et.

HENRICI DODWELLI NOTÆ.

Arriano et Papo consulibus. W. Ad hunc annum, qui est æræ vulgaris 243, perducitur calculus. Quo anno Cyprianus nondum se Christianum professus perhibetur ; sed uno aut altero anno serius. An autem eo anno scriptus fuerit hic tractatus quo terminatur calculus, non liquet. Ut a Cypriano, nondum Christiano, tunc scriberetur, haud putandum est. Si itaque hunc habeat auctorem, serius aliquanto scriptum fuisse, postquam ille factus est Christianus, dicendum erit. Et quidem raro accidit ut chronicorum scriptores ad eum ipsum annum quo scribunt res C perducant, sed ad annum aliquem insigniorem, paulo præteritum. Quod et hic factum esse videtur, nimirum ad annum Gordiani imperatoris ultimum. Quippe cujus annus quintus desinit et sextus incipit, anno consulatus Arriani et Papi. Annoque sexto inchoato, sed non perfecto, ante aliud Pascha, a Philippo Arabe, qui successit, occisus est ; et quidem, referente Julio Capitolino, eisdem adhuc, Arriano et Papo consulibus.

Suppleti sunt anni CCXV. *W.* in hoc numero variant codices : codex *C.* habet CCXV, et quidem rectius. Cum enim uterque mortem Christi assignet anno Tiberii XVI, qui est æræ vulgatæ Dionysianæ, annus 29, inde ad consules Arrianum et Papum, qui est ejusdem æræ annus 243, sunt anni 214, aut (utrisque extremis computatis) 215. At codex *R.* habet CCXX : adeoque ab Exodo numerat annos $\overline{\text{oo}}$ CCXCI, pro $\overline{\text{oo}}$ CCXCIV ; et Judæorum Pascha pro illo anno, quærit (non ut codex *C*, in tertio versu, sed) in versu octavo primæ sedecennitatis ; ponitque (non, ut *C*, XII kl. D apr. feria III, sed) IX kl. apr. feria VI : sed in hoc consentiunt (quod utrique anno commune est) quod Pascha nostrum, dominico proxime sequente, fit VII kal. apr. Sive enim XI kal. apr., hoc est martii 21, fuerit tertia feria, sive IX kal. apr., hoc est martii 24, feria sexta, erit VII kal. apr., hoc est martii 26, dies dominicus. Sed erroris causam hanc fuisse conjicio. Uterque codex, nativitati Christi, assignat annum ab Exodo MDXLVIII : et uterque consentit addendos esse, pro Passione, annos XXXI ; qui conficiunt quidem annos MDLXXIX, sed codex *R.* (excidente V) *fiunt*, inquit, *anni* MDLXXIV. Cumque librarius (de hoc securus) viderat, aliis computantibus, ad illum Gordiani annum esse, ab Exodo, annos MDCCXCIV, differentiamque viderit annorum (non CCXV, sed) CCXX ; hunc numerum isti intervallo assignavit : interpolatis hic annis V, qui illic exciderant. His autem sic positis, animadvertit ille, vel alius forte aliquis, positis ab Exodo ad Christum natum annis 1548, indeque ad passionem annis 31, de quibus convenit, inde ad Gordiani quintum (*quod jam posuerat R.* 220) ; omnino fieri, ab Exodo *ad Gordiani quintum*, annos 1799 substituit igitur (pro MDCCXCIV) annos $\overline{\text{co}}$ DCCXCIX : cui convenit, primæ sedecennitatis, versus octavus ; adeoque dies IX kl. apr. et feria VI, pro Judæorum Paschate. Cumque, his datis, sequeretur Pascha Christianorum, dominico sequente, incidere in VII kal. apr. quod, uti videtur, reapse contigit, et quidem secundum canones a Nicæna synodo post conditos, contingere debuit ; satis securus erat de calculo rite posito. Sed et idem contingeret, ut modo dictum est, etiamsi hic error, quinque annorum, non incidisset : nempe, quod Pascha Christianorum illo anno foret (quod actu contigit) VII kal. apr., ut librarii fuerit ille error calculi, non auctoris. De quo consensu sibi tantopere gratulatur hic auctor : indeque Pinacem suum recte constitutum concludit.

***W.** Ad calcem codicis Rhemensis, habetur hæc tabella, sed confusa et depravata, quam, ne quid deesse videatur, hic apponimus.*

Kl. Mart. Luna et Feria.						
Luna	II	Feria	II	Luna	XXIII	Feria IV
Luna	XIII	Feria III		Luna	VI	Feria VI
				Luna	XVII	Feria VII

Digitized by Google

Luna	XXIIX	Feria	I	A
Luna	VIIII	Feria	II	
Luna	XXI	Feria	III	
Luna	II	Feria	V	
Luna	XIII	Feria	VI	
Luna	XXVI	Feria	VII	
Luna	VI	Feria	VI	
Luna	XVII	Feria	III	
Luna	XXVIII	Feria	IIII	
Luna	VIIII	Feria	V	
Luna	XXI	Feria	VII	
Feria	I	Feria	IIII	
Feria	V	Feria	III	
Feria	II	Feria	VII	
Feria	I	Feria	IIII	
Feria	V			
Feria	II	Feria	III	
Feria	I	Feria	VII	B
Feria	V	Feria	IIII	
Feria	IIII	Feria	III	
Feria	I	Feria	VII	
Feria	V	Feria	VI	
Feria	IIII	Feria	III	
Feria	I	Feria	VII	
Feria	V	Feria	VI	
Feria	IIII	Feria	III	
Feria	I	Feria	VII	
Feria	V	Feria	V	
Feria	IIII	Feria	III	
Feria	I	Feria	II	
Feria	VII	Feria	VI	
Feria	IIII	Feria	III	
Feria	I	Feria	II	
Feria	VII	Feria	VI	
Feria	VI			
Feria	III			C
Feria	VII			
Feria	VI			
Feria	III			
Feria	VII			
Feria	VI			
Feria	III			
Feria	VII			
Feria	VI			
Feria	III			

XVI kl. mars Domini.
III non. apr. dom.
VII kl. apr. dom.
XIIX kl. apr. dom.
III kl. apr. dom.
XI kl. apr. dom.
III id. apr. dom.
XVII kl. mai. dom.
XVII id. apr. dom.
III id. apr. dom. D

EXODUS.

Embolismus prid. id. apr.	fer.	II
Comm. kl. april.	fer.	VI
Comm. XII kl. april.	fer.	III
Bissext. et embolismus		VI
Comm. V kl. april.	fer.	VI
Comm. XIII kl. april.	fer.	III
Embolismus non. april.	fer.	II
Bissext. comm. VIII kl. apr.	fer.	III
∞ DCCXVIII		
Embolismus prid. id. apr.	fer.	V
Comm. kl. april.	fer.	II
Comm. XII kl. april.	fer.	VI
Bissext. et embol. VI id. april.		
fer. V. Passio.		
Comm. V kl. april.	fer.	II

Comm. XVI kl. april.		fer.	VI	
Embolismus non. april.		fer.	V	
Bissext. comm. VIII kl. apr.		fer.	II	
Feria	III	Feria	I	
Feria	II	Feria	V	
Feria	VI	Feria	IIII	
Feria	V	Feria	I	
Feria	III	Feria	V	
Feria	VI	Feria	IIII	
Feria	V	Feria	I	
Feria	II	Feria	VII	
Feria	VI	Feria	IIII	
Feria	V	Feria	I	
Feria	II	Feria	VII	
Feria	VI	Feria	IIII	
Feria	V	Feria	III	B
Feria	II	Feria	VII	
Feria	I	Feria	IIII	
Feria	V	Feria	III	
Feria	IIII	Feria	III	
Feria	I	Feria	IIII	
Feria	V	Feria	III	
Feria	IIII	Feria	VII	

III non. apr. dom.
XIIII kl. apr. dom.
VI id. apr. dom.
III kl. apr. dom.
XIII kl. mai. dom.
Prid. non. apr. dom.
VI kl apr. dom.
XVII kl. mai. dom.
Prid. kl. apr. dom.
X kl. apr. dom.
Prid. id. apr. dom. C
VI kl. apr. dom.
XVI kl. mai. dom.
VI id. apr. dom.
VIIII kl. apr. dom.
Prid. id. apr. dom.
Prid. non. apr. dom.
XIII kl. apr. dom.
V id. apr. dom.
Prid. kl. apr. dom.
XII kl. mai. dom.
X kl. apr. dom.
V kl. apr. dom.
XVI kl. mai. dom.
Kl. dom.
VIIII kl. apr. dom.
Id. apr. dom.
V kl apr. dom.
XV kl. mai. dom.
V id. apr. dom.
VIII kl. apr. dom. D
Id. apr. dom.
Non. apr. dom.
XII kl. apr. dom.
IIII id. apr. dom.
Kl. apr. dom.
XVIII kl. apr. dom.
VIII id. apr. dom.
IIII kl. apr. dom.
IIII id. apr. dom.
IIII non. apr. dom.
VIII kl. apr. dom.
VII id. apr. dom.
IIII kl. apr. dom.
Prid. id. apr. dom.
VI kl. apr. dom.
XVI kl. apr. dom.
V id. apr. dom.

Digitized by Google

VIIII kl. apr. dom.	A	VII id. apr. dom.
Non. apr. dom.		IIII kl. apr. dom.
XIIII kl. mai. dom.		Prid. id. apr. dom.
III non. apr. dom.		Prid. non. apr. dom.
VII id. apr. dom.		XIII kl. apr. dom.
XVII kl. mai. dom.		V id. apr. dom.
III kl. apr. dom.		Prid. kl. apr. dom.
XI kl. apr. dom.		XII kl. apr. dom.
III id. apr. dom.		Non. apr. dom.
VII kl. apr. dom.		V kl. apr. dom.
XVII kl. apr. dom.		XVI kl. apr. dom.
VII id. apr. dom.		Kl. apr. dom.
X kl. apr. dom.		VIIII kl. apr. dom.
III id. apr. dom.		Id. apr. dom.
III non. apr. dom.		V kl. apr. dom.
XIIII kl. apr. dom.		XV kl. mai. dom.
VI id. apr. dom.		V id. apr. dom.
III kl. apr. dom.		VIII kl. apr. dom.
XIII kl. mai. dom.		Id. apr. dom.
Prid. non. apr. dom.		Non. apr. dom.
VI kl. apr. dom.	B	XII kl. apr. dom.
XVIII kl. apr. dom.		IIII id. apr. dom.
Prid. kl. apr. dom.		Kl. apr. dom.
X kl. apr. dom.		XVIII kl. apr. dom.
IIII id. apr. dom.		VIII id. apr. dom.
IIII non. apr. dom.		IIII kl. apr. dom.
VIII kl. apr. dom.		

HENRICI DODWELLI NOTÆ.

W. Sed non fui sollicitus de his vel ordinandis, vel restituendis : Quoniam quidquid sani hic contineatur, id omne haberi potest in Pinace quem (ad Auctoris mentem) ante restitueram et notis inseruera-ram, quam hanc conspexerim tabellam. Quia nihil aliud continetur, quam confusa materia, et male digesta, et depravata pro istiusmodi pinace : neque operæ pretium est corrigere, vel ordinare, vel etiam divinare quo casu in hanc confusionem devenerit. Si cui id libet, per me licet.

W. Postquam hucusque pervenissent operæ, locusque superesset vacuus in imo paginæ; visum est (ex *Bucherio*) hic inserere *Hippolyti* canonem Paschalem; qui huic *Cypriani* plane similis est. Nam et ille Cyclum suum per *Heccædecæteriasa* seu *Sedecennitates* distribuit (sive geminas *Octaeteridas*), ut *Cyprianus* noster. Atque (ut hic) post Sedecennitates septem, seu annos CXII; redire docet Pascha ad eumdem mensis diem, eamdemque Feriam. Quem canonem (paulo aliter apud *Bucherium* dispositum) in C eam formam hic redigo, qua supra canonem Cypriani exposuimus.

CYCLUS HIPPOLYTI.

Luna Quartadecima.			Feria.							
Embolism.	I	Id. April.	VII	VI	V	IIII	III	II	I	
	II	IIII Non. Apr.	IIII	III	II	I	VII	VI	V	
Bissex.	III	XII Kl. Apr.	I	VII	VI	V	IIII	III	II	Dies Dominicus proxime sequens (non Quartamdecimam, sed) Quintamdecimam Lunam, est (Hippolyti) Pascha Christianorum.
Embolism.	IIII	V id. Apr.	VII	VI	V	IIII	III	II	I	
	V	IIII Kl. Apr.	IIII	III	II	I	VII	VI	V	
	VI	XV Kl. Apr.	I	VII	VI	V	IIII	III	II	
Emb. Bissex.	VII	Non. Apr.	VII	VI	V	IIII	III	II	I	
	VIII	VIII Kl. Apr.	IIII	III	II	I	VII	VI	V	
Embol.	VIIII	IIII Non. Apr.	III	II	I	VII	IIII	V	IIII	
	X	Id. Ap.	VII	VI	V	IIII	III	II	I	
Bissext.	XI	XII Kl. Ap.	IIII	III	II	I	VII	VI	V	
Embolism.	XII	V id. Ap.	III	II	I	VII	VI	V	IIII	
	XIII	IIII Kl. Apr.	VII	VI	V	IIII	III	II	I	
	XIIII	XV Kl. Apr.	IIII	III	II	I	VII	VI	V	
Embol. Biss.	XV	Non. Apr.	III	II	I	VII	VI	V	IIII	
	XVI	VIII Kl. Apr.	VII	VI	V	IIII	III	II	I	
Sedecennitas			I	II	III	IIII	V	VI	VII	

Caput hujus canonis, seu primus annus primæ D sedecennitatis, ponitur, annus primus imperatoris Alexandri, qui est annus Domini vulgaris 222. Adeoque annus vulgaris 243 (qui est Gordiani quintus exiens, et sextus iniens), est hujus canonis annus 22, hoc est secundæ sedecennitatis annus sextus. Idemque erat, in canone Cypriani, versus tertius, adeoque annus secundus, primæ sedecennitatis. Quamquam igitur eadem plane forma sit utriusque canonis, non tamen ab eodem capite incipiunt : sed primus annus canonis Cypriani, est vicesimus primus in canone Hippolyti.

Item, dies primus mensis primi, in canone Cypriani censetur martii dies quartus (seu 4 non. martii), ut possit 14 luna incidere in martii diem 17 (seu 16 kl. apr.), sed in canone Hippolyti primus ille dies censetur martii quintus (seu 3 non. martii), adeoque quartadecima luna non ante martii diem 18 (seu 15 kl. apr.).

Sed et pro Christianorum Paschate ponit Hippolytus diem Dominicum qui proxime sequitur (non decimam quartam, sed), quintamdecimam lunam : ut, si 15 luna sit dies Dominicus, non eo die celebrandum sit Pascha (quod, credo, vult Cyprianus, utut id totidem verbis non dicat), sed Dominico sequente plenilunium (seu lunam 15), non in ipso plenilunio. Et quidem fieri potest ut Cyprianus etiam (sicut Hippolytus), non ipso plenilunio (cum sit Dominicus), Pascha celebrandum vellet, sed Dominico sequente, quod et suadere videntur rudera Tabellæ Codicis R,

Digitized by Google

Denique, in ætate lunæ discrepant : quippe, pro anno vulgari 243, qui est in canone Cypriani annus secundus, et in canone Hippolyti vicesimus secundus, ponitur luna quartadecima, secundum Cyprianum, XII kl. apr. feria 3; sed secundum Hippolytum, XV kl. apr. feria 7, adeoque plenilunium XIV kl. apr. feria prima, hoc est mar. 19 die Dominico, et Hippolyti Pascha (Dominico non eo, sed sequente), die 26 martii, seu VII kl. apr. Quo ipso die celebrandum item esset secundum Cyprianum ut qui est primus Dominicus post XII kl. apr. feria 3. Eumdemque diem (pro Paschate istius anni), designant canones Paschales Dionysii (quibus jam utimur, in computo Juliano) ad mentem synodi Nicænæ.

Erant autem (præter hos Hippolyti et Cypriani), alii item canones ad similem formam (nempe per Sedecennia, aut duplicatam Octaeterida, adeoque post annos 112, aut etiam 56, recurrentes); ut ex Cypriano nostro constat (qui ejusmodi unum aut alium rejicit), et Bucherii notis ad canonem Hippolyti.

APPENDIX TERTIA.

DISSERTATIO

DE CYPRIANI LIBRIS AD DEMETRIANUM, ET DE IDOLORUM VANITATE.

AUCTORE D. NICOL. LE NOURRY. O. S. B.

CAPUT PRIMUM.

De libro ad Demetrianum.

ARTICULUS PRIMUS.

Analysis hujus libri.

Demetrianus impio falsorum deorum cultui addictissimus, Cyprianum sæpius convenerat, ut cum eo non inquirendæ umquam veritatis, sed suæ tantum religionis tutandæ causa disputaret (*pag.* 185). Quamobrem Cyprianus indocilem, litigiosum ac pertinacissimum hominem aspernabatur, illumque silentio atque patientia potius, quam verbis, sicuti sacræ nostræ Scripturæ docent, revincendum esse censebat. Sed cum dirissimis belli, famis, et pestis calamitatibus tunc mundus vexaretur, insanus ille homo majori clamore cœpit obstrepere, palamque vociferari plurimos secum jure merito conqueri Christianos illarum ideo esse causam, quia cæterarum gentium deos non venerabantur. Cyprianus itaque, ne silentio suo id fateri videretur, ad has quantumvis insulsas et contemnendas criminationes, publico scripto refellendas tandem aggressus est (*pag.* 186).

Variis autem rationum momentis eas funditus evertit. Primum enim hæ ipsæ, inquit, maximæ calamitates ostendebant mundum senescere, ac viribus defici. Tanta siquidem hiberno tempore non erat imbrium copia, non tanta veris temperies, non tantus æstate ardor Solis, nec tanta autumno frugum fructuumque ubertas. Decrescebant præterea in visceribus terræ metalla, imminuebatur agricolarum, nautarum, militum numerus : deerat innocentia in foro, inter amicos concordia, peritia in artibus, in moribus disciplina. Non ergo senescentis mundi calamitates Christianis magis attribuendæ erant, quam quod ætate confectus homo senectutis morbis urgeatur et opprimatur (*pag.* 187).

Planum deinde auctor noster facit minime quidem Christianos harumce calamitatum esse auctores, sed ipsosmet gentiles, qui Deum, plane penitusque derelictum, scelesto falsorum deorum cultu, variis superstitionibus, et sceleribus innumeris offenderant. Eam enimvero ob causam, et ut ad saniorem mentem redirent, æquissimus ille Deus permisit mundum funestissimis illis, quas sacri ejus Vates, a Cypriano ibi citati, prædixerant, cladibus concuti ac pene obrui. Verum hæc erat impiorum et sceleratorum gentilium cæcitas, ut tot tantisque plagis minime commoti, quam novis semper criminibus provocabant, iram Dei non vererentur. Quis ergo eos non condemnet, qui tametsi debitam sibi a servis suis exigerent servitutem, ac jussis suis non obedientes flagris, fame, siti, nuditate, ferro, carcere mulctarent, nolebant tamen Omnipotenti Domino morem gerere, ac servire (*pag.* 188). Tot itaque ac tantis, sed iis, quas meruerant, minoribus plagis non emendatos, nihil aliud manebat, quam carcer æternus, ac perpetuum ignis supplicium.

Demetriani vero conscientiam ibi judicem appellat, petitque quo jure ipse avaritiæ, livoris, libidinis, ac cujuslibet criminis reus, possit de vindicta divina conqueri (*pag.* 189). Quæ enim justa illius, aliorumque gentilium de bellis tum poterat esse querimonia, cum nulla inter togas pax esset? Quæ de sterilitate et fame conquestio, quam illorum rapacitas majorem faciebat? Quæ de peste querela, cum ipsa lue sævior esset ipsorum in morientes et mortuos, atque ad rapienda illorum bona crudelitas? Nonne etiam tum falsarii, venefici, sicarii, et iniquissimi judices impune grassabantur? Deus ergo in tot scelerum ultionem jure meritissimo sinebat mundum maximis, quas tamen prohibere poterat, calamitatibus vexari (*pag.* 190).

Æquissimam præterea ejus iram commovebat insatiabilis ethnicorum rabies, qua Christianos contra omnia æquitatis jura, propter solum suum nomen quibuslibet atrocissimis suppliciis excarnificabant et

Digitized by Google

trucidabant. Si Christiani enim illorum deos læserant, cur hi injurias suas tranquille et impune patiebantur, aut relinquebant ab iisdem ethnicis tamquam potentioribus propulsandas? Sed hi dii adeo imbecilles erant, ut hominum indigerent tutela, et a Christianis adjurati, ipsorum verbis, non secus ac flagris, et verberibus cæsi, cogerentur ab obsessis exire corporibus (*pag.* 191). Quin etiam adigebantur palam, et in omnium etiam ethnicorum ore, et oculis suas præstigias prodere, ac venturum judicium confiteri. At quid insulsius et absurdius, quam hos falsos deos impio cultu, ac prostrato corpore coli ab homine, quem status sublimis, et erectus in cœlum vultus, Verum et Omnipotentem Deum agnoscere et honorare admonebat (*pag.* 192)?

Demetrianum ergo aliosque gentiles hortatur, ut B se ad verum Deum convertant, credant Christo, ac desinant ejus lædere servos, quos patientes faciebat de futura ultione securitas. Deus quippe manifestissimum ultionis suæ, et illorum defensionis documentum paulo antea dederat, « ruinis Regum, jacturis opum, dispendio militum, diminutione castrorum. » Quapropter inde auctor noster concludit publicas calamitates accidisse, non in Christianorum, sed gentilium pœnam et ultionem.

Neque sinit sibi objici iniquum fore Deum, qui patitur illos, sicut gentiles, tantis cladibus involvi et opprimi. Soli enimvero gentiles eas mœrebant, minime vero Christiani, qui de futuris bonis certiores facti, ac spiritu magis quam carne viventes, magna animi firmitate vincebant corporis infirmitatem (*pag.* 193). Noverant insuper se adversis probari et corroborari, ac quamvis communis sit omnium in hoc mundo, quemadmodum in eadem domo manentium conditio, fore tamen ut ab ethnicis post hanc vitam separati, æterna felicitate potiantur. Publicis igitur non commovebantur calamitatibus. Nam deposita nativitate terrena, et spiritu renati, non mundo utique vivebant, sed Deo, quem pro auferendis aut temperandis calamitatibus, pro hostibus arcendis, pro impetrandis imbribus, immo etiam pro ipsorummet ethnicorum pace ac salute, « diebus ac noctibus jugiter atque instanter » precabantur.

Gentiles itaque non poterant sibi idcirco blandiri, quod in publicis calamitatibus communis, saltem quoad corpus, esset ipsorum, atque Christianorum D conditio. Non enim propter Christianos, sed propter eorumdem ipsorum gentilium scelera, et in eorum vindictam, sicuti a sacris Vatibus prædictum fuerat, mundus premebatur (*pag.* 194).

Præterea improbi gentiles crudelioribus adhuc post proxime futurum ultimi judicii diem pœnis cruciabuntur, quæ similiter ab iisdem Prophetis prænuntiatæ sunt. Nam sicut olim ex Ægypto salvi evaserunt Israelitæ, qui domorum suarum limina, sanguine agni insperserant: ita ii soli æternos cruciatus declinabunt, qui signum sanguinis Christi præ se ferent.

Ethnicos itaque auctor noster iterum hortatur, ut A resipiscant, ac vel sero tandem agnoscant Deum, in quo, ut Prophetæ et Christus docent, est vita. Credendum quippe Christo, qui numquam fallit, qui hæc omnia futura prædixit, qui dabit vitæ æternæ præmium, qui perfidos et incredulos post extremum judicium vivacibus ignis æterni flammis exuri præcipiet (*pag.* 195). Tantis vero tormentis cruciati spectabuntur impii illi homines, qui horrendo quidem, sed brevi cruciatuum, Christianis inflictorum, spectaculo crudeles oculos paverant. Tum autem hi ipsi, uti ait Propheta, mirabuntur insperatam illorum salutem, eosque errorum, scelerumque tardius pœnitebit.

Christiani porro, qui nullum odisse, et bonum pro malo reddere didicerant, ethnicis pro odio rependebant benevolentiam, ac pro tormentis ac suppliciis B monstrabant salutis æternæ iter. Omnes autem, quamdiu aliquid de hoc sæculo superest, eam consequi possunt, modo suscepta vera religione, Deo satisfaciant. Manenti etenim in hoc mundo nulla pœnitentia sera est, sed venia confitenti datur, et credenti indulgentia, quam Christus sanguinis sui pretio impertit. Quapropter cunctos Cyprianus rursus cohortatur, ut illum, si fieri potest, ducem ita sequantur, ut post mortem æterna cum illo fruantur felicitate (*pag.* 196).

ARTICULUS II.

Ostenditur Cyprianum Carthaginis Episcopum et martyrem esse verum hujus libri parentem; quis ille, et utrum primus in Africa martyr fuerit.

C De hujus commentationis auctore nulla unquam fuit, nec jam esse potest quæstio. Omnes etenim uno ore, illam a Thascio Cæcilio Cypriano, Carthaginensi episcopo, scriptam fuisse semper confessi sunt, et adhuc fatentur. Nihil igitur necesse est rem certam, confessam, et omnibus, nullo repugnante, probatam, variorum cujuslibet ætatis, et codicum et auctorum, omni fide majorum, testimoniis iterum probari. Duos tamen omnino prætermittere non possumus, sua eruditione et auctoritate præstantes viros Lactantium, et Hieronymum, quorum primus hanc, quam procul dubio legerat, « ad Demetrianum » commentationem nominatim citat (*Lactant. lib.* v *Inst. cap.* 4, *pag.* 471), secundus vero illam « adversus Demetrianum » editam fuisse testificatur (*Hieronym. Epist.* LXXXIII, *ad Magn. pag.* 655; *Dissertat. in Lactant. cap.* 3, *art.* 2). Utriusque autem verba in tertia nostra de Lactantii Operibus dissertatione retulimus. Nonne etiam hic unus ex illis tractatibus est, quem Cyprianus adversus ethnicos composuerat, quorum Pontius ejus diaconus hanc quidem, sed generalem tantum mentionem fecit? « Per quem (Cyprianum) gentiles blasphemi repercussis iis, quæ nobis ingerunt, vincerentur » (*Pont. in Vit. Cypr. pag.* 4). Quamvis enim hunc tractatum nomine, tituloque suo non appellet, vix sane poterat eum, ut ex jam dictis et adhuc dicendis patebit, clarioribus verbis indicare.

Digitized by Google

Nemini porro quantumvis parum erudito incompertum esse putamus quis fuerit sanctissimus ille vir, qui Ecclesiam non solum vitæ sanctimonia et effuso sanguine, sed suis etiam scriptis mirum plane in modum illustravit. Is autem origine Afer, et Carthagine, uti verisimilius videtur, natus, impias ethnicorum superstitiones cum lacte suxerat. Eas vero adhuc sequebatur, quando « Rhetoricam, sicut ait Hieronymus (*Hieronymus*, *Catalog. Script. Eccles.*, § 67, *pag.* 119), gloriose docuit. » Sed postea Christianam Religionem amplexatus est, suadente presbytero Cæcilio, cujus idcirco accepit cognomentum. Ubi primum autem illam suscepit, tanto perfectionis ejus assequendæ desiderio incensus fuit, ut adhuc catechumenus decreverit servare continentiam, et pauperibus omnia erogaverit bona sua, quibus exutus, pauperem Christum abundantius imitaretur. Nec multo post propter eximias suas virtutes factus est presbyter, ac deinde episcopus Carthaginensis, quamvis utrumque illud onus, quoad ejus fieri potuit, ab se deprecaretur. Quanta vero pietate, prudentia, charitate, sanctimonia, aliisque episcopalibus virtutibus floruerit, nemo certe ignorare potest, nisi in Ecclesiastica Historia omnino peregrinus. Quin etiam mirandas hasce ejus virtutes spirant « luce clariora, » uti loquitur Hieronymus (*Idem*, *ibid.*), « ejus Opera. » Tam sanctæ porro vitæ curriculum absolvit invictissima Christi confessione, propter quam capite plexus, meruit martyrio coronari.

At eo certe major fuit ejus triumphus, « quod prior, inquit Pontius, in provincia, » Africæ martyrii « primitias dedicavit; » et paulo post : « Sacerdotales coronas in Africa primus imbuit (*Pont. in Vit. S. Cypr. pag.* 10). » Sed huic opinioni adversari videtur ipsemet Cyprianus, qui Papiniano, ne secum communicaret, scrupulum quemdam, sed ridiculis dumtaxat calumniis nixum, opponenti sic respondet : « Quare in hunc scrupulum non inciderunt tot coepiscopi collegæ mei, qui vel cum de medio recederent proscripti sunt, vel apprehensi in carcere et in catenis fuerunt, aut qui in exsilium relegati, illustri itinere ad Dominum profecti sunt, aut qui in quibusdam locis animadversi, cœlestes coronas de Domini clarificatione sumpserunt (*Cyprian. Epist.* LXVI, *ad Papin. pag.* 166 *seqq.*)? » Plures autem ibi commemorat episcopos, collegas suos, qui in Africa procul dubio martyrio vitam finierant. Cur eos namque collegas suos vocat, nisi quia episcopalem in sua provincia revera obtinuerant dignitatem? Quocirca peritiores quidam critici ut illum Pontio, ac discipulo magistrum reconcilient, citata hujus Pontii non de tota, sed minori Africa intelligenda esse arbitrantur. Quid vero, si dicamus illum non omnino accurate loqui, ac generali Africæ nomine nihil aliud designare, quam totius Africæ caput Carthaginem? Nam paucissima post verba sic prosequitur : « Ex quo enim Carthagini episcopatus ordo numeratur, numquam aliquis ex bonis et sacerdotibus ad passionem venisse memoratur..... ut in civitate ipsa, in qua taliter ille vixerat, et in qua prior fecerat multa præclara, prior etiam sacerdotii cœlestis insignia glorioso cruore decoraret (*Pontius*, *pag.* 10). » Sensus itaque Pontii esse videtur, Cyprianum fuisse primum Carthaginis in Africa episcopum, qui sanguine effuso martyrii palmam adeptus est. Quidam porro putant his verbis solam notari excitatam a Valeriano et Galieno persecutionem, ac Cyprianum primum omnium in Africa fuisse, qui sub his principibus, ut ait Hieronymus, « passus est (*Hieronym. Catalog. Script. Eccles.* § 67, *pag.* 119). » Neque huic opinioni multum repugnabimus, si sat validis rationum momentis stabiliatur.

ARTICULUS III.

De hujus libri titulo, et utrum contra solum Demetrianum scriptus sit.

Liber hic « ad Demetrianum, » uti ait Lactantius, vel « adversus Demetrianum, » sicut Hieronymus dixit, scriptus est (*Cit. super. loc.*). Utraque enim inscriptio in nostris ineditis codicibus præfixa legitur; ac primum quidem in antiquissimo codice Colbertino : « Incipit ejusdem (Cypriani) ad Demetrianum; » in Tarnicensi : « Incipit liber Cæcilii Cypriani contra Demetrianum. » In antiquis vero editionibus : « Divi Cæcilii Cypriani episcopi Carthaginensis tractatus *contra Demetrianum*, » et in cæteris longe pluribus simpliciter « ad Demetrianum, » At quocumque modo scriptus fuerit hic titulus, certum est hanc lucubrationem non epistolam esse, sed tractatum, quem Cyprianus publicam in lucem emittere coactus est adversus Demetrianum, qui nefarios gentilium errores totis ingenii viribus tueri conabatur.

Quamvis autem hujus libri inscriptio solum Demetriani nomen præferat; constat tamen non illum tantummodo, sed omnes etiam ethnicos in eo confutari. Quemadmodum enim illum nominatim, ita sane hos compellat. In tota siquidem hujus libri conclusione, quæ certe non minima est, quoslibet gentiles alloquitur, hortaturque ut resipiscant, ac rejecto nefario deorum cultu, Christianorum amplectantur religionem. Quid vero, quod ipsius Demetriani nomine non minus omnes ethnicos, quam illum increpare hisce verbis videtur : « Aut superbia inflatus es, aut vinolentia temulentus, aut livore invidus, aut libidine incestus, aut crudelitate violentus? » (*Cyprian. pag.* 189.) Numquid enim Demetrianus horum omnium criminum reus erat? At certe cum Cyprianus continenter adjecerit : « Et miraris in pœnas generis humani iram Dei crescere, cum crescat quotidie, quod puniatur (*Ibid.*), » non obscure significat non ob sola Demetriani, sed omnium gentilium scelera iram Dei concitatam fuisse, ac mundum publicis concussum calamitatibus. Huc accedit, quod universos gentiles sic paulo post adfatur : « Ecce idipsum quale est, unde nobiscum maxime sermo est, quod nos infestastis innoxios, quod in contumeliam Dei impugnatis, atque opprimitis Dei servos. Parum est quod furentium varietate vitiorum, quod iniquitate

Digitized by Google

feralium criminum, quod cruentarum compendio rapinarum vita vestra maculatur, quod superstitionibus falsis religio vera subvertitur; quod Deus omnino nec quæritur, nec timetur. Adhuc insuper Dei servos, majestati ac nomini ejus dicatos, injustis persecutionibus agitatis (*Ibid. pag.* 190). » In codice Regio primo et Tarniensi, « flagitatis. » Ita etiam in codice Colbertino antiquiore, nisi quod secunda manu, sed eodem charactere scriptum « flagellatis. » Quæ lectio in codice Regio tertio exhibetur, et in secundo « fatigatis. »

Non ergo adversus solum Demetrianum hic liber a Cypriano editus est, sed contra omnes quoque ethnicos, et ut in cunctorum veniret manus. Longiori porro sermone ad id probandum opus non est, quod ille his disertissimis sane verbis declarat : « Respondeo et tibi, Demetriane, pariter et cæteris, quos forsitan concitasti. » Neque tamen minus certum est illi in primis directum fuisse; quandoquidem Cyprianus impudentibus, de quibus paulo post agendum, ejus calumniis sæpius lacessitus, ad manum huic scriptioni admovendam tandem compulsus est.

ARTICULUS IV.

Quis fuerit Demetrianus, ad quem hic liber directus fuit, an proconsul aut inferioris ordinis judex?

Quis fuerit Demetrianus non potest aliunde melius, quam ex hoc ipso, de quo agimus, libro cognosci. At inde evidentissime colligitur illum gentilem fuisse, qui Cyprianum, tum Carthaginensem episcopum, sæpe sæpius convenerat. Non tam facilis autem huic Demetriano in illius domum aditus patuisset, nisi aliqua antiqua, cum Cypriano, adhuc fortasse ethnico, familiaritate fuisset conjunctus. Verum quanta hic pietate suum christianæ religioni nomen dedit, tanta ille impietate ac pertinacia, nefasto falsorum deorum cultui mancipatus erat. Ad Cyprianum enimvero sæpius quidem, sed numquam investigandæ veritatis, aut aliquid discendi causa venerat, verum « unico, » ut ait Cyprianus, « studio (*Cyprian. pag.* 185) » contradicendi, id est, ut impium dumtaxat falsorum deorum cultum, et absurdas gentilium suorum superstitiones mira plane impudentia propugnaret. At quia « clamosis » tantum « vocibus, » indomita prorsus obstinatione, ac nulla vel minimi momenti ratione errores suos defendere nitebatur, illum Cyprianus adversus verum Deum ore sacrilego oblatrantem, et verbis impiis obstrepentem, tamquam imperitum, cæcum, surdum, brutum, indocilem, impudentem, insanum, impium, furentem ac rabidum asperatus est. Tot quippe totidemque sunt elogia, quibus illum exornat.

Tum ergo Carthagine furibundus ille homo, sicut Cyprianus, degebat, eumque ibi aliqua judicis dignitate auctum fuisse omnes ex hac ipsa commentatione conflci posse haud quidem immerito arbitrantur. Quæ autem sit ea dignitas, non minima sane est inter illos dissensio. Plurimi enim opinati sunt illum fuisse Africæ proconsulem, cujus summa erat in hac provincia auctoritas. Alii vero minoris ordinis judicem, ac fortassis quemdam ipsiusmet proconsulis adsessorem fuisse existimant. Non verisimile siquidem his videtur Demetrianum, si totius Africæ proconsul fuisset, tanta facilitate, tamque frequenter adisse Cyprianum, ut rabularum more falsam religionem suam « clamosis » dumtaxat « vocibus » invito homini obtruderet. Præterea cur Cyprianus, qui Christianorum persecutores censuit esse declinandos, tam facile se commisisset furentis proconsulis fidei, illumque tam frequenter domum suam recepisset? Cur illum, quem cæteris timere magis debebat, tanto habuit despicatui; ut in tot colloquiis, domi suæ habitis, illi tanto ardore non de re quidem minima, sed de religione disputanti, nec uno quidem verbo respondere dignatus sit? Nonne proconsul tantum ob contemptum ira et innato furore excandescens, pœnas ab illo, prout poterat, protinus repetivisset? Cur vir furiosus, et actus in rabiem, Cyprianum a quo sic spernebatur, non statim conjecit in vincula, aut misit in exsilium, aut capite damnavit? Qua tandem ratione vir ille, tam ardenti et cæco religionis suæ studio succensus, soli pepercisset Cypriano, qui summam illius in Christianos crudelitatem his verbis explicat : « Innoxios, justos, Deo charos, domo privas, patrimonio spolias, catenis premis, carcere includis, bestiis, gladio, ignibus punis. Nec saltem contentus es dolorum nostrorum compendio et simplici, ac veloci brevitate pœnarum; admoves laniandis corporibus longa tormenta, multiplicas lacerandis visceribus numerosa supplicia, nec feritas atque immanitas tua usitatis potest esse contenta tormentis : excogitat novas pœnas ingeniosa crudelitas (*Cyprian. p.* 190). » Ecquis ergo sibi persuadebit tantæ potestatis, quantæ inhumanitatis proconsulem pepercisse Cypriano, Christianorum episcopo, et antesignano, in quem quotidie et facile manus injicere poterat? Nonne illius nece tam sibi, quam cæteris omnibus ethnicis, *implacabilibus* eorum hostibus satisfecisset?

Quidni autem Cyprianum occidendo tentavisset illos sibi demereri, qui quidem, quo in Christianos ardebat odio, nullum non movebat lapidem, ut omnium in illos iram commoveret, suasque traheret in partes? Nam hoc Cyprianus illi palam, hisque exprobravit verbis : « Respondeo tibi, Demetriane, pariter et cæteris, quos tu forsitan concitasti, adversum nos odia tuis maledicis vocibus seminando, complures radicis atque originis tuæ pullulatione fecisti (*Ibid. p.* 186). » Numquid et istud, oro te, proconsulis Africæ officium fuit alios, si fieri posset, ad falsorum deorum cultum adducere, excitato impudentibus calumniis in Christianos odio? Nonne hos atrocissimis potius suppliciis torquendo et necando, illud facilius promptiusque consequi poterat? Numquid tandem Cyprianus publico in scripto tam duris et asperis verbis proconsulem perstrinxisset?

Alii tamen urgent citatis paulo ante illius ad hunc Demetrianum verbis, non obscure indicari illum re-

Digitized by Google

vera fuisse Africæ proconsulem. Quis enim Christianos tot tantisque et ordinariis et extraordinariis cruciatibus torquere et interficere potuit, nisi proconsulis dignitate fuisset præditus? Deinde vero Cyprianus illum judicem esse agnoscit, quem hunc compellat in modum : « Qui alios judicas, aliquando esto tui judex (*Ibid. p.* 189). » Atqui si judex fuit, proconsul procul dubio esse debebat. Nam postea illum ita adhuc alloquitur : « Lædere servos Dei et Christi persecutionibus tuis desine, quos læsos ultio divina defendit (*Ibid. p.* 192). » Christianos ergo summa inhumanitate persequebatur, et in potestate ejus situm erat hanc sedare persecutionem. Cujus autem erat hæc potestas, nisi proconsulis?

Verum alii fatentur his verbis confici posse Demetrianum fuisse quemdam Carthaginis judicem, ac forte proconsulis assessorem, sed non idcirco proconsulem, quemadmodum superioribus argumentis satis probatum esse opinantur. Nam hi tametsi inferioris subsellii judices, non minori, quam proconsules crudelitate jubebant Christianos torqueri ac necari. At quamvis res ita esset, arguent alii, hos Cyprianus non minus quam proconsulem timere debebat. In eorum enim potestate situm erat manus in illum injicere, torquere et trucidare, aut saltem ad tribunal pertrahere proconsulis. Verum quia longe major erat hujus dignitas et potentia, parum probabile videtur illum a Cypriano tanta indignitate, tamque duris verbis potuisse excipi. At cujuslibet ordinis judex fuerit, constat sane illum indomito prorsus in falsos deos suos ardore ita fuisse inflammatum; ut clamosa tantum voce, nec ulla umquam minimi ponderis ratione allata, contra Christianos sæpius disputaverit, ut eos ad nefarium horumce deorum cultum adduceret, aut in renuentes gentilium augeret furorem.

ARTICULUS V.

Quibus rationibus Cyprianus ad hunc librum scribendum et divulgandum compulsus sit.

Tametsi Cyprianus primum censuisset nihil Demetriano, in Christianam religionem latranti, eique impiis dumtaxat verbis obstrepenti respondendum esse; silentium nihilominus suum rumpere postea coactus est. Tunc enim exitialia bella Romanum imperium concutiebant, ac dirissima fames, et horrenda pestis urbes, vicos, ac singulas domos miserabiliter vastabant et depopulabantur. Data autem hac occasione Demetrianus, accitis suæ impietatis et contumaciæ sociis, palam conclamare cœpit plurimos conqueri non aliam tantarum calamitatum esse causam, nisi Christianorum, falsos deos colere nolentium, pertinaciam et impietatem. Quapropter Cyprianus, ne gentiles more solito, quod ipse tamdiu tacuerat, respondendi diffidentiæ et impotentiæ tribuerent, ad vanas futilesque illorum calumnias hoc libro repellendas aggressus est; « Tacere, inquit, ultra non oportet, ne jam non verecundiæ, sed diffidentiæ esse incipiat, quod tacemus; et dum criminationes falsas contemnimus refutare, videamur crimen agnoscere (*Cyprian. p.* 186).

Itaque mirum nulli esse debet quod tam insulsas criminationes, ab aliis nostræ religionis defensoribus sæpius, ut diximus, repulsas, ille rursus diluat. Ethnici siquidem et frequentius et audacius his acerbis casibus abutebantur, et inde fucum imperitis deorum cultoribus eo facilius faciebant, quo majores erant, majusque toti mundo inferebant detrimentum (*Dissertat. in Arnob. cap.* 4, *art.* 1 *seqq.*; *in Tertull. cap.* 1 *seqq.*). At quam sævis et exitialibus bellis Romanum imperium tunc arserit, hinc conjice, quod Decius post suam a Philippo imperatore defectionem, et bellum civile, vix tertium imperii sui annum inceperat, quando a Gothis, ut alibi dicemus, ingenti prælio victus, miserandum in modum cum tribus filiis suis Decio, Etrusco, et Trajano interfectus est. Gallus vero successor ejus decimo octavo regni sui mense contra Æmilianum, qui in imperium invaserat, pugnaturus, a militibus cum collega suo occiditur (*Dissert. in Cecil. libr. de Mort. Persecut. cap.* 7, *art.* 1). Nec diu Æmilianus criminis sui potitus fructu, post tres menses simili morte vitam finivit. Plura de his bellis Zosimus, aliique Romanæ historiæ scriptores litteris mandaverunt (*Zosim. lib.* I *Hist. p.* 643 *seqq.*; *Oros. lib.* VII *Hist. cap.* 20 *seqq.*; *Eutrop. lib.* IX *Brev. pag.* 123).

Eutropius vero narrat nihil memorabile ab his imperatoribus gestum, eorumque regnum non aliunde hominibus cognitum fuisse, quam « pestilentia, variisque morbis. » Quod quidem et ab Orosio confirmatum legimus (*Oros. loc. cit. cap.* 21). De utraque illa publica calamitate hæc paulo ante citatus a nobis Zosimus memoriæ prodidit : Οὐκ ἦττον δὲ, τοῦ παντὸς χθὲν ἀναβρύσαντος πολέμου, καὶ ὁ λοιμὸς πόλεσί τε καὶ κώμαις ἐπιγενόμενος, εἴ τι λελειμένον ἦν ἀθρώπειον γένος, διέφθειρεν, οὔπω πρότερον ἐν τοῖς φθάσασι χρόνοις τοσαύτην ἀνθρώπων ἀπώλειαν ἐργασάμενος (*Zosim. loc. cit. p.* 644) : « Nec minus bello, quod undique scaturiendo velut emerserat, lues etiam pestilens in oppidis atque vicis subsecuta, quidquid erat humani generis reliquum absumpsit, et numquam certo superioribus ea sæculis tantam hominum stragem ediderat. »

Quam autem hæc vera sint, ac quam late propagata fuerit funesta illa pestis, testes habemus omni profecto fide majores, Dionysium Alexandrinum, Pontium Cypriani nostri diaconum, et ipsummet Cyprianum. Primus enim in collectis ab Eusebio epistolarum ejus fragmentis hæc de peste, quæ Galieno proxime post Gallum imperante, contigit, narrasse perhibetur (*Euseb. lib.* VII *Histor. Ecclesiast. cap.* 22, *p.* 263 *seqq.*). Lues, inquit, omnium formidolosissima, et calamitosissima, hactenus modo plurimum in gentiles grassata est. Omnia quippe lamentationum plena erant, lugebant cuncti, et ob mortuorum ac quotidie morientium hominum multitudinem tota urbs circumsonabat. Nulla plane domus erat, in qua unum ad minus funus non fuerit.

Digitized by Google

. Pontius vero oculatus testis hanc pestem, ac terribiles ejus effectus in ejusdem Cypriani Vita sic describit : « Erupit post modum lues dira, et detestabilis vastitas nimia, innumeros per diem populos a sua quemque sede abrupto impetu rapiens, continuatas per ordinem domos vulgi trementis invasit. Horrere omnes, fugere, vitare contagium, exponere suos impie quasi cum illo peste morituro, etiam mortem ipsam aliquis posset excludere. Jacebant interim tota civitate non jam corpora, sed cadavera plurimorum (*Pont. in Vita Cyp. p.* 5). »

Ipse autem Cyprianus in eo libro, quem ad consolandos hac in calamitate Christianos scripsit, horrendam illius vim, et intolerandos ægrotantium dolores hisce depinxit verbis : « Hoc quod nunc corporis vires solutus in fluxum venter eviscerat, quod in faucium vulnera conceptus medullitus ignis exæstuat, quod assiduo vomitu intestina quatiuntur, quod oculi vi sanguinis inardescunt, quod quorumdam vel pedes, vel aliquæ membrorum partes contagio morbidæ putredinis amputantur, quod per jacturas et damna corporum prorumpente languore, vel debilitatur incessus, vel auditus obstruitur, vel cæcatur adspectus, ad documentum proficit fidei (*Cypr. lib. de Mortalit. p.* 162). » Non immerito igitur juro Eusebiani chronici auctor (*Chron. Euseb. ad annum Christi* 253), et Jornandes, ad hunc Cypriani librum (*Jornand. de Reb. Getic. cap.* 19), atque ad citatam Dionysii Alexandrini epistolam nos mittunt, ut discamus, quam dira, et horrenda pestis illa fuerit. In hoc autem Cypriani, de quo disputamus, libro de illa, et aliis calamitatibus tum obortis : « Crebrius, inquit, bella continuant, sterilitas et fames sollicitudinem cumulant, sævientibus morbis valetudo frangitur, humanum genus luis populatione vastatur (*Ibidem, lib. ad Demet. p.* 187). » Paulo autem superius dixerat : « Deficit in agris (manuscriptus codex Colbertinus antiquior, (*in arvis*) agricola, in mari nauta, miles in castris (*Ibid. p.* 186). »

Cum mundus igitur tantis cladibus, tantaque hominum pene omnium strage vastaretur, Demetrianus, aliique quos sibi adjunxerat, altius ac plenis buccis conclamarunt mundum ea hactenus inaudita peste, aliisque famis et belli calamitatibus ideo affligi, ac pene totum opprimi ; quia Christiani falsos illorum deos colere detrectabant. Cyprianus, itaque, ut os impurum Demetriano, cæterisque ethnicis tandem occluderet, atque ad saniorem, si fieri poterat, mentem revocaret, illorum querelas, quantumvis absurdas, hoc publico, de quo agimus, libro, reprimendas necessarium esse existimavit.

CAPUT II.

De hujus libri argumento, ætate, codicibus manuscriptis, editionibus, et quorumdam notis.

ARTICULUS PRIMUS.

De hujus lucubrationis argumento, et utrum Cyprianus suscepto vindicis Christianæ religionis officio non plene, sicut contendit Lactantius, satisfecerit.

Quæ de hujus libri scribendi occasione et necessitate mox diximus, hæc palam omnibus faciunt quodnam sit illius argumentum. Contra falsas siquidem ac publicas Demetriani, aliorumque ethnicorum criminationes Cyprianus in illo demonstrandum suscepit nequaquam Christianos, verum et unicum Deum colentes, vitamque agentes piam, castam, et criminum expertem, sed ipsos gentiles falsorum deorum cultores, ac quorumlibet gravissimorum criminum reos, publicarum cladium revera esse causam. Variis autem id probat rationum momentis, ac pluribus sacrorum Vatum nostrorum oraculis, qui divino Spiritu afflati, illas non solum prædixerant, sed fore etiam ut Deus Omnipotens, et æquissimus scelerum vindex, de improbis et impiis illis hominibus debitas aliquando pœnas sumeret.

At Lactantius sicuti suo loco animadvertimus (*Dissertat. in Lactant. cap.* 3, *art.* 2; *Lactant. lib.* v *Div. Instit. cap.* 1, *pag.* 459 *et cap.* 5, *pag.* 471), non modo libere, sed satis aspere Cyprianum propterea redarguit, quod Demetrianum, his tantum refellat et oppugnet testimoniis sacræ Scripturæ, quam gentilis ille homo « vanam, fictam, commentitiamque putabat. » Quamobrem haud dubitanter asserit illum in « ea », sicut loquitur, « oratione » nec plane, nec rite susceptum explevisse defensoris christianæ religionis munus. Non aliter igitur illum excusari posse opinatur, nisi quia « raptus eximia eruditione divinarum Litterarum, ut iis solis contentus esset, quibus fides constat. »

Verum tametsi Demetrianus nefandis gentilium superstitionibus addictissimus fuerit, sacræque Scripturæ nostræ rejecerit auctoritatem ; non temere tamen Cyprianus noster vera ejus testimonia ad propulsandas iniquas illius criminationes adhibet. Quædam enim hujus libri initio, ex Proverbiorum, et Matthæi libris citat præcepta, quibus *insano homini* et insulse latranti responderi prohibetur. At quid, quæso, impedit quominus hæc, quæ rectæ rationi plane consentanea sunt, et ab omnibus sanæ mentis hominibus observata, contra quemlibet etiam pertinacissimum gentilem proferri possint ? Alia etiam longe plura retulit testimonia, quibus publicæ illæ, de quibus ethnici conquerebantur, clades, a sacris nostris Vatibus, quemadmodum diximus, prænuntiatæ fuerant. Sed cum perspicue demonstret hasce prædictiones suum sortitas esse effectum, nonne ex iis non infirmum profecto duxit contra ethnicos argumentum ?

Ad hæc vero, Demetrianus sæpius Cyprianum, sicuti ipse fatetur, et jam annotavimus, convenerat ; ut cum eo de sua ac christiana religione disputaret. Quamvis autem illum ut pote ineptissimum nugatorem, ac Christianos omnium publicarum calamitatum auctores esse tam pertinaciter, quam falso clamitantem prudenti silentio spreverit ; non tacuit

Digitized by Google

tamen semper. Nam « hæc, inquit, considerans sæpe conticui (*Cyprian. ad Demetr. p.* 185). » Audis quidem eum dicentem *sæpe*, sed non semper *conticui*. Si ergo illi aliquando respondit, nonne tum demonstrare potuit quanta sit Veteris nostri Testamenti auctoritas, quod a Judæis, tametsi infensissimis nostris hostibus, accuratissime semper custoditum accepimus?

Sed cur, inquies, illud in publico non probavit scripto, quo non solum Demetrianum, sed alios etiam gentiles «ad bonum,» ut ipse ait, « veritate cogente,» adducere volebat? Verum quid, tunc, obsecro te, hac probatione opus erat, si id in privatis cum Demetriano colloquiis, et alio in libro, antea divulgato, demonstraverit? Atqui hoc plurimi, ut infra dicemus, in libro *de Idolorum Vanitate*, ab ipso factum putant.

Quid etiam, quod ille in isto ad Demetrianum libro præcipua christianæ religionis de unico et vero Deo, ac Christo Domino documenta quibusdam probat asseritque petitis a ratione sola argumentis, quibus non penitus obcæcati gentiles poterant facillime convinci? Nam utrumque plane ostendit confessione publica dæmonum, quos Christiani solo magistri sui Christi nomine adjuratos, ex obsessis ipsorummet gentilium corporibus ejiciebant (*Ibid. pag.* 192). Nihil autem, ut alibi nec semel vidimus, potuit hac probatione certius, clariusque proferri (*Dissert. in Minut. cap.* 2, *art.* 3; *et in Lactant. cap.* 9, *art.* 2; *et in Tertull. cap.* 10, *art.* 7).

Denique Demetrianum, qui Christianos publicarum calamitatum causam esse garriebat, hinc etiam refellit; quia hæ in sceleratorum hominum pœnam infliguntur. Atqui hoc ille in libro manifestissimum cuilibet fecit tam corruptos fuisse gentilium, quam castos, sanctosque Christianorum mores. Recte igitur inde concludit non ab his quidem Christianis, sed ab ipsismet gentilibus has in mundum concitari calamitates, quibus Deus improbos homines pro merito castigat, bonorum vero probat virtutem. At tria hæc capita nec plura in hoc libro agenda sibi proposuerat. Suscepto igitur christianæ religionis ab objectis a Demetriano et aliis gentilibus calumniis vindicandæ officio recte functus est. De hac porro Lactantii, qua non modo Cyprianum, verum etiam Tertullianum, et Minutium Felicem vexavit censura, plenius in superioribus dissertationibus nostris disputavimus (*Dissertat. in Tertull. cap.* 2, *art.* 4; *et in Minut. cap.* 2, *art.* 2).

Cæterum Lactantius meritis laudibus non fraudavit Cyprianum, cujus ingenium et eloquentiam hisce verbis prædicat « Unus præcipuus et clarus exstitit Cyprianus, quoniam et magnam sibi gloriam ex artis oratoriæ professione quæsierat, et admodum multa conscripsit in suo genere; erat enim ingenio facili, copioso, suavi, et quæ sermonis maxima est virtus, aperto; ut discernere nequeas utrumne oratior in eloquendo, an facilior in explicando, an potentior in persuadendo fuerit (*Lactant. lib.* v *Inst. cap.* 1, *pag.* 459). »

Plurima alia ejus præconia, quæ omnis ætatis, nec dubiæ fidei, scriptores sacratissimo martyri tribuerunt, hic accumulare facillimum esset. Sed quia plerisque omnibus operum illius editionibus præmissa sunt, actum agendum esse non duximus.

ARTICULUS II.

De libri hujus ætate.

Neminem profecto esse putamus, qui his, quæ paulo antea de horrenda pestis in Africa vexatione retulimus, auditis, ultro non fateatur hunc librum a Cypriano compositum fuisse, cum illa dirius in homines grassaretur. At exorta est anno Christi 250, ac Decio jam imperante. Per decem autem ut minus annos illa durasse narratur, ita tamen ut interdum videretur imminui ac relaxari. Quamobrem non inde certo colligi potest quo potissimum tempore hic liber publicam in lucem exierit, nisi majorem illius violentiam cum aliis rebus ab eodem Cypriano gestis et pronuntiatis componamus. Constat vero tum ab illo divulgatum fuisse, postquam Demetrianum sæpe sæpius domi suæ audivisset, de pestis aliisque publicis cladibus conquerentem. Carthagine ergo morabatur, ubi Demetrianum in suam admisit domum, minusque timebat tyrannorum in Christianos furorem et persecutionem. Cum autem Decius sub finem anni 249, imperator factus, novam in eos concitavisset, Cyprianus Carthagine secessit, illucque anno subsequente circa mensem Aprilem rediit, quo eadem persecutio sedata esse perhibetur. Et vero quæ ibi habuit concilia, hunc primum ejus reditum satis aperte probant. Ibi vero remansit ad annum usque 258, quo aliam iterum declinavit commotam a Valeriano imperatore persecutionem, ac paulo post illustri martyrio vitam finivit. Librum itaque hunc scripsit intra annum 252 et 258. Jam autem vidimus tantam, regnante Gallo, fuisse pestis morborumque vim, ut scriptores testificentur inde dumtaxat, uti diximus, notum esse illius imperium. Atqui Gallus post Decii imperatoris mortem ab anni 251 fine usque ad 253 Romanis imperavit. Circa ergo hoc tempus hic ad Demetrianum liber a Cypriano scriptus haud immerito videtur.

Quamdiu vero Gallus regnavit, illum exaratum, aut certe promulgatum non fuisse inde colligi potest, quod ipse auctor noster asseverat Deum, æquissimum scelerum vindicem, numquam dimisisse impunitam tyrannorum in Christianos crudelitatem. « Nam, ut memorias, inquit, taceamus antiquas, et ultiones pro cultoribus Dei sæpe repetitas, nullo vocis præconio revolvamus, documentum recentis rei satis est, quod sic celeriter, quodque in tanta celeritate sic granditer nuper secuta defensio est ruinis regum, jacturis opum, dispendio militum, diminutione castrorum (*Cyprian. ad Demet. pag.* 192). » Quidam vero existimant his verbis indicari funestum Decii,

Digitized by Google

filiorumque ejus, qui ad internecionem deleti, spoliaque eorum castris, et raptis opibus, miserabiliter interierunt. Neque id quidem negamus, sed arbitramur aliquid amplius designari. Quando enim Cyprianus hæc scribebat, lues non sævius umquam grassata est, nec majorem depopulationem hominibus intulit. At illud, regnante Gallo, ejusdem Decii successore, contigisse ostendimus. Is autem post decimum octavum regni sui mensem, et Volusianus ejus filius, quem Cæsarem creaverat, a suis militibus interfecti sunt. Similem quoque Æmilianus, imperator tum renuntiatus, post tres menses sortem habuit. Valerianus porro in ejus locum circiter Augustum mensem anni 253 suffectus, imperii sui initio Christianos singulari amicitia et charitate complexus est, donec sub finem anni 256, aut incunte anno subsequente, novam concitavit in illos persecutionem. Cyprianus itaque illud tempus adeo opportunum nactus, librum hunc adversus Demetrianum et alios gentiles, aut mense Septembri ejusdem anni 253, aut paulo post divulgasse verisimilius videri potest. Tum siquidem potiori jure, quam ante Galli et Volusiani mortem, dicere ei licuit illatas contra jus omne Christianis injurias a supremo et justissimo Deo *ruinis regum* vindicatas fuisse. Si quis tamen adhuc contendat hæc de Decii tantum morte intelligenda esse, ac validioribus argumentis id probaverit, cedemus illico et illius opinioni subscribemus.

ARTICULUS III.

De hujus libri manuscriptis codicibus.

Plures ex Regia et Colbertina bibliotheca habuimus hujus libri manuscriptos codices, vario tempore et a variis librariis exaratos, quos hunc eumdem librum examinando, cum editis contulimus. Nobis autem primos, jubente illustrissimo abbate Tellerio de Louvois, suppeditavit alter ejusdem Regiæ bibliothecæ custos, Johannes Boivin, non solum græca, sed latina etiam eruditione celeberrimus. Alios vero nobiscum communicavit vir cl. D. Carolus Duchesne solito nec satis umquam laudando illustrissimi abbatis Colberti favore. Unum præterea nobis subministravit Dominus de Targni doctor Sorbonicus, ei alium nostra Sangermanensis monasterii bibliotheca.

Alii adhuc plurimi in aliis exstant bibliothecis, ex quibus unum supra viginti Stephanus Baluzius, et scriptis et eruditione omnibus notissimus, undique collectos ad concinnandam, jamdudum susceptam omnium Cypriani Operum editionem recensuit, et eorum catalogum nobiscum communicare dignatus est. In illis autem et aliis designandis sequemur ordinem ætatis, qua singuli quique scripti fuisse peritioribus et ipsi Baluzio videntur.

Primus autem omnium nominandus est Seguierianus, qui olim fuit bibliothecæ illustrissimi Galliarum Cancellarii Seguierii, nunc vero illustrissimi du Cambout de Coislin, Metensis ecclesiæ episcopi, Franciæ Ducis et Paris, ac Imperii principis, qui quidem codex ante mille annos scriptus esse asseritur.

Quinque alii ab annis octingentis exarati dicuntur, quorum primus est Pithæanus, secundus Colbertinus, tertius in nostro sancti Albini Andegavensis monasterio, quartus olim in abbatia sancti Mauri Fossatensis, nunc in clarissimi viri Stephani Baluzii, quintus in sancti Martini Turonensis bibliothecis habentur.

Tres alii annorum 700 vel 600 ætatem præferunt, et primus quidem Regius, alter Baluzianus, et tertius Tarniensis. Duo annorum 500 ; alter quidem sancti Petri le Moustier, et alter beatæ Mariæ de Lætitia. Quinque annorum 400 primus sancti Remigii Remensis, secundus Sorbonæ, tertius et quartus sancti Victoris Parisiensis, quintus clarissimi Domini Bohier Divionensis senatus Præsidis, sextus Baluzianus. Quinque tandem annorum aut 300, aut 250 : et duo quidem Regis nostri Christianissimi, tertius sancti Dionysii Remensis, quartus Gratianopolitanus, quintus clarissimi Domini de la Moignon, senatus Parisiensis Præsidis infulati.

ARTICULUS IV.

De hujus libri editionibus.

Quam magna fuit Cypriani ob vitæ sanctitatem ac doctrinam famæ celebritas tam multiplicatæ sunt Operum ejus editiones. Pluribus autem ea videtur antiquior, quæ sine ullo vel ætatis, vel loci, vel typographi nomine, atque, uti quidam putant, statim post inventam typographicam artem excusa est. Altera Spiræ divulgata fuit anno 1471, sed mendis passim fœdata, tum dehinc alia anno 1483 Venetiis, ex Lucæ Veneti typographia prodiit. Posthæc Parisiis anno 1512, alia quibusdam seu veris, seu spuriis Cypriani Operibus aucta, Remboldi typographi et aliorum labore concinnata est. Hæc autem recognita fuit ab Erasmo, qui ei præmisit præfationem, ac nonnullas annotationes, quæ ex Frobenii officina annis 1520, 1525, 1528, in vulgus exierunt.

Tum dehinc eadem Cypriani Opera anno 1541 apud Hervagium, et eodem anno Antuerpiæ apud Johannem Crinitum, ac Parisiis apud Langelierum excusa sunt. Posthæc Basileæ edita fuerunt anno 1544 in Quenteliana officina Henrici Gavii studio, et apud jam laudatum Frobenium anno 1549, rursusque apud Hervagium anno 1550.

At sicut memorata Antuerpiensis editio in octavo uti loqui amant, publicata est, ita et Lugdunensis annis 1537, 1549 et 1556, Venetiana anno 1547, et Frobeniana 1603. Sed has et superiores editiones nec perfectas, nec accuratas esse plerique opinantur.

Postea vero eæ D. Cypriani lucubrationes ad manuscriptos codices cura ac labore Guillelmi Morellii castigatæ elegantique charactere cusæ, in publicam lucem Romæ anno 1563, emissæ sunt ; atque subsequenti Parisiis recusæ, sed auctæ et emendatiores. Eodem autem anno 1564, soli Tractatus Cy-

Digitized by Google

prianici post Leonis Magni Opera Parisiis, apud Claudium Fremi editi fuerunt.

Pamelius vero novam ex antiquis manuscriptis et editis codicibus emendatam adornavit omnium Cypriani Operum editionem, quæ primum Antuerpiæ anno 1568, typis mandata est, ac postea ibidem anno 1589, et Parisiis 1574. Dehinc autem anno 1593, Simon Goulartius Calvinianæ sectæ assecla novam adornavit Operum Cypriani editionem, a Johanne le Preux typis mandatam, quæ adhuc Parisiis divulgata annis 1532, 1603 et 1614. Sed prius anno videlicet 1616, Parisiis ex Michaelis Chapelet typographia prodivit, eamque Pauli Manucii et Guillelmi Morellii editionum, ac plurium manuscriptorum ope emendatam testificantur.

Novis deinceps curis aliam publici juris fecit Rigaltius (*Rigalt. observat. pag.* 170), quam quidem a se recognitam asserit variis lectionibus, a Marcello II papa, et Antonio Augustino episcopo collectis ex optimis, uti ait, Veronensi et Beneventano exemplaribus. Monitos autem nos esse voluit has variantes lectiones a se decerptas fuisse ex Cypriani volumine, in quo illas Carolus de Montchal, Tolosatum archiepiscopus, propria manu descripserat, sed novem tantummodo in hunc librum exhibet, ex illo Veronensi decerptas. Primum vero hæc editio Parisiis anno 1646, et iterum anno 1666 cum quibusdam Pamelii observationibus, ex viduæ Mathurini Dupuis officina publico usui donata est.

Ultimam Cyprianicorum Operum editionem, Oxonii anno 1682 divulgatam, debemus illustri viro Johanni Fell, Oxoniensi episcopo, qui illam ad decem et octo Anglicanos codices, diversis manibus exaratos, et varias lectiones sibi ex Anglia et Gallia missas non sine magno, et ab omnibus laudando labore recognovit et illustravit. Nec minore laude dignam æstimamus bonam doctissimi scriptoris fidem, qui palam professus est se ab iis procul remotum fuisse, qui non absque insigni religionis damno, suam in ostendendis veterum Patrum nævis operam collocant. Utrum autem ubique et semper promissis steterit, certiores nos faciet clarissimus vir Stephanus Baluzius, qui collectis undique Cyprianicarum lucubrationum manuscriptis codicibus, novam illarum editionem jam a longo tempore meditatur. Quo vero eam cæteris accuratiorem fore magis confidimus, eo certius illius de aliis omnibus, hactenus vulgatis, editionibus judicium exspectamus.

ARTICULUS V.

De variis in hunc librum annotationibus.

Variæ sunt doctorum hominum in hunc, de quo disputamus, librum notæ et observationes. Duas autem tantum Erasmus in illum reliquit, ac prima quidem demiratur quemdam maluisse hunc tractatum potius appellare, quam epistolam. Ibi vero adjecit Cyprianum videri sensisse mundum hunc senio reddi deteriorem. Sed quæ de hujus scriptionis titulo annotavimus, satis ostendunt quo jure tractatus nomine inscribatur. Non solus porro auctor noster, sicuti infra videbimus, arbitratus est mundum senescere, et senio fieri deteriorem, seu potius illum non secus atque hominem, vexari senectutis infirmitatibus.

Plures sane, sed brevissimas in hunc librum Guillelmus Morellius edidit observationes, quibus nihil aliud egit, quam ut patefaceret quomodo Cypriani textus ex antiquis codicibus, aut sacrorum Bibliorum libris corrigendus sit. Unum vero dumtaxat animadvertit, videlicet Cyprianum ibi de Exorcistis facere sermonem, ubi de dæmonibus, quos Christiani ex obsessorum corporibus ejiciebant, contra ethnicos disputavit. Sed nobis ille, sicuti infra dicendum, non de solis Exorcistis, sed omnibus plane Christianis loqui videtur.

Novem quoque supra quinquaginta Pamelius composuit in hunc librum notas: sed eæ pleræque omnes spectant illius textus corruptionem, aliis vero paucioribus dicta Cypriani aliorum veterum Scriptorum auctoritate, aut enucleare, aut confirmare nititur. Sed quia catholicæ Ecclesiæ documenta iis illustrare conatus est, non omnes Goulartio placuerunt. Eas itaque tentavit ad Calvinianæ suæ sectæ placita reducere. Præterea omnes ipsasmet Pamelii in hunc librum observationes recudi curavit, quibus paucas adjecit hac nota § Distinctas. Plerisque autem omnibus indicat varias quasdam unius manuscripti codicis, secum a Bovæo communicati lectiones. Quinque enim dumtaxat iis adjecit, quarum prima nos monet in corruptione præsertim morum consistere mundi senectutem. Secunda vero observat longævam priscorum hominum vitam confirmari diluvii generalis historia. Tertio dehinc animadvertit antiquas Christianorum preces ad Deum dirigi per Christum sine sanctorum invocatione. Sed ostendere debebat utrum eam Cyprianus alicubi saltem negaverit. Quarto fatetur veteres Christianos usos fuisse externo crucis Christi signo, sed sine superstitione, et ulla doctrinæ de Christi merito imminutione. Bene quidem est, quod hujus venerandi signi usum comprobet. At quis unquam superstitiosum illius abusum probavit, aut doctrinam de Christi merito infirmari impune passus est? Denique variis antiquorum Ecclesiæ Patrum testimoniis probat nullum post hanc vitam dari pœnitentiæ locum. Sed ibi pro genuina citat spuriam Justini martyris commentationem.

Paucas postea in hunc librum notas Rigaltius concinnavit, quæ in ejus editione anno 1664, ab aliis in Orationem Dominicam non distinguuntur. Non plures quippe sunt, quam novemdecim. At novem ex illis exhibet Veronensis, uti diximus, codicis lectiones; aliis vero, quæ, una excepta, brevissimæ sunt, quædam Cypriani verba explicare, aut confirmare conatur.

Duplex in Oxoniensi editione notarum, satis commodo ordine digestarum, genus est. Prioribus autem minori charactere excusis proferuntur variæ codicum quidem manuscriptorum, sed neutiquam antiqua-

Digitized by Google

rum editionum lectiones. Cur autem hæ omissæ sint, exploratum non habemus. Secundi vero generis notæ ad explicandum et stabiliendum Cypriani textum conducunt. In his porro doctus ille vir laudandæ procul dubio brevitati consuluit. Longiores cæteris sunt duæ priores, quarum altera opinionem illorum refellit, qui opinantur Demetrianum fuisse Africæ proconsulem. Altera vero respondet Lactantio, qui Cyprianum, ut supra diximus, ideo corripit, quia sacræ Scripturæ auctoritate pugnavit adversus ethnicum hominem, qui illam plane penitusque rejiciebat, et aspernabatur. Dissimulare porro non possumus nonnullas minus quidem probandas esse quasdam eruditi sane editoris observationes, atque in primis penultimam, qua contendit rejectos a Cypriano purgatorios ignes, de quibus nihil prorsus in mente habebat. Sed de his infra suo loco agendum.

CAPUT III.

NOVÆ IN HUNC LIBRUM OBSERVATIONES.

ARTICULUS PRIMUS.

De sacræ Scripturæ auctoritate, et quibusdam illius locis.

Lubenti certe animo fatebimur verum illud esse, quod Lactantius asseruit Cyprianum eximia raptum fuisse divinarum Litterarum eruditione (*Lactant. lib.* V *Inst. cap.* 4, *pag.* 471). Quomodo enim illarum doctrina rapi non potuisset, quibus divini *magisterii et nominis* tribuit auctoritatem (*Cyprian. lib. ad Demetr. pag.* 185)? In antiquis autem editionibus ac pluribus manuscriptis exemplaribus absunt hæc duo verba *et nominis* (*Ibid. pag.* 187 *et* 188): sed leguntur in quinque aliis, nec ibi addita temere videntur. Supremam autem sacrarum nostrarum Scripturarum auctoritatem ideo tam asseveranter prædicat (*Ibid. pag.* 187, 188, 190, 192, 193, 194 *et* 195); quia persuasum omnino habuit ipsummet Deum, ac Spiritum sanctum in illis loentos, easque compositas fuisse a Prophetis et scriptoribus, qui eodem Spiritu sancto pleni erant. Constans vero semper fuit hæc Cypriani sententia, quam in hac commentatione et plerisque omnibus scriptis suis, ac potissimum in tribus adversus Judæos libris, tamquam certam et minime dubiam ponit et sequitur. Nihil itaque opus est illud a nobis fusius probari.

At operæ forsitan alicujus pretium erit observasse quædam Ezechielis verba alio modo in hoc citari ad Demetrianum, quam in secundo illius adversus Judæos libro. Nam ea eidem Demetriano (*Ibid. pag.* 194), aliisque gentilibus sic objicit : « Vadite, et cædite, et nolite parcere oculis vestris. Nolite misereri senioris, aut juvenis, aut virginis; et parvulos et mulieres interficite, ut perdeleantur. Omnem autem super quem signum scriptum est, ne tetigeritis. Quod autem sit hoc signum, et qua in parte corporis positum sit manifestat alio in loco Deus dicens : Transi per mediam Hierusalem, et notabis signum super frontes virorum, qui ingemunt et mœrent ob iniquitates, quæ fiunt in medio ipsorum (*Ezech. cap.* IX, 4). » In secundo autem adversus Judæos libro : « Transi per mediam Hierusalem, et notabis signum super frontes virorum, qui ingemunt et mœrent ob iniquitates quæ fiunt in medio ipsorum. « Item illic Vadite et cædite, et nolite parcere oculis vestris..... Omnem autem super quem signum scriptum est, ne tetigeritis (*Idem, lib.* II *adv. Judæ.* § 22, *pag.* 47). » Hoc autem secundo loco sequitur sacrorum Bibliorum ordinem, quem cernis priori inversum. Sed nemo umquam negabit id licitum fuisse Cypriano, qui voluit hac ratione seriem sermonis sui aptiori transitione connectere. Nonnullis itaque mirum fortasse magis videbitur cur in hoc posteriore loco dixerit. « Item illic, in priore autem : Manifestat alio in loco. » Nam hæc in eodem scripta sunt. Numquid ergo in auctoris nostri textu describendo erraverunt oscitantes librarii, qui *illo*, et non *alio in loco* scribere debebant? Num vero ad alium aliquem, quod vix credimus, locum respexit?

Cæterum ibi, sicut alibi (*Idem ad Demetr. pag.* 94) sequitur Septuaginta duorum interpretationem, atque ubi etiam hæc retulit verba : « Quærite Deum, et vivet anima vestra (*Psal.* LXVIII, 33); » quæ quidem non ex propheta Amos, in Oxoniensi editione citato, sed ex Psalmo LXIX, juxta eamdem Seniorum interpretationem desumpta sunt.

Majorem fortasse admirationem aliquibus movebunt citata ab illo adversus ethnicum hominem quædam Novi Testamenti verba : sed hæc paucissima, et ipsiusmet Christi sunt. Duas autem cur ea protulerit nobis reddit rationes. Primo quidem, quia Christus neminem umquam fefellit. Secundo, quia plura prædixit quemadmodum revera evenerunt. Quamobrem ethnicos, adhibita hac cautione, sic alloquitur : « Credite illi, qui omnino non fallit; credite illi, qui hæc omnia futura prædixit (*Cypr. ibid. pag.* 195). » Jure autem potiori testimonia Veteris Testamenti urget adversus illos, qui nescire poterant ea Christianos accepisse ab infensissimis suis hostibus Judæis, a quibus illud integrum et sanum servatum fuerat (*Dissertat. super. cap.* 5, *art.* 3 *seqq.*).

ARTICULUS II.

Quomodo Cyprianus Deum exsistere demonstret ex recta humani corporis statura, ex solis et aliarum rerum creatione, atque ex publica dæmonum, a Christianis ex obsessis corporibus ejectorum confessione.

Quamquam Cyprianus in hoc ad Demetrianum libro pro certo, et jam a se alibi probato, sumat unum dumtaxat esse Deum; quibusdam tamen, nec minimi quidem momenti, argumentis illud tam clare, quam breviter demonstrat. Primum autem illud est, quo in ethnicum hominem sic pugnat : « Rectum te Deus fecit..... tibi sublimis status, et ad cœlos atque ad Deum *sursum* (meliores codices *suum*) vultus erectus est. Illuc intuere, illuc oculos tuos erige, et in supernis Deum quære..... cum statu oris et corporis animum tuum statue. Ut cognoscere Deum possis, te ante cognosce. (*Cyprian. ad Demetr. pag.* 192). »

Digitized by Google

Deum itaque revera exsistere, ac esse unicum, inde luculenter conficit, quod homo si se ipsum, et animum suum cognoscat, si ad statum suum sublimem attendat, si vultum ad cœlos erectum serio consideret, tum cogetur fateri se a Deo conditum, ac cœlos et omnia creata ab illo fuisse. Nos vero hanc argumentationem in nostra de Lactantii libris dissertatione excussimus et explanavimus. Quin etiam sol ipse solus omnibus evidentissime patefacit clarissimum (*Dissertat. in Lactant. cap.* 7, *art.* 3, *et cap.* 11, *art.* 2). ut ait idem Lactantius, et nos alibi annotavimus, lumen suum esse in argumentum divinæ, et unicæ majestatis (*Ibid. cap.* 12, *art.* 1), id est, exsistere Deum verum et unicum, a quo creatus est. Solis autem et cœli exemplum præ cæteris omnibus creaturis uterque selegit, quia cunctis hominibus supremam Omnipotentis Dei, et ipsius solis, et cœli creatio majestatem et potentiam demonstrat.

Recte ergo Cyprianus inde concludit relinquenda esse *idola*, sive falsos gentilium deos quos error humanus invenerat, et agnoscendum ac colendum illum verum et unicum Deum, qui opem ejus implorantibus subvenire tam facile potest, quam frustra falsi dii precibus hominum invocantur.

Deinde vero Deum exsistere probat alio invictissimo sane argumento, quod ducit ex publica confessione dæmonum, quos ethnici deos esse arbitrabantur. Nam ii a Christianis adjurati, non solum ipsorum verbis, tamquam spiritualibus flagris et tormentis, ex obsessorum ejiciebantur corporibus, sed palam quoque fateri compellebantur se deos non esse, suisque præstigiis ac fallaciis illudere hominibus, ac unum dumtaxat, quem fidem Christiani colebant, esse Deum. Animadvertere autem juvat quanta confidentia hanc adversus ethnicos urgeat argumentationem. Demetrianum enim, cæterosque omnes ethnicos his compellat verbis ; « O si audire *velles* (Mss. nostri codices *velis*) et videre, quando a nobis adjurantur, et torquentur spiritalibus flagris, et verborum tormentis de obsessis corporibus ejiciuntur, quando ejulantes et gementes, voce humana, et potestate divina flagella et verbera sentientes, venturum judicium confitentur. (*Cyprian. ad Demetr. pag.* 191.) » Instat adhuc acrius, et illos ad experimentum tantæ potestatis, ac illius publicæ dæmonum confessionis faciendum sic provocat : « Veni et cognosce vera esse quæ diximus (*Idem lib. de Idolor. Vanit. pag.* 14). » Neque id semel dixit, sed duobus aliis repetit in libris (*lib. ad Donat. pag.* 4). Jam vero observavimus (*Dissertat. sup. cap.* 10, *art.* 6 *et* 79) eosdem gentiles non minus audacter a Tertulliano provocari, nec illud ab ullo unquam homine, si sani capitis sit, revocari posse in dubium.

Certo igitur certius est tum dæmones a Christianis expulsos fuisse ex obsessorum corporibus. At si id mirum sit, mirabilius profecto qua ratione fugabantur. Non *voce*, quidem, *humana*, sed *divina potestate* cogebantur ex corporibus, quolibet tempore obsessis, exire, *ejulantes*, ait auctor noster, *et gementes*, ac Christianorum, eos adjurantium, verbis non secus atque spiritalibus flagris, verberibus, ac tormentis cæsi et excarnificati. Quapropter ille ad Donatum scribebat datam Christianis facultatem, qua poterant hos immundos et erraticos spiritus, « ad confessionem minis increpantibus cogere, ut recedant duris verberibus urgere; conflictantes, ejulantes, gementes incremento pœnæ propagantis extendere, flagris cædere, igne torrere. Res illic agitur, nec videtur, occulta plaga, et pœna manifesta. (*Cypr. lib. ad Donat. pag.* 4). » Rursus autem alio in libro : « Videas illos nostra voce et operatione majestatis occultæ flagris cædi, igne torreri, incremento pœnæ propagantis extendi, ejulare, gemere, et deprecari (*Idem lib. de Idolor. Vanit. pag.* 14). » Quocirca cuilibet Gentili fidenter dicebat : « Videbis nos rogari ab eis quos tu rogas; timeri ab iis quos tu times, quos tu adoras. Videbis sub manu nostra stare vinctos, et tremere captivos quos tu suspicis, et veneraris ut dominos. (*Idem ad Demetr. pag.* 191). »

Tum itaque dæmones non solum a Christianis torquebantur et ejiciebantur, sed ex obsessis etiam hominum corporibus quantumlibet inviti exeuntes, adigebantur palam declarare quibus præstigiis homines fallerent, se vero non esse deos, sed unicum dumtaxat esse Christianorum Deum. At nihil certe hac publica illorum confessione erat verius, certius et manifestius. Meritissimo igitur jure Cyprianus hanc adversus ethnicos elicit conclusionem : « Certe vel sic confundi in istis erroribus tuis poteris, quando conspexeris deos tuos quid sint interrogatione nostra statim prodere, et præsentibus licet vobis, præstigias illas et fallacias suas non posse celare. (*Ibid.*) » Aut sicut in alio libro dixerat : « Unde veniant et quando discedant, ipsis etiam, qui se colunt, audientibus confiteri. (*Idem lib. de Idolor. Van. pag.* 14). » In aliis porro dissertationibus nostris totam hanc argumentationem enucleavimus, planumque cuilibet fecimus tanti illam esse roboris ; ut inde invictissime demonstretur tam falsos esse gentilium deos, quam unicum esse Deum, atque idcirco tam falsam esse eorumdem gentilium quam veram Christianorum religionem (*Dissertat. in Minut. cap.* 20, *art.* 3, *et in Lactant. cap.* 10, *art.* 2, *et in Tertul. cap.* 10, *art.* 6 *et* 7).

Morellius porro in suis ad hunc librum observationibus animadvertit Cyprianum ibi sermonem fecisse de Exorcistis Christianis, qui dæmonia ex obsessorum corporibus ejiciebant. At certe si Cyprianum de iis tantum, qui Exorcistarum ordine initiati erant, locutum esse existimat, plane fallitur. Nam Cyprianus in jam citato libro ad Donatum diserte asserit cuivis Christiano concessam fuisse dæmonia ejiciendi potestatem. Nos quoque in superiori nostra dissertatione ostendimus tum a quibuslibet Christianis, quemadmodum ab Exorcistis, ejectos fugatosque dæmones (*Dissertat. in Tertul. loc. cit.*).

ARTICULUS III.

Credendum Christo, qui sanguinis sui pretio hominem

Digitized by Google

sacro Baptismate regenerat, de duplici mortis illius signo; de pœnitentia, ac quo sensu nemini, hanc vitam agenti, sera esse dicatur.

Satis homini non est Deum cognoscere, sed illi etiam debet credere, ac Christo, qui ab ipso Patre suo æterno missus, « redemit credentem pretio sanguinis sui, reconciliando hominem Deo Patri, vivificando mortalem regeneratione cœlesti (*Cyprian. ad Demetr.*) » At quænam est illa cœlestis regeneratio, nisi sacri Baptismatis sacramentum, quo, ut ait Apostolus consepulti sumus cum Christo « in mortem, ut quomodo surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus ? (*S. Paul. Epist. ad Roman. cap.* VI, 4.) »Quamobrem Cyprianus paulo antea scripserat : « Qui exposita nativitate terrena, spiritu recreati, ac renati sumus, non jam mundo, sed Deo vivimus (*Cypr. ibid. pag.* 193.) » Dixit autem *exposita*, id est deposita et abjecta nativitate terrena; quo sensu Tertullianus et Lactantius, quemadmodum in superioribus dissertationibus observavimus, hoc verbo utuntur. Nec semel quidem illud auctor noster adhibet, sed alibi quoque, et in suo imprimis ad Donatum tractatu, ubi admirabiles Baptismi effectus totis eloquentiæ suæ viribus describit, ac prædicat (*Idem ad Donat. pag.* 3).

At sicut recte docet Baptismatis gratiam esse sanguinis Christi pretium, ita etiam asseverat ad eumdem ejus sanguinem, et crucis tormentum pertinere signum, quo quisquis invenietur insignitus, salvus et incolumis reservabitur (*Ibid. pag.* 194). Quod quidem probat supra citato Ezechielis testimonio, et his insuper Moysis in Exodo verbis : *Et erit sanguis in signo vobis super domos, in quibus vos eritis ; et videbo sanguinem, et protegam vos, et non erit plaga diminutionis cum percutiam terram Ægypti* (*Exod. cap.* XII, 13). Quodnam autem sit illud signum, ipse nobis indicat in vicesimo secundo secundi adversus Judæos libri capite, ubi utrumque illud Ezechielis et Moysis testimonium retulit (*Cypr. lib.* II *adv. Judæ. cap.* 22, *pag.* 46). Hujus quippe capitis titulus est : «Quod in hoc signo crucis salus sit omnibus, qui in frontibus notentur. » Nos vero alibi post Augustinum annotavimus hanc aliasque capitum inscriptiones, ab ipsomet Cypriano esse profectas. Eodem porro modo citata Exodi verba, in hoc libro scripta sunt, atque in nostris tractatus ad Demetrianum codicibus. At in illius editionibus pro *In quibus eritis*, legimus : *In quibus vos eritis*.

Addit ille agnum Paschalem fuisse hujus signi umbram et imaginem, cujus veritas in Christo moriente impleta est. Rationem vero hanc statim reddit : « Et illic percussa Ægypto, Judaicus populus evadere non nisi signo et sanguine agni potuit, ita et cum vastari cœperit mundus et percuti, quisquis in sanguine et signo Christi inventus fuerit, solus evadet. (*Idem ad Demetr. pag.* 194). » Hac autem comparatione et argumentatione rursus probat neminem in fine mundi salvendum, nisi signum crucis Christi prætulerit, quemadmodum nullus ex Ægypto salvus et incolumis evasit, nisi agni signo et sanguine notatus.

Nemo tamen in animum inducat Cyprianum existimavisse quemlibet eo solo crucis signo, fronti suæ præfixo, salvum fieri. Ad æternam enim felicitatem comparandam bona insuper opera requiruntur. Neque alio sensu dixit : « Credite illi, qui credentibus præmium vitæ æternæ dabit (*Ibid. pag.* 195). » Nam ille in suis passim, ac plenis etiam scriptis, uti in libro *de Opere et Eleemosynis*, et libro tertio *adversus Judæos* plane ostendit præter fidem et crucis Christi signum necessaria esse bona opera, quorum merito possimus sempiternam beatitudinem consequi.

Plura autem recenset et prædicat bona Christianorum opera, de quibus postea agendum. At nemo sane negabit unum ex iis esse, quo hominem, et impii falsorum deorum cultus, et pristinorum delictorum pœnitet. Etenim si vera et sincera sit pœnitentia : « Venia, inquit, confitenti datur, et credenti indulgentia salutaris de divina pietate conceditur (*Ibid. pag.* 196) » Neque ullus difficultatem illius obtinendæ excusare ullo modo potest. Nam patet, ait ille, « ad indulgentiam Dei aditus, et quærentibus, atque intelligentibus veritatem facilis » accessus est (*Ibid.*) Quin etiam nullum vult aut *infirma*, aut provectiori ætate retardari, quominus acta pœtentia salutem adipiscatur ; quia « in isto adhuc mundo, inquit, nulla sera est (*Ibid.*) » Tantum siquidem est sanguinis Christi pretium, ut « sub ipso, ait adhuc ille, licet exitu, et vitæ temporalis occasu, venia confitenti detur, et credenti indulgentia concedatur ; » et ita, « ad immortalitatem sub ipsa morte transitur. » Verum ibi doctus Oxoniensis, tametsi ecclesiæ Anglicanæ episcopus, scite observat hæc ad ethnicum hominem, nec sacris baptismi undis adhuc renatum, facta esse verba ; quandoquidem improbis et sero resipiscentibus Christianis non potest tam facilis venia promitti. Et certe id sæpius probat Cyprianus, ac præcipue toto suo *de Lapsis tractatu*, ex quo hæc transcripsisse nunc sufficiat : « Quam magna deliquimus, tam granditer deflcamus. Alto vulneri diligens et longa medicina non desit : pœnitentia crimine minor non sit (*Lib. de Lapsis, pag.* 137). »

ARTICULUS IV.

Utrum Cyprianus ignes purgatorios negaverit, quam diserte asserat æternas fore pœnas damnatorum, quorum brevis oculorum fructus perpetua visione pensabitur, ac quam variis et horrendis cruciatibus Christiani ab his excarnificati fuerint.

Post hanc vitam nullus, inquit, Cyprianus, pœnitentiæ et satisfactionis locus est, sed « hic vita aut amittitur aut tenetur. (*Cyprian. ad Demetr. pag.* 197). » At quo magis clara, et certa sunt hæc posteriora verba, eo minus probabilis nobis videtur hæc Oxoniensis episcopi animadversio : « De Purgatoriis ignibus, ait ille, non est quod quis sibi blandiatur, et

Digitized by Google

vitæ postliminium speretab inferis? » Numquid enim Cyprianus ibi purgatorios negavit ignes, quorum nullam ibi fecit mentionem? Numquid illos ibi notare necessario debuit? Minime gentium. Nam fatente eodem Oxoniensi episcopo, ibi ille contra gentiles disputat, qui quidem si in impio falsorum deorum cultu ad mortem usque perseveraverint, æternis cruciabuntur inferni pœnis et gnibus : si vero morte imminente, credant, convertantur, « et regeneratione cœlesti, » sive baptismo regenerati, ex hac vita discedant, beatam immortalitatem statim consequentur. Quis autem non videt nihil inde contra purgatorios ignes posse concludi?

Postquam autem auctor noster plane pronuntiavit fore ut infidelium et improborum hominum animæ cum corporibus torqueantur æternis doloribus, ac suppliciis, continenter adjecit : « Spectabitur illic a nobis semper, qui hic nos spectavit ad tempus, et in persecutionibus factis oculorum crudelium brevis fructus perpetua visione pensabitur (*Ibid. pag.* 195). » At rursum observat episcopus Oxoniensis his verbis exagitari evanida et sæva theatrorum gaudia, quæ gentilium et christianæ religionis persecutorum pascebant oculos. Sed docti viri venia nobis dicere liceat Cyprianum ibi non loqui, immo nec cogitasse quidem de publicis theatrorum gaudiis, sed de crudelissimo spectaculo gentilium, qui Christianos dirissimis cruciatibus excarnificari et necari avidissime spectabant. Sensus itaque illius est crudelium oculorum, quibus Christianos in persecutionibus immani feritate cruciatos et occisos ethnici non magno sine gaudio spectaverunt, brevis fructus « perpetua visione pensabitur, » sive considerabitur et æstimabitur : « secundum Scripturæ sanctæ, » sicuti ille ibidem ait : « fidem dicentis : Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur, et erunt ad visionem universæ carni (*Isai. cap.* LXVI, 24). »

Quamvis autem dixerit brevem esse fructum gentilium, qui crudeles oculos horrendo Christianorum trucidatorum spectaculo oblectabant; hi tamen ipsimet Christiani tam longis, quam horrendis cruciatibus sæpissime interficiebantur. Varia autem illorum genera Cyprianus sic depinxit : « Innoxios domo privas, patrimonio spolias, catenis premis, carcere includis, bestiis, gladio, ignibus punis. Nec saltem contentus es dolorum nostrorum compendio, et simplici, ac veloci brevitate pœnarum, admoves laniandis corporibus longa tormenta, multiplicas lacerandis visceribus numerosa supplicia, nec feritas atque immanitas tua usitatis potest contenta esse tormentis, excogitat novas pœnas ingeniosa crudelitas (*Cyprian. Ibid. p.* 190). » Palam itaque facit suppliciorum, quibus sanctissimi martyres nostri torquebantur, duplex fuisse genus. Alia enimvero erant ordinaria, videlicet exsilium, spoliatio bonorum; catenæ, quibus premi; carcer, quo includi; bestiæ, a quibus devorari; gladius, quo plecti capite; ignes, quibus exuri solebant. Alia vero extraordinaria, nimirum longiora, multiplicata, et ea omnia, quæ ingeniosa crudelitas, et quemadmodum ille adhuc ait : « Insatiabilis carnificinæ rabies, et inexplicabilis libido sævitiæ (*Ibid.*) » excogitare unquam potuit. Sed de iis in superioribus nostris dissertationibus actum abunde a nobis fuit, et in sequenti adhuc agetur (*Dissertat. in Lactant. cap.* 10, *art.* 2, *et in Tertull. cap.* 16, *art.* 1 *et in Luc. Cæcil. cap.* 8, *cap.* 12).

ARTICULUS V.

Quanta iniquitate ethnici condemnaverint Christianos, nec defensos, nec auditos; quam mirabilis fuerit eorum, quorum numerus semper augebatur, patientia, et quos Deus ultus est ruinis Regum, jacturis opum, dispendio militum, ac diminutione castrorum.

Quanto major ethnicorum in excarnificandis et interimendis Christianis crudelitas, tanto major erat in iis condemnandis injustitia. Nam contra præscriptas naturalis, divini et humani juris leges eos nec defensos, nec auditos torquebant, condemnabant, ac quibuslibet necabant hactenus inauditis pœnarum generibus. Quamobrem Cyprianus iniquissimos illos homines hoc argumento profligat et revincit : « Christianum esse aut est crimen, aut non est (*Cyprian. ad Demetr. pag.* 191). » Si crimen non est, innocens certe absolvi debuit. Si vero crimen est, qui se Christianum esse inficiabatur, is cæterorum reorum more quæstione torqueri debebat, donec crimen suum fateretur. Nam ideo legibus constituta est de reis quæstio, ut corporis dolore exprimatur an verum sit accusati crimen. Verum ethnici, spretis hisce æquissimis legibus, Christianum se esse sponte et sæpius confitentem, in ipso foro, et audientibus magistratibus ac præsidibus clamantem, ac falsos gentilium deos evertentem, quæstione crudelissima cogere nitebantur, ut se Christianum, id est, quod putabant, crimen negaret. Cyprianus itaque ethnicos his insectatur verbis : « Cum sponte confitear, et clamem, et crebris ac repetitis identidem vocibus Christianum me esse contester, quid tormenta admoves confitenti?... Dum me Christianum celebri loco, et populo circumstante, pronuntio, et vos et deos vestros clara et publica prædicatione confundo, quid te ad infirmitatem corporis vertis? Quid cum carnis imbecillitate contendis? (*Ibid.*) » Quis autem diffitebitur nihil iniquius, et omni humano, civili et divino juri magis contrarium fieri umquam posse, quam hominem dirissimis tormentis compellere, ut crimen, cujus accusatur, etiam *mendacio fallente*, deneget, et ita negantem absolvere? Totam porro hanc argumentationem exposuimus et examinavimus in superioribus nostris dissertationibus de Minucii Felicis, et Tertulliani libris, ex quibus Cyprianus eam delibasse haud prorsus immerito videtur (*Dissertat. in Minuc. cap.* 8, *art.* 2, *et in Tertullian. cap.* 17, *art.* 2).

Sed urget adhuc ille, ac recte docet Christianum ad rejiciendam aut negandam religionem suam nec vi, nec tormentis cogendum, sed vincendum ratione, ac validis argumentis fidem ejus destruendam. Quapropter ethnicum hominem sic compellat : « Cum

Digitized by Google

animi vigore congredere, virtutem mentis infringe, A fidem destrue, disceptatione si potes, vince, vince ratione. (*Cyprian. ibid.*) » Eadem sicuti ostendimus, est Tertulliani ac Lactantii argumentatio, quam iste hunc exprimit in modum : « Religio cogi non potest. Verbis potius, quam verberibus res agenda est, ut sit voluntas. » De his autem plura, ac nisi fallimur, satis abundanter in superioribus dissertationibus nostris disputavimus (*Lactant. lib.* v *Institut. cap.* 19, *pag.* 518. *Dissertat. in Lactant. cap.* 10, *art.* 3, *et in Tertull. cap.* 19, *art.* 1).

Quamvis autem Christiani cernerent se summa omnium iniquitate ac propter suum solum nomen ab ethnicis condemnari et trucidari; horribiles tamen cruciatus, sine ulla in persecutores suos malevolentia, sed tanta profecto patientia, quanta animi fortitudine perferebant. Sibi enim a Deo præceptum esse noverant, ne odio haberent ullum umquam hominem, ac ipsos etiam inimicos suos diligerent (*Cyprian. ad Demetr. pag.* 197). Quapropter nullam reddebant pro injuria vicem, sed pro odiis benevolentiam, ac pro inflictis sibi suppliciis monstrabant salutis iter (*Ibid. pag.* 172). Nemo itaque a tyrannis apprehensus reluctabatur, immo excarnificatus, gloriabatur, et gratias agebat. Quæ quidem in superiori nostra dissertatione explicata sunt (*Dissertat. in Tertull. cap.* 21, *art.* 1).

Neque tamen illud infirmitati aut impotentiæ adscribendum : *Nimius*, quippe, ut ait Cyprianus, *et copiosus* erat illorum *numerus* (*Cyprian. loc. cit.*). Et certe vidimus quanta esset Tertulliani tempore C illorum multitudo, qui cum quotidie multiplicarentur, longe plures, dum auctor hæc scribebat, procul dubio esse debebant (*Dissertat. in Tertull. loc. cit.*) Non id itaque probandum esse censuit, quod omnibus notissimum erat, et gentiles molestissime ferebant. Sua igitur multitudine Christiani facile poterant gentilium ulcisci crudelitatem, quemadmodum a nobis adhuc in superiori dissertatione demonstratum est. (*Ibid. cap.* 22, *art.* 1).

Præterea certo sciebant horrendam gentilium immanitatem non impunitam ab æquissimo judice Deo dimitti : « Patientes, » idcirco eos, inquit Cyprianus, « faciebat de secutura ultione securitas (*Cyp. ibid. pag.* 192). » At unde, inquiet aliquis, securitas tanta? Primum quidem, quia omnipotens ipse Deus, id futurum esse disertis solemnibusque verbis promiserat. Deinde vero illum revera promissis stetisse hinc auctor noster conficit; quod « numquam, inquit, impiorum scelere in nostrum nomen exsurgitur, ut non statim divinitus vindicta comitetur. (*Ibid.*) » Nec id probatu difficile sibi esse asseruit, quod ex rerum præteritarum historiis omnibus erat compertum. Satis itaque sibi sufficere existimavit recentis memoriæ proferre exemplum, quo Deus gravissimas de Christianorum persecutoribus repetivit pœnas, « ruinis regum, jacturis opum, dispendio militum, diminutione castrorum. » Jam vero vidimus his ejus verbis denotari funestissimam Decii imperatoris et filiorum ejus Decii, Trajani et Etrusci cladem et mortem. Quam evidens autem et insigne fuerit illud divinæ ultionis, ut loquitur auctor noster, documentum, ostendemus in subsequenti dissertatione in librum Lucii Cæcilii *de Mortibus Persecutorum;* quo quidem aliisque pluribus exemplis palam omnibus fecit quales quantasque Decius aliique immanissimi Christianorum tyranni pœnas Deo dederint. In aliis quoque dissertationibus nostris manifeste expendimus quam validum et invictum ex iis ad vindicandam christianæ religionis veritatem argumentum ducatur (*Dissert. in Luc. Cæcil. cap.* 7, *art.* 1).

CAPUT IV.

Expenduntur Cypriani argumenta, quibus Demetrianum aliosque gentiles refellit, qui Christianos publicarum belli, famis, et pestis calamitatum causam esse criminabantur.

ARTICULUS PRIMUS.

Primum Cypriani argumentum ex mundi senio desumptum examinatur.

Vidimus in superioribus nostris dissertationibus quam sæpe et impudenter ethnici objecerint Christianos publicarum omnium calamitatum, quibus mundus vexabatur, ideo esse causam; quia illorum deos non venerabantur (*Dissertat. in Arnob. cap.* 6, *art.* 1, *seqq. in Tertull. cap.* 23, *art.* 1, *seqq*). Quamvis autem toties insulsa illa criminatio, ab religionis nostræ defensoribus funditus eversa fuerit, quoties ab iisdem ethnicis repetita; Demetrianum tamen aliosque non puduit eam redintegrare, cum Cypriani nostri tempore mundus triplici, belli, famis et horrendæ pestis clade premebatur. Cyprianus itaque ad eos rursus refellendos hunc, uti annotavimus, conscribere librum coactus est. Quia vero eorum impudentiam, satis superque ab aliis repulsam, novis quibusdam rationum momentis comprimit, ea nunc solito more nostro examinanda sunt. Primum igitur demonstrat has, aliasque publicas clades, aut generatim, aut sigillatim spectatas, minime quidem a Christianis, sed nonnumquam causis naturalibus, et longe sæpius maximis ipsorummet gentilium sceleribus, ac semper in sceleratorum hominum pœnam excitari. Naturalibus autem causis eas generaliter tribuendas D esse colligi posse putat ex senio mundi, quem ad occasum et interitum vergere arbitrabatur (*Cyprian. ad Demetr. pag.* 186). Quatuor enim, inquiebat, inversæ erant anni tempestates. Minor siquidem erat hyeme copia imbrium; æstate, solis flagrantia; verno tempore, cœli temperies; et autumno, fructuum fœcunditas. Præterea aurum, argentum, aliaque metalla in visceribus terræ decrescebant, et ubique deficiebant agricolæ, naturæ et milites. Quin etiam « canos, ait ille, videmus in pueris, capilli deficiunt antequam crescant, nec ætas in senectute desinit, sed incipit a senectute. (*Ibid. pag.* 187.) » Denique maxima erat morum depravatio. Atque ex his omnibus concludit mundum senescere, nec mirum esse si in ejus, veluti

Digitized by Google

in aliorum viventium, senectute omnia degenerent et deficiant.

Verum sicuti nullus dubitandi locus est, quin hæc omnia vera sint, quæ Cyprianus tam affirmate asseverat : ita sanctissimi Martyris pace, fas dicere nobis sit hæc non accidisse, quia mundus, qui per tot post ejus mortem sæcula integer perseveravit, jam tum senuerat, et fini suo erat proximus. Deinde vero aurum et argentum decrescebant exhaustis in quibusdam tantum locis, non autem ubique terrarum illorum venis. Frequentiores vero hominum mortes contigere potuerunt ex aeris intemperie et corruptione, unde etiam orta erat illa horrenda pestis, quæ omnia depopulabatur. Pestilentissimus quoque aer efficere potuit, ut plane immatura esset in pueris canities, et vires, quæ in eis augeri debebant, tamquam in senibus minuerentur. Verum tametsi hæc omnia ex naturalibus causis orta esse evidentissime probaretur, non minus tamen certum est tantas clades in improborum, uti mox videbimus, hominum accidisse vindictam.

Non singularis porro fuit Cypriani de proximo mundi fine sententia, sed ipsi cum aliis diversæ ætatis Patribus communis. Lactantius enimvero et alii plurimi, ut suo loco observavimus, persuasum habuerunt fore ut totus mundus expleto ab ejus ortu sex millium annorum numero destrueretur. Alii autem, sicuti Tertullianus, putabant eamdem fore illius atque Romani Imperii ruinam. Alii tandem, ut Ambrosius et Gregorius Magnus, quemadmodum Cyprianus noster, prædicabant toties mundi finem imminere, quoties publicis famis, pestis, et aliis extraordinariis calamitatibus vexabatur (*Dissert. in Lactant. cap.* 29, *art.* 1; et *in Tertull. cap.* 15, *art.* 1 et *cap.* 21, *art.* 1; *Ambros. libr.* x; *Exposit. in Luc.*, § 10, *pag.* 1506; *Gregor. Homil.* 35 *in Evangel. pag.* 1612). At ne in animum, quæso, tuum facile inducas id ab illis omnibus, tamquam certum, ac minime dubium pronuntiari, quod soli Deo cognitum esse certioribus Christi verbis didicerant. At quia videbant quædam accidisse prænuntiata ab eodem Christo mundi labentis signa, de his monendos esse Christianos existimaverunt, ut de subsecuturis plane incerti, sanctiorem vitam ducerent, nec sibi promitterent longiorem. Ex publicis porro calamitatibus, quemadmodum ex morum corruptione nullus certo conficere umquam potuit proximum esse mundi finem. At nemo quoque, uti putamus, negare potest rectissime a Cypriano nostro concludi publicas calamitates commotas fuisse gravissimis gentilium flagitiis, sceleribus, superstitionibus impiis, ac communi morum corruptela. Quomodo autem secundum hinc ille eruat argumentum, jam, si placet, expendamus.

ARTICULUS II.

Quam luculenter Cyprianus demonstret publicas calamitates non ideo accidisse, quia Christiani verum Deum venerabantur, sed quia ethnici falsos colebant deos, et aliorum gravissimorum criminum rei erant, ubi de servorum pœnis.

Constat sane mundum non a se ipso, ut alibi demonstravimus, fuisse creatum, sed a vero et omnipotenti Deo, cujus nutu et arbitrio omnia reguntur, et cui homines et creaturæ omnes parere ac servire debent (*Cyprian. ad Demetr.* pag. 187). Atqui ille præcepit numquam falsos deos, sed se ipsum solum a cunctis hominibus coli et adorari. Nam « voce, » ait Cyprianus, « divina » jusserat : *Dominum tuum adorabis, et illi soli servies* (*Deuter. cap.* VI, 13). Alio autem in libro hæc totidem verba retulit, et in Deuteronomio scripta esse testatur (*Cyprian. Exhort. Martyr. pag.* 171, et *libr.* III *adv. Judæ.*, § II, *pag.* 65). In græca autem Seniorum interpretatione, Κύριον τὸν θεόν σου φοβηθήσῃ, καὶ αὐτῷ μόνῳ λατρεύσεις. At in Matthæi et Lucæ Evangelio habetur, προσκυνήσεις, *adorabis*, pro φοβηθήσῃ : *timebis*. Alibi vero Deus prohibuit ne ficti ab hominibus dii ab ullo umquam colantur. Hæc autem ipsa sunt ejus citata a Cypriano verba : *Non erunt tibi dii alieni absque me* (*Exod., cap.* 20, 3). Eadem in alio libro repetit (*Cyprian. Exhort. Mart. ibid.*), quæ Seniores græce sic reddiderunt : Οὐκ ἔσονταί σοι θεοὶ ἕτεροι πλὴν ἐμοῦ. Latine vero in Vulgata : *Non habebis deos alienos coram me.* Laudatus quoque ab eodem auctore nostro Hieremias Judæis cæterisque omnibus annuntiaverat missos a Deo Prophetas, qui illos commonefacerent iram ejus hoc impio alienorum deorum cultu provocari. Nolite, inquiebat, diis alienis servire, illosque adorare : *Ne incitetis me in operibus manuum vestrarum ad disperdendos vos* (*Hierem.* XXVI, 6). Totidem autem hæc verba alio in libro retulit (*Cyprian. adv. Judæ. lib.* I, § 2, *pag.* 21; *Idem ad Demetr. pag.* 189); græce vero Septuaginta : Ὅπως μὴ παροργίζητέ με ἐν τοῖς ἔργοις τῶν χειρῶν ὑμῶν. τοῦ κακῶσαι ὑμᾶς. In Vulgata autem legimus : *Neque me ad iracundiam provocetis in operibus manuum vestrarum, ut non affligam vos.* Sed eo gravius erat gentilium scelus, quod non solum falsos deos colerent, ac verum et unicum Deum aspernarentur, sed Christianos etiam illum colentes, contra omnia, uti vidimus, humana et divina jura, nec auditos umquam, nec defensos condemnarent, ac quibuslibet necarent suppliciis. Jure igitur merito Deus tanta illorum iniquitate et impietate offensus, hæc et alia plura ipsorum crimina publicis calamitatibus vindicavit.

Verum enimvero præter utramque illam idololatriæ, ac summæ injustitiæ atrocitatem : « Innocentia, ait auctor noster, defecerat in foro, justitia in judicio, in amicitiis concordia, in moribus disciplina (*Ibid. pag.* 186). » Longe vero fusius hæc prosequitur in suo *ad Donatum* libro, ubi rationes reddit cur ipse, misso nefandis ethnicorum superstitionibus nuntio, christianam religionem amplexatus fuerit : « Incisæ, inquit, sint licet leges duodecim tabulis, et publice ære præfixo jura præscripta sint, inter leges ipsas delinquitur, inter jura peccatur. Innocentia nec illic, ubi defenditur, reservatur. Sævit invicem discordantium rabies, et inter togas, pace rupta, forum litibus mugit insanum..... Flagrant ubique delicta, et passim multiformi genere peccandi, per improbas mentes nocens

Digitized by Google

virus operatur..... Esse jam inter nocentes innoxium, crimen est. Malos quisquis non imitatur, offendit. Consensere jura peccatis, et cœpit licitum esse, quod publicum est (*Cyprian. ad Donat. pag.* 7 *et seqq.*) » Cætera vero, quæ hic transcribere longius foret, ibi legere poteris. Quam autem hæc vera sint, si quis dubitare possit, ex iis certior adhuc fiet, quæ in superioribus nostris dissertationibus de corruptissimis ethnicorum moribus sæpius observata, ac paulo post dicenda sunt.

Ethnici itaque, cum tot tantisque criminibus divinas et humanas leges mira plane audacia et temeritate everterent, conqueri sane non poterant, quod Deus ipsos publicis cladibus castigaverit. Sed eos insuper Cyprianus obvia omnibus domini et servi comparatione plane revincit. Si tibi sit servus contumax, protervus, infidelis, et qui jussis tuis non obtemperet, nonne illum « flagellas, » ait Cyprianus, « verberas, fame, siti, nuditate, ferro frequenter et carcere affligis et crucias (*Ibid. ad Demetr. pag.* 188)? » At numquid, inquiet aliquis, fas dominis fuit tam multiplicibus pœnis servos suos castigare? Etiam inquimus, et aliis pluribus quas Plautus his versibus expressit :

Perfidiæ laudes, gratiasque habemus merito magnas,
Cum nostris sycophantiis, dolis, astutiisque,
Scapularum confidentia, virtute ulmorum (*al.* humerorum) (freti
Qui adversum stimulos, laminas, crucesque, compedesque,
Nervos, catenas, carceres, numellas, pedicas, boias
Indoctoresque acerrimos, guaroque nostri tergi,
Qui sæpe ante in nostras scapulas cicatrices indiderunt.

Sed alius quispiam a nobis postulabit cur ibi Cyprianus addiderit *ferro*. Numquid, inquiet, domini servos suos occidere impune poterant? Respondemus, antiquissimo jure Romano dominis revera concessam fuisse in servos vitæ et necis potestatem. Postea tamen Adrianus imperator, teste Spartiano, non solum vetuit ne servi a dominis occiderentur, sed jussit etiam a judicibus dominos condemnari, qui in servos suos acerbius animadvertisse convincerentur (*Spartianus in Vita Adriani, post med. Cod. Theodos. lib.* IX, *tit.* 11, *de Emend. serv. Leg.* 1 *et* 2, *pag.* 79). In libris vero Institutionum fit mentio datæ ab Antonino legis, qua « qui sine causa servum suum occiderit, non minus puniri jubetur, quam si alienum servum occiderit. Sed et major asperitas dominorum ejusdem principis constitutione coercetur » (*Institut. lib.* I, *tit.* 8; *de his qui sui*). Demum Constantinus Magnus hoc dominorum jus in servos duplici lege plane penitusque abstulit, ac præterea prohibuit ne dirius umquam in eos sævirent. In citato autem codice Theodosiano habes utramque illam legem. Cæterum quamvis Cypriani adhuc tempore domini potuissent servos suos interficere, nobis tamen haud ægre persuadebitur nomine *ferro* non hanc utique potestatem designari, sed potius quædam instrumenta ferrea, quemadmodum memoratas a Plauto laminas, seu candentes æris et ferri tabellas, quibus servi exercuisbantur.

Cæterum tametsi dominus jus vitæ et necis in servum suum non habeat, ab illo nihilominus, qui ejusdem cum ipso naturæ est, debitam servitutem merito exigit. Reluctantem itaque nec obedientem quando corripit, is ipse servus pœnarum suarum causa est. Quanto igitur magis scelerati homines publicarum calamitatum causa sunt, qui relicto vero Deo, rerum omnium domino et moderatore, ac spretis et labefactatis omnibus ejus legibus, falsos deos colunt, et in omni scelerum genere volutantur! At hi non quidem Christiani, sed Gentiles erant, quorum idcirco iniquissima erat de publicis cladibus conquestio. Quapropter recte Cyprianus illos sic urget : « Nec dicatis mala accidere, quia dii vestri a nobis non coluntur : sed sciatis (ita in antiquissimo codice Colbertino) hanc iram Dei esse censuram, ut qui beneficiis non intelligitur, vel plagis intelligatur » (*Cyprian. ad Demetr. pag.* 194). Sed hæc magis adhuc clara et perspicua fient ex iis, quæ ille de singulis cladibus dixit, et nunc explananda sunt.

ARTICULUS III.

Quomodo Cyprianus probaverit neutiquam Christianos, sed Gentiles bellorum fuisse causam.

Magna quidem erat ethnicorum de bellis expostulatio, sive ut Cypriani verbis utamur : *Hostem quereris exsurgere* (*Cyprian. ad Demetr. pag.* 189), qui Romanum imperium vastabat, et depopulabatur. At certe id minime quidem tribuendum erat Christianis, sed his ipsismet gentilibus : *Quibus quasi etsi hostis*, ait adhuc auctor noster, *desit, esse pax inter ipsas togas possit* (*Ibid.*). Togarum autem nomine omnes Romanos magistratus, præsides et judices togatos comprehendit. Jam enim vidimus quanta inter eos essent dissidia, et dissensiones, quanta avaritiæ et injustitiæ crimina, quibus homines crudelius quam bello sæpe sæpius vexabantur.

Huc accedit, quod : « Etsi extrema » (antiquissimi nostri aliique manuscripti, et editi codices, *externa*) « de barbaris arma et pericula comprimantur, » interna tamen et domestica bella atrocius gerebantur « calumniis et injuriis, » quibus in aliorum bona invadebant. Nonne enim minus reipublicæ damnum bellis inferebatur, quam cum « a nocente, » uti ille ait, « crimen admittitur, nec innocens, qui vindicet invenitur, de accusatore vel judice metus nullus? Impunitatem consequuntur mali; dum nocenti tacent, timent conscii, veneunt judicaturi (*Ibid. pag.* 190). » Sed de his uberius ad Donatum hæc scripsit in verba : « Flagrant ubique delicta..... Hic testamentum subjicit, ille falsum capitali fraude conscribit. Hic arcentur hæreditatibus liberi, illic bonis donantur alieni. Inimicus insimulat, calumniator impugnat, testis infamat; utrobique grassatur in mendacium criminum prostitutæ vocis venalis audacia, cum interim nocentes nec cum innocentibus pereunt. » (*Idem ad Donat. pag.* 7.)

Quia ergo tantus erat legum contemptus, tantaque gravissimorum etiam criminum impunitas : « Nullus, ait ille, delinquendi metus, » (hoc verbum in pluribus manuscriptis exemplaribus desideratur) « vel pudor est; et sic peccatur, quasi magis per ipsa peccata placeatur (*Idem ad Demetr., pag.* 189). » Quid ergo

Digitized by Google

mirum si tot tamque impii et flagitiosi homines ubique reperti fuerint? Quid mirum, si mortiferum caput impudenter extulerint «falsarii, et venefici?» Quid mirum, si visi sunt, « in media civitate sicarii, tam ad peccandum præcipites, quam impune peccantes? » (*Ibid. pag.* 190.) At de his facinorosissimis hominibus in superiori dissertatione actum est (*Dissertat. in Tertull. cap.* 24, *art.* 4). Quis autem dubitat hæc intestina bella longe pejora fuisse externis, quæ in extremis Imperii Romani finibus gerebantur? Sed vide, quæso, utrum his verbis, externa de barbaris arma, ad ea potissimum collineaverit, quibus Decius aliique Imperatores, qui, ut supra vidimus, cum in Christianos acrius sævirent, ad internecionem cæsi, morte sua dederunt crudelitatis suæ pœnas.

At hæc bella, inquit Cyprianus, nec fortuito aliquo casu, nec in Christianorum, sed Gentilium qui Deum irritaverant, ultionem gesta sunt. Nam « clarum est, ait ille, et manifestum, quia non per nos, sed pro nobis » (ita antiquiores et melioris notæ codices) « accidunt cuncta ista, quæ de Dei indignatione descendunt (*Cyprian. ad Demetr. pag.* 192). » Hæ igitur bellorum clades non contigerunt « per nos, » id est, nostri causa, et quia falsos deos non colimus: sed « pro nobis, » quandoquidem Deus his bellis ulciscebatur nostras injurias, ac persecutores nostros puniendo, optatam reddebat Ecclesiis nostris pacem.

ARTICULUS IV.

Qua ratione Cyprianus ostendat non Christianos, sed gentiles sterilitatis et famis esse causam.

Clamabant adhuc ethnici se fame, agrorum sterilitate, et frugum inopia ideo enecari quia Christiani illorum deos non venerabantur (*Cyprian. ad. Demetr. pag.* 189). Sed insulsa plane erat hæc secunda illorum querimonia. Verus etenim Deus voluit hac publica calamitate mundum affligi, non quidem propter Christianos, qui illum pie colebant, ejusque parebant præceptis, sed propter ipsosmet Gentiles, qui illum verum Deum esse negabant, ac gravissimis semper lædebant sceleribus. Tanta siquidem plaga etsi æquo Dei judicio mundus perculeretur, non inde tamen ethnici facti sunt meliores. Avari quippe homines ut frumenta carius venderent, claudebant horrea, pauperesque fame absumi malebant, quam eorum inopia opes suas non augeri. Majorem itaque et multo crudeliorem famem faciebat eorum rapacitas et avaritia, quam terræ sterilitas. Ecquid namque, ut recte arguit Gregorius Nazianzenus, « gravius atque acerbius, quam crudelitas, cupiditasque inexplebilis eorum, qui frumentum habent? observant enim temporum difficultates, et famem negotiantur, atque ex aliorum calamitatibus messem faciunt. » (*Greg. Naz. orat* 20, *pag.* 558.) Quamobrem immansueti et feri homines, qui omnem exuerant humanitatem, et Deo et cæteris hominibus detestabiles sunt. Nam Salomon in citatis ab eodem Gregorio et Cypriano nostro parœmiis hæc pronuntiat: « Captans annonam maledictus *in* plebe est (*Greg. ibid. Cypr. lib.* 3. *adv. Judæ.* § 61, *pag.* 82); » aut sicut in Vulgata legimus: *Qui abscondit frumentum, maledicitur in populis.* Neque divinis tantum, sed humanis legibus hæc crudelitas damnatur. Testem enimvero Paulum jurisconsultum habemus, qui scriptum reliquit: « Annonam attemperare et vexare vel maxime Dardanarii solent, quorum avaritiæ obviam itum est tam mandatis, quam constitutionibus. » (*Digest. lib.* LX, *titul.* 11 *de Extraordin. Crim. leg.* 6.)

Verum duri et ferrei illi gentiles has æquissimas leges pessumdederunt, ac flocci præterea habuerunt salutaria Dei monita, quibus sacri ejus prophetæ futuram, propter eorum delicta, famem prædixerant. Quid enim citata a Cypriano (*Cyprian. ad Demetr. p.* 187) hac Aggæi prænonitione clarius? *Eo quod domus mea deserta est, vos autem sectamini,* διώκετε (Vulgata, *festinatis*) *unusquisque in domum suam, propterea abstinebit cœlum a rore, et terra protrahet procreationes suas, et inducam gladium super terram,* καὶ ἐπάξω ῥομφαίαν ἐπὶ τὴν γῆν. Vulgata: *Et vocavi siccitatem super terram, et super frumentum, et super vinum, et super oleum, et super homines, et super jumenta, et super omnes labores manuum eorum* (*Agg. cap.* I ℣. 9 *et* 10). Prædixerat igitur futuram terræ sterilitatem, propterea quod homines relicturi erant domum Dei, id est, ejus cultum, seu domum, in qua coli solebat, ut abirent unusquisque in domum suam, in qua idola falsosque deos venerarentur. Quamvis autem Cyprianus, Septuaginta seniores secutus, dixerit *gladium*, eo nihilominus nomine significatur haud dubie siccitas et sterilitas, qua mors hominibus inferebatur.

Quapropter hanc subjunxit prophetæ Amos vaticinationem: *Et pluam*, Septuaginta καὶ βρέξω, Vulgata, sicuti paulo post: *Et plui super unam civitatem, et super aliam non pluam. . . . . et congregabuntur duæ et tres civitates in unam civitatem potandæ aquæ causa, et non satiabuntur. Et non convertimini ad me dicit Dominus* (*Cyprian. ad Demetr. pag.* 187. *Amos. cap.* IV. ℣. 17 *et seqq.*). Tantum autem abest, ut tum se converterint ad hunc verum et unicum Deum; quin potius eum gravius offenderint non tantum famis et sterilitatis, sed pestis quoque acerbius sævientis tempore, uti jam demonstrandum est.

ARTICULUS V.

Tantum abesse ut ethnici Deum, eorum criminibus offensum, curaverint pestis tempore placare, quin potius illum gravioribus flagitiis irritaverint.

Observatum a nobis jam fuit quam horrendum et inauditum hactenus in modum calamitosissima pestis, uti Cyprianus, Eusebius, et alii memorant, omnia depopularetur (*Supr. cap.* 1, *art.* 5). Sed quid putas tunc actum ab ethnicis, qui Christianos hujus tertiæ cladis accusabant? Numquid inde facti sunt meliores? Minime quidem. Deum enimvero, quem propter sua flagitia ad eos hac horribili peste cas-

Digitized by Google

tigandos coegerant, novis nec satis umquam detestandis irritabant sceleribus. Nam « cum peste ipsa et luc, ait Cyprianus, vel detecta sunt, vel aucta crimina singulorum, dum nec infirmis exhibetur misericordia, et defunctis avaritia inhiat ac rapina. » (*Cyprian. ad Demetr. pag.* 189.) Duplex autem arguit genus scelerum, in quæ tam crudeles, quam avari homines palam ruebant. Primum enim summa erat, et dictu horribilis illorum in ægrotos, in morientes ac mortuos inhumanitas. Nullum quippe ferebant peste laborantibus auxilium, morientes plane penitusque deserebant, fugiebant *morientium funera*, et corpora mortuorum, non secus ac canum, insepulta relinquebant. Sed hæc Pontius, Cypriani diaconus, et oculatus testis, tam nativis, quam tragicis coloribus depingit : « Horrere, inquit, omnes fugere, vitare contagium, exponere suos impie..... Jacebant interim tota civitate non jam corpora, sed cadavera plurimorum; et misericordiam in se transeuntium contemplatione sortis mutuæ flagitabant. Nemo respexit aliud præterquam lucra crudelia. Nemo similis eventus recordatione trepidavit. Nemo fecit alteri, quod sibi fieri voluit (*Pont. in Vita Cypr. pag.* 5). » Eadem quoque de iisdem Gentilibus scripsit Dionysius Alexandrinus : Νοσεῖν ἀρχομένους ἀπωθοῦντο, καὶ ἀπέφευγον τοὺς φιλτάτους, κἀν ταῖς ὁδοῖς ἐῤῥίπτουν ἡμιθνῆτας, καὶ νεκροὺς ἀτάφους ἀπεσκυβαλίζοντο· τὴν τοῦ θανάτου διάδοσιν, καὶ κοινωνίαν ἐκτρεπόμενοι, ἣν οὐκ ἦν πολλὰ μηχανωμένοις ἐκκλῖναι ῥᾴδιον : « Eos qui ægrotare inceperant exturbabant, charissimos refugiebant, eosque in viis semineces destituebant, aut mortuos insepultos projiciebant aversantes mortis participationem ac societatem; quam tamen licet multiplici adhibita cautione ac diligentia, evitare non poterant (*Euseb. lib.* VII *Histor. Eccles. cap* 22 *pag.* 269). »

Secundum vero horumce hominum, omni humanitatis sensu plane destitutorum, flagitii genus, nec priore minus, illud fuit, quo morientes ideo dereliquisse videbantur, « ne possent, dum curantur evadere (*Cyprian. ad Demetr. pag.* 189). » Non enim eorum optabant sanitatem, sed mortem celerrimam; ut in eorum bona et facultates citius irruerent. Nemo quippe, ut mox citatus a nobis Pontius dicebat, aliud respexit, quam lucra crudelia. Neque id certe dissimulabant. Etenim « prædandi, » ait adhuc Cyprianus, « dissimulatio nulla, nulla cunctatio, nulla formido » (*Ibid. pag.* 190). Sed eos videre erat passim discurrentes, defunctorum bona rapientes, et occupantes. Ne quis vero alius, pari avaritia hiante illorum rapinas præverteret, præsto erant falsarii, qui morientium testamenta falsa supponebant, eaque judicum, pretio corruptorum, auctoritate tamquam vera confestim approbabantur.

Tantum igitur abest ut improbissimi homines, tot tantisque cladibus vexati, resipiscerent, quin iram Dei non timentes, gravioribus flagitiis illam in se semper acrius concitabant (*Ibid. pag.* 188). Merito itaque citati ab auctore nostro Prophetæ conquesti sunt eos frustra his plagis cædi et verberari, qui nec doluerunt, nec voluerunt recipere disciplinam (*Hierem. cap.* II ℣. 30). *Quid igitur*, ait Cyprianus, « ab iis actum non esset, si percussi non fuissent? Nonne facinorum impunitate crevisset peccandi audacia? Et hæc quidem sunt argumenta, quibus auctor noster plane demonstrat gentiles publicarum calamitatum esse causam, minime vero Christianos, uti adhuc probandum est.

ARTICULUS VI.

Quanta misericordiæ opera Christiani exhibuerint quibuslibet peste infectis morientibus, ac mortuis.

Publicas calamitates, quibus mundus propter tot ac tanta, ut diximus, ethnicorum crimina concutiebatur, si Christiani avertere non potuerunt, eas conabantur piis operibus levare, aut ab omnipotente Deo obtinere modum illis imponi. Nam diebus ac noctibus « jugiter atque instanter, » ait Cyprianus, illum precabantur, « pro arcendis, hostibus, et imbribus impetrandis, vel auferendis, vel temperandis adversis, et pro pace ac salute vestra, » id est Gentilium (*Cyprian. ad Demetr. pag.* 193). Ibi autem ab Oxoniensi editioni præfecto subnotatur his verbis Cyprianum respexisse ad memorabile Christianorum facinus, qui sub Aurelio imperatore imbrem, de quo nos in superiori dissertatione egimus, exercitui omnino necessarium divinitus impetraverunt. Verum quia Cyprianus dixit Christianos « jugiter, atque instanter » Dei imploravisse misericordiam, nonne his verbis quotidianas potius denotavit illorum preces, quibus et privatim et publice in suis, uti adhuc annotavimus, synaxibus Deum pro imperatoribus, et sæculi statu orabant (*Dissertat. in Tertull. cap* 19, *art.* 2 *et cap.* 23, *art.* 4, *Ibid. cap.* 15, *art.* 1).

Quanta autem erat ethnicorum in sodales suos, peste laborantes, aut morientes, aut mortuos, uti mox dicebamus, inhumanitas, et avarorum hominum crudelitas insatiabilis, tanta erat in eos Christianorum pietas, charitas, et commiseratio. Vitæ enim suæ periculo omne ægris et *mortuis auxilium* tulerunt. Cyprianus enimvero congregatam protinus, uti Pontius narrat, plebem sibi commissam tanta eloquentiæ vi ad exhibenda ægrotantibus omnia misericordiæ opera adhortatus est, ut quæ a Christianis persoluta fuerunt, vix possint explicari (*Pont. in Vit. Cypr. pag.* 5 et 6). Singulis enimvero pro sua qualitate distributa sunt ministeria, quibus opem suam peste infectis conferrent. Nulla vero interposita mora, divites ea omnia quæ egentibus necessaria erant, mira liberalitate largiebantur. Pauperiores autem mercedem, divitiis omnibus chariorem, labore suo subministrabant. Sed in hoc incomparabilem Tobiæ, cujus venia Pontius illud dictum voluit, in hoc superabant pietatem, quod hisce misericordiæ officiis conabantur non tantum domesticos fidei sublevare, sed sibi etiam infensissimos gentiles quos etiam mortuos non secus ac Christianos mandabant sepulturæ.

Digitized by Google

At Dionysius Alexandrinus hæc fusius explicat. Plurimi, inquit, dum ægris assidue ministrantes restituerunt eorum valetudinem, ipsi tam sancta quam gloriosa morte interierunt. Alii posteaquam mortuorum oculos et ora clausissent, postquam illorum corpora suis humeris bajulassent, lavissent, composuissent, ac solito more ornavissent vestimentis, ipsi paulo post mortui, eadem officia ab aliis exceperunt. Atque hoc, ut recte quidem Dionysius ait, mortis genus ob pietatem et fidei constantiam non inferius martyrio censetur (*Euseb. lib.* VII *Histor. Eccles. cap.* 22, *pag.* 269). Quis autem non videat quam diversa fuerint eo calamitoso pestis tempore Christianorum et gentilium opera, et quinam ex illis Deum offenderint, aut potuerint iratum placare?

ARTICULUS VII.

Cur Christiani, plane innocentes, iisdem publicis calamitatibus, ac scelerati gentiles affligebantur.

Mirandis plane maximæ Christianorum in omnes pietatis operibus minime commoti gentiles, acrius instabant, palamque vociferabantur iniquum omnino fore Deum, si publicis calamitatibus improbos puniendo, iis et merentes et immerentes pariter vexet, atque obruat (*Cyprian. ad Demetr. pag.* 192). Sed hanc argumentationem, sæpius ab illis, ut vidimus, repetitam, Cyprianus noster variis rationum momentis diluit (*Dissertat. in Tertull. cap.* 23, *art.* 1 *et* 5; *Cypr. ibid. pag.* 192). Primum enim fatetur Deum posse, quotiescumque libuerit, ea mala prohibere, sed noluisse propter ethnicorum, ut ostendimus, improbitatem et scelera, quæ, sicut ait Propheta, homines ab ipso separant (*Is.* LIX. 2). Si ergo non peccavissent ethnici, aut si sinceram egissent scelerum suorum pœnitentiam, tum a Deo non separati, nullam profecto habuissent causam de illo et de Christianis expostulandi. Deinde vero quamvis Christiani piam omnino castamque vitam ducerent, quia tamen quamdiu in hoc mundo sunt, par illorum et gentilium, quemadmodum hominum in eadem domo manentium, debet esse quoad corpus conditio, utrique idcirco iisdem adversis et incommodis rebus affici debent. Verum longe dispares quoad spiritum erant. Quinam enim ex illis dici poterant publicis cladibus affligi et conturbari? Nonne hi soli gentiles, qui mœrebant, dolebant, et tam clamosa quam querula voce miseram sortem suam lamentabantur? Contra quippe christiani, inquit Cyprianus « spiritu magis quam carne viventes, » vincebant « firmitate animi infirmitatem corporis (*Cypr. ibid. pag.* 193). » Quamobrem nullis adversis animo consternati aut fracti numquam de iis dolebant, vel mussitabant.

Præterea gentiles miserias suas et ærumnas deflebant, quia in hoc tantum sæculo bene illis esse poterat, nihilque illis postea supererat, nisi pœna, et dolor (*Ibid. pag.* 192). At Christianorum, caduca hujus vitæ bona spernentium, mens e contrario inter has ipsas labentis sæculi ruinas erecta erat, immobilis virtus, læta patientia, fides firma, et promissæ sibi a Deo æternæ felicitatis certa spes et exspectatio.

Deinde vero non ideo mundus tot cladibus premebatur, quia Christiani falsos deos non colebant: sed illum verus Deus his vexari permisit, ut « qui beneficiis, » ait Cyprianus, « non intelligitur, vel plagis intelligatur (*Ibid. pag.* 195). » Ethnici itaque his calamitatibus ideo puniebantur, ut eos criminum suorum pœniteret, ac rejecto tandem insano falsorum deorum cultu, unicum agnoscerent et colerent omnipotentem Deum, ac veram religionem amplexarentur.

Ad hæc vero Christiani noverant, et confidebant se iisdem adversis probari et corroborari. Quamobrem alio Cyprianus in libro: « Quam necessarium, » inquiebat, « quod pestis illa et lues, quæ horribilis et feralis videtur, explorat justitiam singulorum..... an infirmis serviant sani, an propinqui cognatos pie diligant, an misereantur servorum languentium Domini, an deprecantes ægros non deserant medici, an rapaces avaritiæ furentis insatiabilem semper ardorem vel metu mortis exstinguant, an cervicem flectant superbi, an audaciam leniant improbi, an pereuntibus charis vel sic aliquid divites largiantur, ac donent, sine hærede morituri (*Ibid. pag.* 193; *Idem, lib. de Mortalit. pag.* 162). » Nam sicuti naucleri peritia dignoscitur in tempestate, sicuti militis animus in acie probatur, sicuti Abrahæ fides imperato filii sui sacrificio tentata est; sic his publicis cladibus probabatur virtus et patientia christianorum, ac probata coronabatur (*Ibid.*). Cur ergo? « Quia nisi, » ait ille, « præcesserit pugna, non potest esse victoria; cum fuerit in pugnæ congressione victoria, tunc datur vincentibus et corona (*Ibid. pag.* 160). » Postquam autem id quorumdam, ac potissimum Pauli apostoli exemplis, atque hujus quoque et Ecclesiastes verbis confirmavit, inde concludit longe disparem esse Christianorum, ac gentilium et Judæorum in publica pestis calamitate, aliisque adversis conditionem. Nam his Christi hostibus horrenda, de qua satis egimus, pestis erat insanabilis et mortifera plaga, qua morientes rapiebantur ad sempiternum supplicium, Christianis vero salutaris excessus, quo ad æternum refrigerium vocabantur (*Ibid. pag.* 161).

Quantum ergo gentiles et Judæi de peste, fame, et bello conquerebantur, et dolebant, tantum Christiani tranquillo lætoque animo illud verum esse ostendebant (*Idem adv. Demetr. pag.* 193) quod citatus a Cypriano Habacuc propheta longe antea hisce verbis prædixerat: « Ficus non afferet fructum, et non erunt nascentia in vineis: Οὐ καρποφορήσει καὶ οὐκ ἔσται γεννήματα ἐν ταῖς ἀμπέλοις. Mentietur opus olivæ et campi non præstabunt cibum. Deficient a pabulo oves: Ἐξέλιπεν ἀπὸ βρώσεως πρόβατα. Et non erunt in præsepibus boves. Ego autem in Domino gaudebo, et in Deo salutari meo: Χαρήσομαι ἐπὶ τῷ Θεῷ σωτῆρί μου. » (*Habac.* IV, 17, 18.) Nec finem quidem aut vanum erat illorum gaudium; quia

Digitized by Google

firmiter exspectabant dandam sibi a Deo æternam felicitatem.

Postea vero Cyprianus id confirmat longe pluribus verbis, ex Sapientiæ libro desumptis, quæ alibi integra, ac postremam tantum eorum partem alibi retulit (*Cyprian. ad Demetr. pag.* 195). Salomon autem cui hic ipse liber nominatim ab eo tribuitur, ibi luculenter enarrat, quam amare impii et iniqui homines, æternis inferni ignibus excruciati, visa Christianorum beatitudine, miserrimam sortem suam et æternam damnationem deflebunt (*Sapient.* v, 1 *et seqq.*; *Cyprian. lib.* III *Testim. pag.* 68; *De Habit. Virgin. pag.* 97, *et de Exhortat. Martyr. pag.* 182).

In superioribus porro dissertationibus nostris vidimus hanc gentilium ex Christianorum adversis et vexationibus ductam argumentationem non tam contra illos, quam contra Dei providentiam pugnare; ac quomodo ab eruditissimis christianæ religionis vindicibus diluatur et evertatur.

CAPUT V.

DE CYPRIANI LIBRO DE IDOLORUM VANITATE.

ARTICULUS PRIMUS.

Analysis hujus libri.

Tres hic liber dividitur in partes, quarum prima Cyprianus ostendit falsos omnino esse ethnicorum deos (*Cypr. lib. de Idolor. Vanit. pag.* 11). Mortui enim reges ab iis coli cœperunt, ac deinde expressi simulacris illorum vultus, templa ædificata, immolatæ hostiæ, et festi dies in ipsorum honorem celebrati. Eo autem modo dii facti sunt non modo Melicertes, et Leucothea, Castor, et Pollux, Æsculapius, Apollo, Neptunus, verum etiam Jupiter, cujus sepulchrum in Creta visitur, et Saturnus, qui latio nomen dedit, qui litteras imprimere, et signare nummos primus in Italia docuit. Illum autem a Jove fugatum excepit Janus bifrons, a quo Janiculum et Januarius mensis cognomen suum traxerunt. At planius certe et apertius Mauri suos coluerunt reges. Effræni porro et impia hac licentia religio gentilium propagata est. Per provincias siquidem singuli non unum et verum, sed plures fictos a majoribus suis deos venerati sunt. Quod quidem auctor noster probat Alexandri Magni epistola, palamque facit nihil dictu esse absurdius, quam hujusmodi diis aut datam, aut ablatam alios deos procreandi potestatem (*Ibid. pag.* 12).

Neque sinit sibi objici Romanos sua in deos suos pietate meruisse totius terræ orbis imperium. Non enim illud umquam acceperunt a diis aut deabus suis propriis, et vernaculis, neque ab aliis peregrinis et aliunde adscitis. Non a primis quidem, quales utique sunt Romulus, Picus, Tiberinus, Pilumnus, Consus, Viduus, Scansus, Forculus, Limentinus : neque etiam a deabus Cloacina, Pavore, Pallore, Febre, vel Acca, et Flora utraque meretrice, vel Cardea et Orbona. Tales enimvero deos et deas nominare, refellere est (*pag.* 13).

Eadem profecto, immo validiori adhuc, ratione peregrini Romanorum dii, uti Mars Thracius et Creticus, aut adscititiæ deæ, sicuti Juno Argiva, vel Samia, vel Pœna, aut Diana Taurica, aut Mater deum Idæa, aut Venus Calva Romanis imperium dederunt, vel propagaverunt. Qui enim eorum, a quibus colebantur, regna tueri valuerunt, quomodo poterant aliorum fundare et augere imperium, quibus cogniti numquam fuerant? Huc accedit, quod victi sunt Penates, quos Æneas in Italiam secum adsportavit. Præterea ante Romanos floruerunt Assyriorum, Medorum, Persarum, Ægyptiorum, Græcorum regna. Dii ergo Romanorum nec illa, nec alia dispensant.

Sed age, et dic nobis, quæso, quam in deos suos ob pietatem Romanis delatum fuit imperium, quod a parricidio, raptu virginum, aliisque nefandis sceleribus incepit. Neque dixeris illud auctum auspiciis, auguriis, et aliis hujusmodi superstitionibus, quibus aut futura quædam prænuntiabantur, aut credebatur aliquid extra solitum naturæ ordinem fieri. Etenim eorum falsitatem exempla Reguli, Mancini, et Caii Cæsaris demonstrant. Quid vero, quod hæc et alia etiam omnia, quæ gentiles mirabantur, non acta sunt falsorum deorum suorum potestate, sed fraudibus et præstigiis dæmonum, qui poetis, Socrati, Magis, Hostani, et Platoni cogniti fuerunt, quamvis uterque Hostanes et Plato, unum dumtaxat Deum esse docuerint (*pag.* 14). Nam hi dæmones sunt insinceri et perditi spiritus, qui, sub deorum statuis et *simulacris* delitescentes, credulis et incautis hominibus persuadere conabantur hæc ab eisdem illis diis *fieri*, ne ab eorum cultu ad veram traducerentur *religionem*. Omnes siquidem illorum fallaciæ et fraudes retectæ sunt, quando Christiani, illos per Deum verum adjurantes, coegerunt non solum de obsessis corporibus exire, sed palam quoque fateri qui ipsi sint, illumque unicum, et verum esse Deum, cujus nomine adjurabantur.

Ad secundam hujus commentationis partem delapsus inde Cyprianus manifestissime probat *illum* tantummodo esse Deum, rerum omnium creatorem. Nam summa divinitatis *sublimitas*, inquit, nec dividi, nec consortem pati potest. Quin etiam terreni reges, sicut « Thebanorum germanitas, » Romani gemini, et affines Pompeius et Cæsar nequiverunt alterius regnantis ferre societatem. Quid vero, quod res naturales si spectemus, nonne videmus apibus, gregibus, et armentis esse unum ducem, sicuti unus est mundi rector, qui nec videri, nec comprehendi, nec satis umquam æstimari potest? Unus autem cum ille sit, non pluribus nominibus appellatur, sed totum nomen ejus *Deus* est. Quia vero ubique est diffusus, *non* potest intra unam ædiculam includi, sed templum ejus totus est mundus. Vulgus denique, quantumvis imperitum, sæpe sæpius exclamando, naturaliter illum invocat, et exsistere confitetur.

Tertia demum hujus operis parte Cyprianus palam omnibus facit quæ genuina sit Christianorum de Christo doctrina. Tamdiu autem, inquit, Judæorum regnum floruit, quamdiu divinis præceptis ob-

Digitized by Google

temperaverunt. At posteaquam illa spreverunt, datam sibi a Deo perdiderunt gratiam, ac soli et cœli extorres, per totum mundum dispersi vagantur. Deus itaque alium, sicut promiserat, fideliorem populum sibi allegit, qui amissam a Judæis acciperet gratiam et indulgentiam. Statuto itaque tempore suum misit Filium, qui sermo, virtus, ratio, sapientia, et gloria est. Is vero in virginem, Spiritu sancto cooperante, illapsus, homo factus est Deo mixtus. Christianorum itaque arbiter ille, magister, illuminator, doctor et mediator est, qui nos ad Patrem perducit.

Sciebant quidem Judæi hunc esse, quem sacri eorum Prophetæ et tunc et in fine mundi venturum prænuntiaverant : sed sceleribus suis obcæcati negant hunc primum ejus adventum, et secundum exspectant. Quia vero infinita propemodum edidit miracula, illum magnum esse dixerunt. At certe cum inter homines ipse homo vixit, ea omnia contigerunt, quæ ab iisdem prophetis de illo prædicta fuerant. Sub vitæ autem ejus finem, Judæorum magistri et primores divina ejus doctrina irritati, a Pontio Pilato, ex parte Romana Syriam procurante, extorserunt ut cruci affigeretur. Sed ipse in ea moriens, sua sponte dimisit spiritum, ac tertia abhinc die ad vitam reversus, se discipulis suis videndum præbuit. Per quadraginta vero dies illos, cum quibus versatus est, ea docuit, quæ alios postmodum docerent. Denique in cœlum sublatus fuit, unde ad omnes homines, destructo mundo, judicandos veniet. Discipuli vero ejus ubique dissemiuaverunt acceptam ab illo doctrinam, quam non tantum voce, sed tormentis, cruci- C bus, aliisque pœnarum generibus, mira constantia ad mortem usque perpessis, veram esse demonstraverunt.

ARTICULUS II.

De hujus libri auctore, titulo, initio, integritate, argumento; et cur aliquando epistolæ nomine inscribatur.

Uno omnes ore, magnoque animi consensu, fatentur, et semper confessi sunt Cyprianum esse hujus libri auctorem. Ecquis vero de hoc dubitare potest, quod Augustinus his verbis non obscure significat? « Regulæ Apostolicæ sectator episcopus Cyprianus de uno vero Deo adversus multorum deorum falsorumque cultores disputans, multa profert testimonia D de libris eorum, quos præclaros auctores habent, hoc est, ex illa veritate, quam in iniquitate detinent (*August., lib. contra Petilian. de unic. Baptis. cap.* 4, § 6, *pag.* 530, *tom.* IX). » Expressius tamen Hieronymus ad Magnum scripsit : « Cyprianus quod idola dii non sint, qua brevitate, qua historiarum omnium scientia, quorum verborum et sensuum splendore perstrinxit (*Hieron. Epist.* 83, *pag.* 937)? » Plures porro alios diversæ ætatis scriptores, idem profecto attestantes, citare tam facile nobis, quam aliis inutile foret. Nihil itaque necesse est illud fusius probari, quod a nemine in controversiam vocatur?

Dictu autem longe difficilius videtur quisnam verus et genuinus sit hujus libri titulus, et quodnam illius initium. In manuscripto enim Colbertino antiquiore libro ab annis 800, uti opinantur, scripto sic habetur : « Incipit quod idola dii non sint. » Tum continuo liber sic inchoatur : « Quod idola dii non sint, et quod unus Deus sit, et quod in credentibus datis (lege *datum*) sit deos non esse, quos colit vulgus, hinc notum est. Reges olim, etc. » Eadem plane in regio codice 3974, et aliis pluribus exhibentur, nisi quod in titulo additum est, *contra Paganos*, quæ certe duo Cypriani verba numquam fuerunt.

In vetusto autem exemplari nostri monasterii, et olim Corbeiensis, quod ejusdem fere atque Colbertinum ætatis esse dicitur, hæc legimus : « Epistola Ce- B cilii Cypriani incipit, quod idola dii non sint. » At tria priora verba non primum quidem, sed eadem tamen manu postea adjecta sunt. Liber vero, seu ut ibi dicitur, *Epistola*, sic orditur : « Deos non esse, quos colit vulgus, hinc notum est. Reges olim, etc. » Neque his multum dissimilia in codice Tarnensi sic exarata sunt : « Epistola Cecilii Cypriani de eo quod idola dii non sint. » Tum deinde : « Deos non esse, quos colit vulgus, hinc notum est. Reges olim, etc. » Recentioris vero Colbertini codicis illud est sine inscriptione exordium : « Deos non esse, quos colit mundus, hinc notum, » etc. Et in fine : « Quod idola dii non sint, explicit. »

Nos vero clarissimus Baluzius certiores fecit in omnibus fere, quos penes se habet, et aliunde colle- C git, hujus libri codicibus manuscriptis illum ab his, absque ulla alia inscriptione, incipere verbis, quæ in Colbertino exemplari scripta esse mox animadvertimus.

Quosdam insuper vidimus codices media et amplius parte mutilatos, quorum initio index omnium Cypriani librorum, qui in eis descripti erant, præfigitur. In hoc autem indice simplex iste exhibetur hujusce libri titulus : « Quod idola dii non sunt. » Utrum autem librarii illum ex jam citatis Hieronymi verbis, vel aliunde transcripserint, nemo facile dixerit. At certum planumque est imperfectam esse hanc inscriptionem; quippe quæ primam dumtaxat hujusce commentationis partem repræsentet.

Neque minus variant editiones. Nam in illis, quæ anno 1540 et sequenti excusæ sunt, inscribitur : D « Tractatus quartus, de Idolorum Vanitate; » initium vero libri : « Quod idola dii non sint, et quod unus Deus sit, et quod credentibus datum sit deos non esse, quos colit vulgus, hinc notum est. Reges olim, etc. » In editione autem a Morellio anno 1564, adornata hic titulus est : « Quod idola dii non sint : » libri vero exordium : « Quod idola dii non sint, et quod unus Deus sit, etc., » ut in superiori editione. At in aliis annis 1593 et 1606, hic titulus est : « Quod idola dii non sint et quod unus Deus sit, et quod Christus salus credentibus data sit, sive de idolorum vanitate; » initium autem libri : « Deos non esse, quos colit vulgus, hinc notum est. Reges olim, etc. »

Digitized by Google

Eumdem et titulum, et idem libri principium retinuit in accurata a se Rigaltius editione. Demum Oxoniensi præpositus hæc omnia rejecit, hunceque præfixit titulum « De idolorum vanitate, » et librum his verbis orsus est : « Deos non esse, quos colit vulgus, hinc notum est. Reges olim, etc. » Ea autem tantum se retinuisse testificatur, quæ ipsi videbantur ad libri designationem magis accommoda. Verum quis negabit hunc libri titulum non esse meliorem, quam istum : « Quod idola dii non sunt, » qui Hieronymi auctoritate confirmari potest. Sed primæ tantum, uti diximus, hujus libri partis, non autem totum illius argumentum exhibet.

Certo itaque affirmare non possumus quæ vera sit hujus libri inscriptio, ac quod illius exordium. Erasmus vero suspicatus est illa adaucta fuisse a quodam docto homine, nec aliud nobis superesse, nisi fragmentum hujus lucubrationis, quæ capite truncata est (*Erasm. Not. in hunc libr.*). Nam testis, inquit, nobis est Lactantius plurima a Cypriano conscripta fuisse volumina. At Lactantius quidem dixit multa ab illo edita fuisse, sed penitus tacuit quam in rem scripta sint, ac postea unius tantummodo ad Demetrianum orationis nominatim meminit (*Lactant. lib.* v; *Inst. cap.* 1, *pag.* 459, *et cap.* 4, *pag.* 471). Poterat autem Erasmus Augustinum etiam et Hieronymum, a nobis paulo ante laudatos, citare, quorum primus testatum fecit multa a Cypriano, in suo adversus ethnicos libro proferri illorum testimonia : secundus vero historiarum omnium scientiam in eo exhiberi (*August. lib. contr. Petilian. de unic. Baptis. cap.* 4, § 6, *pag.* 530, *tom.* IX). Sed hic dixit id summa brevitate factum. Et certe in hoc libro citatur dumtaxat nomine suo insigne Alexandri Magni ad matrem suam volumen. At quia Cyprianus plurima contra gentiles de illorum diis congessit, quæ a multis memoriæ et scriptis tradita fuerant, hinc procul dubio Augustinus dixit et hæc Scriptorum ethnicorum testimoniis comprobari.

Aliam insuper Erasmus mutilati hujus libri conjecturam inde capit, quod ex abrupto incipiat. Neque nos illi aliisque repugnabimus, qui arbitrabuntur, et ostendent in primis aut aliis paulo post Cypriani sæculum descriptis codicibus nullam fuisse inscriptionem, et ab his incœpisse verbis : « Reges olim, etc. » Sed ab his illud, quod difficillimum est, probandum erit cui adscribenda sit hujus tituli prætermissio, an ipsimet Cypriano magna festinatione scribenti, vel negligentiæ scribarum, qui vacuum haud insolito more reliquerant spatium, in quo eum titulum majoribus litteris, ac minio etiam exararent. Satis porro adnotasse sufficiat illum, qui in variis codicibus et ineditis, et editis tam diverso modo legitur, a Cypriano profectum non videri. Plures præterea existimant spurium ac suppositum esse in prima hujus libri parte fragmentum, de quo postea agemus. Non minima igitur dubitandi ratio est utrum hic liber plane incorruptus ad nos pervenerit.

At quanto id obscurius est, tanto evidentius ab omnibus perspicitur quodnam sit illius argumentum. Quis namque illo, qui brevissimus est currentibus oculis perlecto, statim non animadvertit in eo demonstrari falsos gentilium deos, unicum Deum, ac Christum ejus filium nostrum esse magistrum et redemptorem?

Denique jam vidimus hoc opusculum in *multis* manuscriptis exemplaribus *Epistolæ* nomine inscribi. Sed id nemini mirum videri debet; quandoquidem pleraque Cypriani Opera ab antiquis scriptoribus *Epistolæ*, *Tractatus*, et *Libri* indifferenter appellantur. Neque opus est illud a nobis demonstrari, quod ab aliis, ac præsertim ab Oxoniensi Episcopo satis abunde probatum est. Verum quia hæc commentatio nullam præ se fert epistolæ speciem, standum potius videtur eorum judicio, qui illam in tractatuum numero reponendam censuerunt (*Præfat. Oxon. in Annal. Cypr. pag.* 4).

ARTICULUS III.

Quo tempore, et quam festinanter hic liber a Cypriano scriptus fuerit.

Tametsi nullum temporis, quo hic liber scriptus est, indicium in eo deprehendatur; quidam tamen putant illum a Cypriano in lucem emissum statim atque sacris Baptismi undis regeneratus fuit, et antequam presbyteratus ordine initiaretur. Opinionem autem suam conantur quibusdam confirmare conjecturis. Primam vero inde ducunt, quod eruditiores viri, qui rejecta falsa ethnicorum religione, christianam amplexabantur, solebant publico aliquo scripto probare quam sincera esset eorum conversio. Verum numquid omnes, non dico Christiani, sed christianæ religionis defensores statim a conversionis suæ initio libros scripserunt, quibus fidei suæ certius darent pignus et monimentum? Nemo sane id dixerit. Deinde vero Cyprianus antequam hunc librum edidisset, satis et scripto et facto probaverat fidei suæ integritatem. Jam enim ad Donatum, uti fatentur, *scripserat librum*, quo susceptæ a se religionis christianæ *rationem* palam reddidit. Certissimum præterea dedit illius pignus, cum adhuc catechumenus tanto christianæ perfectionis ardore inflammatus est; ut prædiis suis omnibus venditis, collectam inde pecuniam pauperibus distribuerit. Quid ergo necesse amplius erat, ut edito altero libro satis superque probatam fidem suam denuo comprobaret?

Secunda illorum, qui hunc librum a Cypriano nuperrime christiano confectum fuisse existimant, conjectura hinc capitur, quod ille verbis minime Christianis hoc in libro usus est, quemadmodum istis : « Regna..... sorte variantur; » et postea de Christo ad vitam revocato, « Ad superos denuo regredi (*Cyprian. de Idolor. Vanit. pag.* 13 *et* 16). Plures quoque, inquiunt, Cyprianus profanas historias congessit, nec citavit sacræ Scripturæ testimonia, quæ aliis in libris affatim, ac nonnumquam, uti adhuc aiunt, sæpius quam par erat, retulit. Denique totus hic liber iis compositus est, quæ ex *Minucii*

Digitized by Google

Felicis et Tertulliani libris de verbo quandoque exscripsit ad verbum. In aliis autem ejus libris nihil prorsus simile videmus. Omnibus porro hisce rationum momentis putant recte confici hunc librum a Cypriano divulgatum fuisse, quam primum christianæ religioni nomen suum dedit.

Sed qui ita argumentantur nescire non possunt nomen *sors* in sacris et Veteris et Novi Testamenti Scripturis (*Numer. cap.* XXVI, 33 *et* 36; *Josue, cap.* XVI, XVII, etc.) eodem atque a Cypriano sensu frequenter accipi. Quid etiam in iis de Christo verbis, « Ad superos regredi, » minus christianum, quam in istis ipsiusmet Christi : « Vos de deorsum estis, ego de supernis sum, » id est, supernis, seu superis sedibus (*Luc. cap.* I; *Actor.* I, etc.; *Joan. cap.* VIII, ỳ. 23) ? Dixit porro Cyprianus Christum a mortuis excitatum « regredi ad superos, » non quidem deos sed terram, inferis, ad quos mortuus descenderat, superiorem. Ad historias autem profanas quod spectat, nonne iisdem aut similibus Tertullianus et Minutius Felix, nonne Arnobius et Lactantius, nonne alii Christianorum vindices contra ethnicos disputant? Nemini porro mirum videri debet, quod in hoc libro, quem festinanter scripsit, plura delibaverit ex Tertulliano et Minutio Felice, quod nulla Scripturæ sacræ testimonia expresse proferat, quod in eo non tam eleganter, quam in aliis loquatur, nec sua tandem, quod per otium ipsi non licebat, sed aliorum argumenta, et aliquando verba mutuatus sit.

Quanta enim festinatione hunc librum composuerit, hinc conjice quod ea quæ in secunda illius parte, tametsi duabus aliis breviore, scripta sunt, in meliorem poterant ordinem facile redigi. Præterea ubi de terrenis disserit regnis, ibi adverbium *cæterum* paucas inter lineas ter repetit. Primo enim : « Cæterum regna, inquit, tenuerunt Assyrii (*Cyprian.* pag. 14). » Et post duas lineas : « Cæterum si ad ordinem redeas. » Denique paulo post : « Cæterum et Regulus auspicia servavit (*Ibid.* pag. 13). »

Cum ergo hunc librum magna celeritate conficere coactus fuerit, nonne id indicio esse potest ab illo fuisse editum, quando persecutionis fugiendæ causa Carthagine secessit? Tum enim pastoralis officii sui esse censuit Christianos in fide corroborare, refellere gentiles, ac temerarios comprimere impetus Demetriani, qui sicut in superiori capite diximus, sæpius ad eum, nec aliam profecto ob rationem venerat, nisi ut clamosis vocibus falsam religionem suam tueretur. Verum de his nostris, et aliorum conjecturis peritiores judicabunt. Nihil quippe omnino certi occurrit, quo vera hujus commentationis ætas assignetur. At certius sane de illa judicium ferri posset, si genuinam ejus inscriptionem, et initium minime dubium haberemus.

ARTICULUS IV.

De hujus libri manuscriptis et editis codicibus ac variorum in illum notis.

Plures hujus opusculi codices, a variæ ætatis librariis exarati, in diversis bibliothecis reperiuntur. Quatuor autem ad manum habuimus, Colbertinum antiquiorem ante annos 800 descriptum, et paris antiquitatis Corbeiensem, nunc vero Sangermanensem, tertium vero Tarniensem, uno sæculo his posteriorem, quartum tandem Colbertinum alium ante annos 300 scriptum. Alios vero plures ad novam operum Cypriani editionem adornandam collegit Baluzius, quorum hunc nobis dedit indicem. Quatuor priores annorum 800, nimirum Pithœanus, sancti Cornelii compendiensis, sancti Martini Turonensis, sancti Remigii Remensis. Unus annorum 700, monasterii sancti Michaelis in periculo maris. Duo 600 annorum, sancti Mauri Fossatensis et Baluzianus. Tres annorum 500, quorum primus monasterii sancti Petri in pago Nivernensi, secundus S. Victoris Parisiensis, et tertius beatæ Mariæ de Lætitia. Quinque alii codices annorum 400. Baluzianus, alter Bohieranus, Sorbonicus, sancti Eligii Atrebatensis et sancti Victoris Parisiensis. Quatuor tandem annorum 300 vel 250, sancti Dionysii Remensis, sancti Cornelii Compendiensis, Gratianopolitanus, et Domini de la Moignon præsidis infulati senatus Parisiensis.

Quod autem ad hujus libri editiones attinet, eædem illæ sunt ac aliorum simul excusorum, quas supra recensuimus. Nihil itaque necesse est ut longius de iis deducatur orationis filum.

Notas vero et observationes iidem in hunc, qui in superiorem librum composuerunt. Erasmus vero unam in eum edidit; quæ sicuti jam diximus, titulum et initium hujus opusculi spectat. Novem autem supra septuaginta Pamelius scripsit, ac quadraginta novem primis ea explanat, quæ in prima hujus libri parte ad evertendam falsam gentilium religionem a Cypriano proferuntur. Breviores vero sunt reliquæ in duas alteras ejusdem libri partes, quibus ab eodem Cypriano explicatur ac stabilitur Christianorum de Deo et Christo Domino sententia.

Omnes porro has animadversiones Goulartius in adornata a se Cyprianicorum Operum editione totidem verbis recudi curavit. Nihil autem iis de suo addidit, nisi antiquissimum esse idololatriæ scelus, quod a Noe posteris, post diluvium a Dei cultu recedentibus, ortum esse existimat. Ubi enim in Genesis, inquit, libro Rachel idola patris sui subripuisse dicitur (*Genes.* cap. XXXI, v. 19 et 34), de iis tamquam tum vulgatis et communibus sermo factus est. At certe alii longe antiquiorem fuisse idololatriæ originem opinantur, quemadmodum alibi ostendimus (*Tom.* I *Apparat. pag.* 720, *et seq.*).

Observationes dehinc a Rigaltio profectæ ad textum variis veterum codicum lectionibus emendandum conducunt. Nonnullis vero aliis verba Cypriani explicare, aut aliis veterum Scriptorum testimoniis enodare et confirmare conatus est.

Oxoniensi porro editioni præfectus notas duplicis generis, quemadmodum in superiorem et alias Cypriani lucubrationes adornavit. Primis autem exhibet diversas antiquorum quorumdam codicum collec-

Digitized by Google

tas a se lectiones, vel sibi ab aliis transmissas. At secundis satis certe prolixis ea enucleat, aliorumve auctoritate comprobat, quæ in prima hujus libri parte contra fictitios gentilium deos dicuntur: in aliis autem longe brevior est.

CAPUT VI.

NOVÆ IN HUNC LIBRUM OBSERVATIONES.

ARTICULUS PRIMUS.

De iis, quæ Cyprianus ex Tertulliano et Minucio Felice excerpsit, ac quomodo duobus aliis in libris ea sacræ Scripturæ testimoniis probaverit, quæ in isto de Judæis, Christianis, et Christo Domino breviter enarrat.

Tres sunt hujus libri partes, quarum primam et secundam, sicuti diximus, Cyprianus ex Minucii Octavio, tertiam ex Apologetico Tertulliani, ei utriusque iisdem aliquando, ac hujus potissimum verbis decerpsit (*Tertullian. Apologet.* cap. XXI, pag. 21). Quæ autem ex Minucio delibavit, hæc pleraque omnia in nostra de illius Octavio dissertatione simul retulimus. Alia vero, quæ ex Tertulliano præceptore suo mutuatus est, ea in superiori nostra dissertatione enucleata sunt (*Dissertat. in Minuc. cap.* II, *art.* 6, *et in Tertull. cap.* IX, *art.* 2. *et seqq.*). Neque tamen omnia et singula ex uno potius, quam alio decerpsisse nobis videtur. Nemo enim nec certo, nec facile affirmare potest utrum ea, quæ ille in prima hujus libri parte de dæmonibus tradidit, ex Minucio Felice, potius quam ex Tertulliano hausta fuerint. Si quis porro curiosius indagare voluerit ubinam in dissertationibus nostris delibata ex utroque Cypriani loca explicare contendamus, hæc in capitum summariis, aut generali totius libri nostri indice, designata haud difficiliter reperiet. Nihil itaque opus est hæc singulatim recensere, quæ plerisque tædio, nec multis magno usui esse possunt.

Quia etiam illa fere omnia, quæ in hac Cypriani commentatione difficilia vel obscuriora occurrunt, in iisdem nostris dissertationibus enodare, illustrare, ac complanare conati sumus, inutilis pariter operæ foret nostras nunc repeti et recudi observationes. Quamobrem ea tantum attingemus, quæ auctori nostro peculiaria sunt, nec sine animadversione aliqua præterire debemus.

Primum itaque adnotandum est ea, quæ Cyprianus in tertia hujus libri parte de Judæis, ob sua scelera a Deo abdicatis, de suffectis in eorum locum Christianis, de Christo Deo et homine, mortalique ejus vita tradidit, hæc pluribus sacræ Scripturæ testimoniis in duobus illius ad Quirinum adversus Judæos libris luculenter demonstrari (*Cypr. lib. de Idolor. Vanitat.* pag. 15 *et seqq.*). Et certe in illorum procemio sic ille præfatur: « Complexus sum libellos duos, pari æqualitate moderatos, unum quo ostendere enisi sumus Judæos secundum ea, quæ fuerant ante prædicta, a Deo recessisse, et indulgentiam Domini, quæ sibi jam pridem data, et in posterum promissa fuerat, perdidisse: successisse vero in eorum locum Christianos, fide Dominum promerentes, et de omnibus gentibus ac de toto orbe venientes. Item libellus alius continet Christi sacramentum, quod idem venerit, qui secundum Scripturas annuntiatus est, et gesserit ac perfecerit universa, quibus intelligi et cognosci potest quod ipse sit, qui prædictus est (*Idem edit. Judæ, procem.* pag. 18). » Duobus itaque his libris Martyr sanctissimus iis satisfecit, qui desiderare poterant, ea testimoniis sacræ Scripturæ probari, quæ in hoc de iis omnibus breviori expositione tradidit.

ARTICULUS II.

Quam luculenter Cyprianus asserat orthodoxum de suprema Christi divinitate, et sanctissimæ Trinitatis mysterio documentum.

Non sine observatione aliqua prætermittere nobis licet quam manifeste Cyprianus supremam Filii Dei, Christi Domini, divinitatem asserat, et prædicet. Postquam enim variis rationum momentis, quæ in superioribus nostris dissertationibus examinata sunt, evidentissime adversus ethnicos probavit unicum et omnipotentem esse Deum, hæc de Christo pronuntiat: « Hic Deus noster, hic Christus est. » (*Cyprian. de Idolor. Vanitat.* pag. 15.) Cum ergo prius contra universos gentiles demonstraverit unum tantummodo esse Deum, nunc vero dissertissime asseveret Christum etiam Deum esse, hinc necessario sequitur illum et alios omnes suo tempore Christianos credidisse eamdem esse Christi atque æterni Patris ejus *divinitatem*. Si his namque verbis significare voluisset *illos* duos esse Deos, aut alium alio potentiorem, jugulum præbuisset adversariis suis gentilibus, qui plures deos, et Jovem aliis potentiorem esse venditabant. Christum itaque verum et unum cum Patre suo Deum esse asseveranter affirmat. Quamobrem ulla absque hæsitatione ibidem adjecit: « Hic est virtus Dei, hic ratio, hic sapientia et gloria; » et paulo ante, « Sermo et Filius Dei (*Ibid.*) » Atqui virtus, ratio, Sermo, et Filius Dei, ejusdem ac ipse æternus *illius* Pater, est naturæ, substantiæ, et æternitatis, quemadmodum in superiori dissertatione demonstravimus (*Dissertat. in Tertull. cap.* VIII, *art.* 1 *et seqq.*).

Præterea haud dubitanter pronuntiat Christum ideo a morte ad vitam revocatum, « ut vim divinæ majestatis ostenderet (*Cyprian. ibid.* pag. 16). »

Quamnam autem ostendere poterat divinitatem, nisi hanc ipsam quam antea, et semper habuit? Itaque cum non aliena, sed propria sua virtute ad vitam regressus est, tum ostendit se semper habuisse vim divinæ majestatis, hoc est, eamdem cum Patre suo divinitatem.

Neque hoc tantum in libro, sed in sua etiam ad Cæcilium epistola semel et iterum ab eo dicitur, « Jesus Christus dominus et Deus noster (*Idem, Epist.* 63, *ad Cæcil., pag.* 148 *et* 135). » Alibi vero, ubi de secundo illius in fine mundi adventu disserit, ibi docet eum prænuntiari his Psalmographi verbis: *Deus manifeste veniet, Deus noster et non silebit*, atque istis

Digitized by Google

etiam Isaiæ : *Dominus Deus virtutum* prodibit. Postea- A quam autem id probavit, hanc infert conclusionem : « Hic est Deus noster, id est, non omnium, sed fidelium et credentium Deus, qui cum in secundo manifestus adventu venerit, non silebit. » (*Idem de bono Patient., pag.* 220. *Psal.* XLIX, v. 3. *Isai.* cap. 42, v. 13). At quo, amabo te, pacto tam sæpe et toties dixit et repetivit Christum esse Deum, nisi pro certo penitus habuerit hanc esse et eorum, ad quos scribebat, et cæterorum, exceptis hæreticis, Christianorum sententiam?

Verumtamen non ibi ille stetit, ultraque progreditur, ac plane palamque declarat Christum in cœlos conscendisse, « ut per orbem discipuli, magistro et Deo monente, diffusi, præcepta Dei in salutem darent. » (*Cyprian. de Idolor. vanit. pag.* 16.) Videsne B quam discrte Christus ab illo dicatur non solum discipulorum suorum *magister*, sed *Deus* etiam, verus utique et idem ac Pater, quandoquidem plures dii, sicuti ibidem demonstraverat, esse non possunt? In secundo insuper adversus Judæos libro variis sacræ Scripturæ testimoniis luculenter probat illum verum esse, ac coæternum Patri suo Deum (*Idem lib.* II *advers. Jud.*, § 5 *et* 6, *pag.* 34 *et seqq.*).

Neque minus perspicue sancti Spiritus divinitatem, et orthodoxum de SS. Trinitate documentum in illa asserit et prædicat epistola, quam suo et collegarum suorum coepiscoporum, in synodo adunatorum, ad Jubaianum de hæreticorum Baptismate scripserat. Primum enimvero in ea definivit validum esse horum Baptisma : « Si eumdem Patrem, eumdem Filium, C eumdem Spiritum sanctum, eamdem Ecclesiam confitentur nobiscum (*Idem. Epist.* 73, *ad Jubaian. pag.* 200). » Postea vero, si quis apud hæreticos baptisatus, templum Dei factus est : « Quæro, inquit, cujus Dei? Si creatoris, non potuit, » ejus fieri templum, « qui in eum, » sicut Marcionista, « non credidit. Si Christi, nec hujus fieri potest templum, qui negat Christum Deum. Si Spiritus sancti, cum tres unum sint, quomodo Spiritus sanctus placatus esse ei potest, qui aut Patris, » quemadmodum Patripassiani, « aut Filii, » veluti Anthropiani, « et cæteræ, » ut ipse loquitur, « hæreticorum pestes, inimicus est? » (*Ibid.*) At cum ibi dixit tres illas sanctissimæ Trinitatis Personas esse unum, nonne ibi sequitur Tertullianum præceptorem suum, qui in suo, D sicuti in superiori dissertatione annotavimus, adversus Praxeam libro dixerat : « Qui tres unum sunt, non unus » (*Dissertat. in Tertull. cap* 8, *art.* 3). Quis ergo non videt eamdem esse utriusque de tribus divinis Personis, et una eademque illorum natura sententiam? Quomodo autem tres possunt esse unum, nisi quia tres divinæ Personæ unam habent naturam, qua tres illæ unus et idem Deus sunt?

Denique ille paulo post docet hoc Christi de gentibus in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti baptizandis præcepto juberi illas, « baptizari in plena et adunata Trinitate » (*Cyprian. ibid. pag.* 206). At quomodo Pater, Filius, et Spiritus sanctus possunt esse una et adunata Trinitas, nisi eadem sit illorum natura, et unus et idem sint Deus?

Neque ullus nobis objiciat subsequentia Cypriani verba, quibus aperte dixit Patrem a Christo appellari, « Dominum et Deum suum. » Nam ibi de illo loquitur, qui quatenus homo petit a Patre *clarificari*, et usque ad mortem ipsi obsecutus est. Apage igitur impii cujusdam Sociniani insulsissimas cavillationes, qui ex hoc et aliis nonnullis similibus loquendi modis inferre voluit negatam a Cypriano Christi divinitatem, quam tam sæpe quam aperte ac perspicue prædicavit.

ARTICULUS III.

De Christo homine, ac quo sensu dici potuerit, Spiritus sanctus carne induitur.

Pergamus, si lubet, ac videamus, quam dilucide planeque Cyprianus asseveret Christum non modo verum Deum, sed verum quoque esse hominem. Missus, inquit, fuit, haud dubie ab æterno Patre suo, « Illuminator et doctor generis humani, » quemadmodum antea « per omnes prophetas » prædictum fuerat (*Cyprian. de Idolor. vanitat. pag.* 15). Dixit quidem « omnes prophetas, » sed quia brevitati hac in lucubratione studebat, id non duxit fusius ibi probandum. At hoc utique data opera probavit in secundo potissimum adversus Judæos libro (*Idem lib.* II *adv. Judæ.* § 10, *pag.* 37). Ad illud insuper ea omnia conducunt prisci Testamenti testimonia, quibus, uti ille ostendit, prænuntiatum fuerat abrogandam veterem legem, et novam subrogandam, venturum Christum, et fundandam ab eo veram religionem (*Et lib.* I, *pag.* 17 *et seqq.*) Cum autem inficias nemo ire possit hæc omnia ad eumdem Christum, mortalemque ejus vitam spectare, hinc procul dubio Cyprianus collegit illum annuntiatum fuisse *per omnes prophetas*. Nam alii ejus adventum, alii plura, alii pauciora de illo prædixerunt. Plures porro de futuro Christo sacrorum vatum prædictiones in superioribus nostris dissertationibus, a Lactantio et Tertulliano citatas, exposuimus, et enucleavimus.

Tum dehinc Cyprianus : « Hic, inquit, sermo et filius Dei, in Virginem illabitur, carnem Spiritu sancto cooperante induitur. » Et ita quidem in editis et manuscriptis recentioribus quibusdam codicibus. In antiquiorum vero editionum margine hæc annotantur; « Alias carne spiritus induitur. » At quid, obsecro te, hac adnotatione aliud significatur, nisi hanc fuisse aliorum exemplarium lectionem. Et certe hæc ita scripta sunt non solum in Corbeiensi, seu Sangermanensi, et aliis, ut minus septem, vetustioribus, ac melioris notæ exemplaribus. In nonnullis vero « carnem Spiritu sancto; » in Tarniensi, « carne Spiritus sancti operatione induitur. » Vides sane quam diversæ sint hoc in loco codicum lectiones.

Sed quia hæc verba carne *Spiritus* (in quibusdam additum *sanctus*) *induitur*, duriora aliquibus videri poterant, in sancti Martini Tornacensis, et aliorum duorum a Pamelio citatorum, margine istud explicationis causa adjectum est : « Cum dicit, carnem Spi-

Digitized by Google

ritus sanctus induitur, non personam Spiritus sancti accipit, sed Filii, qui et ipse spiritus dicitur, juxta illud : Deus spiritus est. » Quæ quidem Pamelius in ipsum Cypriani textum ab Afflig. et Bland. codicum librariis intrusa fuisse testificatur.

Rigaltius vero tametsi priorem lectionem, *Spiritu sancto cooperante*, in Cypriani textum admiserit; eam tamen in notis suis, tamquam a sequentium ætatum subtiliore schola inventam, plane repudiat. Verum si spuria est, et ab acutioribus scholasticis conficta, cur illam in textu Cypriani reliquit? Qua etiam ratione aliam rejecit, quæ in antiquioribus exemplaribus, ipso fatente, reperitur, et quam probat posse hoc catholico sensu explicari : Spiritus sanctus, id est, persona filii Dei, qui spiritus est, carne induitur. Sed Rigaltio longe antiquior est hæc explicatio, quam paulo ante monuimus in trium veterum manuscriptorum marginibus, et duorum aliorum textu inveniri.

Verum quia Cyprianus hanc libri sui partem ex Tertulliano, sicuti diximus, potissimum delibavit, non inutilis forsitan operæ pretium erit si paulo accuratius expendamus utrum Magistri verba, huic Discipuli ejus loco lucem aliquam afferre possint. Dixerat autem Tertullianus : Verbum, sive Sermo Dei, « delapsus in Virginem quamdam, et in utero ejus caro figuratus, nascitur homo, Deo mixtus : caro spiritu instructa nutritur, adolescit, affatur, docet, operatur, et Christus est. » (*Tertullian. Apologet. cap.* 21, *pag.* 21.) Videsne hæc ab illo pluribus verbis tradita, quæ Cyprianus paucioribus reddidit? Utriusque igitur quoniam eadem mens, idemque sensus est, inquirendum sane quid « carnis et spiritus » nomine Tertullianus, ac proinde Cyprianus, intellexerit. At carnis nomine ille sæpius significare videtur totam humanam Christi naturam, qua in utero Virginis figuratus, « nascitur homo; » haud dubie quia evangelista scripserat : *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.* » (*Joan. cap.* 1, 14.) At si res ita sit, dicendum est Tertullianum « Spiritus, » aut sancti Spiritus nomine non quidem designasse tertiam SS. Trinitatis, sed secundam Verbi divini Personam, quæ revera spiritus et sancta est.

Verumtamen si aliquis conjecturæ locus nobis daretur, hanc tibi proponeremus. Nonne dici potest Tertullianum ibi « carnis » nomine solum Christi corpus, et *spiritus* vocabulo animam ejus indicasse : nam « caro, inquit, spiritu instructa, » id est, caro ejus, sive corpus spiritu, seu anima fuit instructum, et informatum. Quamvis enim hoc ipso *carnis* nomine totum hominem, id est, corpus et animam sæpius designet; hoc tamen non impedit quin sæpe etiam carnis nomine solum corpus intelligat. Quid namque in toto de Carne Christi libro aliud agit, nisi ut contra hæreticos ostendat non fictitiam et simulatam, sed veram ab eo assumptam fuisse carnem? At ibi *carnis* nomine solum corpus ejus denotare videtur. Eodem modo in subsequente libro de Resurrectione carnis disputando, illam animæ opponit (*Lib. de Resurrect. cap.* 8, *pag.* 330 *et seqq.*). Atqui in libro de Anima, diserte definit animam et spiritum hominis esse unum et idem (*Idem lib. de Anima cap.* 11, *pag.* 271). Nam ut plura omittamus : « Cum de anima, inquit, et spiritu agitur, ipse erit anima spiritus, sicut dies ipsa lux. »

Quid ergo vetat quominus in Apologetico dixerit Christi *carnem* in Virginis utero figuratam, et *spiritu* sive anima instructam, omnia effecisse humanæ mortalisque ejus vitæ opera. Verus autem si sit hic Tertulliani sensus, nonne dicere possumus hunc eumdem esse Cypriani sensum : Sermo Dei in Virginem illapsus, *carne spiritus*, id est, ejus anima *induitur*. Nec magni certe refert utrum post *spiritus*, adjectum fuerit *sanctus*. Quis enim nesciat sanctam esse Christi animam? Cæterum hanc explicationem iis tantum exponimus, qui conjecturis, quibus raro indulgemus, veniam aliquando dare possunt.

Denique auctor noster dixit : « Deus cum homine miscetur, » quod ex his adhuc delibavit magistri sui Tertulliani verbis : « Nascitur homo Deo mixtus. » Rursum autem cernis ab utroque eadem, sed diversis verbis enuntiari. At quomodo ea intelligenda sint, in superiore dissertatione patefecimus. (*Dissert. in Tertull. cap.* 9, *art.* 1.)

ARTICULUS IV.

De idololatriæ origine, et ridiculis quibusdam Romanorum diis, in dubio aut notho hujus libri fragmento notatis, ac de crudeli Consulum Romanorum initio.

Quæ adversus ethnicos de idololatriæ origine, ac falsis pluribus illorum diis Cyprianus disputat, ea omnia, quæ aliqua animadversione digna sunt, in superioribus nostris dissertationibus enucleare et illustrare connisi sumus. Paucissima itaque restant a nobis observanda. Ab ipso autem libri initio auctor noster nefarii falsorum deorum cultus *originem* a Saturno cum repetit, præceptorem suum, sicuti jam annotavimus, Tertullianum, sequitur. Paulo post vero gentiles Romanos, non secus atque idem Tertullianus et Minucius Felix, refellit, qui garriebant sua in deos pietate meruisse totius terræ orbis imperium. (*Cyprian. de idolor. vanitat. pag.* 13. *Dissertat in Tertull. cap* 25, *art.* 1. *Dissertat. in Minuc., cap.* 18 *et* 19, *et in Tertullian. cap.* 27, *art.* 3 *et seqq.*). At ibi in Rigaltiana, Oxoniensi, et quibusdam aliis editionibus hæc leguntur : « Acca Flora meretrices. In tantum vero deorum vocabula apud Romanos finguntur, ut sit apud illos et Viduus deus, qui anima corpus viduet, qui, quasi feralis et funebris, intra muros non habetur, sed foris collocatur, et nihilominus quia extorris factus, damnatur potius Romana religione, quam colitur. Est et Scansus ab ascensibus dictus, et Forculus a foribus, et a limitibus Limentinus, et Cardea a cardinibus, et ab orbitatibus Orbona. Hi dii Romani. » (*Cyp. ibid. pag.* 12 *et* 13.) In nostris autem codicibus hæc tantum habentur : « Acca et Flora

Digitized by Google

meretrices. Ili dii Romani ; » cætera vero omnia desunt, quemadmodum in editionibus anno 1540, 1541, 1561, 1593, divulgatis. Fatetur quoque Oxoniensi editioni præpositus ea in probatissimis exemplaribus desiderari, iisque perturbari Cypriani sensum. In ejus tamen textu illa idcirco retinuit, quia, inquit, in Beneventano codice, Veronensi, uno saltem ex quatuor Vossianis, et Corbeiensi leguntur. Sed quid de tribus primis, quos aliena fide citavit, nec nos vidimus, dicendum sit, nihil quidem scire potuimus. At hoc certe scimus hæc omnia in Corbeiensi, sive Sangermanensi, quem præ manibus habemus, non reperiri. Mirum itaque quomodo hæc nec pauca quidem verba in tot codicibus, qui varia ætate, et in diversis regionibus scripti sunt, omitti potuerint. Nonne ergo hæc purum putumque additamentum satis redolent ? Sed hujus difficultatis nodum solita sua sagacitate solvet haud dubie clarissimus vir Stephanus Baluzius, qui tot, sicuti diximus, consuluit manuscriptos codices, quos videre nobis non licuit.

Verum quamvis hæc notha plane et adulterina sint verba, nonnulli tamen a nobis forsitan sciscitabuntur, quinam illi dii fuerint. Quamobrem his, si qui erunt, curiosis hominibus respondebimus de Forculo, Limentino, Cardea, et Orbana jam a nobis actum in nostra de Arnobii libris dissertatione. (*Dissert. in Arnob. cap.* 13, *art.* 5 *et* 6.) Ibi vero plane ostendimus hæc numina a Gentilibus in illorum numero reponi, quos singulis quibusque rebus præfici somniaverant. Tales etiam erant Viduus et Scansus satis perspicue in notatis hujus, de quo agimus, libri editionibus descripti. Sed plura de ridiculis hisce omnibus diis Augustinus ex Varrone retulit, quem adire cuilibet facillimum est. (*Aug. lib.* IV *de Civ., cap.* 8, *pag.* 93 *et seq. et lib.* VI, *cap.* 9, *pag.* 150.) Denique Cyprianus ostendit nec datum Romanis, nec auctum imperium propter illorum in fictitios deos suos pietatem. « Etenim consulatum, inquit, cepisse videmus, ut regnum. Filios interficit Brutus, ut crescat de suffragio sceleris commendatio dignitatis. » (*Cypr. de idol. Van. pag.* 13.) Omnibus autem nota est historia Tarquinii Superbi, qui a Romanis regno pulsus fuit. Brutus vero primus postea consul filios suos, uxorisque suæ fratres virgis cædi, et plecti capite propterea jussit, quia de Tarquinio reducendo cum aliis conjuraverant. Testem ea de re si quem desideras, citatum habes ab Augustino Virgilium, cujus hæc sunt carmina :

Vis et Tarquinios reges, animamque superbam
Ultoris Bruti, fascesque videre receptos ?
Consulis imperium hic primus sævasque secures
Accipiet, natosque pater, nova bella moventes,
Ad pœnam pulchra pro libertate vocabit.
(Virgil. lib. VI *Æneid.* v. 812 *et seq.*)

Plura si cupias, adi Servium, in hos Maronis versus ; Titum Livium ; Dionysium Halicarnasseum, Valerium Maximum, et alios Romanæ historiæ scriptores. Pluribus porro aliis rationum momentis Cyprianus evidenter convincit quam falsa et absurda sit Romanorum jactatio, qua suam in deos suos propter pietatem, fundatum et ad ultimos orbis terræ partes propagatum imperium suum effutiebant. (*Aug. lib.* III *de Civit. cap.* 16, *pag.* 72; *Livius, lib.* II *init.* ; *Dionys. Halicarn. lib.* V *Antiq. Roman. Val. Max., lib.* V, *cap.* 8 § 1.) Sed hæc argumenta in superioribus dissertationibus nostris, nisi plane fallimur, satis explicata sunt. (*Dissert. in Minuc. cap.* 18 *et* 19, *et in Lactant. cap.* 32, *art.* 1 *seqq. et in Tertull. cap.* 27, *art.* 3 *et seqq.*).

CARMEN AD FELICEM,

DE RESURRECTIONE MORTUORUM.

(*E Veterum Scriptor. et Monum. amplissima Collectione, tom.* IX.)

OBSERVATIO PRÆVIA

D. EDM. MARTENE.

Quod in hujus tomi limine collocamus Carmen de Resurrectione mortuorum, S. Cypriani nomen præfert in pervetusto codice Corbeiensi ante annos nongentos litteris majusculis exarato. Quis autem sit ille Cyprianus, haud facile est divinare. Nam quominus celeberrimo illi Carthaginensi episcopo et martyri, cujus egregia scripta suavissime leguntur, illud attribuamus, obstare videtur oratio nimis salebrosa, et violatæ frequentius metri leges ; tametsi sententiæ graves et nervosæ ab eo minime abhorreant, nec tanto doctore indignæ judicentur. Sed neque ætas auctoris a Cypriani Carthaginensis ævo distare videtur. Nam si eo antiquior non sit, subæqualem saltem fuisse complura evincunt. Certe eo se præsertim tempore vixisse, quo

Digitized by Google

vigebat adhuc idolorum cultus, his insinuat versibus, quibus impios in extremo judicio conscientiæ stimulis agitatos inducit, eumdem idolorum cultum detestantes :

Illic quisque suæ fatebitur effera vitæ.
Jam primum quicumque Deum male censerat ante,
Et vaga mentitio coluissent numine saxa,
Atque cruentatas igne sacraverat aras,
Et picturatas timuit sine voce figuras, etc.

Floruisse etiam turbulentissimis nascentis Ecclesiæ temporibus, quibus Verbi sacri præcones crudeli neci tradebantur, ac fidem Christi quam prædicabant sanguinis effusione testes invicti obsignabant, satis demonstrat, cum tyrannorum in Christianos immanitatem his verbis redarguit :

Vos tamen hunc Dominum cœli terræque negastis,
Et justos potius crudeli cæde necastis,
Præconesque Dei plerique sæpe fugastis,
Veritas in vobis pro crimine semper inhæsit.

His adde, quod Millenariorum de terreno Christi regno post resurrectionem haud obscure insinuat opinionem, quæ vix sæculi tertii finem attigit. Sed neque minus antiquitatem sapit, quod, petitis undique argumentis, insanos ævi sui philosophos futuram corporum resurrectionem negantes, hoc carmine impugnasse a vero non est absimile.

Erit forte qui carminis hujus auctorem faciat Cyprianum, ex mago Christianum, deinde Antiochiæ in A Phœnicia episcopum et martyrem, cujus acta tribus libris a coævo scriptore distincta primi edidimus tom. III, nostrorum Anecdotorum. Verum ille non latine, sed græce scripsisset.

Cæterum hujus opusculi pretium probant asserta in eo præcipua christianæ religionis dogmata, peccatum originale, Baptismi necessitas, Trinitatis mysterium, mortuorum Resurrectio, quæ sane tanti visa sunt in antiquissimo auctore, ut ab eo edendo minime deterrere potuerit oratio ejus subbarbara, quæ etiam ab imperito librario licet antiquissimo excerpta, adeo depravata est, ut sæpe hærere necesse sit, neque propterea, credimus, conquerentur eruditi viri frustra nos operam nostram collocasse.

Hæc postquam scripseram, sequens adverti carmen editum ad calcem Tertulliani operum fuisse : B quod cum ibidem legissem, et cum ms. nostro contulissem, audacem deprehendi editorem, qui violatas a Cypriano, quicumque ille est, metri leges humilemque stylum impatienter ferens, opusculum istud elegantioribus versibus reddere conatus est, et sic non Cypriani, sed suam publici juris lucubrationem fecit. Quapropter cum vel ipsa errata in antiquis scriptoribus venerari soleant viri eruditi, operæ pretium duximus idem carmen quale ab auctore prodiit, suæ restituere sinceritati.

Qui mihi ruricolas optavi carmine musas,
Et vernis roseas titulavi floribus auras
Æstivasque graves maturavi messis aristas,
Succidi tumidas autumni vitibus uvas,
Et hiemis placidas laudare semper olibas,
Atque modulatas exclusi fontibus undas,
Frondentesque vago cecini de gramine sylvas :
Protinus æthereas modulabor luminis auras.
Jam mihi luciferas liceat contingere musas,
Pandere secretas fluviali vertice nymphas,
Et lætas alio positas sub sidere silvas
Æternasque simul memorabor carmine musas.
Unde mare tumidas immensum fluctuet undas,
Quæ virtus moneat solidas tremiscere terras;
Et lux unde novo præfulserit aurea mundo.
Quis hominem læto potuisset fingere limo,
Unde genus vacuo potuisset crescere sæclo,
Et varia populo quæ sit vivendi cupido,
Quæ creata malo primum moriendi propago,
Unde bonus roseis odorque pudorque coronis.
Quid faciat lætis ut vitis æstuet uvis,
Utque nova veteris lactescat hordea culmis,
Arbor et ut glaciem nigris pubescat olibis,
Germinibus variis quis decrementa viroris,
Mollibus et matrem filiorum protegat umbris.
Omnia nosse bonum quæ sint incepta ramorum,
Ut liceat per cuncta Deum agnoscere verum,
Qui lucem, maria, cœlum, terramque paravit,
Ornavitque novum variando sidere mundum.
Et pecudes primum, volucres procedere jussit,
Et dedit æquoreas complere piscibus undas,
Atque fœcundatas animalibus egit arenas.
Talia compositis deducam carmina musis,
Salubremque vobis exponam fontibus undam;
Et lætum placidis venientem nubibus imbrem,
In animas hominum penitus utroque fluentem,
Excipiam plenis in nostra novalia rivis.
II. Nunc age securam vivamque attingere lympham,
Et celeres vitæ facilem haurite liquorem.
Si qui velit pœnas æternæ evadere flammæ,
Ignarusque diu venturique inscius ævi,
Et justæ potius adipisci præmia vitæ,
Hunc unum meminisse Deum, solumque precandum,
Qui totum in libra posuit sub limine mundum,
Æternumque manens, semperque futurus in ævum
Sæcula cuncta tenens, et ante omnia sæcula solus,
Ingenitus sine fine Deus, thronumque divinum
Solus habens, cœlo semper supereminet alto.
C Omnipotens solus, cui parent omnia rerum,
Pater, Filius, Spiritus, qui sunt semper in unum.
Qui sibi complacitum hominem formavit in ævum,
Pastorem pecudum, dominum dedisse ferarum,
Jusque dedit volucrum, pontumque solum dominandum.
Qui sermone tenus potuit extendere cœlum,
Et solidam verbo jussit suspendere terram,
Ac dicto citius separavit æquoris undam,
Hanc manibus caram dilexit fingere formam,
Decoramque suam voluit inesse figuram.
Spiritu vivificam afflavit vultibus auram.
III. Immemor ille Dei, temere committere tanta.
Nec ultra monitum quicquam contingeret, unum
Unde malum sciret, et unde dignosceret æquum.
Protinus illicitum vetuit contingere pomum.
Quanta Deus homini permisit munera mundi.
Et prædulce sui signavit pignus amoris;
Utilia cara tribuit mandata salutis,
Sub ditione dedit terras animamque viventem,
Pennatumque genus, pecudes, gœnus omne ferarum,
Et genus æquoreum, animalia cuncta natanta.
Sed quoniam primo transgressus crimine legem,
Jamjam primus homo Domini mandata mutabat,
D Conjuge cuncta mala suadente, morte peribat.
Nam peccati malum commisit femina primum,
Prodidit, atque suum decepit lege maritum.
Eva persuasa male patefecit limina letho,
Et sibi cum genere creavit funera toto.
Hinc nefas incautum, mors emanavit in ævum.
Inde magis facinus facile præcrebuit altum,
Agricolæque labor agitavit sævius annum.
Callidus hoc zelo serpens injecit iniquo.
Inde magis populi multa commissa malorum,
Et nefanda malis pepererunt semina factis.
IV. Idcircoque Deus solus, cui summa potestas,
Et super alta tenens summa fastigia cœli,
Altus inaccessam habitans in sæcula lucem,
Præteritique memor, et præscius ante futuri,
Progeniem meriti decretum servat in ævum,
Et cunctas animas quæ corpora tarda gubernant,
Et ratione movent homine vagante per artus.
Ut primo posito membrorum pondere cedunt,

Digitized by Google

Terrenisque leves resolutæ nexibus ibunt,
Ac proprias reptent diversis partibus orbis.
Illicet occultis alias includi tenebras,
Ast alias lætis revocare protinus auris,
Servari penitus decreta ad præmia legis,
Donec iterum mortis resurgant corpora membris.
Nunc homines primæ pensare fœnora vitæ,
Judicisque Dei memores adstare priorum;
Exspectare suam suo quemque ex crimine pœnam.
Funditus aut pecorum sine nomine, pondere, flatu,
Incassumve Dei finiendo fundere flatum.

V. An Deus omnipotens, cujus sub nutu reguntur
Omnia, non valeat post mortem reddere vitam,
Aut aliquid rerum Dominus non posse videtur?
Si potuit tenebris claram excludere lucem,
Atque omnes verbo potuit componere moles,
Omnia de nihilo illius potente voce parare,
Cur non ex aliquo possit compingere notam,
Quæ fuerat quondam, quæ vixerat ante figuram,
Similemque suæ jubeat resurgere formam?
Cum sint cuncta Dei, reddent magis omnia, tellus
Jussa revocabit quidquid contexerat olim;
Si quem forte rogis abolevit flamma sopitum,
Aut aliquem cæcis dejecerat æquor in undis;
Si cujus tamen satiaruut viscera pisces,
Aut finxere feræ crudelia funera membris,
Alitibus jacuit raptato corpore sanguis,
Ultra nec Domino negabunt funera quemquam,
Apparare Deo vivos de morte necesse est,
Resumptisque suis homines adstare figuris.
Semina sic versis credentur arida terris,
Et penitus fixis putrescunt mortua fulcis,
Inde reparatis animatur culmus aristis,
Et iterum vivis flavescuut fortia granis,
Consurguntque novæ vario cum fœnore messes.
Sidera cuncta cadent, iterum renata lucescent,
Et dies in densa moritur cum lumine nocte;
Occidit inque diem nox, rebus luce quiescit,
Ac dies alta suis iterum resurget in astris.
Solque cadet, splendoriferque lumine claro
Lux perit umbrato venienti vespere mundo,
Et remeat toto renovataque gaudia sæclo,
Sic cremata suo vivit de funere phœnix,
Extemploque suo volucris resurgit e busto.
Enudata foliis suo tempore fructicat arbor,
Atque iterum pomis curvata ex germine ramis.

VI. Ergo ut ad vocem mundo tremente divinam,
Et penitus motis virtutibus aeris alti:
Tunc fragor insolitus, et maxima murmura cœli,
Promovente Deo, veniente judice mundi,
Protinus innumeris concurrunt ire ministris,
Convallantque Dominum cum majestate sua cœlesti,
Angelica late descendunt agmina terris.
Omnes nuntii Dei quibus est divina facultas,
Precibus et forma virtutis spiritus omnis.
Igneus his vigor est, rutilantia corpora cœli,
Vis divina micat, hinc tellus universa remugit,
Hinc trepidans terra penitus universa remugit,
Parturiens homines quos reddere justa jubebit
Mirantur comites, turbantur denique nimbi,
Astra mirata pavent subitæ virtutis ab alto,
Hic jubente Deo facile cum voce potentis
Continuo ruptis per omnia regna sepulcris,
Omnis humus latis effundit hiatibus ossa,
Viventesque parens populos eructat arena.
Hærent membra comis, nectuntur ossa medullis,
Consertique regunt spirantia corpora nervi,
Et simul infusæ moventur sanguine venæ.
Dimissæque cavis animæ redduntur apertis,
Organaque sua repetunt surgentia quæque.
Proh miranda fides! hinc omnis pullulat ætas.
Pullulat antiqua mortuorum pulvere turba,
Matres atque viri repetita luce resurgunt,
Magnanimi juvenes, pueri, nuptæque puellæ,
Defunctique senes animis viventibus adstant,
Infantumque gemens resonat vagitibus orbis.
Cum variæ gentes veniunt de sedibus imis,
Eoumque manus et quas videt ultima tellus,
Quæ colunt medias devexo in climate zonas,
Ripheasque tenent pruinosi sideris arces
Omnis adest pavidus finis cujusque colonus,
Rusticus et miles, posito diademate reges,
Pauperi permixtus æquali in agmine dives,
Altus ubique tremor, precibus nunc ingemit orbis,
Tendentesque manus populi clamare mirantur.

VII. Ipse se Dominus eminenti lumine clarus,
Et præpotens cunctis micat in virtutibus ignis,
Excelsoque throno cœlesti sede coruscat,

A Martyribus septus numero candente virorum,
Beatisque suis comitantibus vatibus exstat,
Clara quibus niveis effulgent tempora tænis.
Jamque sacerdotis nitidis in vestibus adsunt,
Gestantes rutilas præmia vitæ coronas,
Summissique omnibus genibusque reflexis adorant.
Solus agios sanctusque Deus, vox omnibus una est,
Hinc Dominus geminam jubebit sistere plebem,
Imperat et justos numero discerni malorum,
Indutosque jubet devicta morte vigorem,
Semper inextinctas habere luminis auras,
Ire per antiqua semper florentia regna,
Ditia per nemora, semper amœna vireta,
Degere perpetuam præclaro in corpore vitam.

VIII. Est locus Æolliis Domino dilectus in oris,
Lux ubi clara, spiratque salubrior aura,
Æternamque dies atque immutabile tempus,
Et secreta Deo regio, ditissima campis,
Beataque nimis sereno in cardine sedes,
Semper aer lætus, semperque in luce futurus
Lenis, et aspirant vitalia flamina ventis.
Omnia fert æqua solo prædivite tellus.
Florea libratis conflagrat purpura pratis.
B Omnia prærutila miscent non invida lucem,
Flos alium lætus suo lumine vestit amictum.
Hinc rosea niveo variantur semine rura,
Et roseis nivea crispatur floribus aura,
Nescia illa quibus suavescant pulchrius arva.
Quis melior specie, vel plus præcellat honore.
Numquam florigenis similes nascuntur in hortis,
Lilia nec nostris floruerunt talia campis,
Nec sic nota rubet, mox ut rosa panditur arva,
Purpura nec Tyrios sic est incocta rubore,
Gemma coloratis fulget speciosa lapillis,
Prasinus inde nitet, illic carbunculus ardet,
Smaragdus lapsis micantia lumina fundit.
Hic et odoriferis nascuntur cinnoma virgis,
Et viridi læto folio conflagrat amomum.
Hic jacet ingenitum radiati luminis aurum,
Et nemora alta tenent florentia vertice cœlum,
Virentesque gravant uberrima germina ramos.
Nulla suos similes porrexit India lucos,
Non ita densa levat viridis cacumina pinus,
Nec vernus melius floret cum tempore ramus.
Nec sic alta comas crispat vibrata cupressus,
C Hic abietes clusæ florent in vertice nigræ,
Æternumque virent solæ sine grandine silvæ,
Nulla cadunt folia, nullusque flos tempore desit,
Rubore compacta virent cacumina, purpura arbor.
Sed puto flos ille rosa est, rubor æquus in illo.
Sic speciem talem foliis aspirat odorem.
Stat cum flore novis arbor pulcherrima pomis,
Vitalemque frugem felicita robora densant.
Metella viridantis conflagrant pinguia ramis,
Lac etiam plenis manat potabile rivis.
Vitam spirat ibi quidquid pia terra virescit.
Beatosque simul quidquid de germine floret,
Atque solum pulchræ redolent medicabile cretæ.
Fons illic placidus perfundit gramine campos,
Quatuor inde rigant partitam flumina terram.
Ver puto semper agit vestitus floribus æther.
Non frigus variat hiberni sideris auras,
Nec radiata micat pressis caloribus æstas,
Cœlum luce sua serenas temperat auras,
Et reficit fœtam meliorem flamine terram.
Nox ibi nulla, suas defundunt astra tenebras.

IX. Iræque insidiæque absunt, et dira cupido,
D Exclususque metus, pulsæque a limite curæ.
Hinc malus extremas relegatur exul in oras,
Beatosque labor, veritusque contingere fines,
Illic prisca fides electa in sede quiescit,
Justitia gaudens æterno in fœdere vivit,
Et secura salus placidis lætatur in arvis,
Semper victura, semper in luce futura.
Hic quicumque pius æqui bonique colonus,
Quique Dominum metuit innoxia mente Tonantem,
Atque suos coluit sacra pietate parentes,
Et coluit sanctam semper sine crimine vitam.
Aut inopem quotiens opibus solatus amicis,
Atque laborantes nimium subvenit egenos,
Pauperis adjutor, solitos solvere pupillos,
Eruit et nocitos, subvenit crimine pressis,
Hospitibus caræ tribuit sua pignora mensæ,
Omnia divinis gessit sua munera jussis,
Non aliquem nocuit, non aliena cupivit.
Illi exultantes divinis laudibus omnes,
Orantesque simul referunt ad sidera voces,
Psallentes Domino celebrant per gaudia grates,

Digitized by Google

Beatamque viam nuntiis comitantibus ibunt.
X Hæc postquam Dominus felicia dona peregit.
Et justos pariter æterna in regna remisit.
Et miseranda venit lugens sua crimina turba.
Hic gemitus, mœrent lacrymis augentibus omnes,
Testanturque sua crebris ululatibus acta,
Flammea pro meritis instantia tela tremiscunt.
Angeli corripiunt, jam jamque prohibentque precari,
Et prohibent seras pœnitentiæ fundere voces.
Jamque precum venia flamma veniente negatur.
O miseri quotiens vobis divina potestas
Innotuit, quotiens majestas cognita veri?
Audistis sonitus, vidistis fulgura cœli.
Assidue pluvias, ventorum et grandinis iras,
Experti quotiens noctesque diesque serenos,
Tempora fœcundabant Dei munera donis,
Ver abunde rosas, frugibus nec defuit æstas,
Autumnus varia præbebat mitia poma,
Semper hyems lætas glacialis regit olivas.
Cuncta Deus tribuit, bonitas nec defuit ulla,
Nec per tanta Deum genus omne scivit humanum.
Terra Deum tremuit, pontus Dei nutu pependit,
Et fluvius siccis trepidus refluxit arenis,
Et genitura Deum per omnia læta fatetur.
XI. Vos tamen hunc Dominum cœli terræque ne-
[gastis,
Et justos potius crudeli cæde necastis,
Præconesque Dei plerique sæpe fugastis.
Veritas in vobis pro crimine semper inhæsit.
Et ideo fructum capietis sementis iniqui.
Non scitis ecce diem, quem vos ridere soletis.
Ibitis in tenebras ignis et sulphuris altas,
Ardendo sævas passuri doloribus iras.
Hos æternæ jubet Dominus discedere pœnæ,
Ire sub ardores semper sine fine gehennæ,
Urgeri molem per stagna torrentia flammæ,
In flammas converti jubet elementa minantis
Atque omnem cœli descendere nubibus ignem,
XII. Tunc avidos rapidus includit tartarum ignis,
Atque procellosas ructabunt æquore flammas,
Totaque viventes confundet terra favillis,
Flammeus et sulcos aer vibrabit iratos,
Atque omnibus facibus torreus armabitur orbis.
Impetu tartareo frendent incendia mundo.
Illi præcipitem pulsi tolluntur in æstum,
Hinc fugiunt illac cursu referuntur acuto.
Obvia fit sævæ flammæ fugientibus ira,
Agnoscuntque sua jam tum de crimine pœnam.
Jamque vago nullo tellus possessa colono,
Et maris extremis pressa sub fine profundo.
Qua sol emenso radios defluit olympo,
Ortaque transacto tolluntur sidera mundo.
Glisçit aer densis abstrusa luce tenebris,
Ultima secretis stagna flammantia rivis.
Est natura loci signatis ignea pœnis,
Et palus inferni scandens ardoribus ima
Intonat, horrificis fertur pœnale caminis,
Æstuat et rapido turbatur vertice flammæ,
In tormenta ruens fluctuanti gurgite flumen,
Torrida se cuncta cœno miscetur arena.
Huc captiva gemens mittetur turba malorum,
Arsurumque nefas scelerati corporis agmen.
Magnus plangor ibi, fletus, sociante clamore,
Et stridor rapidus, ululatus inde dolentum
Exsurget de flamma procul, altusque sonoras
Ignis et ardentis gemitus consurgit in auras,
XIII. Tunc imago mali pendet promissa propago,
Incipientque preces ad cœlum pendere seras,
Atque Deum nunc nosse volent, quem nosse nolebant.
Illic quisque suæ fatebitur effera vitæ,
Nocentesque manus, et sævas crimine mentes,

A Atque infanda suæ testabitur effera vitæ.
Jam primum quicumque Deum male senserat ante,
Et vaga mentito coluisset numine saxa,
Atque cruentatas igne sacraverat aras,
Et picturatas timuit sine voce figuras,
Ac falsi tenues adoravit numinis undas;
Et quæcumque malus seduxit protinus error,
Si quis adulter erat, natos quicumque necarat;
Si quocumque malo quis conscia mente vivebat,
Aut rapto grassatus erat, aut fraude clientis;
Si quis humano suas maculabat sanguine palmas,
Atque latebrosa miscebat morte venena.
Tunc si quis vacuo scelerabat pectora furto,
Aut alieni mali lucro gaudebat iniquo;
Admisit quicumque nefas quodcumque malorum,
Altus ardor eum igni torquebit amaro,
Suppliciumque dabunt viventi funera cuncti,
Sic hominum totam mœrentes servare turbam.
XIV. Hæc adeo sancti quotiens cecinere prophetæ,
Spiritu sæpe Dei moniti dixere futura?
Nemo suas (miserum!) nemo heu præbuit aures.
Sic Deus omnipotens voluit sua præmia nosci
B Atque minas positæ plurima per talia legis,
Mittendo plures cœlestia verba clamantes,
Denique jussu Dei compegit ossa prophetes,
Et stupuit mota subito non sponte sepulcra
Cineribus creta jacuisse corpora passis,
Surgere tunc vivos anima veniente miratus,
Et cum voce sua ad cœlum tendere palmas,
Gratanturque Deo et victori talia Christo,
Illa quidem tumulo petiere silentes,
Servandique Dei diet cessere futuro.
Paulisper jussit retineri cubilibus imis
Donec ille dies completo tempore magnus
Adveniat, cuncti Dominum cognoscite verum,
Qui solus animam faciat conscendere lucem,
Eamdemque potest in tartara trudere pœnæ,
Et cui cuncta patet vitæ mortisque potestas.
Posse Deo, non velle satis est, factumque dicendo
Ille meus solus metuendus sensibus imis,
Et quoniam letho cursus concluditur omnis,
Quicumque est hodie, secum sua vita feretur.
XV. Et ideo dum vita manet, dum carpere lucem,
Dum pœnitere licet, prius quam terminus ævi
Occupet incautos, et nescia lumina solvat
C Ultimus ille dies mortis qui lege tenetur,
Quod primum superest care vigilate salutem,
Et facile eritque bonum deflectere cursum.
Post ærata suis et pressa piacula sacris
Postque vagæ nimium quos vexare procellæ,
Rectas adite vias, et flamina recta tenete.
Hinc lætis prius animis repellite crimen,
Et correcta diu proluatur pectore culpa,
Tunc commissa mala mites abolete nefanda,
Æternisque Deum precibus placate tremendum
Pessima cuncta bonis cedant mortalia vivis.
Conservate novam jamjam sine crimine vitam,
Et servate pias veroque in nomine mentes.
Ac veniam primis supplices rogate delictis,
Jamjam pura piis maturescant corda colonis,
Innocuasque manus precibus attollite justis,
Laudibus et faciles divinis reddite voces.
Incipiantque bonis verisque assuescere mentes,
Divinæque magis celebrentur munera legis,
Et memorate bona, simulque invadite facta;
Sordida nitescant olim commissa malorum,
Et meliora piis flagrabunt omnia vobis,
D Horrendisque simul liberatur vita periclis,
Atque æterna suis veniet ad præmia votis.

Explicit.

Digitized by Google

APPENDIX QUARTA.

OXONIENSIS EDITIONIS

SELECTÆ IN CYPRIANUM NOTÆ.

EPISTOLA PRIMA.

Consistentibus. Formula hæc sæpius occurrit, et plus sibi velle videtur quam ut designaret fratres qui Furnis fuerant, aut qui consisterent cum assiderent presbyteri. Ea potius mente appositam credamus, qua infra fratres *stantes* et *consistentes* appellantur, quatenus ab ἀποστάταις et lapsis, schismaticis atque hæreticis distingueret.

Collegæ mei qui præsentes. Eminentiss. Baronius, Pamelius, quique nuper concilia ediderunt, Epistolam hanc in synodo quadam post reditum Cypriani ex secessu scriptam volunt. Sed e contra, solemne fere est Cypriano in Epistolis synodicis nomina episcoporum apponere; unde satis verisimile videtur episcopos de quibus hic mentio occurrit, ex causa minus solemni præsentes fuisse, quo tempore designationis istius a Victore factæ, nuntius accederet. Certe in Epistola XXXIV, ad Pamelii numeros XXVIII, mentio habetur *Collegarum qui præsentes erant*, ubi nulla celebrati concilii potest esse suspicio. Occasionem conjecturæ de tempore scriptæ Epistolæ videtur dedisse locus ille concilii Carthaginensis 87 episcoporum de baptizandis hæreticis, ubi Geminii a Furnis nomen habetur : hunc eumdem credebant viri eruditi cum Geminio Victore, et proinde illum e vivis excessisse aliquanto post istam synodum. Sed minus credibile est Geminium hunc episcopum fuisse, tum ob facti ipsius notam, tum etiam quod fratrem eum, non collegam, Cyprianus appellet. Sed esto Geminius Victor fuerit episcopus, nonne pariter probabile Geminium Faustinum etiam episcopum fuisse; et qui eo tempore cum testamento alterius Geminii curator constituerctur, Furnitanorum ecclesiæ erat presbyter; deinceps, et speciatim concilii prædicti tempore, ad episcopatum fuerat promotus? Quin istis addi poterit, in synodo illa, ex fide nonnullorum codicum, et etiam D. Augustini; non Geminius, sed Geminus, Furnitanorum episcopus perhibetur. Sed, missa hac de nomine controversia, rationem reddamus immutati ordinis, et quare Epistolam hanc non post reditum ex secessu, quod viris doctissimis placuit, scriptam censeamus; sed sub ipsis episcopatus Cypriani initiis, Philippis adhuc imperium retinentibus, exaratam. Et primum, Victoris factum pacis illa tempora quæ Cyprianus in libro *de Lapsis* describit, respicere videtur; quando, ut ejus verbis utar, *non in sacerdotibus religio devota, non in ministris fides integra, non in operibus misericordia, non in moribus disciplina; quando episcopi plurimi, quos et hortamento esse oporteret cæteris et exemplo, divina procuratione contempta, procuratores rerum sæcularium fierent.* Et quidem non satis sanæ mentis videretur Geminius, si supremis tabulis tutorem scripsisset Christianum presbyterum sub Decianæ persecutionis æstu, aut certe illo nondum deflagrante; illumque alienæ salutis vindicem assignasset, qui de capite suo in dies esset periclitaturus. Porro cum Cyprianus hac in Epistola expresse dicat canonem illum qui prohibet ne clerici a fidelium quocumque

A tutores nominentur, ab *episcopis antecessoribus suis* sancitum, et tamen *formam* eam *nuper* datam; rei huic gestæ minime quadrabunt extrema episcopatus ejus tempora. Non est dissimulandum dicere etiam Cyprianum, *hoc jam pridem in concilio fuisse statutum :* at voces illæ, ex Cypriani loquendi more, tempus brevissimum denotant, quod infra videbimus in Epist. LVII, ad Pamelii numeros LIV, ubi auctor noster rem ante annum vix gestam *jampridem statutam* fuisse ait. Sed de istis videantur Annales, an. 249, § 9.

Presbyteri qui nobis assidebant. Ex utraque parte, scil. Ignatius *ad Magnes.* illos salutat, μετὰ τοῦ ἀξιοπρεπεστάτου ἐπισκόπου, καὶ πνευματικοῦ στεφάνου τοῦ πρεσβυτερίου. Theodor., l. v, c. 3, docet quod ὁ μέσος θώκος ad episcopum pertineat. Immo viri eruditi ad hunc episcopi in cleri medio sedendi morem, trahunt quæ habentur Apoc. v, 2.

Geminium Faustinum presbyterum tutorem. Ob-
B servandum hoc loco, ex jure Romano, tutelam pupillorum, pro munere publico habitam, onus fuisse a quo non nisi ex certis, iisque gravissimis, causis lege definitis excusatio concedebatur; quas qui scire vellet, adeat lib. I *Instit.*, tit. 25. Quamquam vero minime exspectandum ut privilegio aliquo tam peculiari, ex indulgentia ethnicorum imperatorum fruerentur sacerdotes christiani; tamen ex mutuo inter se consensu, et vi canonum caveri potuit ne Christianus aliquis id oneris cuiquam de clero vellet imponere, idque sub pœnis iisdem canonibus contentis. Constantinus revera imperator, rerum potitus, nihil antiquius habuit quam ut immunitates clero christiano privatim factas, multiplici auctario cumulatas, legibus latis muniret. Huc facit rescriptum quod Eusebius memorat ad Anulinum, proconsulem Africæ, lib. X, c. 7, quodque et ipse Anulinus respicit in Epistola sua *ad Constantinum*, quamque laudat D.
C Augustinus, Epist. LXVIII *ad Jan.*, et habent acta collat. Carthaginensis die 3, num. 216 et 220. Huc etiam spectat lex illa quæ prid. calend. nov. Constant. Aug. III et Licinio III. coss., hoc est anno Christi 313, edita. *Hæreticorum*, ait imp., *factione comperimus, Ecclesiæ catholicæ clericos ita vexari, ut nominationibus seu susceptionibus aliquibus quas publicus mos exponit, contra indulta sibi privilegia prægraventur. Idque placet, si quem tua gravitas invenerit ita vexatum, eidem alium subrogari, et deinceps a supra dictæ religionis hominibus hujusmodi injurias prohiberi.* Immo et alias deinceps leges extorsit Donatistarum importunus furor. At vero eodem fere sæculo, pace Ecclesiæ reddita, et pacis longæ malis suppullulantibus; cum turpis lucri causa sæcularibus curis se immiscerent clerici, necessarium duxerunt imperatores qui successerant, nec non synodi, ut non privilegio excusati essent, sed legibus latis exinde depellerentur. Sic inter tria capita a Marciano Chalcedonensi synodo proposita, et can. 3, decreta occurrit,
D μηδένα τοῦ λοιποῦ, μὴ ἐπίσκοπον, μὴ κληρικόν, μὴ μονάζοντα, ἢ μισθοῦσθαι κτήματα, ἢ πράγματα, ἢ ἐπισάγειν

Digitized by Google

ἑαυτὴν κοσμικαῖς διοικήσεσιν. Pariter Justinian. *Novel.* 123, c. 6, prohibet in clero constitutos, *ex ulla lege tutores, aut curatores cujuscunque personæ fieri*, etc.

In honore sportularium fratrum. Pomaria istis erant honorificæ quæ sportularum nomine censebantur; talia nimirum quæ summi magistratus accipere non detrectabant. Unde lege lata modus ipsis statuebatur: ita ut rescripto Theodosii magni cautum: *Exceptis consulibus ordinariis, nulli prorsus alteri aureum sportulam dandi sit facultas; cum publica vero celebrantur officia, sit sportulis nummus argenteus, nec majorem argenteum nummum fas sit expendere, quam qui formari solet, cum argenti libram unam in argenteos sexaginta dividimus.* Huc spectare videntur quæ de honorariis decurionum habet Pan., lib. x, Ep. 114, et etiam occurrunt, lib. v, § ult. ff. *de Don. inter vir.* Sed in usu Ecclesiæ, respectus non solum habitus videtur ad Romanorum sportulas, sed ad morem Ecclesiæ judaicæ; apud quam oblationes canistris reponendæ: ut videre est *Deut.* xxvi, 2. Certe, ad canones Apostolorum 3 et 4, ubi prohibetur plebs christiana, mel, lac, aut siceram, etc., ad altare offerre, sed ad episcopos et presbyteros domum mittere jubetur, Balsamon annotat hæc κανίσκια sive sportulas appellari.

Tamquam decimas ex fructibus accipientes. Decimæ, quarum pensitatio legem Mosaicam longis temporum intervallis præcesserat, minime jus suum a lege illa accersunt; sed quemadmodum temporis nobis concessi septimam partem tamquam Deo debitam usque dicamus, ita facultatum decimas meritoetiam onus solvimus. Serius quidem *decimas ex fructibus* accipiebant sacerdotes christiani, qua ruris incolæ, quique agriculturam exercebant, non nisi sero ad fidem erant conversi; unde *paganorum* nomen ethnicis adhæsit. Et etiamnum apud nos, ubi decimæ ubique solvuntur, urbium parochi ex oblationibus sive sportulis potissimum aluntur. Igitur non satis opportune decimarum pensationi, invidiam hic loci videtur facere eruditissimus Rigaltius. Sed de hac re fusius agitur sub calcem l. *de Unit. Ecclesiæ.*

EPISTOLA II.

In artis suæ dedecore. Tertull. *de Spectac.*, c. 22, dicit has artes professos *damnari ignominia et capitis minutione, arceri curiis, rostris, senatu, equite, cæterisque honoribus omnibus; simul et ornamentis quibusdam.* Pariter August. *de Civit. Dei* l. II, c. 14, *Actores poeticarum fabularum removeri a societate civitatis, et ab honoribus omnibus repelli.* Unde Laberius cum a Cæsare coactus esset mimum agere, tamquam gravissima injuria affectus, quingenta millium pretio nequicquam intercedente, indoluit, dicens: *Eques Romanus lare egressus meo, domum revertam mimus; nimium hoc die, uno plus vixi, mihi quam vivendum fuit.* Et certe Ecclesia castior quam civitas. Inanis ergo erat excusatio quod histrio *hic a theatro cessaverat*, et privatim doceret. Quibus non licet cogitare quod malum est, minime licebit privatim perpetrare.

In lege prohibeantur viri. Tertull. *de Spectac.*, c. 23, ait: *Cum in lege præscribi maledictum esse qui muliebribus vestiatur, quid de pantomimo judicabit, qui etiam muliebribus curatur?*

Salario se esse redimendum. Στηρεσίοις et lautis conditionibus; quæ tribunis militaribus, decibusque ex publico pendebantur. Ita Plinius l. III, c. 7 *Honoribus militiæque interponitur, Salariis inde dictis.* Porro locutio hæc usque ad gentes Orientales permeavit. Nam Ezræ IV, 14 בלה היכלא בלה est aulæ persicæ alumnus.

Poterit se ad nos transferre. Eucratius in concilio Africano 87 episcoporum, Thenarum præsul esse dicitur; quæ urbs Byzacenæ, et in via militari ad Carthaginem posita, ut ex Antonino liquet; unde commodus viatori transitus.

EPISTOLA III.

Rogatianum. Conjicit Pamelius eumdem hunc esse qui in concilio 87 episc. a Nova dicitur: sed hoc minus verisimile, tam ob senectam Rogatiani cujus hic mentio habetur, quam quod alter a Nova, non inter primos; quod, ex Africanæ ecclesiæ more, tot annorum qui intercesserunt episcopatus postularet; sed ultimos suffragium tulit. Diaconi nomen nobis exhibet codex Lincolniensis, et Cassium appellat. Cardinali Baronio non accedimus, qui an. 257, c. 12, hæc in synodo scripta pronuntiat, ob causas superius Ep. 1, allatas. Observat Rigaltius *hac Epistola Cyprianum consuluisse Rogatiano dare quod ipse in aliis Epistolis noluit sibi sumere, qui ad episcopos et presbyteros ait: « Aliud vero quod scripserunt nobis compresbyteri nostri solus rescribere nihil potui; quando a principio episcopatus mei statuerim nihil sine consilio vestro, et sine consensu plebis, mea privatim sententia gerere »* Sed qui consideret quanta cum invidia Cyprianus neophytus et plane novellus ad sedis Carthaginensis fastigium pervenerit, non mirabitur eum necesse habuisse popularibus artibus uti; et jure suo in plurimis, præsertim administrationis suæ primordiis, discedere; quod minime opus erat ut Rogatianus senex, et urbeculæ privatæ episcopus, præstaret.

Tres de ministris, Chore, et Dathan, et Abiron. Constat solum Chore levitam fuisse, Dathan vero et Abiron ex tribu Ruben oriundos. Sed *facinus quos inquinat æquat;* quique cum rebellibus levitis sentiebant, non immerito inter ipsos numerantur. Unde Moses ipse *locutus est ad Core et omnem multitudinem*, non exceptis Dathan et Abiron: *Multum erigimini, filii Levi.*

Exprobra de malo. Græca habent μαρτύρηται περὶ τοῦ κακοῦ. In Judæorum sacerdote satis quadrabit contumeliose de reo loqui: Dominus noster non istas vices rependit, utcumque lacessitus. Fortasse scriptum erat *exproba.* In argumentum probationis scil. adversum me adhibeas ista quæ dixi.

Meminisse autem diaconi debent. Monitum hoc pariter et presbyteros tangit: qui ab episcopis in curarum partem admissi, ita tamen ut in illorum obsequia remaneant.

Apostolos, id est episcopos. Sic Irenæus l. III, c. 3, ab Eusebio laudatus l. V *Hist.*, c. 6, dicit *ab Apostolis institutos episcopos fuisse, et eorum successores usque ad nos.* Dein recenset episcopos qui in celebrioribus ecclesiis Apostolis successerunt. Pariter et Tertull. l. *de Præscript.*, c. 32: *Edant*, inquit, *origines ecclesiarum suarum: evolvant ordinem episcoporum suorum, ita per successionem ab initio decurrentem, ut primus ille episcopus aliquem ex Apostolis vel apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverint, habuerit auctorem et antecessorem. Hoc enim modo Ecclesiæ apostolicæ census suos deferunt, sicut Smyrnæorum ecclesia Polycarpum a Joanne collocatum refert: sicut Romanorum*, etc. Porro hanc episcoporum constitutionem et successionem describit Apostolis suppar, Clemens Rom. in *Ep. ad Cor.* c. 44.

EPISTOLA IV.

In statu suo esse. Tres feminarum numerantur status, virginum, viduarum, nuptarum. Virgines præ reliquis in prima dignatione habebantur; quibus non tantum ob tutelam, sed etiam honoris ergo locus peculiaris in Ecclesia assignabatur; quem quæ capessebant, et habitu non matronali, sed virginum, id est velo, induebantur; se præclarum illud vitæ institutum sectari aperte profitebantur. Status autem vox, aut conditionem civilem, omnium dignitates et jura liberi capitis, significat, aut ad rem agonisticam pertinet, quo quis se tueri, aut adversarium de gradu dejicere instruitur.

Digitized by Google

Unum diaconum esse. Et ideo graviore cum scandalo peccabatur. Stuprum diaconi in Ecclesia Constantinopolitana, sub Nectario, antiquam pœnitentiæ disciplinam apud Orientales, tantum non labefecit. Vid. Socrat. l. v, c. 14.

Pro arbitrio et ructu. Hanc lectionem cum Rigaltio verissimam censemus; præsertim cum eadem fere formula locutus sit Pontius: *Absit ut de tam beatissimo Martyre ructus hominis judicaret.* Nemo ructui indulgere solet nisi inter servulos et parasitos; quibuscum omnia licent: unde illud satyrici: — *Si bene ructarit*, etc.

Abstinendo diacono. Pro recepto diu in Ecclesia more, in laicorum crimina, excommunicatione reliquisque Ecclesiæ censuris; at clericorum depositione animadverti solitum. Sed tribus primis saculis, episcopos, presbyteros et diaconos pœnitentiæ publicæ et manuum impositioni sicut laicos obnoxios fuisse, res est manifesta. Consulat lector Morin. de *Administ. sacr. Pœnit.* l. IV, c. 12.

Non mariti, sed Christi adultera. Licet maritum non habeat, adultera audit. Christi sponsa est quælibet fidelis, at multo magis virginitatem professa.

EPISTOLA V.

Saluto vos incolumis. Cum ad destinatas latebras salvus pervenisset Cyprianus, consentaneum omnino erat ut pro intima illa quæ ipsum et fratres intercessit benevolentia, absentiæ desiderium quam primum fieri potuit, scripto leniret, certiores utique redderet de salute et rebus suis; et demum de iis quæ ad Ecclesiæ statum spectarent, sedulo moneret. Quæ omnia hac in Epistola plenissime sunt præstita. Ideo verisimile admodum videtur, non modo litteras hasce primo omnium, sed etiam statim post secessum factas; cui succedit alia ejusdem fere argumenti eisdem verbis concepta, Ep. nimirum VI, ad Pamelii num. 81. Omnes in hisce latebris scriptas 13 numero fuisse testatur ipse Cyprianus Ep. XX, ad Pamelii numeros 15, quæ omnes hic repræsentantur; licet alii editores pro deploratis haberent earum nonnullas. Notari insuper poterit in veteribus exemplaribus mss. Epistolam hanc rariss me comparere, adeoque sero admodum, sc. post omnes Erasmi editiones typis fuisse mandatam.

Non permittit loci conditio. Tumultus Carthagine excitatus; in quo Cyprianus in *circo et amphitheatro* populari fremitu *ad leonem petitus*, et demum *proscriptus*, quemadmodum dicitur Ep. LIX, ad Pamelii numeros LV. Infra eadem de re verba faciens ait: *Utinam loci et gradus mei conditio permitteret.*

Summa quæ reducta est. Sors tota quæ in pecuniis numeratis, rationibus subductis, ad pauperes pertinebat. Nam, quemadmodum, nascente Ecclesia, pretia rerum pietatis ergo venditarum ad Apostolorum pedes deponebantur (*Act.* IV, 35), ita demceps quæ Deo erant dicata, episcoporum fidei erant concredita: quod disertissimis verbis Justinus Martyr in *Apologia* refert. Nimirum, divisione facta, pars una episcopi, altera cleri, tertia pauperum usibus cessit. Cum ergo ad secessum properaret Cyprianus, pecunias hasce inter clericos partitas deposuit, ut illi facilius demum distribuerent.

Visitandum confessores. Visitare ægros, aut in alia quacumque calamitate constitutos, pietatis officium merito reputatur. Vid. Matt., XXV, 36. Sed et alia causa inferius apparebit quare glomeratim ad martyres plurimi confluerent; nempe ut ab illis primum pacem extorquerent, et deinde ab Ecclesia. Obiter vero hic notandum Cyprianum hoc in loco, quemadmodum et alibi, confessoris et martyris nominibus promiscue uti, cum strictius loquendo, illi solum martyres dicendi qui pro Christi nomine passi fuerint, confessores vero qui extra pœnas insequentes, se Christianos pro tribunali profitebantur.

Qui apud confessores offerunt. Antequam primæ pietatis ardores deferbuerunt, Christiani singulis diebus, aut saltem dominicis, sacra mysteria participabant. Martyres vero qui sub ictu passionis perpetuo versabantur, id maxime satagebant ut numquam divino illo viatico carerent. Quia vero in istis solemnibus, oportebat ut diaconus presbytero assisteret, ita ut presbyter solus accedere non potuerit, monet Cyprianus ut isti *per vices alternent, et vicissitudine convenientium minuant invidiam.* Quid sit apud confessores offerre, a Cypriano discimus Ep. XXXIV, ad Pamelii numeros 28: *Integre et cum disciplina fecistis, fratres charissimi, quod consilio collegarum meorum qui præsentes erant, Caio, Diddensi presbytero, et diacono eius, censuistis non communicandum: qui communicando cum lapsis, et offerendo oblationes eorum, in pravis erroribus frequenter deprehensi*, etc. Ubi obiter notandum aliquando presbyteris peculiares diaconos qui ipsis assisterent assignatos. *Communicare cum aliquibus, et oblationes* eorum *offerre*, res quidem inter se diversæ; sed, quoniam nemo de sacris mysteriis participabat, quin [illegible] voce apposita, totum hoc sacrum officium sæpissime intelligitur. Pariter, licet, quod ait D. Paulus Hebr., XIII, 10, habeamus altare, tamen sacrificia christianæ pietatis, a Gentium et Judæorum immolationibus prorsus abhorrent; et perperam nonnulli, audito altaris, oblationis, aut sacrificii nomine, victimam cruentam atque hostiam cæsam importune ingerunt: quorum omnium invidiam apologus suis fratres antiqui strenue amolebantur.

Temporibus servire. Lectio hæc non modo plurimorum mss. codicum suffragiis munita; sed et antiquitate commendata est. Sic enim non tantum Origenes in *Comment.* et auctor noster hic loci, sed et Ignatius in Ep. *ad Polyc.* videtur legisse. Abbreviatura κω, pro κυρίῳ et κἀρῷ ex æquo ponitur; unde fortassis varia lectio ortum duxerit.

EPISTOLA VI.

Epistola Cypriani ad martyres. Non multum refert quod nonnulli codices mss. nec non et impressi legant: *Ad Rogatianum juniorem et cæteros confessores.* Tituli enim isti librariorum curæ et ingeniis debentur, quibus lector sine dispendio plerumque carere poterit. Parabant illi *Rogatianum presbyterum, gloriosum senem, qui excipiens ferocientis populi impetum, primum hospitium in carcere præparavit, et metator quodammodo antecessit*, martyrio fuisse coronatum; et proinde fieri non posse ut ad illum litteræ dirigerentur, atque ideo alium Rogatianum, priori dissimilem, quantum fieri potuit, scil. *juniorem*, excogitabant. Sed manifestum est nihil de Rogatiano sene hic dici, nisi quod ex tumultu populari carceri fuisset mancipatus; imo potius innuitur illum in exemplum superesse, *et hunc quoque antecedere*, quando ista scriberentur. Nec novum est ut, cum litteræ pluribus conjunctim scribuntur, ex occasione data, de illorum uno peculiaris mentio habeatur. Porro, si conjecturæ ex nomine aliquid valeant, omnino Rogatianus qui hic describitur, ille ipse fuerit de quo mentio habetur Epistola sequente, 7 nimirum, ad Pamelii numeros 36. Ep. 14, ad Pamelii numeros 6; et 41, ad Pamelii numeros 38. De tempore quando Epistola hæc missa erat, consulat lector quæ diligentissime disputata sunt a reverendiss. episcopo Cestriensi in *Annalibus Cypriani*, operi huic præmissis.

Osculum Domini. Multa comminiscuntur Hebræi in sua theologia de osculo Domini; et ita Mosen e vivis excessisse profitentur. Et siquidem Deut., XXXIV, 5, occurrit quod mortuus est Moses על פי יהוה aiunt Rabbini שניה נשקו הקבה ונטל נשמתו בנשיקת פה באדמה. In hoc vero longe abeunt a Christianis Judæi, quod his mors quieta et placida osculum Domini vi-

Digitized by Google

debatur; nostris vero, cruenta et violenta, beatissima et maxime expetenda censetur.

Metator. Vegetius ait l. II, c. 7 : *Metatores in castris dicuntur, qui præcedentes locum castris idoneum eligunt.* Ita Cæsarianus, apud Lucanum : *Hesperios audax veniam metator in agros.* Unde rectissime de Rogatiano et Felicissimo dictum, quod in carcerem primi quasi metatores accesserint.

EPISTOLA VII.

Dignatus fuerit Dominus ostendere. Sæpius ad revelationes sibi factas provocat Cyprianus; id autem facit, non ut fidei dogmata aliis obtruderet, sed suam innocentiam ab invidis lacessitam tueretur. Secessus ejus tamquam turpis fuga male audiebat; ostendit ergo se gregis sui causa tantum metuere; nec animo suo sed mandato divino morem gessisse. Porro ipsi apud clerum et plebem erat honorificum, quod Deus ipsum suis colloquiis, et rerum futurarum cognitione dignaretur. Hæc peculiaris Africanæ ecclesiæ obtinuit, ubi hæretici, et speciatim Montanus, prophetias et revelationes magna cum pompa ingerebant.

Credere voluit et crescere. Carthagine nimirum, ubi ad fidem conversus erat, et ad episcopatum promotus : sedi illi tamquam actis radicibus affixus.

Quantitate mea propria. Vide quæ superius dicta de oblationibus in tres partes divisis, quarum una episcopo cessit. Nam quod ad ea quæ olim ethnicus possederat, Pontius nos docet quod quamprimum fidei christianæ se addixerat, *distractis rebus suis ad indigentiam pauperum sustentandum, et tota prædia dispensans*, nihil reliquum sibi fecit quod denuo donaret.

Acoluthum. Hesychius ait. Ἀκόλουθος, ὁ νεώτερος παῖς. Θεράπων, ὁ περὶ τὸ σῶμα. Munus erat, si quod aliud, per totam Ecclesiam, hoc sæculo receptissimum. Quod Orientales attinet, nomen a Græcis hausisse ostendit apud illos in usu fuisse. De Romana Ecclesia, litteræ Cornelii ad Fabium Antiochensem, quas infra laudaturi sumus, id abunde testantur. De Africana, locuples fuerit testis auctor noster in Epistolis passim. Sed de his plura videantur in annotat. ad Ep. sequentem.

EPISTOLA VIII.

Cleri Romani. Quamquam verba hæc ad Epistolæ hujus titulum pertineant, qui a librario pro captu suo appositus, nullius ponderis aut auctoritatis esse poterit, eruditissimus Rigaltius occasionem hinc arripit ut ostendat *cleri* vocem perperam trahi ad personas ecclesiasticas, hominesque sacris ordinibus initiatos designandos. In primis ait, κλῆρος *tria significat, sorticulam qua utimur in sortiendo; sortionem sive sortitum, actionem ipsam sortiendi; et quod sortitu cuique accidit.* Subjungit porro, *rerum Hebraicarum scriptores græcos, ab iisque etiam latinos, clerum dixisse quod ex amplissimo illo terrarum tractu, Josua jubente, in undecim tribus Hebræorum diviso, per sortitionem unicuique contigerat.* Rem hanc instantia explicat. *Benjamini tribus cleris in urnam conjectis, urna mota, qui clerus exierat sortiente Benjamini tribu, id clerus Benjamini dicebatur. Atque ita de cæteris undecim tribuum portionibus.* Inde progreditur : *Postquam figuris Mosaicis veritas christiana successit, et, male merentibus Hebræis, gratia divina ad Gentes conversa est, quod hellenistæ dixerant Ecclesiam, dixerunt etiam Clerum.* Multis interpositis, quibus tamen minime conficit hellenistas pro *Ecclesia* denotanda *clerum* tamquam synonymum adhibuisse, periochen D. Petri adducit vir doctus dicens quod *prava mortalium cæcitas, christiana simplicitate neglecta, pharisaicam superbiam reduxit, et obruit cœlestia terrenis. Cleri vocabulum ad res christianas, primus transtulisse videtur Petrus, Epistola sua canonica prima. Hortatur presbyteros ipse compresbyter, ut gregem quem commisit iis Deus pascant providentes ovibus, non turpis lucri cupidine, sed gratis : neque ut dominantes in cleris*, id est plebem christianam. Queritur demum quod siquidem *ipsi pastores nomen cleri quod erat ovium universitati commune, sic proprium sibi fecerunt, ut etiam nomen ipsum ovilis, in populi sive plebis et laicorum appellatione vilesceret. Hinc exorta jam ævo Tertulliani et Cypriani, inter clericos et laicos differentia tanta, ut laici non intelligerentur appellatione cleri.* Quid sibi velit vir eruditus longa hac disceptatione non facile est conjicere. An male ipsum habet quod in Ecclesia sint episcopi et pastores? Id non videtur, siquidem agnoscat *adhibuisse Dominum ovili suo pastores utique complures.* Et certe rerum diversitas vocum diversitatem non admittit modo, sed etiam exigit. An quandoquidem D. Petrus presbyteros *compresbyteros* compellat, erit indicium neglectæ simplicitatis christianæ, et pharisaicæ superbiæ, si Apostolus *aut episcopus* jus et potestatem in clerum ecclesiasticum sibi vindicet? et quod D. Paulus admonet I Tim. v, 1, πρεσβύτερον ἐπιτλήξῃ; sed eodem capite v. 20, presbyteros flagitiorum compertos, Apostolo id ipsum mandante, oportebit ἐνώπιον πάντων ἐλέγχας. An vero in eo peccatur, quod quando *cleri* vox omnes Christianos aliquando comprehendat, ad verbi etiam ministros aliquando contrahatur? At in usu communi id ubique obtinet. Non modo summum Numen, sed et magistratus *dii* appellantur; et *Apoc.* v, 10, omnes fideles *reges et sacerdotes* audiunt; nemo tamen dixerit principes sæculares, et sacris operantes cujuscumque ordinis, nomina illa per nefas sibi vindicare. Agnoscimus sortes tribuum Israeliticarum *cleros* dici : sed Levitarum a reliquis tribubus aliam longe fuisse rationem, ipse sacer textus nos docet : *Num.* XVIII, 20, Ἐν τῇ γῇ αὐτῶν οὐ κληρονομήσεις, καὶ μερὶς οὐκ ἔσται σοι ἐν αὐτοῖς, ὅτι ἐγὼ μερίς σου, καὶ κληρονομία σου ἐν μέσῳ τῶν υἱῶν Ἰσραήλ. Alia certe res est ut terræ portiones tribubus assignatæ illorum *cleri* dicantur; et quod Levitæ ipsi, quos Dominus pro sorte sua agnoscit, ejus *clerus* dicantur. Non diffitemur D. Petrum in Epistola sua I omnes Christianos *Domini clerum* appellasse; sed ille ipse Petrus *Act.* I, 17, munus apostolicum κλῆρον διακονίας vocare non dubitat. Ultimo in loco, si non sufficiat Rigaltio *Cypriani et etiam Tertulliani sæculo inter clericos et laicos differentiam fuisse tantam, ut laici non intelligerentur voce Cleri*, id Apostolorum ævo obtinuisse testabitur Clemens Romanus in Epistola ad Corinthios, qui ait : Ἀρχιερεῖ ἴδιαι λειτουργίαι δεδομέναι εἰσί, καὶ τοῖς ἱερεῦσιν ἴδιος ὁ τόπος προστέτακται, καὶ λευίταις ἴδιαι διακονίαι ἐπίκεινται· ὁ λαϊκὸς ἄνθρωπος τοῖς λαϊκοῖς προστάγμασιν δέδεται. etc. Sed de his plus satis.

Didicimus secessisse benedictum Papam Cyprianum. Dicit Rigaltius *secessum istum Cypriani, fugæ probro minime caruisse apud quosdam de Christiana fraternitate, qui Tertulliani de Fuga in persecutione disputationem legerant. Nec dubito quin ipsa tanti magistri severitas discipuli mentem adeo suffuderit, vel aliquo saltem scrupulo sic pupugerit, ut fugæ suspicionem Cyprianus amoliri abs se magno studio contenderet. Hoc et Pontii familiaris sui satis intricata sedulitas persuadet : ipsiusque Cypriani Epistolæ sequentes declarant; et, si verum amamus, haud aliud magis ista Romani cleri tam argumentosa quam inconcita commonitio proscribit. Fortissima est illa Cypriani defensio, quod Dei nutu, immo jussu secesserit. Nam quid apertius mandato divino per Christum Apostolis tradito?* Cum presequentur vos in civitate ista, fugite in aliam. *Quod si mandatum ad alios quam Apostolos pertinuisse negaveris, quis a Cypriano jussi Dominici, Spiritus sancti, divini erga ipsum quoque specialim favoris testem exigat? Sed et complures humanæ prudentiæ rationes amici causati sunt. Erat persona insignis. Unus Cyprianus Ecclesiam demonstrabat : eo sublato, tota pessumibat fraternitas. Unius Cypriani præsentia inimicas nomini christiano potestates exasperabat. Unum præsertim Cy-*

Digitized by Google

prianum populus efferatus ad leonem depostulaverat. Eo aliquantisper amoto, rabies sedari posse videbatur. Denique absens nihilominus per procuratores aut vicarios, perque litteras frequentiores Ecclesiæ suæ necessaria cuncta providebat, suggerebat. Has certe secessus causas, tunc valde probabiles, sequentibus sæculis exemplo fuisse arguit præclara Augustini ad Honoratum epistola, quæ et consilia præbet adversus cunctas istius humanæ prudentiæ subtilitates salubberrima. Strategicorum scriptores quæstionem tractant huic nostræ haud absimilem: An sit laudandus in bello dux, quem non pigeat caput suum passim fortiter ac strenue periculis objectare. Quæ res hanc definitionem admittit: Habendam in primis esse rationem ducis, quo sublato, salus populi subvertatur necesse est, tunc enim πρῶτον ἔργον ἀρετῆς εἶναι, σώζειν τὸν ὑπαντα τ' ἄλλα σώζοντα. *At ubi de exemplo ducis tota pendet exercitus constantia, tum vero, neque manibus neque capiti esse parcendum. Hoc sapienter observavit in Pelopida Plutarchus.*

A Clementio. Infra Epistola proxime seq.

Subdiacono. Causatur Rigaltius quod *sic paulatim, atque ab minimis, intravit in Ecclesiam regnum et dominandi libido. Apostoli diaconos tantum dixerant. Ætas Cypriani subdiaconos admisit; sequens archidiaconos, ac deinceps archiepiscopos et patriarchas. Apostoli episcopos et presbyteros tantum dixerant. Tertullianus dixit episcopum esse summum sacerdotem.* Pace Rigaltii crediderim, non ad fastum, *ad regnum et dominandi libidinem*, subdiaconatum aliosque tam inferiores quam superiores in clero gradus Ecclesiæ invectos, sed ad necessarios pietatis christianæ usus fuisse adhibitos. Quid magis potuit ad Africanæ ecclesiæ unitatem, et alia publica commoda conferre, quam ut omnes *Africæ*, *Numidiæ*, *et Mauritaniæ episcopi*, Cypriani unius regimini subessent? Et ex adverso, gradus inferiores quod attinet, si quis primitivæ Ecclesiæ statum perpenderit, ad conventus solemnes viritim omnes convocandos, et non sine delectu et excubiis postea admittendos: nuntios non modo in regiones vicinas, sed longe dissitas subinde ablegandos; ægrorum, pauperum, catechumenorum, lapsorum, martyrum, vinctorum, ad metalla damnatorum, et demum mortuorum perpetuam habendam esse curam: non mirabitur in tot negotiis tam spissis, tam variis, tam laboriosis et periculo plenis, plurimos qui ea procurarent fuisse adhibendos: et post episcopos, presbyteros et diaconos, subdiaconos, lectores, acolythos, ostiarios, in sollicitudinis ecclesiasticæ partem subrogari. Cornelius, hoc ipso tempore Romanæ Ecclesiæ Episcopus, quot in urbe fuerint in Clero constituti, in Epistola ad Fabium Antiochenum, quæ habetur apud Euseb. l. VI, c. 43, distincte tradit: Fuisse nimirum πρεσβυτέρους τεσσαράκοντα ἓξ· διακόνους ἑπτά· ὑποδιακόνους ἑπτά· ἀκολούθους δύο καὶ τεσσαράκοντα· ἐξορκιστὰς δὲ καὶ ἀναγνώστας ἅμα πυλωροῖς δύο καὶ πεντήκοντα. Quibus subjungit fuisse χήρας σὺν θλιβομένοις, ὑπὲρ τὰς χιλίας πεντακοσίας, οὓς πάντας ἡ τοῦ Δεσπότου χάρις καὶ φιλανθρωπία διατρέφει. Demum de universis concludit, τοσοῦτο πλῆθος καὶ οὕτως ἀναγκαῖον ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ διὰ τῆς τοῦ θεοῦ προνοίας πλούσιός τε καὶ πληθύων ὁρισμὸς μετὰ μεγίστου καὶ ἀναριθμήτου λαοῦ. Et quidem Romæ annulam Carthaginem, nec in iis quæ ad christianam pietatem spectant multum cessisse, credere par fuerit.

Certa ex causa, quod utique recte fecerit. Hæc ita continuanda esse dicit Rigaltius: *Certa ex causa; quod utique recte fecerit; cum sit persona insignis et imminente agone. Quæ videntur esse verba cleri Carthaginensis in gratiam et favorem Cypriani scripta ad excusandum ejus secessum.*

Nobis qui videmur esse præpositi. Dicit Rigaltius: *Cum abiisset e vivis Fabianus, Cyprianus vero secessisset, utraque sedes vacabat, Romana et Carthaginensis. Utrobique igitur clerus Ecclesiæ suæ curam susceperat, et litteras ad Romanum dederat Carthaginensis super illo secessu Cypriani sui: Romanus Carthaginensi rescribens: Cum incumbat nobis, inquit, qui videmur præpositi esse, et vice pastoris custodire gregem, si negligentes inveniamur, dicetur nobis*, etc. *Quæ verba cum sint communia, et curæ utrimque communis, civilem magis et verecundam sollicitudinem charitati christianæ convenientissimam significant, quam alicujus imperii sive potestatis superbiam.* Minoris (immo, majoris EDD.) est momenti quod subnectit, quod *nemo sanus negaverit præcipuum jam olim ac primarium fuisse Romanæ Sedis honorem. Nam et ab clero Carthaginensi datæ ad Romanum super secessu Cypriani litteræ, quasi rationem reddunt; et Romanorum verba quæ hic sequuntur, Nolumus ergo vos mercenarios invenire, etsi hortatoria sint potius quam imperatoria, et consilia magis quam jussa, satis indicant Romanum jam tunc etiam Sede pontificia fuisse potiorem.*

Antecessoribus nostris. Judæorum sacerdotibus. Ad verba quæ sequuntur, *Errantem non correximus*, Rigaltius ait: *Tertullianus sic reddit: quod expulsum est non convertistis.* Libro *de Pudicitia.*

Claudum. Rigaltius ait, *Tertull. comminutum* LXX συντετριμμένον Ps. CXLV: *Qui sanat infirmitates eorum, et alligat contritiones eorum.*

Ex actu ipso quo cessit. Rigaltius ait: *Ex facto Petri, qui, apprehenso a Judæis Christo, non proprie fugit, sed cessit sive abscessit aut recessit. Nam, ut est in Evangelio, sequebatur Christum, sed longo intervallo quod fugæ speciem præbuit, adeoque in Evangelio legitur discipulos omnes, relicto Christo, fugisse. Hæc autem cleri Romani epistola Petrum eo magis onerare videtur quod ait: Et cæteri discipuli similiter fecerunt. Quasi ad exemplum Petri. Atque hoc Romani torquent in Cypriani secessum, non sine opprobrio fugæ.* Sub eadem invidia fugæ nomine, per hoc ipsum tempus laborabat, dignitatis et studiorum particeps, grande Ægypti decus, Dionysius Alexandrinus; is vero pariter se tuetur, quod voce divina admonitus latebras petiisset: Ἐγὼ δὲ καὶ ἐνώτιον τοῦ θεοῦ λαλῶ, καὶ αὐτὸς οἶδεν ὅτι οὐ ψεύδομαι, οὐδεμίαν ἐπ' ἐμαυτοῦ βαλλόμενος οὐ δὲ ἀθεεὶ πεποίημαι τὴν φυγήν; et plura in hanc mentem lib. VI Euseb, c. 40.

Ascendentes ad hoc quod compellebantur. Facinus ipsum apertis vocibus efferre refugiunt. Rigaltius ait ascendisse in *Capitolium, ut imponerent in aceriam thura. Sic lib. de Lapsis: Non expectaverant saltem ut ascenderent apprehensi, ut interrogati negarent. Et paulo post: Nonne quando ad Capitolium sponte ventum est, labavit gressus? Et eodem libro: Unus ex his qui sponte Capitolium negaturus ascendit. Canon* 59 *concil. Eliberit. Ne quis Christianus ad idolum Capitolii sacrificandi causa ascendat.* Latinii codex rem aliter proponit, quod nimirum Ecclesiæ Romanæ presbyteri, attendentes ad hoc quod infirmi Christiani, metu impulsi, ad Capitolium ascenderent, animum iis addentes monitis opportunis revocaverant ad Ecclesiam. Quod infra in impressis dicitur, *apprehensos timore hominum revertisse*, ad contextum non videtur respondere.

Ecclesiam istam fortiter in fide. Lectionem Pamelii retinens Rigaltius adnotat quod *hac fortitudinis suæ jactantia Romani faciunt invidiam Carthaginensibus. Et Romanæ quidem fidei prærogativam Tertullianus ipse Carthaginensis prædicat lib. de Præscriptionibus: Si autem Italiæ adjaces, inquit, habes Romam, unde nobis quoque auctoritas præsto est. Ista quam felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt! Et libro advers. Marcionem quarto: Videamus quid etiam Romani de proximo sonent.* Sed Latinii lectio fortitudinis laudem, non Romanæ Ecclesiæ, sed Clero tribuit.

Si quo modo indulgentiam potuerunt recipere. Rigaltius ait *indulgentiam pœnitentiæ.* Porro voces illæ, *ab eo qui potest præstare*, subnectuntur, quia nondum Ecclesia idololatras decreto aliquo ad pœnitentiam admisit; licet statim id fecerit.

Sive viduæ, sive thlibomeni Rigaltius ait: *Primus hanc Epistolam edidit Guil. Morellius, nec indicavit unde habuerit exemplar. Non invenitur autem mss.*

Digitized by Google

codicibus Pamelianis, nec in Italicis, neque in nostratibus. Et tamen valde proba est, nec tam scatet mendis, quam existimabat Pamelius. Morellius igitur hoc loco edidit clydomeni, *quod mendosum esse non inficiamur, imo veram esse arbitramur Pamelii conjecturam, in authentico scriptum fuisse* clinomeni. *Eoque magis hæc optime firmari videtur, quod inter illius ævi Christianos probrosum vulgo fuisse constat appellationem clinicorum, qui decumbentes in lectulo, propter imminens mortis periculum aqua perfusi Baptismum acceperant. Quasi non proprie baptizati, quia perfusi, non mersi; de quibus agitur in Epistola Cypriani ad Magnum. Clerus ergo Romanus, istorum etiam clinicorum curam suscipiens, vocabuli tristitiam mitigat, ac deflexa terminatione,* κλινικοὺς *dicit, non* κλινικούς. *Ejusmodi etiam benignitate Tertullianus in Apologetico, Christianos gravi senio prope confectos noluit appellare* clinicos, *sed* jam domesticos senes. Quod ad Epistolæ fidem spectat, præter Latinii codices, qui ipsam agnoscunt, in Bodleianorum uno habetur. Quod ad vocem præsentem attinet, probata lectio est illa quam adhibemus; cui fidem facit Epistola Cornelii ad Fabium quam supra laudavimus; ubi ex consimili occasione mentio habetur χηρῶν καὶ θλιβομένων. *Se exhibere*, esse ad vitam necessaria sibi suppeditare, ostendimus lib. III, ad Quir n. c. 61.

Catechumeni decepti esse non debebunt. Rigaltius ait: *Nam hæc in primis audiebant ab episcopo sive presbytero, summam esse apud Christianos curam charitatis sive dilectionis; et conqueri poterant se deceptos, si contigisset eos in ipso persecutionis æstu deseri.*

EPISTOLA IX.

Presbyteris et diaconibus Romæ. Rigaltius ait: *Cum exorta sub Decio Cæsare adversus Christianos vexatio Fabianum, Ecclesiæ Romanæ præpositum, peremisset, Clerus Romanus ad Cyprianum, Carthaginis episcopum, litteras per Clementium subdiaconum misit, ac de glorioso Fabiani exitu certiorem fecit. Mox eadem pernicie per Africam grassante, Cyprianus, cum jam ad leonem deposularetur, Deo sic annuente, secessit; nec de secessu suo quicquam Ecclesiæ Romanæ significavit. Sed postmodum Carthaginensis clerus, datis ad Romanum litteris, quid sibi consilii Cyprianus cepisset, aperuit. Ac subinde Romanus Carthaginensi rescripsit, se non minimo dolore tangi, quod pastor, ovibus derelictis, latebras petiisset. Hoc vero agitur Epistola præcedenti, quam Morellio deberi testatur Pamelius, et ipsissimam esse quam Cyprianus in manus suas non sine aliqua fraudis suspicione pervenisse conquestus est, et remisit Romam presbyteris ac diaconis, ut recognoscerent an esset illa clerico sua quam Clementio perferendam tradiderant. Quid autem Romani rescripserint, non habemus. Hoc tantum assequi conjectura fas est Epistolam suam agnovisse Romanos. Eam vero sic pupugisse animum Cypriani, ut necesse sibi esse duxerit litteras ad eos facere, quibus et actus sui et disciplinæ et diligentiæ ratio redderetur. Quod sane præstitit Epistola quæ hac editione* (Oxon.) *habetur* XX.

Diaconibus. Rigaltius ait: *Antiquæ sunt inflectiones istæ, diacones et diaconibus. Et tamen habebant Apostolum in manibus, apud quem legitur:* διάκονοι *et* διακόνοις *et* διακόνους. *Et in veteri versione Latina, Diaconi, diacones et diaconos. Nescio quo pacto maluerint dicere diacones et diaconibus. Sane vocabulum episcoporum reverentius habuerunt. Qui autem episcopas dixere, non dixere diaconas, sed diaconissas. Justiniani* Novella III, quasi epicœno genere, διακόνους ἄῤῥενας ἑκατὸν, τεσσαράκοντα δὲ θηλείας.

Cum de excessu boni viri collegæ mei Rigaltius ait *excessum esse mortem, quæ mox consummatio dicitur. Mortis nomen quantum poterant evitabant Christiani, ob spem resurrectionis et vitæ sempiternæ. Itaque pro mortuo, præmissum; et pro morte, obitum et excessum dicebant. Ductoque de arte calculatoria vocabulo, consummatum et consummationem annorum, dierum, horarumque velut nummorum numero in supremam summam collecto computatoque. Qualia sæpe apud Tertullianum occurrunt schemata.*

Consummatio honesta processerit. Rigaltius ait, Φαβιανοῦ ἐπὶ Ῥώμης μαρτυρίῳ τελειωθέντος. *Euseb.* VI, 39. *Ruffinus: Fabiano in urbe Roma martyrio coronato.*

Præpositi memoriam. Rigaltius ait: *Fabiani Episcopi Rom. quem etiam præpositum vocat Clerus Rom. Epistola præcedente, et eodem nomine cæteros quoque Ecclesiarum rectores appellat,* πρωτοστῶτα *dixerat Justinus. Præsidentem Tertullianus Apolog. Is est Episcopus qui et summus Sacerdos ab eodem Tertulliano dicitur.*

Legi etiam alias litteras. Rigaltius ait: *Assentior Pamelio, non alias fuisse quam præcedentes Epistolæ secundæ paginas.*

In quibus nec quâ scripserint, nec ad quos scriptum sit. Rigaltius ait: *Dicendum igitur in authentico omissum fuisse titulum. Quæ fortean fuerit Romanorum cautio sive prudentia, inter pericula Decianæ persecutionis.*

Eumdem ad vos Epist. authenticam remisi. Rigaltius ait: *Authenticam dicit, de cujus tamen fide dubitabat; sed nihilominus authenticam, cum eadem omnino esset quæ allata fuerat a Clementio.* Duplici nomine Epistola hæc clerica dicenda, quia scil. a Clero Romano ad Carthaginensem dirigeretur; tum etiam, idque præcipue, quia per nuntium sacris ordinibus initiatum missa fuerat. De ordine harum Epistolarum, consulantur anni 250, *Annales*, § VIII.

EPISTOLA X.

Martyribus et Confessoribus. Nicolaus Faber adnotat quod *confessores dicti sunt qui, coram judicibus interrogati, Christum professi erant; martyres, qui Christum professi, et præterea, ut abnegarent torti, perseverabant. Martyres igitur omnes confessores erant, sed confessores nondum martyres, nisi, ut eleganter Tertullianus vocat, initio lib. ad Mart., designati, et alibi, candidati martyrii.*

Confessio tamen præsens. Persecutio a magistratibus ordinariis intentata, ad exsilium solummodo processit. Proconsul accedens, tormenta et mortem addidit.

Quosdam jam comperi coronatos. Quinam illi fuerunt discimus ex Luciani Epistola: Bassus nimirum, Mappalicus, Fortunio, Paulus, Fortuna, Victorinus, Victor, Herenius, Credulus, Herena, Donatus, Firmus, Ventus, Fructus, Julia, Martialis, Aristo.

Voce libera. Qua se Christianos pro tribunali profitebantur.

Dans credentibus tantum, quantum se credit accipere qui sumit. Sic supra lib. ad Donat.: *Quantum fidei capacis afferimus, tantum gratiæ mundantis haurimus.*

Deus præstat agonem. Vid. quæ supra hac de re habentur l. II, adv. Judæos, c. 9.

In omnibus continens est. Rigaltius ait, *Paulus ad Cor.* I, πάντα ἐγκρατεύεται. *Et Vulgata versio:* ab omnibus se abstinet. Quibus subnectit Priorius quod *confert hic agonem christianum cum certaminibus gentilium, qui diligenter observabant victus et exercitationes pugilum, quibus non omnis cibus, sed* ἀναλωσεγία, *ut vocat Aristoteles, imponebatur. Panis eorum coliphium vocabatur. Abstinebant autem a voluptatibus omnibus propter exercitationem corporis, ut innuit Clemens Alexandrinus Strom.* III. *Plato lib.* III, *de Repub. idem habet:* Τοῦτο μὲν καὶ εἰς ἄλλοι ἀσκηταὶ ἴασιν ὅτι τῷ μέλλοντι σώματι εὖ ἕξειν χρήσιμον τῶν τοιούτων ἁπάντων. *Voluptates intelligit et noxias illecebras.* His addi possunt quæ Tertullianus habet in Exhort. ad Martyr.: *Athletæ segregantur ad strictiorem disciplinam, ut robori ædificando vacent: continentur a luxuria, a cibis lautioribus, a potu jucundiore*, etc

Assumptionis meæ. Legit ἀναλήψεως, in nostris codicibus ἀναλύσεως occurrit; vid. l. III, ad Quirin. cap. 16. Tertull. in *Scorpiac.* habet: *Tempus disjunctionis.*

Digitized by Google

Planqit ruinas et funera plurimorum. Rigaltius ait, *Sic epistola præcedenti : Inter plangentium ruinas. Ruinas dicit fratrum lapsorum, quos tormenta dejecerunt, ac per sævitiam tormentorum, thura dederant idolis, aut Christum negaverant. Ruinæ lapsorum, funera negatorum.*

Pax supervenerit Rigaltius ait, *De qua paterfamilias in Epistola sequente per juvenem illum anxium mandaverat, his verbis : Dic illi securus sit, quia pax ventura est.*

Accepto post gloriam commeatu. Rigaltius ait, *Post gloriam scilicet voluntatis integræ et conscientiæ gloriosæ quæ nos coram Deo facit martyres, etsi per ipsius indulgentiam Dei pax supervenerit non exspectata nec sperata, quæ nobis tribuat commeatum permanendi adhuc in sæculo et in Ecclesia laude florentes, ipso jam sæculo proculcato. Sic alibi,* si accepta pace commeatus a Deo datur, *hoc est, si fratres in periculo mortis, post acceptam ab Ecclesia pacem, Deo volente, periculum evadant, concesso illis a Deo vivendi commeatu, nihilominus pace fruantur, quam Ecclesia contemplatione mortis appropinquantis indulserat. Et libro de Mortalitate :* Cum quidam de collegis et consacerdotibus nostris infirmitate defessus et de appropinquante morte sollicitus commeatum sibi precaretur, *id est, a Deo peteret indulgeri sibi, ut adhuc aliquamdiu in vivis permaneret.*

Ob gloriam coronetur. Gloriosum certamen scilicet temperantiæ, castitatis, pietatis in pace, constantiæ, patientiæ et fidei in congressione.

EPISTOLA XI.

Quamquam sciam. Rigaltius ait : *August. lib.* IV, *de Bap. contra Donatistas, mentionem facit hujus epistolæ cum hoc titulo, Ad clericos de precando Deo. Quem titulum agnoscit tamquam Cypriani genuinum ; et quasi ad clericos verba faciens se quoque ipsum alloqueretur, transfigurans, inquit Augustinus, in se ut sanctus Daniel peccata populi sui.*

Sæculo verbis solis et non factis renuntiantes. Addit Augustinus ex Epist. Pauli ad Titum : Confitentur enim nosse se Deum factis autem negant. Porro locum hunc laudat l. *de Fide et Operibus* c. ult. Epistola 89. 9, 4 et etiam l. II cont. Cresc. c. 15.

Tormenta sine fine tortoris, sine exitu damnationis, sine solatio mortis. Rigaltius ait, *Tertullianus ad Mart., omne carnificis ingenium in tormentis : Ruffinus versione Historiæ Eccles. Eusebianæ libro* VI, *ubi de Origenis vexatione sub Decio :* Ita ut mille mortibus vexatus sit, nec tamen una ei quam exoptabat accideret, persecutore summo studio id gerente ut nec interitus præstaretur, nec pœna cessaret. *Eusebius tantum scripserat :* Μηδ᾽ὅπως αὐτὸν ἀνεῖεν παντὶ σθένει τοῦ διωκτοῦ φιλονείκως ἐστάντος. Recte annotat Pamelius hinc indicium sumi quo tempore scripta sit hæc Epistola.

Quamdiu deficiant. Usque dum. Donec.

Inter ipsa cruciamenta defecerit Hanc lectionem maxime genuinam existimo ; qui enim in tormentis exspiraverit, recte dicitur *adeptus gloriam non termino supplicii, sed celeritate moriendi.*

Dictum est in visione Rigaltius ait : *Visionum exempla sacri utriusque bibliothecæ codices, Mosaici scilicet et Christiani, suggerunt ; nam et multa sibi divinitus revelata Patriarchæ narrant, narrant Prophetæ. Vidit Petrus demissum sibi de cœlo vas ingens, et vidit Paulus quæ nec auris unquam audiverat, nec viderat oculus. Dein christianæ Patres Ecclesiæ pleraque sibi in somnis significata litteris mandavere. Et visionum testimonia Tertullianus citat non semel. Adeo in hac Deciana christiani populi vexatione, Cyprianus rem facit episcopo convenientissimam, qui, tempestate sæviente, ut peritus astrorum gubernator, cœlum contemplatur, et mandata sibi de cœlo vectoribus suis inculcat, suadendi genere efficacissimo, visione oblata sibi divinitus, negotio quod agitabat aptissima. Hanc vero visionem in somnis contigisse declarabit* Epistola XVI, *ubi de Ecstasi.*

Ut pro quibusdam personis designatis sibi peterent. Rigaltius ait : *Quod memoriam facti alicujus refricat de quorumdam lapsorum pœnitentia, circa quam dissona fuerant fratrum suffragia.*

Secundum pacem quam nobis Dominus dedit. Rigaltius ait : *Dixit Apostolis apud Joannem,* XIV, 27 : Pacem meam do vobis. Non quomodo mundus dat, ego do vobis. *Dubat enim pacem inter suos Apostolos mutuam. Ita sensit Chrysostomus,* Ἐγὼ δίδωμι τοιαύτην, ὥστε μετ᾽ ἀλλήλων εἰρηνεύειν, ὅπερ ὑμᾶς ἰσχυροτέρους ποιεῖ.

In unum fraternitas animata. Ὁμοθυμαδόν.

Rete portabat. Rigaltius ait, *hæc visio diabolum exhibet in armatura retiarii ; qui rete jaculo et tridente seu fuscina pugnabat.*

Ut circumstantem populum caperet. Rigaltius ait : *Æmulus Christi diabolus homines capit dolis et fraudibus. At Christus ad piscatores, Simonem et Andream, capiendis piscibus intentos. Venite, inquit, faciam vos piscatores hominum. Et pro retibus et sagena dedit eis mandata Dei Patris omnipotentis ad salutem æternam efficacissima, quibus illi præceptis sive mandatis, homines a diabolo in mortem deceptos, ad vitam reciperent.*

Jactu retis operiret. Rigaltius ait : *Retis superfusi, jaculo, ἀμφιβλήστρῳ, funda. Servius ad illud Virg. Georg. — funda jam verberat amnem. Funda, inquit, genus est retis, dictum a fundendo, id est jaculum, quod dicitur βόλος. Composito igitur retiario cum Thrace aut myrmillone aut secutore, ars certaminis erat ut retiarius effusum rete tanta agilitate contraheret, ut adversarium corriperet Contractionem illam sive comprehensionem Tertullianus spongiam dixit, libro de Spectaculis, defixus in morsus ursorum, et spongias retiariorum.*

Ut vos vexaret. τοῦ σωιάσαι, Intellexit in notione vocis communi, nimirum ut significet κακουργεῖν, βλάπτειν : non autem σῴζεσθαι, κοσκινεύσαι, de quibus Hesych.

Pater nos et corrigit. Hanc genuinam esse lectionem suadent quæ sequuntur, *et Christo ejus firmiter adhærentes* : quæ certe verba præcedentia ad Patrem determinant. Altera vero lectio quæ habet, *pariter nos et corrigit et tuetur*, respicit quæ supra habentur, de *Jesu Christo Domino et Deo nostro :* quæ minime quadrant.

In delictis licet plurimis constitutum. In eamdem mentem Tertullianus l. *de Pœnitentia* seipsum appellat *peccatorem omnium notarum.*

Dic illi, inquit, securus sit, quia pax ventura est. Rigaltius ait : *Itaque sub finem Epistolæ dicit : Rogemus pacem maturius reddi, cito latebris nostris et periculis subveniri. Hujusce autem visionis meminit Epist. 4 et 16. Alloquitur paterfamilias juvenem, cui supra apparuit Cypriano in somnis anxius et subtristis. Dic illi, id est Cypriano.*

Nemo retro attendens. Etiam Græca quædam exemplaria ordine isto verba legunt.

Quod ejuserat perdidit. Iter omne illud quod emensa fuerat in irritum cessit. De hoc usu vocis hujus apud Cyprianum, supra egimus.

Languentium. Lapsorum.

Lapsorum pœnitentia reformetur. Rigaltius ait, *Ne recipiatur cruda, præcox, et imperfecta, aut parum sincera.*

EPISTOLA XII.

Ad curam desit iis. Tertull. ad Martyr. : *Nihil adhuc dico de præmio ad quod Deus Martyres invitat. Ipsam interim conversationem sæculi et carceris comparemus, si non plus in carcere spiritus acquirit, quam caro amittit ; immo et quæ justa sunt caro non amittit per curam Ecclesiæ.*

Dies eorum quibus excedunt annotate. Tertull. l. de

Digitized by Google

Corona, Christianum sic alloquitur. *Habes tuos census, tuos fastos : nihil tibi cum gaudiis sæculi; immo contrarium debes* Libri rationum qui continebant expensas in pauperibus sublevandis factas, erant census fidelium tabulæ. Martyrologia, eorum fasti. Hoc fere tempore, sub initiis Decii. *Fabianus Romæ septem instituisse dicitur subdiaconos, qui septem notariis immmerent, et gesta martyrum in integro colligerent.* Porro Martyrum passiones et dies anniversaria commemoratione per Africam celebrari, dicit Cyprianus Ep. XXXIX. Et quidem de singulari priscæ Ecclesiæ Orientalis hoc in negotio diligentia, illustre monumentum exstat, cujus partem servavit Euseb. l. IX, c 15, Reverendiss. vero Usserius nuper integrum exhibuit; intelligo Epistolam Ecclesiæ Smyrnensis ad Ecclesias Ponti perscriptam, de Martyrio Polycarpi. Ibi postquam Acta Martyrii ejus percurri-sent, spondent fratres se favente numine ἐπιτελεῖν τὴν τοῦ μαρτυρίου αὐτοῦ ἡμέραν γενέθλιον, εἴς τε τῶν προηθληκότων μνήμην, καὶ τῶν μελλόντων ἄσκησίν τε καὶ ἑτοιμασίαν. Passionem autem incidisse ferunt μηνὸς Ξανθικοῦ δευτέρᾳ ἱσταμένου, πρὸ ἑπτὰ καλενδῶν μαρτίων, σαββάτῳ μεγάλῳ, ὥρᾳ ὀγδόῃ, συνελήφθη ὑπὸ Ἡρώδου εἰρηνάρχου, ὑπὸ ἀρχιερέως Φιλίππου τραλλιανοῦ, ἀνθυπατεύοντος Στατίου Κοδράτου. Quibus verbis nihil consignatius dici aut cogitari potest.

EPISTOLA XIII.

De vita nostra quotidie dimicamus. Rigaltius ait, Quod auctor *intelligit vitam æternam, ut supra* pag. 187 : *Disciplinæ et vitæ ipsi omnium nostrum convenit.* Sed magis obvium quod morti quotidie objicimur ; unde Tertullianus lib *de Spectaculis*, cap. I, *expeditum morti genus, vocat Christianos. Et si quid inauguratum aut fatale contingeret, Christianos statim ad leonem.* Idem, Apologet , c. 40.

Fides et nativitas accepta. Rigaltius ait : *Acceptam fidem, dicit. et acceptam nativitatem, pro suscepta fide Christiana, et suscepto Baptismo. Sic et amissum Baptismum dixit Tertullianus lib. de Bapt. et in antiquis inscriptionibus de sacris magnæ Matris : Taurobolium accepit et percepit, et Taurobolium fecit, et alicubi etiam,* Taurobolia*tus est. Quemadmodum autem accipere sacra dicebant, sic et tradere. Lapides antiqui. Tradiderunt Leontica. Tradiderunt Coracica. Tradiderunt Patrica.*

Consecutio. Baptisma. Vid. lib. III, *ad Quirin.*, c. 42 et 97.

Lucete sicut luminaria. Pamelius annotat quod, *vox græca φαίνεθε ambigua est. Insuper ad imperandi modum, quo hic Cyprianus utitur, et Ambrosium in comment. deflexisse.*

Ut dum retractant de vobis. Rigaltius ait : *Dum ethnici quæstionem habent de vobis, dum inquirunt, dum examinant, dum obloquuntur. Petrus Epist.* I, II, *ἐν ᾧ καταλαλοῦσιν ὑμῶν. Vulgata versio, detrectant. Glossæ veteres, Detrectare, λοιδορῖν Detrectat, ἀπωθεῖ.*

Quasi de Malignis. ὡς κακοτοιῶν.

Præcipui nominis. Christiani nimirum. Jac. II, 7, καλὸν ὄνομα.

Quando alius alicui temulentus. Rigaltius ait : *Omnes antehac editiones, quando alius aliquis, vel, quando unus aliquis temulentus. Hactenus igitur mendosissima scriptura præclarum Cypriani sensum corrupit. Cum quanto, inquit, nominis vestri pudore delinquitur, quando aliquis ab aquis temulentus et lasciviens demoratur? Ab aquis, id est, a baptismo. Qui nomen Christo dedit, qui in nomen Christi tinctus sive baptizatus est, hoc sacramento obligat sese futurum hominem frugi ac temperantem. Subinde igitur, si temulentus, si nequam apparet, magnum deducus et probrum religioni suæ objicit, nam cum temulentus a temeto dicatur, temetum autem aquis diluatur, iste contra naturam ab aquis existit temulentus, a lavacro lascivus et turpis. Renuntiavit Satanæ, et in Satanæ castra revertitur. Unde extorris factus est regreditur.* Pace Rigaltii dixerim, non omnes veteres editiones, sed ipsius emendationem esse mendosissimam ; nulla exemplarium fide, nullo rationis præsidio subnixam. Illic enim loci non de nuper baptizatis, sed confessoribus agitur : de revertentibus nimirum a Proconsulis tribunali, non autem ab Ecclesiæ baptisterio. Solemne quidem est, ut cum Critici lectionem, quæ ipsis arguta videtur, sectantur, genuinam et obviam deserant.

Unde extorris factus, etc. Pamelius ait : *Vides in expressis verbis in extorres objurgationem tendere ; alludit autem ad illud* I *Petr.* II : *Quæ est enim gloria si peccantes et colaphizati suffertis? utpote significant illos, qui injussi ab exilio reversi essent, jam occidi, non ut Christianos, sed ut nocentes.* Perperam hæc alio deflectit Rigaltius, quasi hæc mens esset Cypriani : *Confessores ob causam quidem Christi in exilium pulsos, sed ibi tam improbe conversatos, ut post reditum condemnentur a Judice, jam non ut Christiani, sed nocentes* Quæ extorres in aliena Provincia deliquerant, potuitne Africæ Proconsul Carthagine punire ?

Illustrata membra. φωτισθέντα, Est enim martyrium sanguinis Baptismus.

Sæculo renuntiaveramus. Non opus est de solemni obrenuntiationis formula, perpetuis temporibus in Ecclesia usurpata, eadem sæpius monere.

In moribus disciplinam. Rigaltius ait, *Post hæc verba, in codice Remensi leguntur ista : Et quamquam Clero nostro, et nuper cum adhuc essetis in carcere constituti, sed nunc quoque denuo plenissime scripserim, ut si quid vel ad vestitum vestrum, vel ad victum, necessarium fuerit, suggeratur : tamen etiam ipse de sumpticulis propriis quos mecum ferebam, misi vobis* CCL, *sed et alia* CCL, *proxime miseram. Victor quoque ex lectore diaconus qui mecum est, misit vobis* CDXXV. *Gaudeo autem quando cognosco plurimos fratres nostros pro sua dilectione certatim concurrere, et necessitates vestras suis collationibus adjuvare. Opto vos,* etc. *Quod auctarium tanto majoris esse pretii debet, quanto nobis apertius exemplum suggerit Cæcilianæ charitatis erga fratres. Nam in aliis quidem Epistolis habemus ipsum de propria quidem quantitate liberalem, hic vero etiam de sumpticulis suis, quos secum ad necessitates suas ferebat. Ut jam intelligamus, etiam de necessariis suis fratrum necessitates sublevasse. Etenim ipse sibi necessaria sumptibus suis degravabat. Viatico autem levi nihil gravius.* In codicibus tamen quos videre contigit, hæc nusquam occurrunt.

EPISTOLA XIV.

Limare possemus. Rigaltius ait : *Glossæ veteres : Limat, ῥιπίζει, ζητεῖ. Phædrus : Si mendacium subtiliter limasset a radicibus, non evertisset scelere funesto domum.*

Tertullo. Prius laudato, sæpius laudando. Siquidem is notissimæ fortitudinis, et eximiæ industriæ in rebus martyrum procurandis vir fuerit ; nulla suscipio subesse poterat, quod is timida consilia Episcopo suo suggessisset Ita omnem ansam arripit Cyprianus ut secessum suum tueretur.

Discant quid secundum scripturarum magisterium Ecclesiastica disciplina deposcat. Rigaltius ait : *Incuicat quod jam monuit Epistola præcedenti, ut qui jam confessionis titulo gloriantur, sint nihilominus humiles, modesti, quieti. Ne superbia sua provocent adversum se ethnicorum sævitiem, tamquam adversus rebelles et contumaces, et sic nomini Christiano invidiam faciant. Curæ autem pretium fuerit, semel hic observare Cæcilium nostrum istis Epistolis, hoc præsertim contendere, ut populum faciat quietum, ac probe Christianum. Sciebat enim plerosque proterva Christiani nominis jactatione importunos, ipsas etiam sæculi potestates, ac persæpe aliud agentes, toties concitasse, ut necesse habuerint publicæ quietis perturbatores pœnis supra modum exacerbatis crudelissime coercere. Quæ res magnum fidei Christianæ dedecus attulerat. Hoc item sciebat, in Ecclesia sua complures esse lavacri salutaris fiducia nimium securos, disciplinæ totiusque fraternitatis imme-*

Digitized by Google

mores, lucri cupidos, ambitioni studentes, factiosos, luxuriæ deditos, superba conversatione sibi placentes, omnibus displicentes, solo denique nomine Christianos. Ait igitur Cyprianus hos mores tantorum causas esse luctuum, quibus Ecclesia protrita disperditur. At quid istic miramur in duorum jam sæculorum Ecclesia, qui et pejora Corinthiis suis Paulum exprobrasse toties audimus aut legimus?

Ad ineptias et discordias. Rigaltius ait, *Cavet Cyprianus confessoribus istis, quemadmodum Septimius benedictis illis ad martyrium designatis, quos in ipso carcere a diabolo tentatos fuisse dicit vilibus scidiis, affectionibus, aut inter se dissentionibus. Quæ sane multa mala dederunt reipublicæ Christianæ. Ineptias hic dicit, quæ Tertullianus viles scidas, aut vilia scidia.*

Ad id vero quod scripserunt mihi compresbyteri nostri. Rigaltius ait : *De lapsis videlicet ad pœnitentiam recipiendis.*

Nihil sine consilio vestro et consensu plebis. Rigaltius ait, *Hoc est cum tota Ecclesia, sicut Apostoli fecerant, prima illa Synodo, quæ describitur in Actor.* xv, 22. *Tunc placuit Apostolis et Senioribus cum omni Ecclesia.* Ἔδοξε τοῖς Ἀποστόλοις καὶ τοῖς πρεσβυτέροις σὺν ὅλῃ τῇ Ἐκκλησίᾳ. *Ad eum vero locum præclare Chrysostomus : Ὅστε δεῖξαι ὅτι οὐ τυραννικῶς, ὅτι πᾶσι ταῦτα δοκεῖ. et paulo post : οὕτως οὐδεὶς τύρος ἦν ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ. Sic ipsimet Romani infra Epist. 3. Collatione consiliorum cum episcopis, presbyteris, diaconis, confessoribus pariter ac stantibus laicis.* Supra monuimus sategisse Cyprianum invidiam amoliri : hic vero dicit se nihil quod ad disciplinæ Ecclesiasticæ rationes spectat inconsulta plebe statuere. Etenim cum exterior effectus potestatis clavium in hoc fere versabatur, ut Plebs censuræ subjectos pro Ethnicis et Publicanis haberet ; certe non erat exspectandum ut amicos, necessarios, fratres excommunicationis fulmine percussos, desererent universi ; aut alios quos ejecerant denuo admitterent, donec de eorum criminibus, aut pœnitentia, ipsis fuerit satisfactum. Porro hic observandum, in lapsorum causa non ex receptis in Ecclesia moribus, sed cum lenitate eo usque inaudita actum ; et proinde magis e re erat, ut innovati moris ratio redderetur.

EPISTOLA XV.

Honorificam petitionem. Statim appellat *martyrum desideria.* Quidquid martyres in gratiam lapsorum præstitere, erat id totum per modum intercessionis ; quæ quidem *honorifica* admodum, et non facile insuper habenda ; *petitio* tamen usque fuit, et gratiæ solum prærogativis pollebat. Rem multis exequitur Cyprianus in lib. de Lapsis, p. 92, hujus editionis, et deinceps. *Mandant*, inquit ille, *aliquid martyres fieri ? si justa, si licita, si non contra ipsum Dominum a Dei sacerdote faciendu sunt ; obtemperantis facilis et prona consensio, si petentis fuerit religiosa moderatio*, etc. Apud Deum intercessiones Martyrum plurimum valere putabantur, quia *amici Dei* peculiari ratione dicti et credit sunt. In Ecclesia prærogativam habuerunt, quia si lapsi eidem scandalo fuerant, martyres e contra laudem et decus eidem fœnerabantur, atque cumulabant. At verisimile videtur ; hic loci, modestum et sobrium libellum quem primo miserant Martyres, ipsis dignam et *honorificam petitionem*, peculiari ratione appellari. Observandum porro, quod etiam alibi annotavimus, aliter longe martyrum jussa obtinuerunt qui coronati e vivis excesserant ; et eorum qui etiamnum superstites, de corona et pace sua ipsi periclitabantur. Prisca martyrum simplicitas vivis coloribus depingitur ab Ecclesia Lugdunensi et Viennensi, litteris quas scripserunt de passione martyrum sub M. Aurelio, Ecclesiis Asiæ et Phrygiæ. Οὐχ ἅπαξ οὐδὲ δὶς, ἀλλὰ πολλάκις μαρτυρήσαντες, καὶ ἐκ θηρίων αὖθις ἀναληφθέντες, καὶ τὰ καυτήρια, καὶ τοὺς μώλωπας καὶ τὰ τραύματα ἔχοντες περικείμενα. οὔτ' αὐτοὶ μάρτυρας ἑαυτοὺς ἀνεκηρυττον, οὔτε μὲν ἡμῖν ἐπέτρεπον τούτῳ τῷ ὀνόματι προσαγορεύειν αὐτούς, etc. Porro lapsos non quasi missilibus et donariis in medium projectis locupletabant, et securos beatosque esse jusserunt optimi martyres ; sed monitis et sollicitæ pietatis officiis ad bonam frugem restituentes curabant : Οὐ γὰρ ἔλαθον καύχημα κατὰ τῶν πεπτωκότων, ἀλλ' ἐν οἷς ἐπλεόναζον οὗτοι, τοῦτο τοῖς ἐνδεεστέροις ἐτήρκουν. μητρικὰ σπλάγχνα ἔχοντες, καὶ πολλὰ περὶ αὐτῶν ἐκχέοντες δάκρυα πρὸς τὸν πατέρα. etc. Euseb., l. v, c. 2. Demum Cyprianus hac in Epistola, post mentionem factam *honorificæ petitionis* Martyrum ; transit ad *actam pœnitentiam*, dein recenset *exomologesin gravissimi atque extremi delicti*, nimirum Idololatriæ. Postea memorat, *manus ab episcopo et clero in pœnitentiam impositas*, et demum *pacem oblatam lapsis, et Eucharistiam datam* refert. Quibus verbis, quæ fere occurrunt Epistola proxima, typus exhibetur totius veteris ecclesiasticæ disciplinæ. Primus ad veniam et pacem gradus erat, si reus ad Pœnitentiam admitteretur ; quod non sine manuum impositione, et exomologesi seu confessione expediebatur. Secundum complevit pœnitentiæ impositæ, per varias fletus, auditionis, et consistentiæ periodos, decursus. Tertium fecit exomologesis altera, sive solemnis et publica post peractam pœnitentiam peccati confessio. Huic quarto in loco successit, manus ab Episcopo et clero, denuo in tesseram reconciliationis concessæ, impositio. His rite peractis, ad Eucharistiæ mysteria tandem pandebatur aditus. Sed miro viarum compendio id nunc agebant Martyres, *ut lapsi mortiferos idolorum cibos adhuc pene ructantes, exhalantibus etiam nunc scelus suum faucibus, et contagia funesta redolentibus, protenus Domini corpus inraderent.* Verba sunt Cypriani, lib. de Lapsis, p. 92. Suffragia martyrum in causa lapsorum in Ecclesia olim obtinuisse, ex Tertulliano ostendimus, P. hujus operis 93, unde recte infra dicitur. *Qualia in præteritum antecessores vestri martyres concesserint.* Paulum vero, Aurelium, et præ reliquis, Lucianum, eos fuisse qui in libellis temere concedendis modum excessissent, ostendit Cyprianus, Ep. 27, ad Pamnum 23.

Gravissimi atque extremi delicti. Rigaltius ait : *Alibi dixit : Æterni peccati, Idololatriam significat. Ingens et supra omnia peccatum. Principale crimen generis humani. Summus sæculi reatus. Tota causa judicii. Tertullian.*

Offerre pro illis. Verior certe hæc lectio, et quam Ep. 2 tuetur ; ubi decreti synodici habetur mentio, ne *quis frater excedens ad tutelam vel curam Clericum nominaverit : ac si quis hoc fecisset, non offeretur pro eo* Sic Epistola sequente : *Offertur nomine eorum*, et, *prohibeantur offerre.* Ex altera parte, *offerre pacem* non ita commode dicitur.

Lapsis quidem potest in hoc venia concedi. Rigaltius ait, *In hoc scilicet, quod urgeant ; quod festinent ; quod anticipare velint pœnitentiæ tempora.*

Mater prior sumat. Rigaltius ait, *Ep. sequ. Mater nostra Ecclesia. Tertull. libro ad Martyras, Domina mater Ecclesia. Consultissime Cyprianus, desideria martyrum super pace lapsis concedenda, in illud tempus servat, cum ipsa mater Ecclesia pace gaudebit. Ne scilicet æstu persecutionis incalescente, a ruina recentes, confestimque ad pacem admissi, stantibus cæteris exemplo suo noceant, minus constanter in agone certaturis, blandiente ipsis post lapsum et ruinam, pro se quoque sperandi dulcedine.*

Abrupte et indigne vel a vobis promissum. Rigaltius ait : *Ut apud martyres, censoria verba sic præmittit, ut temperari possint sequentibus istis, vel a nobis factum.*

Apud Gentiles quoque ipsos Ecclesia nostra erubescere incipiat. Rigaltius ait : *Sic supra, de quo posmodum non erubescit Ecclesia, apud gentiles scilicet. Erubescere autem contingebat ob dissolutos quorumdam mores, vel ob disciplinam minime servatam fide turviter eversu ipso statim agonis principio.*

Personas accipientes. Rigaltius ait : *Matthæus et Marcus dixere, βλέπειν εἰς πρόσωπον.* xxii, 16, xii, 14.

Digitized by Google

Lucæ, XX, 21. λαμβάνει πρόσωπον. *Cui opponitur* ἐπ' ἀληθείας τὴν ὁδὸν τοῦ θεοῦ διδάσκειν. *Deus non est* προσωπολήπτης.

Aucupantur. Rigaltius ait : *Quam fœda labes etiam illius Ecclesiæ martyras prostravit? Nam hoc significat Cyprianus, etiam inter martyras extitisse qui venales haberent pacis libellos.* Turpius autem multo, si ipsi Pontifices mercium istarum institores sint et propolæ.

Ad Clerum et ad plebem. Hæc simul scripta fuisse, cum dictionis sequentibus hinc ostenditur. Quod licet earum hic meminerit Cyprianus, etiam vice versa earumdem in illis mentionem faciat. Vid. Ep. XVI et XVII sub finem.

EPISTOLA XVI.

Diu patientiam meam tenui. Plures antea ex secessu scripsit Epistolas auctor noster presbyteris et diaconibus; in causa vero lapsorum, post acceptam Donati Fortunati, Novati et Gordii insolentem postulationem, cui satisfacturum se sperarent, cum de ea usque ad reditum suum ampliandum dixisset; nunc primum litteras ad illos facit.

Aliqui de presbyteris. Scilicet superiore Epistola nominati, inter quos nonnulli illi ipsi esse noscuntur, qui deinceps Cypriano nostro infensi fuerunt; et quinque presbyterorum titulo insigniti sunt : quos tamen ut deliniret, compresbyteros appellat.

Nec loci sui memores. Rigaltius ait : *Gradus presbyteralis, qui subditus est episcopali. Nam sic erat ordo Ecclesiasticus sub Cypriano, atque idem omnino jam fuerat ævo Tertulliani. Nam ubi disserit de facultate dandi Baptismi; Dandi quidem, inquit, habet jus summus sacerdos, qui est episcopus, deinde presbyteri et diaconi : non tamen sine Episcopi auctoritate, propter Ecclesiæ honorem; quo salvo, salva pax est.* Immo is erat ordo, a primis Christianæ pietatis initiis; saltem ex quo presbyteros in partem curarum admiserunt Episcopi. Unde dicit quod hoc presbyterorum attentatum, *numquam omnino sub antecessoribus factum.* Ignatius ait, licere μηδὲν ἄνευ γνώμης ἐπισκόπου πρᾶσσειν, οὔτε βαπτίζειν, οὔτε προσφέρειν, οὔτε θυσίαν προτιθέναι.

Contemptu Præpositi totum sibi vindicent. Non intra petitionis limites consistant, adeo ut nihil episcopo relinquunt, nisi obsequii gloriam, aut parendi necessitatem.

Sine ratione restituendæ salutis. Rigaltius ait : *id est, communionis, extra quam non est salus.*

Omnia peccata remittentur filiis hominum. Rigaltius ait : *Marci verba sunt cap.* III πάντα ἀφεθήσεται τὰ ἁμαρτήματα τοῖς υἱοῖς τῶν ἀνθρώπων *Quorum verborum sententiam vulgatæ versionis auctor ubique fecit transpositione verbi*, remittentur, *quam hic servavit Cyprianus. At libro ad Quirinum manifestissime dixit non posse in Ecclesia remitti ei, qui in Deum deliquerit; deinde citat ex Evangelio* κατὰ Ματθαῖον : *Qui dixerit verbum adversus filium hominis, remittetur illi : qui autem dixerit adversus Spiritem sanctum, non remittetur illi, neque in hoc, neque in futuro sæculo. Et statim apponit ex Marco : Omnia peccata remittentur filiis hominum, et blasphemiæ*, etc. *Ex quibus manifestissimum, hac Epistola et libro ad Quirinum, hunc esse Cypriani mentem; remitti omnia peccata quæ adversus filios hominum, id est, adversus homines, quis commiserit; non autem quæ adversus Spiritum sanctum. Hoc vero Cyprianus habet a magistro suo. Etenim libro de Pudicitia : Dimittis, inquit, ut dimittatur tibi a Deo. Delicta mundantur quæ quis in fratrem, non Deum, admiserit. Debitoribus denique dimissuros nos in oratione profitemur. Procul dubio intellexit Septimius : Debitoribus nostris, non Dei.* Bona cum venia Rigaltii, talis sensus his verbis Cypriani assignari debet, qui cum ejus instituto consistere poterit. Locum hunc laudat ut ostendat, veniam non temere lapsis concedendam; ita tamen ut eadem pœnitentibus non denegetur. Dicendum itaque puto, auctorem nostrum sensisse blasphemare Spiritum sanctum, idem prorsus esse ac Christum abnegare. Et revera Luc. XII voces hæ immediate subnectuntur istis : *Omnis quicumque confessus fuerit me coram hominibus, et filius hominis confitebitur eum coram Angelis Dei; et qui me negaverit coram hominibus, negabitur coram Angelis Dei.* Porro ubi occurrit idem Domini dictum Matth. XII et Marc. III, ad blasphemos in eum dirigitur. Vid. quæ annotata in l. III ad Quirin. c. 28 : *Remissam eis non habebit.* Quia Ecclesia ejiciendus est, nec nisi per pœnitentiam, quæ unica post naufragium tabula, resti ui potest.

Æterni peccati. Sic græca quædam exemplaria legunt ἁμαρτίας. Per æternum peccatum, intelligit summum illud nefas idololatriæ, quod ab Ecclesia exturbatur.

Plus cadent. Rigaltius ait : *Qui jam exciderunt de fide dicta Christo, nunc etiam excidunt de disciplina Ecclesiæ Christi.*

In minoribus peccatis. Saltem respectu habito ad Apostasiam, intelligit enim inter alia adulterium et homicidium. Eamdem comparationem instituit Cypr. Ep. proxima.

Offertur nomen eorum. Rigaltius ait : *Inter orationum sacrificia nominantur. Orationes sive preces pro eis nominatim allegantur Deo per Presbyteros. Offertur nomen eorum una cum precibus quæ pro eis offeruntur. Quod observat Pamelius, in libris manuscriptis Canonem ita concipi : Memento, Domine, famulorum famularumque tuarum; nomina, sic intelligi debet, ut post ea verba, Memento, Domine, famulorum famularumque tuarum, scriptum fuerit præcipiendi modo nomina : quæ scilicet admoneantur presbyteri qui pro populo facit mentionem hoc loco habendam esse certarum personarum nominatim.*

Exomologesi facta. Publicam confessionem hic intelligi supra in lib. de Lapsis, monuimus. Ita in Epistola ad Antonian. : *Placuit sacrificatis in exitu subveniri, quia exomologesis apud inferos non est :* ubi omnino constat verbi illi Psalmistæ laudari : *In inferno quis confitebitur tibi?* Dicertis porro verbis subjicitur; *Et quia apud inferos confessio non est, nec exomologesis illic fieri potest.* Sic lib. de Lapsis *Quanto et fide majores, et timore meliores sunt, qui quamvis nullo sacrificii aut libelli facinore constricti; quoniam tamen de hoc vel cogitaverunt, hoc ipsum apud sacerdotes Dei dolenter et simpliciter confitentes, exomologesin conscientiæ faciunt, animi sui pondus exponunt.* Et statim de tribus pueris ait : *Exomologesin faciebant Deo in medio ignis* Et similiter de Daniele ait, *Exomologesin dolenter faciens*, dixit : *Domine, Deus magnus*, etc. *Peccavimus, facinus admisimus*, etc.

Servos Dei cum Dei sacerdote committunt. Rigaltius ait, *Id est, cum Episcopo. Sic Ep.* 52 *constitutum Romæ Dei sacerdotem. Animadvertendum hic Dei servos committi cum Dei sacerdote. Sed meminisse debet Dei sacerdos, esse se etiam Dei servum.*

Memores loci nostri. Rigaltius ait, *Episcopalis, et quidem Carthaginensis Ecclesiæ, quæ prima provinciæ sedes, adeoque multarum Ecclesiarum curam sustinebat.* Sic in Cod. Eccles. Afric. Aurelius Carthaginis Episcopus : *Ego cunctarum Ecclesiarum dignatione Dei, ut scitis fratres, sollicitudinem sustineo.* Ibidem, Numidius Episcopus ad Aurelium, *fuit semper hæc licentia huic sedi, pro desiderio cujusque Ecclesiæ ordinare Episcopum.* Epigonius item Episc. : *Necesse habes tu omnes Ecclesias suffulcire. Itaque ipse Cyprianus, Epistola* 15 *sic incipit : Sollicitudo loco nostri, et timor Domini compellit.*

Per dies quoque impletur apud nos Spiritu sancto puerorum innocens ætas, quæ in extasi videt. Rigaltius ait : *Non ex somniis tantum, verum etiam ex furore, divina variorum eventuum præsagia concepere viri Christiana pietate laudatissimi. Et somniorum quidem exempla, quæ Cæcilius noster Ecclesiæ suæ presbyteris narrat, supra notavimus. Hac Epistola per extasicos puerorum innocentium effatus monita quædam sive mandata inculcat. Per dies, inquit, impletur apud*

Digitized by Google

nos Spiritu sancto puerorum innocens ætas, quæ in exst si videt oculis, et audit et alloquitur ea quibus nos Dominus monere et instruere dignatur. Recte, in exstasi. Nam adventans in pueros vis divini Spiritus, elocabat quidquid in illis erat mentis inquilinæ sive domesticæ: ita ut quisque, non jam sui compos, magno illo habitatore plenus, nihil præter hospitem suum sentiret, nec videret, nec loqueretur. Quam prope explora tum habuit hanc divini furoris gratiam Aristoteles, libro de Divinatione per insom. ubi fatetur exstaticos futura quandoque prospicere. τοῦ δὲ ἑνὸς, *inquit,* τῶν ἐκστατικῶν προορᾶν αἴτιον ὅτι αἱ οἰκεῖαι κινήσεις οὐκ ἐνοχλοῦσιν, ἀλλ' ἀποδρατίζονται τῶν ξενικῶν οὖν μάλιστα αἰσθάνονται *Unde autem illa ξενικά, nisi ab illo divino hospite illata et invecta? Præclara e Philo Dissertatione sua: Quis divinorum hæres,* ἔξοχα ζηται μὲν γὰρ ὁ ἡμῖν ὁ νοῦς κατὰ τὴν τοῦ θείου πνεύματος ἄφιξιν. θέμις γὰρ οὐκ ἔστι θνητὸν ἀθανάτῳ συνοικῆσαι. Διὰ τοῦτο ἡ δύσις τοῦ λογισμοῦ καὶ τὸ περὶ αὐτὸν σκότος, ἔκστασιν καὶ θεοφορητον μανίαν ἐγέννησε *Idem auctor huncce furorem dicit esse* ἔσθεσιν κατοχωτικήν τε μανίαν. *Ac propterea Tertullianus adversus Marcionem, hoc etiam defendit, gratiæ exstasin, id est, amentiam convenire. In spiritu enim homo constitutus, inquit, necesse est excidat sensu. Itaque in exstaticis aliquantisper sapientia moritur. Nimirum divinæ supervenitu humana sic offuscatur et inumbratur, ut excessisse interim videatur. Chrysostomus, ubi de visione, qua Petrus vas ingens cœlo demissum conspexit;* ἔκστασις, πνευματικὴ θεωρία γέγονεν αὐτῷ· τοῦ σωματος, ὡς ἂν εἴποι τις, ἐξέστη ἡ ψυχή.

EPISTOLA XVII.

In plebe consistentibus. Vid. quæ dicta ad Ep. 1.

Quibus potens est divina misericordia medelam dare. In illa erant sententia etiam Montani et Novatiani sequaces, gravissimorum flagitiorum compertos, licet ab Ecclesia veniam non obtineant, a Deo tamen posse obtinere: Is ergo non in hoc vertebatur; et recte auctor noster hoc suffragium opponit lapsis qui ad pœnam festinarent, quod non de eorum salute conclamatum sit, quibus ante pœnitentiæ decursum mori contingeret.

EPISTOLA XVIII.

Ætatem cæpisse. Lavandæ disciplinæ causam aliam suppeditat Epistola vicesima ad Pamel. numeros 15. Quod numerum non modo lapsi, et plurimi ex presbyteris Carthaginensibus, sed et Romana Ecclesia indulgentia utendum censuisset: et durum omnino esset, non suorum modo, sed et vicinæ Ecclesiæ, apud quem secessus ejus jam tum male audiebat, simul et semel invidiam et iras suscipere

Apud diaconum quoque exomologesin facere. Rigaltius ait: *Est enim etiam in diaconatu sacerdotium.* Sic Epist. xx. *Item Presbyteris et Diaconibus non defuit sacerdotii vigor.* Caute hic legendus est Rigaltius dum ait *esse in diaconatu sacerdotium.* Quacunque necessitas cogit etiam illa defendit, sed tantisperdum incubuerit. Nota est historia apud Euseb. l. vi, c. 44. Eucharistiæ per puerum Serapioni transmissæ: nemo tamen dixerit fas esse pueris sacra illa mysteria distribuere. Longe autem is a vero abit, cum in dictorum suorum finem adducit verba quæ infra habentur: *Presbyteris et diaconis non defuit sacerdotii vigor.* Intelligit enim illic Cyprianus, suam potestatem in ipsos delinquentes, sive presbyteri essent sive diaconi non defuisse: siquidem utrosque admonuisset. Dicitur porro apud diaconum exomologesis facta, non quasi is solus esset ejusdem conscius; pœnitentia enim vel ægrotantium, quantum fieri potuit iis sæculis, publica erat; sed quia absente presbytero, ad quem munus illud imprimis spectabat, diaconi præsidia habebantur prorsus necessaria, quicunque e plebe adesse contingeret. Cum enim Ecclesia clero et plebe contineretur, par erat ut quando per exomologesin eidem satisfieret, adessent qui utriusque partes sustinerent. *Forma* a Cypriano Episcopo *data* fuit: conditionem nimirum sub qua lapsi in Ecclesiam reciperentur is præscripsit, quod ex Epistola hac et sequente, plurimisque aliis abunde constat. *Formæ* sive conditionis impletæ Ecclesiæ non inertes et arbitri erant diaconus et fratres laici in hanc rem accisi. Hæc prisca disciplinæ Ecclesiasticæ ratio, *ut præpositi cum clero convenientes, præsente et stantium plebe, quibus et ipsis pro fide et timore suo honor habendus est, disponant omnia, consilii communis religione.* Sic in sacrorum ordinum collatione, κατάστασις ad episcopos. συνοδικεσις ad plebem spectabat. Vid. Ep lxvii nec non Clementis *Ep. ad Rom.* parag. 44.

Partem plebis quæ lapsa est. In secunda classe erant lapsi nullis Martyrum suffragiis commendati, aut etiam nondum ad pœnitentiam admissi; sed terrore mortis ingruentis de periculo admoniti, supplices ut ad pacem admitti possent. Illi quamquam non pariter recipi oeberent, divinæ tamen misericordiæ erant commendandi, cujus præsidio eorum animi, tantisper donec uberiora remedia procurari possent, erant fulciendi. Hunc esse verborum sensum, ex Epistola sequenti liquido apparet.

Audientibus etiam. Tertius ordo est catechumenorum; qui cum nondum fidem Christo obstrinxissent, levius reliquis lapsi videbantur; et proinde paratiorem veniam exspectare poterant.

EPISTOLA XX.

Actus nostri ratio. Rigaltius ait: *Actum dicit, ministerium, administrationem, disciplinam. Et sub finem istius Epist. Actus noster, qui adunatus esse et consentire circa omnia debet. Sic etiam Epist.* xxvi. *Actus suos desiderant etiam ab ipsis suis fratribus comprobari.*

Sicut Domini mandata instruunt. Nimirum Matth. x, 23, cui addi potest et ejus exemplum, quod mandato æquipollet. Luc. iv, 30 et alibi. Unde Origen. in Joan. xviii, 12, ait: διδάσκει ἡμᾶς ἐν δωγμοις καὶ ταῖς καθ' ἡμῶν ἐπιβουλῆς ἀναχωρεῖν. In hanc mentem Clemens Alexand Strom. iv, rationem reddens quare Dominus fugere jussit, dicit: Βούλεται ἡμᾶς μηδενὶ αἰτίους μηδὲ συναιτίους κακοῦ τινος γίνεσθαι, σῴζειν τε αὐτοὺς, πρὸς δὲ, καὶ τῷ διώκοντι καὶ τῷ ἀναιροῦντι. τρόπον γάρ τινα προσαγγέλλει ἑαυτὸν περίστασθαι. ὁ δὲ παρακούων, τολμηρὸς καὶ ῥιψοκίνδυνος. εἰ δὲ ὁ ἀναιρῶν ἄνθρωπος θεοῦ, εἰς θεὸν ἁμαρτάνει, καὶ τοῦ ἀποκτείνοντος αὐτὸν ἔνοχος καθίσταται, ὁ ἑαυτὸν προσάγων τῷ δικαστηρίῳ. οὗτος δ' ἂν εἴη ὁ μὴ περιστελλόμενος τὸν ὄνωμὸν. ἀλώσιμον διὰ θράσος παρίχων ἑαυτὸν οὗτός ἐστι τὸ ὅσον ἐφ' ἑαυτῷ, ὁ συνεργοποιούμενος τῇ τοῦ διώκοντος πονηρίᾳ. Similiter Ecclesiæ Smyrnensis Polycarpi passionem describens, quæ quidem post ejus secessum contigerat, eam vocat τὸ κατ' εὐαγγέλιον μαρτύριον. Subjungens, περίεμενεν γὰρ ἵνα παραδοθῇ ὡς ὁ κύριος, ἵνα μιμηταὶ καὶ ἡμεις αὐτοῦ γενώμεθα, μὴ μόνον σκοποῦντες τὸ καθ' ἑαυτοὺς, ἀλλα καὶ τὸ κατὰ τοὺς πέλας etc. Quæ ex altera parte magna cum pompa afferuntur, magis Montanum sapiunt quam Christum.

Sacrilegis contactibus manus suas atque ora maculassent. Rigaltius ait: *Illi dicebantur sacrificati, qui maculaverant manus suas imposito in acerram thure, vel maculaverant ora e vescentes idolothyta.*

Durentur quotidie libellorum millia. Quantus lapsorum in Deciana persecutione numerus vel hinc constare poterit; præsertim cum uno libello totas familias martyres passim includerent. *Communicet ille cum suis.* Vid. Ep. 15 et alibi Ep. 25. *Universis pacem dimittimus* Et porro. *Habeant pacem non tantum hæc, sed et quas scius ad animum nostrum pertinere.* Ep. 22 Certe, hujusmodi libellorum millia, lapso humano generi videntur suffectura.

Digitized by Google

EPISTOLA XXI.

Celerinus Luciano. Litteræ hæ a Celerino Romæ agente, ad Lucianum confessorem Carthaginensem transmissæ, una cum sequentibus, multum faciunt ad explicandam de lapsis restituendis controversiam, et in ea excitanda singularem Luciani inverecundiam ostendunt : quæ plurimum molestiæ Cypriano et Ecclesiæ ejus creabant. Unde e re erat, ut is hasce Epistolas recolligeret, atque suis adjungendas curaret. Vid. Ep. XXXVII et XXXIX.

Hujus mundi. Correctio ista receptæ lectionis, ut et sequentes adeo sunt manifestæ, ut non opus sit commentariis illas aut defendere aut illustrare.

In tam florida confessione. Rigaltius ait : *Hoc est purpureæ ; in qua sanguis fusus est pro nomine Christi. Sic Tertullianus lib. de Corona, dixit militem Christi russatum sanguinis sui spe. Et paulo post Cæcilius noster dicet floridos martyres, sive confessores, sanguine fuso purpuratos. Jam vero pridem Salmasius probavit Græcos scriptores ἀνθηρὰν dixisse, purpuram veri luminis, hoc est coloris excellentis et perfectissime florentis. Sic etiam auctores Latini, circa Cypriani sæculum, floridos versus dixere, exquisitis sententiis nobiles : et excerpta quædam Apuleii florida. Et floridus color opponitur austero. Plin. lib.* XXXV, *cap.* 6.

Peto tamen, charissime, a Domino. Ac si dixerit : Si martyrium subieris antequam litteræ meæ ad te pervenerint, Dominum rogo ut miserarum sororum mearum misereatur. Si vero litteræ meæ ad te vivum pervenerint, responsum reddas obsecro, et a Deo petas ut sim dignus et ego coronari, et annuas desiderio meo pro sororibus.

Et ideo peto ut annuas desiderio meo. Libellum concedas Numeriæ et Candidæ, quæ lapsæ erant. De origine horum libellorum, conjecturam satis commodam interponit illustrissimus Baronius in an. Christi 253, parag. 60. *Fluxisse inde ea consuetudo videtur, quod lapsi ad confessores ab episcopis pro pace consequenda, priusquam reconciliarentur Ecclesiæ, mitterentur ; ut ab illis primo veniam peterent, in quos inverecundius deliquissent, dum fortiter confitentibus illis, ipsi ignaviter pernegassent. Magna certe imprimis hujusmodi pœna esse videbatur, ipsos turpi negatione fœdatos, vel vultus eorum inspexisse confessionis gloria fulgidos atque decoros. Consulebatur hac via et confessorum dignitati et lapsorum utilitati, qui sic cogerentur, ut victi, se victoribus subjicere, eaque animi demissione eorum precibus veniam ab Ecclesia promereri. Sed quod in remedium olim fuerat introductum, humana nequitia cœpit convertere in delictum, dum lapsi spreto episcopo ac aliis sacerdotibus, sponte convolarunt ad martyres, extortisque ab iis supplicibus ad episcopum de communicatione libellis, quasi oppignoratam, ac martyrum precibus debitam communicationem, ab Ecclesia exigebant potius, quam petebant.* Et quidem confessores ex parvis initiis in immensum sua privilegia ampliasse, fidem facit illorum hoc ipso fere tempore Romæ attentatum ; ubi libellis suis pseudoepiscopum Ecclesiæ obtrudebant. Sic Pacianus Ep. II dicit Novatianum *episcopum factum per epistolam eorum qui se confessores esse simularent.* Et Ep. III : *Ille auctoritate Epistolarum, sedente jam Romæ adversus fas sacerdotii singularis, alterius Episcopi sibi nomen assumit.* Sed in præsenti causa, quiddam peculiari ratione inexspectatum occurrit. Celerinus Romæ agens, a Luciano Carthaginiensi confessore, pacem Numeriæ et Candidæ concedi petit, quæ Romæ erant lapsæ, et illic ab Ecclesia depulsæ permanebant. Quæ quidem prærogativa, episcoporum jura longis intervallis superat, quorum potestas inter suarum Diœceseon limites clauditur. Sed revera martyres non uni alicui Ecclesiæ, sed omnibus, a primis christianæ fidei sæculis deputabantur : videmus enim Acta martyrum, ab una Ecclesia ad alias transmissa ; et singularum Ecclesiarum martyrologia, non suorum modo, sed et longe dissitorum hominum nomina continere. Erant porro in proximo Moyses et Maximus, aliique Romæ confessores, e quibus nonnulli, Moyses saltem, martyrio coronabantur ; quare non ab ipsis Celerinus veniam pro lapsis sororibus petit ? An hoc factum quia Numeria et Candida Afræ erant, et licet Romæ deliquerint, Carthaginensi Ecclesiæ deputabantur ; et proinde martyrum Ecclesiæ Carthaginensis suffragiis sublevandæ ? An senior Romæ intentabatur persecutio, ut supplicia capitalia ibi non expectarentur ? Certe Moyses post longos carceris pædores, ex morbo mortuus videtur ; et reliqui tandem erant elapsi. An demum, quia nullus Romæ fuit episcopus, nec tamen spes, ut in integrum restituerentur lapsæ, *donec episcopus constituatur*, ideo alio spectabant illæ, et fidem præsulis Carthaginensis implorarunt. De istis nihil libet statuere : dispiciat eruditus lector.

Donec auxilium Domini nostri Jesu Christi. Subaudi *sit ;* sive, *præstetur.*

Floridorum ministerium. Rigaltius ait, *Sic legendum arbitramur. Floridos vocat confessores illos jam florida confessione conspicuos, qui jam torti equuleo, sive ungulis concerpti, fidem Christo constantissime servaverant, adeoque proconsulis arbitrium exspectabant in carcere : sacrarum interea Litterarum constantiam pascentes, spem erigentes, fiduciam figentes : omnia denique tractantes, quæ præsentium temporum qualitas aut præmonere suadebat, aut recognoscere. Ad hæc igitur christianæ pietatis officia fratribus secum inclusis Lucianus, super ipsos factus antistes, ipse quoque florida confessione præclarus ministrabat, ac desideria confessorum ad fratres qui forte in proximo formam Ecclesiæ retinuerant, perscribebat, aut ab dominæ matris Ecclesiæ uberibus transmissa refrigeria dispensabat.*

Factus antistes Dei. Forte eadem mente qua in Apoc. v, 10, martyres dicuntur *reges et sacerdotes Deo.* Aut peculiariter *Floridorum ministerium* intelligit, *quo super* martyres *factus antistes*, hoc est procurationem obibat eorum causa. Sed revera locus corruptus, nec quicquam boni sensus ex sequentibus facile exculpi poterit. Forte reponendum *amicus Dei*, hoc enim elogio martyres perpetuo donantur.

Quia pro se dona numeravit, ne sacrificaret. Rigaltius ait : *Sacrificandi necessitatem nummis redemerat. Sic plerique solebant, qui suis ad perferenda tormenta viribus diffidebant. Itaque paciscebantur cum delatore, vel milite, vel furunculo aliquo præside. Erga istos Cæcilius noster multo fuit humanior ac benignior Tertulliano, qui persecutionem neque esse fugiendam censuit neque redimendam. Pretium interest, inquit : cæterum sicut fuga redemptio gratuita est, ita redemptio nummaria fuga est.* Pecuniariam vexationis redemptionem non excusat tantum, sed defendit Petrus Alexan. can. XII, exemplo Jasonis, *Act.* XVII, *qui datis* pecuniis dimittebatur ; et loco illo S. Scripturæ, *Pretium redemptionis animæ hominis propriæ divitiæ.* De illis certe qui sic pecuniam dederunt diserte ait, Οὐκ ἔστιν ἔγκλημα προσάγειν.

Sexaginta quinque. Extorres habebantur omnes qui post confessionem proscripti, licet Romam pergerent. Nec tutiores ullibi, quam in urbe latebræ. Qui fuga antequam ad tribunal pertrahebantur sibi consuluerunt, profugi audiebant. Non vulgari hac impensa, et profusa largitione erga tantum confessorum numerum, nefas peractum redimere conabantur istæ sorores.

EPISTOLA XXII.

Si dignus fuero vocari collega. Rigaltius ait : *Scripserat Celerinus Luciano : Ut tibi quoque de infimo tuus vel frater dicat, si fuero dignus Celerinus audire. Reddit igitur Lucianus Celerino voces suas, pulchro christianæ humilitatis certamine, quod explicabit ipsa mox epistola, non elegantior præcedenti, sed non minus christiana.*

Accepi litteras tuas in quibus me tantum gravasti. Rigaltius ait : *Valde dura est et incompta dictio hujus Epistolæ totius, sed initium præsertim intricatissimum : mens vero digna bono confessore Christi. Respondit Lu-*

Digitized by Google

cianus litteris Celerini atque iis tanto se pudore oneratum fuisse ait, simul ac legit ea Celerini verba : Si dignus fuero frater tuus audire, ut perpetuo dein pudore gravatus pene exciderit gaudio, quod maximum ceperat ex litteris quas optabat post tantum temporis legere. Exultabam, inquit, lecta mentione mei honorificentissima, sed pro tanto tuæ humilitatis beneficio, quo tam demisse de te aut tam magnifice de me sentis, ut dixeris : Si dignus fuero frater nominari tuus, in ruborem adeo sum datus, ut omnis mea lætitia confusa pene corruerit. Nam quid mea apud pusillum magistratulum confessio, præ illa tua, quæ Christi nomen confessa est, non tantum coram milite, aut coram aliquo præside, sed coram ipso Cæsare, atque hoc vocibus generosis ac verbis plane divinis, quibus scio, vicisti anguem illum majorem, metatorem antichristi. Et hoc quidem scio, qua fiducia sciunt amatores fidei et zelotypi disciplinæ Christi : in qua tenoris vivacitate versari te etiam atque etiam lætor.

Metatorem antichristi. Rigaltius ait ; *Nam ex verbis Pauli ad Thessalonicenses, a fine imperii Romani, antichristus. Scite autem dicit anguem, quasi lineam seu funiculum metatoris. Alluditque ad diabolum, quem sacræ Litteræ serpentem nuncupant.* Potius metator antichristi est ejus præcursor, quemadmodum metatores exercitus præibant, ut loca castris ponendis idonea designarent. Vid. quæ dicta ad Epist. VI.

Confessus deterruisti. Ulcus immedicabile, cui medelam nec Vaticana, nec Bodleiana bibliotheca præstant ; apud quas solas, hujus et præcedentis Epistolæ exemplaria reperimus. Si conjecturæ locus detur, crediderim voces illas *scio quasi* (aut , eos) *amatores fidei. Et zelotypi disciplinæ Christi*, fuisse verba Celerini coram imperatore, cum de Christianorum rebus interrogaretur. Sic itaque Periodus concipienda fuerit. *Nam tu Deo volente ipsum anguem majorem, metatorem antichristi, non tantum confessus deterruisti; sed vocibus illis et verbis deificis ; quibus*, scio quasi amatores fidei ; et, zelotypi disciplinæ Christi (*in qua tenoris vivacitate versari te gaudeo*) *vicisti.* Confessione sua Decium deterruit, apologia autem vicit. Aut etiam scribatur, *quibus scio qualis animator es fidei ; et zelotypus disciplinæ Christi ;* ut verba sint Luciani. Sed istis rectiora dabunt fortassis alii.

Post arcessitionem meam. Rigaltius ait : *Postquam me Dominus vocaverit. Mortem dicere nolunt Christiani, minime autem martyres, quibus est corona præsto.*

Si quis abs te pacem petierit, des in nomine meo. Rigaltius ait : *Immo in nomine Christi dari debuit, si dari expediebat : non in nomine Pauli illius, quamvis benedicti martyris. Ac propterea merito Cyprianus Luciani inverecundiam notat Epistola proxime sequenti, plena gravitatis et prudentiæ christianæ.*

Bassi in petrario. Rigaltius ait : *Videndum in exemplari, an aliqua exstent vestigia scripturæ : in petrario, quod esset in metallo.* Consultis codicibus mss. siquidem alter legit *perario*, alter *pegrario*, impressa *pejerario*, nullo prorsus sensu ; minime dubitandum veram lectionem esse eam quam dedimus. Latomiæ vocem apud græcos et latinos scriptores carcerem, sive metalla significare satis notum est. Plautus in Captiv. : *Ibis porro in latomias lapidarias.*

Pauli a quæstione. Rigaltius ait, *Sic in Actis synodalibus collectis ab Hilario Pictavensi, Liberius de exsilio.* Sed cum dicatur Mappalicus decessisse in quæstione, Paulus a quæstione : verisimile videtur alterum inter tormenta, alterum post tormenta mortuum.

Exposita causa apud episcopum. Pamelius ait : *Vides hic a Luciano quantumvis indiscreto, tamen observatum illud quod toties in presbyteris reprehendit Cyprianus, ut causæ apud episcopum, et exomologesis præmitterentur, antequam pax daretur, etiam ad preces martyrum.* Licet persecutio adhuc intentaretur saltem in eos qui custodiæ mancipati ; tamen res ad pacem spectare videbantur ; ut deinceps Christiani non inquirerentur ; adeo Lucianus petit lapsis pacem jam concedi, *cum Dominus cœperit, ipsi Ecclesiæ pacem dare ;* non ex spectato scil. plenario ejus appulsu, et reditu episcopi et confessorum. Aliter nulla Cypriano cum Luciano lis intercederet ; quod ille reddita Ecclesiæ pace restituendos lapsos contenderet.

EPISTOLA XXIII.

Quid post commissum egerint. Qui ad pœnitentiam admissi in illa ita se gesserunt, ut episcopo et fidelibus offensam non dederint, licet tempus ipsis assignatum minime complevissent, protenus recipiantur. Idque non tantum Carthagine, sed ubique per Africam.

Optamus te cum sanctis martyribus pacem habere. Verba hæc interminationem continent. Nimirum si hæc minus præstaret Cyprianus, martyres cum ipso non communicaturos ; quasi penes ipsos esset, non tantum communionem quibusvis concedere ; sed ab episcopis ipsis eripere.

Præsente de clero. Non sine summo periculo commercia Christianorum olim peragebantur ; ideoque clericorum fidei perpetuo concreditæ erant litteræ eorum, quæ exinde et clericæ appellatæ : adeo ut necesse habuerit Cyprianus lectorem ordinare, in hunc ipsum finem ut litteras Romam portaret. Vid. Ep. XXIX. Lucianus vero ut auctoritatem aliquam litteris suis conciliaret, testes adhibet qui ad clerum pertinerent ; sed illos minime locupletes, innominatum quemdam exorcistam, et etiam lectorem pariter innominatum.

EPISTOLA XXIV.

Cypriano et compresbyteris. Ita distinguo ut *Carthagini consistere*, ad presbyteros, non vero ad Cyprianum pertineat. Constat enim epistolam hanc flagrante persecutione scriptam, ex ejusdem primis verbis. Caldonium episcopum fuisse, licet cujus civitatis parum sit compertum, ex Epist. XLI et XLVIII cognoscimus. Is autem cum in re dubia consulere vellet ecclesiam Carthaginensem, quid de ea fieri oporteret, æquum duxit litteras suas non ad Cyprianum tantum qui in latebris erat, sed et ejus presbyteros qui Carthagine fuerant, dirigere. Præsertim cum vix aliter nisi illorum ope eædem perferri poterant. Hic ipse Caldonius circa hujus persecutionis finem, delegatam potestatem a Cypriano accepit, ut ejus nomine et vice negotium de lapsis restituendis administraret ; et proinde, tunc saltem, quid in tota illa causa agere oporteret satis erat instructus. Divus Pet. Ep. I, cap. V, seipsum συμπρεσβύτερον appellat.

Felix, qui presbyterum subministrabat. Pamelius ait, *subministrare presbyterum, non aliud videri quam quod hodie dicimus vicarium presbyteri agere.* Tales apud nos Parochorum curati videntur. Rigaltius ait : *Qui frequenti ministerio presbyteris aderat. Sic in Epistola Celerini quæ proxime habetur, Numeria et Candida, confessores sexagenta quinque minis rasse, et in omnibus fovisse dicuntur.* Forte *presbyterium subministrare*, idem erit quod ministrare, aut illo munere defungi : ut iste Felix presbyter fuerit Decimi, qui decessor, Caldonii in episcopatu. Interim agnoscendum, *presbyterium* sæculo Cypriani consistorium ecclesiasticum denotasse. Sic in Epistola Cornelii de confessoribus ad unitatem reversis dicitur, *placuit contrahi presbyterium* : et fieri poterit ut confessus hujus scriba aut notarius, dicatur, *presbyterium subministrare.* Si vero ex conjectura in antiquorum scriptis agere liceret, statuerem genuinam lectionem fuisse : *Felix qui presbyterum subministrabat Decimo.* Hoc est qui Decimo martyri in extremis agenti, id egit ut presbyter assisteret.

EPISTOLA XXV.

Quasi prostrati non debent. Ipse pœnitentium habitus atque gestus lapsum profitebatur ; qui ideo ὑποπίπτοντες

Digitized by Google

dicti, nimirum *subjacentes et substrati*. Cyprianus vero dicit eos, non fratribus modo adgeniculari; sed diabolo substratos.

Librum tibi misi. Rigaltius ait, *Librum de Lapsis*. Sed ille liber nondum videtur scriptus. Et verisimile est *libri* voce Cyprianum intellexisse, istum Epistolarum fasciculum quem transmisit.

Ut apud omnes unus actus. Rigaltius ait: *In re scilicet fidei. Nam in Ecclesiæ administratione unicuique præposito liberum esse ait voluntatis suæ arbitrium. Epistola ad Stephanum Episc. Rom. Ipsi presbyteri Rom ad Cyprianum, Epist.* XXVI: *Conscientiam sciant Deo soli debere se judici. Videantur extremæ clausæ Epistolarum ad Stephanum et ad Jubaianum*. Immo annitendum, quantum fieri potest, ut in Ecclesiæ administratione disciplinæ *Sit unus actus*. Sensit enim prisca Ecclesia quantas turbas dederit, diversus mos celebrandi Paschatis, qui Orientem cum Occidente commisit. Et quidem hic loci, non de fidei capite aliquo; sed disciplinæ, nimirum pœnitentiæ administratione, lis erat.

EPISTOLA XXVI.

Quid post commissum egerint. Rigaltius ait: *Quam egerint facti sui pœnitentiam. Supra. Ne quid admiserint unde Ecclesia erubescat. Inspicientis et actum, et opera, et merita singulorum. Cognitionis hujus exemplum habemus in Epist. Celerini ad Lucianum in causa Numeriæ et Candidæ, pro quibus ad pacem obtinendam Celerinus litteras sive libellos ab egregio et fortissimo confessore Luciano exoraturus, commemorat quid post commissum egerint. Ipsæ, inquit, ad confessores, qui a vexatione huc venerunt, in portum descenderunt, et in urbem leviverunt, sexaginta quinque ministraverunt, et in omnibus usque in hodiernum foverunt. Sunt enim penes illos omnes. Aliud exemplum suggerit Epistola Caldonii Cyprianum exoranda pro lapsis quibusdam, qui posteaquam sacrificaverunt, iterato tentati, extorres facti sunt. Videntur ergo mihi, inquit Caldonius, abluisse prius delictum, dum possessiones et domos dimittunt, et pœnitentiam agentes Christum sequuntur, reliquerunt possessiones quas nunc fiscus tenet. Ideoque respondet Caldonio Cyprianus, recte eum sensisse circa impertiendam fratribus pacem, quam sibi ipsi vera pœnitentia et Dominicæ confessionis gloria reddiderant; sermonibus suis justificati, quibus se ante damnaverant.*

EPISTOLA XXVII.

Cum Mappalicus martyr. Et tamen Lucianus non verebatur dicere, Mappalicum, crudam illam pacem quam passim is conferebat, dari præcepisse. Sed inverecundiam suam magis ille prodidit, cum a Cypriano admonitus proficeret in pejus, et episcopo ipsi excommunicationem minaretur.

Adhuc in carcere posito. Cum nullo adhuc, ex Ecclesiæ institutis, privilegio gauderet; siquidem nondum coronatus. Porro ut martyr post obitum pacem concedendi jus, supremis quasi tabulis hæredi legaret, res erat inaudita.

Sectæ nostræ. Pamelius ait: *Sectæ nomine in bonam partem frequenter utitur Tertullianus pro confessione christiana; uti videre est libris de Fuga in persecutione, de Pallio, et Apologetico contra Gentes. Quem pro more suo imitatur Cyprianus, tum hic, tum Epist.* XXXIII *de Celerino, et præfat. lib.* I *Test. ad Quirinum. Sic etiam Actor.* XXVI αἵρεσιν *in bonam partem accepisse Apostolum, testis est Beda, retractatione sua in acta. Pro quo ibidem, sectam, non male vertit noster interpres.*

In gratiam. Destinato omisisse videtur vocem χριστοῦ, in quo Græci codices variant: alii enim habent θεοῦ, alii Ἰησοῦ Χριστοῦ. Pariter enim legit in Epistola ad Cæcilium de sacramento calicis, locum hunc Cyprianus. Ita etiam legit Tertullianus *adv. hæres.* c. 27.

Convertere Evangelium Christi. μεταστρέψαι pervertere.

EPISTOLA XXVIII.

Spiritale certamen vestris virtutibus imbuistis. Rigaltius ait: *Incæpistis. Phrasis Tertulliani, lib. de Jejuniis, ubi jam et familiaris populus allegi Deo cœpit, et restitutio hominis imbui potuit. Et lib. de Pudicitia, ubi de Petro: Ipse clavem imbuit, id est, clavem cœpit. Nempe, Evangelio verbi Dominici.*

Coronas vestra manu sertas. Rigaltius ait, *In exemplari Corbeiensi legitur: Corona vestra manus vestra. Corrupte quidem, sed unde elici Scripturæ possit. Coronas vestra manu sutas. Non tamen displiceat, serta. Etenim serere coronam dici potest στεφανοπλόκος, qui flores in usum coronæ strophio inserit, nectitque.*

Titulus. Vox apud Tertullianum perpetua. *Titulus ambitionis, idololatriæ, lididinum, officii, injuriarum*, et plurima ejusmodi. Impio sæpius habet *Titulare* et *Titulatum*.

EPISTOLA XXIX.

Quoniam oportuit me per clericos scribere. Rigaltius ait: *Tam reverenter christiana negotia peragebantur, ut ad Clerum non scriberet episcopus nisi per clericos. Observandum vero est, ab eo jam tempore quo plebi Christiana simul cum clericis de rebus Ecclesiæ judicabat, adhuc separatos a clericis laicos, ut Episcopi litteras nonnisi clerici perferrent. Et hoc forte an prudenter: ut si tutius videretur, etiam verbo nuncia referrent*. Observavimus supra, parum candide Rigaltium sugillare distinctionem laicæ plebis et Cleri. Videantur quæ illic dicta.

Clero proximos. Rigaltius ait, *Erat igitur aliqua dignitas, proximatus clero, et fortean mellioproximatus. Ad eamque dignitatem etsi minimam Cyprianus assumebat communi consilio. Proximi isti clero, facti ad exemplum eorum qui circa principem in sacris scriniis militabant. Et est libro* XII *C. t. t. De proximis sacrorum scriniorum*. Ex episcopi mandato publice in Ecclesia legere, erat solemnis ad munus lectoris designatio. Ergo statim subjicit: *Nihil a me vobis absentibus factum est*.

Aut modo cum presbyteris. Videntur quidam de Clero, Cyprianum in secessu adiisse, et communi consilio quæ ad Ecclesiæ statum maxime pertinebant transegisse. Saturum ad lectoris munus *jampridem* designatum dicit. Optatum vero lectorem, modo Catechumenorum institutioni addictum, et confessionis gloria clarum, Hypodiaconum jam renuntiatum. Inter presbyteros rectores et doctores olim distinxisse videtur divus Paulus Epist. I ad Tim. c. IV, 17.

Inter lectores doctorum audientium. Rigaltius ait, *Itaque tunc, etiam in lectoribus eruditio et doctrina*. Et merito id quidem, siquidem institutioni catechumenorum præficiebantur.

EPISTOLA XXX.

Nefariorum libellorum professione. Rigaltius ait, *Duas species libellatorum ostendit hæc Epistola. Unam eorum qui nomina sua libellis persecutionis aut, Jovis et Martis, et cæterorum hujusmodi deorum cultum profitentibus: alteram eorum, qui non ipsi quidem professione sua libellos ethnicis potestatibus obtulerant, sed per alios, ac per ipsas fortean potestates subornatos acceperant, et signaverant. Textium vero fuit libellatorum genus: eorum scilicet qui libello dato acceptove profitebantur se Christianos esse ac per hoc, in capitolium ascendere aut sacrificare, sibi non licere, sed dare se ad hoc præmium, ne quod non licet, faciant. De hoc genere libellatorum dictur ad Epist. Cypriani ad Antonianum*. Videantur ea quæ dix mus Lib. *de Lapsis*, p. 95.

Quod ipsum contestati fuerant. Rigaltius ait, *scilicet se ad nefarias aras accessisse. Unde apparet istud libellatorum genus diversum fuisse ab iis de quibus agitur in Epistola ad Antonianum.*

Sed etiam adversus illos qui accepta fecissent. Rigal-

Digitized by Google

tius ait : *Hoc est, qui submissos libellos accepissent; sic enim accepto et rato habuerant quicquid illis continebatur. Constabatur autem illum illo die in Capitolium ascendisse, ac dedisse thura Jovi : quod etsi ille non fecerat, attamen fecerat, ut se fecisse publice legeretur : Lecto scilicet libello, quo videri voluit propositis adversus Evangelium edictis satisfecisse, quod erat, fidem Christo datum deseruisse.*

Totum fidei Sacramentum. Rigaltius ait, *Tota fides Christiana. Sic sacramentum adoptionis Christianæ, adoptionem dici posse ait Facundus Hermianensis libro* IX *ad Justinianum Imp.* Ita et ipse Cyprianus Epistola LI ait *qui prius copulati Sacramento unanimitatis fuerint :* hoc est unanimitate juncti. Nulla vox apud veteres sæpius occurrit ; et in nulla magis sib. indulgent. De hac statim iterum agetur, sub finem hujus Epistolæ.

Fallaces in excusatione præstigias quærit. Rigaltius ait : *Has præstigias damnat Psalm.* CXL.

Intercepta pœnitentia. Rigaltius ait, *Interceptam pœnitentiam dicit, cujus tempora presbyter præposterа misericordia contraxit, nec procedere passus est quousque debuerat.* Etiam ut corporis morbi curentur, pœnitentia opus est. Crudelem medicum intemperans æger facit.

Confessorum, quos hic adhuc in carcerem dignitas suæ confessionis inclusit. Rigaltius ait : *Juvabit hic semel aliquid observasse de nomine confessorum. Qua forma juris auctores in quæstione de Servitutibus, confessoriam actionem dicunt, qua sibi quis vindicat servitutem ; et negatoriam, qua servitutem, quis denegat vindicanti : Eadem forma Patres Christiani, in quæstione fidei, confessores dicunt eos, qui de fide aut religione interrogati, nomen Christi fortiter asserunt, et se esse Christianos affirmant ; negatores vero eos, qui perfide Christum deserunt ; et se esse Christianos dissimulant aut negant.* Interim ludere videtur in vocibus, qui aliunde confessoris nomen accersit, quam a Domini nostri verbis Matt. X.

Dignitas confessionis. Rigaltius ait, *Floridæ scilicet : hoc est constantis, robustæ, et ad exemplum generosæ, vel, ut mox sequitur, gloriosæ. Quam dignatio divina ad tantum gloriæ culmen evexit. Hunc dignationem, paulo post hæc Epistola nuncupavit, divinam indulgentiam.*

Custodit in eo ex quo illud possidet. Dixerat supra Cyprianus confessoribus ; *illos ex Evangelio martyres.*

Advocatione fungantur. Rigaltius ait : *Ad veniam, ad misericordiam promerendam, sive impetrandam, gemitus et fletus amari fungantur advocationum vicem.*

Nisi quia majoris est rursum et periculi et pudoris. Rigaltius ait : *Tertull. sub finem lib. de Pœnitentia.*

Auxiliam pacis non petiisse. Rigaltius ait : *Hoc est veniæ sive indulgentiæ.*

Sed hoc totum in Sacramento. Rigaltius ait : *Sunt enim signa, mysteria, et sacramenta dolentis ac vere pœnitentis animi, petitio modesta, postulatio verecunda, humilitas necessaria, patientia non otiosa, excubatio ad castrorum cœlestium portas, quod est limen Ecclesiæ. Omnia ἐξομολογήσεως sacramenta præclare describit Tertullianus, lib. de Pœnitentia. Itaque exomologesis prosternendi et humilificandi hominis disciplina est, conversationem injungens misericordiæ illicem. De ipso quoque habitu atque victu mandat, sacco et cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum mœroribus dejicere, illa quæ peccavit tristi tractatione mutare. Cæterum pastum et potum pura nosse, jejunia prece alere, ingemiscere, lacrymari, mugire dies noctesque ad Dominum, presbyteris advolvi, et charis Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis suæ injungere.* Rectius fecerit qui per *Sacramentum* simpliciter intellexerit legem christianam, quæ *fidei Sacramentum* supra audit. Qua phrasi utitur etiam Tertullianus *de Anima*, et alibi passim. Ita legem Mosaicam, *Sacramentum Judaicum* appellat idem Tertullianus in *Apol.*, c. 19, cui opponit *nostrum*, sive Christianum.

Acta Pœnitentia. Quamquam ab Ecclesia cautum, ut nemo sine pace excederet, requirebatur tamen aliqua satisfactio *acta pœnitentia, et professa frequenter suorum detestatio factorum ; lacrymæ missæ et gemitus et fletus, quæ dolentis ac vere pœnitentis animi signa prodiderunt* et demum langoribus, divinæ misericordiæ relinquemus, *Deo ipso sciente quid de talibus faciat, et qualiter judicii sui examinet pondera.* Istis sæculis sacerdos nondum judex erat constitutus.

Beatissime ac gloriosissime Papa. Rigaltius ait : *Sic Romanus clerus appellat Cyprianum Carthaginis episcopum.*

EPISTOLA XXXI.

Et cæteri confessores. Rigaltius ait : *Horum mentionem facere videtur Eusebii Historia sexta c. 43 ex Cornelii quadam ad Fabium epistola. Ait Novatum, quosdam de confessoribus viros optimos inter ipsa initia sibi assumpsisse : et in iis fuisse Maximum Ecclesiæ Romanæ presbyterum, et Urbanum qui secundo confessores exiterant. Sed et Sidonium, et Celerinum, qui valde clari in confessoribus habebantur, eo quod omnia tormentorum genera superaverant. Observandus hic titulus honoris Christiani confessor.*

Ad certamen inimici ex illis non satis pastos. Nec gladiatores in arenam, nec in aciem milites, impransi descendere solebant.

Cœle te regnum sine ulla cuntatione retinere. Hoc martyrum privilegium perpetuo inculcant veteres.

Patres eorum. Pamelius ait, *Ora io consarcinata ex Matthæi et Lucæ Evangeliis Nam verba hæc : sic enim faciebant prophetis patres eorum, Lucæ sunt ; apud Matthæum vero sunt ista : sic enim persecuti sunt prophetas qui fuerunt ante vos.*

Pro eo qui nos delexit. Vid. quæ dicta ad l. III. *Quir.* c. 18.

Presbyteris, diaconibus, confessoribus, et ipsis stantibus laicis. Rigaltius ait : *Erant Cypriani ævo subdiaconi et lectores. An hic omittuntur, quia sub nomine diaconorum intelliguntur? Et quid diaconis subjungit quasi ordinem confessorum, quando et confessores etiam inter presbyteros et diaconos erat reperire? An fuit satis tales confessores inter presbyteros et diaconos fuisse spectabiles? cæteros de laicis eximi, tantum virutis eorum signandæ gratia! ut jam denique stantes laici dicantur ea pars Ecclesiæ quæ numero constat fidelium, ex quibus fierent confessores, et subdiaconi, et diaconi, et presbyteri?*

Et iterum Fortasse magis probata altera lectio quæ habet, *non semel tantum, sed et iterum* At vero, quia magna pars cultus idol latrici, in justis funebribus et luctu versabatur ; nihil immutandum duxi. Ut sensus fuerit, qui olim idola fletibus prosequebantur, nunc peccata tandem lugeant.

Sua sponte quæsita necessitate. Rigaltius ait. *Quæsita necessitas non est necessitas. sed quæsitus color et prætextus necessitatis, ficta et simulata necessitas.*

EPISTOLA XXXII.

De Peregrinis Episcopi. Rigaltius ait : *Etiam peregrinus episcopis honorem habet, et collegas suos vocat, et canone Arelat. usi XIX, locus sacrificandi datur. Placet eis locum dari ut offerant. Præclarum est Arii Viennensis de Maximiano quodam antistite monitum ad Cæsarium Arelatensem Epist.* IX *Quantalibet vel temporum longitudine, vel itineris vastitate, genitalis patriæ linquat habitaculum, peregrinus sacerdos dici non potest, ubi catholica reperiri Ecclesia potest. Quo sensu dici etiam poterit, minime esse probrosam nuncupationem Episcopi peregrini, quem Ecclesia sortitur aliunde quam ex proprio presbyterio, vel propria patria.* Peregrina communio de qua canones loquuntur, adeo parum fuit honorifica, ut in pœnam cederet. Sed hic loci, voces istæ, *de Peregrinis episcopi*, tales solummodo denotare videntur, qui extra diœcesem suam versantur : scilic. qui Carthaginem negotii alicujus causa, fortasse ecclesiastici, accessissent.

Digitized by Google

EPISTOLA XXXIII.

Ut Ecclesiæ nomine litteras facerent. Voces has prius desideratas, omnino textui inseri debere, res ipsa monet.

Granditer operati. Rigaltius ait, *Magnifice, pro majestate ac disciplina fidei Christianæ. Sic Martialis in rebus sæculi dixerat, grande opus, et grandia verba. Glossæ veteres, μεγαλοεργῶς Magnopere.* Μεγαλοεργία, *magnificium. Tertullianus grande officium. Juvenalis, grande carmen, pro tragico. Tertul. grandiores fabulæ. Grandiatem verborum, Cic. de cla. or. ubi de grandiloquentia Demosthenis. Ipse Cyprianus infra Epist.* XXXIII : *Verba sublimia dixit, quæ Christianæ fidei testimonium dixerunt.*

Domino imputaverunt. Quidquid bene ab ipsis gestum divinæ gratiæ acceptum referebant. Aut si lectio codicis Bodleiani admittenda; non bene olim facta lapsui suo opposuerunt. Ac si Deus ob merita fuisset veniæ debitor.

Qui dignatus est ostendere. Rigaltius ait, *In somnis. Per visum. In visione. Supra Epist.* VII.

Quas litteras cum nuper acceperim. Pamelius ait: *Desiderantur tam hæ litteræ lapsorum, quam illæ ad quas respondet, quæ si exstarent, jam libelli Martyrum forma nobis nota foret.* Immo nota est ex Epist. XXIII.

EPISTOLA XXXIV.

Gaio Diddensi. Pamelius ait : *Si quid in re incerta divinare licet, fit mihi verisimile, Diddam pagum quempiam fuisse in diœcesi Carthaginensi, et Gaium hunc fuisse illius loci presbyterum, id est quem nunc vocamus pastorem sive curatum, idque quia diaconi illius mentionem facit.* Porro locum admodum obscurum fuisse hinc licet conjicere, quia non alibi de eo occurrit mentio.

Offerendo oblationes eorum. Rigaltius ait : *Etenim presbyteri et diaconi, intempestive ac præmature cum lapsis communicando, oblationes eorum, hoc est orationes et eleemosynas, pœnitentiam nondum probe consignatam, crudas adhuc operationes, ac per hoc divinæ majestati minime gratas, allegassent. Nimirum pœnitentes, et presbyteris et diaconis et omnibus fratribus legationes deprecationum suarum injungebant, ut ait Tertullian. lib. de Pœnitent.* Videantur quæ dicta in notis ad Epist. V. De oblatione vero pro mortuis quæ habentur in notis ad Epist. II. Porro observari potest quod in Epist. XVI, ubi passim in exemplaribus legitur, *Offertur nomen eorum.* Latinus Latinius legendum suadet, et codicis cujusdam Vaticani fidem appellat, *Offertur nomine eorum*, quæ quidem lectio videtur magis apposita. *Lacrymis intercedunt.* Obicem illis ponunt. Impediunt. Quomodo tribuni intercesserunt; hoc est rem, pro magistratus potestate, impediverunt.

Cum multi adhuc. Quæstio hæc non tantum ad Philumenum, Fortunatum, et Favorinum, spectat; sed plurimos alios qui forte graviore pœna digni, siquidem *nec locum suum vel sero repetendum putaverunt.*

Interim se a divisione mensurna tantum contineant. Rigaltius ait: *Sic edidit Pamelius cum antea legeretur in libris quidem impressis, a divisione mensurantium : in manuscriptis autem quibusdam, a ditione : in aliis, aditione. At in nonnullis ex utraque conflata est tertia, quam esse arbitror veram. Interim se a dictione mensurnantium contineant. Hoc est, non dicant se mensurnantes, non habeantur in numero mensurnantium, nihil capiant ex divisionibus mensurnis, quarum fiet mentio Epist.* XXXIX. *Sane Pamelii conjectura eo minus ferenda est, quod apertissime repugnat auctoris menti. Nam hoc in primis cavet Cyprianus, ne quid absente se decernatur in causa Philumeni, Fortunati, et Favorini, sed ut integris omnibus ad suum reditum differantur : Pamelius contra, ut se interim a divisione mensurna tantum abstineant. Cyprianus eos ab Ecclesia sic abstinet, ut nec mensurnantes dici velit. Cujus appellationis æque ac sportulantium rara sunt in libris hodie vestigia.* Conjecturæ R galtii refragatur non modo Ep. XXXIX, sed et optimus codex Bodleianus primus, qui expresse habet, *a divisione mensurna.* Porro nec locum habet Latinii conjectura, qui legendum suadet *aditione mensurnantium*, scil. a consuetudine cæterorum presbyterorum. Tertulliani ævo, *Modicam unusquisque stipem menstrua die, apponebat.* Quam sic collatam, *depositum pietatis* appellat, *Apologet.* c. 39. Videntur isti fugitivi censuræ ecclesiasticæ subjecti, quæ dicitur suspensio a beneficio. Sed causa hæc cautius videbatur pertractanda, quia ipse Cyprianus ob secessum suum, simili invidia premebatur.

EPISTOLA XXXV.

Prospecta temeritate. Deliberata. Tertull. in Apologet. c. 6. *Etiam circa ipsos deos vestros quæ prospecte decreverant patres vestri, iidem vos obsequentissimi rescidistis.*

Dominus agere præcepit. Nimirum quod Matt. XVIII, 17 dicitur, Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.

Ad indulgentiæ privilegium. Pamelius ait, *Vides hic bis usitatum, Christiane lector, vocem indulgentiæ, in eadem prorsus significatione, qua nunc utimur : habes eamdem supra bis repetitam Epist. 20. et Epistola quoque sequenti.*

EPISTOLA XXXVI.

Ad Episcopum illos remittunt. Rigaltius ait, *In eo nervum disciplinæ infringi censebat B. Martyr, quod a martyribus libelli corrogarentur, cum tamen ii pacem dare non possent, sed ad Episcopos suos unumquemque mittere solerent.*

Tu tamen frater. Rigaltius ait, *Fratrem vocant Episcopum Carthaginis, quem initio Epistolæ Papam nuncuparunt.*

Novimus Carthaginensis Ecclesiæ fidem. Rigaltius ait, *Ipsi Romani fidem Carthaginensis Ecclesiæ laudant.*

In te per Epistolam injecta. Contumeliose adversus dicta.

Quod autem pertinet ad Privatum Lambesitanum. Rigaltius ait, *Hunc hæreticum Epist.* LV. *in Lambesitana colonia ob multa et gravia delicta nonaginta episcoporum sententia condemnatum fuisse dicet.* Videatur Concilii Carthaginensis suffragium LXXV.

Rem nobis sollicitam. De qua maxime solliciti tenemur, unitate scilicet Ecclesiæ; unde *cum* ex conciliorum decretis contingeret hæreticos communione privari, statim vicinæ Ecclesiæ certiores reddebantur.

Pro corpore totius Ecclesiæ cujus per varias quasque provincias membra digesta sunt. Rigaltius ait, *Hæc pertinent ad sollicitudinem Cypriani erga omnes Ecclesias et ad unum illum episcopatum, cujus partem a singulis Episcopis in solidum teneri ait, libro de Unitate Ecclesiæ.*

EPISTOLA XXXVII.

Divinæ dignationis hortamenta. Pro istis reposuit Rigaltius *ornamenta :* sed cum dicat Cyprianus se *in Celerini sermonibus Martyres audivisse*, magis ad rem facit ut addat se *hortamenta cum illis sentire*, quam *ornamenta.*

Precem cum pluribus facimus. Rigaltius ait, *Orationum sacrificia fiebant a Presbytero qui pro populo faciebat, hoc est, populi preces allegabat Deo.* Perinde est ac si dixisset, Prece Ecclesiæ publica, et nostra privata.

Spirantes jam sola cœlestia. Rigaltius ait, *Libro de Mortalitate : Positus in cœlestibus castris divina jam spirat.*

Digitized by Google

Quotiens rogati ut de carcere recedatis. Rigaltius ait: *Rogandi formula fuit, Serva animam tuam. Consule tibi. His vocibus amici et propinqui non Christiani, monere et hortari solebant amicos sive propinquos, ne perirent sine causa. Sic illi Christianæ veritatis et cœlestium ignari. Nam disciplina quidem vetabat ne quis ultro se offerret. Hoc enim est præcipitis et parabolani: eadem vero disciplina cavetur, ne quis animam suam sic amet, ut pro Christi nomine ponere eam nolit. Ipse proconsul Cyprianum, quem jam Imperatorum edicta duci jusserant, hortabatur, Jusserunt te principes ceremoniari. Respondit ille: Non facio. Proconsul adjecit et ait: Consule tibi. Augustinus de Passione S. Cypr. mar.*

Transmearit tempus hibernum. Crediderim veriorem esse lectionem, quam plurimi codices commendant, *transmeavit hibernum.* Sic Tert. adv. Marc., l. I: *Totus annus hibernum.* Porro de voce illa supra egimus.

Hospitium carceris horreum. Priorius ait, *Tertullianus capit* 2. *ad Martyres, eodem eloquio detonat ut martyres adhortetur ad vincenda etiam carceris discrimina, squalorem, egestatem. Custodiarium autem vocat ibi carcerem.*

Ad complexum et osculum Domini. Rigaltius ait, *Ad propagationem nominis Christiani, inter tot tamque atroces persecutionum procellas, quæ non raro plebem, atque etiam plebi regendæ præpositos evertebant, omnibus modis allaborandum fuit episcopo, ut populum et clerum haberet devotæ Christo fidei retinentissimum. Quod cum perfici nullo magis consilio posset, quam proposita confessoribus Christi felicitate præsentissima, moram ejus adipiscendæ abrogari posse omnem, placuit martyrii prærogativa. Ne forte illius obtinendæ spes in judicii sive resurrectionis tempus dilata minus strenuos milites faceret. Itaque martyres statim a certamine ad coronam, hoc est, ad Domini complexum et osculum missi. Interea vero etiam ante martyrii consummationem confessoribus optimis indultum, ut pacem lapsis impetrarent, quam non nisi per tristissimas longi temporis austeritates, secundum Ecclesiæ disciplinam sperare potuissent. Hac igitur Epistola Cyprianus paratissima felicitatis æternæ gaudia confessoribus exhibet, ut eorum exemplo cæteros ad martyrii constantiam erigat accendatque.* De osculo Domini superius actum. Negotium istud ita explicat Rigaltius, ac si Episcoporum consilio et artificio, proposita esset confessoribus Christi felicitas præsentissima. Opinionem hanc illi ex sacris litteris hauserunt. Luc XXIII, 43. Phil. I, 23. Apoc. XIV, 14, et alibi passim.

Vox illa purificatione confessionis illustris. Rigaltius ait, *Christianus sum. Tertullianus Apolog. ad tyrannum præsidem: Vociferatur homo: Christianus sum, quod dicit: tu vis audire quod non est. Purificationem confessionis dicit Cyprianus, quia martyrii baptismo, sive lavacro sanguinis pro Christo fusi omnia delicta purgantur. Vocem illustrem dicit, quemadmodum Celerinus Epist. ad Lucianum, dicit, Floridam confessionem. Hoc est purpuream, sanguineam.*

Super petram robusta mole fundati. Rigaltius ait: *Sic epist.* IV *graves viros, et semel supra petram solida stabilitate fundatos.*

EPISTOLA XXXVIII.

In ordinationibus clericis. Rigaltius ait, *Ordinare, præpositos facere, Lampridio: Alexander Severus ubi aliquos voluisset vel rectores provinciis dare, vel procuratores aut rationales ordinare, nomina eorum proponebat, dicebatque grave esse, cum id Christiani facerent in prædicandis sacerdotibus qui ordinandi sunt, non fieri in provinciarum rectoribus.*

Communi consilio ponderare. Rigaltius ait, *Supra. Quod jampridem communi consilio omnium nostrum cœperat, necessitate urgente, promotum est.*

Verba sublimia. Rigaltius ait, *Quemadmodum Persius dixit, grandia verba morituri Catonis. Verba sublimia, quæ sublimiter Christum confessa sunt. Qualia sunt illa Romani martyris, apud Prudentium.*

Ad pulpitum post catastam venire. Rigaltius ait, *Martyr ille Romanus: Audite cuncti, clamo longe, prædico, emitto vocem de catasta celsior. Catasta, pegma plerumque ligneum, vocem romanam esse, ait Casaubonus, sed græcæ, vel potius siculæ originis, ad illud Persii ne sit præstantior alter, Cappadocas rigida pinges plausisse catasta. Martialis dixit, tabulata. Catastæ ferreæ martyres impositi, illic erant conspicui gentilium multitudini. Unde gloriosissimum fuit Aurelio, ab illa catasta, ubi Christum fortissime confessus erat, ad consimilem in Ecclesia machinam venisse, ut in conspectu fratrum divinas lectiones personaret. Lectores in Ecclesia sacras lectiones de pulpito recitabant, sive de ambone. Hinc etiam illa apud Scriptores Eccles.* καθίστασθαι ἐν ἄμβωνι, ἐν δεικτηρίῳ *Epistola seq. dicet, in loco altiori constitui gloriosos vultus, Confessorum scilicet, adhuc in ordine Lectorum.*

Et quoniam semper gaudium properat. Rigaltius ait, *Quæ dehinc sequuntur; depravatissima sunt in editione Pamelii. Emendavimus ex Veronensi et Corbeiensi: Et quoniam semper gaudium properat, nec potest moras ferre lætitia, Dominico legit interim nobis, id est, auspicatus est pacem, dum dedicat lectionem. Hæc vero mens Cypriani. Aurelius noster, ordinatus a nobis lector, munus illud suum apud Ecclesiam auspicari debuisset. Verum cum huc appulerit a martyrio tam gloriose reversus, excipi sane debuit a nobis summa cum lætitia: Et quoniam semper gaudium properat, nec potest moras ferre lætitia, interea dum sese vobis ille cum pace Deo favente sistet, dominicis diebus hic apud nos legat. Hoc est, aget apud nos quod apud Ecclesiam agendum illi fuerat si pace frueretur, nimirum sedatis persecutionum furoribus. Auspicatus est autem optatissimam Ecclesiæ pacem apud nos, dum apud nos suum illud novitium legendi munus Ecclesiæ dedicavit.*

Cito plebi suæ et sacerdotem reddat incolumem. Rigaltius ait, *Me scilicet Cyprianum episcopum et sacerdotem vestrum. Modeste sacerdotem se tantum nuncupat.* Ex Cypriani autem loquendi more, sacerdos est episcopus.

EPISTOLA XXXIX.

Commeatum dando bonis confessoribus. Rigaltius ait, *Commeatum permanendi adhuc aliquantisper in sæculo, ut supra accepto post gloriam commeatu in Ecclesiæ laude florere. Ad hoc a Domino de media morte subtractos, ut infra, hac Epist.*

Referimus ad vos. Quo sensu referre ad senatum dicitur. Nimirum ut quod factum est, vestro suffragio ratum habeatur. Saltem quoad muneris sui utilius exercitium.

Qui cum consentire dubitaret. Rigaltius ait, *Cyprianus exsul ad Ecclesiæ suæ presbyteros, diaconos et plebem scribit, se una cum suis collegis, qui tunc forte aderant, ordinasse lectorem Celerinum multis virtutibus clarum. Celerino pro modestia ac pudore suo munus oblatum detrectanti, hæsitantique, visam in somnis Ecclesiam, quæ compelleret, ne diutius obsequi Cypriano suadenti cunctaretur. Ait igitur Cyprianus, suasu quidem suo se Celerinum adoptasse in clerum, Ecclesiam vero, cujus auctoritas major, compulisse et coegisse. Notanda hic etiam est industria Cypriani, visionum efficacia tam suaviter utentis.*

Ligati nervo pedes. Priorius ait, *Memini monuisse me aliquando nervum esse tortorum instrumentum quo pedes Christianorum et crura alligabant, erat autem ligneum, et multis foraminibus separatum, ut facilius membra torquerentur, tanta scilicet vi ut plurimque luxarentur. Plutarchus de Deo Socr.,* τοὺς πόδας ἐν τῷ ξύλῳ δεδεμένοι, *alligati pedes in nervo.*

Sacrificia pro eis semper. Rigaltius ait, *Græci panegyrica celebravere honori virorum fortium; qui tyrannum sustulerant, aut alias pro patria feliciter pugnaverant, ut hoc exemplo suorum animos ad præclara facinora erigerent. Christiani sacris anniversariis laudes Deo dicunt, commemoratis eorum nominibus qui pro fide Christo dicta Martyrium fortiter obierunt.* Vid. Notas ad Ep. II. Fortasse huc spectant illa quæ Tertullianus habet, *de Corona militis.*

Digitized by Google

Martyrum passiones. Priorius ait, *Natalia vocat Tertullianus, diem mimirum intelligendo qua cœlo nati sunt.*

Ipsius qui se persecutus fuerat. Decimum intellige. Supra ait, *Cum ipso infestationis principe et auctore congressus.*

Quorum secta et conversatio. Rigaltius ait, *Ab antecessore sive præceptore sectator et secta : a doctore discipulus et disciplina : a magistro minister et ministerium.*

Quadam resurrectione circa eos facta. Rigaltius ait, *Revivisere videntur qui resurgunt, evigilantes a somno, vel revalescentes a morbo, præsertim difficili.*

Divisiones mensurnas. Rigaltius ait. *De quantitate scilicet communi totius Ecclesiæ Carthaginiensis erogationi contributa. Extra hanc communem erat alia de quantitate propria Cypriani Epist.* XXX.

In nullo minor. Minor natu, qui vicesimum quintum ætatis annum nondum attigerat, et proinde ex Ecclesiæ moribus, sacris ordinibus immaturus. Sic sup Ep. XXXVIII ; *Minor in ætatis suæ indole.* Et hac Epist. *Nec minor poterat.*

EPISTOLA XL.

Nam admonitos nos et instructos sciatis dignatione divina. Rigaltius ait, *Sic solet Cyprianus, quod absente clero per se ipse facere ordinando videbatur, ad Dei monitum referre. Itaque infra dicet, interim quod ostenditur fiat. Sic Epistola præcedenti, divinæ dignationis admonitu suscepisse dicit Celerinum lectoris officium ; Epistola quoque* XXXII, *præcessisse ordinationem Aurelii suffragia divina. Hinc colligo non profanas, sed sacras jam olim habitas ordinationes clericorum, non modo hypodiaconorum, diaconorum, presbyterorum, sed et lectorum, usque adeo ut fere signa quæpiam divinitus ante ordinationem illorum contingerent.*

Numidicus Presbyter ascribatur. Baronius ait, *Numidicum nullo modo a S. Cypriano ordinatum presbyterum, sed cum jam alterius cujuspiam ecclesiæ presbyter esset, tam præclaro exantlato martyrio, eo honore dignum existimatum, ut in primaria totius Africæ ecclesia Carthaginiensi, presbyterio fungeretur. Suadent enim id illa verba : Ut Numidicus presbyter ascribatur presbyterorum Carthaginiensium numero ; at de nova ordinatione ipsius ne verbum quidem, ut de lectoribus ordinatis nuper pluribus fecisse vidimus : magnus quippe is censebatur honos, ut cum episcopo in cathedrali ecclesia inter presbyteros sederet. Dicebantur istius modi sic allegandi, incardinari ; atque etiam adsciti, Cardinales.* Sed id semper agit illustrissimus annalista ut veteris Ecclesiæ mores, ad præsentis sæculi praxin accommodet. Sed non adeo promptum est credere ; Ecclesiæ Romanæ presbyteros, ita alioude adscitos, ut exinde omnes cardinales appellarentur.

Refocillatus a comitibus. E mortuorum acervo extractus, et fatali illo onere levatus

Remansit invitus. Rigaltius ait, *Judicio sibi adhuc a Domino in carne commeatu.*

Promovebitur ad ampliorem locum. Rigaltius ait, *Ad locum summi sacerdotis, id est, episcopi. Interim sedebit in ordine secundo, qui est presbyteratus. Nam et in tertio sacerdotii gradu est diaconatus, nempe et diaconium, sicut presbyterium.*

EPISTOLA XLI.

Cum Episcopo porticum plebis dividere. Rigaltius ait, *Notum est illud Dividere cum fratre nolito, quod est ad turpia et obscena productum.*

Ego vos pro me vicarios miserim. Rigaltius ait, *Et in iis quidem ipsum Rogatianum, quem supra nominavit. Epist.* VII.

Ut expungerentur necessitates fratrum nostrorum sumptibus. Rigaltius ait, *Matricula necessitatum continebat nomina personarum egentium. Cujus ergo necessitas beneficentia fratrum sublevabatur, ejus et nomen expungebatur ; sic beneficentia necessitatem, et cum necessitate nomen egentis expungebat.*

Suas artes exercere. Rigaltius ait, *Tractavit hanc de artibus quæstionem Tertullianus libro de Idololatria. Artes autem intellige Christiano minime indignas ; non scenicas, aut idololatriæ faventes.* Et quidem hæc vera pauperum sublevandorum ratio, ut qui senectute et morbis prorsus confecti, publicis impensis omnino sustententur ; ii vero qui licet ex laboribus quædam vitæ præsidia sibi comparare poterant, et tamen quæ non familiæ nutriendæ sufficerint lucrari, *additamento quantum satis esset juvarentur.*

Ad ecclesiasticæ administrationis officia promoverem. Ex istis enim qui in pauperum matricula erant ; ostiarii et minorum gentium clerici eligebantur. Quæ res ad œconomiæ ecclesias ieæ compendia spectabat.

Qui primi expungi accesserant. Rigaltius ait : *Sic Tertullianus dixerat, Adsunt esse testes. In aliquo exemplari legitur : qui primi expungi accersebantur.*

Non communicaturos in monte secum. Rigaltius ait : *Sic supra : quod secum in monte non communicarent. Et hæc scriptura est omnium editionum et exemplarium, exceptis duobus Vaticanis, in quibus utrobique legitur, in morte. Quasi Felicissimus ille sit comminatus pacem nec in exitu mortalitatis daturum se iis qui Cypriano obtemperarent, nec celebraturum se oblationes et sacrificia ob commemorationes eorum. Nihilominus vulgatam lectionem veram esse arbitramur. Ut Felicissimus præripuerit se cum plurimis, et per factionem adversus Ecclesiam secesserit in montem, propterea que, ut perversæ conspirationis auctorem, Cyprianus contraria comminatione repercutiat. Sciat, inquit, se in Ecclesia nobiscum non communicaturum. Opponens Ecclesiam fidelium, monti factiosorum. Comminatus est vobis, dixitque, vos non communicaturos in monte cum ipso : nos comminamur illi, ac dicimus non communicaturum in Ecclesia vobiscum. Et tamen hæret scrupulus, quod in Epistolis sequentibus non faciat mentionem montis, etsi verba multa faciat de Felicissimo, deque illius factione ac secessione.* Montes semper venerationem habuere, tanquam loca cœlo proxima : forte Felicissimus ideo ex cacozelia in monte docuit, et ad orandum secessit, quia id a Domino factum. Matth. V et Luc. VI. Certe donatistæ, novatianorum semuaces, hic *in Africa*, Montenses audiebant. Sed et urbs erat in vicinia Carthaginis quæ *Montis* appellationem sortiebatur. Revera ex analogia, rectius Montenses ab urbe dicerentur, quam a montibus. Illorum accolæ, montani et monticolæ appellantur. At hic verisimillimum videtur, locum designari in ipsa urbe. Ita Romæ dicitur alicuis in monte Palatino aut Viminali ; aut Corinthi, in Acrocorintho habitare. Arx Carthaginiensis quæ Byrsa dicebatur a Strabone l. XVII, βρὸς ἱκανῶς ὀρθία, perhibetur ; et fortassis in illa urbis parte Felicissimus conventus suos habuit.

Quæ omnia cognoscemus. Judicium exercebo. Inquiram. Unde dictum, si judicas cognosce, si rex es jube.

Carthaginem ad clerum quoque transmittite. Ad Caldonium in diœcesi sua agentem, videntur litteræ primum transmissæ. Nec non et Herculano, etiam episcopo, pariter reddendæ, antequam fratribus Carthaginiensibus traderentur.

EPISTOLA XLII.

Abstinuimus. Sententiam à Cypriano latam, executioni mandando.

Repostum de extorribus. Rigaltius ait, *Qui scilicet, cum esset in Ecclesia, factus fuerat extorris propter nomen Christi.* Irene Rutilorum, videtur florida confessione Christum professa ; Martyres enim *floridi*, *rutili* et *russati* dicebantur.

Annotatione mea. Caldonii nimirum, qui unus e istolam scripsit, licet alii illam subscriptionibus suis munirent.

Scire debuistis. Cyprianus scilicet, qui forte honoris ergo in plurali salutatur ; scribendum crediderim, *debuisti.*

Item abstinuimus Sophronium. Rigaltius ait, *Sic legenda videtur hæc clausula : Item abstinuimus Sophronium, et ipsum de extorribus ; Solassum, et Budina-*

Digitized by Google

rium, ut tres abstentos hic fuisse intelligimus. Sophronium, de extorribus; Solassum, et Budinarium. Omnino legendum censeo *Soliassum Burdonarium*, sive *mulionem* IV Reg. V, dicitur *onus paris bardonum*; forte ab Hebræo. Civitate Græca vox donatur; scil. legere est βόρδων βορδῶνα et βορδόνιον in glossariis. Porro vox habetur D. l. XXXII. l. XLIX. *In legato continentur mancipia puta lecticarii, qui solam matremfamilias portabant; vel lectica, vel sella, vel burdones.* Nec mirum si post Paulam sarcinatricem, etiam Soliassus burdonarius occurrat.

EPISTOLA XLIII.

Britius fidelissimus. Britius, Rogatianus, et Numidicus, tres omnino presbyteri in fide permanserunt; quando quinque ad Felicissimi partes desciverunt. Nimirum Fortunatus, Jovinus, Maximus, Donatus et Gordius; de quibus videantur *Annales*, an. 251, parag. 2. Et fortasse hic erat rerum novandarum prætextus, quod cum presbyteri absente episcopo æquo jure agerent, et tamquam senatus Ecclesiæ negotia communibus suffragiis administrarent; cum major numerus apud schismaticos esset, illi qui partes adversas tuebantur pro schismaticis habiti fuerant.

Ne ad vos ante diem Paschæ venire licuisset. Rigaltius ait, *Omnia tunc schismatici turbaverant in Ecclesia Carthaginiensi, auctoritatem sibi arrogantes pacis dandæ lapsis, causa nondum ad Ecclesiasticæ disciplinæ normam satis examinata. Ideoque Cyprianus reditum suum differendum sibi esse duxit, ne ad feriarum Paschalium solemnia, plebis concursus, episcopi reducis invidiosa præsentia, novarum occasionem turbarum præberent factiosis. Hæc ipsa Cypriani verba pagina sequenti satis innuunt; dum per minas et per insidias perfidorum cavemus ne advenientibus nobis tumultus illic major oriatur.* Imo ex mora hoc lucri fecit Cyprianus, ut schismaticorum invidiæ non solus esset expositus, sed episcoporum, quibus solemne erat ut post Pascha convenirent, suffragiis et auctoritate fulciretur.

Isti presbyteri nihil aliud sunt quam quinque primores illi. Rigaltius ait, *Quam exquisite omnia quæ ad suam causam faciunt conyerit, ut invidiam adversario faciat! Quinque presbyteros, qui se Felicissimo sociaverant, ut calumniam et periculum Cypriano crearent, a Deo sibi ostensos ac significatos esse ait per illos quinque primores qui magistratuum adversus Christianos edicto subscripserant ac proinde quinque illos presbyteros non minore dignos odio, quam illos quinque primores persecutionis fautores.*

ANN. DCCLII.

EPISTOLA LIV.

Cyprianus Maximo. Epistola hæc ordinem ducit inter eas quæ anno ch. 252 scribebantur, et videtur sub ipsum anni principium missa.

Unam esse Ecclesiam. Hoc enim in fidei symbolo profitemur dum dicimus CREDO ECCLESIAM CATHOLICAM. Et ob hanc causam Nicæni patres disertis verbis aiunt: CREDO UNAM CATHOLICAM ET APOSTOLICAM ECCLESIAM.

Postquam vos de carcere prodeuntes schismaticus et hæreticus error excepit. Rigaltius ait, *Hæc verba satis arguunt vanam esse Pamelii observationem, Cyprianum hic, et aliis hujusmodi locis, non esse intelligendum de schismaticis aut hæreticis, sed de aliis improbis hominibus. Et quæ de libris Augustini Pamelius adducit, hoc tantum probant, sanctissimum doctorem, pro variis causarum figuris diversa a Cypriano sensisse de puniendis hæreticis.* Loci hujus meminit D. August. l. II, *contra Cresc. Grammat.*, c. 34 et 37. Et Epist. 255, *ad Macrobium Donatistam.* Adducitur etiam hic locus in Collat. Carthag.

Vasa fictilia confringere soli filio concessum est! Rigaltius ait, *Mox dicit: Nec quisquam sibi, quod soli filio pater tribuit, vindicare potest.*

Palam ferre se. Pala est instrumentum rusticum latum et aliquantulum cavum, de quo Plinius l. XVIII, c. 6, *Juncosus ager verti pala debet, ac Saxosus bidentibus.* Hoc instrumentum adhibitum, ad frumentum purgandum: ac errare videntur qui ventilabrum esse putant. Propheta Isaias cap. XXX, vers. 24. in textu hebræo, palam a ventilabro distinguit, et utroque frumentum purgari docet: זרה כרזת ובמזרה pala et ventilabro ventilatum. D. Augustinus in Epistola sua *ad Macrobium*, locum sic legit: *Ut se putat aut ad aream ventilandam et purgandam, palam et ventilabrum etiam ferre posse.*

EPISTOLA LVI.

Capsensi civitate. Urbs est Byzacenæ, de qua mentio in suffragio 69 concilii Carthaginiensis. Hic thesauri Jugurthæ erant reconditi.

Violentiam magistratus. Alibi observatum Decianam persecutionem primo motam a civitatum magistratu et populari tumultu; dein proconsulem quæstionem graviorem exercuisse.

Non voluntate, sed necessitate susceptum. Rigaltius ait: *Necessitati imputat vim tormentorum, longam iterationem cruciatuum.*

Per hoc triennium. Quod justum pœnitentiæ tempus proxime attingere videtur.

Nomen confessos esse. Rigaltius ait, *Hoc est, palam et liquido pronuntiasse, Christiani sumus. Sic Epistola præced. Occisi pro nomine, videlicet Christi: constanter vociferantes se esse Christianos.*

Nec prius pugnæ defuisse. Rigaltius ait, *Prius, hoc est, antequam carnem tormenta fatigassent.*

Ad me venire cœperint. Bis quotannis statæ habebantur synodi; post Pascha et tempore Autumni: quæ ex data occasione protractæ, aut frequentius habitæ.

EPISTOLA LVIII.

Plebi Thibari consistenti. Videtur urbs Zeugitanæ. Pamelius ait: *Cum soleat ad majores civitates scribens tum clero tum plebi inscribere epistolam, mirum est quod soli plebi hanc epistolam scribat, præsertim cum inter episcopos Africæ Vincentii Thibaritani fiat mentio.* Supra observatum ad Epistolam *ad Cornelium* de Polycarpo Adrumetino, omissum episcopi nomen indicio esse Ecclesiam scriptionis tempore episcopo carere. Hoc vero in loco, episcopus et plebs simul præteriti ideo videntur, quod plebis Thibaritanæ desideriis prius ad Cyprianum, aut litteris aut nuncio, sæpius transmissis, responsum hic reddatur. Sed res nova non est, ut Cyprianus plebi seorsim a clero scriberet; id enim supra, Epist. XVII factum.

Si rerum ratio ac temporis conditio. Rigaltius ait, *Sic Cyprianus etiam Domino serviens, non prohiberi se putat tempori quoque prudenter servire, hoc est, ut servo Dei congruit* δουλεύειν καιρῷ καὶ κυρίῳ Rom. XII, 11.

Pressuræ diem, occasum sæculi, Antichristi tempus. Rigaltius ait, *Jam dixerat Paulus: Tempus esse in collecto, et appropinquare extrema tempora. Ipse Cyprianus hac Epist* III *dicet, novissimis temporibus. Infra dicet, diem nequissimum.* Hoc illud ipsum est quod Tertullianus vocat in *Apologet.* cap. 32: *Vim maximam universo orbi imminentem, ipsamque clausulam sæculi acerbitates horrendas comminantem.* Et *de Resurrect. carnis*, c. 27: *Fines sæculi, sub ultima ira.* Deinde diserte ait: *Post Antichristi eradicationem agitabitur resurrectio.*

De sæculo jam moriente. Rigaltius ait, *Supra dixit, occasum sæculi.*

Pressuris angentibus. Rigaltius ait, *Paulus in* II *ad Cor.* θλιβόμενοι, ἀλλ' οὐ στενοχωρούμενοι. *Glossæ veteres. Angit,* θλίβει, στενοχωρεῖ, ἄγχει, πνίγει. *Hic igitur angi, sive angustiari, plus est quam pressuram pati, ut apud Paulum Esdræ* IV. *Justi autem ferent angusta, sperantes spatiosa.* Psal. IV, ἐν θλίψει ἐπλάτυνάς μοι. *Ipse Cyprianus Epist* LVIII, *dicet, peccatis angentibus premebatur.*

Nolite mirari ardorem accidentem. Rigaltius ait, *Petri* I, 4, Μὴ ξενίζεσθαι τῇ ἐν ὑμῖν πυρώσει. *Tertullianus in Scop. Dilecti, ne expavescatis ustionem quæ agitur in vo-*

Digitized by Google

bis in tentationem, quasi novum accidat vobis. Ignium A *pœna summa, Tertulliano lib. ad Martyras : et Apostolus, ut ostendat summum fidei Christianæ experimentum, κἂν δῶ παραδῶ τὸ σῶμά μου ἵνα καυθήσομαι, Adeoque damnationis æternæ tormenta significantur in gehenna ignis.*

Ne excidatis. Legisse videtur μηδὲ ἐξίστασθε ὡς ξένου ὑμῖν συμβαίνοντος.

Tunc martyribus patent cœli. Rigaltius ait, *Alludit ad illud Stephani : Video cœlos apertos. Tertul. Tota paradisi clavis sanguis tuus est. Ipse Cyprianus Epistola* LIV : *Qui martyrium tollit, sanguine suo baptizatur. Hæc erat summa curarum episcopis et presbyteris, ut plebem facerent ad subeunda pro nomine Christi martyria fortem et constantem.*

Cum populum nostrum fugari conspexerit metu persecutionis. Rigaltius ait, *Fugam in persecutione non abhorret, Tertulliano mitior et facilior.* Imo defendere debet ; aliter seipsum condemnaturus.

Nec tractantes Episcopus audiat. Rigaltius ait, *Hoc est, docentes, disserentes. Ipse Epist ad Antonianum :* B *Ego prius legeram, et episcopo tractante cognoveram, non sacrificandum idolis. Pontius in Vita Cypriani : O beatum Ecclesiæ populum, qui episcopo suo tractante semper audierat.*

Quibus occidere non licet. Rigaltius ait, *Arma Christianorum preces et lacrymæ, quandoque fuga : sæpissime autem fortis patientiæ constantia pro nomine Christi. Tertullianus in Apol. Apud istam disciplinam magis occidi licet quam occidere. Christus, exarmato Petro, omnem Christianum discinxit. Itaque Epistola sequenti Cyprianus ad Cornelium ait : milites Christi vigilare jam sobrios, et armatos ad prælium stare : vinci non posse : mori posse. Et hoc ipso invictos esse, quia mori non timent, nec repugnare contra impugnantes, cum occidere innocentibus nec nocentem liceat.*

Harum tenebrarum. Transpositis vocibus legisse videtur, πρὸς τοὺς κοσμοκράτορας τοῦ αἰῶνος τοῦ σκότους τούτου.

In die negotissimo. Rigaltius ait, *Scilicet, Antichristi.* τοῦ πονηροῦ.

Ut signum Dei. Inter baptismi solemnia fronte im- C pressum.

Eucharistiæ memor, quæ Domini corpus accepit. Rigaltius ait, *Ambrosius lib.* IV, *de Sacramentis, cap.* 2. *Dicit tibi sacerdos : Corpus Christi, et tu dicis : Amen, hoc est, Verum. Quod confitetur lingua, teneat affectus.* Priorius ait, *Loquitur hic secundum ritum quo Eucharistia in manus laicorum porrigebatur, non in os, unde Trullana synodus, can.* 28, *de Presbytero : μήτε τοίνυν δημοσίᾳ μήτε ἰδίᾳ εὐλογείτω, μήτε τὸ σῶμα τοῦ Χριστοῦ καταπεμπέτω ἑτέροις. Concilium Tolet.* I, *cap.* 14 : *Si quis autem acceptam a sacerdote Eucharistiam non sumpserit, velut sacrilegus propellatur. Et can.* 3. *Conc. Cæsar-August. Ubi advertendum laicos manu accipere, ore autem sumere.* Romana Ecclesia, quæ morem hunc immutavit, credidisse videtur manus laicorum ore ipsorum magis esse profanas.

ANN. CCLIII.

EPISTOLA LXII.

Cum maximo animi nostri gemitu. Epistola hæc, quam genuinam esse minime dubitamus, in exemplaribus mss. rarissime occurrit ; neque enim in omnibus istis quorum copia mihi facta est, unicum vidi quod eam complecteretur. Alienissimam Pamelii conjecturam, qui Afros istos a Gothis captos autumat, refutare non est opus. Nec certe Africa monstrorum feracissima, adeo exculta et pacata, ut nullos barbaros aleret ; sed in adverso mundi cardine essent requirendi. Hac de re consulantur *Annales Cyprianici.*

De diaboli faucibus exuit. Rigaltius *Sic* ait, *Epist.* IV, *dicit : Exuenda est de incendio sarcina.*

Membra Christo dicata. Animi instituto ad pudicitiam composito. Non enim illæ tunc temporis, claustris inclusæ. Pamelius ait : *Similem de sanctis Virginibus phrasin habes tum Epist. ad Pompon. tum lib. de Discipl. et Hab. Virginum.*

Captivus fui, et redemistis me. Redemptio captivorum semper in Ecclesia inter primaria charitatis officia fuit reputata. A Lactantio *magnum et præclarum justitiæ munus* dicitur. Ambrosius in hos usus vasa Ecclesiæ etiam initiata confregit, l. II, *Offic.* c. 28. Augustinus, teste Possidio, idem præstitit : et Deo gratias, narrante Victore Vitensi, l. I.

Misimus autem sestertium centum millia nummum. Rigaltius ait : *Rectissime monuit Jo. Fredericus Gronovius, lib. de Sestertiis, num.* 18, *frustra Pamelium addubitasse de vitio vulgatæ istius scripturæ. Etenim latinam non esse, nec ullam summam latine quidem significare. Itaque procul dubio scribendum, sestertium centum millia nummum Quæ scriptura summam conficiet nostrarum hodie librarum* 25,000. Lombertus hanc Rigaltii æstimationem ad septem mille quingentas libras gallicas reducit. Capellus aliter supputat, ut sint novem mille, sex centum, triginta novem libræ, septemdecem solidi, decem denarii. Si ad monetæ Anglicanæ rationes calculos ineamus, fortasse ad rei veritatem proxime accedet qui dixerit, summam hic designatam conficere libras sterlingas septingentas, octoginta et unam, et solidos quinque. Manifestum librarii errorem ad linguæ latinæ analogiam restituimus ; satis enim certum est Cyprianum congrue locutum : nec nobis placet solemnis criticorum methodus, qui in textu sphalmata relinquunt, ut in notis suis operose corrigerent.

Subdidi nomina singulorum. Rigaltius ait, *Non frustra, nec supervacue. Nam in sacrificiis orationum offerebantur nomina eorum, qui ad hoc opus tam necessarium prompte ac libenter operati erant.* A privilegio hoc excludi, pœnæ gravissimæ loco habitum, supra ostendimus, ad *Epist.* I.

EPISTOLA LXIII.

Quamquam sciam. Non hac epist. Cyprianus Aquarios, sive Hydroparastatas, Ebionitarum germen, teste Epiphan. Hæres. XXX, aut Encratitas, Tatiani sequaces, refellit ; quorum error in hoc maxime versabatur quod vinum quasi rem profanam et abominandam aversarentur, ut ait Epiphanius, διαβολικὸν φάσκοντες, fabulosa vanitate de Satana et terra germinasse asserentes vites. Ex ignorantia aut simplicitate delapsisse istos dicit auctor noster. Et quia antelucanis horis Eucharistiam sumebant, quo tempore nulli vinum biberent, referente Apostolo, *Actor.* II, 15, credibile est eos aquam tamquam honestius poti genus, et suspicionibus minus obnoxium substituisse ; præsertim cum ex vini odore detegere potuerint Ethnici, eos qui vinum olebant esse Christianos ; qua de re agitur in fine hujus epistolæ. Mentio autem solemnis epistolæ istius facta est a D. Augustino lib. IV *de Doctrin. christiana*, cap. 21, ubi quæ statim a principio occurrunt, in exemplum adducuntur *submissi dicendi generis.*

Humana et novella institutione. Rigaltius ait, *Sic paulo post dicet, nostra et humana conscribere. Videantur quæ* D *supra observavimus de humana Ecclesia ; deque humana credulitate, et traditione humana ad Epist.* LVII *et* LX.

Quod sacrificii hujus auctor et doctor fecit et docuit. Rigaltius ait, *Quid fecerit, quid docuerit, Evangelia narrant. Nec aliud Corinthiis suis tradidit Paulus. Quod in cœna Christus instituit, Christiani dein sacrificium appellavere, et sacræ cœnæ ministros, sacerdotes.*

Neque aliud fiat a nobis, quam quod pro nobis Dominus prior fecerit. Rigaltius ait, *Hac eadem Epistola dicet : Quod si nec minime de mandatis dominicis licet solvere, quanto magis tam magna, tam grandia, tam ad ipsius dominicæ passionis et nostræ redemptionis sacramentum pertinentia fas non est infringere, aut in aliud quam quod divinitus institutum sit humana traditione mutare?*

Nec potest videri sanguis ejus esse in calice. Rigaltius ait, *Sic Tertullianus lib. de Oratione, Corpus ejus in pane censetur. Et ipse Cyprianus mox, calix quo Christi sanguis ostenditur ubi de aqua : quæ Chri-*

Digitized by Google

sti sanguinem non possit exprimere. Quando toties ingerit ut calix sit mixtus; id potissimum agit, *ne vinum desit calici.* Quamquam enim ad conciliandos Aquariorum animos, et receptum in Ecclesia morem asserendum, aquam in Eucharistia rite adhiberi agnoscat Cyprianus, qua plebs christiana adumbratur : et opinatus sit vino cibario et diluto Christum fuisse usum, omnia tamen ad dominicæ institutionis normam prorsus exigenda contendit, ut id scilicet fiat *quod Jesus Christus Dominus et Deus noster, sacrificii auctor et doctor,* non tantum *fecit,* sed *docuit.* Quibus similia passim repetit, addens *imagines sacrificii Christi pane et vino constitui.*

Noe vinum bibens, imaginem dominicæ passionis expresserit. Rigaltius ait : *Valde indulserunt ingenio suo Patres, ubicumque in Scripturis panis et vinum occurrit.* Noachum redemptionis per Christum partæ typum gessisse ex I Pet. III, 21. liquido constat; et a cataclysmi aquis superstes, magis salutares Baptismi undas adumbrasse. Quid ergo mirum, si ad alterum etiam sacramentum Ecclesiæ, gradus præstruatur? et siquidem, vino epoto, edormiverit, præfigurasse calicem eucharisticum, et dominicam mortem dicatur? Interim ut typi ratio consistat, necesse est vinum non minus Dominum quam Noachum bibisse.

Melchisedech, Rex Salem, protulit panem et vinum, Rigaltius ait : *Septuaginta Interpret. Genes.* XIV. καὶ Μελχισεδὲκ βασιλεὺς Σαλὴμ ἐξήνεγκεν ἄρτους καὶ οἶνον. *Editio Complut.* ἐξήνεγκεν αὐτῶν ἄρτους, *quomodo etiam citavit Ambrosius, lib.* I, de *Abrahamo. Et Melchisedech, Rex Salem, protulit ipsi panes et vinum. Tertullianus autem apertissime dixerat adversus Jud. Melchisedech ipsi Abrahæ revertenti de prælio panem et vinum obtulit. Josephus,* τῷ Ἀβραάμου στρατῷ, *et pro pane et vino* πολλὴν ἀρθονίαν τῶν ἐπιτηδείων. *Auctor Commentariorum in Genesin, quæ tribuuntur Eucherio, lib.* XI, *num.* 17. *Nec esse mirum si Melchisedech victori Abraham processerit obviam, et in refectione tam ipsius quam pugnatorum ejus panem vinumque protulerit. Quæ autem in iisdem commentariis hac de historia sequuntur, arguunt manum interpolatoris. Joannes Mercerus et Hugo Grotius fatentur non improbabilem esse sententiam existimantium, factum hoc fuisse sacrificio præcedente.*

Ex persona Patris. Psalmum hunc non modo sibi asserit Dominus noster, Matth. XXII, 44, et alibi; sed Judæi id passim agnoscunt. Moses Haddarsan in Genes. XXXVII, 12. Midras Tehillim in Psal. II. R. Saad. Gaon in Daniel, VII. 13. Talm. tract. Beracoth., c. 5.

Apostolorum faciens mentionem. Per *servos* qui missi dicuntur, intelligit Apostolos.

Ad craterem. Videantur dicta ad liv. II *ad Quirin.*, cap. 2. Dum dicit *vinum miscuisse,* Jansenio interprete, id solum intelligi debet, *ministrasse* et *præparasse.*

Pleni et percalcati. LXX habent, πλήρους καταπεπατημένης. Nimirum פּוּרָה quod torcular significat, pro voce ejusdem fere formæ, quæ rerum copiam et ex fructibus ubertatem significat, accepere. D. Hier. ad Hebræi textus mentem legit : *Torcular solus calcavi.*

Nolite, inquit, priora meminisse. Hæc de Baptismo similiter interpretatur, I. I *ad Quirin.* c. 12.

Christus qui est petra. Rigaltius ait, *Super quam ædificavit Ecclesiam suam Christus. Et tamen plerisque locis Cyprianus quæ de petra dicuntur transtulit ad Simonem, cui Christus ob rectum de Filio Dei effatum, nomen fecit Petro.*

Calicem docuerit exemplo magisterii sui, vini et aquæ conjunctione misceri. Dicit infra Cyprianus, *non observari a nobis quod mandatum est, nisi eadem quæ Dominus fecit, nos quoque faciamus, et calicem Domini pari ratione miscentes, a divino magisterio non recedamus.* Et hoc deinceps fortius videtur urgere. Porro veteris Ecclesiæ scriptores plerique consentiunt, Dominum in cœna sua vinum aqua dilutum propinasse. Ita Justin. Apol. II, Clemens Alex. I. II *Pædag.* c. 2. Morem accersunt Patres Trullani a traditione, can. XXXII, sed hujus rei certissima indicia ex Judæorum ritibus sunt desumenda. Credere enim par est Dominum nostrum ad receptos in Ecclesia mores hac ex parte se accommodasse. Ut enim lectio Paschalis הגדה sive annuntiatio dicitur, ita jubentur Apostoli *Annuntiare mortem Domini, donec venerit.* Agnum paschalem appellabant פסח של ופי corpus paschatis, ita Dominus de pane Eucharistico ait : *Hoc est corpus meum.* Quemadmodum etiam pater familias in paschatis celebratione משליח הבדכה ואחד בן בנצע absoluta benedictione frangit; pariter Dominus accepto pane, *postquam gratias egisset,* fregit. De vino autem Hebræi doctores dicunt, perinde fuisse si vinum adhibeatur aut merum, aut dilutum. בן חרש בין ישן בן חי בין החזג ut traditur in Tosephos. Unde recte Aquinas part. III, quæst. 74, art. 7 et quæst. 83, art. 6, ad 4, et Bonaventura in IV Sentent., distinct. 11, part. 2, quæst. 3, dicunt admistionem aquæ non esse de necessitate vel integritate sacramenti. Armenii quidem in ea erant hæresi aquam a vino in Eucharistia abesse omnino debere, qui a synodo quinisexta damnati. Ecclesia Romana quamquam decerne videatur *calicem sanguinis Christi Domini non in pura aqua, nec in puro vino, seu sine aqua; sed in vino aqua mixto esse consecrandum* : tamen si res attente spectetur, in solo vino consecrandum volunt; monent enim, ut aqua in valde exigua quantitate, Eugenii verbis, *modicissima,* apponatur; et mora aliqua intercedat inter mixtionem et consecrationem, ut aqua in vinum demum sit conversa. Videatur *Catech. Rom.* c. IV, parag. 17, et *Sacerdotale Rom.* part. I. Tract. XIX, cap. 2. Et in hoc negotio adduci solet testimonium Aristotelis l. I, *de Generat et Corrupt.*, cap. ult. Ubi dicit vinum in minima quantitate aquæ injectum, in aquam transire. μεταβάλλει ὑάτερον εἰς τὸ κρατοῦν. οἷον σταλαγμὸς οἴνου μυρίο χοεῦσιν ὕδατος οὐ μίγνυται· λύεται γὰρ τὸ εἶδος καὶ μεταβάλλει εἰς τὸ πᾶν ὕδωρ. Ita Ecclesia Romana non unicam tantummodo transsubstantiationem in Eucharistia, sed duplicem agnoscit. Porro observanda venit Ecclesiæ Græcæ praxis, de qua dicit Balsamo, πρὸ τοῦ ἁγιασθῆναι τὸ ἅγιον ποτήριον, οὐ βάλλεται τὸ ξέον εἰς τὴν ἕνωσιν, ἀλλὰ μετὰ τὸν ἁγιασμόν. Et proinde, aqua, ex eorum sententia, sacrum istud mysterium consequitur, non ingreditur.

Effundetur. Favet Cyprianus lectioni illorum codicum qui habent. ἐκχυθησόμενον.

Creatura vitis. γεννήματος τῆς ἀμπέλου. Vocem ipsam retinuit versio vulgata : *Non bibam a modo de hoc genimine vitis.*

Convertere Evangelium Christi. μεταστρέψαι. Ambrosius, Hieronymus et Augustinus similiter ea voce utuntur.

Calix tuus inebrians. LXX, ποτήριόν σου μεθύσκον, ὥστε κράτιστον. Inebrians, tamquam vinum generosissimum. In Hebræo est מסי et Hieron. *ad Suniam ad Fretellam* dicit LXX scripsisse ποτήριόν μου.

A sapore isto seculari. Rigaltius ait, *Saporem vini communis et profani dicit esse saporem sæcularem, cui opponit intellectum divinum, ut jam non vinum, sed sanguis Domini intelligatur.*

Vino isto communi mens solvitur. Rigaltius ait, *Vinum commune dicit, quod nondum est sanctificatum sive consecratum in sanguinem Christi. Itaque mox vino isto communi opponet sanguinem Domini. Jam non vocat vinum, sed sanguinem.*

Tristitia omnis exponitur. Sæpius admonuimus, *exponi* idem esse apud Cyprianum, ac e medio tolli.

Peccatis angentibus premebatur. Rigaltius ait : *Sic supra Epist.* LVI, *dixit : Pressuris angentibus frequenter urgeri.*

Videmus in aqua populum intelligi. Bertramus in libro de Corpore et Sanguine Domini, qui scriptus circa medium noni seculi, ex his verbis sic argumentatur. *Considerandum quoque* (inquit) *quod in pane illo non solum corpus Christi, verum corpus etiam in eum credentis populi figuretur, unde multis frumenti granis conficitur; quia corpus populi credentis multis,*

Digitized by Google

per verbum Christi, fidelibus conficientur, qua de re sicut in mysterio panis ille Christi corpus accipitur, sic etiam in mysterio membra populi credentis intimantur; et sicut non corporaliter, sed spiritualiter panis ille credentium corpus dicitur, sic quoque Christi corpus non corporaliter, sed spiritualiter necesse est intelligatur. Sic et in vino, qui sanguis Christi dicitur, aqua misceri jubetur, nec unum sine altero permittitur offerri: quia nec populus sine Christo, nec Christus sine populo, sicut nec caput sine corpore, nec corpus sine capite valet existere. Aqua denique in sacramento populi gestat originem: igitur si vinum illud sanctificatum per ministrorum officium, in Christi sanguinem corporaliter convertitur; aqua quoque quæ pariter admixta est, in sanguinem populi credentis necesse est corporaliter convertatur. Ubi namque una sanctificatio est, una consequenter operatio; et ubi par ratio, par quoque consequitur mysterium. At videmus in aqua secundum corpus nihil esse conversum, consequenter ergo et in vino nihil corporaliter ostensum. Accipitur spiritualiter quidquid in aqua de populi corpore significatur; accipiatur ergo necesse est spiritualiter, quidquid in vino de Christi sanguine intimatur.

In vino vero ostendit sanguinem Christi. Rigaltius ait: *Supra hac Epist. Vinum quo Christi sanguis ostenditur. Et hic paulo post, ubi de aqua: quo et ipso sacramento populus ostenditur adunatus. Ostenditur, eo sensu quo dixit hoc ipso loco: videmus in aqua populum intelligi. Videatur Epist.* LXIX.

Quomodo nec vinum solum potest. Manente scil. recepto in Ecclesia usu. Sed annotandum, non semper illud quod mysterium in se continere dicitur, perpetuo ratum sanctumque in Ecclesia permanet. Olim pane grandiusculo utebantur fideles in Eucharistia, ut quotquot ejusdem participes fierent; unus panis ostenderentur esse, et fracti corporis Domini communione donati. Deinceps usu venit ut placentulæ adhiberentur, sed nondum periit mysterium; illæ enim nummulos repræsentant, Domini corporis pretium. Ita hac ipsa in Epistola refert auctor noster, Eucharistiam primo a Domino noctu celebratam, sed nec hoc sine mysterio, *ut hora ipsa sacrificii ostenderet vesperam mundi, sicut in Exodo scriptum est: Et occident illum omne vulgus synagogæ filiorum Israel ad vesperam.* Subdit porro: *Nos autem resurrectionem Domini mane celebramus:* unde etiam patebit, quod *in lumine Christi ambulare volumus.* Porro, aqua decreto Eugenii Pontificis Rom. jubetur admisceri calici consecrando in *modica quantitate*; ita per excessum vini supra quantitatem aquæ, excessus meritorum Christi Domini, et dignitatis ejus supra naturam humanam, et supra peccata generis humani significatur. Sed non minus feliciter, mero adhibito, nos solis Christi meritis et sanguine salvari ostenditur. Similiter etiam Græci ferventem aquam calici consecrato infundunt, ad significandum, interprete Balsamone, in can. XXXII, concil. Trullani, τοῦ εἶναι ζωοποιὰ τὰ ἀπὸ τῆς ἁγίας πλευρᾶς τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ῥεύσαντα. Frigida utuntur Latini, ut testentur Christum vere fuisse mortuum, et non nisi morte ejus nos salvari. Pariter in Baptismo accidit: olim trina immersio requirebatur, ut S. Trinitatis ratio constaret: dein unica successit, ut Deum unum a nobis agnitum profiteremur. Immersio etiam necessaria videbatur, ut Baptismo sepulti cum Christo videremur; dein aqua aspergimur, ut sanguinis ejus aspersione purgati cognoscamur. Simili modo, lactis et mellis concordia aquæ baptismali addebatur, quæ ideo ad altare cum vino et spicis offerebantur; quæ tamen postea ex canonum decretis in desuetudinem ivere, salvo interim sacramenti mysterio.

In sacrificio quod Christus obtulerit. Rigaltius ait, *in sacrificio Christus semetipsum obtulit Patri: in sacrificii sui Sacramento panem et vinum corpus suum fecit, deditque discipulis suis cœnantibus.* Ratum enim illud quod dixit Dominus. *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere potus.* Nimirum si quidem digne communicantes, per fidem participes fierent corporis et sanguinis ejus, et alterentur in vitam æternam.

Non nisi Christus sequendus est. Solus Christus audiendus est. Rigaltius ait, *Tutissima traditionum custodiendarum regula, quam Cyprianus inculcat locis hac Epistola plerisque: Nam initio quidem sic ait: Neque aliud fiat a nobis quam quod pro nobis Dominus prior fecerit. Et hoc ipso loco: Nostræ redemptionis sacramentum fas non est infringere, aut in aliud quam quod divinitus institutum sit, humana traditione mutare. Et: Neque enim hominis consuetudinem sequi oportet, sed Dei veritatem. Attamen idem ipse Cyprianus, hac ipsissima Epistola dicet: at enim non mane, sed post cœnam mixtum calicem obtulit Dominus: Numquid ergo Dominicum post cœnam celebrare debemus? Tertulliani de Corona liber adversus Psychicos et Gnosticos scriptus est. Horum illud erat etiam in traditionis obtentu exigendum esse auctoritatem scriptam. Itaque adversus istos hoc tractare incipit, plurimas traditiones absque auctoritate scripta, et circa Baptisma, et circa Eucharistiam receptas fuisse, quibus deberi obsequium fatetur. Sic opinioni et causæ suæ quisque velificat.*

In sacrificiis matutinis. Rigaltius ait, *Tertullianus, etiam antelucanis cœtibus. Horis antelucanis Eucharistiam celebrabant, quia si distulissent in cœnæ tempus, plebs ad convivium convocari non potuisset. Hoc innuunt in Cypriano sequentia paulo post. Tertullianus autem cum ait etiam antelucanis cœtibus Eucharistiam celebrari, fatetur etiam in tempore victus celebratam fuisse.*

Per saporem vini. Tertullianus in Lib. II *ad Uxorem*, c. 5, rem totam exequitur. *Quanto curaveris ea occultare, tanto suspectiora feceris, et magis captanda gentili curiositati. Latebisne tu cum lectulum, cum corpusculum tuum signas, cum aliquid immundum stantis explodis, cum etiam per noctem exsurgis oraturn? et non magiæ aliquid videberis operari? Non sciet maritus quid secreto ante omnem cibum gustes? et si sciverit panem, non illum credit esse qui dicitur?* Revera matutina jentacula fiebant ex meri haustu, unde ἀκρατίζεσθαι apud græcos est jentare, et ἀκράτισμα jentaculi sumptio; sed hæc ad fœminas non spectabant, quibus instar sceleris capitalis erat vinum degustasse. Lectio in qua codices probatissimi, Lambethanus, Eboracensis, Bodleianus secundus, Lincolniensis, Benedictinus, et Londinensis consentiunt, minime videtur contemnenda; præsertim cum ad Tertulliani mentem maxime respondeat. Quod illic *infidelis conscientia* dicitur, Septimius posuit, *alterius conscientiam mariti.* Sed nihil muto.

Cum ad cœnandum venimus, mixtum calicem offerimus. Constat hinc aquarios hosce non Manichæorum, Tatianorum, aut Helcesitarum errorem imbibisse, ut sentirent vinum, ceu diaboli sanguinem, prorsus esse abominandum: hæc enim in eorum persona dicuntur, qui primo tantum *mane aqua sola offerebant.* Constat etiam Eucharistiam licet *horis antelucanis* sumptam, vespere etiam distribui solitam; cujus rei locuples testis Tertullianus Lib. *de Corona*, c. 3. *Eucharistiæ sacramentum tempore victus de præsidentium manu sumimus.* Et alibi monet ut finitis stationibus sumatur. Consuetudo post cœnam communicandi diu duravit in Ecclesia; Socrates enim apud l. V, c. 22: Αἰγύπτιοι γείτονες ὄντες Ἀλεξανδρίων, καὶ οἱ τὴν Θηβαΐδα οἰκοῦντες, ἐν σαββάτῳ μὲν ποιοῦνται συνάξεις. οὐχ᾽ ὡς ἔθος δὲ χριστιανοῖς τῶν μυστηρίων μεταλαμβάνουσι. μετὰ γὰρ τὸ εὐωχηθῆναι, καὶ παντοίων ἐδεσμάτων ἐμφορηθῆναι, περὶ ἑσπέραν προσφέροντες, τῶν μυστηρίων μεταλαμβάνουσι.

Sacramenti veritatem. Rigaltius ait: *Calicem mixtum et fraternitate omni præsente. Ut sic vere observemus omnia quæ Christus tradidit, offerendo calicem mixtum, et in tempore victus, et fraternitate omni præsente.*

At enim non mane, sed post cœnam mixtum calicem obtulit Dominicus. Numquid ergo Dominicum post cœnam celebrare debemus? Rigaltius ait, *Supra dixit, nefas esse ad ipsum Dominicæ ordinationis sacramentum pertinentia infringere, aut in aliud quam quod divinitus institutum sit, humana traditione mutare. Hic*

Digitized by Google

vero causas et rationes ingeniose comminiscitur, cur Dominicum post cœnam celebrare non debeamus, etsi post cœnam Dominus instituerit. Dicet aliquis, causas sive rationes quas Cyprianus affert esse spirituales atque divinas; nempe, Christum memoriam passionis suæ, quæ ad vesperam diei contigit, instituisse post vesperam: nos autem resurrectionem Domini matutino tempore ab ipso Domino patratam mane celebrare, ac proinde quod divinitus institutum fuit, non videri humana traditione sive præsumptione mutatum. Ævo jam Tertulliani mutatum aliquid circa hoc sacramentum fuisse colligitur, et non solum vespere, in tempore victus, sed etiam horis antelucanis, Sacramentum corporis Christi celebratum fuisse arguunt hæc verba, lib. de Corona: Eucharistiæ sacramentum in tempore victus mandatum a Domino, etiam antelucanis horis sumimus. Nondum tamen humana præsumptio sic invaluerat, ut non etiam in tempore victus sumeretur. Sed paulo post omnino invaluisse manifestum est, ex his quæ tradit hac Epistola Cyprianus. Immo placuisse Spiritui sancto ait Augustinus, nec propter eas quas Cyprianus attulit rationes, sed ut in honorem tanti Sacramenti, in os Christiani prius Dominicum corpus intraret, quam cæteri cibi. Nam ideo, inquit, per universum orbem mos iste servatur. Et tamen idem observat, nonnullos probabili quadam ratione delectari, ut uno certo die per annum quo ipsam cœnam Dominus dedit, tamquam ad insigniorem commemorationem, post cibos offerri et accipi liceat corpus et sanguinem Domini. Deinde disputationem suam vir sanctissimus quasi dubius et incertus ita concludit: Quapropter neminem cogimus ante Dominicam illam cœnam prandere, sed nulli etiam contradicere audemus. Habetur autem ea disputatio Epistola CXVIII, *ubi hoc etiam observare est, eo die quo ipsam cœnam Dominus dedit, prope omnes in plerisque locis lavasse. Itaque addit Augustinus: Et quia nonnulli etiam jejunium custodiunt, mane offertur propter prandentes, quia jejunia simul et lavacra tolerare non possunt: ad vesperam vero, propter jejunantes*

Passio est enim Domini. Illius ἀνάμνησις. Luc. XXII, 19, I Cor. XI, 24, 25.

Si quis simpliciter non hoc observavit. Rigaltius ait, *Sic infra sub finem Epistolæ dicet: Quod simpliciter erravimus.*

Secundus ejus adventus appropinquat. Rigaltius ait: *Supra dixit, occasum sæculi. Epist.* LVIII.

Magis illuminat. Non per Montani et Hypophetarum ejus insomnia, quod dixisset Tertullianus; sed per Christi et Apostolorum monita studiose observata.

Traditionis dominicæ veritatem. Rigaltius ait, *Supra dixit, sacramenti veritatem.* Id scil. ipsum quod Dominus docuit et fecit.

EPISTOLA LXIV.

Fido fratri. Pamelius ait: *Quo in loco fuerit episcopus Fidus,* non constat; *verisimile tamen est fuisse vicinum episcopatui Therapii, qui in synodo cognominatur a Bulla:* Vid. *Suffrag.* 61 *concilii carthaginiensis.*

EPISTOLA LXV.

Epicteto. Pamelius ait: *Fuisse hunc episcopum Assuritanum, verisimile est; quandoquidem autem in synodo sententiam dixit alius Assuritanus episcopus, Victor nomine, defunctus videtur Epictetus ante synodum.* Vid. *Suffrag. Concil. Carth.* 68.

Fortunatianum quondam apud vos episcopum. Pamelius ait, *Fuerat quidem Fortunatianus illorum episcopus, sed quod lapsus esset, jam episcopatu privatus: fuisse autem eum et factionis Novatiani ex sequentibus constat.* Dicitur *pro integro agere velle:* ac si lapsus post pœnitentiam peractam communioni Ecclesiæ redditus; ita in integrum restitutus esset, aut ejusdem regimen, postliminii quasi jure capessere liceret. Sed videtur Fortunatiano pœnitentiam non fuisse concessam, immo non expetitam; tantum aberat ut esset peracta.

Super hæc ergo non indignabor. LXX legunt, ἐπὶ τούτοις ὀργισθήσομαι. omisso πᾶσι.

Non laxabo illis. Rigaltius ait, *Manebunt ligati, non, remittetur eis, non absolventur,* οὐ μὴ ἄνῃσω αὐτούς. Textus hic sub eadem forma sæpius laudatur.

Ne forte derelinquat. LXX legunt ἀπαλλαξῃ. Aquila magis ad mentem sacri textus habet, διακόψῃ, et Symmachus διαρθείρῃ. Vocem hanc LXX, I Reg. XXV, 10, per ἀναχωρίω interpretantur; alibi passim per διακόπτω. καθαιρέω, et verba his synonyma exponunt.

Altare Sancti. LXX πρὸς τὸ θυσιαστήριον τοῦ ἁγίου. καὶ οὐκ ἐπάξονται ἐφ' ἑαυτοὺς ἁμαρτίαν. ἵνα μὴ ἀποθάνωσι. Editores huc usque Exod. XXX, 20 designari putabant, qui error alios peperit.

Quamvis. Utcunque, licet, *sic quorumdam pectora tenebrarum ingruentium profunda caligo cæcavit;* nullum enim hic redditivum succedit.

Stipes et oblationes et lucra desiderant. Rigaltius ait, *Itaque jam Cypriani seculo mali sacerdotes quæstum sive capturam ex oblationibus fidelium usurpaverant. August. lib.* IV *de Baptismo, contra Donat. Hanc vero luem fœdissimam posteros invasisse apertissime conquestus est Sulpitius Severus. Hist. l.* I. *Sedentes, inquit, munera exspectant, atque omne vitæ decus mercede corruptum habent, dum quasi venalem præferunt sanctitatem.*

Lapsus laicos Laicorum lapsum. Sensus enim iste ad rem Cypriani magis facit.

Oblatio sanctificari. Rigaltius ait: *Sanctificatur oblatio, cum fit corpus Christi, quod absolute Sanctum dicitur. Observavimus apud Tertul. lib. de Oratione. Ex ore quo Amen in Sanctum protuleris. Et lib. de Præscr. hæreticor. Ne sanctum canibus jactaret. Postea vero invaluit pro sanctificatione dici consecrationem, vulgo sic existimante sacrandi vocabulo aliquid significari sanctificatione præstantius.* Quatenus elementa in Eucharistia Christi corpus sint et dicantur, sæpius diximus.

Quando nec oblatio sanctificari illic possit. Rigaltius ait: *Sententiæ Cypriani Pamelius opponit sententiam Augustini statuentis, sacramenta ab impiis et sceleratis episcopis sive presbyteris ministrata, immo et baptismata ab hæreticis collata valere. Tract.* V, *in Joan. et lib.* VI, *et* VII, *contra Donatistas. Quæ res indiget distinctione facti in controversiam deducti. Nam hoc loco Cyprianus agit de Fortunatiano quodam Assurarum episcopo, qui per idololatriam exciderat fide, adeoque episcopatu, sacerdotio, Ecclesia, nec jam christianus, nedum presbyter aut sacerdos, nedum episcopus censebatur. Ac pro disciplina quæ Cypriani tempore vigebat, si pœnitentiæ tempus impetrasset, eo peracto, post satisfactionem legitimam, poterat quidem recipi ad communionem christianam, minime autem ad episcopatum, neque ad ullius in Ecclesia sacerdotii gradum. Reddebatur Ecclesia lapso, non locus, non gradus. Nam locum sive gradum perdiderat. Itaque ad plebem sive ad laicos sic retrahebatur, ut penes eum nullus remaneret sacerdotii character, neque potestas. In hujusmodi autem idololatriæ causa, Cyprianus Fortunatianum, ab idololatra schismaticum, qui non impetrata pœnitentia gradum sibi episcopalem vindicabat, ac plebeculam superbe et contumaciter collegerat, oblationes ullas sive orationes sive preces sanctificare negat potuisse. Quia scilicet extra Ecclesiam sic erat, ut jam non pertineret ad Christum, quem idolis sacrificando, negaverat, deraserat characterem Christi, superducti charactere Jovis, antichristi. Ab eadem disciplina venit quod ab hæreticis aut schismaticis baptizatos idem Cyprianus Baptisma Christi suscepisse negat. Ait enim tales Sacramentorum ministros extra Ecclesiam ministrantes, nihil ministrare, hoc nimirum argumento, quod cum Ecclesia sit una, in illa una qui non sint in nulla sint, nec aptitudinem habeant ullam, qua possint ab illa una quid accipere, quod acceptum communicent aut conferunt. Talia dogmata, ævo potestatum sæcularium vexationibus et ministrorum Ecclesiæ factionibus afflictissimo, stabilire ac sancire visum Cypriano, cæ-*

Digitized by Google

terisque per Africam, Numidiam ac Mauritaniam coepiscopis, presbyteris et diaconis, quo sibi populum facerent fidei Christianæ magis tenacem, ministrosque haberent pacis et unitatis ecclesiasticæ magis amantes. Hic ergo fuit scopus, in quem sanctissimi Patres omnia tunc Scripturarum ingenia contorsere. Proxima dein illis ætate, ut vel meliores ethnicos haberit, hoc est nomini Christiano minus infestos, vel ministros Ecclesiæ sortita est meliores, laxari disciplina cœpit, paulatimque argumentandi subtilitas acui studiosa nominis Catholici. Itaque sub Augustino placuit humanior sententia, quæ longe diversam ab idololatris causam constituit hæreticorum sive schismaticorum. Nam ab Catholico sensu recedentes, ab Ecclesia quidem præcisi dicebantur, sed in eo tamen statu, ut si, facta pace, ad Catholicam redirent, quasi postliminii jure, numquam abscessisse fingerentur, et sic pristinum reciperent in Ecclesia locum : cujus Ecclesiæ caput, nempe Christum non negaverant, quemadmodum idololatræ : propterea-que et baptismata, quæ in schismate ministraverant, non fiebant irrita. Hinc igitur illa Augustini : Concedo sceleratos esse hæreticos ; sed hæretici Baptisma Christi dederunt. Et : Sic ergo quos baptizavit ebriosus, quos baptizavit homicida, quos baptizavit adulter, si Baptismus Christi erat, Christus baptizavit. Et : Quod Sacramentum tam sanctum est, ut nec homicida monstrante polluatur. Idem Augustinus Epist. CLXVI, *citat in hanc sententiam suam verba Constantini. Attendite, inquit, quid habeant verba principis : Nam si in eis qui primo initiati sunt, idcirco religio baptismatis judicatur infirma, quod ii a quibus accipitur, peccatores putentur ; toties renovari necesse erit traditum sacramentum, quoties indignus fuerit inventus collati Baptismatis administrator, et fides nostra non ex nostræ voluntatis arbitrio, neque ex divini muneris gratia, sed ex meritis sacerdotum et clericorum qualitate pendebit.*

ANNO CCLIV.

EPIST. LXVI.

Cyprianus qui et Thascius. Pamelius ait : *Videtur mihi cum Cretensi voluisse cretisare Cyprianus : et cum Florentius nomen suum cum prænomine præfixisset, idipsum fecisset. Prænomen autem istud ipsum reperire est in Actis passionis ejus, et apud* Pontium diaconum. Crediderim quidem Pupianum invidisse Cypriano Cæcilii nomen, quod a bonæ memoriæ presbytero, a quo ad fidem erat conversus, accepit ; et per contemptum Thascii titulo salutasse, quo inter gentiles noscebatur.

Ego te, frater. Rigaltius ait : *Florentium etsi jam schismaticum, nihilominus vocat fratrem, quemadmodum Optatus donatistas, objurgans eos quod ipsi Catholicos nollent vocare fratres : Nolunt, inquit, se dici fratres nostros : tamen nos recedere a timore Dei non possumus, quos hortatur Spiritus sanctus per Esaiam Prophetam dicens : Vos qui timetis nomen Domini, audite nomen Domini : Illi qui vos odio habent et execrantur, et nolunt se dici fratres nostros, vos tamen dicite eis : Fratres nostri estis. Sunt igitur sine dubio fratres, quamvis non boni. Nomen fraternitatis nec interveniente peccato deponitur.*

Martyrii tui dignitas. Rigaltius ait : *Ante schisma communicabat Florentius cum Cypriano, et in persecutione quidem ad summam martyrii sublimitatem provectus fuerat, inquit Cyprianus infra.*

Indigni et incesti. Rigaltius ait : *Hæc verba satis indicant qualia Florentius in Cyprianum opprobria fuderat, infanda et turpia, atque etiam gentilibus execranda.*

In prædicationibus nostris. Rigaltius ait : *Cum de nobis aliquid ipsi prædicamus ac dicimus, alius sit prædicator, alius testis. Non idem sit prædicator et testis.* Οὐδεὶς ἑαυτῷ μαρτυρῶν ἀξιόπιστος.

Testimonium meum non est verum. Rigaltius ait : *Non est legitimum, neque justum. Horatius, Metiri se quemque suo modulo ac pede verum est.*

Sic insitis in sacerdotem. De hac S. textus periche et vocis *incitas* notatione, sæpius actum. Porro observavimus solemne esse Cypriano Scripturarum testimonia, tamquam ex armamentario, glomeratim depromere. Vid. quæ dicta Ep. III, et LIX.

Episcopi Christianorum. Rigaltius ait : *Supra Epist.* LIX, *dixit, applicato et adjuncto episcopatus sui nomine. Itaque proscriptus, quia episcopus. Propter hoc tantum, non propterea quod episcopus Carthaginis ; sed quia Christianorum episcopus.*

Nec hæc jacto, sed dolens profero. Rigaltius ait : *Epist.* LIX : *Dico enim provocatus, dico dolens, dico compulsus*, etc.

Novus credentium populus. Ethnici ad fidem conversi quibus Baptismus non concedebatur ἄνευ γάμου ἐπισκόπου, referente Ignatio.

Apes habent regem. Rigaltius ait : *Idem. lib. de Idololat. Rex unus est apibus, et dux unus in gregibus, et in armentis rector unus. Tales argutiæ tractari solent in scholis, et de ortygometra duce agminis cujusque coturnicum, et de gruibus. Nam et ducem eligunt quem sequantur, quique erecto collo provideat, et cætera hujusmodi. Ex quibus hoc colligitur, singulis alveis, singulis gregibus, singulis armentis, agminibus singulis regem, ducem, rectorem esse suum, œcumenicum nullum.*

Latrones mancipi. Rigaltius ait : *A quo sunt conducti ad facinus aliquod. Mancipem vocat factionis magistrum.*

Ad conspectum Dei. Ex martyrii prærogativa, de qua a ibi dictum.

Cum de medio recederent. Rigaltius ait : *Synodo soluta, post impositam mihi manum recedentes.* Sed siquidem pax in Ecclesia viguit quo tempore Cyprianus ad episcopatum promovebatur ; potius hæc intelligi debent de persecutione Deciana.

Confessores quæstionati. Rigaltius ait : *A quæstione. Sic Lucianus martyr Epist.* XXI, *dixit : Paulum a quæstione. Observandum hic confessores dici primum quæstionatos, deinde tortos. Etenim, cognitione data, habetur quæstio primum, dein tormenta adhibentur.*

Episcopum in Ecclesia esse, et Ecclesiam in episcopo. Ad unitatem Ecclesiæ omnino facit, ut episcopus nec per hæresin nec idololatriam sit lapsus, aut ob aliam noxam communionis jure exclusus ? Et ut plebs pariter episcopo suo adhæreat, siquidem *qui cum episcopo non est,* utique *in Ecclesia non est, nec cum Christo.* Quæ quidem ab Ignatio Θεοφόρῳ videntur desumpta.

Puro atque immaculato ore sacrificia indesinenter offero. Rigaltius ait : *Preces de corde sincero, de conscientia pura et casta.*

Memini enim quid jam mihi sit ostensum. Rigaltius ait : *Hic etiam utitur ostensionibus et visionibus, telo ad conterendos adversarios, in manu præsertim Cypriani, viri optimi atque divini, valentissimo : alias vano ac futili. Nam et callidus rhetor, et sophista vafer, hujusmodi visa ad causam suam appositissima poterit communisci, et fallere incautos et simplices.* Sed siquidem rumoribus fidem adhibendam crediderat Pupianus, æquum est ut Cypriano somniis credenti non irascerentur.

Et somniator postea. Respicit verba insultantium fratrum, *tunc apparebit quid illi prosint somnia sua.*

In die judicii ante tribunal Christi utræque recitabuntur. Ex Platonis sententia, magnus annus olim in terrarum orbe gesta restituet : sed revera dies *Domini magnus et manifestus,* Act. II, 20, omnium retro factorum ἀποκατάστασιν reportabit, Act. III, 21. Ideo ad examen tam districtum, mille annos requiri crediderunt plurimi viri eruditi. Sed utcumque de lectione litterarum istarum res ceciderit, certissimum est utrarumque rationem reddendam ; siquidem *de omni verbo otioso,* id dixerit Dominus, Matt. XII, 36.

Digitized by Google

ANN. CCLVI.

EPISTOLA LXXXVI.

Nemesiano. Horum omnium episcoporum Numidarum nomina, in synodo Carthaginiensi comparent. Nemesianus a Thubunis dicitur Suffrag. 5. Felix a Bagai habetur Suff. 12; Ab Amaccura Suff. 33; Alii quidem ibi sunt Felices, sed qui ad Byzacenam pertinebant, qui non sunt hujus loci. Lucius memoratur Suff. 7, nec non 31, utrique Numidæ; alii istius nominis ad Zeugitanam pertinent. Littens occurrit Suff. 82; Polianum habemus Suff. 15; qui a Mileo dicitur, Suff. 78. Victorem ab Octavo Numidam exhibet: alter a Gor non videtur hujus loci. Jader a Midila occurrit Suff. 45. Dativus demum a Badis memoratur Suff. 15. De Nemesiano solo dubitari poterit num Numida fuerit, an Maurus; nisi quod Tubiana occurrat in Numidia non minus quam in Mauritania; ut ex collatione Carthaginiensi apparet, et Notitia Imp. et quidem Θεσπις Ptolom. huc referenda videtur; licet aliter in notis ad concil. Carth. statuerim. Prædictos episcopos ad tres fodinas seorsim damnatos fuisse, ex triplici eorum responso apparet; licet quodnam sit Siguense Metallum Epist. LXXVIII memoratum, non conveniat. Littei nomen in responsis desideratur; unde conjicere licebit, illum e medio excessisse.

Præfiniti loci termini coercerent. Rigaltius ait, *Itaque Epistola* IV, *et* LXXXI, *excusat se ob loci conditionem; quem scilicet præfiniti termini coercebant.*

Execranda nobis ista res non est. Rigaltius ait, *Adeo nobis execranda non est, ut pro salutis æternæ sacramento accipi debeat.*

Cujus est spes omnis in ligno. Rigaltius ait, *Hoc est, in Christo, qui pro peccatoribus pependit in ligno. Sic Paulus gloriatur in cruce, hoc est, in Domino crucifixo.*

Sacramentum salutis nostræ. Rigaltius ait, *Eo sensu omnia quæ Christus gessit in carne, sacramenta sunt nostræ salutis.*

Locaque quæ aurum. Minime necesse est ut ad auri vel argenti fodinas damnati essent confessores; sufficit, quod ex istis terræ visceribus illa malorum irritamenta soleant effodi. Certe Plinius ait, lib. IV. Numidiam nullius rei *præter marmoris Numidici, ferarumque proventu insignem.*

Transversariis. Rigaltius ait, *Transversaria dicit quæ ἐκπλαγίου cohibent atque impediunt. Vitruvius lib.* VIII. *cap.* 6, *et* X. *cap.* 11. Catenæ, annulis ex quibus constant, ad motum omnem se accommodant; transversaria autem ferramenta compedibus interposita, numellarum instar torquent.

Semitonsi capitis capillus horrescit. Rigaltius ait, *Deformitate sua horrorem infert spectantibus. Epist. seqq. semitonsis capitis capillaturam adæquasti. Horatius, Curtatus inæquali tonsore capillos.* Ita ad remos damnati raduntur, ut si fuga elabi quærunt, possint dignosci et retrahi.

Facultas non datur offerendi. Martyribus in Deciana persecutione utcumque duriter habitis beneficium hoc non denegatum. Vid. Ep. IV.

Præmeditari excusare προμελετᾶν ἀπολογηθῆναι. De hac versione alibi actum.

Sexagenarium fructum. De centenario martyrum, sexagenario virginum proventu, in lib. de *Habitu Virgin. actum.*

Stare ad promissum Dei præmium. Huic statui opponitur in lib. de lapsis, *ad veniam stare.* Porro sæpius observavimus, ex veteris Ecclesiæ sententia, martyres peculiari privilegio, non expectato die judicii consummari. Unde infra dicit, *paratos omnes ad divinam et cœlestem gloriam:* nimirum ad martyrium.

Has mundi tenebras. Quæ fortassis sub dio et rutilante sole: graviores iis, quas ad metalla damnati, et infra terræ viscera defossi, sentiunt.

A *Contra hæreticorum injurias.* In causa Baptismi hæreticorum, cum Cypriano in concilio stetisse hos Numidas, supra observatum est.

ANN. CCLVII.

EPISTOLA LXXVII.

Sacramenta occulta nudare. Rigaltius ait, *Sacrarum Scripturarum arcana, mysteria, difficultates, sensus abditos: incerta et occulta sapientiæ divinæ.*

Ad credulitatem accedere. Rigaltius ait, *Ad fidem Christianam.*

Alterutrum adjutores. Rigaltius ait, *Invicem alter alterutrum adjuvantes. Supra, Epist.* LXIV, *alterutrum ad se venientes.*

EPISTOLA LXXVIII.

Secundum latitudinem ejus. Rigaltius ait, *Latitudinem pectoris dicit de pectore viri sancti, quod esse solet* B *in Dei laudes et bonas operationes fœcundum et magnificum.*

Accepimus id quod a Quirino et a te ipso misisti sacrificium. De quo mentio habetur in superiore Epistola, et fortasse in libris Quirino inscriptis.

Opere mundo. Creatura seu animali mundo. Pro πάντων τῶν κτηνῶν, legisse videtur, ἀπὸ πάσης κτίσεως.

Ita et in vestrum respiciat. Rigaltius ait, *Epist. seq. Et erit in tempore respectus illorum.*

EPISTOLA LXXIX.

Accepimus oblationis nomine quantitatem. Rigaltius ait: *Pecuniæ summam quam de suo quisque contulerat: vel quam de propria sua quantitate Cyprianus submiserat. Observavimus ad præced. Epistolas.*

Felix scripsi. Hæc lectio omnino admittenda videtur; nam ut Felix qui primus in Epistolæ fronte comparet, omnino in ejusdem calce prætereatur, ab C usu communi alienum est. Quinimo ut mentio reliquorum fieret, qui aut subscripserant aut legerant: illo qui scripserat omisso, minime accommodum videtur. Quis sit Eutychianus quem Polianus episcopus Dominum appellet non promptum est conjicere. Salutationis formula satis usitata est ut quis *dominus frater* dicatur. Vid. Ep. LXXVII, et alibi.

EPISTOLA LXXX.

Sub ictu agonis. Rigaltius ait: *Epistola sequenti dicet, Sub illo confessionis momento.*

Rescripsisse Valerianum ad senatum. Mirabilis hæc rerum mutatio non videtur silentio prætereunda. Hic est ille Valerianus Imp. de quo Trebellius Pollio refert: *Nobilis genere, patre Valerio, censor antea, et per dignitatum omnes gradus suis temporibus ad maximum in terris culmen ascendens, cujus per annos 70, vita laudabilis in eam conscenderat gloriam, ut post omnes honores et magistratus insigniter gestos, imperator fieret; non, ut solet, tumultuario populi concursu,* D *non militum strepitu, sed jure meritorum et quasi totius orbis una sententia. Denique si data esset omnibus potestas promendi arbitrii quem imperatorem vellent, alter non esset electus. Et ut sciatur quanta vis in Valeriano meritorum fuerit publicorum, ponam senatusconsulta, quibus animadvertant omnes, quid de illo semper amplissimus ordo judicaverit. Duobus Deciis Coss.* VI. *Cal. Novemb. die, cum ob imperatorias litteras in æde Castorum senatus haberetur, ireturque per sententias singulorum cui deberet censura deferri (nam id Decii posuerant in senatus amplissimi potestate), ubi primum prætor edixit: Quid vobis videtur, P. C., de censore deligendo? atque eum qui erat princeps tunc senatus sententiam rogasset, absente Valeriano (nam ille in procinctu suo cum Decio agebat): omnes una voce dixerunt, interrupto more dicendæ sententiæ, Valeriani vita censura est. Ille de omnibus judicet qui est omnibus*

Digitized by Google

melior. Ille de senatu judicet qui nullum habet crimen. Ille de vita nostra sententiam ferat, cui nihil potest objici. Valerianus a prima pueritia censor fuit. Valerianus in tota vita sua fuit censor. Prudens senator, modestus senator, gravis senator. Amicis bonorum, inimicus tyrannorum, hostis criminum, hostis vitiorum. Hunc censorem omnes accipimus, hunc imitari omnes volumus. Primus genere, nobilis sanguine emendatus vita, doctrina clarus, moribus singularis, exemplum antiquitatis. Quæ cum essent sæpius dicta, addiderunt, omnes : atque ita discessum est. Accedit ad laudem viri hujus, quod Christianis impense faveret, ita ut, referente Dionysio Alexandrino, ἤπιος καὶ φιλόρρων πρὸς τοὺς ἀνθρώπους τοῦ θεοῦ, οὐδὲ γὰρ ἄλλος τις οὕτω τῶν πρὸ αὐτοῦ βασιλέων εὐμενῶς καὶ δεξιῶς πρὸς αὐτοὺς διετέθη ; οὐδ' οἱ λεχθέντες ἀναφανδὸν χριστιανοὶ γεγονέναι ὡς ἐλεινὸς οἰκειότατα ἐν ἀρχῇ καὶ προσηλέστατα φανερὸς ἦν αὐτοὺς ἀποδεχόμενος· καὶ πᾶς ὁ οἶκος αὐτοῦ θεοσεβῶς πεπλήρωται, καὶ ἦν ἐκκλησία θεοῦ. Sed post hæc omnia, consiliis Macriani impii hominis et magi in transversum actus, cum ad oppugnandam Ecclesiam se convertit ; Persico bello implicatus, et ab illo ipso Macriano, consiliorum adversus Ecclesiam auctore, proditus ; in barbari hostis potestatem venit, ibique miserrimam serviens servitutem, quamdiu vixit, scabelli vicem gessit : ab impotente victore calcatus ; cui incurvato dorso, et in cervice ejus pede posito, is equum conscensurus se levabat : nec intercessio regum qui Persæ assistebant ; nec metus populi Romani, et filiorum Valeriani, qui in imperio succedebant, quidquam profuere ; immo prorsus inultus periisset, nisi Odenatus Palmyrenus, collecto exercitu ferocientis barbari impetum fregisset ; et insuper familiæ Marciani miseras reliquias, qui ab Aurelio cæsus, stirpitus delevisset.

In continenti animadvertantur. Rigaltius ait : *Aliquando dies negandi, hoc est Christo renuntiandi, præstituebatur ; ut lib. de Lapsis, cum dies negantibus præstitutus excessit.*

In Cæsarianas possessiones descripti. Lectio codicis Veronensis quæ habet, *et scripti;* manuductad magis probatam, *ascripti.* Satis notum est ex juris Cæsarei scriptoribus qualem servirent servitutem ascriptitii glebæ.

Valerianus imperator orationi suæ Rigaltius ait : *Orationem hic vocat, quod supra rescripsisse Cæsarem dixit. Cæterum imperator oratione in senatu habita auctor erat senatui censendi, quod tum e republica esse videbatur Ejus modi est illa Antonini de Donationibus inter virum et uxorem oratio, quæ ab Ulpiano refertur.* Quæcumque cum oraculi prærogativa, in senatu olim ab imperatoribus erant proposita, tamquam reipublicæ in commodum cessura, Orationes dicebantur : inde omnes constitutiones inscriptæ ad senatum, orationes principum dicebantur. Ita lege Theodosii et Valentis ad Senatum dicitur : *Hac oratione sancimus, ut pater etiam infantibus filiis successionem, sive ille, matre ejus moriente, adeundæ hæreditatis, vel petendæ bonorum possessionis fuerit executus officium, sive ista neglexerit, morienti filio infanti, in qualibet ætate sine ambiguitate succedat.*

In Cæmeterio. Area nimirum ubi cum plebe christiana ad cultum Dei solemnem convenerat, imperatore Valeriano nequicquam vetante, unde in terrorem majorem incutiendum, ibidem in illum animadvertebatur. Martyrologium Rom. illum in cœmeterio Callisti passum refert, ubi etiam Cornelii martyrium memorabatur, nec non B. Cypriani ; quod ideo factum dicitur *ne sancti præsules qui tempore Decianæ persecutionis, vitæ sanctimonia, animi robore, et frequentibus epistolis inter se conjuncti, ac eodem die coronati fuerant, in loco etiam venerationis disjungerentur.* Verba refero Francisci Mariæ Florentinii, in notis *ad Martyrolog. Rom.*

Et cum eodem Quartum. Presbyter hic videtur, aut nominis alicujus, siquidem nullo cum additamento designatur. Quæ de Felici, Agapeto, Donatiano, Faustino, Prætextato, Laurentio, Epolito, Afra, et Militibus 165 addi solent, auctorem aliquem martyrologiis vulgatis fide digniorem desiderant.

Præfecti in Urbe. Præfecti urbis munus erat illicita collegia coercere ; sed hoc nomine a Cypriano omnes alii magistratus videntur intelligi.

EPISTOLA LXXXI.

Frumentarios esse missos qui me Uticam perducerent. In itinere ad Uticam proconsul submisit frumentarios suos qui apprehenderent Cyprianum : idem redux ad Carthaginem stratorum opera utebatur. Utrique ad feralia mandata ministri opportuni. Unde, pace Rigaltii satis consistunt quæ hic et in Actis leguntur. Rigaltius ait, *Vita Cypriani quæ fertur ab ejus diacono Pontio perscripta, rhetoricæ dictionis gratiam magis quam narrationis historicæ diligentiam præfert. Adeo, de gestis sanctissimi viri, quæ sunt ipsius Epistolis comprehensa, nihil attingit : ac ne istud quidem ad martyrium pertinens ; quod cum rescisset se ab frumentariis requiri, perducendumque Uticam ; tantisper latuerit, ne suis Carthaginiensibus eriperetur, quorum in oculis martyrium facere exoptaret, ut quæ pro Christi nomine perferenda sermonibus et scriptis docuerat, etiam exemplo suo moriens confirmaret. Latuit igitur in secessu abdito. Sic enim ait ipse hac Epistola. Sed ubi secessum habuerit, non dicit : Certe prudenter. Neque enim tutum illi tunc fuisset. At post obitum agonem, Pontius diaconus, qui etiam in exilio comes et familiaris illi fuit, vitam episcopi sui cum traderet posteris, quis hoc eum putet tam jejune tamque exiliter præstitisse, ut quem in locum de consilio charissimorum secesserit, non indicarit : immo totam hujusce secessus historiam prætermiserit ? Nam quod exsulasse Curubin, eo qui circumfertur Pontii tractatu legimus, nihil ad istum, de quo hic agitur, secessum pertinet. Nec latuisse frumentatarios dicendus est, qui eo, quo exsulatum ire jussus est, migravit. Cæterum, si quis in eo de vita Cypriani opusculo scriptoris fidem aut diligentiam desideret, eodem ipsum desiderio tangi necesse est circa passionis acta quæ Lazius et Morellius ediderunt. Hunc enim Cypriani de hortis suis secessum non exhibent : hoc tantum, ab exsilio reversum in hortos, exinde accersitum perductumque ad proconsulem. Sed neque Augustinus frumentariorum memunit, martyrologia quædam actis illis consimilia secutus. Nam inter duos apparitores ad passionem curru portatum fuisse tradidit : acta, venisse ad martyrem principes duos, stratorem officii et equistratorem. Quæ sane temporis illius scriptorum ignorantium sive negligentiam produnt. Longe aberravit a scopo, qui per metaphoram frumentarios hic dici suspicatur, lictores ipsos qui Christianos ad supplicia raperent, quasi frumentariorum more frumenta Dominica in horreum Dominicum conderent. Quam conjecturam eo magis rideat quispiam, quando sit recta interpretatio, satis aperta et facilis : nec erat magnæ lucubrationis opera, pervidere, non alios hic a Cypriano frumentarios intelligi, quam id genus hominum qui militaribus officiis annumerati, specie frumentorum per varias provincias conquirendorum, ausculta bant explorabantque si quid adversus Cæsaris aut populi Romani majestatem turbaretur, molitionum turbarumque auctores comprehendebant, et quo jussi erant perducebant, aut etiam illico necabant. Est autem apud Eusebium Hist. lib. VI. Dionysii Episcopi Alexandrini Epistola, scribentis ad Germanum quemdam in hæc verba : Σαβῖνος, is fuit præfectus sub Decio ῥρουμεντάριος ἐπεμφθεὶς εἰς ἀναζήτησιν μου. Ac plerisque locis apud Spartianum, Lampridium et Capitolinum repetire est per frumentarios significari, speculatores, ἀγγελιαφόρους, ἀποστόλους, διώκτας, ἀρευνητὰς κατασκόπους. Itaque Adrianus Cæs. sic erat curiosus, non solum domus suæ, sed etiam amicorum, ita ut per frumentarios occulta omnia exploraret : nec adverterent amici, sciri ab imperatore suam vitam, prinsquam ipse hoc imperator ostenderet. Clarum est illud Capitolini de Maximino : scripsum est ad omnes provincias, missis frumentariis, jussumque ut quicumque Maximinum juvisset, is hostium numero duceretur. Hieronymus in Abdiam cap. 1. Eos enim quos*

Digitized by Google

nunc agentes in rebus, vel veredarios appellant, veteres frumentarios nominabant. Videantur quæ ad Tertullianum de curiosis beneficiariis.

Mutilabitur honor. Honori erant Ecclesiis suis martyres, pariter et ipsi ab iisdem honorandi. Sed pro hominum ingenio, quibus nihil mediocre placet, obsequium facile in cultum transibat; adeo ut animæ sub altari jacentes, altaribus passim admoverentur et Angeli Ecclesiarum martyrio coronati, civitatum suarum tutelares Angeli deinceps sint habiti. De Cypriano nostro Carthaginensium suorum vindice, memorabilis habetur narratio apud Procop., hist. Vandal., l. II, c. 1. Κυπριανοῦ οἱ Βανδίλοι τὸν νεὼν, ἔτι Ὁνωρίχου βασιλεύοντος, τοὺς χριστιανοὺς βιασάμενοι, ἔσχον, καὶ οὗτοι ἐλλήνδε σὺν πολλῇ ἀτιμίᾳ τοὺς ἱερέας ἐξελάσαντες, αὐτοὶ τῶν ἱερῶν τὸ λοιπὸν, ἅτε προσηκόντων ἀρειανοῖς) ἐτιμελοῦντο. ἀσχάλλουσιν οὖν διὰ ταῦτα καὶ διαπονουμένοις τοῖς Δίβυσι, πολλάκις φασὶ τὸν Κυπριανὸν ὅσαρ ἐπισκήψαντα, φάναι ἀμφ' αὐτῷ μέριμναν τοὺς χριστιανοὺς ἥκιστα χρῆναι. αὐτὸν γὰρ οἱ, προϊόντος τοῦ χρόνου, τιμωρὸν ἔσεσθαι. ἐπεὶ δὲ ὁ λόγος περιφερόμενος ἐς τοὺς Λίβυας ἅπαντας ἦλθε, καρδοκεῖν μὲν αὐτοὺς, τισὶν ποτέ τινα, τῶν ἱερῶν τούτων ἕνεκα, ἐς τοὺς Βανδίλους ἁμίξεσθαι, οὐκ ἔχειν μέν τοι τεκμηριώσασθαι ὅπη ποτὲ αὐτοῖς ἡ τοῦ θεοῦ ὀργὴ ἐκδήσεται. νῦν οὖν ἐπιδὴ ἐς Λιβύην ὁ βασιλεὺς σὺν ὅλῳ ἀφίκετο (πανιὼν γὰρ ἦδη ὁ χρόνος τῇ ὑστεραίᾳ τὴν πανήγυριν ἄγαγεν ἔμελλε) οἱ μὲν τῶν ἀρειανῶν ἱερεῖς, καὶ πῦρ ἄμμασι Βανδίλοις ἐς δέκιμον ἡγησαμένου τότε ἱερὸν ἐλθόντα, καὶ τῶν ἐνταῦθα ἀναθημάτων τὰ κάλλιστα ἀργύρεα καὶ λύχνα ἐν παρασκευῇ ποιησάμενοι, τά τε κειμήλια ἐξ ἐγκόντες ἐκ τῶν ταμείων ἡτοίμασαν ἀκριβῶς ἅπαντα ὡς πῃ αὐτῶν ἕκαστον ἐς τὴν χρείαν ἔχον ἐπιτηδείως ἐτύγχανε. τὰ δὲ ἐν δεκίμῳ οὕτως, ὥσπερ μοι πρόσθεν δεδήλωται, γενέσθαι ξυνέβη καὶ οἱ μὲν ἀρειανῶν ἱερεῖς, φεύγοντες ὀχλοποιίαν χριστιανοί δὲ, οἷς τὰ ἐς τὴν δόξαν ὀρθῶς ἥκηται, ἀποικέουσι ἐς τοῦ Κυπριανοῦ τὸν νεὼν τότε λύχνα ἅπαντα, καὶ τῶν ἱερῶν ἐπεμελοῦντο ἥπερ ἂν τοῖς ταῦτα τελεῖσθαι νόμος· οὕτω τὰ ἅπασιν, ὁ δὲ προβλέψας ἡ τοῦ θεοῦ ὀργὴ ἐγνώσθη. de hac orthodoxorum ab ecclesiis Cypriano dicatis expulsione, agit Victor Vitensis.

Ego episcopus alterius Ecclesiæ præpositus. Omnibus Africæ Ecclesiis juri metropolitico præerat: inquit enim Ep. XLVI. *Latius diffusa est nostra Provincia, habet enim Numidiam et Mauritanias duas sibi cohærentes:* sed jus episcopale arctiori quodam vinculo innodatum; episcopi vocibus preces totius Ecclesiæ Deo concepta; ejus itidem verbis confessio solemnis instituta, præcipue ergo confessio illa quæ sanguine sancita, ab ipso repeti debet. In Epistola LX ait, quod in Cornelio, *Ecclesia omnis Romana confessa est.*

Super confessione accepta sententia. Rigaltius ait: *Hoc est in confessione nominis, nempe Christiani. Augustinus, contra Epist. Gaud. His sacris litteris eruditus B. Cyprianus in Confessione dixit: Disciplinam prohibere, ne quis se offerat.*

Et ibi pati. Rigaltius ait: *Apud vos, in oculis Ecclesiæ cui sum præpositus a Deo.*

Nec quisquam vestrum ultro se gentilibus offerat. Circumcelliones potius quam martyres dicendi sunt, qui persecutorum furores provocant, et mortem sibi accersunt. Et quidem temeritas ista infeliciter ut plurimum cessit. Qui ad certamen ineundum nimis prompti, pariter ad detrectandum præcipites fuere; et festinatus iste cursus solum ad lapsum præstruebat gradum. Merito igitur Ecclesia gliscenti huic malo sufflamen opposuit; ne præfervidi et superbientes homines cum privata clade publicam miscerent. Et recte quidem Theologi statuunt, non debere homines absolute a Deo, vel in precibus petere ut sint martyres; siquidem talis actus, sine exceptione beneplaciti divini, videbitur fluere potius ex præsumptione aut temeritate, quam ex vera spe, aut fide, aut caritate Christiana. Ipsi Patres Eliberitani, imaginibus minime propitii, decreverunt can. 60: *Si quis idola fregerit, et ibidem fuerit occisus; quatenus in Evangelio scriptum non est, neque invenitur sub Apostolis umquam factum, placuit in numero eum non recipi martyrum.* Rigaltius ait, *Hoc Cyprianum in confessione dixisse tradit Augustinus, loco jam citato. Et in veteribus Actis: Paterno proconsuli exquirenti Cyprianus dixit: Cum disciplina prohibeat, ne quis se ultro offerat, et tuæ quoque censuræ hoc displiceat; ne offerre se ipsi possunt, sed a te exquisiti invenientur, scilicet in civilatibus suis. Horum itaque actorum vetustas claro summi viri testimonio comprobatur.* Optandum quidem, ut quæ antiqua fuisse novimus, unique et sincera haberemus.

In communę disponemus. Rigaltius ait: *Non abs re hoc tam sedulo inculcat: In commune. Præridebat monarchiæ vitia, et abhorrebat maximi mali fomitem.* Interim fortasse ille dici potest in commune consulere, qui utilitati publicæ vel solus prospicit.

CIRCA ANN. CCXLVI.

AD DONATUM LIBER

DE GRATIA DEI.

Cæcilius Cyprianus. Idem qui Thascius. Vid. Ep. LXVII numerante Pam. 69, nec non Acta martyrii Cyp. Unde parum consulto, in synodo Romana LXX episcoporum quæ Gelasio tribuitur, Cypriani martyris opuscula admittuntur; Thascii vero Cypriani scripta tamquam apocrypha damnantur.

Ad Donatum. Editio Spirensis, arti typographicæ fere coæva, ita inscribit: *Liber Cypriani ad Donatum.* Et quidem plurimi mss. codices consentiunt: apud quos primo in limine, solemnia scripti epistolici verba, et salutis datæ præfatio sæpius desiderantur. Porro, in nullis exemplaribus, sive impressis, sive scriptis, clausula valedictoria uspiam adjicitur. Fateor D. Augustinum, epistolam appellare; sed recordari oportebit pariter, tractatus *de Oratione*, *de Mortalitate*, *de Opere et Eleemosyna*, *de Habitu virginum*, *et de Patientia*, eodem titulo ab illo passim insignitos. Nimirum quatenus libros istos postquam scriberentur, amico singulari, aut totius Ecclesiæ communitati, auctor transmitteret; quod in plerisque factum constat: aut quomodo breviculi tractatus et libelli, qui epistolæ mensuram non excedunt epistolæ passim audiunt. Character operis hujus ab epistolari prorsus abhorret, et revera eo consilio hoc scriptum videtur quo Tertulliani *Apologeticus*, et Minuc. Felicis *Octavius*, et similia, tamquam religionis Christianæ vindiciæ. Siquidem, ut recte observat doctiss. Rigaltius, viri eruditiores cum primum apud Ecclesiam nomen profiterentur, conciniare soliti sectæ quam susceperunt, et instituti sui apologias. Quod vero subjicit idem vir eruditus, hoc opus Augustini tempore in exemplaribus anteponi solitum, idque ex libro *de Doctrina Christiana* constare, non pariter liquet. In loco enim laudato, sub hac forma locum allegat sanctiss. Pater, *in quadam Epistola*; si autem ordinem duxisset, primam procul dubio appellasset. Immo ita in ordine operum scriptoris hujus variatur, ut nec in impressis libris, nec mss. (rem compertissimam loquor), aut hic tractatus, aut aliquis alius certum locum obtineat.

De gratia Dei. Titulum hunc cum simplicissimum atque ab ipso Cypriano positum retinemus: hoc præfati, ex librariorum ingenio hunc et reliquos fere omnes appositos. Huc enim respexisse omnino videtur Pontius, quando ait: *Quis emolumentum gratiæ per fidem proficientis ostenderet?* Licet enim is eo in loco id agat, ut pro secessu B. Martyris apologium institueret, in medium afferens scripta illa quibus caruisset Ecclesia Dei, si primo Deciæ persecutionis turbine Cyprianus fuisset ereptus; tamen cum ex rebus in secessu deinceps per decennium gestis, scripta etiam priora auctoramentum et lucem fœnerarentur, non temere etiam illa, eidem secessui et saluti exinde partæ, imputabat Pontius.

I. *Bene admones.* Ruffinus prologo in Orig. homil. *in Numeros*, loci hujus meminit dicens: *Utar verbis tibi, frater, beati Martyris, bene admones, Donate charissime.*

Digitized by Google

Promisisse me memini. Hæc et plurima quæ sequuntur ad ornatum interposita videntur, ad exemplum scriptorum Platonis et Ciceronis; et præsertim Minucii Felic. in *Octavio* suo, quem manifeste Cyprianus in toto hoc apparatu imitatur. Varronem de hoc scribendi genere admonet Tullius, in præfatione Quæstionum Academicarum: *Puto fore ut cum legeris mirere id nos locutos inter nos, quod numquam locuti sumus, sed nosti morem dialogorum.* Inepte ergo sciolus quidam, ne forte aliquid desideraretur, suo Donati nomine epistolam commentus est, quæ Cypriani responso aditum faceret; quin ea, licet in unico exemplari reperta, a Pamelio, qui erat facilitate, fidem, et Cardinale Baronio laudem meruit. Ne vero de fraude sibi facta suspicetur lector, apposuisse non pigebit egregium Epistolium. Sic ergo se habet: *Credo te retinere, sanctissime Cypriane, quæ nobis fuerit apud oratores garrulitas; unus sensus, una cogitatio, individua lectio. Quare non et in divina lectione ita animis roboramur? Aut non ea semper nobis fuit cogitatio, ut simul crederemus?*

Indulgente vindemia. Quamquam festa Gentilium pro impiis et profanis haberent Christiani, de vindemialibus mitius sentiebant, utpote quæ levamentum post messis labores, magis quam numinum cultum profiterentur. Et ideo Christiani imperatores, cum alia abolerent, hæc retinuerunt. *Leg.* Omnes dies, c. de Feriis. *Illos tantum manere feriarum dies fas erit, quos geminis mensibus ad requiem laboris indulgentior annus accipit, æstivis fervoribus mitigandis, et autumnis fœtibus decerpendis*, etc.

Studentibus fabulis, i. e, oratione cum studio ac cura composita, quales solent esse Rhetorum μύθοι. Infra dicitur, *studia in aures damus;* et Tertul. De Spect.: *Ubi voluptas, ibi studium, per quod scil. voluptas sapit: ubi studium, ibi et æmulatio, per quam studium sapit.* Fabulæ vero voce, narratio rei gestæ designatur, sic Minuc. Felix: *Iter fabulis fallentibus legebamus*, etc.

Petamus hanc sedem. Locum hunc affert D. Augustinus in exemplum picturatæ dictionis, et spumeo verborum ambitu diffluentis. Depingit fortasse illos ipsos hortos, quos Pontius eum ad fidem conversum vendidisse memorat, et in quos paulo ante martyrium se recepit.

II. *In pectus tuum veniat.* Quo tuam benevolentiam promerear.

Divinam indulgentiam. Passim hac voce gratiam divinam intelligit auctor noster, ut et Tertullianus. Ob mirificos et subitaneos effectus, *compendium gratiæ* statim appellatur. At totus hic locus a Tertulliano depromptus. Lib. *de Baptism. Nonne mirandum lavacro dilui mortem?* Et paulo post: *Nos quoque ipsi miramur, sed quia credimus; cæterum incredulitas miratur, non credit; miratur enim simplicia quasi vana, magnifica quasi impossibilia*, etc.

Exponeret. Deponeret: sensu apud auctorem nostrum, et Tertullianum usitatissimo.

Genuinum situ materiæ. Mala naturalia quæ quasi situ et sordibus veteris hominis unde prodierunt obducta: quibus opponuntur voluntaria, consuetudine diutina in alteram naturam transcripta, quæ *usurpata* appellat auctor noster. Non male codex Bodleianus tertius, *genitum* ponit: sed nihil facile muto.

III. *Mors ista criminum.* Baptismus scil. in quo cum Christo morimur, Rom. vi, 4; Coloss. ii, 12; ita tamen ut Deo et justitiæ ejus deinceps vivamus: quemadmodum exinde Apostolus in locis supra citatis, et alibi passim concludit.

Cœperit esse fidei. Si quid laude dignum jam facimus gratiæ divinæ acceptum referendum; si quid olim commissum, errori humano imputabit clementissimus Deus; vid. Act. xvii, 30; I Tim. i, 1 et 44.

Insulsit. Probata hæc lectio, et ex dialecto Africana desumpta. Sic Tertul. lib. de Anima, *Examen Valentini semen sophiæ insulsit animæ.* Nec tamen illa quæ *influxit* reposuit, prorsus rejicienda. Min. Fel. *Terram fundaverint pondera, et mare licet influxerit liquor*, etc. Sed et *inluxit* dici poterat.

IV. — *Illapsa firmitate.* Stabili, erecta, sine lapsu. Eadem forma qua Tertul. adv. *Marc.*, lib. iv, ait, *si frater illiberis decesserit.* Voce hac videtur in flagitium aliquod lapsos perstringere.

Ad licentiam datur. Tantum potes, quantum credis. Sic infra *Acceptus Spiritus licentia sua potitur*, et alibi *Dans credentibus tantum quantum se credit accipere.* Vid. *c.* 42, *l.* III. *ad Quirin.*

In medelam dolentium. Lectio olim recepta erat *in medulla adolescentium*, etc., phrasi duriuscula, sed quæ ab Afrorum dialecto minime abhorret. Sensus certe commodissime sic procederet, ut dicat auctor, quod a Baptismo facultas data est, qua extinguatur virus venenorum a natura intimis medullis infixorum; et purgetur voluntate concepta ex malis moribus animorum labes. Pari mente qua supra dicitur, *Vel genuinum situ materiæ*, etc. Sed nihil muto.

Immundos et erraticos spiritus. Dæmonia passim immundi spiritus in Evangelio vocantur: nec non et erratici pariter audiunt, Joh. I. Mat. xii, 48. I Pet. v, 8. At vero postquam ex Domini promisso Marc. ult. 17, signa eos qui crediderunt hæc sequerentur, quod in nomine ejus dæmonia ejicerent, etc., atque omnibus e vulgo Christianis jus et potestas illa rata haberetur, adeo ut Tertul. in Apolog. spondere præsumeret, si quis a dæmone agitatus juberetur a quolibet *christiano loqui, spiritum illum tam se dæmonem confessurum de vero, quam alibi deum de falso; et nisi se dæmones confessi fuerint christiano mentiri non audentes, ibidem illius Christiani procacissimi sanguinem fundite*: hinc factum est ut, quemadmodum apud Judæos, Act. xix, 13, nebulones et impostores se pro exorcistis venditarent, jure etiam Cæsareo notari ff. leg. I. Tit. de Extraord. Cognit.: *Si incantaverit, si imprecatus est, si (ut vulgari verbo impostorum utar) exorcizaverit.* Ut malo huic occurreretur, id egit Ecclesia ut probati viri huic muneri assignati essent. Porro siquidem plerique Ethnicorum nefariis mysteriis e dæmonum potestati totos mancipassent; servitio Christi, quæ vera libertas, non poterant vindicari, donec ejecto malæ fidei possessore, meliori hospiti locus relinqueretur: unde iidem qui catechumenis instruendis præfuerant, exorcistarum itidem munere fungebantur. Vide Can. x, Antioch. et xxvi. Laod. ubi ad exorcistæ mentionem Balsam. ait ἐφορκισταὶ ἤτοι κατηχηταί, et τινὲς ἐπεχείρουν ἐφορκίζειν, τουτέστι, κατηχεῖν ἀπίστους, μὴ λαβόντες τοῦτο δι' ἐπισκοπῆς χειροθεσίας etc.; pariter Harmenop. in Epit. can. Sect. I. Tit. 9. ἐξορκισταὶ, κατηχηταὶ interpretatur. In Cod. Theod. leg. 121, de Decurion. exorcistæ, tamquam superioris meriti clerici, oneribus civilibus eximuntur. Formula ordinationis exorcistæ habetur concil. Carthag. iv, c. 7. Porro munere hoc non tantum presbyteri, sed etiam ipsi episcopi data occasione fungebantur: de Ambrosio id refert Paulinus, de Augustino Possidius, ut alios præteream.

Occulta plaga. Ad Demet. infra dicit *spiritalibus flagris* et de Idololat. *operatione majestatis occultæ flagris cædi.* Ita etiam Minuc. Fel. *Adjurati per Deum verum et solum, inviti et miseri corporibus inhorrescunt; et vel exiliunt statim, vel evanescunt gradatim, prout fides patientis adjuvat, aut gratia curantis aspirat.*

Nec dum corpus et membra. Interea temporis priusquam mutavimus. Licet corporis sarcina gravati adhuc simus, non tamen prorsus sæculi nube cæcamur. Plurima in futurum spondet Sp. sanctus, sed et plurima repræsentat. Speramus quidem, sed et potimur.

V. *Bella ubique divisa.* Infra ait, *post dispersas orbe toto multiplices pugnas.*

VI. *Impletur in succum.* Edit. Spiren. et Remb. legunt, *Impletur in siccum cibis fortioribus corpus, et arvinæ roris.* Atque utinam alii editores tam simpli-

Digitized by Google

citer et ingenue errare voluissent; nimirum apponendo quod in exemplari invenerunt; promptissimus enim inde foret ad veram lectionem transitus. Postquam vero Erasm. pro critica sua, loco *arvinæ roris*, tororum immemor, *assidui nidoris* apposuisset, atque alii librarii *ad ruinam corporis*, pari felicitate emendassent; deploratum fere erat ulcus, et nisi inspectis primis exemplaribus prorsus immedicabile.

Veste pretiosa. Huc respicit Juven. Sat 3. *Pinnirapi cultos juvenes.* Ad luxum faciebat, ut non humano solum, sed et generoso sanguine oculi pascerentur, et honesta oris forma, et splendida vestis spectaculum commendarent. Porro veste Deo cui ludi instituebantur sacra, damnatos indui solere constat ex Actis Felic. et Perpet. quibus amiculum Saturni impositum.

Ad bestias non crimine. Pam. et Rig. leg. *Pugnant ad bestias bestiæ.* Sed de hominibus agit auctor, quos frigide et populari convicio, minime putandus est bestias appellasse.

Mater et redimit. Commodam sedem pretio mercatur. Spectaculo fortasse non interfutura, nisi filii discrimine invitata.

VII. *Prisca carminum facinora.* Pamel. et Rigal. legunt *Prisca facinora carmine;* mss. Suffragiis fultus, doct. Gronovio adstipulante; ab ipsis recedendum duxi.

Incestis error. Pace Rigaltii et aliorum qui *horror* reposuerunt, mss. sequor et Gronov. Nota res est; erroribus scenam argumenta fabularum fere omnium debere. Hinc Thyesteæ epulæ, Herculis et Thesei parricidia, et (qui tragicorum utramque paginam implet, quemque hoc in loco Cyprianus respicit), Œdipodis incestus. Lectionem hanc confirmat Tertul. qui in Apolog. de hac ipsa re ait: *Simul error impegerit, exinde jam tradux proficiet incesti, serpente genere cum scelere.* Atque iterum. *Ad Nation.* lib. de Incesto verba faciens, habet; *Neque ignorantiæ, neque errori, neque casui opposita sit,* etc. Sed ut *horror*, pro *errore* scribatur, non est lapsus singularis. Spirens. Pemb. Erasm. supra legerunt *Vitæ prioris horroribus*, pro *erroribus.*

Patientiam incestæ turpitudinis. Omnis nefaria consuetudo, licet non cum propinquis, ita appellatur. Sic virgines vestales violatæ incestus postulandæ. At interim, nulli adeo propinqui, ac qui ejusdem sexus: in quibus, ut recte ait auctor noster; contra jus et fœdus nascendi peccatur.

VIII. *Conscium credit.* Nimirum qui sibi tantum conscius; quem delator in jus trahere non potest.

Cum vitiis faciens. Stans a vitii partibus, moribusque pessimis digna.

IX. *Duodecim tabulis.* Postquam colonia civium Romanorum Carthaginem deduceretur, urbs illa alio deinceps nomine Romæ æmula facta est. Hinc pariter apud eos theatra, balnea, fora, legum 12 Tabulæ, imo et capitolium; v. inf. de laps.

Innocentia nec illic ubi defenditur reservatur. Protegitur, servatur.

Capitali fraude. Qualis scil. excipitur ff. de Ædil. edict. Porro capitalis pœna est, quæ mortem vel amissionem civitatis continet l. cm, de verb. Sign. Tertul. adv. Marcion. l. iv, c. 9: *Septem maculas delictorum capitalium* vocat *idololatriam, blasphemiam, homicidium, adulterium, stuprum, falsum testimonium, fraudem.* Sic de Pœnitentia: *Graviora et exitiosa quæ veniam non capiunt, homicidium, idololatria, fraus, negatio, blasphemia, utique et mœchia et fornicatio, et si quæ alia violatio templi Dei.* Quæ nihil fere aliud sunt quam trium famosorum criminum in varios ramos distributio. His enim ipsa Ecclesia catholica unicam permisit pœnitentiam.

Mendacium criminum. Falsæ criminationes. Sic Tertullian. de Coron.: *Si mendacium divinitatis diabolus operatur, in hac etiam specie a primordio mendax, sine dubio et eos ipse prospexerat, in quibus in mendacium divinitatis ageretur.*

Nocentes, nec cum innocentibus pereunt. Duplici injustitia; pereunt innocentes, servantur flagitiosi.

Desertor assecla fœdavit. Nudum reliquit.

X. *Frustrantis spectaculi.* Congiaria, spartulæ, missilia, tributorum remissiones, revera populo cui donantur prosunt: spectacula vero solum corrumpunt: æquum ergo ut in muneribus istis utrique pariter frustra essent; et quod populus inutiliter acciperet, perderet honorum candidatus.

XIV. *Domini munus.* Baptisma nimirum. Alibi hic passim vocatur *Gratia Dei.* Infra, *gratuitum de Deo munus.*

Viderit quæ in nos. Locutio auctori nostro, et Tertulliano fere perpetua, in Apol. *Viderit habitus dum materiæ qualitas eadem sit, viderit forma dum id ipsum Dei corpus sit.*

XV. *Oratio assidua, vel lectio.* Sequentia evincunt lectionem S. Scripturarum intelligi. Neque enim per illa sæcula, sacra illa volumina, laicis, imo modo baptizatis, interdicta.

Luminemus luce justitiæ. Accedo doct. Gronov., qui ita legendum censet, adstipulantibus mss. exemplaribus. In lib. *de Opere et Eleem.* dicitur: *Sol radiat, dies luminat*, quemadmodum hoc ipso in loco, ante lineam unam aut alteram, plurimi codices legunt. Hinc apud medii sæculi scriptores, luminare est pingere, et in vernacula nostra lingua, luminator, pictor audit. Interim non est dissimulandum illuminare, et inluminare, sæpe sæpius legi.

XVI. *De bonitate patientiam.* Patientiam bonitati consentaneam, et ab ea profluentem, locutione Tertulliano fere perpetua. Adv. Marc., l. II ait: *Solus Deus de incorruptibilitatis proprietate felix.* Lib. de Patient: *Omnem sapientiæ ostentationem de patientia præservat.* Paulo supra auctor noster *gratuitum de Deo munus.* D. Gronov. suspicatur periodum sic esse concipiendam. *Facilem de bonitate patientiæ mentem, in Deum solida fide tutam, salutaris auditus oblectat.* Cujus conjecturæ adstipulatur codex eruditissimi Vossii secundus.

Aggredere hoc munus ex more. Pluribus describit morem hunc Tertullianus in Apol.: *Non prius discumbitur quam oratio ad Deum prægustetur, editur quantum esurientes cupiunt, bibitur quantum pudicis est utile. Ita saturantur, ut qui meminerint etiam per noctem adorandum Deum sibi esse. Ita fabulantur, ut qui sciunt Deum audire. Post aquam manualem et lumina, ut quisque de Scripturis sanctis, vel de proprio ingenio potest, provocatur in medium Deo canere. Hinc probatur quomodo biberit; æque oratio convivium dirimit.* Pariter Clemens Alexandrinus Strom. VII, de Christianorum moribus verba faciens, ait ἅπας ὁ βίος αὐτῶν, πανήγυρις ἁγία, αὐτίκα θυσίας μὲν αὐτῷ, εὐχαί τι καὶ αἶνοι, καὶ πρὸ τῆς ἑστιάσεως ἐντεύξεις τῶν γραφῶν, ψαλμοὶ δὲ καὶ ὕμνοι παρὰ τὴν ἑστίασιν, etc. Quemadmodum scilicet pietas Christiana ritus alios ab ecclesia Judaica desumpsit, hunc etiam morem de sacris lectionibus, et gratiis ad cibum solemniter agendis mutuata est. Immo vero hoc ipsum publicis generis humani religionibus sanctum. *Antequam vescerentur, diis libare instituerunt,* inquit Censorinus. Ex eo factum ut proverbio apud ethnicos notarentur, tamquam impii prorsus et scelerati, ἄθυτα ἱερὰ κατεσθίοντες atque ἄσπονδοι. Et exinde passim in veterum scriptis ἱερεῖα, animantium carnes denotabant. Quo minus ferendi sunt, qui nulla orationis apud Deum præfatione, caninas agunt epulas, et tamquam Harpyiæ in cibos propositos involant. Hoc ergo in loco critica Scaligeri supervacua videtur, dicentis periodum sic concipiendam: *Aggredere hoc munus tuo ore magis.* Cui accessit Morellius.

Digitized by Google

ANN. CCXLVII.

DE IDOLORUM VANITATE LIBER.

De Idolorum vanitate. Quæ in impressis olim tituli loco præfigebantur, revera Argumentum sive summa contentorum sequentis operis dici deberent. Nos illa tantum retinemus, quæ ad scripti design tionem videntur maxime accommoda. Notandum porro, illas ipsas rationes quæ libellum ad Donatum a Cypriano statim post acceptam fidem conscriptum fuisse suadent, pariter tractatus hujus prorsus Apologetici natales designare. Profinde cum alter vendemialibus feriis, ad finem anni 246 deputetur; hic initio sequentis, hoc est 247, non immerito assignabitur. Tractatum hunc S. Hieronymus, Ep. LXXXIV, ad Magnum, luculento ornat elogio *Cyprianus quod Idola dii non sint qua brevitate, qua historiarum omnium scientia, quorum verborum et sensuum splendore perstrinxit?* Interim non est dissimulandum, haud pauca a Tertulliano, plurima a Minucio ad verbum huc tradicta: sed primis Christianis *cor erat unum et anima una, et nemo eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia*, quemadmodum dicitur Act. IV, 32, adeo nulla de plagio actio esse potuit. Quare iisdem pariter armis Athenagoras, Justinus, Clemens, Tatianus, Arnobius, Augustinus, et quotquot adversus Gentilium cultum scripserunt Patres, pugnavere. Immo, quod quis minus exspectaverit, iisdem prius usi fuerant, ut Græcos præteream, Varro, Cicero et Plinius, nec non et alii passim ethnici scriptores. Unde de hac reverba faciens D. August., l. de Baptis. cont. Petil. non temere refert: *Cyprianus de uno vero Deo, adversus multorum deorum cultores disputans multa profert testimonia de libris eorum, quos præclaros auctores habent.* Quid enim accommodatius ad amoliendam invidiam gentilium qui Christianos atheismi insimulabant, eo nomine quod numina ipsorum contemnerent, quam productis in medium eruditissimorum apud ethnicos suffragiis, palam facere, illos eadem cum Christianis de diis sensisse? Porro Pontius, libellum hunc iudiciis satis manifestis designans, ait: *Per quem Gentiles blasphemi repercussis in se iis quæ nobis ingerunt vincerentur?* Quo vero jure scripti hujus, una cum aliis nonnullis quæ Cypriani secessum præcesserant, in loco prorsus alieno meminerit auctor ille, superius diximus.

I. *Reges olim fuerunt.* Aut saltem proles regia. Sic Ino seu Leucothoe, Cadmi regis Thebarum filia; Tyndaridæ, filii Regis Œbaliæ. Hercules Jovis, etc. *Deus est mortali*, inquit Plinius, l. II, c. 7, *juvare mortalem, et hæc ad æternam gloriam via. Hac proceres iere Romani. Hæc nunc cœlesti passu cum liberis suis vadit maximus omnis ævi rector Vespasianus Augustus, fessis rebus subveniens. Hic est vetustissimus referendi gratiam bene merentibus mos, ut numinibus adscribantur.* Ita et Cicero, l. II, de Nat. deorum: *Suscipit vita hominum, et consuetudo communis, ut beneficiis excellentes viros in cœtum fama et voluntate tollerent. Hinc Hercules, hinc Castor et Pollux, hinc Æsculapius, hinc Liber etiam, hinc Romulus*, etc. Similia habet lib. etiam III. Hos ergo recte appellat Cyprianus, *deos*, non quos sapientes, sed, *quos vulgus colit.*

II. *Castor et Pollux.* Si tanti esset rem levis momenti mutare, reponere hic oporteret Castores; ita enim Minucius, unde hæc desumpta videntur, scribit; et mss. plurimi suffragantur.

Hercules ut hominem exuat. Non video, inquit idem Cicero, *quo pacto ille, cui in monte Œtæo illatæ lampades fuerunt, ut ait Accius, in domum æternam patris ex illo ardore pervenerit.*

Antrum Jovis in Creta. Tres, inquit Cicero ubi sup., *Joves numerantur, ex quibus primus et secundus nati in Arcadia; tertius Cretensis Saturni filius, cujus in illa insula sepulchrum ostenditur.*

Signare nummos. Tert. Apol., c. 10. *Ab ipso primum tabulæ, et imagine signatus nummus, et inde ærario præsidet.* Primus tamen Romæ nummos percussit Servius Tullius, si Plinio fides.

Rusticitatis. Ruris, quamquam Papias distinguat. *Rusticitas est morum; rusticatio est operis; cultura terræ.*

Mauri vero. Tertull. in Apol.: *Unicuique provinciæ et civitati suus deus est; ut Syriæ Astartes, ut Arabiæ Disares, ut Noricis Belenus, ut Africæ Cœlestis, ut Mauritaniæ reguli sui.*

Cultura. Sic Tertul. de Idol. *Idololatriam, in homines esse culturam.*

Hoc ita esse Alexander M. Rigaltius contendit, hæc revera ad alterum Alexandrum, nimirum Polyhistorem pertinere: quæ conjectura in tantum ipsi placuit, ut ter ingesserit. Nimirum hic loci, in notis ad Tertulliani um, et etiam ad Minucium. Decepti erant nimirum Cyprianus, Athenagoras, Minucius, Augustinus, immo probatissimi etiam apud ethnicos scriptores, qui omnes litteras ab Alexandro magno, matri Olympiadi scriptas referunt, in quibus arcanum hoc de numinum natalibus, metu ipsius potentiæ extortum perhibetur. Unus vero Tertullianus rem ipsam, si Rigaltio fides, dicitur assecutus; qui Cornelii Lentuli pædagogo tribuenda demonstrat, dum ait, *Quod Ægyptii narrant, et Alexander digerit, et mater legit.* Ubi voces illæ *Alexander digerit*, συντάκτην vertere; et quæ sequuntur, *mater legit*, scripta nescio quæ matri ejus dicata, ait Rigaltius, quidquid denotare. Mihi quidem nondum constat Ægyptios sacerdotes potentiam servuli Græculi adeo timuisse, nec dum matri parcentes a Polyhistore librum fuisse inscriptum didici. Unum hoc scio, vocem *digerere* apud scriptores nostros nihil amplius innuere, quam rei alicujus qualemcumque enarrationem. Ita *Tertul.*, lib. de Patientia ait: *Si de aliquo bono sermo est, res postulat contrarium quoque boni recensere: quid enim sectandum sit magis illuminabis, si quod vitandum sit, proinde digesseris*, etc. Sic et Pontius: *Ut exemplum in litteras digeratur.* Porro quis credet Cyprianum errare potuisse in volumine laudando, quod pro *insigni* habuit? aut Athenagoram qui diserte ait colloquia hæc cum sacerdotibus ἐν τῇ Ἰλιοπόλει, καὶ Μέμφει καὶ Θήβαις contigisse? aut Augustinum hallucinatum, qui ter in libris de Civitate Dei epistolam hanc citat; dicitque a Leone sacerdote hæc Alexandro prodita; monetque lectores ut Epistolam ipsam adeant, *et recolant quæ legerunt?* Sed litem dirimat Plutarchus, in Alexandri rebus si quis alius versatissimus, et in historia testis locuples. Is in Alexandri Vita ait: Ἀλέξανδρος ἐν ἐπιστολῇ πρὸς τὴν μητέρα φησὶν, γεγονέναι τινὰς αὐτῷ μαντείας ἀποῤῥήτους, ἃς αὐτὸς ἐπανελθὼν φράσει πρὸς μόνην ἐκείνην, etc. λέγεται δὲ καὶ Ψάμμωνος ἐν Λιγύπτῳ τοῦ φιλοσόφου διακούσας, ἀποδέξασθαι μάλιστα τῶν λεχθέντων, ὅτι πάντες ἄνθρωποι βασιλεύονται ὑπὸ θεοῦ, τὸ γὰρ ἄρχον ἐν ἑκάστῳ καὶ κράτιστον θεῖόν ἐστιν, etc.

Cur nos hodieque nascuntur? Plin., l. II c. 7: *Matrimonia quidem inter deos credi, tantoque ævo ex his neminem nasci, et alios esse grandævos semperque canos, alios juvenes atque pueros, atricolores, aligeros, claudos, ovoeditos, et alternis diebus viventes morientesque, puerilium prope deliramentorum est.*

IV. *Perfidia provenit.* Feliciter successit. Sic infra, *generis magnitudo provenit.* Vid. Tertul. de Spectac. et Adv. Marc. l. I.

Deam quoque Cloacinam. Cloacinæ simulacrum in cloaca maxima repertum Tatius consecravit; et quia cujus esset effigies ignorabat, ex loco illi nomen imposuit. Arnob. l. I.

Pavorem Pallioremque. Pariter apud Ciceron. disputatur, l. III de Nat. deor: *Amor, dolus, metus, labor, invidentia, fatum, senectus, mors, tenebræ, miseria, querela, gratiæ, fraus, pertinacia, parcæ, hesperides, somnia: quos omnes erebo et nocte natos ferunt. Aut igitur hæc monstra probanda sunt, aut prima tollenda.*

Ab Orbitatibus Orbona. Hæc omnia in mss. proba-

Digitized by Google

tissimis desunt, et sensum perturbant; tamen quia in Beneventano, Veronensi, Corbeiensi, et uno saltem e quatuor Vossianis comparent, retinemus. De Orbona apud Plinium, l. II et Cicer., l. III de Nat. deor. occurrit mentio. *Orbati liberis parentes in tutela sunt Orbonæ*, inquit Arnobius. Quod forte *Suburbanæ*, quæ erat lectio recepta, locum fecit. Aut pro *orbitatibus Orbona*, inversis ultimis litteris factum, *ab Orbitate suburbana*.

Cæterum Mars Thracius. μαιμερτόν. Lycophron vocat.

Est et Venus Calva. Lactant. l. I, c. 20: *Urbe a Gallis capta; obsessi in Capitolio Romani, cum ex mulierum capillis tormenta fecissent, ædem Veneri Calvæ consecrarunt.*

Regulus auspicia servavit. Valerius Max. l. I, cap. de servata Religione ait: *In his quæ ad custodiam Religionis attinent nescio an omnes M. Attilius Regulus præcesserit.* Dein paucis interpositis subjungit. *Potuerunt profecto dii immortales efferatam mitigare sævitiam; cæterum quo clarior esset Attilii gloria, Carthaginenses moribus suis uti passi sunt.*

Mancinus religionem tenuit. Eatenus scil. quod postquam Lanuvii in Hispaniam ituro prodigia accidérant, *territus, converso itinere, Gennam petiit:* qui ibi scaphiam ingressus, alio prodigio, quod tamen prævit, terrebatur. Vid. Val. Max. l. I, cap. de Prodig.

Pullos educes Cic. l. II de Divinat.: *Flaminius non parvit auspiciis: itaque periit cum exercitu. At anno post Paulus parvit: num minus cecidit in Cannensi pugna cum exercitu?*

C. Cæsar ante. Cicero de Divin. l. II: *Quid ipse Cæsar? cum a summo aruspice moneretur, ne ante brumam in Africam transmitteret, nonne transmisit? quod ni fecisset, unam in locum omnes adversariorum copiæ convenissent.* Ita Sueton. in Jul. c. 95.

VI. *Hos et Poetæ dæmonas norunt.* Notandum vocem pridem fuisse mediæ, imo laudatæ, significationis: neque melius intelligentiæ quam a scientia cognomentum accepere. Unde in sacris litteris quinquies tantum mali spiritus dæmones vocantur, sed passim dæmonia audiunt. Postquam vero Valentiniani aliique Gnostici δαίμονας sive Æones suos tamquam mundi conditores et rerum arbitros deprædicabant, malos genios Ecclesiæ patres dæmonas appellabant: bonos vero, Angelos semper dixere.

Præcipuus Hostanes. Plin. l. XXX, c. 1.: *Primus extat (ut quidem invenio) commentatus de ea Ostanes, Xerxem regem Persarum bello, quod is Græciæ intulit, comitatus; ac velut semina artis portentosæ sparsit, obiter infecto, quacumque commeaverat, mundo. Hic maxime Ostanes ad rabiem, non aviditatem modo scientiæ ejus, Græcorum populos egit.*

Plato et Hermes. Alter in Timæo, alter in Pœmandro.

VII. *Somnos inquietant.* Quo spectant fortassis illa Judæ Apostoli. ἐνυπνιαζόμενοι σάρκα μὲν μιαίνουσι.

IX. *Quod vero templum.* Tertul. *de Spectat.* c. 10, habet: *Nec minus templa quam busta despuimus.* Minuc. Fel. *Templa ut busta despiciunt.* Pariter Arnob. l. I et Clem. Alex. in Protrept. aliique ex Patribus adversus illa defunctorum sepulchra, et claustra numinum invehuntur. Interim Ecclesias, ὑπερῷα Κυριακὰ, Εὐκτηρίους οἴκους, areas, et loca Dei omnipotentis cultui sacra, semper admisere. Simile observare est in voce *Aræ* sive βωμοῦ, a qua abhorruere perpetuo Christiani: altaris vero sive θυσιαστηρίου nomen, altro amplexabantur.

Nec nomen Dei quæras. ὄνομα τῷ ἀῤῥήτῳ θεῷ οὐδεὶς ἔχει εἰπεῖν, etc. Justin. Apol. II. Ita quodlibet Dei nomen ἀνεκφωνητόν. Minuc.: *Nec nomen Deo quæras, Deus nomen est illi.*

Vulgus in multis naturaliter Deum confitetur. Hæc res peculiari commentario Tertulliani argumentum fecit, nimirum, de Testimonio animæ.

XIV. *Ad agnitionem veritatis oculares.* Locutio a Tertulliano mutuata. *Hirundo si excæcaverit pullos, novit illos oculare rursus de sua Chelidonia.* Qua voce similiter utitur in lib. de Pudicitia.

Quod est Christus. Jam mystici corporis membra, deinceps gloriæ ejus participes.

CIRCA ANN. CCXLVIII.

TESTIMONIORUM AD QUIRINUM ADVERSUS JUDÆOS

PRÆFATIO IN DUOS LIBROS PRIORES.

Obtemperandum fuit. Tractatus istos Cyprianum scripsisse, et *Testimoniorum libros* olim appellatos, non tantum Beda et Gennadius, aliique sequiorum temporum auctores fidem faciunt; sed Pelagius, Hieronymus et Augustinus, id ipsum testantur. Scilicet, *Pelagius Testimoniorum libros scribens, ac imitatorem, immo expletorem operis beati martyris Cypriani scribentis ad Quirinum fatetur*, ut inquit Hieronymus, *adv. Pelagianos*, l. I, c. 9. Quod et Augustinus repetit iisdem fere verbis l. IV *contra duas Epistolas Pelagianorum*, c. 8 et 10. Quinimo observare licebit, non modo duos priores libros, sed et tertium, ex patrum prædictorum sententia, Cypriano tribuendum. Siquidem illa loca ex Jobi XXV, I Jo. I, et Psal. LI (ab ipsis laudata ex libro Cypriani *ad Quirinum*), non in priorum aliquo, sed ultimo reperiuntur. Immo Hieronymus disertissimis verbis, non modo librum, sed ipsum etiam caput designat; dicens, *in quinquagesimo quarto titulo tertii libri poni*, ubi etiamnum habentur. Rigaltio itaque requirenti, *unde liber tertius, quem certe non habet vetus editio*, respondere licebit, quod ab eodem Cypriano, licet aliquanto serius, a quo priores, prodiit.

Tractatum hunc non nisi post Cypriani episcopatum fuisse transmissum, ostenderet Quirini sub filii titulo compellatio: nisi illa in quibusdam codicibus desideraretur; et insuper constaret, non modo episcopos, sed etiam presbyteros, pariter suos discipulos titulo isto compellasse. Quo tempore ad Quirinum hoc scriptum dirigebatur illum neophytum fuisse, hinc suadetur; siquidem dicat Cyprianus: *Legenti tibi interim prosint, ad prima fidei lineamenta formanda;* et deinceps: *Bibere uberius, et saturari copiosius poteris; si tu quoque ad eosdem divinæ plenitudinis fontes, nobiscum pariter potaturus accesseris.* Unde si ad Quirinum in Ep. LXXVII et LXXVIII pari fere passu cum Cypriano nominatum (quod satis verisimile videtur) hæc pertineant, certe longe ante extrema Cypriani tempora perscripta fuisse comparebit. Aut si forte libelli isti serius aliquanto missi fuerint, materiæ tamen sylvam pridem collectam digestamque minime dubitavérim. Proinde nec non prorsus absurdam fuisse lectionem illam ms. codicis D. Vossii quæ ait, *Libellus compendio brevi ante digestus est.* Revera quisquis scribendi methodum a Cypriano usurpatam diligenter consideraverit, facile animadvertet hoc ipsi post acceptam fidem primum fuisse studium, ut non tantum in S. Litteris fieret versatissimus; sed ut illas quasi in locos communes accurate digestas in promptu haberet. Hoc enim ipsi solemne et fere perpetuum est: ut in quocumque argumento versetur, sacræ Scripturæ testimonia glomeratim proponat, et tamquam ex armamentario instructissimo in aciem producat. Quod lectorem in limine fere operis observasse minime pigebit.

Demum cum formula illa sub qua passim in his scriptis citantur S. Litterarum testimonia, et ipsæ SS. Librorum nomenclaturæ, prorsus diversæ sint ab iis quæ in reliquo opere occurrunt, varietatis istius (quando utrorumque eumdem fuisse auctorem constiterit) vix alia ratio reddi poterit, quam quod diversis temporibus scriberentur; et proinde dicendum, tractatum hunc reliqua omnia quæ sequuntur prævertisse.

Sperabam quidem ex largo hoc quod in tractatu isto habetur Scripturarum spicilegio ad versionis latinæ quæ Hieronymianam præcessit restitutionem, gradum aliquem præstrui potuisse. Et certe, si modo

Digitized by Google

sibi ubique constaret Cypriani textus, loca illa quæ a lectione vulgata discrepare deprehenduntur, pro antiquæ versionis reliquiis non immerito haberemus. Sed cum ea sit lectionum in mss. codicibus varietas, ut plura simul occurrant quæ a vulgatis discrepent; et in his quid a Cypriano scriptum fuerit, codicibus sibi invicem non respondentibus, minime constet: porro cum primorum sæculorum patres, in S. Scripturis laudandis diversimodo se habeant, curam hanc ceu tantum non deploratam censemus. Flam Nobilius alique viri eruditi, Tertulliani, Cypriani, Hilarii, Ambrosii, Hieronymi et Augustini lectiones Scripturarum, ex libris impressis affatim ingerunt; parum memores in codicibus mss. rem aliter atque aliter passim se habere. Interim gratiæ immortales Deo opt. max. habendæ sunt: cujus providentia comparatum est, ut in pene infinita vocalarum discrepantia, rerum momenta et doctrinæ ordo usque inviolata permaneant. De scripturis nulla pene lis est, licet de scriptione ubique dubitetur.

Judæos secundum quæ fuerant. Cyprianus in Magistri scriptis adeo libenter et fere perpetuo se exercuit, ut paucissima præterierint, quæ non libello ejusdem prorsus argumenti denuo tractaverit. Quemadmodum enim *de Baptismo* commentarium edidit Tertullianus; ita *de Gratia Dei*, sive Baptismo *ad Donatum* (ut Epistolas *ad Jubaianum*, *Pompeium aliosque* ea de re præteream) scripsit Martyr noster. Quomodo *de Idololatria* egit Tertullianus, sic de *Idolorum vanitate* disseruit Cyprianus. Porro deinceps videre erit tractatus Tertulliani, *de cultu fœminarum et Virginibus velandis*; *de Patientia*, *ad Scapulam*; *ad martyras*, *de Oratione*, *de Pœnitentia*, *de Præscriptione*; quasi ἀντιστοίχως, respici ab auctoris nostri scriptis, *de Disciplina et Habitu Virginum*; *de Bono Patientiæ*; *ad Demetrianum*; *de Exhortatione Martyrii*; *de Oratione dominica*: *de Lapsis*; *de Unitate Ecclesiæ*. Quæ omnia semel hic indigitasse suffecerit.

LIBER PRIMUS.

I. *Judæos in offensam.* Fastus Judæorum validissimum opposuit obicem quominus in obsequium fidei venirent. Rectissime ergo hinc exordium sumitur; quemadmodum olim a Sancto Stephano factum, et ab Apostolis in Actis, atque Epistolis videmus præstitum.

Ejecit de Ægypto. Lectio Cypriano, nec non Tertulliano fere perpetua; nata videtur ex homonymia vocis עלה quæ rei non ascensum modo, sed mutationem status aut loci fere omnem denotat. Quod in græco ἄιρω, latino *tollo*, nec non et vernaculis nostris linguis passim obtinet.

Derelictus est Juda. Licet in mss. plerisque desiderentur quæ sequuntur ad finem hujus capitis; tamen cum in Spirensi, reliquisque impressis compareant, et etiam vulgatam versionem non sequantur; pro nupero assumento minime ducimus.

II. *In Basileion.* Regnorum, puta Judæ, et decem tribuum sive Israelis. Sero admodum ex hebræis fontibus hauserunt Christiani; unde etiamnum Græca nomenclatura plerorumque S. Codicis librorum, ad vernaculas nostras linguas pervenit. Inde Genesin, Exodum, Leviticum, Deuteronomium, etc. appellamus. Codices aliqui mss. Latinis verbis hæc efferunt, sed pauci præ reliquis qui Græcam nomenclaturam agnoscunt; proinde nihil mutandum censemus. Idem de formula laudandi Evangelia cata Matthæum, cata Joannem, etc. dicendum.

III. *Ruris passeres.* στρουθίον avis sive passer. In textu heb. est עצור quam vocem retinuerunt Aquila et Symmachus, et ἄγρου scripsere; unde utrisque vocibus retentis; lectio, ἀγροῦ στρουθία in Græcis exemplaribus obtinuit.

Metatura falsa. In Heb. עט שקר σχοῖνος ψευδὴς, sed cum arundine non modo scriberent veteres, sed et metirentur; pro stylo scribæ, metatura substituebatur. Ex contortis arundinibus funiculus mensorum, Zach. II 1. σχοινίον γεωμετρικὸν appellatur.

V. *Fides mea.* In græco textu habetur δίκαιός μου ἐκ πίστεως ζήσεται, alia exemplaria, et fortasse antiquiora, transpositis vocibus legerunt ἐκ πίστεως μου, quam lectionem sequuntur exemplaria nonnulla Novi Testamenti, ad Heb. x, 38. Vid. l. III. hujus scripti c. 42.

VIII. *Renovate inter vos novitatem.* Novate vobis novale, inquit Interpres Vulg., sed prior lectio est Tertulliani, qui aliquando *novitatem*, aliquando etiam *novamen* reddit.

IX. *Ne dicant.* LXX Interpretes habent, τοῦ μὴ μαθεῖν. Lectionem hanc agnoscit Paraphrastes Chaldæus, qui reddit לאתגן דילמא. Ad mentem auctoris nostri sic locum explicat Procopius. Δῆσον τὸν νόμον, οὐκέτι γὰρ χρεία τοῦ Μωσέως νόμου, οὐδὲ τῶν περὶ αὐτοῦ μαρτυριῶν, τῆς καινῆς παραδεδομένης διδασκαλίας τοῖς διδακτοῖς αὐτοῦ, τοῖς ἐξ ἐθνῶν κεκλημένοις, οἵτινες ῥαιτροὶ ὄντες στρεγίζοντες τὸν νόμιν τοῦ μὴ μαθεῖν αὐτὸν, οὐκ ἔτι ὄντα χρήσιμον τῇ παραθήκῃ τοῦ κρείττονος.

XI. *Quia non permanserunt.* Hæc licet mss. suffragio destituantur, tamen ex versione a vulgata aliena, et Cypriani consona; auctoramentum sibi præstant. Quod de sequentibus, pariter in exemplaribus desideratis dicendum.

In plebem. Hellenistæ, ut gentem Israeliticam ab ethnicis distinguant, λαὸν appellare amant; quam vocem studiose vertit Noster: cui solemne est fideles, *plebem*, et *plebem stantem* dicere. Minus accurate Tertullianus; *populum* dicit; quemadmodum vulgatus interpres et alii passim veteres.

XV. *Domum in nomine.* Ubi Deus revera inter homines habitabat; et propitiatorium pro totius mundi peccatis exhibuit. Hanc vero corporis sui in templo Hierosolymitano præfigurationem Dominus noster in Evangelio passim declarat.

XVI. *Holocautomata arietum.* Voce hac utuntur Irenæus et Tertullianus, et vetera vulgatæ versionis exemplaria.

Non est mihi voluntas. Locus a nemine fere antiquorum patrum præteritus, quando de sacrificio novi fœderis sermo occurrit. Late eum explicat Irenæus adv. Hæres. l. IX, c. 50: *Dominus noster suis discipulis dans consilium primitias Deo offerre ex suis creaturis, non quasi indigenti, sed ut ipsi nec infructuosi nec ingrati sint; eum qui ex creatura panis est accepit, et gratias egit dicens: Hoc est corpus meum: et calicem similiter, qui est ex creatura quæ est secundum nos, suum sanguinem confessus est. Et novi Testamenti novam docuit oblationem, quam Ecclesia ab apostolis accipiens, in universo mundo offert Deo, ei qui alimenta nobis præstat, primitias suorum munerum in novo Testamento, de quo in duodecim prophetis Malachias sic præsignificavit: Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus omnipotens, et sacrificium non accipiam de manibus vestris; Quoniam ab ortu solis ad occasum, nomen meum glorificatur inter gentes, et in omni loco incensum offertur nomini meo et sacrificium purum, quoniam magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus omnipotens. Manifestissime significans per hæc, quoniam prior quidem populus cessavit offerre Deo: omni autem loco sacrificium offertur Deo, et hoc purum; nomen autem ejus glorificatur in gentibus.* Et cap. XXXIII. addit. *Quoniam nomen filii proprium patris est, et in Deo omnipotente per Jesum Christum offert Ecclesia; bene ait secundum utraque, et in omni loco incensum offertur nomini meo, et sacrificium purum. Incensa autem Joannes, in Apocalysi, orationes ait esse Sanctorum* Et cap. XXXIV. *Offerimus ei quæ sunt ejus, congruenter communicationem et unitatem prædicantes carnis et spiritus. Quemadmodum enim qui est a terra panis percipiens invocationem Dei, jam non communis panis est, sed eucharistia, ex duabus rebus constans, terrena et cœlesti; sic et opera nostra percipientia eu-*

Digitized by Google

charistiam, jam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia. Justinus Martyr in Dial. cum Tryph. p. 344 D. *Edit. Paris.* 1636. Ἀρχιερατικὸν τὸ ἀληθινὸν γένος ἐσμὲν τοῦ Θεοῦ, ὡς καὶ αὐτὸς ὁ Θεὸς μαρτυρεῖ εἰπὼν ὅτι ἐν παντὶ τόπῳ ἐν τοῖς ἔθνεσι θυσίας εὐαρέστους αὐτῷ καὶ καθαρὰς προσφέροντες. οὐ δέχεται δὲ παρ' οὐδενὸς θυσίας ὁ Θεός, εἰ μὴ διὰ τῶν ἱερέων αὐτοῦ. πάντες οὖν οἱ διὰ τοῦ ὀνόματος τούτου θυσίας ἃς παρέδωκεν Ἰησοῦς ὁ Χριστὸς γίνεσθαι, τουτέστιν ἐπὶ τῇ εὐχαριστίᾳ τοῦ ἄρτου καὶ τοῦ ποτηρίου, τὰς ἐν παντὶ τόπῳ τῆς γῆς γινομένας ὑπὸ τῶν Χριστιανῶν, προλαβὼν ὁ Θεὸς, μαρτυρεῖ εὐχαρίστους ὑπάρχειν αὐτῷ τὰς δι' ὑμῶν καὶ δι' ἐκείνων ὑμῶν τῶν ἱερέων γινομένας ἀπαλλάττεται. λέγων, καὶ τὰς θυσίας ὑμῶν οὐ προσδέξομαι ἐκ τῶν χερῶν ὑμῶν. διότι ἀπὸ ἀνατολῆς ἡλίου ἕως δυσμῶν, τὸ ὄνομά μου δεδόξασται, λέγει, ἐν τοῖς ἔθνεσιν· ὑμεῖς δὲ βεβηλοῦτε αὐτό. καὶ μέχρι νῦν φιλονεικοῦντες λέγετε, ὅτι τὰς μὲν ἐν Ἱερουσαλὴμ ἐπὶ τῶν ἐκεῖ τότε οἰκούντων Ἰσραηλιτῶν καλουμένων θυσίας οὐ προσδέχεται ὁ Θεός. τὰς δὲ διὰ τῶν ἐν τῇ διασπορᾷ τότε δὲ ἔθνων ἀπὸ τοῦ γένους ἐκείνου ἀνθρώπων εὐχὰς προσίεσθαι αὐτόν εἰρηκέναι, καὶ τὰς εὐχὰς αὐτῶν θυσίας καλεῖν. ὅτε μὲν οὖν καὶ εὐχαὶ καὶ εὐχαριστίαι ὑπὸ τῶν ἀξίων γινόμεναι, τέλειαι μόναι καὶ εὐάρεστοί εἰσι τῷ Θεῷ θυσίαι, καὶ αὐτός φημι. ταῦτα γὰρ μόνα καὶ χριστιανοὶ παρέλαβον ποιεῖν, καὶ ἐπ' ἀναμνησει δὲ τῆς τροφῆς αὐτῶν ξηρᾶς τε καὶ ὑγρᾶς, ἐν ᾗ καὶ τοῦ πάθους ὃ πέπονθε δι' αὐτοῦ ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ μέμνηται. Tertul. *adv. Marc.* l. 3, c. 21, *Ut pariter concurreret et Malachiæ prophetia: Non est voluntas mea, dicit Dominus et sacrificia vestra non accipiam; quoniam ab ortu solis usque in occasum nomen meum glorificatum est in nationibus, et in omni loco sacrificium nomini meo offertur, et sacrificium mundum; gloriæ scilicet relatio, et benedictio, et laus, et hymni.* Lib. IV, c. 1 : *Sacrificium mundum* interpretatur quod sit *simplex oratio de conscientia pura.* Loco ergo victimarum, et ex cæsis animalibus visceration um, sola apud Christianos superest rationale et incruentum sacrificium, quod Malachiæ verbis, מנחה טהורה *mincha teora*, hoc est, oblatione farrea cum suo libamine, pane scilicet et vino; illo semperque duraturo sacrificio Eucharistico; et precum piarum thymiamate constat.

XVII. — *Ante Luciferum.* Tertullianus *Adv. Marc.* l. 5, c. 9, Judæos refutat, qui nocturnam Vezechiæ nativitatem verbis istis designatam satagebant, Dominique nostri natalibus prophetiam asserit.

XX. — *Angeli Septem.* Ad eum morem in aula Persica septem primarii satrapæ privilegio gaudebant, ut *assisterent et conversarentur ante faciem Regis.* Ex laudato hic loci, necnon alibi, scriptore hoc; satis importune confectum ait Pamelius, Tobiæ librum esse canonicum. Minime dubitandum libros Veteris Testamenti qui Apocryphi dicuntur, et in Hebræis fontibus minime comparent, in libris Græcis quibus Hellenistæ utebantur passim reperiri, et proinde jure merito Christiani, qui ab Hellenistis Judæis Biblia sacra mutuabantur, indiscriminatim testimonia exinde, præsertim adversus Hellenistas desumpserat. Postquam XXII sacri codicis volumina recensuisset Josephus *cont. Apion.* lib. I. τὰ δικαίως πεπιστευμένα, subjungit, Ἀπὸ δὲ Ἀρταξέρξου μέχρι τοῦ καθ' ἡμᾶς χρόνου, γέγραπται μὲν ἕκαστα, πίστεως δὲ οὐχ' ὁμοίως ἠξίωται τοῖς πρὸ αὐτῶν, διὰ τὸ μὴ γενέσθαι τὴν τῶν προφητῶν ἀκριβῆ διαδοχήν. δῆλον δ' ἐστὶ ἔργῳ πῶς ἡμεῖς τοῖς ἰδίοις γράμμασι πεπιστεύκαμεν· τοσούτου γὰρ αἰῶνος ἤδη παρῳχηκότος, οὔτε προσθεῖνέ τις οὐδὲν, οὔτε ἀφελεῖν αὐτῶν, οὔτε μεταθεῖναι τετόλμηκεν, etc. Si quis vero ex Rabbinorum nuperorum placitis, qui juratissimi Christiani nominis hostes, a versione græca librisque ab Hellenistis vernaculo idiomate conscriptis maxime abhorrent, de veteri Judæorum indole sententiam ferat, eorumque instituta exinde metiatur; is certe a vero, toto (quod aiunt) cœlo aberrabit. Illi namque nihil antiquius habuere quam ut sacram gentis suæ philosophiam et res gestas litteris consignarent, aliorumque ea in palæstra studiis impensissime faverent. Quod non tantum ex scriptis Siracidis, Tobiæ, Esdræ, Baruchi, Philonis, Aristobuli, Demetrii, Eupolemi, et Josephi

A dignoscitur, sed ex Sibyllinis carminibus, Phocylide, aliisque Judæorum personatis lucubrationibus manifestum est.

XXI. — *Formosi Oculi.* Χαροποὶ terribiles. Vera videtur lectio *Formidolosi* in sensu passivo. Ita Sallustius ait: *Regibus boni quam mali suspectiores sunt, semperque his aliena virtus formidolosa est.* Pariter Cicero: *Conservatio stabilis judicii in iis rebus quæ formidolosæ videntur.*

Christo meo Domino. Χριστῷ μου Κύριῳ. Librarii, quibus solemne est mutare quod non intelligunt, κυρίῳ reposuere. Quæ lectio apud omnes fere veteres obtinuit. Et quidem cum Cyrus, liberator popul. Dei, Messias ejus sive unctus dicatur, et Domini nostri typum gessit: Verba hæc rectissime Domino nostro tribuuntur.

XXIX. — *Ut phœniceum.* Lectionem hanc non facile mutamus, præsertim cum codicum suffragio abunde muniatur. Interim dicendum, prorsus verisimile videri auctorem scripsisse *quasi russeum*, quæ codicis B Veronensis est lectio, et cujus vestigia remanent in iis libris in quibus scribitur *quasi roseum.* Idem de locis Tertulliani dicendum adv. Marc. l. IV, c. 10, et etiam in Scorpiaco. Rubrum colorem russeum dici omnibus notum.

TESTIMONIORUM LIBER SECUNDUS.

I. — *Dominus condidit.* Eusebius et Hieronymus pro ἔκτισατο legendum contendunt ἔκτησατο, quibus Hebræus textus consentit. Philo autem Judæus, Ignatius, Irenæus, Clemens Alexandrinus, Tertullianus, Origenes, auctori nostro in hac lectione præivere, Dominoque nostro verba illa tribuebant; quod Ariani etiam fecere, et nefarii dogmatis ceu certissimum præsidium adhibuerunt. Sed esto, Filium Pater condidit, æterna nimirum generatione. Æterni certe Patris non nisi coævus esse poterit Filius.

II. — *Sapientia ædificavit.* Totum fere octavum caput, quod huic aditum facit, ab Irenæo l. IV, c. 37. C Justino Martyre *adv. Tryph.*, Tertulliano *adv. Herm.* Cypriano l. I *ad Quirin.* c. 1, et Origene περὶ Ἀρχ. l. I, c. 2. Domino nostro, late et diligenter audicitur: unde merito hoc in contextu Cyprianus, quæ de eadem Dei sapientia dicuntur, Ecclesiæ ejus mysteriis explicandis adhibet. Quod de *excelsa prædicatione ad craterem* hic habetur, LXX interpretibus acceptum referendum, qui scripserant ὑψηλὸν κρυγμα ἐπὶ κρατῆρα; et videntur legisse pro על גבי litteris non multum immutatis, et sono minimum variato על גבוע Ecclesiam septenario numero denotari, cap. 20, superioris libri dictum est. Quod v. Domus et templum Dei Christus, cap. 15 ejusdem libri docetur. Reliqua titulus capitis explicat.

III — *Eructavit cor meum.* Suaviter irridet Ariani Nicænos patres et scriptores nostri sæculi Orthodoxos, qui hæc et similia S. Litterarum loca, ad Domini nostri divinitatem stabliendam attulere. Sed considerare oportebat, a Nicæni patribus hoc imprimis D comprobandum incubuisse, fidem ab ipsis commendatam in Ecclesia olim fuisse receptam; seque eo prorsus modo S. Scripturas interpretatos, quemadmodum ecclesiastici scriptores ante motam controversiam interpretarentur; Hunc vero Psalmum non modo Auctor *ad Hebr.* I, 8. Irenæus l. IV, c. 56. Justinus Martyr *adv. Tryph.* Orig. *in So.* I, et Patres fere omnes Messiæ tribuunt; sed hoc a Judæis ipsis, Chaldæo Paraphraste, Kimchio, Solom. Iarchi, Aben Ezra præstitum. Textum vero hunc de sermone bono, ad essentiale Dei verbum referendum, non tantum hoc in loco Cyprianum, sed in plurimis Tertullianum intellexisse, in comperto est. Notandum porro veteres divinum λόγον, *sermonem* potius quam *verbum* appellasse.

IV. — *Altum est brachium.* D. Hieronymus, licet versionem hanc quæ LXX respondet multum mutaverit, fatetur in Commentario *locum posse intelligi super*

Digitized by Google

Judæos qui Christum brachium Domini nescierunt. Nec abludit Chaldæus paraphrastes qui ait תתגלי כד ז יחזון עמך לכאי יבר לא לדחלתך לאוטבא בגבורתך ויבחתון רשיעיא. Certe Christum esse brachium Dei, præter Procopium in hunc locum, aliosque consimiles; docuerunt Justinus Martyr *Apol.* 2, et *adv. Tryph.*, nec non Tertul. *Adv. Prax.* parag. 71 et 72, et *de Resurrect.* c. 59. Manum vero Domini esse divinum λόγον testem appellamus Chaldæum paraphrasten, qui quod in textu Hebræo habetur יד יהוה reddit frequenter מימרא דיי quibus verbis Deum opt. max. apud illum scriptorem denotari notissimum est.

In serras formatas. Certissima hæc est lectio, et græcæ versioni consona, quæ habet ἐπιτηδά σε ὡς τροχοὺς ἁμάξης ἀλοῶντα καινοὺς περιστηρειδεῖς. Hujus supersunt vestigia in mss. illis qui in *seres formatas* habuerunt. Recepta hæc usque lectio, quæ *in se retornatas* posuit, Isidi alicujus librarii videtur commentum, qui (quod id genus hominibus solenne est), ea apposuit quæ ipse magis sibi visus est intellexisse. Tota autem hæc perioche, in Spirensi, Remboldi, Erasmi et Manutii editionibus desiderata licet fuerit; tamen cum in impressis aliis compareat, et in mss. quam plurimis habeatur, et insuper vulgatam versionem minime referat, retinenda omnino videtur.

V.— *Vocavit eum angelus Domini.* Sufficisse poterat ad vindicandam hanc auctoris nostri de Christo angelo fœderis sententiam, locum parallelum novi testamenti, nimirum I Cor. x, 9 (pro methodo a me usurpata) apposuisse. Quis enim contra Dominum ipsum, ejusve Apostolos veteris instrumenti interpres audiendus erit? Sed cum novatores in hoc argumento nihil non sibi licere crediderint, et audacter doceant, Angelum qui olim Patriarchis et Mosi apparuit, et Jehova fere perpetuo appellatur, creatorum et ministrantium spirituum satellitio annumerandum: unde Socinianorum placitis patentissimus aperitur aditus; (quid enim proderit ostendisse, Dominum nostrum, Deum et Jehova, in S. Scripturis dici, si hoc pariter Angelis quibuscunque legationem aliquam Dei vice obeuntibus tribuatur?) non pigebit dixisse, dogma hoc ab universæ primitivæ Ecclesiæ sententia et fide omnino abhorrere. Quod Christus ceu angelus fœderis ἦν ὁ Μωσεῖ καὶ τῷ Ἀβρὰμ καὶ τοῖς ἄλλοις ἁπλῶς Πατρ ἀρχαις φανεὶς καὶ ὁμιλήσας, per multas paginas diligentissime probat Justinus in *Dial ado. Tryph.* atque etiam in *Apol.* 2. Similiter disputat Irenæus l. III, c. 6, et l. IV, c. 17 et 26; Clem. Alex *Pædag.* l. I, c. 7; Tertul. *adv. Jud.* c. 9 et *cont. Marcion.* l. II c. 27, et *cont. Prax.* c. 16; Origen *in Es. Hom.* I. Porro in eadem versabantur sententia qui secuti sunt Patres, Euseb. *Hist. Eccl.* l. I, c. 2; Basil. *adv. Eunom.* l. II et l. IV; Athan. l. IV. *cont. Arian.*: Hilar. *de Trinit.* l. IV et l. XII; Greg. Naz. *orat.* 35 et 49; Ambros. *in Ep. ad Coloss.* c. I, v. 15, et *in I Thes.* c. IV, v. 16; Augustin. *Ep.* 112; Synodus Antioch. et Syrm. apud Athan.

Non deerit LXX habent. ὑποστέλλεται, præ timore dimittet tutelam. Tert. *celabit*, præ timore subducet se.

VI.— *Illi Deo.* LXX posuerunt τῷ θεῷ τῷ ὀρθίντι, quam emphasin minime prætermittendam duxit auctor noster. Locum pariter allegat Justin. *adv. Tryph.*

Omnis Rirus. Heb. כל non modo vallem, sed et rivum significat: sed Esaias hic loci alia voce, scil. גיא utitur. In lectione vero omnes fere codices consentiunt.

Nomine ejus gloriabuntur. שם sive nomen, Deum apud Hebræos sonat. Et sub hac notatione hic intellectum arbitrari fas erit. Certe LXX qui κατακαυχήσονται posuerunt, יתהללו שם non יתהללו legisse certum est.

Deus benedictus. Locum hunc allegat Irenæus l. III, c. 18, et diligentissime premit Tertul. *adv. Prax.* parag. 13 et 15. Et merito id quidem, quando ut Proclus *de fide* rectissime dicit παραδόσεως συμφωνίας ἀντειχίζει, et maxime solennem formulam continet, qua in Ecclesia Judaica Deo opt. max. honos exhibebatur. Inte ea agnoscere oportebit, vocem *Deus* in Spirensi, veteri innominato, Reuboldi, et Erasmi editionibus abesse: sed in sequentibus habetur, atque etiam in omnibus mss. quos consului. Quamobrem defectus iste jure merito ab Erasmo Librariis imputatur; præsertim cum in Pauli textu vox ista ubique occurrat. Porro ברוך ex linguæ sanctæ idiomate, nulla voce addita, Deum ubique significat.

Possidebit ea Exemplaria plurima legunt κληρονομήσει πάντα: sed alia, atque illa non contemnenda, habent κληρονομήσει ταῦτα, cui lectioni non tantum auctorem hunc sed etiam vulgatum interpretem adstipulari cernimus.

VII. — *Non senior neque angelus.* Diversitatis hujus quæ in versione LXX, et vul. atque hac occurrit, ratio petenda est a vario vocis עֵר significatu; hæc enim defective scribi pro עִיר putabant LXX, et πρέσβυς seu *legatus* posuere. Hos sequitur Tertul. *adv. Marc.* l. IV, c. 22, et prophetiam Domino nostro asserit. Latina vero versio vocem πρέσβυς in eo significatu accipiebat, quo *senem* denotat. Hieronymus autem sensu radicis עור *tribulatum* reddit.

IX. *Præstat agonem.* In LXX exemplaribus passim, et Justin. Mart. legitur κυρίῳ παρέχατε ἀγῶνα; sed etiam olim videtur lectum κύριος παρέχει ἀγῶνα, nec enim non modo hoc in loco auctor noster, sed et alibi in Epistolis, et etiam Irenæus et Tertullianus locum efferunt.

Cognoscat ut præferat mala, commutabit bonum. Lectionem hanc genuinam puto, utpote mss. fere omnium præsidio munitam, ac etiam Irenæi suffragio fultam (qui rarissime ab auctore nostro dissentit in Scripturarum recensione); et demum ad LXX mentem propius accedentem. Agnosco pro *commutabit* apud Iren. l. III, c. 26, a Feuardentio factum *communicavit;* sed ipse fatetur quod in aliis editionibus aliter habetur, et certe in ms. Arundeliano priori *modo* Scriptum reperio. Fortassis voces a vulgato interprete descriptæ, felicius hebræam veritatem exhiberent; sed non quæritur quid optimum, sed quid a Cypriano positum.

Ipse tuum observabit. Vulgata lectio quæ *ipsam* retinet, nullos haberet fautores in erudito hoc sæculo, si non plus valeret partium, quam veritatis, utcumque manifestæ, studium. Certe Irenæus ter locum eo prorsus modo, quo auctor noster, citat; observandum vero in Græcis exemplaribus olim lectum fuisse αὐτός σου τηρήσει, licet ipsos scripsisse τηρήσει minime sit dubium.

X.— *Et homo est. Inscrutabile,* inquit vul. *desperate morbidum* alii. In Hebræo habetur ואיש הוא quæ vox sæpissime defective scribitur, ut finale shin pro sustentaculo sit τῷ holem, et hominem significet. Certe Tertullianus ita textum hunc reddidit, *ut ostenderet* (verbis Hieronymi utor) *quod homo sit Dominus atque Salvator, secundum dispositionem carnis assumptæ, nullusque possit nativitatis ejus scire mysterium.* Loca sunt *adversus Judæos, De carne Christi, Adv. Marcion.* l. III.

Procedet homo de semine ejus. LXX habent ἐξελεύσεται ἄνθρωπος ἐκ τοῦ σπέρματος αὐτοῦ. מים מדלי quæ de situla, proverbiali apud Hebræos locutione hominum a parentibus ortorum derivationem denotat. Unde non tantum hic LXX, voce מים ἄνθρωπον reddunt: sed et Targum per מלכא interpretatur. Notari etiam poterit vocem צרע quæ sequitur, in eo significatu intellectam videri quo brachium refert. κυριεύειν ἐθνῶν πολλῶν, idem prorsus est quod Ps. LXXXVIII, v. 25, dicitur, ἔχειν ἐν θαλάσσῃ χεῖρα αὐτοῦ, καὶ ἐν ποταμοῖς δεξιὰν αὐτοῦ. Demum advertere licebit, in verbis proxime sequentibus מאגג tamquam מגוג lectum, ὑψωθήσεται ἡ γὰρ. inquiunt LXX. Immo Symmachus pariter, ὑψωθήσεται ὑπὲρ γὰρ. Ex Ezech.

Digitized by Google

xxxviii et xxxix, et Apoc. xx, 8, discimus per Gog et Magog (gentes imprimis barbaras) hostes Ecclesiæ designari : at hic dicitur illas regnum fore Christi : quod ex Evangelii prædicatione eventum felicissime sortitum est.

XI — *Et fidem consequetur.* πιστώσω αὐτὸν ἐν τῷ οἴκῳ, in LXX interpretum exemplaribus etiamnum legitur. Credibile vero est ipsos scripsisse ἐπιστήσω, nam in Hebræo est ; והעמדתיו.

XII — *Non exigua es.* Cujus contradictorium profiteri videtur textus Hebræus. Pariter LXX habent ὀλιγοστὸς εἶ. Sed auctor noster sequitur lectionem D. Matthæi qui ait, οὐδαμῶς ἐλαχίστη εἶ. Immo vero, si R. Tanchum, erudito Judæo, fides ; veritatem Hebræam exhibet D. Matthæi lectio. Monet quippe ille, vocem עיר quæ *parvum* sonare perhibetur, rem utique pretio magnam denotare.

XIII. — *Jesum sacerdotem* Locum hunc Domino nostro attribuit Justin. Martyr in *Dial. cum Tryph.* nec non Tertullianus *adv. Jud.* et *adv. Marc.* l. III, c. 7, qui ait : *Zacharias in persona ipsius Christi, immo et in ipsius nominis sacramento, verus summus sacerdos.*

XIV.—*Justus perit.* Hæc ad Dominum nostrum pertinere docent Justin. Mart. in *Apol* II, et *Dial. cum Tryph.*; Iren. l. IV, c. 67 ; Tert. *adv. Marc.* l. III, c. 22. Ita pariter Hieron.: *Justus perit de quo dicit uxor Pilati : Nihil tibi sit et justo illi. Qui lotis manibus innocens sum ego, inquit, a sanguine justi hujus.*

XV — *Venite mittamus lignum.* Alii aliter hunc locum reddunt nimirum, *Destruamus arborem cum fructu ejus;* aut *mittamus lignum in carnem ejus;* hoc est, fustibus coerceamus. Sed maxime litteralis is videtur sensus quem LXX et vulgatus interpres retinent, et Targum Jonathanis agnoscit במיכלהּ דמהתא סמא גרמי. Locum utique laudat Justinus *in Dial. cum Tryph.* et Tertull. *adv. Jud.* cap. 10. Nonnulli ex Rabbinis lignum ipsum designant, et Taxum esse volunt. ex cujus venenato succo, toxica confecta autumant.

Et accepit lapidem magnum Minime putandus est auctor noster credidisse lapidem illum fuisse Christum ; sed illo lapide fuisse adumbratum eum, qui revera *audivit omnia quæ dicta fuerunt.* Pariter Tertullianus circumcisos ait Israelitas a Josua, *petrina acie, id est Christi præceptis, petra enim Christus* Adv. Marc. l. III, c. 16, et l. IV, c. 13. Eodem prorsus modo Apostolus, I Cor. x, 4, dicit *omnes bibisse eumdem potum spiritualem, et bibebant de spiritali consequente eos petra, petra autem erat Christus.*

XVI.— *Ecce nos.* Pro *ei* legisse videtur ἰδοὺ.

XVIII. — *Ascendamus in montem.* Locum hunc diligenter exsequitur Tertul. *adv. Jud.* c. 3, et *adv. Marc.* l. III, c. 21.

XIX. — *Indicite curationem.* Θεραπείαν sive cultum solemnem, habent LXX. Sed cum illa vox pariter ea officia denotet quæ ægris exhibentur ; in hoc sensu reddidit Latinus interpres.

Procedat Sponsus. Dominum nostrum sponsi titulo insignitum abunde constat. Ne vero quis opinetur, temere locum hunc allatum in hujusce generis negotio, recordari oportebit, prophetiam hanc Act. II, 19, ab Apostolo Messiæ assertam. Locum Jeremiæ XVI qui sequitur eodem modo interpretatur in commentariis D. Hieronymus. Alterum qui succedit Psal. XVIII pariter interpretatur Tertul. *adv. Marc.* l. VI, c. 11.

Virtutis Domini. LXX legunt δυνάμεως κυρίου : quo modo vocem צבא passim reddunt.

XX.—*Expandi manus.* In eamdem mentem Justin. *Apol* 2. et *Dial. cum Tryph* nec non Tert. *adv. Judæos*, c. 13, textum hunc interpretantur.

Erit pendens vita tua. Sic locum hunc interpretatur Tert. *adv. Jud.* cap. 14.

Effoderunt manus. Psalmus iste ita certo ad Messiam pertinet ut Judæos habeat confitentes ; qui tamen ut se expediant duplicem comminiscuntur Messiam, alterum ben Joseph, humilem illum quidem, et hic loci descriptum : alterum ben David, principem et bellatorem. Quod ad verba hæc attinet, ex iis sunt quæ geminam inter Hebræos sortiuntur lectionem. Et viri eruditi, licet alibi lectioni ab Hebræis receptæ addictissimi, illam dicendi formam quam LXX sequuntur, quæque כרו vel כארו ὤρυξαν, sive *foderunt* habet ; hodiernæ quæ כארי ὡς λέων, sive *sicut leo* exhibet, præferendam censent.

Confige clavis. LXX, καθήλωσιν ἐκ τοῦ φόβου σου τὰς σάρκας μου. Aquila ἠλώθη posuit. Unde hariolari licebit primam scriptionem fuisse καθήλωσεν. Hoc loquendi genere utitur Solomon Eccles. XII, 12 : λόγοι σοφῶν, ὡς τὰ βούκεντρα, καὶ ὡς ἧλοι πυροὺμενοι. Vel ut Theodot. ἧλοι πεπηγότες. רעם Hebræum non tantum *horruit* significat, sed etiam *clavis confixit.*

Dies ejus. Diem Domini Messiæ tempora designare satis notum. Vid. Act. II, 20. Auctor noster pro κλητούς, ἐκλεκτοὺς legisse videtur.

Deus suspenditur. LXX, οὐκ ὡς ἄνθρωπος ὁ θεὸς διαρτηθήναι. Quod scholiastes græcus non incommode interpretatur. Διαρτηθήναι, τοῦτ' ἔστι σαλευθῆναι. τὰ γὰρ ἠρμένα σαλεύονται.

XXII.—*Texit cœlos virtus ejus.* Locus iste apparatum omnem traditæ olim legis describit, cujus mediator fœderis Angelus, sive Dominus noster. Tertul. l. IV *adv. Marc.* c. 22, transfigurationem dominicam verbis illis exhiberi contendit : quæ quidem passionis secuturæ adumbratio, teste D. Luca. c. IX, 33. Notetur verba illa *et illic constabilita est virtus gloriæ ejus et constituit dilectionem validam*, esse duas versiones ejusdem textus, hebræi nimirum, חבין ושם עזה, quæ ex homonymia linguæ istius natæ. Talis in sequenti voce דבר quæ *verbum* et *pestem* sonat, occurrit ; et proxima רשף quæ *terram torridam*, et *prunam ardentem* denotat.

Imperium super humeros. Tert. *adv. Jud* c. 10 : *Quis omnino regum insigne potestatis suæ humero præfert, aut non in capite diadema, aut in manu sceptrum, aut aliquam propriæ vestis notam? Sed solus novus rex sæculorum Christus Jesus novæ gloriæ et potestatem et sublimitatem suam in humero extulit, crucem scilicet.*

Cum levabat manus. Tert. *adv. Jud.* c. 10, et *adv. Marc.* lib. III, c. 18 : *Jam vero Moses quid utique tunc tantum, cum Jesus adversus Amalec præliabatur, extensis manibus orabat residens, quando in rebus tam attonitis, magis utique genibus positis, et manibus cædentibus pectus, et facie humi volutata, orationem commendare debuisset? nisi quia illic ubi nomen Jesu dimicabat, dimicaturi quandoque adversus diabolum, crucis habitus quoque esset necessarius, per quam Jesus victoriam esset relaturus.* Ita Justin. Mart. *Dial. cum Tryph.*

Super lignum vitæ. Ut secundus Adam primo certius responderet, quemadmodum alter mortem per lignum orbi intulit, alter vitam dedit. Pariter et orbe post diluvium reparato ὁ Νῶε ἐν ξύλῳ διεσώθη, ἐποχούμενος τοῖς ὕδασι, inquit Justin. Mart. in *Dial.*

XXIII.—*Occidet sol meridie.* Prophetia hæc ad passionem dominicam refertur, non modo ab auctore nostro, sed etiam Iren. l. IX, c 66 ; Tert. *adv. Marc.* l. IX, cap. 42. Ita locum Jerem sequentem interpretatur etiam Iren. l. IV, c. 66. Vox *septem*, ab utroque omissa.

XXV — *Vivificabit nos post biduum.* Sic Tert. *adv. Jud.* c. 14, et *adv. Marc.* l. IV c. 43.

Lavent vestem suam. Hunc Exodi locum respexisse videtur, D. Jo. in *Apoc.* VII, 14.

XXVI.— *Qui assistebant ei obtulerunt eum.* Pro ἐνώπιον αὐτοῦ πρόσκ ἔχ'η, quæ lectio Chaldææ respondet, olim legebatur, οἱ παρεστηκότες προσήγαγον αὐτὸν, ut ex Justino in Dial. patet. Porro Tertullianus legit *qui assistebant adduxerunt illum*, adv. Marc. l. III, c. 9. Unde pro *afferebant*, librarii videntur scripsisse *offerebant.* In reliquis etiam auctor noster, nec non Tert.

Digitized by Google

lectionem Justini Martyris sequuntur, relictis LXX. *Ut suscitentur.* In hac lectione consentiunt mss. codices; rectius diceretur, *ut judicentur.*

XXVIII. — *Ecce dies Domini venit.* Hanc Malachiæ prophetiam sibi asserit Dominus Mat. XI, 14. Illum qui sequitur, diem Judicii spectare monet paraphrastes Chaldæus, qui Psalmum XLIX, respicere docet יום דינא רבא diem magni judicii. Cui concinit August. *de Civit. Dei* l. XX, c. 24. Similiter Ps. LXVII, qui Arcæ fœderis, et illic divinæ præsentiæ celebrandæ destinatur, multo illustrius σκήνωσιν illius in carne exequitur, quod monet D. Paulus Eph IV, 9.

Ut separet. LXX legunt τοῦ διακρίναι. Revera extremum judicium per separationem expedietur, vid. Matt. XXV, 32.

Turbabuntur a facie ejus. Hæc licet in græcis exemplaribus comparent; desiderantur in fontibus hebræis.

Exterminabis in omnibus gentibus. Κατοκληρονομήσεις LXX habent. Qui quid sibi vendicat, alios possessione excludit.

XXIX.—*Quis nuntiabit vobis.* Τίς ἀναγγελεῖ ὑμῖν LXX habent, qui pro יגיד יגור legisse videntur. Quod sequitur de τόπῳ αἰωνίῳ seu loco æterno, euphemismum Hebræum sapere videtur; τόπον βασάνης, D. Lucas appellat. Sero erat quando infernus per Tophet et gehennam designabatur.

Auferte portas. Lectionem hanc genuinam puto, licet Pamelio aliter visum, nata enim videtur ex græci textus ἄρατε πύλας homonymia, nec a librarii errore potuit contingere. Loca ex Psalmis quæ hic congeruntur, Domino nostro vindicare supervacuus esset labor; siquidem plera nec a Judæis ipsis Messiæ tribuantur. Dominus noster, Joan X, 1, seipsum portam profitetur; atque in hanc mentem Clemens in Epist. ad Corinthios, geminum locum Ps. CXVIII, Ἀνοίξατέ μοι πύλας δικαιοσύνης interpretatur.

Ministri mei turbarentur. Ἠγωνίζοντο, inquit Apostolus, in agona versarentur: Dominus suam agoniam descripturus ait, *nunc anima mea turbata est.*

Paravit pater meus. Constans est auctor noster in hac lectione, quemadmodum etiam Irenæus. Illam agnoscit ms. Cantab. vetustissimus, ut et alii codices græci, qui legunt ὃ ἡτοίμασε ὁ πατήρ μου.

Circa ann. CCVLIX.

TESTIMONIORUM LIBER TERTIUS.

Liber tertius. Liber hic licet in editione Spirensi, veteri innominato, et Remboldi desideretur; in Erasmi, quæque ipsum secutæ sunt omnibus, defunctus reperitur. Porro mss. codices passim exhibent. Genuinum esse auctoris nostri scriptum, superius ex Hieronymi, Augustini, aliorumque veterum suffragiis ostendimus. Mantissæ autem loco addere etiamnum licebit, non modo titulum 54, hujus libri disertis verbis ab Hieronymo laudatum fuisse, sed etiam titulum quarum ab Augustino sæpius citari, nimirum *Retract.* l. II, c. 1; *Adv. Pelag.* c. 9; *De Prædest. sanct.* c. 3. Indicias non iverim testimonia quædam a librariis interpolata, alia verbis vulgati interpretis descripta occurrere; sed hæc ad libri ipsius statum non pertinent: et omnia fere veterum scripta ex æquo tangunt. Rectius dubitari poterit an liber iste ad Quirinum tertius, vel singularis potius, suique juris dici debeat. Quæ adversus Judæos superius habentur testimonia; unicum, licet bipartitum, opus conficere videntur: quod argumenti ratio, et Epistola præmissa suadere poterint. Quinimmo diversi prorsus argumenti quæ sequuntur testimonia, et Epistola denuo addita, tractatum hunc novis auspiciis scriptum testantur. Unde non male codex Lambethanus, præcedentes libellos pro uno ducit, atque hunc qui sequitur, non tertium, sed secundum ad Quirinum librum appellat. Sed quandoquidem altera numerandi ratio invaluit, ab eadem minime recedendum ducimus.

I.—*An.* 249 librum hunc novis omnino auspiciis, et tamen ante persecutionem conscriptum; anno 249, quo exeunte, persecutio intentabatur, assignandum duximus. Sed ne a reliquis testimoniorum libris divelleretur; tractatui de Habitu virginum, quem ante Episcopatum scriptum putamus, inverso aliquantum temporis ordine, præmisimus.

II.—*Aut enim subjectos vobis subpungitis.* Tertullianus pariter per disjunctivam particulam legit, *aut ad lites jejunatis.* Unde utrique legisse videntur, ἢ γὰρ τοὺς ὑποχειρίους ὑμῶν ὑπονύσσετε, ἢ εἰς κρίσεις, etc.

Et vestimenta tua. Τὰ ἱμάτιά σου, LXX. *Sanitas tua citius orietur,* Vulgatus interpres. Noster legisse videtur τὰ ἰμάτιά σου. Immo et Tertullianus similiter legit.

Sustineo te. Opperior, exspecto.

Eleemosynis et fide. Exemplaria LXX, quæ Proverbiorum librum satis perturbate exhibent, verba hæc interponunt loco alieno, nimirum cap. XV, v. 29; sed olim capite VI, comparuisse hinc suadetur, quandoquidem in versione Syriaca et Arabica habentur.

In corde pauperis. Ἐν ταμείοις σου, legunt LXX, pro quo lectum videtur, ἐν καρδίᾳ πτωχοῦ.

Magis quam sacrificium. Pro οὐ θυσίαν, Noster legisse videtur ἢ θυσίαν. Quam lectionem agnoscunt plurima LXX exemplaria. Prior vero lectio Hebræo textui consona, Matth. IX, 13, et XII, 7, perpetuo retinetur.

Omnia ista observavi. Quæ in sacro textu sequuntur, *a juventute mea* prætermisit auctor. Observet vero lector loca hæc ipsa pariter congesta in libro *de Opere et Eleemosyna;* quæ iis quæ diximus supra, pag. 13, de Cypriani methodo in laudandis S. Scripturis, prorsus respondent. Immo et librum hunc eidem asserunt.

Ut in omnibus locupletemini. Sic aliqui græci codices legunt, ἵνα ἐν πᾶσι.

Neque divites. Quam lectionem mss. exemplaria græca tuentur, quæ habent μηδὲ τοὺς πλουσίους. Et quidem quæ ex adversa parte sequuntur, nimirum pauperum, debilium, cæcorum et claudorum distincta mentio, lectioni huic favere videntur.

III.—*Dum enim adhuc pusilli eratis.* Additamentum a librario forte adhibitum, abest enim in lib. *de Zelo et Livore,* ubi textus hic laudatur. Simile apud Irenæum occurrit l. IV, c. 75: *Lac vobis potum dedi non escam; nondum enim poteratis escam percipere.*

Charitas magnanima. Μακροθυμεῖ *Magnanimem* Tertullianus appellat libro *de Patientia.* Sed *longanimus,* vox pariter barbara, magis obtinuit.

Non inflatur, non irritatur. Codices græci passim legunt οὐ φυσιοῦται, οὐκ ἀσχημονεῖ: sed mss, quamplurimi habent οὐ φυσιοῦται, οὐ φιλοτιμεῖ, quos auctor noster videtur secutus. In libro de Unit. Ecclesiæ, eodem modo textus hic effertur.

Discrimen ullum. Hanc lectionem tuentur probatissimi codices græci mss: Bodleianus, si quis alius venerandæ antiquitatis, uncialibus litteris descriptus; legit οὐκ ἦν χωρισμὸς ἐν αὐτοῖς τις. Bezæ vero qui Cantabrigiæ servatur οὐ διακρίσεις ἐν αὐτοῖς οὐδεμία. Sequiorum temporum apographa prætereo. Porro notandum, Bedam nostratem, hanc discrepantiam olim observasse in *Retract. in Act. Apost.*

Offer munus tuum ad altare. Voces, *ad altare,* redundant.

In tenebris ambulat. Vox *ambulat,* quamquam hic loci non reperiatur, infra v. 11, habetur.

IV.—*In nullo gloriandum.* Locum hunc supra nonuimus ab Augustino sæpius laudatum, dum Pelagii furores oppugnaret.

V.—*Vos autem ne vocaveritis rabbi.* Si titulum istud admittere non liceat, pariter et deferre vetitum. Græca nostra habent μὴ κληθῆτε. Vulgatus interpres habet *Nolite vocari.*

Digitized by Google

VI. — *Nudus etiam ibo sub terram.* Hæc interpretamenti loco, ponuntur, pro eo quod LXX, brevius efferunt ἀπελεύσομαι ἐκεῖ. Infra quæ eodem modo adjecta sunt. LXX interpretes habent auctores : ἐν τοῖς συμβεβηκόσιν αὐτῷ οὐκ ἥμαρτεν Ἰωβ, οὐδὲ ἐν τοῖς χείλεσιν αὐτοῦ

Stimulus carnis meæ. Vox *meæ* redundat. Quod sequitur, *virtus in infirmitate perficitur*, ejecta voce *mea*, universalius quoddam lemma conficit.

Quam lata! Complutensia Biblia, nec non omnes fere vetustiores codices mss, pariter legunt τί ξενή, admirative.

In locis impiorum. Pro בקום legisse videntur LXX inter, retes בבקום. Monet Pamelius *Excusos codices habuisse in margine Ecclesiastis* III. *Sed neque ibi Græce reperitur, neque in libro Sapientiæ.* Goularius contendit Ecclesiastis III, scriptum haberi. Sed revera in Proverbiis Solomonis XXVIII, omnino reperitur ; quem librum Sapientiam Solomonis frequenter apellat auctor noster.

VII.—*In die redemptionis.* Consentit cum iis græcis codicibus qui legunt ἐν ἡμέρᾳ.

IX. — *Sic adimplebitis legem Christi.* Eodem modo textus hic laudatur epistola *ad Antonian.* quasi legisset. οὕτως πληρώσετε τὸν νόμον τοῦ Χριστοῦ.

X.— *Non nisi soli Deo subjecta.* LXX legunt Οὐχὶ τῷ θεῷ ὑποταγήσεται ἡ ψυχή μου ; Legisse videtur auctor noster Οὐκ ἢ τῷ θεῷ. Vulgatus interpres imperative effert, *Verumtamen Deo subjecta esto anima mea.*

Responderunt autem Sidrac. Locus hic Cypriani animo semper fere obversabatur Non modo in his libris, sed in *Exhort. martyr.*, Epistola *ad Thibaritanos*, et *ad Rogatianum* in medium profertur.

XI.—*Lumbi vestri præcincti.* Recte locum hunc affert auctor noster, in probationem lemmatis sui Ægypti enim servitus, et in terram Chananææm transitus; statum nostrum sub peccati tyrannide, et libertate Evangelica adumbrabant.

Empti enim estis pretio magno, clarificate et portate. Legisse videtur auctor noster ἠγοράσθητε γὰρ τιμῆς μεγάλης, δοξάσατε, καὶ βαστάσατε Et quidem posteriori additamento favent exemplaria : certe in lectione hac constans est auctor noster.

Quasi non utantur. In textu græco, ὡς μὴ καταχρώμενοι. Quæ voces non male versionem istam admittunt. Sic Plato Epist. VIII, οὐκ ὀρθῶς κατακέχρηται δωρᾷ

Portemus et imaginem. Quod iis exemplaribus consonum ; quæ legunt φορέσωμεν.

Placere ei cui se probavit. De probatione militari plurimæ extant leges imperiales. 1° Origo inquirebatur, ne forte militiæ obtentu nonnulli Curias defugerent. 2° Ætas spectata, scil. ut sit decimus octavus annus expletus. 3° Statura, ut sit quinque pedum et septem unciarum. 4° Status, ut non servi, nec qui vitæ genus ignobile exercebant. 5° Robur, et habitudo corporis : quorum diversa ratio, pro diversitate equestris et pedestris militiæ. 6° Secta, ita Judæi, et aliquando Christiani, armata militia prohibiti.

Vana retractamini. Sectis absurdis adhæretis, in græco textu habetur δογματίζεσθε.

Spiritu sensus vestri, νοὸς ὑμῶν. Iisdem verbis locum hunc effert Tertullianus lib. *de Anima*, c. 43.

In justitia, in sanctitate et veritate Libri impressi passim legunt ἐν δικαιοσύνῃ καὶ ὁσιότητι τῆς ἀληθείας. Sed plurimi codices mss. lectionis auctoris nostri accedunt, nimirum ἐν δικαιοσύνῃ, καὶ ὁσιότητι, καὶ ἀληθείᾳ.

Quomodo Deus manet in æternum. Additamentum hoc alibi unde videtur peti um.

Pascha nostrum immolatus est Christus. Impressi legunt Πάσχα ἡμῶν ὑπὲρ ἡμῶν ἐθύθη Χριστός. Sed mss. exemplaria passim habent Πάσχα ἡμῶν ἐθύθη Χριστός. Cui lectioni vulgatus interpres consentit.

XII —*Et si vane juraverit.* Post versum 10 omittitur undecimus, et apponitur duodecimus ; quia non opus ut quis perjurii crimen exaggeret, cum constiterit frequenter aut levi de causa vere jurare non licere.

XIII.—*Ad ædificationem fidei.* Exemplaria impressa habent πρὸς οἰκοδομὴν τῆς χρείας : sed pro lectione auctoris nostri stant plurimi mss. et habent πρὸς οἰκοδομὴν τῆς πίστεως.

Benedicentes et non maledicentes. Pro εὐλογεῖτε, καὶ μὴ καταρᾶσθε, legisse videtur noster εὐλογοῦντες, καὶ μὴ καταρώμενοι.

XV — *In hostiam.* Habetur hic textus in Epist. *ad Rogat.* Et utrobique legitur, *in holocaustum hostiam.* Cyprianum tamen scripsisse puto, *in holocaustoma ;* sed librarii ex loco Sapient. III, 4, qui sequitur, et ingeniis suis, ad immutanda omnia nimium proclivibus, corrigendum putaverant, et reposuere *in holocaustum hostiam.*

XVI.—*Liberat de malis.* Si verax testis in causis civilibus, et communis vitæ negotiis tantum valet : multo magis qui Dei causa martyr.

Tollentes gremia. Idem quod cremia sive fasciculi surculorum aridorum, quæ eodem fere modo colligantur ut manipuli spicarum. Ulpian. l. LV. *De legat. et fidei com.* l. XXXII : *Sed si voluntas non refragatur, et virgultæ, et gremia, et sarmenta, et supramenta materiarum continebuntur.* Columel. liv. XII, cap. 32 : *Mustum in vasa defrutaria deferemus, levique primum igne ex tenuibus admodum lignis quæ gremia rustici appellant.*

XVIII.—*Non est meus discipulus.* Cyprianus pro μου ἄξιος, legisse videtur μου μαθητὴς. Et ita habetur Luc. XIV, 26.

Pro eo qui dilexit nos, διὰ τοῦ ἀγαπήσαντος ἡμᾶς, alii codices legunt διὰ τὸν ἀγαπήσαντα. Vulgatus habet, *propter eum.*

XXI. — *Eadem enim agis quæ judicas* In nostris exemplaribus legimus, τὰ γὰρ αὐτὰ πράσσεις ὁ κρίνων : sed Noster legisse videtur, ἀντὰ πράσσεις ἃ κρίνεις. Et postea pro τοιαῦτα, τὰ κακά.

XXVII.—*Lucet sicut luminaria.* Non indicative, sed imperative intellexit vocem φαίνεσθε.

XXVIII.—*Non posse in Ecclesia remitti.* Hæc prima fronte hypothesi Novatianæ favere videntur ; sed Scripturarum quæ afferuntur suffragia, ad peccatum adv. Sp S. vel saltem graviora flagitia (et quidem prima Christianismi tempora nullam illis veniam fecere) re-tringuntur. Porrro cum ex priscis moribus, publice delinquentes, Ecclesia essent pellendi antequam ad pœnitentiam admitterentur ; recte dicetur, non posse in Ecclesiam istiusmodi flagitiosis remitti. In eamdem mentem dicit auctor noster lib. *de Habitu Virg.: Nulla sit venia ultra delinquere, postquam Deum nosse cœpisti.* Vid. ad Hebr. VI, 4.

XXIX.—*De sæculo essetis.* Corrumpere et corrumpi, sæculum vocatur.

XXX. — *Quod quis Deo voverit.* Pamelius suo more vota monastica hinc nobis commendat ; parum memor, nec temporis, nec scripti istius rationem, istiusmodi vota posse respicere.

Maledictus qui facit opera Dei negligenter. Gentes Chananeæ per anathema seu חרם devotæ ; unde qui in bellis istis quæ Dei auspiciis gerebantur, victis pepercit, tamquam juramenti violati reus peragebatur. Porro bella non sine votis olim suscepta, Abrahæ, Jephthæ, Israelitarum passim exemplis liquet.

XXXI. — *Non resurgent impii in judicio.* Judæi in illa erant sententia, se solos in judicio venturo sistendos.

XXXII — *Generant et generatur.* Græca quædam exemplaria, cum bona Pamelii venia, legunt γεννῶνται καὶ γεννῶσι. Quod sequitur minus latinum, *non nubunt, neque nubuntur*, apud omnes fere Patres Latinos retinetur ; vix enim aliter voces in græco textu, οὔτε γαμοῦσιν, οὔτε ἐκγαμίσκονται, totidem verbis exhiberentur. Vulgatus interpres Luc. XX. 24, habet, *Filii hujus sæculi non nubunt, et traduntur ad nuptias.* Quod statim sequitur, *neque enim incipient mori,*

Digitized by Google

græcis iis acceptum referendum quæ habent οὔτε γὰρ ἀποθανεῖν ἔτι, ἰσάγγελοι τῷ Θεῷ, τῆς ἀναστάσεως υἱοὶ ὄντες.

Sic et mulier, et virgo. Consentit iis græcis mss. quæ legunt, καὶ ἡ γυνὴ, καὶ ἡ παρθένος ἡ ἀγάμος, μεριμνᾷ τὰ τοῦ Κυρίου.

Nisi panis sanctus unus. Codices LXX quidam habent εἰ μὴ ἄρτος ὁ ἅγιος. quas voces singularem panem denotare credidit auctor noster. Sed exemplaria impressa passim legunt ἡ ἅγιοι ἄρτοι εἰσὶν.

XXXIII. — *Deus judicium tuum Regi da.* Locum hunc Messiæ asserunt auctor noster c. 2 libri superioris. Is qui sequitur Gen. XIX, 24, a Patribus passim ut Personarum in Deitate distinctio comprobetur afferri solet. Videat lector Justin. in *Dial. cum Tryph.*; Iren. l. III, c. 6; Tertul. *adv. Prax*; Cyrill. l. I *in Joan.*; Athanas. *Epist. de Synod.*; Hilar. l. *de Synod.*; Hieron. in XLV *Isai.*; Amb. l. I *de Fide.*

XXXVI. — *Ad Ponticos.* Sic Tert. in *Scorpiaco*

XXXIX. — *Tradebat autem se judicanti injuste.* Codices nostri legunt κρίνοντι δικαίως. Sed legisse videtur noster, παρεδώκειν αὐτὸν τῷ κρίνοντι ἀδίκως, respectu ad Pilatum et Caiphan habito.

In figura Dei constitutus. Tertullianus legit, *in effigie Dei constitutus*, Adv. Marcion. l. v. c. 20. Vulgatus, *in forma.*

XL. — *In abscondito reddet tibi.* Quod sequitur ἐν φανερῷ, in pluribus mss. deest quod olim S. Augustinus observavit. *De Serm. Domini in Monte.* l. II, c. 5.

XLII. — *Fidem in totum.* Sic capite sequente, *in totum delictum in vobis est.*

Justus autem ex fide mea. Hunc locum supra tractavimus lib I *ad Quirin.* l. 5.

XLIV. — *Statim consequi.* Alibi consecutio pro baptismo ponitur c. 97, *ad fidem et consecutionem properandum.* Pariter Tertullianus lib de Bapt. c. 19: *Si qui pondus intelligant Baptismi, magis timebunt consecutionem* Huic opponitur status competentium. Leges Ecclesiasticæ, quæ postquam donum discretionis spirituum cessasset, cavebant nē Judæi et Gentiles aliique indigni præpropere per Baptismum admissi, christiano nomini dedecus inferrent; non debent, nec possunt, gratiæ divinæ præjudicare.

XLV. — *Per patientiam expectamus.* Sic in lib. *de Bono Patientiæ*, et hic loci probati legunt mss. Quod olim legebatur *per spectationem speramus* librariorum barbariei imputandum.

XLVII. — *Defectione deficiat.* Τὰ πάντα non hic tantum, sed etiam in græcis exemplaribus plurimis deesse observasse non pigebit; pariter habet comma proxime succedens, καὶ ἀσθενήσουσι οἱ ἀπιθεῖς, quod Theodotionis erat additamentum, ut græca hebræis responderent. Symmachus rectius vertit καὶ σκάνδαλα μετ' ἀσεβῶν.

XLVIII. — *Non fenerandum.* Usura apud Scriptores ecclesiasticos perpetuo male audit: et merito, quandocumque ob moram pecuniæ ob inopiam non solutæ pretium exigitur. Alia fortasse ratio est pecuniarum quas qui accepit in lucro ponit: nisi quatenus leges positivæ contrarium statuunt, aut scandalum aliter suadet.

Homo autem qui erit justus. Voces istæ ad supplendum sensum a sequentibus appositæ.

Sacramentum fidei. Mysteria nimirum non evulganda: quod in omni religione semper obtinuit.

Quod habuimus facere. Locutio Tertulliano frequens, lib. de Anim. c. 55: *Habes et regionem inferum subterraneam credere.* De pudicitia c. 13: *Erudiri haberent blasphemandum non esse.*

LII. — *Regnum Dei intra vos est.* Posse homines gratiæ divinæ obicem ponere, vix illustriori documento quis ostenderit, quam quod Messiam præsentem usque requirebant Judæi: immo odiis inexpiabilibus prosequebantur.

Nec unus. Magis ad mentem veritatis Hebrææ, habent vulgati interpretes: *Nonne tu qui solus es?* *Ecce breves dies hominis sunt*; sed LXX sequitur auctor noster.

LVII. — *Non exibis inde.* Textus hic affertur ut probet, fidelem emendari malis a Deo immissis in hoc sæculo. Nimirum solus infernus pœnarum proprie dictarum locus

LVIII. — *De qua sola.* Ἐντειλάμην σοι τούτου μόνου habent LXX, qui præiverunt in additione vocis *Sola.*

Corruptivum istud. Eodem modo legit Tertull. *de Resurrect. carnis* passim.

Mors in contentionem. Εἰς νῖκος, apud Apostolum: sed auctor noster, et etiam Tertullianus legisse videntur εἰς νῖκες. LXX posuerunt, Osee XIII, 14, ποῦ ἡ δίκη σου θάνατε; ποῦ τὸ κέντριον σου ᾅδη; Et revera, judiciis forensia nou sine contentione peraguntur: quique causam obtinet, vicisse passim dicitur. Notetur Græcos interpretes דבר non pro *peste*, sed *sententia* a judice prolata accepisse. Insuper legisse non ut nos מוּת sed אמת quod Chaldæum fecisse versu 10 constat. Porro advertere licebit, nonnulla græca exemplaria pro ᾅδη, cum auctore nostro, de nuo legisse θάνατε.

LIX. — *Similes fiant.* Nihil gravius accidere potest Idololatræ, quam ut Deo suo similis reddatur.

LXI. — *Ut auferant proximo* Ita LXX; sed Sym. et Theod. rectius, ἕως τοῦ μὴ ὑπάρχειν τόκον. Vulgat. legit. *Usque ad terminum loci.*

Hic rogatur. Παρακαλεῖται. Nunc mendici partes, mutatis rerum vicibus, agit Dives, et Lazarum rogat. Vulgatus interpres et alii, vocem reddunt in altero significatu, *hic consolatur.*

Habentes exhibitionem. Phrasis Tertulliano perpetua cum de victu quotidiano agit. Vid. lib. *de Idol.* c. 6. 8. 12, *de Corona.* c. 7, *de Monogam.* c. 16. Et quidem locutio a tritura fori quod uterque exercuit hausta: nam *exhibere*, illic sonat vitæ neces arii suppeditare. Paulus in L. Nesennius. ff. de negot. gest.: *Pone, peregre patrem ejus abiisse, et matrem dum in patriam reverteretur, tam filium quam filiam ejus exhibuisse.* Sic Ulp. I, ff. de officio præfect urb.: *Sed et patronos egentes de suis libertis querentes audiet; maxime si ægros se esse dicant, desideremque a libertis exhiberi.*

Et muscipulam. Muscipulam, παγίς. Gloss. vetus. Machina quidem animalculo liguritori capiendo satis apta, sed homini prorsus indigna.

LXIV. — *Continentia castitas.* Consentit iis mss. qui addunt ἁγνεία.

LXVI. — *Continente disciplinam.* Sic reddit locum in lib. *de Habitu Virg* Legunt LXX δράξασθε παιδείας. Fortasse olim scriptum δράξασθε παιδίου amplexamini filium.

LXVII. — *Prurientes in audiendo, scalpentes aures.* Alterum horum videtur ex margine desumptum.

LXIX. — *Si quis putat se sapientem esse in vobis, mundo huic stultus fiat.* Legunt exemplaria nostra εἴ τις δοκεῖ σοφὸς εἶναι ἐν τῷ αἰῶνι τούτῳ, μωρὸς γενέσθω. Noster auctor aliter distinxisse videtur, nimirum εἴ τις δοκεῖ σοφὸς εἶναι ἐν ὑμῖν, τῷ αἰῶνι τούτῳ μωρὸς γενέσθω.

LXXIX — *Quoniam ipsi Deum videbunt.* Qui precantur faciem Domini requirere dicuntur; et quos Deus aversatur, dicitur avertere faciem ab iis.

LXXX. — *Nullam haberes potestatem.* Recte ista, licet Pilato dicta, ad Diabolum referuntur: ait pariter enim Dominus, hanc esse illorum, nempe Judæorum horam, et deinceps subjungit potestatem tenebrarum, Luc XXII, 53.

LXXXIII. — *Non facietis cirrum.* Στύην vertunt LXX, quod Hesychius explicat (si ariolari liceat post Casaubonum et Heinsium) ut sit κουρὰ παρὰ Φασηλίταις. Tonsura in usu apud gentem Palestinæ finitimam Phaselitarum, etc., eo Israelitis vetita. Tertul. *de Virgin. vel.* notat *Germanorum cirros* Quod Tacito interprete, *de Morib Germ.* est, *obliquare crinem, ne doque substringere. Effigies barbæ*, est, ὄψις τοῦ πώγωνος apud LXX.

LXXXIV. — *Periclitabitur in eis si exciderit terram.*

Digitized by Google

Lectio hæc a LXX desumpta, interpunctione tamen mutata. Apud eos verba in duas periodos distinguuntur : Σχίζων ξύλα κινδυνεύσει ἐν αὐτοῖς. Ἐὰν ἐκπέσῃ τὸ σίδηρον, etc. Rectius vulgatus interpres Hebræam veritatem exhibet. *Qui scindit ligna vulnerabitur ab eis. Si retusum fuerit ferrum et hoc non ut prius, sed hebetatum fuerit, multo labore exacuetur.*

XCIV — *Quicumque ederit panem, aut biberit calicem.* Pamelius in locum hunc, lib. *de Lapsis*, ait, *lectionem hanc notatu dignam contra eos qui necessitatem urgent communionis sub utraque specie.* Nimirum, illo judice, hinc conficitur sufficere ad Eucharistiæ perceptionem, ut quis solummodo panem edat : proinde et dicat pariter, non minus sufficere, ut quis calicem solum bibat. Porro ait, *advertendam venire hujus loci expositionem, de præmittenda exomologesi ante Eucharistiam.* Hoc est, confessionem auricularem sacris illis mysteriis necessario prærequiri ; scil. mandatum ut quis *se examinet*, id omnino jubet, ut singuli examen alienum subeant. Certe qui hypothesi suæ sic patrocinium præstat : tacendo impensius commendasset. B

XCV.—*Ne adduxeris impium in habitaculum justorum.* Sacer textus habet אל תארב רשע לבית צדיק, quod vulgatus interpres vertit *ne insidieris*, etc. LXX vero, quos auctor noster sequitur, paraphrasi non incommoda reddunt μὴ προσαγάγῃς ἀσεβῆ νομὴ δικαίων. Videntur pro תארב legisse תעדר.

CXVI.—*Beatus qui invenit amicum verum.* LXX habent, ὡς εὗρεν φίλον, scil, φίλον πιστόν. Sed legisse videtur Cyprianus ὡς εὗρεν φίλον, scil, φίλον πιστόν.

CXVII — *Ad consecutionem properandum.* Consecutionem, baptismum notare supra dictum est. Ob hanc Baptismi moram olim olim in Ecclesia infames, sed pro temporum ratione hac in re variatum est. Tertul. in contraria fuit sententia lib. *de Bapt.* cap. 19 : *Si qui pondus intelligant Baptismi, magis timebunt consecutionem, quam dilationem.*

XCVIII.— *Dum veniunt bona.* Legisse videtur Cyprianus ἕως, aut ἐφ' ᾧ. Scil. hoc intervallo fruamur, et C voluptatibus indulgeamus, donec baptismus veniam præteritorum omnium concesserit.

C. — *Qui viderit possidebit ea.* Vide quæ diximus in c. 6 l. II *ad Quirin.*

CVII. — *Noli diligere detrahere ne extollaris.* Hebræa veritas habet אל תאהב שנה פן תורש et Vulg. *Noli diligere somnum ne te egestas opprimat.* Sed LXX cum nostro legunt μὴ ἀγάπα καταλείπειν, ἵνα μὴ ἐξαρθῇς. Diversitatis hujus ratio petenda videtur ab homonymia vocis שנה, quæ non *somnum* modo, sed et *iterationem* significat, et in dialecto hebræa maledicentiam et obtrectationem. Prov. VII. 9 שנה דבר a vulgato interprete redditur, *Qui alteri sermonem repetit*, et XXVI, 11, כסיל שנה באולתו pariter reddi potest *stultus iterans in stultitia sua.* Vox *extollaris*, idem videtur velle, ac si dictum esset, *e medio tollaris.*

CXIII.— *Filius altissimi si obedieris.* Voces *si obedieris*, redundant : nisi forte illæ quæ sequuntur καὶ ἀγαπήσει, per errorem lectæ fuerint εἰ ἀγαπήσῃς, aut quid simile. D

CXIV.—*Exomologesin.* Pœnitentiam nimirum. *Exomologesis* enim est, definiente Tertulliano, *prosternendi, et humilificandi hominis disciplina.* Ex hac voce ista in periodo plura excolpere, est nodum in scirpo quærere ; quam operam libenter Pamelio reliquimus.

CXVII —*Harum tenebrarum.* Deest etiam in Græcis quibusdam codicibus, vox αἰῶνος.

Perfeceritis, stetis. Consentit cum iis mss. qui omittunt στήτε οὖν.

CXIX.— *In homine veniat.* Homo futurus est. Quod reges Assyrii et Chaldæi Israelitis, hoc Antichristus Christianis. Quemadmodum ergo sub Luciferi cœlo ruentis schemate, regis Babyloniæ clades designabatur Isai XIV, 12, pari etiam terroris apparatu a primis Christianis descriptus erat Antichristus, ut sit nimirum malus quidam genius, et cacodæmonum princeps. Tert. *de Resurrectione carnis* c. 25 : *Bestia Antichristus, cum suo pseudopropheta certamen Ecclesiæ Dei inferat, atque ita Diabolo in abyssum relegato etc.* Quæ respicere videntur Apoc., XX, ubi *Draco, Serpens antiquus, qui est diabolus et Satanas* describitur Certe Hippolytus martyr aperte erat in illa sententia, Antichristum fuisse ipsum diabolum phantastico et aereo corpore contectum.

Sanguinis effusione. Græca habent καὶ αἵματος, καὶ πνικτοῦ. Si verbis istis interdictus esset sanguinis esus, tantum abesset ut juberentur Christiani abstinere ab effusione sanguinis ; ut, quod Augustinus *contra Faustum Manichæum*, l. XXXII, cap. 19, recte admonet, opus esset ut cautum sit, *Ne quicquam ederent carnis, cujus sanguis non esset effusus.* Unde Levit. XVII, 13, id ipsum in mandatis datur, ut *Sanguis tamquam aqua effunderetur.* Quamobrem plerique ex veteribus, qui in ea erant sententia, sanguinis mentione ejus esum fuisse interdictum, Suffocati mentionem, velut supervacaneam præteriere. Cujus autem, quantique momenti sit illud additamentum, καὶ ὅσα ἂν μὴ θέλητε ὑμῖν γίνεσθαι, ἑτέροις μὴ ποιεῖν, et utrum hæc, præcepta filiis Noachi data respiciant, viderint eruditi.

DE HABITU VIRGINUM.

Librum hunc Cypriano asserunt Pontius, Hieronymus, Augustinus, atque ex veteribus alii : ita ut de scriptore nulla sit controversia. Scriptionis vero tempus non pariter in confesso. Doctissimus Rigaltius post episcopatum compositum censet, et Pamelio, dicam, impingit, quod putaret *ab auctore conscriptum cum primum in Ecclesia Christi, ex pulpito excessisset :* remque sibi confectam extra controversiæ aleam credit, ex Pontii verbis, qui ait, *Finge nunc illum martyrii dignatione translatum. Quis virgines ad congruentem pudicitiæ disciplinam, et habitum sanctimonia dignum coerceret? quæ verba*, inquit, *tam clare significant hunc de virginibus libellum, a Cypriano post persecutionem editum fuisse, quam inscriptum de Disciplina et Habitu Virginum.* Nos vero, qui in principio operis adnotavimus, verba illa Pontii, *Quis emolumentum gratiæ per finem proficientis ostenderit*, librum illum ad Donatum *de Gratia Dei* respicere ; non obstante apologia illa pro secessu ejus quæ a scriptis ibi memoratis instituitur : et siquidem in confesso apud omnes, immo ipsum Rigaltium, sit, librum ad Donatum, a Cypriano conscriptum, *cum primum apud Ecclesiam nomen profiteretur :* affirmare minime dubitamus, ex prædictis Pontii verbis, de ordine scriptorum martyris nostri, nihil certi posse colligi. Eruditissimus Lombertus, Rigaltii sententiam alio argumento, ex Hieremiæ verbis infra laudatis, propugnare satagit ; ubi dicit Propheta : *Dabo vobis pastores secundum cor meum, et pascent vos pascentes cum disciplina :* ac si liber *de Habitu virginum* conscriptus, disciplinæ ecclesiasticæ istus modi esset pars, quæ episcopo soli competeret. Sed hoc nemo dixerit, quisquis memnerit plures libros eo argumento a Tertulliano presbytero elucubratos. Certe majoris videntur ponderis quæ in causæ suæ præsidium attulit Pamelius, verba citans auctoris nostri, quando dicit, *virgines se alloqui, virgines adhortari, affectione potius quam potestate : non quod extremus et minimus, et humilitatis suæ admodum conscius, aliquid ad censuram licentiæ vindicaret*, etc Parum omnino iis notus Cyprianus, quibus post Episcopatum, ita locutus, cen schemate rhetorico, videtur. Demum si quis diffluentes feminarum mores, promiscuum balneorum usum, et splendidum vestium apparatum, hoc in opere notatos observaverit, haud facile sibi in animum induxerit, persecutionis Decianæ tempora describi. Stet ergo, tractatum hunc ad an. CCXLIII, et ad illa quæ, teste Pontio, *presbyter fecerat* Cyprianus, referendum. Veterem libelli hujus titulum, quem editio

Digitized by Google

Spirensis, Vetus inveminata, Reuboldi, Erasmi, Manutii, Gravii, et plerique mss. codices tuentur; quique simplicissimus videtur, et operis contenta commodissime exhibet, nec non Tertulliani nomenclaturæ proxime accedit, retinendum censuimus. Tertullianus, lib. *de Cultu Fem.* docet, *Habitum duplicem speciem circumferre, cultum et ornatum.* De his Septimius secrsim egerat in libris *de Cultu Feminarum* et *de Virginibus velandis*. Cum vero rem totam unico volumine absolvere statuisset Cyprianus, nihil instituto ip ius accommodatius esse potuit, quam ut in fronte operis *Habitum*, vocem latissimæ significationis adhiberet. Pontium, S. Martyris libros describere potius quam citare, res est manifesta; unde licet ille de *congruente pudicitiæ disciplina, et habitu sanctimonia digno*, mentionem faciat; non proinde titulum libri extendendum existimamus. Non magis quam quia S. Hic on. librum hunc, *volumen de Virginitate* appellat, *Epist. ad Eustoch.*, sic inscribendum censemus.

I.—*Disciplina custos spei.* Utramque fere Tertulliani paginam implet *disciplinæ* vox; et apud eam omne pietatis officium hoc elegio censetur. Patientiæ, fidei, orationis, sanctitatis, monogamiæ, pudicitiæ disciplinam passim commendat. Et tractatu n huic supparem de Virginibus velandis, disciplinæ mentione sæpius repetita incubat, atque ibi lem Paraclito suo hanc institutionis prærogativam tribuit. Cyprianus vero, magistrum ad aras sequitur; felicissimis auspiciis, ita imitatus semper, ut corrigat; atque ut is sit quem alii tuto imitentur Quæ hic congerumur S. Scripturæ testimonia, reperire est Epist. IV (ad Pamelii numeros 62) *de Virginibus*. Et quidem auctori nostro solemne est, pari in causa, iisdem armis ex litteris productis pugnare.

Retinaculum fidei. Cui, ceu funi nautico, fidei anchora alligatur. Sed contrario prorsus sensu Tertul., lib. *de Cultu Fem.* II, vocat mundum muliebrem, *retinacula spei nostræ*, scil. quæ spem non sustinent; sed morantur.

II.—*Vivendi timorem.* Dixerat supra, *Fundamentum omne religionis ac fidei, de observatione ac timore proficiscitur.* Insuper statim, *Ne quod sanctum et purum de Domini dignatione percipitur; minus sollicito timore teneatur.*

III.—*Nunc nobis ad virgines sermo est.* Locum hunc affert D. Augustinus *de Doctrina Christiana*, l. IV, c. 21, in exemplum temperatæ dictionis Porro observat, quod in libello hoc *Martyr Cyprianus ac habitu virginum, non de suscipiendo virginis proposito scripsit.*

Has adhortamur, affectione potius quam potestate. Similiter Tertullianus, *de Cultu Fem.* l. II, *Ancillæ Dei vivi, conservæ et sorores meæ, quo jure deputor vobiscum postremissimus*; et deinceps: *Utinam miserimus ego in illa die Christianæ exultationis, vel infra calcanea vestra caput elevem.*

Spadones qui seipsos castraverunt. Tertul. dixit, *qui se Spadonatui obsignant propter regnum Dei.*

V.—*Neque enim fas est virginem, ad speciem formæ suæ comi.* Infra se interpretatur, dum ait, *Omnia licent, sed non omnia expediunt.*

VI.— *Quando in nominis confessione cruciatur.* Tertull. prius dixerat, *Cum propter Christum lacerata duraverit.*

VII.— *Et hic cum sæculo remansura.* Quæ morituri relinquere coguntur.

Cujus pompis et deliciis jam tunc renunciavimus. Tertull. de Spectac., c. IV: *Cum aquam ingressi Christianam fidem in legis suæ verba profitemur, renunciasse nos diabolo, et pompæ et angeli ejus, ore nostro contestamur.*

Quomodo et Deus manet. Additamentum hoc in Græcis non comparet.

IX. —*Sic vivis ut possis adamari.* Tertull. lib. *de Virg. vel.* rem sic explicat: *Arabiæ fœminæ ethnicæ, quæ non caput sed faciem quoque ita totam tegunt; ut, uno oculo liberato, contentæ sint dimidiam frui lucem, quam totam faciem prostituere. Quas propterea infelicissimas ait Romana quædam regina, quod adamare magis, quam adamari possint.*

X.—*Non utantur* Vide l. III *Test. ad Quir.*, c 2.

Petrus etiam. Si in tanta dignatione Apostolus, ultimam paupertatem subibat; frustra sibi placeat fœminæ christianæ in divitiarum affluentia.

XI.— *Describitur civitas meretrix.* Locum hunc pariter laudat Tertullianus l. II *de Cultu Fem.*, c. 12: *Illa civitas valida, quæ super montes septem, et plurimas aquas præsidet*, etc. Vid. lib. III *Testim. ad Quir.*, c. 56.

XIII. — *Incessu pedum trahentes tunicas.* Has una voce Homerus appellat ἑλκεσιπέπλους.

Principales filiæ Sion Vulgatus ad Hebræam veritatem accommodatius reddit: *Decalvabit Dominus vertices filiarum Sion.* Quod postea exinde dicitur, *revelabit Dominus habitum*, ἀνακαλύψει τὸ σχῆμα, quædam exemplaria felicius legunt αἰσχύνην.

Lunulas. Μηνίσκοι sunt ex Symmachi sententia μανιάκια, et Hesychii περιστραγγάλια, μανιάκια, περιδέραια, revera LXX conjungunt μηνίσκους καὶ τὸ κάθ-μα. κάθημα autem interprete eodem Hesychio ὁ κατὰ στηθους ὅρμος, scil. monile collo circumdatum, appensa gemma solet ornari. Respectu cujus Hieronymus vertit lunulas, *bullas dependentes ad lunæ similitudinem.*

Discriminalia. Acus discriminalis, apud latinos scriptores res satis nota. Hac Fulvia mortui Ciceronis linguam transfixit.

Botronatum. Quicquid ex adverso senserint Rhenanus et Pamelius, videtur botronatus aurium ornamentum. Hesichius dicit βοτρυόδη ἐνώτιον εἶδος. Horum botronatuum meminit Tertul., l. II *de Cultu.*

Dextralia. Quæ fuerint ἀντίδεξια hæc, vix felicius intelligitur, quam ex Tarpeiæ virginis pacto, quæ, referente Plutarcho, prodidisse dicitur arcem Romæ Sabinis ἐκθυμάσασα τῶν χρυσῶν βραχιονιστήρων. Vid. Exod. XXXV, 21; Num. XXXI, 50; II Reg. I. 10. Aquila χλιδῶνα βραχ'ονος βραχιάλων. vertit. Sed in istis omnibus græca ab Hebræis, latina ab utrisque, et auctorem nostrum ab universis plurimum discedere nemo mirabitur; qui gestaminum, præsertim muliebrium, in qualibet gente, et quovis sæculo, infinitam varietatem considerat.

XIV. — *Neque enim Deus coccineas.* Tert., *de Cultu fœm.* l. II, c. 10: *Nimirum enim Deus demonstravit succis herbarum, et concharum salivis, incoquere lanas; exciderat illi cum universa nasci juberet, purpureas et coccineas oves mandare.* Hieron. in Vita Marcellæ eodem modo rhetoricatur.

Peccatores et apostatæ angeli. Tert., l. I *de Cultu fem.*, c. 2: *Illi scil. angeli qui ad filias hominum de cœlo ruerunt*, etc. Hac etiam in sententia versabantur Lactant., l. II, c. 15; Euseb. *de Præp.* l. V; August. *de Civit. Dei* l. XV, c. 23

XV — *Si quis pingendi artifex.* Hæc D. Augustinus late exequitur, tamquam exemplum grandis dictionis, loco prælaudato, *de Doct. Christ.*

Æmulo colore. Cujus pulchritudinem omnes æmulentur.

Tu ad vincendam Domini tui vocem. Ita Tertul. *de Cultu* l. II, c. 6: *Sed enim Dominus ait: Quis vestrum potest capillum atrum ex albo facere, aut album ex atro, itaque revincunt Deum.* Et paulo post: *Mirum quod non contra dominica præcepta contenditur, ad mensuram neminem sibi adjicere posse pronunciatum est, vos vero adjicitis ad pondus colluras quasdam*, etc.

XVI.— *Capillos jam tibi flammeos auspicaris.* Tert. ibid.: *Pessime tibi auspicentur flammeo capite.*

Peccas capite. Respicere videtur, non, quod vult Rigaltius, diminutionem capitis ex jure Romano; sed verba Apostoli, I Cor. XI, 10, καταισχύνει τὴν κεφαλὴν. Porro meminisse verborum Magistri putarem, dicentis: *Sciant quia totum caput mulier est, limites et fines ejus eo usque porriguntur, unde incipit vestis.*

XVII. — *Cum resurrectionis dies venerit.* Idem ibi su-

Digitized by Google

pra : *Videbo an cum cerussa, et purpurisso, et croco, et illo ambitu capitis resurgatis.*

XVIII.— *Et quoniam* Sensus verborum non aliter consistere posse videtur, nisi cum sequentibus cohæreant.

Verba turpia. Fescennini versus, prorsus obscœni, *qui*, ut ait Festus, *canebantur in nuptiis.*

XXIII.— *Majoris gratiæ præmium.* Ultra modulum gratiæ Baptismalis, annis juxta et pietate adultis, uberiora Deus concedit dona : sed vix ulla magis expetenda, quam quæ carnis desideriis domandis vires suppeditant.

DE UNITATE ECCLESIÆ LIBER.

De Unitate Ecclesiæ. Liber hic, ad solvendum Novatiani schisma conscriptus, non tantum Cypriano asseritur ex Pontii, et D. Augustini l. II, *cont. Cresc.*, c. 33, aliorumque e veteribus ejusdem mentione : sed ipsius Cypriani Ep. LIV (ad Pamelii numeros 51), testimonio. Is enim ibidem agnoscit libellum a se compositum, qui *expressit catholicæ Ecclesiæ unitatem.* Quæ verba volumen hoc respicere, nemo facile dubitaverit. Vocis *Catholicæ* in libelli titulo additamentum quod passim obtinuit, suffragantibus mss. quamplurimis omisimus, præsertim cum Pontius etiammum contraxerit, singulari *unitatis* vocula tractatum hunc designans. Porro D. Aug., loco prælaudato, disertis verbis librum hunc *Epistolam de Unitate* appellasse certum est. Cui nomenclaturæ accedere videtur Facundus l. I, p. 16, loco a librariis (quod recte observat Eruditissimus Lo bertus) male multato : non enim librum Cypriani *de Trinitate* qui nullus erat, sed *de Unitate* laudare voluit, quod locum ipsum inspicienti erit manifestum. Remboldi editio aliam reposuit formulam, scil. *de simplicitate Prælatorum*, a principio libelli petitam; ubi dicitur moneri nos, esse *ad innocentiam simplices, et tamen cum simplicitate prudentes.* Tale quiddam accidisse in præcedente Tractatu observavimus, apud illos qui titulum instituerunt : *De disciplina et habitu Virginum.* Tempus quod attinet elucubrati operis ; ex illius argumento et Epistola superius laudata ; post Cornelii pontificatum, Novatiani schisma, et Confessorum defectionem conscriptum ; porro ante ejusdem Cornelii martyrium, immo ante confessorum reditum in Ecclesiam, nempe an 251 Romam transmissum fuisse constare censemus.

VI.—*Ili tres unum sunt.* Faustus Socinus Commentariis suis in hanc periochen ait : *satis constare illam esse adulterinam, et ab hominibus qui suum dogma de trino et uno Deo, quacumque ratione defendere ac propagare volebant, in locum hunc infartum.* Addit porro, *quod Hieronymus, ut is qui, ut recte de eo Erasmus alicubi scribit: non satis prudenter sæpe ad victoriam, et ad causæ suæ defensionem et favorem multa trahebat, nactus forte exemplar aliquod, aut etiam plura exemplaria in quibus particula ista* (nempe triplicis testimonii Patris, Verbi, et Sp. sancti in cœlo testantium) *ita adjecta fuerat ut, frons animadverti non possit, adversus fidem aliorum omnium exemplarium, tam Latinorum, quam Græcorum, lectionem particulæ illius tamquam germanam defendere et promovere cœpit, conquerens publice, cum culpa et fraude hæreticorum abrasam à vulgatis codicibus fuisse.* Cui gravissimæ calumniæ de D. Hieronymo falsario, et S. Scripturarum interpolatore, amoliendæ : sufficere poterit, Cyprianum citasse non modo ante Hieronymi tempora, sed Arii ipsius, et litem de dogmate illo (quod adeo displicet Socino) de trino et uno Deo, scriptorem, qui tamen hic loci, et in Epistola ad Jubaianum hanc periopen agnoscit. Immo hoc a Tertulliano præstitum, libro *adv. Prax.* cap 25. Interim mirari subit, hanc D. Hieronymi Epistolam, quæ crucem primum Erasmo, et dein Socino et ejus sequacibus figebat quæque non modo ab ipsis, sed libris mss. passim, et fere omnibus codicibus impressis antiquioribus, et interpretum commentariis agnita est. Et, ut distinctius paulo agam, habetur in Bibliis latinis quæ prodierunt Norembergæ an. 1475. Venetiis an. 1498. Basil an. 1506. Lugduni an. 1520. Paris. an. 1563. Lugdun. an. 1589. Antuerp an. 1617, hoc nostro sæculo, quasi præstigiis quibusdam oculos perstringentibus prorsus disparuisse. Utrum hoc ex casu, an maleficio contigerit, dispiciant eruditi. Epistolam ipsam quia brevis est, neque nunc dierum in promptu habetur, apposuisse non pigebit. *Incipit Prologus in Epistolas canonicas Non ita est ordo apud Græcos, qui integre sapiunt, fidemque rectam sectantur, Epistolarum septem, quæ canonicæ nuncupantur sicut in latinis codicibus invenitur. Ut quia Petrus est primus in ordine Apostolorum, primæ sint etiam ejus Epistolæ in ordine cæterarum. Sed sicut Evangelista dudum ad veritatis lineam correximus, ita has proprio ordini, Deo juvante, reddidimus; est enim una earum prima Jacobi, duæ Petri, tres Joannis, et Judæ una. Quæ si sicut ab eis digestæ sunt, ita quoque ab interpretibus fideliter in latinum verterentur eloquium, nec ambiguitatem legentibus facerent nec sermonum sese varietates impugnarent, illo præcipue loco ubi de Unitate Trinitatis in prima Joannis Epistola, positum legimus. In qua etiam ab infidelibus translatoribus, multum erratum esse a fidei veritate comperimus, trium tantummodo vocabula, hoc est, Aquæ, Sanguinis et Spiritus, in ipsa sua editione ponentibus; et Patris Verbique ac Spiritus testimonium omittentibus, in quo maxime et fides Catholica roboratur, et Patris ac Filii et Spiritus sancti una divinitatis substantia comprobatur. In cæteris vero Epistolis, quantum a nostra, aliorum distet editio, lectoris judicio derelinquo. Sed tu, virgo Christi Eustochium, quam me impensius Scripturæ veritatem inquiris meam quodammodo senectutem invidorum dentibus corrodendam exponis, qui me falsarium, corruptoremque sanctarum pronuntiant Scripturarum. Sed ego in tali opere, nec æmulorum meorum invidiam pertimesco, nec sanctæ Scripturæ veritatem poscentibus denegabo.*

VII. — *De superiore parte.* De seipso, et doctrina sua, et regeneratorum nativitate secunda, ἄνωθεν sive superne venientibus, passim agit Dominus noster. Ad eamdem ergo mentem vocem illam hic loci trahit D. Cyprianus; et Unitatem, ceu cœlo lapsam, tunica Christi, quæ ἄνωθεν ὑφαντὸς δι' ὅλου adumbrari statuit. Hujus interpretamenti meminit Chrysost. Homil. πέ Sed concludit τοῦτο δὲ ἐμοὶ δοκεῖ λέγειν αἰνιττόμενος τὸ ἀντελὲς τῶν ἰματίων.

IX — *Cum generant, simul filios edere. Amor utrique soboli æqualis*, inquit Plinius, qui l. X, c. 34, late columbarum œconomiam describit : *Pudicitia illis prima, et neutri nota adulteria, conjugii fidem non violant; communemque servant domum. Nisi cœlebs aut vidua nidum non relinquit*, etc.

X.—*Episcopi sibi nomen assumunt.* Qualis nimirum erat Novatianus Per *temerarios convenas* intelligendi veniunt tres ex Italia evocati episcopi, qui ordinationi Novatiani manus suas commodabant.

Tractatus Sermones. Sic Epist. LXXVII (ad Pamelii numeros 78) dicitur, *non desinis tractatibus tuis sacramenta occulta nudare.* Et statim, *Omnibus in tractatu major, in sermone facundior.* Quin hoc ipso opere, *Tractatu longo.* Hinc fluentibus sæculis *tractatores* dicebantur, qui concionem coram populo haberent. Glossæ Cyr. ὁμιλητικός, *tractator.*

XI.— *In substantia mea.* Ponitur pro eo quod LXX habent ἐν ὑποστήματι, qui legisse videntur בִּיסֹדִי. Hesychius per πλῆθος explicat ὑπόστημα.

Quando aliud Baptisma. De dogmate hoc alibi dabitur dicendi locus.

XII.— *Corruptores Evangelii.* De hoc hæreticorum sacrilegio videndi sunt Iren. l. III, c. 5; Tertul. de *Præscript.* c. 17 et 53, *Adv. Marc.* l. V, c. 18; Euseb. Hist. l. V, c. 28; Augustin. hær. 46. *de Manich.* et hær. 70; Theodorit. l. II Hæret. fab. c. 5.

Digitized by Google

Spiritu roris. Irrorati erant Spiritus refrigeriis Sed si hæc verborum mens sit, accommodatius dicerctur, ipsos Spiritus roris animatos fuisse. Unde suspicio subit, auctorem scripsisse, *Deum simplices atque inter se unanimes, spiritu oris animasse.* Quæ loquendi formula in S Litteris satis est usitata.

XIV.—*Tales etiamsi occisi.* Effatum hoc, quod perpetuo inculcat Cyprianus, Ecclesiam orientalem permeavit De illo enim D. Chrysost in *Ep. ad Ephes.* Serm. 11, hunc respiciens ait Ἀνὴρ τις ἅγιος εἶπέ τι δικαίων εἶναι πολεμηρὸν, πλὴν ἀλλ' ὅμως ἐφθέγξατο τι δὲ τοῦτο ἐστιν; οὐδὲ μαρτυρίου αἷμα ταύτην δύνασθαι ἐξαλεῖψαι τὴν ἁμαρτίαν ἔφησεν. Quantum nefas et prorsus inexpiabile sit schisma, reliqui Patres nos passim docent. Clem. Ep. *ad Corinth.*, Ignat. Ep. *ad Smyrn. et Ephes.*, Iren l. iv. c. 62, Dionys. Alex. ap. Euseb. l. vi. c. 45, Firmilian. *Ep. ad Cypr.*, Optat. l. i, Fulgent. *ad Monim.* l. ii, August. *cont. Parm.* l. ii c. 2, Vincent. Lirin. c. 34, Prosp. *de Prom. et prædict.* impl. c, 5.

XV. — *Merita nostra mercedem.* Merces ista ex Dei beneplacito, qui sua dona in nobis coronat. Quando de *meritis* apud auctorem nostrum mentio habetur, recurrendum est ad celebratissimum ejus lemma, a D. Augustino, tamquam oraculum sæpius laudatum l. iii *ad Quirin.* c. 4 : *In nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit.*

Compendio breviante. Eamdem phrasin habet auctor noster, in Præfatione primi libri *ad Quirin.*

XVI. — *Habentes deformationem religionis.* Μόρφωσιν εὐσεβείας, inquit Apostolus. Deformationem pro descriptione sæpius ponit Tertull.: *Utriusque exitum deformans, Herodis tormenta, et Joannis refrigeria,* Adv. Marc. l. iv, c. 34; *Simulachrum non prius argilla deformat,* Apol. c. 12.

XVII.—*A semetipso damnatus.* Certe nullis mortalium magis quam Novato et Novatiano hæc Apostoli verba quadrant, illi enim non prius ab Ecclesia quam a seipsis secessum fecere. Alter postquam in Africa lapsos omnes sine mora admittendos contendisset, Romam navigans contrarium dogma proposuit, nimirum pro inexpiabili scelere habendum si unquam admitterentur. Alter qui judicio cleri Romani de recipiendis lapsis non interfuit modo sed etiam præfuit; propria manu scripsit, proprio ore publice legit litteras ad Africanam Ecclesiam ea in causa transmissas, in illa ipsa Roma, sententiæ istius, hoc est suæ assertores, apostatis et lapsis adnumerandos docuit; ibique cum episcopatum abjurasset invasit.

XVIII. — *Ubi signantur qui Dominum promerentur.* Non tantum inter Baptismi solemnia, frontibus crucis signum imprimebant Christiani, *Sed ad omnem progressum atque ad lumina motum, ad omne aditum et exitum, ad vestitum et calceatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia ad sedilia, quacumque illos conversatio exercet, frontem crucis signaculo terebant* Referente Tertul. *de Corona Mil.* c. 3. Interim cultus religiosus aberat. *Cruces,* inquit Octavius apud Minut. *nec colimus, nec optamus.*

XIX.— *Plenis satisfactionibus.* Quid plena satisfactio, infra in libro *de Lapsis* discutietur.

XX. — *De confessoribus quosdam.* Perstringit Maximum. Nicostratum Evaristum, aliosque, qui litteris suis Novatianum ad episcopatum commendabant, partesque ejus fovebant.

XXII. — *Exciderunt a fide.* Ἠπίστησαν, *non crediderunt,* reddit vulgatus interpres, sed noster rectius virius concepisse; vox enim illa respicit, quod supedetur dicebatur, ἐπιστεύθησαν τὰ λόγια τοῦ θεοῦ.

XXIII.—*Concordiæ glutino.* Nimirum uno episcopo, Ep. *ad Pupianum* ait : *Ecclesiam esse plebem sacerdoti adunatam, et pastori suo gregem adhærentem.* Optatus episcopum vocat, *sponsum coagulum pacis.*

XXVI. — *Nec decimas damus.* Ex naturæ prius multo, quam legis Mosaicæ præscripto decimas solutas; si minus fidem faciant quæ in lectione LXX Interp. habentur, Genes. iv 7, οὐκ ἐὰν ὀρθῶς προσενέγκῃς, ὀρθῶς δὲ μὴ διέλῃς, ἥμαρτες; certe quæ leguntur capite xiv, 18. de decimis ab Abrahamo pensitatis, id evicerint: præsertim cum mos iste per universum terrarum orbem, quasi publico humani generis decreto, olim invaluerit. Cujus rei testes locupletissimi Herodot. l. i, 2, 3, 9, et passim; Dionys Halic, l. i, 4, 6, Pausan., Eliac., et Phoc.; Diod. Sic. l. i; Plut in quæst. Rom., in Camil., Syll., Lucull., etc.; Arist Œcon. l. ii; Thucyd. l. iii; Justin. l. xviii 20; Cicer. *de Nat Deor.* l. iii; Liv. l. v, c. 21. Cum primum luce Evangelica perfunderetur orbis, oblationibus, primitiis, sportulis, et totius rei familaris in Ecclesiæ subsidium venditionibus, nihil decantatius. Immo Patres antiquissimi de decimis solvendis verbis disertissimis mandant. Iren. l. iv, c. 20, ait : *Sacerdotes sunt omnes Domini Apostoli, qui neque agros, neque domos hæreditant hic, sed semper altari et Deo serviunt. De quibus et Moyses : Non erit sacerdotibus Levitis in tota tribu Levi pars, neque substantia cum Israel: fructificationes Domini substantia eorum, manducabunt eas Propter hoc et Paulus : Non inquiro, inquit, datum, sed inquiro fructum.* Et in eodem lib. c. 27 : *Propter hoc Dominus, pro eo quod est non mœchaberis, non concupiscere præcepit: et pro eo quod est : non occides, neque irasci quidem.: et pro eo quod est decimare, omnia quæ sunt pauperibus dividere. Hæc omnia non dissolventis legem erant, sed extendentis et dilatantis.* Porro c. 34 : *Illi quidem decimas suorum habebant consecratas, qui autem perceperunt libertatem, omnia quæ sunt ipsorum ad dominicos decernunt usus; hilariter et libere dantes, ea quæ non sunt minora, utpote majorem spem habentes.* Sic Origen. in c. xviii Numer.: *Nemo licite nec legitime utitur fructibus quos terra produxit. nec animantibus quæ pecudum protulit partus, nisi ex singulis quibusque Deo primitiæ, id est, sacerdotibus offerantur. Hanc ergo legem observari etiam secundum litteram, sicut et alia nonnulla, necessarium puto.* Et deinceps addit : *Dominus dicit in Evangeliis : Væ vobis scribæ et pharisæi hypocritæ, qui decimatis menthan, hoc est decimam datis menthæ, et cymini et anethi, et præteritis quæ majora sunt legis : hypocritæ, hæc oportet fieri, et illa non omitti. Vide ergo diligentius quomodo sermo Domini vult fieri quidem omnimode quæ majora sunt legis, non tamen omitti et hæc quæ secundum litteram designantur. Quod si dicas quia hæc ad pharisæos dicebat, non ad discipulos ; audi iterum ipsum dicentem ad discipulos : Nisi abundaverit justitia vestra plusquam pharisæorum et scribarum, non intrabitis in regnum Cœlorum. Quod ergo vult fieri a pharisæis, multo magis et majori cum abundantia vult a discipulis impleri,* etc. Mora esset singula huc spectantia perçurrere : consulat is cui otium est, Hilar. *in Matt.* c. xxiv, Expan. Psal. cxviii, Octon. Ile, Nazianz. Orat. v, Hieron. *in Malac.* iii, Chrysost. Hom. 35, in Genes. xviii, in Act. Apost. xiv et Hom. 4, in ii, c. *ad Eph.*, Ambr. *Com. in Luc.* c. xi. l. vii. Serm. 34. in Fer. iii. Serm. in die Ascens., Augustin. *in Psalm.* cxlvi. Serm. de Temp. 166 et 219. Hom. 48. Immo videantur quæ auctor noster habet. Ep. i. ad Pamelii numeros 66, ubi ait Leviticam tribum *de fructibus qui nascebantur decimas recepisse : quod totum fiebat de auctoritate et dispositione divina, ut qui orationibus divinis insistebant, in nulla re avocarentur, nec cogitare, aut agere sæcularia cogerentur. Quæ nunc ratio et forma in clero tenetur, ut qui in Ecclesia Domini ordinatione clerica promoventur, in nullo ab administratione divina avocentur,* etc.

DE LAPSIS.

Lapsus, ubi de moribus agitur, significare solet graviorem quamlibet noxam, qua quis in vitæ cursu non solum titubat et gradu dimovetur, sed prosternitur et decidit. Ita Adami peccatum ejus lapsus passim appellatur. Sed in usu Ecclesiastico illi fere

Digitized by Google

intelliguntur lapsi, qui persecutionis tempore minis aut tormentis cessere; quique *disjecti*, *postrati* et *jacentes* infra dicuntur. Quemadmodum illi qui in fide permansere *stantes* appellati, quos Zach. propheta vide ur adumbrasse, c. III, 7, ubi *ambulanti in viis Domini*, *et custodiam ejus custodienti* promittitur s ers בין העמדים *inter stantes*. Lapsorum variæ fuerunt classes : 1° eorum qui libellis securitatem paciscebantur, et libellatici dicti. 2° Qui thus adolebant, aut de victimis epulabantur; qui thurificati et sacrificati, audiebant. 3° Qui blasphemiis nefas cumulantes Christianum nomen ejurarunt, et apostatæ appellati. Cum vero Deciana clades plurimos variis hisce ruinæ generibus perculisset : iique Novati et Felicissimi et presbyterorum quorumdam qui cum ipsis sentiebant factione; aut etiam martyrum benignis nimium suffragiis sublevati, reditum in Ecclesiam imaudenter postulabant : Cyprianus, quod olim facturum se promiserat, pace Ecclesiæ reddita, quid de singulis statuendum sit librato cum fratribus consilio, decernit. Libellus hic, ut et præcedens de Unitate, Carthagine promum, et ut par est credere, in ipso concilio, lectus; dein Romam transmittebatur, quod ex Epistola 54, ad Pamelii numeros 51, docemur. Voces istæ in fronte operis : *Pax ecce, dilectissimi fratres, Ecclesiæ reddita est : et quod difficile nuper incredulis, ac perfidis impossible videbatur, ope atque ultione divina, securitas nostra reparata est;* satis indicant post Decii mortem, idque statim post nuntium acceptum, libellum hunc Romam fuisse transmissum. Prius autem aliquanto scriptum, et Carthagine publice lectum minime dubito. Plures enim menses, quibus concilium in lapsorum causa frequenter habitum, a Cypriani reditu ad Decii mortem, eamque in Africa renuntiatam, intercessere. Sed auctores id juris in scripta sua perpetuo vendicant, ut quædam subinde propre nata addant, detrahant, et varie immut ent, quod etiam a Cy riano hic loci factum existimo. Scripti hujus meminerunt Pontius, Eusebius, Rufinus, Augustinus, Fulgentius, Pacianus, et alii passim veteres.

II. — *Cohors Candida*. Pariter et martyres dicti a nostro auctore, *Massa Candida*. Sic Tertull *de Coron : De martyrii candida laurea melius coronandus.* Interim respectu habito ad sanguinem fusum, *floridi et russati* alibi appellantur.

Ab impio sceleratoque rel gione. Omnis fere gentilium religio, in mo uorum cultu et placandis diis manibus versabatur; inde habitu funereo et velato capite sacra ut plurimum peragebantur. E contra vero præeunte Apostolo I Cor. XI, 10. Christiani homines nudo capite preces fundebant, feminis tantum modestiæ et obsequii ergo in Ecclesia velatis. Porro obnubilatum caput servilis conditionis signum. Unde servili pœnæ subjiciendus, velamento obductus. *I, lictor*, apud. Liv. I, inquit Horatii pericl tantis pater, *colliga manus quæ paulo ante armatæ imperium populo Romano pepererunt. I, caput obnube liberatoris urbis*, etc.

Frons cum signo Dei pura. Nempe in Baptismi lavacro signata, et spinei Domini Jesu serti memor, admittere non potest aliud capitis gestamen, aut habitum a *candidatis diaboli introductum*, quod ait Tertull. in lib. *de Cor.* qui etiam refert Claudium Saturninum in libro de Coronis; *origines, causas et species et solemnitates earum ita edisserere, ut nullam gratiam floris, nullam lætitiam frondis, nullum cespitem, aut palmitem, non alicujus capiti invenias consecratum.*

III — *Maligna obtrectatione debilitet*. Ut se lapsi excusationes facerent, decebant plurimis inter stantes pariter cum ipsis fuisse succubituros si pariter tentati : si non tunc fuga (quemadmodum Cyprianus) elapsi. In causa non absimili dictum : *Casta est quam nemo rogavit.*

Dies negantibus præstitutus excessit. Proposita fuerant adversus Christianos edicta, ut intra diem præfinitum Christianus quisque, coram præside, proconsule, aliove magistratu profiteretur se renunciare Christo : Ni faceret capite esset plectendus, aut forte bonis exiliove muletandus. Postquam illud tempus elapsum esset, quicumque se non profitebantur, pœnis denunciatis fiebant obnoxii; et proinde inter confessores erant numerandi. Hanc ob causam ait noster, *non præscripta exilia, non destinata tormenta, non rei familiaris damna episcopos terruerunt.*

V.—*Disciplinam pax longa corruperat*. Sulpitius Severus triginta octo annos pacis Ecclesiæ computat; scil. a Severo Imp. ad Decium; siquidem Maximiniani attentata Ecclesiarum aliquarum Clerum dumtaxat percellebant; Africamque intactam reliquerant. Eadem fere dicuntur Epist, XIII. ad Pam. numeros 7.

VI. — *Corrupta barba*. Respicit Levit. XIX 27, ubi interdicitur, ne corrumpantur anguli barbæ. Hac de re vid. l. III, cap. 84, *ad Quir.* De feminarum moribus in lib. *de Cultu* egit.

Jungere cum infidelibus; Respicit auctor monitum D. Pauli II Cor. VI, 14, et I Cor. VII. Vid. l. III *Testim. ad Quirin.* c. 62.

Episcopi plurimi. Hunc locum sæpius attingit D. Augustin. *adv. Donatistas;* vid. l. III, *cont. Ep. Parmen.* c. 2, et l. IV, *cont. Cresc.*, c. 26.

Esurientibus in Ecclesia fratribus. Quamquam Apostolis consultum videbatur, Act. VI, *ut non derelinquerent verbum Dei, et ministrarent mensis*, et inde diaconi subrogati, pauperum tamen cura apud episcopos perpetuo mansit. Quam sollicite hoc procurabat D. Paulus, ejus Epistolæ nos passim docent. De moribus Christianorum sequentis sæculi rationem reddit Justinus Apol. II : Τὸ συλλεγόμενον τῷ προεστῶτι ἀποτίθεται, καὶ αὐτὸς ἐπικουρεῖ ὀρφανοῖς τε καὶ χήραις καὶ τοῖς διὰ νόσον ἢ δι' ἄλλην αἰτίαν λειμπάνουσι, καὶ τοῖς ἐν δεσμοῖς οὖσι, καὶ τοῖς παρεπιδήμοις οὖσι ξένοις, καὶ ἁπλῶς πᾶσι τοῖς ἐν χρείᾳ οὖσι κηδεμὼν γίνεται. Hanc fuisse perpetuam D Cypriani sollicitudinem Epistolæ ejus nescire nos vetant; præsertim Ep. LXII, ad Pam. num 60, ubi redimendis captivis, si rectæ rationes subduxerit Rigaltius, librarum 25,000 erogabantur.

Ad prima statim verba. Terrore hoc inexpectato perculsos Cyp. Ep. LV, ad Pam. num. 57, *Subitatos* appellat. Similem lapsorum in Ægypto hoc ipso tempore stragem late describit Dionysius Alexandrinus apud Euseb. l. VI, c. 41.

VIII —*Ascenderent apprehensi*. Hanc lectionem quam mss. plerique tuentur, commendat similis locutio Cleri Rom. Ep. VIII, ad Pamel. numeros 3 : *Ascendentes ab hoc quod compellabantur revocavimus.*

Ad Capitolium sponte ventum est. Arcem Carthaginensem, imitamentum Romanæ. Novatiani et Donatistæ Catholicos, quod huc ascendentes lapsos recepissent, per contemptum vocabant *Capitolinos*. Sic Pacianus Ep. II : *Numquid Cypriano sancto viro hoc obest, quod populus ejus Apostaticum nomen habet, vel Capitolinum, vel Synedrium?*

Qui jam diabolo renunciarat. Solemnia hæc Baptismi verba Tertul. *de Spectac.* c. 4 et alibi passim inculcat; quod etiam a Cypriano nostro aliisque Patribus factum. Formula hæc antiquissima non aliunde ortum duxit quam a Christianismi initiis, et videtur esse illud ἐπερώτημα de quo D. Petrus I Ep. III, 21, in Judæorum Baptismo, proselytus patriam, parentes et humanitatem ejurabat; Christianus vero, novias cupiditates, sæculi pompas, et diaboli nequitiam abdicat et amandat.

IX.—*Lethali poculo propinata est*. Respicit libamina gentilium, de quibus D. Paulus I Cor. X, 21: *Non potestis calicem Domini bibere et dæmoniorum.*

Infantes quoque. De eorum Baptismo vid. *ad Fidum*. Quem morem late impugnat Rigaltius nous suis in dictam Epistolam, et hic loci dicit : *Hoc sensu permoti censuerunt infantes baptizandos, signum fidei dederunt homini, priusquam esset homo fidei capax.*

Digitized by Google

Signum sine re, ipsius rei vicarium fecerunt. Ex anabaptistarum fæce fanaticus non alia scripsisset. Itane vero infantes fidei prorsus incapaces? Si hoc ratum sit, quemodo Joannes Baptista adhuc a matris utero pleni Spiritu sancto? Porro circumcisio ante legem, et sub ipsa, erat fœderalis ritus qui pro fundamento habuit fidem in Messiam postmodum venturum; quemadmodum ejus antitypus Baptisma sub Evangelio, innititur fide in eumdem Messiam qui advenerat: si vero infantes Israelitarum, licet fidei actualis incapaces, ad circumcisionem recipiendam fuerant idonei; pariter et sanctorum Christianorum nati, eodem obice, fidei scil. defectu, non obstante, Baptismi esse poterint participes Baptizati prudem illi erant Infantes, qui acris et vividi illius *sensus* qui prælertur, specimina dederunt; quare manifestum et perperam dici exinde Ecclesiam *permotam censuisse infantes baptizandos.* Porro ante Cypriani sæculum infantium Baptismum in Ecclesia receptum, Irenæus nos docet l. II, c. 39, qui *renasci apud Deum dicit infantes et parvulos et pueros, et juvenes et seniores.* Similiter Origenes in c. VI ad Rom., ait: *Ecclesiam ab Apostolis traditionem suscepisse etiam parvulis Baptismum dare.* Morem illum Tertulliani sæculo obtinui se, vel hinc constiterit, quod iste contrarium suadeat: *Quid festinet innocens ætas ad remissionem peccatorum?* Quæ sententia adeo plurimis placuit, ut Baptismum ad ultimæ senectutis tempora differendum censerent. Id nimirum satagebant, ut de venia per lavacri salutari expiationem securi, peccandi commeatum sibi facerent.

Amiserunt parvuli. D. August. Ep. XXIII *ad Bonif.* rem sic expedit: *Amiserunt, dixit, quantum attinuit ad illorum scelus, a quibus amittere coacti sunt. Amiserunt in eorum mente ac voluntate, qui in illos tantum facinus commiserunt. Nam si in seipsis amisissent, remansissent utique divina sententia damnandi. Quod si sanctus Cyprianus arbitraretur, non eorum defensionem continuo subjiceret, dicens,* etc.

X.—*Discedite, discedite.* Causam suam agit Cyprianus adversus obtrectatores, qui fugam tamquam rem turpem ipsi impegerunt; hanc ille non modo ceu licitam videtur defendere, sed tamquam rem imperatam commendare: hac ex parte a Magistro Tertulliano longe discedens.

XIII. — *Nunc flagella scinderent.* Pariter tormenta hæc describit Tertul. Apol. c. 30: *Expansos unguiæ fodiant, cruces suspendant, ignes lambant, gladii guttura detruncent, bestiæ insiliant.*

Æmilio aliquando Dominus ignovit. Baptismus sanguinis ex Ecclesiæ veteris sententia non minus certo omnem anteactæ vitæ labem eluebat, quam aquæ lavacrum; proinde cum Castus et Æmilius ad martyrii decus admissi erant, de venia ipsis facta minime dubitandum. Unde Ep. XVIII, ad Pam. numeros 13, lapsos qui ad pacem festinabant sic alloquitur Cyprianus: *Acies adhuc geritur, et agon quotidie celebratur; si commissi vere et firmiter pœnitet, et fidei calor prævalet: qui differri non potest potest coronari* Quod dicitur Dominum *hic aliquando* ignovisse, videtur innuere hoc pridem Carthagine factum.

XV.—*Sanctum Domini.* Infra vocat *sanctificatum in sanguine Domini cibum et potum,* ut recte admonet Rigalt.

Domini corpus invadunt. Duplici S. Scripturæ testimonio se explicat auctor noster; scil. Levit. XVII, 3, ubi dicitur: *Caro sacrificii quod est Domini,* et I Cor. X, 27: *Quicumque ederit panem, aut biberit calicem Domini,* etc. Explicatissime Facundus Cypriani sectator fidissimus, l. IX, c. 5: *Sacramentum corporis et sanguinis Christi, quod est in pane et poculo consecrato, corpus ejus et sanguinem dicimus, non quod proprie corpus ejus sit panis, et poculum sanguis, sed quod in se mysterium corporis ejus sanguinisque contineant. Hinc et ipse Dominus benedictum panem et calicem, quem discipulis tradidit, corpus et sanguinem suum vocavit.*

XVII.—*Sed cum judicii dies venerit.* Respicit locum D. Joan. Apoc. VI, 10, quem statim laudat, ubi dicitur: quod *sub ara Dei animæ occisorum martyrum clamant magna voce, dicentes, quousque,* etc. Veteres in ea erant sententia, de solis martyribus ante diem judicii sententiam fuisse latam, de aliis omnibus amplatura.

XVIII. — *Prius quam vindicetur.* Pax a martyribus concessa, non omnino volebat, antequam coronati fuissent. Vid Ep. Luciani; ubi post Pauli et aliorum martyrum *arcessitionem,* eorum nomine *pax dimittenda* perhibetur. Et merito hoc factum; siquidem non pauci confessores postmodum lapsi vel ipsi fuerant.

XIX — *Nam et Moyses.* Locum hunc laudat Pacianus, Ep. III, et repulsam pati sanctorum preces docet, *si pro non rogantibus petant, si pro perseverantibus in crimine deprecentur, si non singulos, si non paucos, sed millia multa defendant.*

XX. — *Nemo infamet martyrum dignitatem.* Nemo, inquit, convellat privilegium olim illis indultum, ut pro lapsis intercederent; modo intra terminos præfinitos sistatur. Si nimirum quod dicitur Ep. 17, ad Pamel. num. 10, largiatur, *quodlia in præteritum, antecessores eorum martyres concesserunt.* Tert. *ad Mart.: Pacem quidam in Ecclesia non habentes, a martyribus in carcere exorare consueverunt.* Pax vocabatur venia lapsis concessa; qua per eam ad sacrorum, et, speciatim, orationis commercia, et pacis osculum, *orationis signaculum,* Tertulliani sunt verba, admittebantur.

XXI. — *Iram animationis.* LXX posuerunt ὀργὴν τυμοῦ.

XXIV.—*Ad precandam misericordiam.* A Deo Patre, et Filio Domino Jesu Christo quos ejuraverat.

XXV.— *Sacrificantibus nobis.* Vid. quæ diximus ad lib. I *adv. Judæos,* cap. 16. Ad Eucharistiæ mysteria participanda, olim admittebantur infantes statim post Baptismum; ex vi verborum Domini Jo. VI, 53: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Differebantur vero postea ex monitu Apostoli I Cor. XI, 28: *Probet seipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat.*

XXVI.—*Cinerem ferre.* In more erat ut Eucharistiæ participes, accepta panis portione, non solum inter sacrorum solemnia comederent; sed aliquid reservarent, domumque deferrent, ibique vel ante cibum, vel in periculis, aut rerum agendarum auspiciis, sumerent: quemadmodum cum Eulogiis deinceps factum. Mos hic videtur perdurasse usque ad concilium Cæsar-Augustanum. Huc spectat illud Tertul. l. II *ad Uxor.: Nesciat maritus quid secreto ante omnem cibum gustes;* l. *de Orat.: Accepto corpore Domini et reservato.* Panem eucharisticum in Dominicum corpus transsubstantiari, fidem videtur superare; sed majus quiddam si fieri potest; quodque nemo facile dixerit, Dominicum corpus in cineres fuisse conversum.

XXVII.— *Fecisse se dixit.* Putat eruditissimus Rigaltius loco huic lucem accessuram *ab Epistola clericorum Ecclesiæ Romanæ,* ubi timidus Christianus *profitetur se dedisse præmium concussori, sive militi, sive præsidi, ne quod non licet faceret; scil. ne cogeretur sacrificare idolis.* Utique hoc ex Epistola *ad Antonianum,* nimirum Ep. 55, ad Pam. num. 52, uberius illustrari. At verba hæc aliud quiddam innuere videntur; libellatici nempe vice, alium aliquem id egisse aut dixisse, quod in auctorem ex merito rediens, illum denegantem seu lapsum constituat. Species itaque facti quod Cyprianus hic respicit, hæc potius fuerit Christianus male sibi metuens, aut Ethnicum submittit qui ejus personam induens sacrificaret, fidemque ejuraret, et libellum sive chartam certificatoriam obtineret alterius nomine, qua si forte in quæstionem vocari contigerit, is se tueretur, et delatores averteret: quasi legibus imperatorum ab ipso abunde fuerit satisfactum: vel saltem pretio aut prece istiusmodi tesserulam obtineret quæ hæc ita gesta fuisse profitebatur. Et quidem hoc in casu libellaticus rectissime dicetur fecisse: *quicquid alius faciendo commisit, et se infidelem illi-*

Digitized by Google

cita nefariorum libellorum professione prodidisse. Certe nuper apud nos sub Cromvelliana tyrannide, cum rebellium arma optimum principem oppressissent, et victores in eos impotentissime grassarentur quotquot in fide permanserunt; plurimi fuere qui in adversa castra transierunt, et aperte desciverunt, apostatis annumerandi. Multi etiam erant, modestius, ut sibi videbantur, nati, qui tesserulis (cujusmodi traditæ fuerant illis qui fidem rebellibus obligaverant) vel pretio emptis, aut ab indutis personam eorum acceptis; securitatem paciscebantur; jactantes interim, se in fide permanere nec per nefaria fœdera conjuratis consensisse; licet tesserulæ id asserentis, opportuno mendacio se protexissent : quod quidem hominum genus, libellaticis videtur accensendum. Apud Præsidem ipsum totam hanc scenam olim fuisse quandoque adornatum, docet nos prædicta Ep. *ad Antonian.* Et revera nisi ipso conscio, vix commode transigi potuit. Immo demum, nonnumquam coram ipso Præside libellaticos disertis verbis licet privatim, Christum ejurasse constat ex Ep. 66, ad Pam. num. 68, ubi Martialis et Basilides dicuntur *libellis idololatriæ commaculati, et nefandorum facinorum conscientia vincti*, et iterum, *nefando idololatriæ libello contaminati.* Unde etiam in *publicis actis continebatur, Martialem contestatum fuisse, se obtemperasse idololatriæ, et Christum.* Tantillum distabat iste libellaticorum ordo, ab impudenti et aperta apostasia.

Omnes scribentur. Sic. LXX, quasi ad Librum vitæ et Acta Dei judicis respiceretur.

XXVIII. — *De hoc vel cogitaverunt.* Eruditissimus Lombertus recte hinc colligit, *crimina secreta confessione et pœnitentia apud Deum expianda :* nec auricularem confessionem, quod voluit Pamelius, exinde confici. Dicit porro prædictus vir doctus, *Cyprianum hic loqui tantum de pœnitentia publica*, et in dictorum fidem citat Morinum, qui privatam pœnitentiam sæculo septimo imputat lib. VII *de Administ. Pœnit.* Certe Valentiniani et Theodosii ævo, in Ecclesia Romana pœnitentiam, non a presbytero privatim, sed ab episcopo publice ἐν τόπῳ ἐκδήλῳ irrogatam, aperte docet Sozom. *Hist. Eccl.* l. VII, c. 16. Qua de re consulantur annotata eruditissimi Valesii.

XXX. — *Lavacra quotidie celebrat.* Delicatam hanc et sibi blandientem pœnitentiam, vivis depingit coloribus Tertul. sub fin. lib. *de Pœnit.*

XXXI. — *Exomologesin Deo facerent.* Respicit LXX Interpretum adjectilem historiam, ubi tres Pueri in fornacis medio, propria peccata, et totius populi delicta late confitentur. Inde etiam ratio petenda dictorum in libro superiore, nimirum quod pueri prædicti *erant spiritu roris animati :* illic enim dicitur quod Angelus Domini caminum reddidit ὡς πνεῦμα δρόσου διαπνέον. Istis exigenda sunt quæ superius hac in re dicta, p. 81.

Domino satisfacere. Videntur illæ satisfactiones consistere in istiusmodi vitæ tenore et instituto, quæ de pœnitentia serio acta fidem faciant, eamque promoveant atque procurent *per omnem prosternendi et humilificandi hominis disciplinam, conversionem injungentem misericordiæ illicem*, ut ait Tertul. *de Pœnit.* Infeliciter quidem cessit, quod dum prisci scriptores exomologesin et solemnes pœnitentiæ ærumnas satisfactionis nomine ornarunt, arrepta sit ansa Socinianis aliisque hæreticis docendi ipsum Dominum nostrum non aliter satisfecisse : Et ex adverso, cum alii meritorum Christi vindicias meditarentur, ita illum satisfecisse contendant, ut sacrilegii instar sit, si nos pœnales aliquos pœnitentiæ actus adhibeamus. Certe D. Paulus a Corinthiis suis II Cor. VII, 11, videtur exegisse, *non sollicitudinem* modo, *sed defensionem, sed indignationem, sed timorem, sed æmulationem, sed vindictam :* et idem Apostolus, I Cor. V, 2, et II, 12. 21. Ecclesiæ in delinquentes censuras non sine publico luctu irrogari ostendit; et prorsus absurdum videretur ut a noxa alieni in mœrore agerent, cum interim flagitiosi in deliciis volutarent genioque indulgerent. Status hujus luctuosi habitum describit Tertullianus in *lib. de Pœnit* Ut sit, *sacco et cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum mœroribus dejicere, illa quæ peccavit tristi tractatione mutare, cæterum pastum et potum pura nosse, non ventris scil., sed animæ causa, plerumque vero preces jejuniis alere, ingemiscere, lacrymari, et mugire dies noctesque ad Dominum Deum, presbyteris advolvi, charis Dei adgenicularі, omnibus fratribus legationes deprecationis injungere. Hæc omnia exomologesis.* Ergo si ex istis aliquid desideraretur, non erit plena satisfactio. Interea tamen non evanida quævis et perfunctoria delibatio horum operum sufficiet, alibi auctor noster requirit *longam et plenam pœnitentiam*, ut *trahatur diu pœnitentia*, ut *agant pœnitentiam lapsi justo tempore*, ut *non ante legitimum et plenum tempus satisfactionis, pax concederetur :* eique opponit veniam *crudo tempore* factam. Quodnam vero temporis spatium pro maturo et legitimo haberi debeat, non adeo in promptu fuerit statuere. Satis constat, paulo ante, et post concilium Nicænum, et halcyonium Constantini sæculum, cum in Ecclesiam mundus confluueret, et pacem licentia sequeretur; acrioribus exemplis fuisse opus, adeo ut flagitiis quibusdam, 8, 12, 15 annorum, immo vitæ totius, quocunque extenderetur, spatium sit præfinitum. Sed verisimile videtur Apostolorum ævo et deinceps usque ad Montanum, extra casus idololatriæ, mœchiæ, et homicidii, qui forte excipiendi, lenius fuisse actum. Certe pœnitentia incesto Corinthio imposita, qui matrimonii jura crimini suo prætexebat, non ultra intervallum scriptionis primæ et secundæ Epistolæ perduravit. Hoc autem videtur contineri temporis spatio quod impendebatur itineri Timothei ex Macedonia ad Corinthum, et ejusdem exinde reditum. Porro notari poterit, ipsum Cyprianum qui *longam et plenam satisfactionem, justum tempus, et diu tractam pœnitentiam* adeo districte exigit, et forte primus omnium veniam ullam idololatris concessit; ex Concilii ibidem habiti decreto, ubi lapsis pœnitentiam istam injunxerat, pacem illis protinus dandam, hoc est, post semestre fere spatium, monet et contendit. Immo si omne tempus post admissum crimen, nimirum a Decii imperii initiis adjiciatur, certe triennii spatio continebitur. Vid. Ep. LVII, ad Pamelii numeros 5½. Pœnitentia quidem alter baptismus est, et quemadmodum catechumenatus competentiæque mora, ex eorum perfidia ortum duxerat, qui statim in Ecclesiam admissi, eadem facilitate eamdem deseruere; ita fletus, audientiæ, et consistentiæ intervalla, tamquam sufflamina quædam ad pœnitentiæ postliminium, et secundam post naufragium tabulam, interesserant; ut eorum nequitiæ occurreretur, qui de remedio securi, in exitium denuo præcipites ferebantur.

XXXIII. — *Spiritum transpunctionis.* Hic κατάνυξιν reddit vulgatus interpres *soporem ;* sed Rom. XI, 8, habet *compunctionem.* Κατάνυξιν dicit Theophylactus ex mente Chrysostomi τὴν πρὸς καιρὸν ἐπίμονον καὶ ἀμετάθετον ἕξιν τῆς ψυχῆς. καταλύσασθαι γάρ ἐστι τὸ ἐρεθίζουσθαι που, καὶ προσηλοῦσθαι. Hesychius vero ἐνυχίαν reddit.

Dilectum veritatis. Dilectionem nimirum ; ἀγάπην τῆς ἀληθείας. Vulgatus habet, *charitatem veritatis.*

XXXVI. — *Cum conversus ingemuerit.* LXX interpretes in hac lectione præivere, quam haud facile ex textu hebræo elicueris. Hieronymus tamen agnoscit, non modo in Epistola *ad Sabinianum*, sed in *Commentario ;* et dicit quod *juxta anagogen omnes ad pœnitentiam peccatores, et præcipue hæreticos cohortatur sermo divinus, quod cum reversi a vitiis ingemuerint, et egerint pœnitentiam salvi fiant, et tunc intelligant ubi prius fuerint et quod frustra in vanis speraverant.*

Malitias irrogatas Intellige mala pœnæ. LXX habent, μετανοῶν ἐπὶ ταῖς κακίαις. Tert. l. II adv. Marc., c. 24, ait, *Et pœnituit Dominum de malitia quam dixerat facturum se illis, nec fecit.*

Digitized by Google

DE ORATIONE DOMINICA.

De Oratione. Pontius in recensione operum S. Cypriani, post tractatus *de Lapsis* et *Unitate*, hunc memorat, qui *docet Evangelicæ precis legem.* Et hoc fere ordine editores omnes; certe Spir. Vet. innom. Remb. Eras., ut alios præteream, reposuerunt; ita ut librum *de Lapsis* immediate sequeretur. Et revera si quis perpetua ad unitatem tuendam monita, quæ utramque paginam hic implent consideraverit, non alio a præcedentibus aut instituto, aut tempore conscripta judicabit. Sed cum priora scripta sub finem anni 251 Romam missa fuisse cognoscantur, hoc ad sequentem, nimirum 252, videtur rejiciendum. Ex martyris nostri lucubrationibus, vix aliud D. Augustino commendatius occurrit. In lib. de Gratia et Libero Arbitrio ait: *Commoneo et exhortor, ut beati Cypriani librum quem scripsit de Oratione Dominica diligenter legatis, et quantum vos Dominus adjuverit intelligatis, memoriæque mandetis.* Pariter laudat Ep. XLVII. et CVII, nec non l. IV, c. 9, ad Bonif. *cont. duas Epist. Pelag.*, et l. II *de Bono Persev.*, et *de Corrept. et Grat.* c. 5. Porro D. Hilarius hunc Tractatum adeo omnibus numeris absolutum censuit, ut commentariis suis in Matt. Can. 5, dixerit, quod *de Orationis sacramento necessitate commentandi, Cyprianus vir sanctæ memoriæ liberavit: quamquam et Tertullianus hinc volumen aptissimum scripsisset*, etc.

II. — *Quæ enim potest esse magis spiritalis Oratio.* Novatores fanatici illam solum precem spiritualem censent, quæ extemporaneo fervore effunditur, a Cypriano nostro longe diversi. Tertull. in lib. *de Orat.* dixit quod *Oratio a Christo constituta, ex tribus constituta est, ex sermone quo enunciatur, ex spiritu quo tantum potest, ex ratione qua suscipitur.*

III. — *Iucunditis vocibus. Cum modestia*, inquit Septimius, *et humilitate adorantes, magis commendabimus Deo preces vestras; ne ipsis quidem manibus sublimius elatis sed temperate et prope elatis; ne vultu quidem in audaciam erecto, nam ille Publicanus qui non tantum prece et vultu humiliatus atque dejectus orabat, justificatior Pharisæo procacissimo discessit. Sonos etiam vocis subjectos esse oportet: aut quantis arteriis opus est, si pro sono audiamur? Deus autem non vocis, sed cordis auditor est, sicut conspector.* Fortasse ethnicam battologiam a Domino notatam Matt. VI 7, et III Reg XVIII. 26, descripsit, respicit Cyprianus; cujus speciminen dat Eschyl. in Ἑπτὰ ἐπὶ Θήβαις. Ita porro in recta Deorum nomenclatura fiduciam ponebant Gentiles, ut indigitamentis se tuerentur, ne memoria lapsi religiones confunderent, et numina quæ placare conabantur offensa redderent.

Per Hieremiam quoque. In codicibus græcis sextum Baruchi caput, Ἐπιστολὴ Ἱερεμίου dicitur. Rationem supra reddidimus in annotat. ad lib. I *adv. Judæos*, quare in laudandis S. Scripturis, libros apocryphos passim adhibebat auctor noster.

In sensu autem tibi debet adorari Deus. Mente sive intellectu, præstari tibi debet adoratio, o Deus. LXX habent, Τῇ διανοίᾳ σοὶ δεῖ προσκυνεῖν δέσποτα.

VII. — *Pater noster.* Lucianus in *Philopat.* Dominicam Orationem vocat Τὴν εὐχὴν ἀπὸ πατρός. Adeo minime nova videtur recepta apud nos nomenclatura a primis vocibus.

VIII. — *Singillatim.* Vox a Tertulliano usurpata. *Dæmonia nullum nomen habent singillatim*, l. *de Idol.*

IX. — *Orationis Dominicæ sacramenta.* Nulla vox apud scriptores Ecclesiasticos laxioris est significatus quam *Sacramentum.* Sub hac forma de prece Dominica locutus est D. Hilarius in loco superius laudato.

Breviter in sermone collecta. Hanc ob causam preces breviores passim vocantur *Collectæ* Tertul. hanc Orationem appellat *Breviarium totius Evangelii*, l. *de Orat.*, c. 1. Hæc Chrysost. ait Dominum edidisse μίτρον εὐχῆς, Hom. *de Anna.* Tertull. vocat l. *de Fuga*, c. 2: *Legitimam orationem*, et etiam *ordinariam.*

X. — *Quæ vox Judæos etiam perstringit.* Pariter Tert. de Orat., c. 2: *Hoc est quod Israeli exprobratur. Misistis illum sanctum* Redundat vox *illum*, nisi forte quando LXX posuerant τὸν ἅγιον, articuli Græci emphasin interpres latinus sic exprimendum putaret. — *Remissa peccatorum datur* Vocem hanc a Magistro hausit auctor noster, *adv. Marc.*, l. IV, c. 18, ait, *Dicimus de remissa peccatorum.*

Non quod optemus Deo. Similiter Tert. de Orat., c. 3: *Non quod deceat homines bene Deo optare, quasi sit et alius de quo ei possit optari, aut laboret nisi optemus.*

XII. — *Cæterum a quo Deus sanctificetur, qui ipse sanctificat?* Iisdem fere verbis Tert., ibid.: *Cæterum quando non sanctum et sanctificatum est per semetipsum nomen Dei, cum cæteros sanctificet ex semetipso?*

Hæc quidem fuistis. Pariter lectum l. III *ad Quir.*, c. 65, utrobique manifesto sed inveterato errore, cujus participes Iren. l. IV, c. 46, et l. V, c. 10; Tert. *de Pudic.*, c. 10; et August. *de Pœnit.*, c. 10. In textu græco habetur, ταῦτά τινες ἦτε, *hæc aliquando quidam fuistis.* Sed nihil muto; non enim quid scribi oporuit, sed quid scriptum fuerat spectamus.

XIII. — *Repræsentari nobis petimus.* Tert. *de Orat.*, c. 5, ait, *Ad nostram suspensionem pertinet, regni Dominici repræsentatio.*

XIV. — *Nam Deo quis obsistit?* Sic Tert., ibid.: *Non quod aliquis obsistat quo minus Dei voluntas fiat.*

Nemo suis viribus fortis. Ad repellendos Pelagii furores a nullo ex Patribus liberalius tela suppeditantur; unde illum D. August perpetuo in partes advocat. Vid. *ad Bonif.* l. IV. c. 9, ubi integræ paginæ fere describuntur.

Filius obaudivit Nulla fere vox Cypriano usitatior. Tertul. in Exhort. Cast. c. 2, ait: *Voluntas Dei in obaudientiam veneral. Proinde et tu si non obaudieris Deo*, etc. Prisci, observante Festo, pro *obedivit* posuere.

XVIII. — *Quomodo dicimus Pater noster, quia intelligentium et credentium pater est, sic et panem nostrum vocamus.* D. Hieron *adv. Pelag.* l. III, sub finem ait, Dominus *docuit Apostolos suos ut quotidie in corporis illius sacrificio, credentes audeant loqui. Pater noster qui es in Cœlis, sanctificetur nomen tuum. Illi nomen Dei, quod per se sanctum est, in se sanctificari cupiunt. Illi inferunt adveniat regnum tuum, spem regni futuro tempore præstolantes: ut, regnante Christo, nequaquam regnet peccatum in mortali eorum corpore: jungunique, fiat voluntas tua sicut in cœlo, et in terra, ut imitetur Angelos humana fragilitas, et voluntas Dei compleatur in terra. Panem quotidianum, sive super omnes substantias venturum Apostoli deprecantur, ut digni sint assumptione corporis Christi*, etc. Si in precibus ad Deum minus solemnibus; quod Cypriano visum est, *aliter orare quam Dominus docuit, non ignorantia sola fit, sed et culpa*, certe inter S. Eucharistiæ mysteria ab Ecclesia precem Dominicam unquam prætermissam minime putandum: præsertim cum panis Eucharisticus illis omnino quotidianus haberetur. Tert. de Orat.: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, spiritaliter intelligamus. Christus enim panis noster est, quia vita Christus et vitæ panis. Ego sum, inquit, panis vitæ. Et paulo post, panis est sermo Dei vivi qui descendit de cœlis. Tum quod et corpus ejus in pane censetur.* Hoc est, interpretante eruditissimo Rigaltio, *Per panis sacramentum commendat corpus suum.* Quemadmodum Augustinus, l. I Quæst. Evan. 43 dixit: *Per vini sacramentum commendat sanguinem suum.*

Corpus ejus contingimus. Affinitate aliqua conjunctus familiæ aut personæ cuicumque, dicitur a nd Latinos auctores illos contingere. Sic Cic. *in Verrem*, Sueton *in Galb.*, Val. Max., l. X, c. 8. Christianus Domino frater est, immo corporis ejus membrum; ita individuo nexu junctus ipsum non contingit modo, sed participat. Infra, *ait nos jure communicationis Christum contingere.* Quæ verba respiciunt D. Pauli ef-

Digitized by Google

fatum I Cor. x, 16, ubi vinum Eucharisticum dicitur Κοινωνία τοῦ αἵματος τοῦ Χριστοῦ.

Eucharistiam quotidie. Panis Eucharisticus Christianis erat quotidianus usque ad Hieronymi, Ambrosii et D. Augustini tempora, ut videre est ex Epist. Hieron. *ad Lucam Bæticum*, et Apol. *ad Pammach.* Ex Ambr. c. ult. l. IV et V. *Sacram.* et Aug. Epist. CXVIII. Porro Can. 9 Apost. et Can. 2 Concil. Antioch. decretum, Πάντας τοὺς εἰσιόντας πιστοὺς, καὶ τῶν γραφῶν ἀκούοντας, μὴ παραμενόντας δὲ τῇ προσευχῇ καὶ τῇ ἁγίᾳ μεταλήψει, ὡς ἀταξίας ἐμποιοῦντας τῇ ἐκκλησίᾳ ἀφορίζεσθαι χρή. Apud Tertullianum cum scrupulus oriretur, quomodo stationum diebus fideles sacra mysteria participare arent, ita ut non de solvendo jejunio perclitarentur, reponitur : *Nonne solemnior erit statio tua, si ad aram Dei steteris? Accepto corpore Domini et reservato, utrumque salvum est, et participatio sacrificii, et executio officii*, lib. *de Orat.* sub fin. Ubi obiter notetur Septimium non Ecclesiæ morem, sed suum inventum proponere.

XX. — *Posse se sequi.* In lib. *de Lapsis* dicitur : *Nec vinci a sæculo posset, qui unde vinceretur in sæculo non haberet : sequeretur Dominum solutus et liber ut Apostoli*, etc. Ubi contra exemplarium fidem doctiss. Gronov. legendum contendit, *unde vinciretur*, etc.

XXII. — *Et remitte nobis.* Graves tragœdiæ de his vocibus olim excitabantur, et male audiebat Erasmus quod *dimitte nobis* reposuisset, immerito quidem, cum res ipsa levissimi sit momenti, et veteres utroque modo locutos fuisse constet. Certe antiquissimum Cypriani exemplar Veronense litteris capitalibus exaratum, ubique retinet *Dimitte*, *Dimisi* et *Dimittimus* ; et omnes quotquot sunt codices alicubi saltem usurpant.

Fidem pollicitationis suæ reservantem. Reservo idem valet quod *servo*. Sic Tert. adv. Jud., *Isaac cum ligno reservatus est.*

XXIII. — *Remittet vobis peccata vestra.* Post hæc verba in Editione Parisiensi an. 1541, assumentum viginti fere linearum inseritur, quod pluribus deinceps fucum fecit. Cujus generis et alterum occurrit, sub finem ejusdem paragraphi ; nentrum vero mss. alicujus codicis præsidio fultum a crimine falsi pœnis gravissimis vindicando. Sed din hominum animis nefaria illa insedit libido, ut vilem spuriamque prolem, nobilissimis familiis inserere cuperent.

Sacrificium Dei majus est. Non turturis aut agnellæ, sed bovis, imo hecatombes Sacrificium majus est maximum. Sic Tertul. de Præscript. c. 2 : *Hæreses mortem æternam, et majoris ignis ardorem inferentes*, etc.

XXV. — *Ne nos patiaris induci.* Interpretamentum Tertulliani pro textu ipso reponit Auctor noster. Ille enim in lib. de Orat. ait : *Ne nos inducas in tentationem, id est, ne nos patiaris induci, ab eo utique qui tentat. Cæterum absit ut Dominus tentare videatur, quasi aut ignoret fidem cujusque, aut dejicere gestiens.* Cyrillus Cat. Mystag. v. ait : Τὸ μὴ εἰσελθεῖν, εἰς πειρασμόν ἐστι, τὸ μὴ καταβαπτισθῆναι, ὑπὸ τοῦ πειρασμοῦ.

Iram animationis. Vid. quæ dicta in lib. *de Lapsis*.

Excitavit Dominus Satanam. Eodem modo laudatur locus iste l. III *ad Quir.* c. 80.

XXVII. — *Verbum consummans.* Locum hunc pariter interpretantur Origenes, Procopius, Tertul. nec non et Hieron. D. Paulus Rom. IX. 38, Domino nostro asserit. Pro *consummato* Tertullianus *decisum sermonem* vertit, *adv Marc.* l. IV, c. 1.

Faciant vobis homines bona. Vox *bona* in ipso textu subaudiebatur, adjectivum enim ἴσα subvantivum exigit. Sic quod dicitur Luc XVIII, τί ποιήσω, Matt. XIX, 16, est, τί καλὸν ποιήσω.

XXXI. — *Sursum corda* Nihil in christiana pietate precum formulis antiquius. Sacerdos verbis conceptis præibat, plebs invicem respondebat, idque *sine mentore*, quod Gentilibus solemne, *quia*, ut ait Tert. Apol. c. 50, *de pectore orabant*, id est, preces memoriter tenebant. Eamdem formulam in Ecclesia Orientali obtinuisse ex Cyrillo discimus ; ubi prædictis illis verbis, subjungunt ur verba solemnia etiamnum in usu, *Gratias agamus Domino*, cum Plebis responso, *Dignum et justum est.* Catech. Mystag. V Justinus Mart. in Apol. II, veterem Liturgicam describens dicit, post Scripturarum lectionem, et Præpositi concionem : Ἔπειτα ἀνιστάμεθα κοινῇ πάντες, καὶ εὐχὰς πέμπωμεν. καὶ ὡς προέφημεν, παυσαμένων ἡμῶν τῆς εὐχῆς ἄρτος προσφέρεται, καὶ οἶνος καὶ ὕδωρ καὶ ὁ προεστὼς εὐχὰς ὁμοίως καὶ εὐχαριστίας ὅση δύναμις αὐτῷ ἀναπέμπει, καὶ ὁ λαὸς ἐφημεῖ ἀμήν. De solemnibus in Baptismo verbis alibi actum.

XXXII. — *Mortuos simpliciter.* Scribendum *similiter*, nam LXX : Ὅτε ἐθάπτετε τοὺς νεκρους, ὡσαύτως συμπαρῆγμην σοι. Et certe minime dubitandum hanc esse genuinam lectionem : sed quia codices omnes in errore consentiunt, idque non tantum hic loci, sed et infra in lib. *de Mortalit.* religio erat quidquam mutare.

Missus sum tentare. Ac si cæcitatem Tobiæ immisisset Angelus. Quamquam exemplaria græca, quibus utimur, et latina insuper versio lectionem non agnoscant ; olim obtinuisse ex Syriaca versione discimus.

XXXIV. — *Horam tertiam, sextam, nonam.* Tert. de Jejun. c. 10 : *Cum in eodem commentario Lucæ, et tertia hora orationis demonstretur, sub qua Spiritu sancto inundati pro ebriis habebantur ; et sexta, qua Petrus ascendit in superiora ; et nona, qua templum sunt introgressi, cur non intelligamus salva plane indifferentia, semper et ubique et omni tempore orandi ; tamen tres istas horas, ut insigniores in rebus humanis quæ diem distribuunt, quæ negotia distinguunt, quæ publice resonant, ita et solemniores fuisse in orationibus divinis. Quod etiam suadet Danielis quoque argumentum ter die orantis ; utique per aliquarum horarum exceptionem ; non aliarum autem quam insigniorum exinde Apostolicarum, tertiæ, sextæ, nonæ.*

XXXV. — *Iste est dies quem fecit Dominus.* Locum hunc adducit Auctor noster l. II *ad Quirin.* c. 16, ut probaret *Dominum Jesum lapidem dictum fuisse*, ubi (licet nonnulla exemplaria vulgatam sequantur) legisse pariter videtur, *a Domino factus est iste :* quæ LXX interpretum est lectio, a D. Marco agnita. Hæc vero adhibetur iste textus, ut conficiat, *Christum diem dictum.* Quod interpretamentum Cypriano videtur peculiare ; licet aliunde id satis commode conficiatur.

XXXVI. — *Nulla sint horis nocturnis precum damna.* Christianos nocte convenitus habuisse res satis nota. *Noctu.nas convocationes* appellat Tertul. ad Uxor. I. II, *Antelucanos* vocat Plinius in Ep *ad Trajan.* Sed insuper ex privata devotione, fideles lecto se erpiebant, et *per noctem exsurgebant orationi*, ut ait Tertul. loco prælaudato ; sic in Apologet. : *Ita saturantur ut quo meminerint etiam per noctem adorandum Deum sibi esse.*

DE MORTALITATE.

De mortalitate. — Sive lue mortifera. Tertullian. de Resurrectione carnis cap. LI, definite explicat. *Aliud*, inquit, *mortale et aliud mortalitas : aliud enim quod patitur, aliud quod pati efficit.* Revera morbus iste epidemicus tam varia et erratica habuit symptomata, ut ad pestis propriæ dictæ typum minime responderet. *Corporis vires solutus in fluxum venter eviscerabat. In faucium vulnera conceptus med llitus ignis exæstuabat. Assidio vomitu intestina quatiebantur, oculi vi sanguinis inardescebant, quorumdam pedes vel aliqua membrorum partes contagio morbidæ putredinis amputabantur, debilitabantur incessus, obstruebatur auditus, cæcatus fuit aspectus.* Teterrima hæc lues in Arabia primum nata, deinde in Ægyptum devecta, postmo-

Digitized by Google

dum in Africam processit, et exinde per occidentales Romani imperii partes grassabatur; furore Atheniensis illius, quam describit Thucydides æmulo, itinere consueto et via quasi prætoria: ait enim Plinius l. VII, c. 50: *Observatum a meridianis partibus, ad occasum solis pestilentiam semper ire.* Imperantibus Gallo et Volusiano hoc malum contigit, testibus Euseb. in Chron. Oros. l. VII. et Zonar. Annal. l. II. Porro pacis tempore hoc evenisse docet Euseb. l. VII c. 22, ex litteris Dionys. Alex.: Τῇ χριστοῦ πάλαι ἐνηυρράνθημεν εἰρήνῃ. ἣν μόνοις ἡμῖν ἔδωκε βραχυτάτης δὲ ἡμῶν τε καὶ αὐτῶν τυχόντων ἀναπνοῆς, ἐπικατέσκηψεν ἡ νόσος αὐτή. Quibus præstructis, librum hunc anno 152 conscriptum, idque ante redintegratam persecutionem, adstipulante tractatus totius tenore, pronunciamus. Scripti hujus meminit Pontius, qui et egregiam a Cypriano peste laborantibus et exinde mortuis navatam operam pluribus exsequitur. Augustinus lib *de Prædestin. Sanct.* ait, *Cypriani librum de Mortalitate, multis ac pene omnibus qui eccle siasticas litteras amant, laudabiliter notum.* Citat etiam Ep. 107 *ad Vital.*, nec non l. II *adv. Julian*, *cont.* 2 *Epist. Pelag* l. IV, c. 8. Pariter laudat Euseb. aut saltem Hieron. *in Chron.*

IV. — *Cogeris maledicere.* Christo scil. Ita Paulus persecutionem auspicabatur, quemadmodum de se ipso fatetur Act. XXVI, 11, et ita deinceps Ethnici præsides illam promovebant. Sic Euseb. l. IV *Hist. Eccl.*, c. 15, de martyrio Polycarpi verba faciens, Proconsulem describit dicentem: Λοιδόρησον τὸν Χριστόν, cui SS Martyr reposuit: Ὀγδοήκοντα καὶ ἓξ ἔτη δουλεύω αὐτῷ, καὶ οὐδέν με ἠδίκησε· καὶ πῶς δύναμαι βλασφημῆσαι τὸν βασιλέα μου τὸν σώσαντά με;

Compelleris jurare. Per genium Cæsaris, aut fortunam ejus. Sic Proconsul apud Euseb. l. IV, c 15, loco prælaudato, Polycarpo ingerit ὄμοσον τὴν Καίσαρος τύχην, cui ille respondit, μετὰ παῤῥησίας Χριστιανός εἰμι. Proinde Tertullianus in *Apol.* c. 32, dicit *Christianos jurare, sicut non per genios Cæsarum, ita per salutem eorum* (hoc est Deum) *quæ est augustior omnibus geniis* Interim tamen non est dissimulandum verba hæc, ad maledicentiam, et jurandi usum in communi vita, recte posse referri.

Sæculum autem gaudebit. Κόσμος sive *mundum* intelligit, et ita passim vocem illam vertit auctor noster.

VIII. — *Morbi istius valetudo.* Nimirum mala valetudo; unde languidi et infirmi dicuntur valetudinarii Cic. *Offic* l. II, ait: *Æsculapius potest præscribere per somnum curationem valetudinis.*

Corruptivum istud. Sic Tert. de *Resurrec. carnis*, c. 41, et alibi passim legit.

Nubila serena suspendunt. Tert. in *Apol.* c. 40: *Cum ab imbribus æstiva hiverna suspendunt, et annus in cura est.*

Navem scopulosa saxa constringunt Sic Tert *adv. Marc.* lib. II. c. 16: *Ferramenta Medici accuses, quod secent, et inurant, et amputent, et constrictent.*

IX — *Sta in justitia et timore.* Hæc non occurrunt in græcis exemplaribus, sed habet vulgatus interpres.

X — *Vulneribus quoque et vermibus.* Sic infra in lib. *de Patientia*, quasi phthiriasi laborasset. Locus Jobi qui respicitur est c. VII, 4, ubi pulveris non minus quam vermium mentio. Sed hæc minime, saltem ad vulgi sententiam, mortuum describunt; in illorum enim sepulchris nunquam vermes comparent. Quod additur, *nudus etiam ibo sub terram*, interpretamentum est vocum LXX ἀπελεύσομαι ἐκεῖ.

Ego obtuli memoriam. Sic Apoc VIII. 3, dicitur *Angelus stetisse ante altare habens thuribulum aureum, et data sunt illi incensa multa ut daret de orationibus sanctorum*, etc.

Et iterum. LXX legunt καὶ πάλιν. Legisse videtur Noster, καὶ πάλιν. Pro *assistimus* legunt iidem, οἱ ἀντέχουσι τὰς προσευχὰς τῶν ἁγίων.

Quomodo Deus manet in æternum. Vid. quæ dicta lib. III *ad Quirin.* c. 11.

Mundus ecce nutat et labitur. Vix alia de causa graviorem invidiam sibi conflabant Christiani, quam quod male ominarentur de rebus humanis Nec quidem temere in hanc sententiam venerunt; siquidem apostoli non modo *finem rerum omnium instare, et ultimos venisse dies* passim testentur; sed addant insuper, *ultimam advenisse horam*, I Jo. II, 18. In l. *de Resurrectione carnis* c. 22, ait Tertullianus: *Vota nostra suspirant in sæculi hujus occasum*, etc. Cum vero ad Gentiles scribit, ut ipsos demulceret. *Apol* c. 32 e contra ait. *Est et alia major necessitas nobis orandi pro Imperatoribus, etiam pro omni statu imperii, rebusque Romanis, qui vim maximam universo orbi imminentem, ipsamque clausulam sæculi acerbitates horrendas comminantem, Romam imperii commeatu scimus retardari.*

Amplectamur diem, qui assignat singulos domicilio suo. Mortis dies recte dicitur particularis judicii dies; quemadmodum mundi finis, universalis perhibetur: tertium aut diem aut locum prorsus ignoravit prisca Antiquitas.

Nos charorum numeras expectat. Quamquam cœlo receptæ animæ sæculi hujus curis non vacent; ut suis felicitatem eamdem exoptent et demum gratulentur, nihil est quod impediat: *charitas* enim *numquam excidit.* Quæ postea sequuntur, de *Apostolorum glorioso choro, Prophetarum exaltantium numero, et Martyrum innumerabili populo*, ansam dedisse videntur iis quæ occurrunt in Hymno Ambrosiano, qui *Te Deum* appellatur.

DE EXHORTATIONE MARTYRII.

De Exhortatione martyrii. Consimili forma Tertull. inscripsit libellum, *de Exhortatione castitatis.* Ex Cypriani scriptis vix aliquot luculentius a Pontio laudatum. *Quis*, inquit ille, *martyres tantos exhortatione divini sermonis erigeret? Quis denique tot confess res frontium notatarum secunda inscriptione signatos, et ad exemplum martyrii superstites reservatos, incentivo tubæ cœlestis animaret?* Revera epistolæ ad eximios confessores, Moysen et Maximum, nec non ad Thibaritanos; ut et aliæ nonnullæ, in hoc totæ versantur, ut ad martyrium accendant. Sed ut *sermone divino, et tubæ cœlestis incentivo*, exhortatio peragatur, scripti hujus peculiaris videtur character; et qui instituto librorum ad Quirinum plane respondet. Porro loca S. Scripturæ eodem modo utrobique laudata, auctorem eumdem aperte profitentur. Quis vero fuerit is Fortunatus cui liber hic inscribitur, non promptum fuerit dicere, cum plures ejusdem nominis in Cypriani scriptis occurrant: et demum fieri possit, ut ad alium hæc pertineant, diversum ab omnibus alicubi memoratis. Putarem tamen hæc episcopum illum respicere ad quem Ep. LVI, ad *Pamel.* num. LIII, dirigitur: et forte qui in Carthaginiensi synodo, Fortunatus a Thuccabori dicitur. Demum exaratum censeo occasione persecutionis sub Gallo et Volusiano recrudescentis, de qua visis cœlestibus admonitus Cyprianus, alios admonere non destitit. Deciana clades inexspectata grassatione olim vos quosque oppressit, ut de lapsis restituendis unica maneret cura; quæ vero sub Valeriano et Gallieno successerunt, frre nimis videntur, pro martyris nostri diligentia, ut remedia huc usque fuerint dilata. Relinquitur ergo ut ad intermedium hoc tempus, nimirum ad annum 252 libelli istius natales sint referendi. Quod ex D. Hieron. Ep. *ad Pammach.* c. 50, a quibusdam affertur, ut suaderi possit D. Hilar. tractatus hujus fuisse auctor, id, siquidem libri ejus ad Fortunatum habetur mentio, nullius videtur momenti; siquidem si quis Hilarii ævum spectet, non admodum opportunus tunc temporis sub imperatoribus Christianis de martyrio adversus gentilium furores liber Porro lubrica prorsus ex personæ nomine probatio; insuper nec Fortunati

Digitized by Google

qui vitam filiæ Hilarii scripsit tempora respondent; et demum in plurimis exemplaribus Hieron. mss. non Hilarii nomen, sed Cypriani reponitur. Haud interim facile est conjicere quid Pamelio in mentem venerit, ut diceret Remboldum primum omnium tractatum hunc edidisse, cum in Spirensi editione, arti typographicæ coæva, et etiam in veteri innominata, quæ certe Remboldum longe præcessit, compareat.

Mediocritas nostra auxilio divinæ inspirationis instructa. Quidquid gratiæ divinæ præsidio factum, id inspirationi imputat auctor noster. Ita Tertull. l. *de Patientia* c. 1, ait: *Bonorum quorumdam, sicuti et malorum, intolerabilis magnitudo est: ut ad capienda et præstanda ea, sola gratia divinæ inspirationis operetur.*

Sex millia annorum jam pene complentur. Calculum veterem, et suis temporibus in Africa receptum sequitur auctor noster; nimirum qui æram christianam anno mundi 5500 assignat; cui nnmero si 252 anni addantur, consurgent 5752, quæ non longe abeunt a 6000. Notum vero est, in numeris recensendis ad proximos integros recurri solitum. Dixerat D. Petrus II Ep. III, 8, *Mille annos apud Deum haberi sicut dies unus;* et exinde a veteribus creditum, Hexamero finito sabbatum æternum, et mundi finem succedere. Porro cum Dominus promisisset, Matt. XXIV, 22, *Electorum causa dies istos abbreviandos fore*, non temere omnium fere animis insederat opinio *Consummationem mundi, et Antichristi tempus infestum instare.* Vid. quæ hac de re dicta in l. de Mortal.

Insidias dejiciendi. Colluctatio nostra, inquit Apostolus, Eph. VI, 12, *non est adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates*, etc.

Propositis titulis. Illa ergo exemplaria ad mentem auctoris maxime videntur accedere, quæ titulos hosce, simul semelque in libri principio exhibent.

Lanam et purpuram. In oblationibus quæ in tabernaculi usum admittebantur *Exod.* XXV, erant *Hyacinthus, purpura, coccinum, cum bysso*: Sed in Ecclesiæ christianæ ornatum, sufficiunt innocentiæ et martyrii colores.

Domino permittente primum Baptisma credentibus dedimus. Baptisma olim, non nisi ex mandato episcopi celebratum: οὐκ ἐξὸν ἐστι χωρὶς τοῦ ἐπισκόπου οὔτε βαπτίζειν, οὔτε ἀγάπην ποιεῖν, etc., inquit Ignatius, *Ep. ad Smyrn.* Unde in Ecclesia solum qua ipse sedebat, erat baptisterium. Martyrium, Baptismi nomen, ex Domini verbis accepit, Matt. XX, 22.

Angeli baptizant. Qui susceptorum munere funguntur: et martyrum animas sanguinis lavacro exemptas in cœlum portant; vid. Luc. XVI, 22.

Fidei nostræ incrementa consummat. De hac τελειώσει vid. Luc. XIII, 32, et Heb. II, 10.

Simus et amici. Martyres *perfecti sunt in dilectione* I Jo. IV, 18. Unde Tertullianus in illum Joannis locum, Scorpiac. c. 12, ait: *Perfecta dilectio foras abjicit timorem, quoniam timor pœnam habet, et qui timet non est perfectus in dilectione. Quem timorem intelligi præstat nisi negationis auctorem? quam dilectionem perfectam affirmat, nisi fugatricem timoris, et animatricem confessionis? Qua pœna timorem puniat*, (non *quam pœnam* ut habetur in impressis), *nisi quam negator relaturus est, cum corpore et anima occidendus in gehennam?* Hinc martyres amicitiæ jure, Domini lateri perpetuo assistunt; et *sequuntur Agnum quocumque ierit*, Apoc. XIV, 4.

Perdant quod evaserint. Profectus, quos fecerunt, amittant. Tertul. *de Anim.* ait illam *varie per accidentia evadere*: hoc est, promoveri: et de Patient. *hominem evadere ad salutem*, hoc est *procedere*: et eodem fere sensu passim, similiter Virgilius: *Evado ad summi fastigia culminis.* Aut forte vox adhibetur, in notatione qua significat, *esse*, aut *fieri*, aut sensus sit. Qui ad sæculum redeunt postquam Christiani evasere; Christianismo excidunt.

IN LIBRUM DE EXHORTATIONE MARTYRII.

Iis quos colit. In Græco habetur, τῶν σεβασμάτων αὐτοῦ. Eadem voce utitur D. Paulus, Act. XVII, 23, et II Thes. II, 4.

Tibi idolum. Sic LXX εἴδωλον, non γλυπτόν reddit; nec enim refert an arte statuaria an pictoria fiat quod colitur.

Et omnia quæ in eis sunt. In Græco habetur, καὶ πηγὰς ὑδάτων; quam lectionem Codicis mss. agnoscunt.

Rogat nec impetrat. Vid. quæ dicta in lib. de Lapsis, p. 93.

In tempore quo invocabunt me, in tempore afflictionis suæ. Hæc omnia redundant; et videntur loco alieno apposita.

Quod si rogaverit. Locus hic non integer describitur, et plurima subinde omittuntur.

Æqualis animæ tuæ. Ὁ ἴσος τῇ ψυχῇ σου. Hinc petenda explicatio loci D. Pauli, Phil. II, 20. οὐδένα ἔχω ἰσόψυχον.

Propter eum qui dilexit. Exemplaribus istis accedit Noster quæ legunt, διὰ τὸν ἀγαπήσαντα.

Fidite, et state, et cernite. LXX legunt θαρσεῖτε, στῆτε καὶ ὁρᾶτε, sed prior vox in textu sacro non comparet.

In renovatione spiritus. Intellexisse videtur auctor noster Spiritum sanctum, sed exemplaria Græca habent, non πνεύματος ἁγίου sed νοὸς ὑμῶν.

Qui figuram portabat diaboli. Sic l. II ad Quir. c. 16: *Amalech superatus est a Jesu, id est diabolus a Christo victus est.*

Nec excidatis. Quamquam in textu Græco nulla vestigia hujus lectionis compareant, tamen similiter legit auctor noster Epistola *ad Thibaritanos;* quasi legisset μήτε ἐκπίοητε.

Quotiescumque communicatis. Mss. codices non pauci similiter legunt κοινωνοῦντες, et statim τῆς δόξης τῆς δυνάμεως.

Domini nomen. Non πνεῦμα, sed ὄνομα legisse videtur noster, et pro ὑμᾶς, ἡμᾶς.

Copulati sunt pedes. LXX Αὐτοὶ συνεποδίσθησαν.

Unam petii. LXX μίαν ᾔτησάμην. scil. αἴτησιν. Vid. III Reg. II, 20.

Non combureris. In hac lectione mss. codices consentiunt, et LXX interpretum versio illam exigit, ἐὰν διέλθῃς διὰ πυρὸς, οὐ μὴ κατακαυθῇς, φλὸξ οὐ κατακαύσει σε. Porro Hebræa veritas etiam deposcit. לי תלך נכוו אש לא תבוה ולהבה לא תבער בך: perperam ergo in Impressis ista huc usque omittebantur.

Præmeditari excusare. In texto græco est ἀπολογηθῆναι. et quidem omnis apologia est quædam excusatio. Vulgat. habet *quid respondeatis.*

Mogilalum. Ita scripsisse Cyprianum minime est dubitandum. Nam ut tot exemplaria in voce inusitata infercienda conspirarent nulla idonea ratio reddi potest; sed quare librarii id nuperi mutaverint, causa subest satis manifesta, quæ etiam passim obtinuit; ut ad vulgatam editionem omnia melius responderent. Revera græca exemplaria δύσκωφον habent: sed Aquila, Symmachus et Theodotio in μογιλάλῳ consentiunt; quæ vox Marc. 7. 32, adhibetur.

Tantum accipiat de Dei ope. Vid. l. VII ad Quirin. cap. 42.

Si de mundo essetis. Cum eadem voce utatur D. Joan., capite XV et XVI, non promptum est dicere, quare varie reddiderit auctor noster; sed libri omnes in lectione consentiunt, Vulgati interpretis lectione insuper habita: cui librarii solent omnia passim accommodare.

David misericordem. Locum hunc tractat Tertull. in Scorpiac., c. 8. *David exagitatur, Helias fugatur, Hieremias lapidatur, Esaias secatur, Zacharias inter altare et ædem trucidatur*, etc.

Septem dies annorum septem millia. Durationis mundi nimirum. Alibi sex dierum, sive sex mille annorum spatio mundi ævum auctor noster concludit; nec necesse est ut in Papiæ castra hic transiisse

Digitized by Google

videatur; sunt enim qui ipsum judicii diem mille annorum moram habiturum statuunt.

Ad septem ecclesias scribit. Nimirum ad Romanos, Corinthios, Galatas, Ephesios, Philippenses, Colossenses, et Thessalonicenses. Si requiratur quo in loco Paulus, *hujus legitimi numeri et certi meminerit*, forte dicendum, hoc ab eo præstitum, Heb. xi, 30.

Una super petram. Primus qui lectionem hanc mutavit et *Petrum* reposuit erat Manutius. Vid. quæ dicta ad lib. de Unitate Ecclesiæ, p. 76. Porro notetur sententiam nostram de assumentis textui Cypriani illic additis a viro consultissimo Latino Latinio, in ejus bibliotheca sacra et profana an. 1677 Romæ edita, p. 178 et 179, egregie confirmari. Dissertissimis verbis ait Dominus, *ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω.*

Nec vacat. Mysterio scil. sive, non caret: haud temere aut frustra dicitur.

Ab eo suscitandos. In impressis additum, *in vitam æternam.* Sed contra exemplarium mss. et Græci textus fidem.

Nec fratrum precem profuturam. Perstringit martyres qui veniam quibuslibet facere se posse putabant. Tertullian. *de Pudic.* libro satis malo non male ait: *Sufficiat martyri propria delicta purgasse. Ingrati vel superbi est in alios quoque spargere quod pro magno fuerit consecutus. Quis alienam mortem sua solvit, nisi solus Dei Filius? Nam et in ipsa passione liberavit latronem. Ad hoc enim venerat, ut ipse a delicto purus, et omnia sanctus pro peccatoribus obiret. Proinde qui illum æmularis, si nihil ipse deliquisti, plane patere pro me: si vero peccator es, quomodo oleum faculæ tuæ sufficere tibi et mihi poterit?*

Ac ne quis vel libelli. Hæc prorsus confirmant sententiam nostram de libellaticis, de qua videatur lib. de Lapsis.

Holocausta hostiæ. Vid. quæ dicta lib. III ad Quir. c. 15, LXX legerunt ὁλοκάρπαμα θυσίας, et forte verissima lectio fuerit *Holocaustum hostiæ.*

Portantes gremia sua. Vid. quæ dicta l. III ad Quir., cap. 16.

Clauduntur in persecutionibus terræ. Proscriptis nimirum, et deportatis. Quod in editionibus prioribus lectum, *clauduntur oculi in persecutionibus terræ*, ex librariorum infelicissima critica natum; qui mendam cum non inveniunt corrigendo faciunt. Infra legerunt, *claudi in momento oculos quibus homines videbantur et mundus*, et nihil præter oculos claudi putabant.

Sine damno temporis. Per omnia confessores martyribus æquantur, si a judicii mora quæ Baptismi sanguinis singularis prærogativa habebatur, pariter sint exempti. Tertull., *de Anima*, dixit: *Modica delicta mora resurrectionis expendi*: ratus hac pœna damni, in illa animadverti. Sequiorum temporum doctores, pœnam sensus, et purgatorios ignes addidere. Imo Origenes gehennæ ignes purgatorios statuebat. Quæ ex Epistola *ad Antonianum* a quibusdam in hac causa afferuntur, ad lapsorum censuras hic in Ecclesia omnino pertinent; nec cum pœnis quæ vita functos exercent, quidquam habent commune.

Conscientia coronatur. Per *conscientiam* intelligit, *Virtutem ad prælium promptam, et fidem quæ erat ad martyrium præparata.*

IN AD DEMETRIANUM.

Ad Demetrianum. Hunc Africæ proconsulem fuisse uno ore dicunt Baronius, Pamelius, Lombertus, aliique qui de Cypriani rebus scripserunt. Sed parum verisimile est summum magistratum, depositis fascibus et imperii insignibus, ad episcopi christiani domum, idque non semel sed *sæpe venturum.* Nec magis ad proconsulem faciunt: *ut cæteros concitaret, et odia suis maledicis vocibus seminando, comites sibi plures, radicis atque originis suæ pullulatione fecerit.* Aliter irascebantur, et magis decretoriis armis pugnabant provinciarum præsides. Porro a Cypriani moribus longe videtur abesse, ut principem virum verbis parum honorificis exciperet; *ut oblatrantem eum, et ore sacrilego et verbis impiis obstrepentem, contemnere* se profiteretur; et *indocilem, impium, furentem, cæcum, surdum et brutum* compellaret. Omnino igitur dicendum est Demetrianum judicem saltem fuisse in civitate Carthaginensi; aut aliquem e consiliariis qui præsidi solebant in judiciis assistere, de quibus vid. Act. xxv, 12. Et virum istius modi, Cypriano ob communia olim studia familiariter notum, veterem sodalem aliquando invisere voluisse, vero non est absimile. Certe Pontius non alio illum titulo orat, quam *gentilis blasphemi.* Et Lactantius sine aliqua honoris præfatione, *hominem veritatis ignarum* appellat. Nec refert quod Demetrianus dicitur *Dei charos domo privare, patrimonio spoliare, catenis premere, carcere includere, bestiis, gladio et ignibus punire.* Hæc enim inferioris subsellii persecutori satis quadrant, et de Saulo, Act. VIII, et IX, qui certe non erat provinciæ præses, referuntur. Luem illam de qua supra in lib. *de Mortalitate* actum; et famem quæ pesti supervenire solet, apologiæ huic occasionem dedisse, satis aperte profitetur auctor noster. Et quandoquidem fames cessanti agriculturæ; hoc est pesti adultæ et diutinæ, succedere dignoscitur; librum hunc non ante secundum a morbi initiis annum, hoc est 253 scriptum fuisse censemus.

Nam cum ad me sæpe. Lactantius *Inst.* l. v, c. 4, (cui succenturiator accedit D. Hieron. *Ep. ad Mag.*) dicit, *Cyprianum in ea oratione quæ Demetrianum, sicut ipse ait, oblatrantem atque obstrepentem veritati redarguere conatur, ea materia non usum esse ut debuit, non enim Scripturæ testimoniis quam ille utique vanam, fictam, commentitiamque putabat, sed argumentis et ratione fuerat refellendus. Nam cum ageret contra hominem veritatis ignarum, dilatis paulisper divinis lectionibus, formare hunc a principio tamquam rudem debuit, eique paulatim lucis principia monstrare, ne toto lumine objecto caligaret.* Hæc vero criminatio et calumnia prorsus evanescet, quam primum constiterit non cum homine ita *rudi et veritatis ignaro* rem fuisse gestam; sed illo qui *sæpe* ad Cyprianum *senisset*, et de fidei capitibus acriter subinde disceptasset. Porro observandum, loca S. Scripturæ quæ a S. Cypriano in toto hoc scripto afferuntur, ex prophetiis fere esse desumpta; nec ad redarguendum infidelem, ulla methodus accommodatior. Unde D. August., orat. *de quinque Hæres.*, postquam attulisset S. Scripturæ Veteris Testamenti suffragia, ait: *Hic esto et tu Pagane. Audi quid dicat Propheta, non mihi ego quod volui scripsi, codex in quo hæc scripta leguntur, in armario Judæi habetur. Inimicus meus testis est meus, ab ipso quære: aperi, lege et crede.* Quinimo argumentum hoc late tractat idem SS. Pater, contra *Faustum Manich.* l. XIII.

Tacere ultra non oportet. Diu erat antequam criminationem hanc deposuerunt ethnici; adeo ut ipsi D. Augustino opus fuerit, conscribere librum *de Civitate Dei*, et Orosio historiam suam, ut eam diluerent.

Senuisse jam mundum. Universi machinam senio dilabi, et ad interitum vergere; longe alia res est a seculi clausula et mundi fine, quem dies judicii secum affert; ita enim differunt ut mors naturalis et violenta. Utramque tamen ruinam, primi Christiani pariter exspectabant et gentilibus minabantur.

Verna de temperie sua. Probata hæc lectio, et phrasi Tertull., consona. Is, l. *de Resur. carn.*, c. 12, ait *Revolvuntur hyemes et æstates, verna et autumus.* Editores importuna liberalitate, *sata* addidere.

Solicitudinem cumulant. Tertull. in *Apol.* dixit, ex occasione consimili, *Annum in cura* esse.

Pallidas herbas sterilis gleba producat. Sic Tert. ad Scapul.: *Doleamus necesse est, quod nulla civitas impune latura sit sanguinis nostri effusionem, sicut et sub Hilarione præside, cum de areis sepulturarum nostrarum acclamassent. Areæ non sint: areæ ipsorum non fuerunt: messes enim suas non egerunt.*

Digitized by Google

Qui perspicuus et nudus. Judicem pariter effeminatum, et multitiis non vestitum, sed pellucentem, Juvenalis exagitat Sat. 2.

Horrea eludantur in terris. Hujus maleficii reus Prov. XI, 26, dicitur כותנ בר συνέχων σίτον. Eleganter rem describit Nazianzenus; ut sit καταπραγματεύεσθαι τῆς ἐνδείας, καὶ γεωργεῖν τὰς συμφοράς. Dardanariorum nomen, licet infame et legibus coercitum, tamen qui in provinciis potestate præerant, exinde compendia sibi facere minime erubescebant.

Anocente. In hanc mentem plura dicuntur in lib. *ad Donatum.* Nec novum est ut auctores, illis quæ prius scripserant, subinde tamquam suis utantur.

Timent conscii. Accusare scil. et deferre.

Crocodili et Cynocephali. Tertullianus in *Apol*, c. 6, ait hæc Ægyptiorum portenta, *Pisonem et Gabinium Coss. Capitolio prohibuisse, porro eversis etiam aris eorum abdicasse:* postea vero illis in integrum *restitutis, summam majestatem collatam.*

Torqueri enim debui si negarem. Hoc argumentum late tractat Tertull., in *Apol.* c. 2, et l. 1 *ad Nationes*, c. 2. Nec non Minut. Felix in *Octavio* qui dicit *perversam quæstionem exerceri, non quæ verum erueret, sed quæ mendacium cogeret.*

Ruinis regum. Decurorum nimirum; quorum cladem in principio libri *de Lapsis*, ultioni divinæ imputat auctor noster. Res ista singulari libello Lactantii argumentum fecit. Quam etiam tractat Orosius *Hist.* l. VII, c. 31.

Valetudine mussitamus. Tantum abest ut blasphemias voces proferamus, immo ut cum fremitu murmuremus; quod ne vel leviter mussitemus.

A pabulo oves. LXX. ἔξλιπον ἀπὸ βρώσεως πρόβατα. Sed Hebrææ veritati magis responderet altera lectio, quæ habet: *Deficient a stabulo oves.* Nam מדר מכלה sic optime redditur. LXX legisse videntur מאכל.

Pro arcendis hostibus, et imbribus impetrandis. Respicit memorabile Christianorum militum facinus sub Aurelio imp. de quo Justinus Martyr. et Tertull. in *Apologet.*

Ne tetigeritis. Legunt μὴ ἅψησητε. Cyprianus videtur legisse μὴ θίγητε.

Oculorum crudelium brevis fructus. Evanida illa et sæva theatrorum gaudia quæ persecutorum pascebant oculos, luent miseri in gehennæ flammis æternum cruciandi; et a pauperibus in sinum Abrahæ receptis e longe spectandi.

Ad immortalitatem sub ipsa morte transitur. Hæc omnia ad Ethnicum dicuntur, et nondum per Baptismum renatum. Christianis improbis, et sero resipiscentibus, non tam facilis potest promitti venia.

IN LIBRUM DE OPERE ET ELEEMOSYNIS.

De Opere et Eleemosynis. Nulla magis re emicuit primæva pietas, quam illa effusa largitione qua pauperum necessitatibus succurrebatur. Nec in officiis ullis plebi Christianæ commendandis magis desudavit aut Apostolorum, aut SS. Patrum diligentia. Et quidem quæ de hac materia in libello isto egregie sunt congesta, non sine numine aliquo videntur scripta, ut paratiores essent fratrum Carthaginensium mentes ad opem ferendam laborantibus Numidis qui a barbaris hac tempestate erant capti; cujus rei mentio occurrit Ep. 62, ad Pamelii numeros 60. Libellum hunc ante illam cladem scriptum fuisse satis inde conficitur, quod inter hortamenta, nulla occurrat mentio causæ tam favorabilis. Tractatum igitur ipsum an. 254 assignamus, qui prædictam barbarorum incursionem videtur præcessisse. Librum hunc laudat D. Hieronym. Epist. *ad Pammach.* Nec non D. August. *contra Pelagianos*, *Cont. Julian.* et alibi passim. Ejusdem meminisse videtur Pontius sub titulo libri *de Misericordia.*

Adam portaverat. Apportaverat, inflixit. D. August. hunc locum sæpius laudat, dicitque duas Pelagianorum falsitates hic redargui, *unam qua dicunt nihil vitiorum ex Adam trahere genus humanum, quod sit sanandum curandumque per Christum: alteram qua dicunt, nullum post Baptismum sanctos habere peccatum*, Cont. 2 Epist. Pelag. ad Bonif. l. IV, c. 8.

Non utique illa delicta quæ fuerant ante contracta. Observanda venit summa scriptorum veterum sollicitudo, ne quid ab ipsis dictum elevet certissimam fidem, quod peccata omnia anteactæ vitæ Baptismi lavacro purgantur; qua spe et exspectatione, quotquot christianæ fidei nomina dedere, imprimis ad Baptismum allecti videntur.

Jugis operatio. Hac voce passim designat auctor omne illud, quo apud nos bonorum operum notatione intelligitur: unde sic in libri hujus titulo adhibetur, ut idem sit cum eleemosyna: et caput primum tertii libri ad Quirin. inscribitur, *De Bono operis et misericordiæ.* Ubi vide quæ dicta.

In tabula jam totum. Ἐν τῷ ὑπερῴῳ. Act. IX, cœnaculo, in superiore nimirum *tabulato.* Librarii, pro captu suo, mensæ maxime memores, *tabulam jam*, reposuerunt. Mos lavandi mortuos apud Gentes obtinuit; unde Ennius dixerat:

Tarquinii corpus bona femina lavit et unxit.

Exhibitionem. Vid. quæ dicta l. III. ad Quir., c. 61.

Alta et profunda. Papias ait: *Altitudo commune est nomen excelso et profundo.* Intelliguntur tenebræ quæ totum medium, cœlum et terras pervadunt.

Non stibio diaboli. Pigmentum hoc in usu fuisse apud Judæos, constat ex II Reg. IX, 30. Jer. IV, 30, Ezech. XXIII, 40. Græci πλατυόφθαλμον et ὁμματογράφον vocarunt. Porro nec Romanis ignotum *In calliblepharis mulierum dilatare oculos*, dicit Plinius l. XXXIII, c. 6. Diabolo, *interpolatori naturæ*, cosmeticas artes olim imputabat Tertull., lib. *de Cultu fem.*, et alibi.

Dominicum celebrare te credis. Respicere videtur auctor noster locum D. Pauli I *Cor.* XVI, 2, ubi jubentur singuli fideles *prima sabbati* sive quavis die dominica, *seponere quod eis beneplacuerit.* Et morem hac ex parte, Ecclesiæ christianæ explicat Justinus Martyr, *Apol.* II: Τῇ τοῦ ἡλίου λεγομένῃ ἡμέρᾳ πάντων κατὰ πόλιν ἢ ἀγροὺς μενόντων ἐπὶ τὸ αὐτὸ συέλευσις γίνεται. Cumque precum et Eucharistiæ solemnia descripsisset subjungit, οἱ εὐτοροῦντες δὲ καὶ βουλόμενοι, κατὰ προαίρεσιν ἕκαστος τὴν ἑαυτοῦ, ὃ βούλεται δίδωσι, καὶ τὸ συλλεγόμενον παρὰ τῷ προεστῶτι ὑποτίθεται, καὶ αὐτὸς ἐπικουρεῖ ὀρφανοῖς τε καὶ χήραις, etc. Observandum venit *Dominici* voce tria significari apud veteres. 1° Diem ipsam, ita habetur *Apoc.* I, 9, et Ignat. Ep. *ad Trallian.* 2° Ecclesiam, ita Concil. Neocæs., can. V, jubet catechumenum ingredientem ἐς τὸ κυριακὸν, in loco catechumenorum subsistere. Et Hieron. in *Chronico* sic voce *Dominici* utitur, et in vernaculis nostris linguis, Nostratium *Church*, et Germanorum *Dohm*, ex hoc fonte liquido deducuntur. 3° Ponitur pro mysteriis loco et tempore prædictis celebrari solitis; ita κυριακὸν τελεῖν, est sacris christianis operari. Et fortasse huc facit, quod hic dicitur *Dominicum celebrare te credis?* Certe adeo arctus erat nexus inter Eucharistiæ perceptionem, et jus oblationes participandi; ut pari semper passu procederent, et abstenti viderentur, quibus hoc privilegium κοινωνίας μετὰ προσφορᾶς negatum: qua de re videatur Concil. Ancyr., can. V, nec non quæ dicuntur in Ep. 2. In hanc mentem locutus videtur D. August. serm. 213, de Temp.: *Oblationes quæ in altario consecrantur offerte; erubescere debet homo idoneus, si de aliena oblatione communicat.*

Subcinericium panem. LXX habent ἐγκρυφίαν μικρὸν. Hesychio interprete, ἐγκυρίας, ἄρτου εἶδος ὁ ἐν σποδῷ γενόμενος, τῷ μὴ εἶναι κλίβανον.

Fidelia farris. Vas fictile. LXX: ὑδρία τοῦ ἀλεύρου οὐκ ἐξέλιπε, καὶ ὁ καψάκης τοῦ ἐλαίου.

Verus et justus. Lectionem illam sequitur auctor noster quæ habet. ἄνθρωπος ἐκεῖνος ἀληθινὸς, δίκαιος;

Digitized by Google

cujus loco alia exemplaria reponunt ἄμεμπτός, alia ἄμωμος. Quæ hic redundant de offerendo vitulum pro peccatis, in græcis passim exemplaribus occurrunt; et revera, θυσίαις superaddi solent, τὰ περὶ ἁμαρτίας. Vid. Ps. XXXIX, 10.

Præmium enim bonum. Sic etiam legit Vulgatus interpres. Græca habent, θέμα ἀγαθόν, unde θεματικοὶ ἀγῶνες, in quibus deposito aliquo præmio certatur: qui et ἀργυρίται; oppositi στεφανίταις et φυλλίταις.

Quale munus. Impensæ munerariorum apud Ethnicos, in hominum laniena et pernicie versabantur; Christiani in iisdem sublevandis sumptus fecerunt. Spectaculum illud Deo opt. max. alterum diabolo dignum. Porro non solum in largitionibus, sed multo magis in perpessionibus; spectaculum Deo, Angelis, et hominibus facti sunt Christiani; referente Apostolo I Cor. IX, 9: *Munus coram summo Deo*, videtur opponi illis quæ fiunt, *coram hominibus.*

Quadriga vel Consulatus. Majorum magistratuum honores et insignia. *Curules*, inquit Festus, *equi quadrigales.*

Ac nisi editio honesta successerit. Sic lib. ad Donatum, *Stulta prorsus et vana jactura, frustrantis spectaculi voluptate id parare voluisse, quod nec populus acciperet, et perderet magistratus.*

Ambustionem. Græca habent κόλασιν αἰώνιον. Noster, constans in hac lectione, πύρωσιν legisse videtur.

Quid sub Apostolis fecerit credentium populus. Ad illa pariter tempora provocat auctor noster, sub finem lib. *de Orat.*

Dies nos vel redditionis. Tertullianus, de Resurrect. carnis, c. 32, *redhibitionem* ponit. Altera lectio quæ *reditionem* habet, Rigaltio non displicet: ut *reditio quæ spontanea videtur, persecutioni opponatur, quæ est violenta. Vel potius, ut per reditionem intelligatur in Paradisum aditus, unde expulsus peccator Adamus, et progenies Adami infecta peccato. Hoc peccatum abolevit Christus, atque inde boni Christiani redeunt in paradisum, quo Cainus fratricidio non rediit, inquit Cyprianus, de Zelo et Livore, sub finem.*

IN LIBRUM DE BONO PATIENTIÆ.

De bono Patientiæ. Ipse Cyprianus in celebri ejus epistola *ad Jubaianum*, titulum hunc tuetur; ubi ait: *Propter hoc, etiam libellum de Bono Patientiæ quantum valuit nostra mediocritas, permittente Domino et inspirante, conscripsimus.* Unde etiam facile discitur quo tempore et ex qua occasione eumdem ediderit tractatum. Nimirum post motam de hæreticorum Baptismo litem, scil. circa annum 255, scripsisse apparet; ut exacerbatis hinc inde partium animis remedium afferret: cui rei, quo rectius consuleretur, per totum operis decursum, ne vel voculam unam interponit (quod singularis prudentiæ qua in rebus gerendis usus est, indicio esse possit), quæ infelicis controversiæ memoriam refricaret. Porro libelli hujus non modo meminit Pontius, sed etiam Hieron. *adv. Lucifer.*, August. l. III. *cont. Cresc.*, c. 1. Etiam l. VII. *de Baptismo*, contra Donat., c. 54, nec non l. IV, *ad Bonif.*, c. 8, et alibi passim.

Hanc se sectari philosophi quoque profitentur. Tertullianus pariter ait, lib. de Patientia: *Philosophi quidem, qui alicujus sapientiæ animalia deputantur, tantum illi subsignant, ut cum inter se variis sectarum libidinibus, et sententiarum æmulationibus discordent, solius tamen patientiæ in commune memores, huic uni studiorum suorum commiserint pacem: in eam conspirant, in eam fœderantur, illam affectatione virtutis unanimiter student, omnem sapientiæ ostentationem de patientia præferunt.*

Cum Deo virtus ista communis. Tert. de Patientia c. 3: *Penes nos ratio et structio, satis aperte non sermonibus modo in præcipiendo, sed etiam passionibus in sustinendo, probant his quibus credere datum est, patientiam Dei esse naturam, effectum et præstantiam ingenitæ cujusdam proprietatis.*

Immortalitate interim posita. Sic Principes majestatem ponere dicuntur, cum dignitatis insignia exuentes, plebeio habitu in medium procedunt.

Oculos paulo ante formasset. Ac si non aperuisset oculos, sed fecisset. Sic Nonnus c. IX, Joan. ἀρωτίστου προσώπου.

> Συμφερτὴν, ἁμίριστον ἔχων, ἀχάραικτον ὀπώπην,
> Ἣν φύσις οὐκ ἐτύπωσε, λιτοβλεφάροιο δὲ κώλου,
> Οἰδαλέον ξένον ὄμμα γενειάδος εἶχεν ὁμιχλὴ.

Ut consummetur in Christo. Respicere videtur auctor noster verba Servatoris dicentis τετέλεσται. Jo. XIX, 30, quasi non prophetias, sed patientiam adimplevisset.

Super quem Ecclesia. Similia habentur in Epistolis *ad Florent. Pupien. ad Jubaian. ad Quint.* et alibi: solet enim auctor noster cum Scripturæ testimonium laudat, id scriptoris ipsius elogio illustrare. In lib. de Opere et Eleem. D. Paulum citans ait: *Apostolus Paulus Dominicæ inspirationis gratia plenus.* Et in hoc ipso libro, *Beatus Apostolus Paulus, plenus Spiritu sancto, et vocandis formandisque gentibus missus.* Et paulo post, *Paulus divini præcepti memor*, ut et alibi passim.

Fratrem parricidam. Lege Pompeia de parricidiis cavetur, ut parricidii teneatur, non solum qui patrem aut matrem interfecerit; sed qui fratrem, sororem, patruelem, etc. occiderit.

Initium sumit a lacrymis. Plinius, lib. VII, *in proœmio*, hoc multis exsequitur: *Hominem nudum et in nuda humo, natali die abjicit natura, ad vagitus statim et ploratum, nullumque tot animalium ad lacrymas, et has protinus vitæ principio. At hercule risus præcox ille et celerrimus ante quadragesimum diem nulli datur.*

Justitiæ dicata innocentia. Baptismalis nimirum.

Nec post gestatam Eucharistiam. Lectionem Pamelii retinemus, paucorum licet codicum auctoritate fultam; revera enim melius respondet *manui*, cujus mentio hic habetur, *gestata*, quam *gustata Eucharistia.* Et quidem non dissimili loquendi genere usus alibi est Cyprianus, in Ep. nimirum ad Thibaritanos: *Armemus*, inquit, *dextram gladio spirituali, ut sacrificia funesta fortiter respuat, et Eucharistiæ memor, qua Domini corpus accepit.* Sic in lib. de Lapsis. *Quod non statim Domini corpus iniquitatis manibus accipiat.* Insuper constat ex libro prædicto, panem eucharisticum fidelibus non tantum per sacerdotem distributum, sed ab iisdem domum deportatum.

Vermium pœna consumit. In hanc mentem supra locutus est auctor noster in lib. de Mortalit. *Erumpentes bestiolas* vocat Tertull. lib. *de Patientia.*

Ut itineris sui duces nuncuparet, caput bubulum, et terrestre figmentum. Tertullianus adversus Judæos cap. 1, ait *processisse eis bubulum caput*, et quod *huic figmento universus Israel relicto Deo honorem dederunt, dicentes; Hi sunt Dei qui nos ejecerunt de terra Ægypti.* Ita autem verba hæc concepit auctor noster, ut non unum sed multiplex idolum ab Israelitis cultum referat. Et revera non temere et ex Hebræo solum idiomate LXX interpretes plurali numero usi sunt dicentes: οὗτοί σου θεοί, Ἰσραήλ, et, ποίησον ἡμῖν θεοὺς οἳ προπορεύσονται ἡμῶν. Etenim ex prophetia Amos, V, 26, (a D. Stephano laudata) constat, ab Israelitis non tantum conflatum vitulum aureum, sed *tabernaculum Moloch, et imaginem Idolorum, Sidus Dei Rempham, figuras quas fecerunt.* A Psalmista, Ps. LXXVII, 64, dicuntur Israelitæ, hoc facinore *Deum ad æmulationem accendisse:* idque merito. Cultum scil. Deo opt. max. debitum, quique in Tabernaculo columna ignis et nube conspicuus apparuit; Molocho sive Soli tamquam præsentiori numini tribuebant, (et ipsius tabernaculum, thensamve septem conclavium, pro planetarum numero, referente R. Simeon in Jalkut), circumferebant. Insuper cultum Jehovæ, sive Deo summo, *qui est, erat, futurus est*, peculiare; Rephan sive Saturno (sic enim apud Ægyptios appellatur) temporis Deo, et planetarum summo, cujus

emblema bos stellatus (ob agriculturam cui præfuit, et sidus ejus ἐπὶ μετώπου ἄκρου, inquit Cyrillus) transtulerunt.

Bonis patientiæ et impatientiæ malis. Eadem plane methodo utitur Tertull. in lib. *de Patient.*

In viduis laboriosam castitatem. Simili formula Tertullianus de Virg. velandis, *continentiæ laboratioris* meminit. Et inter virgines et viduas comparationem instituens, dicit : *Virginitatem gratia constare, continentiam* vero *virtute. Non concupiscendi cui concupiscendo inoleveris, grande certamen est. Cujus autem concupiscendi ignoraveris fructum, facile non cupisces.*

Singulæ stolæ albæ. Codices mss. non pauci legunt ἐδόθη αὐτοῖς ἑκάστῳ στολὴ λευκή. Deinceps in græco textu solum occurrit πληρώσονται, quodque hic de numero habetur, interpretamenti loco apponitur.

Igne enim Domini. LXX legunt, ἀποσκορακισμὸν ἐν φλογὶ πυρὸς, ἐν γὰρ πυρὶ κυρίου κριθήσεται πᾶσα ἡ γῆ, καὶ ἐν τῇ ῥομφαίᾳ αὐτοῦ πᾶσα σάρξ.

Dominum adora. Legisse videtur Cyprianus non τῷ Θεῷ προσκύνησον, sed τῷ Κυρίῳ.

IN LIBRUM DE ZELO ET LIVORE.

De zelo et livore. Liber iste, ejusdem fere argumenti cum præcedente, ex eadem occasione etiam scriptus videtur. Sed cum in Epistola *ad Jubaianum*, tractatus *de Patientia*, non autem hujus *de Zelo et livore* meminerit Cyprianus ; par est credere, tempore scriptionis istius Epistolæ, alterum duorum tractatuum solummodo fuisse elucubratum. Proinde auctorem nostrum hunc non ante annum proxime sequentem, nimirum 256 edidisse. Ulterius autem illud opus minime dilatum, exinde suadetur, quod statim persecutio ingrueret, quæ publica clade privatas simultates, quemadmodum ruinæ solent incendia, extingueret: quæque etiam Cyprianum ipsum perculit, et Curubas amandavit. Libellum hunc Pontius evidenter designat, quando ait : *Quis livorem de venenata invidiæ malignitate venientem, dulcedine remedii salutaris inhiberet?* Ejusdem meminit Hieron. in Comment. in Epist. *ad Galat.* c. v, ubi appellat *librum de Zelo et Livore valde optimum* (hoc addito elogio), *quem qui legerit, non dubitabit annumerare operibus carnis invidiam.* Pariter laudat Augustin., lib. IV, c. 8, 9, 11, *De Baptism., cont. Donatistas*, et etiam l. V, c. 14. Citat etiam Beda nostras in 1 Epist. D. Petri, c. ult.

Circuit, aliquem devorare quærens. In sacro textu περιπατεῖ ; plurimi codices mss. habent περιέρχεται. Ita Israelitæ urbem Hierecuntem circumambulando destruebant. In libro *Job*, dicitur diabolus orbem pererrare ; hic *nos singulos circuire* perhibetur : ita intentus in uniuscujusque, ut in omnium perniciem.

Ipse zelo ante dejectus. Sunt qui superbiæ potius quam invidiæ, angelorum lapsum imputant ; sed adeo individuo nexu vitia ista cohærent, ut seorsim consistere neutrum possit : imo alterum alteri parens simul sit et proles.

Livor exponitur. E medio tollitur, ex idiomate auctoris, de quo supra monuimus in lib. *ad Donat.*

Rapacitatem statuit. Consistere facit ; cohibet, ita supra siccitas dicitur flumina statuere.

Videris quam sis. Consideres, reputes. De hac Cypriani phrasi egimus in libro *ad Donat.*

Christus passus est. Locus hic sæpius affertur.

Doctorem quoque eum maximum. Sacer textus solummodo habet μέγας κληθήσεται. Illi vero quibus cœlestis regni politia magis quam domus sua nota videtur ; peculiarem aureolam doctoribus assignant, ita ut etiam in cœlis doctoratus gradus sit capessendus, vid. Dan. XII, 3.

Nec charus. Charitatis cultor, benignus et amicus.

Incipietis mori. Μέλλετε ἀποθνήσκειν.

Portemus et imaginem. De hac lectione sæpius monuimus.

Soboles subsiciva. Legendum suadet Rigaltius *successiva ;* sed codicum suffragiis destitutus. Ego lectioni receptæ adhærendum censeo, ut ex vulgari loquendi formula, filii quasi ex parentum stirpe surculi abscissi habeantur, qui arboris ingenio respondent. Sic Rom. XI. Apostolus Judæos bonæ olivæ germen, Gentes oleastri compellat. Et Isaias pariter c. V, Israelitas vitis generosæ stoloni comparat, qui pro uvis fecerat labruscas. Epistola ad Euchratium de histrione, simili fere modo dicit auctor noster : *Non potest videri cessasse, qui vicarios substituit, et qui pro se uno plures succidaneos suggerit.*

Cor viri cogitet justa. Hæc frustra quæsiveris in bibliis quæ textum Hebræum sequuntur ; sed lectioni LXX. omnino respondent. Et quidem nihil perturbatius, quam liber hic Proverbiorum in codicibus græcis. Verba ipsa sunt, καρδία ἀνδρὸς λογιζέσθω δίκαια, ἵνα ὑπὸ τοῦ Θεοῦ διορθωθῇ τὰ διαβήματα αὐτοῦ. Sed si attentius rem pensitemus, apparebit LXX interpretes non longe hic a scopo aberrasse : legerunt scil. אדה pro רוח quomodo legisse videtur Chaldæus paraphrastes dum ait מתקן אורחתיה אלהא aut saltem secreta viarum hominum, idem esse cum spiritu ejus duxerunt.

MARTIN. JOS. ROUTH. S. T. P.

COLLEGII S. MAGDALENÆ OXON. PRÆSIDIS,

IN QUATUOR D. CYPRIANI LIBROS ANNOTATIONES SELECTÆ.

(E Script. Ecclesiastic. opusc. præcip. t. I, edit. alt. Oxon. 1840, p. 330-339.)

IN LIBRUM DE IDOLORUM VANITATE.

CAPUT PRIMUM. — *Quod idola dii non sint ; et quod Deus unus sit ; quod per Christum salus credentibus data sit.* Cum in nonnullis codd. scriptis, atque veteribus aliquot ante Baluzianam, seu Benedictinam, editionibus omnia hæc pro titulo seu potius argumento operis recte seorsum posita sint, ita imprimenda ea curavi. Cæterum ad tertium quod attinet hujus tituli articulum, qui qualis hic exstat, editioni Manutianæ primitus debetur, consimiliter scribit auctor in sequentibus, *Quod vero et Christus sit, et quomodo per ipsum nobis salus venerit, sic est ordo, sic ratio.*

Et dies festos tanto honore celebrabant. Locum hunc sic restituere ausus sum, reposito *tanto* pro *dando* ex duobus codd. scriptis, uno Vossiano inter lectiones variantes in editione Oxoniensi, seu Fellina, adducto, altero meo, quem ex bibliotheca Tewaterana nuper comparavi. Pro voce *honore* præstabant *honores* vel *honorem* editiones ante Baluzium, exceptis vetustissimis illis ante Erasmianam.

An sic et hæc apud singulos veritas. Ita ediderat,

Digitized by Google

qui ante Baluzium ornavit suam hujus libelli editionem, Jacobus Gronovius, posito *an sit et hoc*, pro vulgato, *an stet hæc*. Firmantque hanc emendationem neglectam a Baluzio, si modo umquam venerit ea ad notitiam ejus, codices duo Cypriani apud Novum Collegium in Oxonio conservati, numeris 2 et 3, a me designati. Exstat in eodem collegio alius præterea Cypriani liber scriptus; sed vero nullius horum codicum lectiones variantes ad hunc quidem quod attinet libellum in Oxoniensi editione comparent. Consentit et cum lectione emendatiori codex Cypriani metus ex bibliotheca cl. Drury nunc a me comparatus.

Cap. II.—*Apollo Admeto pecus pavit.* Hoc pro vulgato *Admeti* posuerat Gronovius in jam dicta edit. hujus libelli, quæ Minucio Felici adjecta, anno 1705, circiter viginti annos ante Cypriani editionem Baluzianam prodiit. Suffragantibus dictis duobus Novi Collegii mss. hanc prætuli lectionem. Ubicumque autem ab editione illa Baluzii in his Cypriani opusculis discedam, id vero, prout jam feci in Firmiliani epistola, nusquam non adnotaturus sum, raro alibi lectionis varietatem adducens.

Inde falcem ferens pingitur. Vulgo additur *senex* post *ferens*, quod in edit. sua recte omiserat Gronovius. Primus vocem recepit Pamelius ex ms. Cambonensi, sed nesciunt eam quatuor codices in edit. Oxon. adducti, præter tres illos Novi collegii mstos, meumque codicem jam supra memoratum, olim Tewateranum, et vetustissimas Cypriani editiones. Quapropter vocem prætermisi. Nunc addere licet duos codices Drurianos, alterumque olim cl. Meermanni jam meum, duodecimo sæculo scriptum.

Cap. III.—*Hoc ita esse Alexander.* (Vid. in hunc loc. Oxon. edit. notam, cui hæc Routh. subjunxit). De epistolis visis a Plutarcho aliisque veteribus scriptoribus, non de iis quæ hodie circumferuntur nomine Alexandri insignitæ, hæc et plura annotavit doctissimus Oxonii episcopus. Male autem omittitur post *ita* verbum *esse*, et post *scribit* punctum in textu Baluziano, unde, ut olim monui, errores isti transiverant in meum.

Cap. IV. — *Meretrices.* In editionibus multis, quæ Baluzianam præcedunt, verba quæ sequuntur uncis inclusa sunt, neque agnoscuntur vel tribus codd. scriptis Novi Collegii aut duobus olim Drurianis aut Meermannano; exstant vero in codice Tewaterano, quem supra commemoravi.

Est et Venus calva. Lactantius lib. I *Div. Instit.* cap. 20 : *Urbe a Gallis occupata, obsessi in Capitolio Romani, cum ex mulierum capillis tormenta fecissent, ædem Veneri calvæ consecrarunt.* Hunc locum post Fellum attulit Baluzius. Verum, dum plures causæ hujus appellationis ab auctoribus afferuntur, ob causam aliquam minus honestam ita vocatam fuisse Venerem, hic innuit Cyprianus.

Cap. V. — *Et Assyrii et Persæ.* Cum voces *et Medi* omnes pene msti omittant, editionem principem hic secutus sum. Sed *Syri* pro *Assyrii* plurimi codices scripti præstant.

Faciant... auspicantur. Pluralia hæc pro vulgatis *faciat* et *auspicatur* posuit Jacobus Gronovius, Cellarium secutus, qui Veronensem codicem in sua edit. hujus libelli Minucio Felici affixi, appellat. Halæ, anno 1699, hæc Cellarii edit. typis mandata est. Sed lectionem codicis Veronensis jam ante cum laude attulerat Rigaltius in notis ad Cyprianum. Addendi mstus Novi Collegii 2, Tewateranus et vetustior ex Drurianis. Retulit interim Mabillonius in *Itinere* suo *Italico*, p. 23, istum codicem Veronensem majusculis litteris ante annos mille scriptum fuisse.

Sed acceptum tempus certo fine custodiunt. Videlicet, tempus sibi assignatum, fine fixo ac determinato, regna Romana habent.

Et victus. Verba hæc neglexi, quæ sine idonea causa addita sunt a Baluzio; quæque interea præte ejus mentem in editione illa posthuma Baluzii post voces *et captus est* locata sunt.

Et eo facilius et navigavit et vicit. Particulam *et* in Oxoniensi aliisque editt. vocibus *eo facilius* præfixam restitui; eadem vero particula ante verbum *navigavit* in iisdem libris omissa est. Utroque loco eam servavit codex Novi Collegii, quem nomino secundum; itidem ms. Drury recentior ille; sed omittit particulam ante *navigavit* vetustior ejus ms. aliter quam ms. Meerman.

Cap. VI. — *Stultum et prodigum. Credulum* Baluzius, qui hanc lectionem quidem faciliorem præposuit alteri lectioni *prodigum*, quam præstant editiones omnes, præter Gravii illam, omnesque fere libri manuscripti. Et voces conjunctæ infra videntur, *Cuncta* prodiga et stulta, inquit Cyprianus, *voluptatum frustrantium depereunt*, *De Op.* et *Eleemos.*, cap. 16. In codice autem meo nuper Tewaterano *incredulum* exstat. *Perditum* quidem pro *prodigum* scriptum olim fuisse conjecit Rigaltius; et habes in eodem capite *cum populo* perditionis *ac mortis;* sed malim ego pro *prodigum* reponere *proditum.* Cicero in *Epist. ad Atticum* III, 15. *Ego* proditus, inductus, *conjectus in fraudem.* Vide Forcellini *Lexic.* in v.

Hostanes. Plinius lib. XXX *Hist. Nat.* cap. 2 : *Primus, quod exstet, ut equidem invenio, commentatus de ea* (magia) *Osthanes, Xerxem regem Persarum bello, quod is Græciæ intulit, comitatus : ac velut semina artis portentosæ sparsisse, obiter infecto quacumque commeaverit mundo. Diligentiores paulo ante hunc ponunt Zoroastrem alium Proconnesium : quod certum est, hic nomine Osthanes ad rabiem, non aviditatem modo scientiæ ejus, Græcorum populos egit.* Attulit Plinianum hunc locum Fellus; nunc vero ex *Harduini editione* repræsentatum.

Et Angelos veros sedi ejus dicit assistere. Nostros pro *veros* habet codex ms. in Var lectt. edit. Oxon. Fortasse olim in *veros* corrupta est vox *servos.*

Consecratis. In textu Baluziano exstat *consecrati* et habet quidem *congregati* unus ms. in edit. Oxon. adductus, codexque Novi Collegii numero 1 a me designatus. Porro, ut lectio varians, ad marg. edit. Erasmianæ *conservati* positum est. Cum vero optimam esse censeam superiorum editionum lectionem *consecratis*, quam quidem firmant duo alteri Novi Collegii codices, mensque olim Tewateranus, et ms. Drurianus uterque, hanc eamdem a Cellario positam, tum a a Joanne quoque Lindnero in edit. sua retentam, pro Baluzii lectione *consecrati* huc ego revocavi.

Cap. VII. — *Morbis lacessunt.* Vulgo *morbos lacessunt.* Ex cod. 2. Novi Collegii locum correxi.

Ad superstitionem sui. Hoc est, dæmonum; supra scripsit auctor, *ad cultum sui.*

Fecerint terrore participes. Vulgo *errore;* quod cum *terrore* fide msti Coll. Nov. 3, nixus mutavi. Ad oram quoque codicis, quem codicem Novi Collegii secundum nomino, hæc lectio ascripta est. De dæmonibus agens posuit Lactantius in *Epitome* sua, cap. 28, *somnia immittunt aut plane terrores.*

Cap. VIII. — *Unus igitur omnium Dominus Deus.* Vulgo existente verbo *est* post *Dominus*, idem suasu trium mstorum Novi Collegii, atque Erasmianæ editionis delevi. Nunc addere licet ms. Drurianum utrumque. Habet mstus Tewater : *Unus ergo omnium Dominus, unus Deus.* Addunt *unus est* ante *Deus* Cellarii, Gronovii et Lindneri editiones.

Nec hic tu de homine mireris, pro lectione Fellina, *Nec hoc tantum de homine mireris*, a Gronovio, Cellario Lindneroque prælata. Sententia mea est debere lectionem editionis principis *nec hic tu* revocari. In msto quoque Tewaterano super vocem *hoc* eadem manu *hic* ut lectio varians posita est.

Cap. IX. — *Sensu major est.* Scribendum *censu* pro *sensu* conjecerat aliquis apud Marshalli *Interpretationem Op. S. Cypriani Anglicam.* Dixi olim, voces istas inter se sæpe confundi; et *censum* vocem Cypriani-cam esse agnovi. Verumtamen nil mutandum esse

Digitized by Google

Lactantii verba ostendunt in *Epitome Div. Instit.* cap. 2 : *Unus igitur Deus est... quem nec æstimare sensu valeat humana mens, nec eloqui lingua mortalis. Sublimior enim ac major est, quam ut possit aut cogitatione hominis aut sermone comprehendi.*

Et cum homo latius (*for.* laxius) *maneat.* Minucius cap. 32, § 1, *quum homo laxius maneam.* Sic ibi cum Fulvio Ursino expressimus, quia Cicero, quem imitari solet Minucius, *habitare laxe* pro domo sua cap. 44, dixit. Codices vero omnes Cypriani, si transcripsit Felicem, præ se *latius* ferunt, ut dubitare incipiam an nec prior ille, *latius*, ut Sabæus et Fr. Balduinus legunt, scripserit. Cellarius, afferente Lindnero. Utrique auctori ascribendum *laxius* existimo, quod in *latius* vel *lacius*, hoc enim habent msti, facile transibat. *Jam fluxisse*, questus est apud imp. Diocletianum Galerius, *annos quindecim, in Illyricum vel ad ripam Danubii se relegatum cum gentibus barbaris luctatum esse, cum alii intra* laxiores *et quietiores terras delicate imperarent.* Lactantius *De Mortibus Persecutorum*, cap. 18.

Dei vocabulum totum est. Obscurius dictum. Fortasse pro *totum* rescribendum *solum* est. *Proprio vocabulo non indigere Deum*, ait quoque Lactantius in *Epitome*, his verbis usus, *eumque esse sine nomine, quod proprio vocabulo non indigeat, quia solus sit*, c. 4. Omiserunt vocem codices Novi Collegii, 2 et 3. Habent *Deus* non *Dei* editiones post Pamelium et ante Baluzium, qui *Dei* revocavit. *Deus* ms. Drury recentior, *Dei* autem vetustior. Porro, cum in versu sequenti ante vocem *diffusus* scribatur *ipse* pro *totus* in vetustissimis editionibus, et in codicibus quinque in edit. Oxon. commemoratis, aliisque omnibus mstis, quibus in hoc libello edendo usus sum, vocem *ipse*, præeunte Gronovio, ponendam curavi.

Cap. X. — *Quod vero est Christus sit*, etc. In verbis, *sic est ordo, sic ratio*, verbum *est* ante *ratio* delevi, quod addidit, reclamantibus cæteris, Baluzius.

Indisciplinati et superbi postmodum facti. Negligentes et indisciplinati, etc. (Baluzii edit.) Cod. Vossii in edit. Oxon. adductus meusque mstus Tewateranus *negligentes disciplinarum* præstant. Duo autem Novi Collegii codices *negligentes disciplinam*. Alter vero ejusdem collegii codex, *sed illi postmodum indisciplinati facti, et fiducia patrum inflati*, exhibet ; quomodo ms. Drurianus vetustior se habet. In textum recepta est lectio *indisciplinati* in editione Cypriani Morelliana, quæ, anno 1564, typis impressa est. Porro de eadem voce hoc notavit in editione sua hujus tractatus Cellarius, usum ea fuisse Vulgatum interpretem in *Sapientiæ* lib. cap. xvii, comm. 1, et Glossas vet. habere *indisciplinatus*, ἀμαθής. Ego interea ablegatis verbis *negligentes et*, quæ tamen et ms. Meerman. agnoscit, Cyprianum scripsisse existimo, *Sed illi indisciplinati, et superbi postmodum facti*, ut istud, *negligentes disciplinarum*, vel, *disciplinæ*, vocis Cyprianicæ *indisciplinati* interpretamentum habeatur.

Soli et cœli sic prologi, Tertullianus *Apologet.*, c. 21. *Dispersi, palabundi*, et cœli et soli qui extorres *vagantur per orbem.*

Cap. XI. — *Multo melioris obsequii et fidei fortioris. Multo fidelioris et melioris obsequii* (Baluzii edit.). Ex codicibus Novi Collegii 2 et 3, meoque msto olim Tewaterano, verba, *melioris obsequii et fidei fortioris* in textum recepi. In cod. vero Novi Coll. dicto 1, et in cod. Druriano vetustiori posita sunt tantum verba *multo fideliores*, omissis illis, *melioris obsequii et fidei fortioris*, quod et factum est in editione Gronovii. *Melioris obsequii et fidei fortioris* ms. Drurianus recentior omissa voce *multo*. Cum lectione Baluziana consentit ms. meus olim Meermanni.

Illuminator et deductor humani generis. Vulgo *doctor*, sed *deductor* receperunt olim Cellarius et Gronovius, recentiusque Lindnerus, dum diu ante Rigaltius hoc annotaverat : « *deductor humani generis* : sic « legitur antiquissimis Cypriani et Tertulliani exem- « plaribus. » Exstat porro *deductor* in codd. duobus Novi Collegii, Drurianoque vetustiori ac Tewaterano meis. Vox Tertulliani est, cum alibi exstans tum etiam in ipso hoc *Apologetici* loco, quem huc transtulit Cyprianus. Pro eadem *rector* habet ms. Drurianus recentior, *doctor* Meermannanus.

Hic est virtus Dei, etc. Tertullianus *Apologet.* cap. 23. *Dei virtus, et Dei spiritus, et sermo, et sapientia, et ratio, et Dei Filius.* Confer et initium lib. ejus *de Oratione*, supra pag. 97. Ita et in sequentibus multa huc translata sunt ex cap. xx ejusd. *Apologet.* quemadmodum in superioribus plurima jam ante debuerat auctor Minucio Felici.

In virginem delabitur. Quoniam hoc pro vulgato *illabitur*, tres exhibent codices in edit. Oxon. adducti, et tres illi apud Novum Collegium, meique itidem manuscripti, idem ego prætuli, quod et fecit Lindnerus Cellarium secutus, verbum præstat Tertullianus.

Carnem Spiritus sanctus induitur. Confer *Rom.* 1, 3, 4, ubi duæ naturæ Christi sic signantur.

Cap. XII. — *Monentibus annuntiabitur.* Hanc editionis principis lectionem, quam firmant septem saltem codices manuscripti, pro voce *admonentibus*, reposui.

Uno qui exercitio et exemplo hominis fungeretur. Quod obscurius hic scripsit auctor, in omnibus libris exstat.

Cap. XIII. — *Existimabant magum de licentia potestatis.* Positum est *licentia potestatis* pro eo quod est amplitudo ejus. Tertullianus, cap. 20. Apologetici : *Quem igitur solummodo hominem præsumpserant de humilitate, sequebatur ut magum existimarent de potestate.* Tertullianum imitatus est Cyprianus, hunc vicissim Arnobius, l. 1, c. 46.

Hunc magistri eorum... tradiderunt. Hic locus nonnihil aliter repræsentatur in editione Manutiana, faventibus quidem codicibus scriptis, quibus ego usus sum, verbisque Tertulliani in cap. 21 *Apologetici* quæ imitatur Cyprianus ; haud vero operæ pretium videtur, ut moveantur voces hic receptæ idemque significantes. Tertullianus hæc inter, quomodo in priore libelli parte, Minucium auctorem sibi proposuit.

Cap. XIV. — *Nam et crucifixus, prævento carnificis officio*, etc. Tertullianus, in *Apologet.* cap. 21 : *Et tamen suffixus spiritum cum verbo sponte dimisit, prævento carnificis officio.*

Qualis et fuerat. Sic codd. Novi Coll. 2 et 3. Edidit Baluzius *talis qualis et fuerat*, cum prius extitisset vel, *talis ut fuerat*, vel, *talis ut ante fuerat.* Habent *talis ut fuerat* codex Novi Coll. 1 et mss. Meerman. et Tewater. et Drurianus vetustior. *Ut fuerat* sine *talis* ms. Drurianus recentior.

Simul junctis. Exstare hanc lectionem in codicibus Regio et Veronensi monuit Rigaltius in Notis, *Junctis est*, ait ille, *illud Lucæ*, συνηθροισμένοις τοῖς ἕνδεκα : *Luc.* xxiv, 33. Idemque ante me recepit Cellarium secutus Lindnerus. *Junctus* exhibent Manutii, Felli, Gronoviique editiones, Pamelii msti et aliquot codices Baluziani, codex Novi Coll. 1, meusque, nuper Tewateranus, et Drurianus recentior. Sed *vinctus* est editionis principis scriptura, faventibus codice Novi Col. 2 meisque scriptis Meermannano et Druriano vetustiori, et novem præterea libris scriptis, quos adducit Baluzius, cui quidem ita placuit, ut ipsam in edit. suam revocaverit : « tamquam si Christus discipulis suis apparuisset cum fasciis et vestitu, in quibus corpus ejus positum fuerat in sepulchro cum syndone in quo Joseph ab Arimathæa corpus illius involverat. » Hæc ille : quæ tamen a sacra historia nimis dissentirent. Sed in editione Veneta, quæ prodiit anno quo princeps illa Cypriani editio Romana, quæque vix alibi, quod sciam, ab ea discedit, positum est *victus.* Hæc vox itidem in editione quadam vetusta sine loco et anno comparet, in editione quoque Erasmiana et in cod. Nov. Coll. 3, sine sensu tamen. Quam facilis interea transitus esset vocis *junctus*, vel *junctis*, in al-

Digitized by Google

teram *vinctus* inde patet, quod in codice Novi Coll. 1, apud Firmiliani epistolam hæ voces inter se confunduntur. Vid. § 32.

Ultoris vigore et judicis potestate. Fortasse legendum est, *in ultoris*. Paulo supra scribit Cyprianus, *Non intelligendo primum adventum qui in passione præcesserit occultus, unum tantum credunt, qui erit* in potestate *manifestus*. Confer Tertullian. cap. ultimum libri *adversus Judæos*. Exstat *ut ultoris* in cod. Nov. Coll. 1.

Magistro et Deo. Fortasse delendum *et*. Habet codex Veronensis, probante Rigaltio, *non magistro, sed Deo*, codexque Novi Col. 1, *Domino Deo*. Sed malim legere *magistro Deo*, auctore Tertulliano, quem Cyprianus hic produxit, *Discipuli*, inquit, *quoque diffusi per orbem ex præcepto* magistri Dei *paruerunt*.

Cap. XV. — *Si Christum fuerimus secuti, Imitati* edit. Baluz. Felli edit. aliæque. Revocandam judicavi pristinam lectionem *secuti*, quam præstabant codices sex scripti in edit. Oxon. nominati liberque Novi Coll. 1, duoque ex meis Meermann. et Drurianus vetustior. Addas codicem Vindobonensem, sæc. IX, ut ex Catalogo Denis. constat, vol. I, col. 582. Quidni altera lectio *imitati* hujus interpretamentum censeatur?

IN LIBRUM DE MORTALITATE.

Recte additum fuisse a doctissimo Fello quod ille de Hieronymo posuit notæ suæ fine, ostendit versio Armeniaca Eusebiani Chronici, quæ his demum temporibus publici juris facta est, ubi nullum exstat verborum ab Hieronymo additorum vestigium. Vide *Eusebiani Chronici* edit. Jo. Baptistæ Aucher, Venetiis an. 1818, vol. II, p. 299.

Caput primum. — *Veritatis errore.* Habet Tacitus *Hist.* II, 72, *errore veri*, h. e. ignorantia rei vel facti. Cons. Forcellini *Lexicon Lat.*, voce *Error*.

Cap. II. — *Perpetua lætitia.* Exstat in textu Baluziano *perpetua securitas*, sed invenitur lectio altera, quam revocavi, cum in omnibus libris editis, tum in scriptis, quos consulere mihi licuit, duobus nempe Novi Collegii codicibus, et quatuor penes me membraneis, e quibus Meermannanus duodecimo sæculo scriptus est, præter Drurianum recentiorem, quem non possideo. Exstat itidem vox *lætitia* in codice quodam Vindobonensi sæculi XIII. Vid. *Denis Catal.* vol. II, col. 2129. Adde quod nulla varietas hoc loco notata est in lectionibus edit. Oxon. subjectis.

Incipere regnare. Codex Sorbonicus *in perpetuo*. Alius vetus, *cum Christo perpetuo regnaturum*. Bal. Olim scripsit Joan. Fred. Gronovius *Observatt. de Scriptoribus Ecclesiast.* post adductum hunc Cypriani locum: « *Incipere regnare.* Membranæ; qui se non « credat cum Christo in perpetuo regnare. Quod « credo mutasse, quibus videbatur incommode positum solum *regnare*, quasi jam nunc regnent. At « optimis auctoribus præsens infinitivi pro futuro « usitatum. Cicero lib. IV ad Atticum: *Cato tamen « affirmat se vivo illum non triumphare.* Livius « lib. XXXIV. *Postero die Nabis Argis se cedere ac deducere præsidium, quando ita Romanis placeret, et « captivos et perfugas redditurum dixit:* » Plautus Rudente, « *Sive lenonem facere hoc quod fecit,* » cap. XIV, p. 150, edition. Daventr. Verumtamen ita scribit Cyprianus infra, *illic comparantes domos*, ubi inciperent semper habitare, *de Opere et Eleemos.*, cap. penult. Porro habent aliqui apud S. Paulum *ad Romanos* VIII, 13. *Si enim secundum carnem vixeritis, incipietis mori*, μέλλετε ἀποθνήσκειν. Neque mutant quid hoc Cypriani loco, codices quibus usus sum msti.

Cap. IV. — *Vinolentia invitat. For. legend.* irritat.

Cogeris maledicere. Etiam Christo interdum.

Compelleris jurare, quod non licet. Cyprianus *de Bono Patientiæ*, p. 252, ed. Baluzii... *deinde ut non jures, neque maledicas, ut tua ablata non repetas, ut accepta alapa et alteram maxillam verberanti præbeas, ut fratri in te peccanti*, etc. Sed, quamquam minime negandum est quin plurimi veteres scriptores κατὰ τὸ λέξιν interpretati sint Christi et apostoli Jacobi de non jurando præceptum, discimus tamen lectis aliis auctoribus ecclesiasticis, apud Christianos semper invaluisse rite et religiose jurandi morem. Cons. enim, præter Tertullianum supra allatum, *Constitut. Apost.* VII, 3; Fr. Belduin. *de Legibus Constantini M.* lib. II, p. 209, ed. Lips.; Optatum *de Schismate Donatist.* lib. II, c. 22, p. 45, ed. Dupin.; S. Gregorium Naz. *Epistola* 219. Conferas et de eadem re S. Scripturæ locos, quos hic memorabo, *Apoc.* X, 6; *Heb.* VI, 16, 17; I *Thess.* V, 27.

Cap. VI. — *Et delectat hic*, etc. Ἐρωτηματικῶς legenda.

Cap. VII. — *Christum credentium magistrum.* Vulgo, *Christum credentium* Dominum et *magistrum*. Sed vero nescientibus hoc additamentum tam editionibus Cypriani vetustioribus, quam libris scriptis, quos ipse contuli, præter alios novem, quorum varietas in edit. Oxon. adducta est, idem istud expunxi. Simili de causa vocem *scilicet* post *docens*, delendam censui. Idem porro utroque loco in editione nuper factum esse video *S. Cypriani Epistolarum ad martyres et confessores, in usum confessorum Ecclesiæ Gallicanæ.* Lond. 1792. Ubi edit. Oxoniensem secutum se esse, sed tamen variantes lectiones eidem subjectas nonnumquam selegisse, editor profitetur.

Cap. VIII. — *Et Spiritus nos perducat ad Deum Patrem. Et Christus nos perducat ad Deum Patrem.* Bal. At propter antecedentia verba veterem reduxi lectionem, quæ firmatur scriptis codicibus, quos sciam, omnibus præter paucos ex plus triginta Baluzianis. Quinetiam, dum hunc quidem locum mutat, oblitus est vir doctissimus canonis artis criticæ, qui obscuriorem, cæteroquin probam, lectionem jubet nos amplecti.

Cap. IX. — *Scriptura divina, dicens*, etc. Videsis infra quæ de hoc libro *Ecclesiastico* ad libellum *de Opere et Eleemosyna* § 1, annotavimus.

Cap. XI. — *Monet... dicit.* Hæc verba pro editis *moneat dicat*, ex codice Novi Collegii 2, ac quatuor de meis mstis recepi.

Cap. XII. — *Christianam fidem.* Vulgo Christiani *fidem*. In codice Novi Coll. 2, et in duobus meis non *Christiani*, sed *Christianam* inveni, quod hoc loco fortasse melius.

Gubernator. Navis gubernator. Hunc locum antea mutilum, cum legeretur *Nam* pro *Navis*, nos supplevimus ope duorum veterum exemplarium. In tribus deest vocabulum *Nam*, quod alibi et in editionibus ponitur ante *gubernator*. Error est; sed tamen error ille ostendit veram esse lectionem, quam nos afferamus. Hæc Baluz. Sed præterquam quod orta possit esse particula *nam*, in editionibus veteribus reperta, ex antecedente voce *corona*, neutra vox vel *nam* vel *navis* ullis fere mstis agnoscitur, quippe cum ex neque in tribus illis Baluzianis, neque in libris editionis Oxoniensis gratia collatis, neque in septem, quos ego inspexi, codicibus compareant; ad oram tantum msti Tewaterani collocata vox *navis* est. Hanc ergo ut interpretamentum marginale contextu eliminandam censui, quæ primum a Baluzio inducta est. Adde quod Floro Lugdunensi ante medium sæculum nonum scribenti ignota vox fuit. Etenim abest a codice vetusto Commentarii ejus inediti in Epistolas Paulinas, qui ex Cypriano aliisque undecim patribus contextus est, ubi verba Cypriani afferuntur. Aliud præter hoc meum, ut obiter id notem, Floriani operis exemplum penes Majorem Carthusiam exstare memorat cl. Mabillonius in Disquisitione *De Bedæ et Flori Diaconi Lugdunensis Commentario in Paulum ex Augustino*, alio nimirum ejusdem Flori, non Bedæ, ut vulgo censetur, commentario. Vide p. 488, novæ edit. *Vet. Analectorum Mabillonii.*

Conflictatio in adversis probatio est virtutis. Vulgo

Digitized by Google

veritatis, quæ quidem lectio in codice Novi Coll. 1, exstat, sed ex uno Bodleiano in Variis Lectt. edit. Oxon. memorato, codice altero Novi Coll. meoque Tewaterano *virtutis*, id quod olim conjeceram legendum, recepi. Ad oram autem codicis Novi Coll. altera lectio *veritatis* exstat, et aliud nescio quid in uno de meis mstis positum est.

Solidata est. Solida est habet editio Baluziana perinde atque Oxoniensis; cum vero in duodecim scriptis codicibus, quos Oxoniensis commemorat, vox *solidata* exstet, astipulantibus utroque Novi Collegii codice, et quatuor meis, hanc principis cæterarumque vetustiorum editionum lectionem revocandam esse censui. Idem quoque factum nunc vidi in editione, cujus modo mentionem feci, in usum ecclesiæ gallicæ confessorum adornata.

Cap. XIV. — *Præmium viæ ejus*, pro *præmium* vitæ *præmium* viæ ex tribus codd. scriptis in edit. Oxon. memoratis, et Novi Coll. ms. 1, libens recepi.

Cap. XV. — *Pavore mortalitatis et temporis.* Delendam esse particulam *et* olim opinabar, eo quod legeretur paulo post, *tempore mortalitatis*. Nunc malim pro *temporis* rescribere *terroribus*.

Cap. XVII. — *Nec enim sanguinem nostrum quærit Deus, sed fidem. — Nec enim Deus sanguinem nostrum desiderat, sed fidem quærit.* Et istud *desiderat* adjecimus ex quibusdam codicibus nostris, et ex quibusd. Anglicanis. Potest tamen esse glossema. Baluz. Scripturam principis aliarumque editionum atque unius codicis membranei mei reposui. Diverso tantum ordine verborum habet Novi Coll. cod. 1: *Nec enim quærit sanguinem Deus nostrum, sed fidem.* Et ms. olim Meerman: *Nec enim sanguinem Deus nostrum, sed fidem quærit.* Itidem edit. Oxon, *Nec enim Deus sanguinem nostrum, sed fidem quærit.* Sed in libro meo olim Tewaterano hoc positum est: *Nec enim sanguinem nostrum Deus* desiderat, *sed* tantum *fidem.* Cumque lectione Baluziana consentiunt ms. Novi Coll. 2, et ms. olim Drurianus recentior ille, sed alter vetustior habet, *Nec enim sanguinem Deus* noster, *sed fidem quærit.*

Cap. XIX. — *Commeatum sibi precaretur.* Veniam absentiæ longioris a Domino: hoc est vitæ hic in terris moram. Fell. Doloris mortisve remissionem *commeatum* antiqui dixerunt. Senecæ illud afferunt lexicographi: *Longum mihi commeatum dederat valetudo, repente me invasit.*

Cap. XX. — *De persecutione sollicitus, de accersitione securus.* Ita scribendum conjeceram pro ablativis *sollicitis* et *securis*, antequam hanc lectionem in meis Novique Coll. codicibus, quibus addas quinque Pamelianos, deprehendi. Sensus loci videtur esse, Illorum gratia de persecutione sollicitus; ne vi ejus coacti fidem denegent; de accersitione securus, utpote certus, eos accersitione divina de seculo liberatos fore. Vid. paulo infra; et jam supra sub initium § 2, habes, *Lætus itaque de morte jam proxima, et* de vicina accersitione securus. Imo geminum istud fine libelli exstat: *Jam de sua immortalitate secura, adhuc de nostra incolumitate sollicita.* At vero Fellus ad verba, *de persecutione sollicitis, de accersitione securis*, hoc adnotavit, « Martyrii coronam refugiunt, cœlestia gaudia non expetunt. » Utrum mavis, accipe.

Didicit immo remanentibus. Fide nixus msti Tewaterani aliorumque quatuordecim in edit. Oxon. memoratorum, in quibus sunt duo illi Novi Collegii codices, tractatus omnes Cypriani continentes, pronomen *nobis* in excusis additum ante *remanentibus*, sed obscuriorem faciens sermonem, expunxi. Idem nescit ms. uterque Drurianus.

Cap. XXI. — *Improbat denique apostolus Paulus.* Hanc omnium editionum lectionem Baluzius nescio quare cum altera *increpat* commutavit. In edit. Oxon. quæ, pariter ac cæteræ, præstat *improbat*, duo tantum codices memorantur, in quibus exstat verbum *increpat*; verum ibidem sine causa annotatum est, « Forte legendum *improperat.* » Porro tuentur lectionem *improbat* codices scripti, quibus utor, omnes.

Cap. XXII. — *Quis non ad meliora festinet?* Positum est in contextu Baluziano, *Quis non ad meliora* venire *festinet?* Cum vero verbum *venire* frustra quærendum sit vel in libris editis, vel scriptis illis quibus usus sum, illud delendum videtur. Adde quod neque Pamelius, neque variæ lectiones in edit. Oxon. positæ ejus mentionem faciunt. Ita et proxime post ob eamdem causam *reformari* pro *transformari*, quod exstat in Baluziano textu, reducere visum est.

Cap. XXIII. — *Secundum fidem veri.* Hæc lectio, quam exhibent undecim exemplaria, in quibus pono Seguierianum, est optima. In duobus aliis scriptum est *verbi.* Morellius annotat se vidisse scriptum in antiquis *veri alias verbi.* Quod confirmat nostram lectionem. In codice Beccensi et in editione Morellii legitur *veritatis*: Hæc Baluzius. Qui *veri* pro lectione vulgata *veritatis* primus posuit, faventibus quoque codice Novi Coll. 2, et Tewaterano meo. Sed quoniam præter Baluzianos duos mstos præstat et codex vetustior Drurianus vocem *verbi*, dubito annon reponendum sit, *secundum fidem* verbi veritatis. Exstat tamen infra, si quid id refert, in lib. *de Opere et Eleemosynis*, cap. 4: *Qui habet* fidei veritatem *servat Dei timorem.*

Cap. XXIV. — *Quomodo et Deus manet in æternum.* Omissum est hoc S. Scripturæ additamentum in codice Cypriani Tewaterano, sicut in vetustiore saltem Druriano, sed idem adductum est in Cypriani lib. II *Testimoniorum*, cap. 2, et in aliorum patrum operibus.

Cap. XXV. — *Eximaris.* Hanc lectionem pro vulgata *exuaris* reposui, fide nixus codicis unius inter lectiones editionis Oxon. variantes: sed forsitan nonnullis lectio altera ferenda esse videbitur, nisi auctoris verba, pag. 291, l. 20, aliud persuadeant. Nunc porro prælatum esse video verbum *eximaris* in editione ad usum exulum Gallicorum a me modo commemorata.

Cap. XXVI. — *Hic interim degere.* Lectionem editionis principis aliarumque pro *istic*, quod sine causa suffectum est, fide plurimorum codicum scriptorum nixus revocavi.

Adhuc de nostra salute sollicita. Delevi particulam *et* ante *adhuc* vulgo positam, quam nesciunt edit. princeps, et septem illi scripti, quos contuli. Sed omisit voces *et adhuc* ms. Tewater. habetque *sed adhuc* codex unus in edit. Oxon. adductus.

Prophetarum exultantium. Cogitabat Cyprianus evangelistæ Joannis illud, *Abraham pater vester exultavit videre diem meum: vidit et gavisus est.* Joann., VIII, 56.

Triumphantes virgines. Vulgo, *triumphantes illic virgines*, sed, servato meliore vocum ordine, *illic triumphantes virgines* ms. olim Tewateranus; dum correctius fortasse nesciunt adverbium *illic* edit. princeps, et sex, quos contuli, codices manuscripti. Sed et voci *remunerati* præfixit *illic* ms. Tewater.

Ut cum his cito esse. Addunt quidem *possimus* edit. princeps aliæque antiquæ; cum vero verbum istud agnoscat tantum unus ex codd. scriptis in usum edit. Oxon. collatis, et tantum unus de meis, ipsum fortasse recte ego nunc duco relinquendum; etsi aliter visum est editori nupero nonnullorum Cypriani opusculorum, cujus supra feci mentionem.

IN LIBRUM DE OPERE ET ELEEMOSYNIS.

Cap. VI. — *Et viduarum ac pauperum.* Particulam *et*, quæ huic sententiæ in principe aliisque editionibus, et in septem illis codicibus quos ipse contuli, præfixa est, quæ vero in edit. Baluziana et Oxon. male omissa est, revocavi, cum fortasse in mstis voce præcedente *orasset* absorpta esset.

Exsurge in nomine Jesu Christi. Istud *in nomine Jesu Christi* addunt nonnullæ versiones, simul cum his patribus Cypriano Ambrosio Cassiodoroque.

Digitized by Google

CAP. VII. — *Illic erit et cor tuum. Illic* pro *ibi* ex codicibus scriptis reposui, quia in ipsius Cypriani, lib. III *Testimoniorum sanctæ Scripturæ* p. 59, edit. Oxon. sic locus evangelistæ affertur. A

CAP. IX. — *Sed vereris et metuis.* Restituit priorem lectionem, *Si vereris et metuis*, Baluzius, quam mutaverat, fide nixus quatuor manuscriptorum, Fellus. His alios septem nunc addo, lectionem quæ mihi placet, præstantes, atque ita prorsus constituta est oratio mox infra, ubi verbum *metuis* occurrit.

CAP. XI. — *Subsidia.* Addunt *vitæ* editiones Manutianam secutæ, sed vocem delevi, idcirco quod monuit Pamelius præter Manut. nullum codicem ipsam legere. Attamen in editione Lugdunensi, quæ Manutianæ præivit, eamdem inveni. Porro autem vocem *tibi* post *operanti* nesciunt codices, quos ipse inspexi, quod ideo noto, quia vox non valde desideratur.

CAP. XIII. — *Reditus tuos divide.* Scripturam correctiorem revocavi, verum in Cypriani editionibus et manuscriptis frequenter scribitur *redditus;* tueturque Baluzius. B

CAP. XIV. — *Quæ matrona locuples. Quæ matrona in ecclesia Christi locuples.* Valde puto ista *in ecclesia Christi*, quæ desunt in antiquis editionibus, in decem codicibus nostris, et in quinque Anglicanis, addita vero sunt a Manutio, non debere esse in hoc loco. Non tamen ausus sum expungere, quia ea reperi in undecim vetustis exemplaribus. BALUZ. Exstant quoque in mstis Tewaterano ac Meermannano meis, una cum altero ex Druriauis. Cum vero eadem omittant undecim fortasse codices Baluzii, et quinque Anglici, neque in vetustiori ex Druriauis, neque altero meo ms., neque in cod. 1 Novi Coll. exstent, istæc verba importuna et editionibus vetustissimis ignota relinquenda judicavi.

CAP. XV. — *Dominicum celebrare te credis.* Eucharistiam, quæ est cœna Dominica, hoc loco significari cum Fello statuendum est. Interea cum particulam *et* ante *Dominicum* positam, quam nesciunt edd. princeps et Erasmiana, simul ac scripti libri nostri, jam olim decrevissem ejicere, postea illam in tribus aliis mstis deesse sensi. C

CAP. XVI. — *Infelicitatis.* Vulgo *infidelitatis.* « Parum abfuit, » ait Baluzius, « quin ponerem *infelicitatis* juxta lectionem veterum editionum, quam « confirmant viginti et duo exemplaria nostra et undecim Anglicana. Manutius posuit *infidelitatis.* Alii « ter Pamelio visum est » Hæc Baluzius. Vix dubito, quin reduci ad hunc locum debeat vox *infelicitatis*, quæ cum illa *sterilitatis* jungi solet; *Sterile* enim *atque infelix solum* haud raro dicitur. Hanc igitur vocem revocavi Rigaltio quoque probatam, et in sex mstis mihi visam; sed in alio quodam codice meo legitur *infidelitatis.*

Vidua et inops in opere invenitur. Ante Baluzium præstabant editi plerique *vidua et inops vidua in opere larga invenitur.* Prætuli ego codicum meorum scripturam pene omnium, tantum in cod. Novi Coll. 1, et in utroque Druriano vox *vidua* repetita est, dum *dives in opere* præstat cod. Novi Coll. 2, in vocibus enim *inops* et *opere* fit paronomasia, ut rhetores loquuntur. Nescit vocem *larga* editio Erasmi. D

Christus illud Dei dona appellat. Referendum videtur *illud* ad gazophylacium supra.

CAP. XX. — *Et nunc, fili, mando*, etc. Ad oram msti Druriani recentioris scripsit librarius. *Mandata Tobiæ ad filios saluberrima.* Mox pro vocibus *in gehennam* substituerat ex codicibus mstis Fellus *in tenebras*, sed etiam libri scripti inter se hic variant.

CAP. XXI. — *Quadriga.* Majorum magistratuum honores et insignia. *Curules*, inquit Festus, *equi quadrigales.* FELL.

CAP. XXII. — *Ac nisi editio honesta successerit.* Sic lib. ad Donatum : *Stulta prorsus et vana jactura, frustrantis spectaculi voluptate id parare voluisse, quod nec populus acciperet, et perderet magistratus.* FELL. *Et vix tui meis pereuntibus adæquantur.* Numero, ut mox apparet.

CAP. XXV. — *Æqualitatis.* Ita Erasmus et alii post eum. Nolui autem mutare, quamvis in omnibus fere codicibus antiquis et in vetustioribus editionibus legatur *æquitatis.* BALUZ. Recte præstant *æqualitatis* cod. Novi Coll. 2, et ms. meus nuper Tewateranus, cum recentiori ex Druriauis. Quibus libris simul addo Flori Lugdunensis *Commentarium* penes me ineditum, quem prius memoravi, *super Epistolas Paulinas.* Proxime scripserat auctor, *æqualiter.*

CAP. XXVI. — *Præclara et divina res.* Melius procederet oratio, si legeretur *res est.*

Dies nos vel reditionis. Cyprianus jam ante in hoc libello *reduces ad paradisum facere* habet, et sub finem lib. *de Mortalitate, nos paradiso restituit et regno*, p. 281. Vid. et fin. epistolæ *ad Demetrianum.* Primus Pamelius vocem *redditionis* ex mstis et Joannis Costeri *castigationibus* recepit. Exstat quidem ea in cod. Novi Coll. 2, atque idem significat, quod *retributio*, quæ quidem Cypriani vox est. Verumtamen ego cum Rigaltio probans veterem lectionem *reditionis* eam revocare statui, quæ in sex libris scriptis apud ed. Oxon., et in quatuor mstis meis, nam in Tewaterano primitus scripta fuerat, reperta est. Vocem *reditionis* agnoscit Plautus. Et conveniunt voces *reditio* et *persecutio* hoc loco positæ cum illis *accersitio* et *persecutio*, quæ supra in libro *de Mortalitate* nobis occurrebant, § 13.

IN LIBRUM DE ZELO ET LIVORE.

CAP. II. — *Circuit ille*, etc. Hinc firmatur optima conjectura cl. Oberthuri fine lib. Tertulliani *de Oratione.*

Linguam convicio provocat. Oratio fortasse integrior esset, si ex sequentibus adderetur *ad petulantiam*, et pro voce *petulantiam* ibi inventa rescriberetur *violentiam.* Habes infra, *manus ad cædis violentiam prompta.*

CAP. III. — *Vel fallaces insidias vel apertas minas. Vel* ante *fallaces* revocavi, quod omissum est a Baluzio, suffragantibus mihi codice Novi Coll. 2, et msto utroque meo, pariter atque editt. ante Baluzianam. Nunc addo codices scriptos Meermannanum et utrumque Druriauum.

CAP. IV. — *Dum diabolum qui zelat imitatur. Zabulum* non diabolum præstat de codicibus meis unus, isque membraneus, et in editt. aliquot Cypriani ita vox scribitur. « Zabolus is est diabolus, pro διὰ enim « Ætoles ζα dixere. » Gesneri *Ling. Lat. Thes.* in voce.

CAP. V. — *In odium persecutionis facibus livoris exarsit. Odium persecutionis*, quæ est librorum tam scriptorum quam editorum lectio, odium significat, ex quo orta persecutio sit.

Miti lenitate patientem. Etsi reducta fuit vox *mitem* pro *miti* in editionem Benedictinam, prætuli nunc ego lectionem alteram, codicibus scriptis meis firmatam.

Simul. In uno libro meo scriptum est *semel*, et supra lineam *vel simul.* Hinc ergo, uti jam non semel diximus, orta est discrepantia quæ istic reperitur in codicibus manuscriptis, quorum nonnulli habent *semel*, alii *simul.* BALUZ. *Simul*, quæ edit. principis scriptura est, adstipulante ei uno ex mstis meis, revocavi, etsi interdum *semel* pro *prorsus* et *in perpetuum* veteres ponunt. Habet *sibi* pro *simul* codex meus olim Tewateranus, anno 1396 scriptus, et *singula* pro *singulos.* Mox lin. 30, *videris* pro perspice, cogita, posuit auctor : et sect. 6, verba, *qui Christianum se mentitur*, quorum ordinem sic. sine causa primus mutavit Manutius, *qui se Christianum mentitur*, ex editt. vetustioribus restitui.

CAP. XIII. — *Et zeli ac livoris alienus.* Vocis *alienus* cum genitivis istis constructioni, quam primus

Digitized by Google

recepit Manutius, patrocinantur cod. uterque Novi Collegii ac meus Tewateranus. Nunc addo ms. utrumque Drurianum et Meermannanum cum Flori Lugdunensis Commentario inedito in Pauli Epistolas. Alteram vero constructionem, quæ posita est in edit. Manutianam præcedentibus, *et a zelo ac livore alienus*, unus de libris meis habet. Proxime post in apostoli ῥήσει voces, *carnalibus*, *tamquam*, quæ a textu Baluziano forte exciderant, restitui.

CAP. XIV. — *Secundus homo de cœlo.* De hac varietate consulas Novi Testamenti editiones; easque et infra adi de scriptura illa *portemus* pro *portabimus*, siquidem in Græcis plurimi codices scripti et patres φορήσωμεν habent pro φορέσομεν.

CAP. XV. — *Esse talem.* Exstat in edit. Baluziana, *esse* se *talem* non, ut prius positum erat, *esse* te talem. Sed expunxi *se*, quod ex priori voce ortum esse possit, auctoritate nixus codd. duorum apud edit. Oxon. et ms. Novi Coll. 2, et duorum meorum. Habet vero *esse* te *talem* ms. Novi Coll. 1. Nunc adde utrumque Drurianum et Meermannanum. Mox post vocem *firmandus*, positum est in ms. olim Tewater. *et ornandus.*

CAP. XVI. — *Salutaris operatio.* H. e. eleemosyna salutis æternæ efficax. Jam ante idem loquendi modus reperitur sub finem libri *de Opere et Eleemosyna.*

CAP. XVII. — *Laborabis.* Præferunt *labores* editio princeps et e codicibus meis unus, quod mihi olim minus recte placuit. Est autem *prosperanda valetudo*, quæ eget ut firmior fiat.

Si sectari non potes. Vulgo; *Si autem eos sectari non potes.* Editionum vetustiorum lectionem revocavi, quæ Rigaltio probata, codicibus quinque apud edit. Oxon., codice utroque Novi Collegii, et Tewaterano firmata est. Nunc addo codicem antiquissimum Meermannanum, et vetustiorem ex duobus Drurianis. Ab altero autem atque alio præterea msto membrum hoc abest.

CAP. XVIII. — *Quo Cain non redit.* Recepit in editionem suam Baluzius *quo Cain non ingreditur*, atque hanc lectionem, quam habent tres libri veteres, putare se esse optimam, alteram vero, quæ est *redit*, falsam. Cain enim, qui natus est postquam parentes ejus ejecti fuerant e paradiso, non posse dici rediisse in paradisum, cum in illo numquam fuisset. Itaque non dubitasse se addit, quin lectio horum trium librorum præferenda sit. At vero haud ita valere hanc rationem crediderim, ut substitui debeat verbum *ingreditur* lectioni olim receptæ et fere universis mstis confirmatæ. Ex codicibus, quibus usus sum soli *ingreditur* præstant ms. Novi Coll. 2, et Drurianus recentior. Ait hoc loco Cyprianus Cain non redire ad veterem parentum suorum possessionem paradisum; quin et dici solet, *redire animum ad Deum.* Conferas et finem libelli *de Opere et Eleemosynis*, ubi *nos reduces adparadisum* habes, notamque ad locum.

Nativitate cœlesti et lege divina. Vocem *cœlesti* haud agnoscunt, aut decem codices scripti in edit. Oxon. memorati, aut sex de septem illis, quibus ego in edendis his libellis usus sum; deficit orationis membrum in Meermanni manuscripto. Supra vero habes easdem voces, *nativitate cœlesti.*

MONITUM.

Meminerit lector quam nos paulo supra, dum appendicem primam instruxerimus, pigneret non potuisse, licet huc illuc enixe quæritantes, sat opportune J. C. Trombellii anecdota reperire, ut ea suo loco apprime inserta ederentur, nec tamen desperasse iisdem fore interdum bono numine occurrendum. Jam non nos spes ea fefellit. En, nondum hoc tomo absoluto, in optima seminarii S. Sulpitii bibliotheca, favente pia ipsius procuratorum comitate ac benevolentia, incidit in manus hoc ultimum D. Cypriani opus tamdiu irrepertum. Quo igitur ac simul eximiis ejusdem Trombellii commentationibus, datis quibus debentur gratiis, utere, bone lector, et fruere.

S. CYPRIANI

EXHORTATIÓ AD POENITENTIAM.

JOANNIS CHRYSOSTOMI TROMBELLII PRÆFATIO.

I. Tametsi accurate summaque diligentia codices nostros perlustraverim, atque eos præsertim qui veterum auctorum epistolas et opuscula continent, sæpe enim in iis latent pretiosæ quædam veterum scriptorum reliquiæ, quas colligere evulgareque litterariæ reipublicæ plurimi interest, ubi tamen ad eos perveni, qui Cypriani scripta continent, diligentiam auxi, sperans scilicet quod Erasmo Manutio, Morelio acciderat, id mihi quoque eventurum. Cypriani codices cum illi studiose, exquisiteque pervolverunt, quædam reperere, quæ superiores typographos latuerant; quæ tamen ob præstantiam suam videbantur exposcere, ut proferrentur in lucem. Mea me non prorsus fefellit opinio. E duobus quos possidemus, Cypriani codicibus alter altero copiosior est, atque adeo, ut universas fere Cypriani epistolas

Digitized by Google

et opuscula complectatur : quæ dum solertissime A perquiro comparoque cum editis, se mihi libellus obtulit, quem inter evulgatos frustra perquisivi : inscribitur autem in dicto codice : « Exhortatio Cypriani de Pœnitentia : » titulo nimirum (ut deinceps ostendam) ab amanuensi illi aptato. Quanta hujusce opusculi præstantia sit atque utilitas, deinceps dicam. Hoc sane audacter affirmare audeo, immerito illud hactenus in tenebris delituisse : tametsi enim nullum insit historicum monumentum, nulla in eo emineat eloquentia, careat quoque argumentis a ratione, aut veterum auctoritate petitis, sed Scriptura tantum innitatur, eaque jejune, ac sine ullo ornamento exposita; non continuo tamen est contemnendum : alioquin contemnas necesse est egregios eos Cypriani libros, qui « testimonia ad Quirinum » B continent; in iis quippe sine ullo eloquentiæ verborumque apparatu, sine ullo rationum veterumque subsidio, sola Scriptura adversus errores pugnatur, et fidei nostræ dogmata stabiliuntur.

II. Idem porro consilium is iniit, cujus opusculum hic profero, vetustus ille quidem, et valde probabilis scriptor, aut Cyprianus scilicet ipse, aut alter ignotus, si vis, Cypriano tamen ætate par, Cypriani vestigiis ac studio insistens. Cyprianum scilicet indicare videtur disputandi, Scripturæque testimonia allegandi ratio quam adhibet, simillima nimirum illi, quam in libro *Testimoniorum* is observavit. Atque huic quidem conjecturæ Cypriani nomen huic opusculo in codice præpositum favet : quamvis enim ea in re interdum errarint amanuenses, haud raro tamen veros C librorum auctores indicarunt.

At cum Scripturæ interpretationem opusculi nostri auctor alleget valde diversam ab ea qua utitur Cyprianus, nemo quoque e veteribus libellum hunc Cypriano tribuerit, anceps hæreo cuinam illum adscribam. Novi equidem postrema hæc argumenta indissolubilia minime esse. Veteres scilicet modo unam, modo aliam Scripturæ interpretationem sequebantur. Cujus rei adeo multa, adeo perspicua argumenta habemus, ut de ea jam nemo dubitet (1). Amanuenses etiam licentiam sane non levem sibi arrogarunt, substitueruntque non raro interpretationem quam diligerent, interpretationi qua usus fuerat auctor ille quem exscribebant.

(1) Unicum exemplum, sed illud manifestum adhibeo. Augustinus, serm. 20, n. 3, sic versiculum 22 capitis XVIII Ezechiel, allegat : *In quacumque die conversus fuerit iniquus, et fecerit justitiam, annos iniquitatis ejus obliviscar.* At serm. 39, n. 1 citat hoc modo : « Quo die conversus fueris, obliviscitur (*Deus*) mala tua præterita. » Serm. vero 82, qui est de verbis Evangel., *Matth., cap.* XVIII., *n.* 14, cum aliqua licet levi differentia rursus adducit; nempe ita : *Iniquus in qua die conversus fuerit, ab iniquitatibus suis, et fecerit justitiam, omnes iniquitates ejus obliviscar.* Et alibi etiam eumdem versiculum afferens cum aliquo discrimine affert : « Pulsat et clamat », inquit ille, n. 10 sermonis 87, qui est de verbis *Matth.* XX. « per prophetam Ezechielem : » *In quacumque die conversus fuerit homo a via sua pessima, omnes iniquitates ejus obliviscar.*

III. Quod vero nemo ex veteribus, quos nunc habemus, libellum hunc alleget, mirum non est. Desiit enim haud multo post Cypriani tempora erroris quem libellus iste confutat : ideoque occasio etiam desiit, ob quam idem libellus allegaretur. Ad hæc : Unde novimus veteres alios, quorum libros, desideramus, minime hunc allegasse? Levis itaque est quæ a veterum silentio desumitur difficultas. At quamquam, uti dixi, ea argumenta dissolubilia fateor, probabilia sunt tamen.

IV. Quisquis tamen libellum hunc composuerit, simillimum veri est, eum Cypriani æqualem, aut certe non multum ab ejus ætate remotum fuisse, et in Scripturarum lectione detritum. An non Cypriani æqualem, aut certe haud multum ab illius ætate remotum ostendit ea quam sequitur, Scripturæ interpretatio, et disciplina quam stabilire conatur? Indicat scilicet non obscure scriptor iste recipiendos quidem in Ecclesiam lapsos, et a spe veniæ minime arcendos quorumvis criminum reos, dummodo canonicæ pœnitentiæ sese subjicerent. Hæc scilicet quæstio cum Cypriani tempore potissimum viguerit, haud obscure ætatem innuit, qua conscriptus est liber iste.

V. Quis porro in Scripturarum lectione detritum eum neget, postquam viderit percurrere illum tot Scripturarum libros, et ex iis seligere loca, quæ mirum in modum catholicum dogma confirment, illique faveant consuetudini quam in Ecclesia servandam censuit Cyprianus?

VI. Propterea vero verisimillimum tantummodo esse id arbitror, quod de Cypriano hujusce libelli auctore dixi, neque aliquid certi ea de re statuere ausus sum, quod noverim exstitisse jam pridem nonnullos (2) etiam inter latinos, qui Cyprianum hoc in scribendi genere imitarentur, in (3) quorum numero Pelagius ille eminuit (4), qui laudem quam aliunde acquisiverat, adversus divinam gratiam postea decertans sibi ademit. Quoniam porro ea quæ verisimillima sunt, admitti commode possunt, quis mihi vitio vertet, si deinceps quoties de hujusce opusculi auctore incidet sermo, incidet autem sæpe, eum Cyprianum esse dicam?

(2) En quæ in libros testimoniorum Cypriani D notat Baluzius : « Si qua sunt loca in operibus sancti Cypriani, de quibus pronuntiari non possit ea certe illius esse, id vero imprimis asseri potest de libris Testimoniorum ad Quirinum. Plures enim codices plus habent quam vulgatæ editiones, aliæ minus. » Cur vero non pauci codices adeo copiosi sunt? An non quia posteriorum doctorum laboribus accreverunt? Dixi : etiam inter Latinos; nam inter Græcos eo in scribendi genere eminuit Damascenus plures libros simili de argumento edens, quos *parallela*, seu, si vis, *Eclogas* appellavit.

(3) « Ejusdem porro fere argumenti cum isto Cypriani opere est liber *de Promissionibus et Prædictionibus Dei*, qui vulgo tribuitur Prospero. » Baluzius, nota 1 in *libros Testimoniorum* sancti Cypriani.

(4) Vide quæ tradunt Vossius Histor. Pelagian. l. I, c. 4, « de iis, quæ Pelagius scripsit. » et Cavelin histor. litt. de Pelagio ad annum 405, pag. 383, t. 1, edit. Basil., anni 1741. «

Digitized by Google

VII. Nec modica, me quidem judice, hujusce libelli utilitas est. An non vero valde utilis libellus is est in quo usitatissimus Ecclesiæ mos eminet, ut scilicet exortus error adductis pluribus Scripturarum testimoniis statim reprimatur; et in quo tanta vetustissimæ versionis portio inest? Quod si eo ordine, quo codices eorum temporum conscripti erant, sacros libros hic allegari censes, emolumentum aliud continuo in eo habes : Quod quidem hic multis commendare minime est opus; sed profecto non leve est. Habet etiam hoc commodi, ut sacras Scripturas allegans *Ecclesiastici*, librum adducat exemplo suo ostendens, quanto in pretio prioribus ipsis Ecclesiæ sæculis habitus sit liber ille, quem nunc protestantes minimi faciunt. Sed de libelli auctore ac præstantia hactenus. Ecce autem libellum ipsum :

EXHORTATIO S. CYPRIANI DE PŒNITENTIA (1) INCIPIT.

Per pœnitentiam posse omnia peccata dimitti ei qui ad Deum toto corde conversus sit.

In Psalmo octuagesimo octavo (v. 31) : *Si dereliquerint filii ejus legem meam, et in judiciis meis non ambulaverint, et mandata mea non custodierint, visitabo in virga iniquitates eorum et in verberibus peccata eorum : misericordiam autem meam non dispergam ab eis.*

Item apud Isaiam (xxx, 15) : *Sicut dicit Dominus sanctus Israel : Cum conversus ingemueris, tunc salvus eris et scies ubi fueris.*

Item illic (xxx, 1) : *Væ filii desertionis, dicit Dominus : Fecistis consilium non per me, et sponsionem meam non per spiritum meum, adjicere peccatum super peccatum.*

Item apud Jeremiam (ii, 25) : *Avertere* (2) *pedem tuum ab aspera via, et faciem tuam a siti. Illa vero dixit : Confortabor : volo : quia diligebat alienos, et ibat post illos.*

Item apud Isaiam (xxxi, 6) : *Convertimini, quia* (3) *altam cogitationem cogitatis et iniquam.*

Item illic (xliii, 25) : *Ego sum, ego sum qui deleo injustitias tuas, et non recordabor : tu autem recordare, et judicemur simul : dic tu injustitias tuas prius.*

Item illic (lv, 6) : *Quærite Deum, et cum inveneritis eum, invocate. At ubi appropinquavit vobis, derelinquat impius vias suas et vir iniquus cogitationes suas et convertatur ad Dominum, et misericordia ei præparabitur, quia non multum remittit peccata vestra.*

Item illic (xliv, 1) : *Recordare hæc, Jacob et Israel, quia puer meus es. Vocavi te puerum meum : et tu Israel, noli oblivisci mei. Ecce enim abstersi sicut..... injustitias tuas et sicut imbrem peccata tua. Convertere ad me, et redimam te.*

Item illic (xlvi, 8) : *In mente habete hæc et gemite. Pœnitemini qui seducti estis, convertimini corde ad me, et in mente habete priora sæcula, quia ego Deus.*

Item illic (liv, 8) : *Tempore pusillo dereliqui, et cum misericordia magna miserebor tui. In furore pusillo averti faciem meam abs te : in misericordia æterna miserebor tui.*

Item illic (lvii, 15) : *Hæc dixit Excelsus in excelsis habitans, in æternum sanctus in sanctis, nomen est ei Dominus, excelsus in sanctis requiescens, et pusillanimis dans animi æquitatem, et dans vitam contribulatis corde. Non in sempiternum irascor vobis, nec per omnia vindicabo in vos; spiritus enim a me prodiet et inspirationem omnem ego feci : et propter peccatum pusillum contristavi eum, et averti faciem meam ab eo, et vilem passus est, et abiit tristis in viis. Vias ejus vidi et sanavi eum, et consolatus sum ego, et dedi ei consolationem veram, et pacem super pacem iis, qui longe et iis qui prope. Et dixit Dominus : Sanavi eos; iniqui autem, ut mare commotum, sic fluctuabuntur, et quiescere non possunt. Non est gaudere impiis, dicit Dominus.*

Item apud Jeremiam (ii, 32) : *Numquid obliviscetur sponsa ornamenti sui, aut virgo fasciæ pectoralis suæ? Populus vero meus oblitus est mei dierum* (4), *quorum non est numerus.*

Item illic (xviii, 7) : *In summa loquar super gentem aut super regnum, aut auferam eos, et perdam. Et si conversa fuerit gens a malis suis, pœnitebo de malis, quod* (5) *cogitavi facere illis. Et summa loquar super gentem, aut regnum, ut reædificem, et plantem, et faciant mala ante me, ut non audiant vocem meam, et pœnitebo de bonis, quæ locutus sum facere eis.*

Item illic (iii, 12) : *Revertere ad me, habitatio Israel, dicit Dominus, et non firmabo faciem meam super vos, quia misericors ego sum, dicit Dominus, et non irascar vobis in æternum.*

Item illic (iii, 14) : *Convertimini, filii, qui recessistis, dicit Dominus, quoniam ego dominabor vestri et accipiam vos unum de civitate, et duos de familia, et inducam vos in Sion : et dabo vobis pastores secundum cor meum, et pascent vos pascentes cum disciplina.*

Item illic (iii, 22) : *Convertimini, filii, convertentes, et ego sanabo contritionem vestram.*

(1) Fortasse : *exhortatio ad Pœnitentiam.*
(2) Ut puto, *Averte.*
(3) *Qui*, ut puto.
(4) Puto legendum : *diebus.*
(5) *Quæ.*

Digitized by Google

Item illic (IV, 14) : *Ablue a malitia cor tuum, Jerusalem, ut saneris. Usquequo erunt in te cogitationes dolorum tuorum ?*

Item illic (VIII, 4) : *Hæc dicit Dominus : Numquid qui cadit non resurgit ; aut qui avertit se non convertetur? Quia avertit se populus iste a visione improba, et obtinuerunt præsumptione sua et noluerunt converti.*

Item illic (VIII, 6) : *Non est homo pœnitentiam agens a malitia sua, dicens : Quid feci? Defecit qui currit cursu suo, sicut equus suadens in hinnitu suo.*

Item illic (XVIII, 11) : *Avertatur ergo unusquisque a via sua mala, et meliora facite studia vestra. Et dixerunt, confortabimur, quia post adinventiones vestras* (1) *ibimus, et unusquisque quæ placent cordi suo, mala faciemus.*

Item illic (*Thr.* II, 18) : *Effunde sicut torrens lacrymas die ac nocte : Noli dare tibi requiem ; non sileat pupilla oculi tui.*

Item illic (*Thren.* III, 40) : *Perscrutemur vias nostras, et convertamur ad Dominum. Mundemus corda cum manibus nostris, et respiciamus ad Dominum, qui habitat in cœlis. Nos peccavimus et irritavimus, et tu non es propitiatus.*

Item illic (III, 6) : *Et dixit Dominus ad me in diebus Josiæ regis : Vidisti quæ fecit mihi habitatio domus* (2) *vocem domus Israel : Abiit super omnem montem excelsum, et subiit ad omne lignum numerosum, et fornicata est illic. Et dixi : Postquam fornicata est hæc omnia, ad me convertere, et non est reversa.*

Item illic (*Thr.* III, 31) : *Non repellet in æternum Dominus, et cum humiliaverit, miserabitur secundum multitudinem misericordiæ suæ, quia non humiliabit ex toto corde suo, neque repellet filios hominum.*

Item apud Ezechielem (XXXIII, 12) : *Et justus non poterit salvus esse in die peccati. Cum justo dicam : vita vives ; ipse vero confidet* (3) *super justitiam suam, et fecerit iniquitatem, omnes justitiæ ejus non commemorabuntur : in sua iniquitate quam fecerit, in ea morietur. Et cum dicam impio : Morte morieris, et avertit se a peccato suo, et fecerit justitiam, et judicium, et pignus debitori reddiderit, et rapinam restituerit, in præceptis vitæ ambulaverit, ne faciat iniquum, vita vivet et non morietur : omnia peccata ejus quæ peccavit, non commovebuntur ei, quia judicium et justitiam fecit, in ipsis vivet.*

Item illic (XVII, 24) : *Ego Dominus, quia humilio lignum altum, et exalto lignum humile, et arefacio lignum viride, et reviviscere facio lignum aridum.*

Item illic (XXXIII, 10) : *Et tu, fili hominis, dic domui Israel : Sicut locuti estis dicentes : Errores nostri et iniquitates nostræ in nobis sunt et in ipsis nos tabescimus, et quomodo vivemus? Dic illis : Vivo ego, dicit Dominus ; si volo mortem impii : tantum a via sua avertatur, et vivet.*

Item illic (XXXVI, 36) : *Ego Dominus ædificavi demolita, et plantavi exterminata.*

Item illic (XVIII, 21) : *Et iniquus si convertat se ab omnibus iniquitatibus, quas fecit et custodiat omnia mandata mea, et faciat judicium et justitiam et misericordiam, vita vivet, et non morietur. Omnia delicta ejus quæ fecit, non erunt in memoria : in sua justitia quam fecit, vivet. Numquid voluntate volo mortem injusti, dicit Adonai Dominus, quam ut avertat se a via sua mala, et vivere eum ?*

Item illic (XVIII, 30) : *Convertimini et avertite vos ab omnibus impietatibus vestris, et non erunt vobis in pœnam. Projicite a vobis omnes iniquitates vestras, quas impie fecistis in me, et facite vobis cor novum et spiritum novum. Et ut quid moriemini, domus Israel ? Quia nolo mortem morientis, dicit Adonai Dominus.*

Item apud Danielem (IV, 31) : *Et post finem dierum, ego Nabuchodonosor oculos meos in cœlum sustuli ; et sensus meus in me conversus est, et Altissimum laudavi, et Regem cœli benedixi, et viventem in sæcula laudavi, quia potestas ejus æterna est ; regnum ejus in generatione, et omnes qui inhabitant terram, nihil.*

Item apud Michæam (VII, 1, etc.) : *Heu mihi ! anima mea, quia periit veritas a terra, et qui corrigat, inter omnes non est ; omnes in sanguine judicant. Unusquisque proximum tribulat tribulatione, in malum manus suas præparant.*

Item illic (VII, 8) : *Noli gaudere super me, inimica mea, quia cecidi ; sed resurgam, propter quod si sedero in tenebris, Dominus lucebit mihi. Iram Domini sustinebo, quia peccavi ei, donec justificet ipse causam meam.*

Item apud Sophoniam (II, 1) : *Convenite et precamini, gens indisciplinata, priusquam efficiamini sicut flos præteriens, priusquam veniat super vos ira Domini, priusquam veniat super vos dies furoris Domini. Quærite Dominum omnes humiles terræ, judicium operamini, et quærite justitiam, et quærite mansuetudinem, et respondete ei, ut protegamini in die iræ Domini.*

Item apud Zachariam (I, 3) : *Convertimini ad me, et convertar ad vos.*

Item apud Ozee (XIV, 2) : *Convertere, Israel, ad Dominum Deum tuum, quoniam infirmatus es iniquitatibus tuis. Assumite vobiscum multos, et convertimini ad Dominum Deum vestrum : dicite ei adorantes : Potens es dimittere peccata nostra, ut non accipiatis iniquitatem, sed ut accipiatis bona.*

Item in Ecclesiastico (XVII, 23) : *Convertere ad Dominum, et relinque peccata tua, et nimis odite execrationem, et cognosce justitias, et judicia Dei, et sta in sorte propitiationis Altissimi, et vade in partem sæculi cum vivis, et dantibus confessionem. Non devoreris in errore impiorum. A mortuo quasi nihil, perit confessio. Vivus et sanus confiteberis Deo, et gloriaberis in miserationibus illius, quoniam magna misericordia Dei et propitiatio illius convertentibus ad se.*

Item illic (XX, 4) : *Quam bonum est cor rectum manifestare pœnitentiam ! Sic enim effugies voluntarium peccatum.*

Item in Actibus Apostolorum (VIII, 19) : *Ait autem ad illum Petrus : Pecunia tua tecum sit in perditione, quoniam gratiam Dei putas te per pecuniam posse consequi. Non est pars, neque sors tibi in hac fide, quia cor*

(1) *Nostras*, ut puto.
(2) Dele vocem *domus*.
(3) Si *confidet*, ut puto.

Digitized by Google

tuum non est rectum apud Dominum. Itaque pœnitentiam age ab hac nequitia tua, et precare Dominum, si forte remittatur tibi cogitatio cordis tui. In obligatione enim iniquitatis et amaritudine fellis video te esse.

Item in Epistola Pauli ben. (1) ad Corinthios secunda (VII, 10) : *Quæ enim secundum Deum est tristitia, pœnitentiam in salutem operatur stabilem : sæculi autem tristitia mortem operatur.*

Item illic de hoc ipso (II, 10) : *Si cui autem aliquid donastis et ego : Nam et ego quod donavi propter vos in facie Christi, ut non circumveniamur a Satana, nec enim versutias ejus ignoramus.*

Item illic (XII, 20) : *Timeo autem ne forte cum venero ad vos, iterum humiliet me Deus apud vos, et lugeam multos ex his qui ante peccaverunt, et non egerunt pœnitentiam super quæ gesserunt fornicationem et impudicitiam.*

Item illic (XIII, 2) : *Prædixi et prædico ut præsens sedeo, et absens nunc his qui ante peccaverunt, et cæteris omnibus, quia si venero, iterum non parcam.*

Item ad Timotheum secunda (II, 21) : *Profanas autem novitates vocum devita : multum enim proficiunt ad impietatem : nam sermo eorum sicut cancer serpit, ex quibus est, Hymenæus et Philetus, qui a veritate exciderunt, dicentes resurrectionem jam factam et quorumdam fidem subverterunt. Sed firmum fundamentum Dei stat habens signaculum hoc. Cognovit Deus qui sunt ejus, et discedet ab omni iniquitate omnis qui nominat nomen Domini. In magna autem domo non solum sunt vasa aurea et argentea, sed et liguea et fictilia, et quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam. Si quis ergo emendaverit* (1) *se ab istis, erit vas in honorem sanctificatum, et utile Domino ad omne bonum opus paratum. Juvenilia autem desideria fuge. Sectare vero justitiam, fidem, charitatem, pacem cum his, qui invocant Dominum de corde puro. Stultas autem, et sine disciplina quæstiones devita, sciens quia generant lites. Servum autem Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes docibilem, patientem, cum modestia corripientem eos qui resistunt, ne quando det illis Deus pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, et resipiscant de diaboli laqueis, a quo capti tenentur, ad ipsius voluntatem.*

Item in Apocalypsi (II, 5) : *Memento unde ceciderís, et age pœnitentiam : sin autem, veniam tibi cito, et candelabrum de loco suo movebo.*

(1) *Benedicti*, nisi fallimur.

(1) Vulgata, quam cæteroqui sequitur hoc in loco Amanuensis, habet *emundaverit*.

DE TITULO, AC META, SEU ARGUMENTO

SUPERIORIS OPUSCULI.

CAPUT PRIMUM.

I. Quoniam invaluit mos, ut qui nunc evulgantur veterum libri ab eo illustrentur, qui illos in lucem edit, consuetudini obsequor, ac primo quidem de titulo superioris opusculi, deque argumento, quod in eo persequitur illius auctor, dicam, tum eidem opusculo annotationes quasdam adjungam, quibus ea explicentur loca, quæ subobscura aliquibus visa sunt, et eæ tollantur dubitationes, quæ in lectoris animum irrepere possent.

II. Ecce autem in titulo ipso, quod studiosis codicum lectioni minime assuetis negotium facessat. Putare scilicet facile poterunt, verba hæc *Exhortatio de Pœnitentia*, aut a Cypriano ipso fuisse opusculo a se edito præposita, aut certe multum vetustatis, et auctoritatis habentia. Tum vero eos anget verborum illorum syntaxis valde a latina abhorrens.

III. At levissima est hæc difficultas ; error enim in amanuensem est rejiciendus ; consuevere enim qui libros exscripsere, si forte titulis destitutos libros ipsos reperirent, titulos ex ingenio apponere. Sæpe etiam veteres, quos hi minime approbassent, immutare, novosque pro lubito substituere. Quam ob causam varii admodum sunt in codicibus tituli libris præpositi, interdum etiam putridissimi, et ab auctoris mente remotissimi.

IV. Titulus itaque libelli hujus is esse videtur, qui proxime sequitur ; hic scilicet : « Per pœnitentiam « posse omnia peccata dimitti ei, qui ad Deum toto « corde conversus sit. » Hoc nempe argumentum pertractandum, et Scripturarum auctoritate comprobandum suscepit scriptor iste, quisquis is est. Id porro mirum non est : etenim ut in Cypriano consistam, libello, quem *de idolorum Vanitate* inscribere consuevimus, non absimilis titulus præfixus est ;

Digitized by Google

hic nimirum : « Quod idola dii non sint, et quod per « Christum salus credentibus data est. » Nec valde distat titulus, qui libris *Testimoniorum* præponitur.

V. At hujus modi titulus, inquies, non admodum congruit cum aliquibus testimoniis quæ in eodem libello allegantur, et præsertim cum 12 et 43. Quanam, obsecro, ratione eruere poteris, « Per pœni- « tentiam dimitti posse peccata ei, qui ad Deum toto « corde convertitur, » ex eo quod « oblivisci non « possit sponsa ornamenti sui, nec virgo fasciæ pec- « toralis suæ : populus vero per annos plurimos ob- « litus sit Dei? » Rursus quanam ratione eamdem thesim derivare poteris ex eo quod hæc tradat apostolus Paulus? *Prædixi et prædico, ut præsens sedeo, et absens nunc iis qui ante peccaverunt, et cæteris omnibus, quia si venero non parcam.*

VI. Haud levis videtur esse hæc difficultas, quam tamen facile dissolves, si advertes non de quavis pœnitentia locutos fuisse veteres Patres qui remitti per eam posse docuerunt quælibet crimina, sed de ea quam poscebat Ecclesia, vetusta disciplina, ac consuetudine innixa : sic ut tres errores evitandos monerent : eum quem Novatianorum crudelitas, et pervicacia adversus Ecclesiæ potestatem struxerat : « Graviora peccata dimitti posse negantium : » eum pariter quem nimia severitas nonnullorum Catholicorum statuere studebat, fatentium scilicet remissibilia esse quidem crimina quævis : negantium tamen tribuendam remissionem et veniam in peccata graviora lapsis, eosque ab Ecclesia et a spe veniæ repellentium; eum denique quem nimia indulgentia et lenitas aliorum inducere studebat; admittebant hi nempe in Ecclesiam, recipiebantque ad communionem lapsos, nullam, aut certe levissimam pœnitentiam ab iis exposcentes, nec eam sane quam ecclesiastica consuetudo, et sapientiorum præstantiorumque episcoporum constantia efflagitabat.

VII. Ac Novatianos quidem, postquam schisma conflarant, et sectam a catholica communione sejunctam, docuisse peccata quædam irremissibilia esse, indubitata res est; et hunc sane errorem indicat Cyprianus, epist. LII (1). Sed manifesto eum redarguit auctor libelli *ad Novatianum hæreticum* Cypriani æqualis, ex quo nos sæpe verba allegabimus, redarguit quoque Pacianus, quem deinceps aliquando citabimus.

VIII. Neque vero temere dixi, nimio plus severos fuisse Cypriani ætate nonnullos, adeo scilicet ut criminosis veniam prorsus denegarent, et ecclesiasticam communionem : contra indulgentes adeo alios, ut sceleribus gravissimis pollutos in Ecclesiam statim reciperent, neque ab iis salutares illas afflictationes exposcerent, quas Ecclesia statuerat. Nimirum, ut ex Cypriani libris assequimur, aliqui quod jam dixi, recipere nolebant prorsus ad pœnitentiam gravium criminum reos, (2) neque in Ecclesiam admittere, qui ab ea sine schimate, sive per libellos, sive alia ratione aliquando defecerant (3). Alii contra facillime in ipso persecutionis fervore ante pœnitentiam peractam sine episcopi consensu ad sacramentorum communionem lapsos admittebant (4). Hinc nonnulli, tametsi valde gravibus criminibus polluti, adeo prompte, facile adeo sibi indulgeri volebant, ut statim et sine ulla canonica pœnitentia (longe aliter ac veteres canones et consuetudo ecclesiastica præciperent) sibi remitti poscerent quæcumque peccassent antea, ne ipso quidem excepto schismatis atque apostasiæ crimine. Veniam autem ut promptius, certiusque impetrarent, ad confessores ac martyres confugiebant, ut commendatitiis eorum litteris, veluti subsidio quodam et; si loqui ita volumus, « pœnitentiæ iis debitæ supplemento » in fidelium cœtum, atque ecclesiasticam communionem admitterentur (5). Quod si episcopi non eos protinus recipiebant exposcebantque, ut vetustis pœnitentiæ legibus se subderent, ad tantam aliquando perveniebant postulatores isti temeritatem, ut minarentur easdem litteras se lecturos coram populo, a quo eam communionem ac veniam, quas sponte episcopi impartire noluerant, facile assequerentur (6). Hujus rei adeo manifesta habemus exempla in quinquagesima quinta Cypriani epistola, ut de ea dubitare utique non possimus. Aliqua tamen, fortasse potiora, ejusdem epistolæ loca in paginæ calce indico; alia per se ipse consulere poterit lector (7).

(1) P. 157, cujus verba consule ad locum VIII.

(2) « Et quidem apud antecessores nostros quidam « de episcopis istis, in provincia nostra, dandam pa- « cem mœchis non putaverunt, et in totum *pœnitentiæ* « locum contra adulteria clauserunt (Epist. LII, pag. 155). » Vide Buluzii notam 59 et 62 in Epistolam hanc. Horum austeritatem renovavit Januarius ille, qui monachum quemdam stupri cum moniali virgine commissi reum, ad pœnitentiam admittere noluit : Quamobrem reprehensus est a Bachiario, viro doctissimo, qui eumdem monachum ad pœnitentiam recipiendum censuit. Vide op. Bachia. Edita a Francisco Florio, p. 36.

(3) « Et ideo placuit, frater charissime, examinatis « causis singulorum, libellaticos interim admitti. Sa- « crificatis in exitu subveniri.... Nec putes, frater « charissime, hinc aut virtutem fratrum minui, aut « martyria deficere, quod lapsis laxata sit pœnitentia, « et quod pœnitentibus spes pacis oblata. » (Epist. LII, ad Antonianum, de Cornelio et Novatiano, pag. 153 et 154.)

(4) Vide Epist. IX, pag. 47, et epist. XII, pag. 57. Et rursus epist LII, pag. 140. « Denique cum de qui- « busdam ad me presbyteri et diaconi scripsissent, « eos immoderatos esse, et ad communicationem « accipiendam festinanter urgere, etc. »

(5) Id apertissime traditur in epist. LV, Cypriani ad Cornelium illis præsertim verbis. « Sed enim « lecta alia tua epistola, frater, quam primis litteris « subjunxisti, satis miratus sum, cum animadvertis- « sem te minis, atque terroribus eorum, qui venerant « aliquantum esse commotum cum te, secundum quod « scripsisti aggressi essent, cum summa desperatione « comminantes, quod si litteras, quas attulerunt, non « accepisses publice eas recitarent, et multa turpia, « ac probrosa, et ore suo digna proferrent. »

(6) Vide superiorem annotationem.

(7) « Sed enim lecta, etc. » Recole superiores annotationes. « Et illi contra Deum sacrilegi, contra sa- « cerdotes Dei impio furore temerarii, de Ecclesia

Digitized by Google

Utrumque porro displicuit Cypriano, cujus sententiam et amplexi sunt plerique dum adhuc viveret (1), et secuti fuere postea alii, atque imprimis Pacianus, sæpe Cyprianum allegans : et nimiam quidem facilitatem vehementer redarguit Cyprianus, tum aliis in locis, tum certe in epistola LV, in qua cum alia multa, tum hæc sane valde multa sunt quæ legantur : « Neque enim sic putramina quædam colligenda sunt, ut quæ integra et sana sunt, « vulnerentur; nec utilis aut consultus est pastor « qui ita morbidas et contactas oves gregi admiscet, « ut gregem totum mali cohærentis afflictatione « contaminet. Non attendas ad numerum illorum : « *Melior est enim unus timens Deum, quam mille « filii impii*, sicut locutus est Dominus per Pro- « phetam dicens : *Fili, ne jucunderis in filiis* B « *impiis si multiplicentur tibi, cum non fuerit timor « Dei in ipsis* (*Eccl.*, XVI). O si posses, frater « recedentes, et contra Ecclesiam parricidalia arma « tollentes elaborant, ut opus suum diaboli malitia « consumment, ne vulneratos divina clementia in « Ecclesia sua curet. Miserorum pœnitentiam men- « daciorum suorum fraude corrumpunt, ne Deo in- « dignanti satisfiat, ne Christum Dominum suum, « qui christianus esse vel erubuit ante, vel timuit, « postmodum quærat, ne ad Ecclesiam, qui de Ecclesia « recesserat, redeat. Datur opera, ne satisfactionibus « et lamentationibus justis delicta redimantur, ne « vulnera lacrymis abluantur... Honor ergo datur « Deo, quando sic Dei majestas et censura contem- « nitur, ut cum se ille indignari et irasci sacrifican- « tibus dicat, et cum pœnas æternas et supplicia per- « petua comminetur, proponatur a sacrilegis, atque « dicatur, ne ira cogitetur Dei, ne timeatur judicium C « Domini, ne pulsetur ad Ecclesiam Christi, sed sublata « pœnitentia, nec ulla exomologesi criminis facta, de- « spectis episcopis atque calcatis, pax a presbyteris « verbis fallacibus prædicetur, et ne lapsi surgant, aut « foris positi ad Ecclesiam redeant, communicatio « non communicantibus offeratur? Quibus etiam satis « non fuit ab Evangelio recessisse, spem lapsis sa- « tisfactionis et pœnitentiæ sustulisse, fraudibus in- « volutos, vel adulteriis commaculatos, vel sacrifi- « ciorum funesta contagione pollutos, ne Deum ro- « garent, ne in Ecclesia exomologesin criminum face- « rent, ab omni et sensu et fructu pœnitentiæ remo- « visse (*p.* 181 et 182)..... Si qui autem sunt qui « putant se ad Ecclesiam non precibus, sed minis « regredi posse, aut existimant aditum se sibi non « lamentationibus et satisfactionibus, sed terroribus « facere, pro certo habeant contra tales clausam stare « Ecclesiam Domini, nec castra Christi invicta et fortia, « Domino tuente minuta, minis cedere. Sacerdos Dei D « Evangelium tenens, et Christi præcepta custodiens, « occidi potest, vinci non potest. Suggerit et submi- « nistrat nobis exempla virtutis ac fidei Zacharias, « antistes Dei, qui cum terreri minis et lapidatione « non posset, in templo Dei occisus est, clamans et « itentidem dicens quod nos quoque contra hæreti- « cos clamamus et dicimus : *Hæc dicit Dominus* (II « *Paral.* XXIV) : *Dereliquistis vias Domini, et Dominus « derelinquet vos*. Neque enim qui pauci temerarii et « im. robi cœlestes et salutares vias Domini derelin- « quunt, et sancta non agentes, a sancto Spiritu de- « seruntur, ideo et nos divinæ traditionis immemo- « res esse debemus, ut majora esse furentium scelera, « quam sacerdotum judicia censeamus, aut existime- « mus plus ad impugnandum posse humana conamina, « quam quod ad protegendum prævalet divina tu- « tela (*pag.* 184). »

« charissime, istic interesse nobiscum, cum parvi isti « et perversi de schismate revertuntur! Videres quis « mihi labor sit persuadere patientiam fratribus no- « stris, ut, animi dolore sopito, recipiendis malis « curandisque consentiant. Namque ut gaudent et « lætantur, cum tolerabiles et minus culpabiles re- « deunt, ita contra fremunt et reluctantur, quoties « inemendabiles et protervi, et vel adulteriis, vel « sacrificiis contaminati, et post hæc adhuc insuper « et superbi, sic ad Ecclesiam remeant, ut bona « intus ingenia corrumpant (*pag.* 183). »

Adde ea quæ in libro *de Lapsis* adversus nimiam hanc, noxiamque facilitatem copiose disputat : « Imperitus est medicus, etc. (*pag.* 377). Non con- « cedit pacem facilitas ista, sed tollit, etc. (*p.* 378). » Atque hoc quidem in loco eos martyres reprehendit, qui commendatitiis litteris vehementius exposcebant, ut criminibus obnoxios sine pœnitentia Ecclesia in sinum reciperet. « Veniam peccatis, quæ in ipsum « commissa sunt, solus potest ille largiri, qui pec- « cata nostra portavit, etc. »

Alibi vero eosdem martyres et confessores vehementer orat, ut cautiores sint in commendatitiis litteris concedendis (2) : his enim abutebantur non pauci immanium criminum rei, ut in Ecclesiam sine pœnitentia reciperentur.

IX. Summa severitas quoque illi displicuit, qua nimirum in desperationem adduci facile possent qui in crimina prolapsi fuerant, et in impietate persistere. Censuit itaque temperandam esse lenitate severitatem, ut nemini pœnitentiæ locus præcluderetur, ideoque recipi quidem possent omnes, tametsi antea atrocibus criminibus polluti, dummodo pœnitentiam quam episcopus imponeret subirent. Consule quæ nuper allegavi; atque ea sane quæ ex libro *de Lapsis* innui, merentur ut hic integra describantur. « Imperitus est medicus, qui tumentes vulnerum sinus manu parcente contrectat, et in altis recessibus viscerum virus inclusum, dum servat, exaggerat. Aperiendum vulnus est, et secandum, et, putraminibus amputatis, medela fortiore curandum. Vociferetur et clamet licet, et conqueratur æger impatiens per dolorem, gratias aget postmodum, cum senserit sanitatem : emersit enim, fratres dilectissimi, novum genus cladis et quasi parum persecutionis procella sævierit, accessit ad cumulum sub misericordiæ titulo malum fallens, et blanda pernicies. Contra Evangelii vigorem, contra Domini ac Dei legem temeritate quorumdam laxatur incautis communicatio irrita et falsa pax, periculosa dantibus, et nihil accipientibus profutura... (*p.* 377). Non concedit pacem facilitas ista, sed tollit; nec communicationem tribuit, sed impedit ad salutem. Persecutio est hæc alia, et alia tentatio, per quam subtilis inimicus impugnandis adhuc lapsis occulta populatione grassatur. Ut lamentatio conquiescat, ut

(1) Vide epist. LIV, quæ multorum episcoporum nomine conscripta est.

(2) Epist. X, *ad Martyr.*, etc. pag. 51.

Digitized by Google

dolor sileat, ut delicti memoria evanescat, ut comprimatur peccatorum gemitus, statuatur fletus oculorum, nec Dominum graviter offensum longa et plena pœnitentia deprecetur, cum scriptum sit : *Memento unde cecideris, et age pœnitentiam.* Nemo se fallat, nemo se decipiat (*p.* 378). »

Quod si pœnitentiam agere non recusassent, easque subiissent pœnas, quas ipse præscripsisset, se promptissimum præbebat, ut lenitatem quam posset maximam erga eos adhiberet : cujus lenitatis perspicuum argumentum habemus in epistola XII, quam legat, obsecro, lector (*p.* 55).

X. Hinc de ipsis iniquissimis Felicissimi asseclis, quorum immania scelera et execrabilem vitam, schisma quoque, et ab Ecclesia defectionem proxime ante descripserat, hæc pronuntiare non dubitat (*ep.* LV, *p.* 84) : « Si judicium nostrum voluerint experiri, veniant. Denique si qua illis excusatio et defensio potest esse, videamus quem habeant satisfactionis suæ sensum, quem afferant pœnitentiæ fructum. Nec Ecclesia istic cuique clauditur, nec episcopus alicui denegatur. Pœnitentia, et facilitas, et humanitas nostra venientibus præsto est. Opto omnes in Ecclesiam regredi, opto universos commilitones nostros intra Christi castra et Dei Patris domicilia concludi. Remitto omnia, multa dissimulo studio et voto colligendæ fraternitatis. Etiam quæ in Deum commissa sunt, non pleno judicio religionis examino. Delictis plusquam oportet remittendis pene ipse delinquo. Amplector prompta ac plena dilectione cum pœnitentia revertentes peccatum suum satisfactione humili et simplici confitentes. »

XI. Hæc quæ retuli satis apta ad id quod ostendendum mihi proposui, censeo. Cæterum si alia adhuc optas ejusdem Cypriani hanc in rem testimonia, ea consule quæ tradit ipse in libro *de Lapsis* et in epistola LV. Utrumque porro comprehendit, suamque sententiam apertissime explicat in epistola LII (*p.* 155) verbis iis : « Miror autem quosdam sic obstinatos, etc. ; » quæ verba in annotationibus ad postremum testimonium (id est Apocal., II, 5) allegabimus.

XII. Ut ergo et Novatianorum errorem, et schisma reprehenderet, et propositum suum, et disciplinam quam in Ecclesiam invexerat, a reprehensionibus vindicaret, libellum hunc aut composuit Cyprianus ipse aut certe alter pro Cypriani sententia decertans, ea colligens quæ in tria, si vis, argumenta et disputationis capita erant deinceps distribuenda quorum alterum Novatianorum schisma erroresque damnaret ; refelleret alterum sententiam illorum, qui fassi subesse Ecclesiæ potestati crimina quævis, criminosos tamen ab Ecclesia, et a pœnitentia ineunda; arcebant approbaret tertium disciplinam a Cypriano propositam. Quod autem apte sub horum altero comprehendantur illa ipsa duo quæ diximus testimonia, in annotationibus ad illa ostendemus. Atque hunc quidem libellum suspicor ea mente fuisse compositum, ut in tertio *Testimoniorum* libro reliquis illius partibus adjungeretur.

Sed jam denique, quas promisimus annotationes, præbeamus.

Allegatis in superiori opusculo Scripturarum locis annotationes quasdam apponimus.

CAPUT II.

Nolim vero arbitretur lector, ea tantummodo Scripturarum loca, quæ in hoc opusculo habeantur, pœnitentiam respicere. Alia, eaque non pauca, invenies in Bachiarii libro ad Januarium misso, in Parallelis quoque Damasceni (*litt.* μ, *tit.* III, *περὶ μετανοίας, etc.*) in eo capite, quod in paginæ calce allego, quodque si cum hoc libello conferas, jucundissimum id tibi erit, et valde utile. Ea itaque loca quæ hic recensentur, aut portio nonnulla sunt amplioris libri, qui multo plura complectebatur, aut, si vis, selecta ea sunt veluti reliquis aptiora, non ad utilitatem quidem, necessitatemque pœnitentiæ generatim inspectæ asserendam, sed ad utilitatem necessitatemque illius generis pœnitentiæ asserendam, de quo genere numero 6, 7, et subsequentibus superioris capitis egi ; recole itaque quæ iis numeris tradidimus.

Jam vero ad eum locum venio, qui primum in hoc opusculo se offert, quique se habet :

I. *Si dereliquerint filii ejus legem meam, et in judiciis meis non ambulaverint, et mandata mea non custodierint, visitabo in virga iniquitates eorum et in verberibus peccata eorum : misericordiam autem meam non dispergam ab eis* (*Ps.* LXXXVIII, 31).

Arbitratus sum aliquando, amanuensis licentia quadam, immutatum eum fuisse, et loco vetustæ substitutam fuisse Vulgatam interpretationem, quod ego sæpe in codicibus factum perspexi. At anceps deinceps hæsi, cum eumdem locum ad eum fere modum citatum vidi in Bachiarii libro (1) quo affertur in hoc opusculo. Aut ergo uterque amanuensis eamdem licentiam sibi arrogavit, aut potius vetustis ipsis temporibus altera interpretatio hujus loci aderat, quæ ea ratione locum hunc redderet, qua nunc redditi Vulgata.

Cæterum hic psalmi octogesimi octavi locus in vetustissimo illo libello (2), qui adversus Novatianum, ipso Novatianorum atque Cypriani tempore conscriptus fuit, ad hunc modum se habet : *Si dereliquerint filii ejus legem meam, et in mandatis meis non ambulaverint, et si justificationes meas profanaverint, et præcepta mea non custodierint, visitabo in virga facinora eorum et in flagellis delicta eorum ; misericordiam autem meam non dispergam ab eis.* Nec multum abest Cyprianus, sic eumdem locum allegans (3) : *Si dereliquerint legem meam, et in judiciis meis non ambulaverint ; si justificationes meas profanaverint, et præcepta mea non ob-*

(1) N°. 22, p. 115, editt. Francisci Florii.

(2) Constat auctorem libri *ad Novatianum* æqualem esse Cypriani, etc. In Vita S. Cypriani præposita editioni Baluzii, § 35, pag. 94.

(3) In epist. VII, p. 41, et in epist. LII, p. 155, et rursus in libro *de Lapsis*, p. 314.

Digitized by Google

servaverint, visitabo in virga facinora eorum, et in flagellis delicta eorum : misericordiam autem meam non dispergam ab eis, etc.

Mirum porro non est, si primo quidem locus hic afferatur : etenim severitatem illorum redarguit qui, nimio plus austeri, recipere pœnitentes in Ecclesiam nolebant. Hinc auctor libri ad Novatianum hæreticum (*p.* 11) : « Quænam est tua Novatiane, dementia, ut illa, quæ ad exitium salutis pertineant, tantum legas, et quæ ad misericordiam prætereas ? Clamante Scriptura, et dicente : *Pœnitentiam agite*..... Adeo quia multæ miserationis est Dominus, audivimus : audiamus quid per David contestatur Spiritus sanctus ; *Si dereliquerint filii ejus*, etc. » Bachiarius quoque, valde vetustus (quippe qui creditur Augustini æqualis) et valde probabilis scriptor, iisdem pariter verbis eorum severitatem refellit, qui gravioribus quibusdam peccatis pœnitentiæ locum denegabant : « Age ergo, amice, inquit ille (1) in epistola ad Januarium, consurge, et, perdita inter fluctus sæculi mercede, atque substantia velut naufragus imam tabulam, hoc est scientiam divini Canonis, tene, quæ te adducat ad littus ubi ait : *Si dereliquerint filii ejus legem meam, et in judiciis meis non ambulaverint ; si justificationes meas profanaverint, et mandata mea non custodierint, visitabo in virga iniquitates eorum, et in verberibus peccata eorum ; misericordiam autem meam non dispergam ab eis, neque nocebo in veritate mea.* De cujus hoc filiis dicitur ? Nonne Domini nostri Jesu Christi, quos Ecclesiastici fontis uterus et secreti ac perplexi vulva mysterii parturivit ; quos natos crucis cuna suscepit, Evangelii mammilla lactavit ? Vis scire quia baptizati, non autem catechumeni filii appellantur ? Aspice quod ipse Apostolis suis dicit : *Jam non dicam vos servos, sed filios.* »

Eorum quoque lenitatem locus iste facilitatemque refellit, qui sine ulla pœnitentia prolapsos in crimina recipiebant in Ecclesiam. An non Deus, dum misericordiam nepotibus Davidis pollicetur, pœnitentiam eis se inflicturum esse promittit ? *Visitabo in virga... misericordiam autem meam non dispergam.* Pulchre Cyprianus (*epist.* LII, *p.* 155) : « In Psalmis etiam legimus censuram pariter, et clementiam Dei comminantis simul, atque parcentis, punientis ut corrigat, et cum correxerit, reservantis : *Visitabo*, inquit, *in virga facinora eorum, et in flagellis delicta eorum. Misericordiam autem meam non dispergam ab eis.*

II. Item apud Isaiam (xxx, 15) : *Sicut dicit Dominus sanctus Israel. Cum conversus ingemueris, tunc salvus eris, et scies ubi fueris.*

Invitantur his verbis Novatiani ad Ecclesiam, quatenus certi redduntur, si ingemuerint, id est si de schismate et criminibus reliquis pœnitentiam egerint, salvandos fore. Restituti vero Ecclesiæ et salutari pœnitentia prioribus erroribus deletis, tum denique agnoscent, schismatis atque hæresis, qua ante irretiti fuerant, gravitatem : *Et scies ubi fueris.*

(1) Tom. III. Bibliot. Paris. Patr. p. 133 ; in editione Francisci Florii, uti dixi, p. 115, n. 22.

Cæterum id ipsum quod ex proxime superiore testimonio deduximus, facile etiam deducitur ex eo quod hic allegamus : debet enim ingemiscere (id est veram, non fucatam, pœnitentiam agere) is qui ad Deum convertitur. Id si peraget, salvabitur a Domino, agnoscetque, cum pœnituerit, detestabilem statum in quo antea fuerat : *Et scies ubi fueris.*

At facile posces, ubinam exstent allegata verba, quæ citantur etiam a Cypriano (1) et Paciano (2), atque adeo, si egregio Calmeto credis, ab Origene, Hieronymo et Fulgentio ? Require ea in vetusta versione Septuaginta interpretibus adhærente, et invenies in versiculo 15 capitis XXX Isaiæ. Hæc porro eo libentius annotavi, quod viderim in editione Cypriani, quam adornavit Baluzius, citari in margine : Ezech., XVIII et XXXIII. Ex Isaia sane allegat Hieronymus, quem n. 4 afferam.

III. Item illic (XXX, 1) : *Væ filii desertionis, dicit Dominus, fecistis consilium non per me et sponsionem meam, non per Spiritum meum, adjicere peccatum super peccatum.*

Locus iste ille ipse est, procul dubio, qui in Vulgata exstat versiculo 1 capitis XXX Isaiæ, sic in latinum versus : *Væ filii desertores, dicit Dominus, ut faceretis consilium, et non ex me, et ordiremini telam, et non per Spiritum meum, ut adderetis peccatum super peccatum.*

Sequitur porro scriptor noster, veterum more, Septuaginta interpretes. Videtur autem ideo allatus hic locus, ut moneremur, non approbari a Deo consilium eorum qui, ut verbis Cypriani utar (*ep.* LV, *p.* 181) : « Contra Deum sacrilegi, contra sacerdotes Dei impio furore temerarii, de Ecclesia recedentes et contra Ecclesiam parricidalia arma tollentes, elaborant ut opus suum diaboli malitia consumment, ne vulneratos divina clementia in Ecclesia sua curet. Miserorum pœnitentiam mendaciorum suorum fraude corrumpunt, ne Deo indignanti satisfiat. » Quibus quidem verbis Novatianos, ut puto, innuit, qui ut asseclarum numerum augerent, lapsos et criminosos in cœtum suum facile recipiebant, nec ab eis preces eas, afflictionesque exposcebant, quas exposcebat catholica Ecclesia. Quamquam etiam arbitror, eosdem Novatianos propterea quoque reprehendi quod descivissent ab Ecclesia, schismaticis præsidibus adversus catholicos constitutis. Id sane indicat Cyprianus, cum hæc ait (*epist.* LV, *p.* 178) : « Plane episcopi, non de voluntate Dei fiunt, sed qui extra Ecclesiam fiunt, sed qui contra dispositionem et traditionem Evangelii fiunt, sicut ipse Dominus in duodecim Prophetis ponit et dicit : *Sibimetipsis regem constituerunt, et non per me.* Et iterum : *Sacrifi-*

(1) In libro *de Lapsis*, p. 386.

(2) Contra tract. Novatian. et tom. III Bibliot. Paris. Patr., p. 61. Quid si adjecissem illud Isaiæ : *Cum conversus ingemueris, tunc salvaberis, et scies ubi fueris ?* Et in Paræn. ad pœnit., pag. 75 : *Et iterum cum conversus ingemueris, tunc salvaberis, et scies ubi fueris ?*

Digitized by Google

cia eorum tamquam panis luctus; omnes, qui manducant ea contaminabuntur. Et per Isaiam quoque (*Isa.* xxx) Spiritus sanctus clamat, et dicit : *Væ vobis, filii desertores. Hæc dicit Dominus : Habuistis consilium et non per me, et fecistis conventionem, et non per Spiritum meum, adjicere peccata super peccata.*

Eodem quoque spectare videtur is quem sæpe allegavi, auctor libri *ad Novatianum hæreticum*, hæc scriptis tradens (*p.* 8) : *Quia qui non introivit per ostium in ovile ovium, sed descendit per alteram partem, ille fur et latro est.* Item in eodem Evangelio quoque ait : *Omnes qui venerunt, fures sunt et latrones.* Qui isti sunt, nisi desertores fidei, et transgressores Ecclesiæ Dei, qui contra ordinationem Dei nituntur ? Quos merito Spiritus sanctus per Prophetam increpat, dicens : *Fecistis consilium non per me, et conventionem non per Spiritum meum, adjicere peccata super peccata.* Quid ad ista respondeant perversissimi isti Novatiani, vel nunc infelicissimi pauci, qui ad tantam furoris dementiam proruperunt, ut nec Deo, nec homini reverentiam habuerint? »

IV. Item apud Jeremiam (II, 25) : *Avertere* (1) *pedem tuum ab aspera via, et faciem tuam a siti; illa vero dixit : « Confortabor ; volo : » quia diligebat alienos, et ibat post illos.*

Ad Novatianorum Pertinaciam retundendam plurimum valet locus ille Jeremiæ, qui nunc affertur, et quem in Vulgata sic leges : *Prohibe pedem tuum a nuditate et guttur tuum a siti ; et dixisti : Desperavi, nequaquam faciam : adamavi quippe alienos et post eos ambulabo.* Utitur hoc loco ad invitandum ad pœnitentiam Rusticum lapsum Hieronymus, hæc ad eum scribens (2) : « Nihil ita offendit Deum quam desperatione meliorum hærere pejoribus : licet et ipsa desperatio incredulitatis indicium sit. Qui enim desperat salutem, non putat futurum esse judicium. Quod si metueret, utique bonis operibus se judici præpararet. Audiamus per Jeremiam loquentem Deum : *Converte pedem tuum a via aspera, et guttur tuum a siti.* Et iterum : *Numquid qui cadit, non resurget : aut qui aversus est, non revertetur ?* Et per Isaiam : *Quando conversus ingemueris, tunc salvus eris, et scies ubi fueris.*

V. Item apud Isaiam : *Convertimini, quia* (3) *altam cogitationem cogitatis, et iniquam* (Isai. xxxi, 6).

Tum ad vocandos peccatores ad veram, non ad fucatam, pœnitentiam, tum ad revocandos a schismate ad Ecclesiam Novatianos valet locus iste : cui simillimus est alter, quem ex Joele affert Cyprianus in libro de Lapsis (4) : *Revertimini ad Dominum Deum vestrum*, etc.

Notat autem clar. Calmet locum istum a Symmacho ad hunc modum fuisse explicatum : *Pœnitentiam agite, sicut profunda transgressione recessistis a Deo.* Septuaginta vero : *Convertimini, qui profundum consilium consultabatis et iniquum.* Vox itaque *illa altam* (*altam cogitationem*) hic idem significat ac, *profundam :* qua quidem significatione alibi etiam, judice Augustino, sumitur : sic enim sanctus doctor versiculum septimum psalmi sexagesimi tertii : *Accedet homo ad cor altum*, etc., explicat, *Accessit homo ad cor altum, id est cor secretum* (*secretum* vero hic idem significare videtur ac *profundum*) *objiciens aspectibus hominem, servans intus Deum.*

VI. Item illic (XLIII, 25) : *Ego sum, ego sum qui deleo injustitias tuas, et non recordabor : tu autem recordare, et judicemur simul. Dic tu injustitias tuas prius.*

Vulgata hæc habet : *Ego sum, ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas propter me, et peccatorum tuorum non recordabor. Reduc me in memoriam, et judicemur simul : narra, si quid habes, ut justificeris.* At scriptori nostro fere congruit is, quem sæpius laudavi, auctor libelli ad Novatianum hæreticum. En quomodo locum hunc legit (5) : *Ego sum, ego sum qui deleo facinora tua, et non commemorabor te : tu autem in mente habe, et judicemus. Dic tu facinora prius, ut justificeris.*

Eadem plane mihi videtur loci hujus mens atque ea quam loci Jeremiæ paulo ante allati esse dixi. Sane eo recitato auctor libelli *ad Novatianum* hæc statim subdit : « Dum patet, fratres, indulgentiæ aditus, Deum plenis satisfactionibus deprecemur. Deprecemur nos, ut exaltari possimus. » Propterea etiam allatus videtur locus iste, ut doceamur copiosissime, et summa cum liberalitate nostri misereri Deum, dum peccatorum, de quibus dolemus, omnino obliviscitur. Monet tamen, ut nos eorum meminerimus, deflendo scilicet. Monet pariter, ut peccata nostra prius defleamus quam eorum veniam ab Ecclesia exposcamus. *Dic tu injustitias tuas prius*, etc. Præproperam itaque nonnullorum pœnitentiam et nimiam quorumdam presbyterorum facilitatem in impertienda lapsis venia, verba ista condemnant. Locum hunc ad pœnitentiæ necessitatem inculcandam adducit etiam Damascenus (6).

VII. Item illic (*Isai.* LV, 6) : *Quærite Deum, et cum inveneritis eum, invocate. At ubi appropinquavit vobis, derelinquat impius vias suas, et vir iniquus cogitationes suas, et convertatur ad Dominum, et misericordia ei præparabitur, quia non multum remittit peccata vestra.*

Atque hanc ipsam præproperam pœnitentiam, et nimiam facilitatem ea, de quibus nunc agimus, Isaiæ verba condemnant. Quærere scilicet debet peccator Deum, eoque cor ejusdem peccatoris gratia sua illustrante, ac permovente, derelinquere debet viam suam ; tum vero misericordia ei præparabitur, quam quidem non sine precibus, et pœnis, quibus peccator subsit, indulget Deus, qui (ut scriptoris nostri verbis utamur) *non multum remittit ;* id est non sine aliquo nostro supplicio et afflictione. Alios etiam sensus verba illa *non multum* habere fortasse possunt ; sed certe hosce duos. Prior hic est : Statim ac peccator ex corde defleat peccatum suum, remittet Deus quæ-

(1) Legendum puto : *Averte.*
(2) Epist. olim 46 in Veron. edition. 122, n. 1, pag. 885.
(3) *Qui*, nisi probabilis conjectura me fallit.
(4) Pag. 386.
(5) Pag. 16.
(6) Parallel. litt. μ, tit. III, p. 578, t. II edit. le Quien.

Digitized by Google

cumque erravit, adeo ut *non multum* orari se sinat, ut veniam indulgeat. Alter : Dum Deus atque Ecclesia vos ad se vocat, o Novatiani, vocanti parete, neque enim *diu* (*non multum*) pertinaciam vestram atque insolentiam tolerabit. Calmet postremæ huic explicationi favet, dum lectorem monet, ut conferat locum hunc cum altero Joannis XII, 35 : *Adhuc modicum lumen in vobis est, ambulate dum lumen habetis.* Utcumque sit, audi, quomodo Vulgatus interpres hæc, de quibus agimus verba latinitate donarit : *Quærite Dominum, dum inveniri potest : invocate eum, dum prope est : derelinquat impius viam suam, et vir iniquus cogitationes suas, et revertatur ad Dominum, et miserebitur ejus, et ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum.* Non præterit locum hunc sanctus Pacianus adversus Novatianos disputans (*epist.* III), neque etiam præterit Damascenus (*Parall., litt.* μ, *tit.* III).

VIII. Item illic (*Isai.*, XLIV, 1) : *Recordare hæc, Jacob et Israel, quia puer meus es ; vocavi te puerum meum, et tu, Israel, noli oblivisci mei ; ecce enim abstersi sicut..... injustitias tuas, et sicut imbrem peccata tua. Convertere ad me, et redimam te.*

Diu perquisivi tum in Vulgata versione, tum in Bibliis ex interpretatione Septuaginta latinitate donatis eum, qui allegatur hic, locum ; at frustra perquisivi. Quamquam enim aliquid huic affine exstat, capite XLI, 8 et 9, et cap. XLII, 1 ; rursus cap. XLIII, 1 et 5 ; et alibi etiam ; alia tamen in his locis invenies, quæ ab allatis verbis plurimum distant. Suspicor itaque hic adduci ex vetusta aliqua interpretatione versiculum primum, secundum et tertium capitis XLIII Isaiæ, qui ex lectione Septuaginta sic latine vertitur : *Et nunc sic dicit Dominus Deus, qui fecit te, Jacob, et qui formavit te Israel : Noli timere, quoniam redemi te ; vocavi te nomine tuo. Meus es tu : et si transieris per aquam, tecum sum, et flumina non cooperient te. Et si transieris per ignem, non combureris, flamma non exuret te, quia ego Dominus Deus tuus, sanctus Israel, Salvator tuus.* At in Vulgata legitur ad hunc modum : *Et nunc hæc dicit Dominus creans te, Jacob, et formans te, Israel : Noli timere, quia redemi te, et vocavi te nomine tuo. Meus es tu. Cum transieris per aquas, tecum ero, et flumina non operient te.* Aut potius adduci hic suspicor quinque priores versiculos capitis XLIV Isaiæ, qui tamen in Vulgata multo aliter leguntur, ad hunc scilicet modum : *Et nunc audi, Jacob serve meus, et Israel quem elegi. Hæc dicit Dominus faciens et formans te, ab utero auxiliator tuus : Noli timere, serve meus Jacob, et rectissime, quem elegi ; effundam enim aquas super sitientem, et fluenta super aridam : effundam Spiritum meum super semen tuum, et benedictionem meam super stirpem tuam. Et germinabunt inter herbas quasi silices juxta prætérfluentes aquas. Iste dicet : Domini ego sum : et ille vocabit in nomine Jacob, et hic scribet manu sua : Domino..... Rex Israel et redemptor ejus.* Interpretatio porro latina, interpretationi Septuaginta senum adhærens, sic reddit : *Nunc autem audi, Jacob, puer meus, et Israel, quem elegi : sic dicit Dominus Deus qui fecit te, et qui adamavit te de ventre : Adhuc habebis auxilium. Noli timere, puer meus Jacob, et dilecte Israel, quem elegi. Quia ego dabo aquam in siti, iis qui ambulant in aquosa, imponam Spiritum meum super semen tuum, et benedictiones meas super filios tuos. Et orientur ut in medio aquæ fœnum, et sicut salix super prætérfluentem aquam. Iste dicet : Dei sum : et iste clamabit in nomine Jacob, et alius scribet in manu sua, Dei sum, et in nomine Israel clamabit.* Discrimen autem quod has inter interpretationes non leve interest, retuli in exemplaria, quæ habuit interpres ille, quem consuluit noster scriptor, qui fortasse etiam per se ipse superiora verba in hebræo aut, si vis, in græco nonnihil ambigua ad eum modum transtulit, quem vidit aptum ad revocandos ad Ecclesiam errantes. Cæterum, si vis, verba illa : *Convertere ad me et redimam te*, desumpta esse ex alio Scripturæ loco, quem negligens amanuensis minime designavit, nec sejunxit a superioribus, minime obsistam.

IX. Item illic (*Isai.*, XLVI, 8), *In mente habete hæc et gemite : pœnitemini qui seducti estis, et convertimini corde ad me, et in mente habete priora sæcula, quia ego Deus.*

In Vulgata sic redduntur verba hæc : *Mementote istud, et confundamini ; redite prævaricatores ad cor. Recordamini prioris sæculi, quoniam ego sum Deus.* Sed noster scriptor versioni Septuaginta adhærens paulo aliter vertit. Ad veram pœnitentiam verba hæc invitant eos qui in gravia crimina inciderant (*Convertimini corde ad me*), illisque memorant priorum Christianorum disciplinam et judicia Dei, qui inulta non sinit crimina : *In mente habete priora sæcula, quia ego Deus.* Invitant etiam, si vis, Novatianos ad Ecclesiam, quam dereliquerant, eosque monent ne Deum novis sceleribus et pertinacia in suscepto schismate, irritare adhuc pergant.

X. Item illic (*Isai.* LIV 8) : *Tempore pusillo dereliqui, et cum misericordia magna miserebor tui. In furore pusillo averti faciem meam abs te : in misericordia æterna miserebor tui.*

Indicat, nisi fallimur, locus iste, per brevem pœnitentiam, in qua Ecclesia derelinquere videtur reos, cum a communione et fidelium cœtu eos avertit, uberrimam diuturnamque misericordiam illos fore consecuturos. Indicat etiam, si vis, non derelinqui omnino a Deo peccatores, qui, si vocanti paruerint, misericordiam uberrimam obtinebunt. Vulgata hæc sic habet : *In momento indignationis abscondi faciem meam parumper a te, et in misericordia sempiterna misertus sum tui.*

XI. Item illic. (*Isai.* LVII, 15) : *Hæc dixit Excelsus in excelsis habitans in æternum, sanctus in sanctis ; nomen est ei Dominus ; Excelsus in sanctis requiescens, et pusillanimis dans animi æquitatem, et dans vitam contribulatis corde. Non in sempiternum irascor vobis, nec*

Digitized by Google

per omnia vindicabo in vos ; spiritus enim a me prodiet et inspirationem omnem ego feci, et propter peccatum, pusillum contristavi eum, et averti faciem meam ab eo, et vilem passus est, et abiit tristis in viis. Vias ejus vidi, et sanavi eum, et consolatus sum ego, et dedi ei consolationem veram, et pacem super pacem iis qui longe, et iis qui prope. Et dixit Dominus : Sanavi eos : iniqui autem ut mare commotum, sic fluctuabuntur, et quiescere non possunt. Non est gaudere impiis, dicit Dominus.

Affinem superiori explicationem excipit locus iste, quo ad divinam pietatem erga iniquos quoscumque commendandam, eosque invitandos ad pœnitentiam, utitur auctor libri *ad Novatianum*. « Et quoniam, « inquit ille (*pag.* 11), Jeremias propheta in per- « sona populi peccatoris deprecatur Dominum, « dicens : *Emenda nos, Domine, sed in judicio et « non in ira, ne paucos facias nos ;* adjecit, et dixit « Isaias : *Propter peccatum modice contristavi eum, « et percussi eum, et averti faciem meam ab eo, et « contristatus est, et abiit tristis in viis suis ;* et quia « operatur, adjecit et dixit : *Vias ejus vidi, et cu- « ravi eum, et dedi ei exhortationem veram, pacem super « pacem ;* pœnitentibus, deprecantibus et operan- « tibus, restitui posse quod male perierint, quodve « a Christo declinaverint. »

Vulgata porro sic locum hunc reddit : *Hæc dixit Excelsus, et sublimis habitans æternitatem : et sanctum nomen ejus : in excelso et in sancto habitans, et cum contrito et humili spiritu, ut vivificet spiritum humilium, et vivificet cor contritorum. Non enim in sempiternum litigabo, neque usque ad finem irascar, quia spiritus a facie mea egredietur, et flatus ego faciam. Propter iniquitatem avaritiæ ejus iratus sum, et percussi eum : abscondi a te faciem meam et indignatus sum ; et abiit vagus in via cordis sui. Vias ejus vidi, et sanavi eum, et reduxi eum, et reddidi consolationes ipsi et lugentibus ejus. Creavi fructum labiorum pacem, pacem ei qui longe est, et qui prope, dixit Dominus, et sanavi eum. Impii autem, quasi mare fervens, quod quiescere non potest, et redundant fluctus ejus in conculcationem et lutum. Non est pax impiis, dicit Dominus Deus.* Vide interpretes in locum hunc.

XII. Item apud Jeremiam (*Jer.*, II, 32.) : *Numquid obliviscetur sponsa ornamenti sui, aut virgo fasciæ pectoralis suæ ? Populus vero meus oblitus est mei dierum* (1) *quorum non est numerus.*

Si adversus Novatianos, qui jam ab Ecclesia defecerant, plurimisque se devinxerant criminibus, librum hunc scriptum putas, facile vides quo respiciant monita hæc : scilicet ut eorum crimina et pertinaciam indicent, doceantque stulte illos ab Ecclesia defecisse, quæ multo jam tempore eos exspectabat invitabatque ad pœnitentiam, stulte quoque tam diu (diebus innumeris) in errore persistere. Si vero conscriptum putas, ut lenitas a Cypriano inducta confirmaretur, ideo afferri dicito, ut ostendatur cupere Deum, ut si quis ab eo defecisset, ad eum denique reverteretur ; et propterea diebus innumeris exspectasse : conqueri quoque Dominum, quod impios videat in iniquo proposito persistere et veteri pervicacia. Cur ego repellentur hi, si tandem aliquando ad Ecclesiam confugiant, ut priora crimina defleant ? Non multum distat ab ea, qua utitur noster scriptor, Vulgata versio ; nam hujusmodi est : *Numquid obliviscetur virgo ornamenti sui, aut sponsa fasciæ pectoralis suæ ? Populus vero meus oblitus est mei diebus innumeris.*

XIII. Item illic (*Jerem.* XVIII, 7.) : *In summa loquar super gentem, aut super regnum, aut auferam eos, et perdam. Et si conversa fuerit gens a malis suis, pœnitebo de malis, quod* (2) *cogitavi facere illis. Et summa loquar super gentem, aut regnum, ut reædificem et plantem, et facient mala ante me, ut non audiant vocem meam, et pœnitebo de bonis, quæ locutus sum facere eis.*

Meta allegati loci, me quidem judice, hæc est : Testatur Dominus se minatum esse quidem perniciem populorum et gentium, tamen si eos suorum criminum pœniteat, se statim aversurum pœnas quas antea minatus fuerat. Contra si a justitia defecerint viri probi, se præmia minime daturum, quæ antea pollicitus fuerat. Paucis testatur se neminem pœnitentem odisse, neminem a probitate desciscentem respicere. Cur ergo a pœnitentia propter priora crimina, quæ nunc deflent, et castigationibus afflictionibusque delere parati sunt, avertentur populi ? Cur in pertinacia et schismate persistent et Novatianus et qui Novatiano adhæserunt ; fidentque in prioribus meritis suis ? ea quæ ad locum XV afferemus, locum hunc ipsum illustrant. Si Vulgatam cupis, ecce illam ; *Repente loquar adversum gentem et adversum regnum, ut eradicem, et destruam, et disperdam illud. Si pœnitentiam egerit gens illa a malo suo, quod locutus sum adversus eam, agam et ego pœnitentiam super malo, quod cogitavi ut facerem ei. Et subito loquar de gente et de regno, ut ædificem et plantem illud. Si fecerit malum in oculis meis, ut non audiat vocem meam, pœnitentiam agam super bono, quod locutus sum ut facerem ei.* Locum hunc allegat etiam Damascenus (3).

XIV. Item illic (*Jerem.* III, 12) : *Revertere ad me, habitatio Israel, dicit Dominus, et non firmabo faciem meam super vos, quia misericors ego sum, dicit Dominus, et non irascar vobis in æternum.*

Præsens Jeremiæ locus eodem spectat, quo superioris loci pars prior ; neque vero peculiare annotatione indiget. Vulgatus noster interpres ad hunc modum verba ea vertit : *Revertere, aversatrix Israel, ait Dominus, et non avertam faciem meam a vobis, quia sanctus ego sum, dicit Dominus, et non irascar in perpetuum.* Consule, oro, quæ docet clarissimus Calmetus in locum hunc quem non præterit Damascenus. Mirum porro quod non allegetur deinceps in eamdem sententiam Joel, cum eum sæpe allegaverint Cy-

(1) *Diebus*, ut puto.

(2) *Quæ.*

(3) Parall. litt. μ, tit. III, p. 578, tom. II.

Digitized by Google

prianus (1), Paelanus et Damascenus; sed id fortasse librarii vitio et negligentiæ tribuendum est.

XV. Item illic (*Jerem.* III, 14) : *Convertimini filii qui recessistis, dicit Dominus. Quoniam ego dominabor vestri et accipiam vos unum de civitate et duos de familia, et inducam vos in Sion, et dabo vobis pastores secundum cor meum, et pascent vos pascentes cum disciplina.*

Non absimilis est sensus verborum illorum, quæ modo allegavi, quæque unius tantum versiculi intervallo a superioribus distant. In Vulgata porro in latinum sic versa sunt : *Convertimini, filii, revertentes, dicit Dominus, quia ego vir vester, et assumam vos unum de civitate, et duos de cognatione, et introducam vos in Sion, et dabo vobis pastores juxta cor meum, et pascent vos scientia et doctrina.*

Si quis affirmet, ad Novatianos expresse dirigi verba hæc, illisque promitti si ab hæresi et schismate resipuerint, reversique fuerint ad Ecclesiam, legitimos verosque pastores, dum illegitimos spuriosque tantummodo haberent, id sane affirmabit, quod ego verisimillimum puto. Lege, obsecro, quæ de scelesta ordinatione Novatiani, aliorumque schismaticorum tradunt Cyprianus (1) et Pacianus (2), quibus addas opto, quæ hoc super argumento auctor libri *ad Novatianum* copiose disserit (3).

XVI. Item illic (*Jerem.* III, 22) : *Convertimini filii revertentes, et ego sanabo contritionem vestram.*

Idem porro quod de duobus proxime præcedentibus Scripturæ locis dixi, de eo etiam affirmare non vereor, quem nuper attuli, quique in Vulgata sic legitur : *Convertimini, filii revertentes, et sanabo aversiones vestras.* Vide interpretes in hunc locum.

XVII. Item illic (*Jerem.* IV, 14) : *Ablue a malitia cor tuum, Jerusalem, ut saneris. Usquequo erunt in te cogitationes dolorum tuorum ?*

Ut vim assequaris testimonii illius, quod hic allegatur, ea consule, quæ ad locos Scripturæ IV, V et IX tradita sunt. Vulgata sic illud exhibet : *Lava a malitia cor tuum, Jerusalem, ut salva fias. Usquequo morabuntur in te cogitationes noxiæ?*

XVIII. Item illic (*Jerem.* VIII, 4) : *Hæc dicit Dominus : Numquid qui cadit, non resurget ; aut qui avertit se, non convertetur? quia avertit se populus iste a visione improba, et obtinuerunt præsumptione suâ, et noluerunt converti.*

Ipsissimam explicationem adhibet iis Jeremiæ verbis quæ modo allegavi, Bachiarius (5) hæc tradens : *Et alibi : Numquid qui cadit non resurget, aut avertens non convertitur?* Ad hunc vero modum Vulgata refert : *Hæc dicit Dominus : Numquid qui cadit non resurget? et qui aversus est, non revertetur? Quare ergo aversus est populus iste in Jerusalem aversione contentiosa?*

XIX. Item illic (*Jerem.* VIII, 6) : *Non est homo pœnitentiam agens a malitia sua, dicens : quid feci ? Defecit qui currit cursu suo, sicut equus suadens* (6) *in hinnitu suo.*

Quod hoc loco positum est, istud ad eum ferme modum explicatur quo explicatur duodecimo loco positum. Hic itaque ea recole, quæ ibi sunt dicta. Vulgata paulo aliter ea verba reddit ; nimirum ita : *Nullus est qui agat pœnitentiam super peccato suo, dicens, Quid feci? Omnes conversi sunt ad cursum suum, quasi equus impetu vadens ad prælium.* Ea itaque interpretatio, quam sequitur noster scriptor, a Septuaginta interpretibus profluit. Sic autem ea explicat Theodoretus (7) : « Equus impetu, et hinnitu currens, post laborem sistit ; hi vero (impii scilicet et iniquissimi) minime constiterunt in scelerum suorum cursu. » Locum hunc allegat etiam Damascenus (8).

XX. Item illic (*Jerem.*, XVIII, 11, 12) : *Avertatur ergo unusquisque a via sua mala, et meliora facite studia vestra. Et dixerunt : Confortabimur, quia post adinventiones vestras* (9) *ibimus, et unusquisque, quæ placent cordi suo, mala faciemus.*

Si eorum memineris, quæ ad locum XII, eorum quoque, quæ ad XIV, XV, et subsequentes annotavimus, facile percipies, quo superiora verba collineent. Propterea porro ea allata hic puto, ut sicut olim vocanti Domino ad pœnitentiam Hebræus populus sceleribus suis obstrictus parere recusabat, malebatque diis alienis pravisque inclinationibus inservire, quam Deo ; ita iniqui illi, quos corripit noster scriptor (Novatiani scilicet, nisi plane fallimur), schismate et erroribus suis impediti, vocanti Deo et Ecclesiæ parere renuerunt, pertinaciter volentes in schismate et suscepto errore persistere. Valde affi-

(1) « Et Johel propheta pietatem Domini, Domino ipso monente declarat : *Revertimini*, inquit, *ad Dominum Deum vestrum, quoniam misericors, et pius est, et patiens, et multæ miserationis, et qui sententiam flectat adversus malitias irrogatas.* » Quibus quidem recitatis, hæc addit Cyprianus : « Potest ille indulgentiam dare, sententiam suam potest ille deflectere. « Pœnitenti, operanti, roganti potest clementer « ignoscere. » (*In libro de Lapsis*, p. 386.)

Alibi etiam, nim. epist. LII, p. 155 : « Nam cum « scriptum sit : *Deus mortem non fecit, nec delectatur in perditione vivorum ;* utique qui neminem vult « perire, cupit peccatores pœnitentiam agere, et per « pœnitentiam denuo ad vitam redire. Ideo et per « Johel prophetam clamat et dicit : *Et nunc hæc dicit « Dominus Deus vester : Revertimini ad me ex toto corde « vestro, simulque et jejunio et fletu et planctu, et discindite corda vestra et non ve timenta vestra, et revertimini ad Dominum Deum vestrum, quia misericors « et pius est, et patiens et multæ miserationis, et qui « sententiam flectat adversus malitiam irrogatam.* »

Paciani porro Joëlem allegantis verba habes epist. I, pag. 52, et epist. III, pag. 65. Quod ad Damascenum attinet, consule parall., litt. μ, tit. 3, p. 578, tom. II edit. le Quien.

(2) De Unitate Ecclesiæ ; epist. XLI, p. 123 ; epist. XLVIII, p. 130, et epist. XLIX, p. 141, etc.

(3) Epist. III, p. 60, tom. II, Bibliot. Paris.

(4) « Prædixerat quidem et Dominus multos esse venturos sub pellibus ovium rapaces lupos, etc. » p. 13 et 14.

(5) Pag. 3 edit. Francisci Florii.

(6) Puto legendum : *Sudans.*

(7) Lib. II Commentar. in Jeremiam., cap. VIII.

(8) Parall. litt. μ, tit. III.

(9) *Nostras*, ut puto.

Digitized by Google

nis interpretationi quam scriptor noster proponit, ea est quam habet Vulgata, nimirum hæc : *Revertatur unusquisque a via sua mala, et dirigite vias vestras et studia vestra. Qui dixerunt : Desperavimus ; post cogitationes enim nostras ibimus, et unusquisque pravitatem cordis svi mali faciemus.*

XXI. Item illic (*Thren.* II, 18) : *Effunde sicut torrens lacrymas die ac nocte ; noli dare tibi requiem ; non sileat pupilla oculi tui.*

Ad pœnitentiam pulchre invitant hæc verba, quæ Vulgata sic habet : *Deduc quasi torrentem lacrymas per diem et noctem : non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui.* Hic obiter noto, primis Ecclesiæ sæculis Jeremiæ *Lamentationes* non constituisse librum peculiarem sejunctum a *Prophetia*. Mirum itaque non est sit scriptor noster veluti uno libro comprehensa hæc alleget (*item illic*).

XXII. Item illic (*Thren.* III, 40) : *Perscrutemur vias nostras et convertamur ad Dominum. Mundemus corda nostra cum manibus nostris, et respiciamus ad Dominum, qui habitat in cœlis. Nos peccavimus, et irritavimus, et tu non es propitiatus.*

Voces pœnitentis ad Deum clamantis, atque ab eo veniam et miserationem exposcentis verba hæc exprimunt. Invitantur itaque his primo peccatores, quicumque tandem ii sint, ideoque Novatiani ipsi et schismatici, ad pœnitentiam. Ostenditur quoque immerito præcludi viam ad pœnitentiam, quandoquidem Spiritus sanctus per Jeremiam eorum proponit, ac laudat exempla, qui pravitatem suam detestati : *Scrutemur*, inquiunt (placet enim Vulgatam sequi) *vias nostras, et quæramus, et revertamur ad Dominum. Levemus corda nostra cum manibus ad Dominum in cœlos. Nos inique egimus, et ad iracundiam provocavimus ; idcirco tu inexorabilis es.* Suspicatus sum aliquando posterioribus iis verbis, *nos peccavimus..... et tu non es propitiatus*, indicari causam, cur exagitarentur tum a Christianis, tum a Gentilibus ipsis Novatiani (quia scilicet criminibus suis et schismate Deum irritaverant ; rectene an secus id suspicarer, judicet lector.

XXIII. Item illic (*Jerem.* III, 6) : *Et dixit Dominus ad me in diebus Josiæ regis : Vidisti quæ fecit mihi habitatio Israel : abiit super omnem montem excelsum, et subiit ad omne lignum nemorosum, et fornicata est illic. Et dixi postquam fornicata est hæc omnia : « Ad me convertere, » et non est reversa.*

Ita locus iste in codice allegatur, ut utramque retineat vocem, *habitatio, domus*, quarum altera certa redundat. Monui autem delendam esse vocem *domus :* non quo vox hæc displiceret, sed quod putarem, ex margine, in qua explicationis causa primum posita fuerat, in textum ipsum deinceps transiisse : alibi enim noster scriptor expresse vertit *habitatio*. (*Revertere ad me, habitatio Israel*, n, 14). Jam venio ad explicationem. Eximia Dei pietas, ac charitas erga ipsos immanium criminum reos hic primo commendatur : adhuc enim eos vocat Dominus ad pœnitentiam. Queritur deinceps Dominus, quod in sua pertinacia hi perstiterint, tametsi veniam eis tam crebro et verbis tam perspicuis obtulerit. Vide quæ diximus ad locum XII, item quæ ad XIV et sequentes. Si Vulgatam interpretationem optas, eam statim affero : *Et dixit Dominus ad me in diebus Josiæ regis : Nunquid vidisti quæ fecerit aversatrix Israel ? Abiit sibimet super omnem montem excelsum, et sub omni ligno frondoso, et fornicata est ibi, et dixi, cum fecisset hæc omnia : « Ad me revertere, » et non est reversa.*

XXIV. Item illic (*Thren.*, III, 31) : *Non repellet in æternum Dominus, et cum humiliaverit, miserebitur secundum multitudinem misericordiæ suæ, quia non humiliabit ex toto corde suo, neque repellet filios hominum.*

Ea quæ testimonio XIII, aliisque affinibus tradita sunt, rursus inculcantur iis verbis, quæ nunc expendimus, et in Vulgata sic habentur : *Quia non repellet in sempiternum Dominus. Quia si abjecit, et miserebitur secundum multitudinem misericordiarum suarum ; non enim humiliavit ex corde suo, et abjecit filios hominum.*

XXV. Item apud Ezechielem (XXXIII, 12) : *Et justus non poterit salvus esse in die peccati. Cum justo dicam, « Vita vives, » ipse vero confidet super justitiam suam, et fecerit iniquitatem, omnes justitiæ ejus non commemorabuntur : in sua iniquitate quam fecerit, in ea morietur : et cum dicam impio, « Morte morietur, » averterit se a peccato suo, et fecerit justitiam et judicium, et pignus debitori reddiderit, et rapinam restituerit, in præceptis vitæ ambulaverit, ne faciat iniquum, vita vivet, et non morietur. Omnia peccata ejus quæ peccavit, non commovebuntur ei, quia judicium et justitiam fecit, in ipsis vivet.*

Qui hic allegatur ex Ezechiele locus, simillimus est illius, quem ex Jeremia attulit n. XIII, ideoque eamdem excipit explicationem. Utitur his Ezechielis verbis auctor libri *ad Novatianum*, sic eumdem Novatianum refutans (*p.* 13) : « Unde igitur et tam sceleratus, et tam perditus, tam discordiæ furore vesanus exstiterit iste Novatianus, invenire non possum ; qui semper in domo una, id est Christi Ecclesia, proximorum delicta ut propria fleverit ; onera fratrum, sicut Apostolus hortatur, sustinuerit ; lubricos in fide cœlesti allocutione corroboraverit. At nunc ex quo Cainam illam hæresim, quæ non nisi tantum occidere gestit, exercere cœpit, nec sibi novissime parcit. Cæterum, si legisset quia justitia justi non liberabit eum in die qua erraverit, et iniquitas impii non nocebit ei ex qua die conversus fuerit, jam olim in cinere pœniteret ille, qui semper pœnitentibus adversatur ; qui in ruina facilius ædificatorum stantium operatur, quam in structione jacentium ruinarum ; qui multos ex fratribus nostris miserrimos falsis suis adversationibus perterritos, iterum fecit ethnicos, dicendo quod pœnitentia lapsorum sit vana, nec possit eis proficere ad salutem. »

Vulgatus porro interpres eamdem sententiam latinitate donavit his verbis : *Et justus non poterit vivere in justitia sua in quacumque die peccaverit. Etiamsi*

Digitized by Google

dixero justo quod vita vivat, et confisus in justitia sua fecerit iniquitatem, omnes justitiæ ejus oblivioni tradentur, et in iniquitate sua quam operatus est, in ipsa morietur. Si autem dixero impio, « Morte morieris, » et egerit pœnitentiam a peccato suo, feceritque judicium et justitiam, et pignus restituerit ille impius, rapinamque reddiderit, in mandatis vitæ ambulaverit, nec fecerit quidquam injustum, vita vivet et non morietur. Eadem monita habes versiculis 21 et 24 cap. XVIII ejusdem Ezechielis.

XXVI. Item illic (*Ezechiel.* XVII, 24) : *Ego Dominus, quia humilio lignum altum, et exalto lignum humile, et arefacio lignum viride, et reviviscere facio lignum aridum.*

Id porro quod modo expressis verbis traditum est, nunc eleganti allegoria sub oculos ponitur : atque illa quidem indicatur, posse Deum pro lubito et superbos deprimere, et humiles deque suis criminibus dolentes extollere. Ferit itaque hæc sententia Novatianos, in schismate tumidos et elatos : eos quoque omnes ferit, qui veniam et pœnitentiam peccatoribus præcludunt quando quidem Dominus virgultum humile exaltat et ligno arido vitam ac vigorem impertit. Quod si eamdem plane huic testimonio adhibendam censes explicationem, quam superiori, adhibui per me quidem licet. Quamquam vero vix distat Vulgata interpretatio ab ea quam nuper proposui, quoniam tamen usque adhuc veteri interpretationi Vulgatam addidi, hic pariter addo : *Quia ego Dominus, humiliavi lignum sublime, et exaltavi lignum humile : et siccavi lignum viride, et frondere feci lignum aridum.*

XXVII. Item illic (*Ezechiel.* XXXIII, 10) : *Et tu, fili hominis, dic domui Israel : Sic locuti estis dicentes, Errores nostri et iniquitates nostræ in nobis sunt, et in ipsis nos tabescimus. Et quomodo vivemus ? dic illis : Vivo ego, dicit Dominus, si volo mortem impii : tantum a via sua avertatur, et vivat.*

Perspicua hæc est sententia, qua Dei pietas eminet in vocandis hominibus jam pridem in iniquitate hærentibus, ac pene desperatis : certa quoque apparet testificatio divinæ voluntatis de impertienda perditissimis quibusque venia. Atque his sane verbis ii præsertim refelluntur, qui divinæ charitati limites injicere pertentant et criminosis pœnitentiam interdicere. Si peccatoris mortem non vult Deus, sed ut convertatur ac vivat, quis crimina aliqua inexpiabilia dicet, aut pœnitentiæ cupidos ab ea, ideoque ab Ecclesia, arcebit ? Adhibet in eumdem sensum locum hunc Ezechielis is, quem sæpe citavi, auctor libri ad Novatianum (*pag.* 11). *Item,* inquiens, *Dominus ad eumdem* (prophetam Ezechielem) : *Fili hominis, dic populo Israel : Quare locuti estis dicentes : Erroribus nostris contabescimus, et quomodo salvi esse poterimus ?* dic eis : *Vivo ego, dicit Dominus, quia non desidero mortem peccatoris, sed desidero ut avertatur peccator a via sua pessima, et vivat.* Adhibent quoque, ne cunctos enumerem, Cyprianus (sub finem libri *de Lapsis* et sub initium libri *de Bono Patientiæ*) et Hieronymus. Vide quæ dicam n. 30.

Eamdem sententiam Vulgatus interpres latinam effecit his verbis : *Tu ergo, fili hominis, dic ad domum Israel : Sic locuti estis, dicentes : Iniquitates nostræ, et peccata nostra super nos sunt, et in ipsis nos tabescimus : quomodo ergo vivere poterimus ? dic ad eos : Vivo ego, dicit Dominus Deus : nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua, et vivat.*

XXVIII. Item illic (*Ezechiel.* XXXVI, 36) : *Ego Dominus, ædificavi demolita, et plantavi exterminata.*

Allegoria altera, affinis illi quæ n. 26 allata est, hic proponitur, quam quoniam scriptoris nostri verbis retuli, libet etiam Vulgatæ verbis exhibere, quæ hujusmodi sunt : *Ego Dominus ædificavi dissipata, plantavique inculta.*

XXIX. Item illic (*Ezechiel.* XVIII, 21) : *Et iniquus si convertat se ab omnibus iniquitatibus, quas fecit, et custodiat omnia mandata mea, et faciat judicium, et justitiam et misericordiam, vita vivet et non morietur. Omnia delicta ejus, quæ fecit, non erunt in memoria ; in sua justitia, quam fecit, vivet. Numquid voluntate volo mortem injusti, dicit Adonai Dominus, quam ut avertat se a via sua mala, et vivere eum ?*

Id ipsum quod paulo ante Ezechielis prophetæ monitis traditum erat, aliis, superioribus valde proximis, hic inculcatur.

Recole numerum XXV. Hic tantum noto, hunc Ezechielis locum in eumdem fortasse sensum allegatum fuisse a Cypriano hæc docente (*de Bono Patientiæ, pag.* 496) : « Admonet ne quis impatiens in operatione deficiat, ne quis tentationibus aut avocatus, aut victus in medio laudis, et gloriæ itinere desistat, et pereant præterita, dum quæ cœperant, desinunt esse perfecta, sicut scriptum est : *Justitia justi non liberabit eum in quacumque die exerraverit.* Et iterum : *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam.* Quæ vox adhortatur patienter et fortiter perseverare, ut qui ad coronam laude jam proxima nititur, durante patientia coronetur. »

Ita vero in Vulgata ea verba redduntur : *Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, et custodierit omnia præcepta mea, et fecerit judicium, et justitiam, vita vivet et non morietur. Omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor : in justitia sua, quam operatus est, vivet. Numquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus Deus, et non ut convertatur a viis suis, et vivat ?*

Atque hac sane interpretatione posita, atque adeo ex etymologia ipsa nominis *Adonai* videtur altera ex his vocibus, *Adonai, Dominus,* redundare. Sed inter ea nolui manus in superiorem interpretationem injicere. Locum hunc non omittit Damascenus crebro allegatus (*in Parall., etc.*).

XXX. Item illic (*Ezech.* XVIII, 30) : *Convertimini, et avertite vos ab omnibus impietatibus vestris, et non erunt vobis in pœnam. Projicite a vobis omnes iniquitates vestras, quas impie fecistis in me, et facite vobis cor novum, et spiritum novum. Et ut quid moriemini, domus Israel ? quia nolo mortem morientis, dicit Adonai Dominus.*

In illo ipso capite decimo octavo, quod nuper al-

Digitized by Google

legavi, sed nonnullis interpositis (versiculo scilicet 30) invenies ea, quæ hic adducuntur, quibus quidem invitat Dominus scelestos ad pœnitentiam, illisque non modo vitam, verum etiam gravissimorum quorumlibet criminum veniam pollicetur. Vide quæ diximus ad locum XIV, XV, et affines alios.

Adhibet explicationem hanc nostram auctor libri ad Novatianum hæc scribens (*p.* 16) : « Demus igitur totis viribus fidei nostræ Deo laudem, demus plenam confessionem : quandoquidem super pœnitentia nostra gaudeant virtutes cœlorum, gaudeant angeli omnes, gaudeat et Christus, qui nos denuo peccatis oneratos, delictis obrutos, plena et clementi moderatione cessare a facinore hortatur dicens : *Convertite vos, et redite ab impietatibus vestris, et non erunt vobis iniquitates vestræ ad pœnam. Projicite a vobis omnes impietates vestras, quas fecistis adversum me : et facite vobis cor novum, et spiritum novum. Et ut quid vos morti traditis, domus Israel? Non enim desidero mortem peccatoris.* Hieronymus pariter adhibet, ad Rusticum lapsum hæc scribens (1) : « Ezechiel quoque iisdem verbis, quia eodem et spiritu : *Convertimini*, inquit, *et redite ab iniquitatibus vestris, domus Israel ; et non erunt vobis in tormentum impietates. Projicite omnes impietates vestras, quibus impie egistis adversum me, et facite vobis cor novum et spiritum novum. Et quare moriemini domus Israel? Nolo enim mortem peccatoris, dicit Dominus.* Unde et in consequentibus loquitur : *Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, nisi ut revertatur a via sua, et vivat ;* ne mens incredula de bonorum repromissione desperet, et semel perditioni animus destinatus non adhibeat vulneri curationem, quod nequaquam existimat posse curari. »

Vulgatus interpres ita latine legi voluit locum hunc : *Convertimini, et agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, et non erit vobis in ruinam iniquitas. Projicite a vobis omnes prævaricationes vestras in quibus prævaricati estis, et facite vobis cor novum et spiritum novum. Et quare moriemini, domus Israel? Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus.*

XXXI. Item apud Danielem (IV, 31) : *Et post finem dierum, ego Nabuchodonosor oculos meos in cœlum sustuli, et sensus meus in me conversus est, et Altissimum laudavi, et Regem cœli benedixi, et viventem in sæcula laudavi, quia potestas ejus æterna est, regnum ejus in generatione, et omnes qui inhabitant terram, nihil.*

Adducta ex Daniele verba Nabuchodonosoris exemplo invitant ad pœnitentiam, et criminum detestationem inveteratos in impietate populos, et facile ostendunt, nemini occludi pœnitentiæ locum, quandoquidem Nabuchodonosori, supremi numinis per annos plurimos contemptori, concessa est denique, propter humilitatem veritatisque agnitionem, præteritorum criminum a Domino venia.

In vulgata hæc sic leguntur : *Igitur post finem dierum ego Nabuchodonosor oculos meos ad cœlum levavi, et sensus meus redditus est mihi, et Altissimo benedixi, et viventem in sempiternum laudavi et glorificavi, quia potestas ejus potestas sempiterna, et regnum ejus in generationem et generationem. Et omnes habitatores terræ apud eum in nihilum reputati sunt.*

XXXII. Item apud Michæam (VII, 2) : *Heu mihi anima mea, quia periit veritas a terra, et qui corrigat inter omnes non est. Omnes in sanguine judicant : unusquisque proximum tribulat tribulatione : in malum manus suas præparant.*

Hic Micheæ locus si singillatim sumatur, Novatianos videtur impetere, de quorum criminibus et schismate queritur Deus. Ut uberiorem tamen, et, si loqui ita sinis, completum atque integrum horum verborum sensum assequaris, subsequentia adjungere debes. Tum porro dices, propterea Prophetam conqueri, quod summa omnium esset in criminibus, atque iniquitate consensio. Horum tamen exemplum Propheta contemni a se ait, quippe Dominum vocare, colereque statuerat, et peccatorum suorum pœnitentiam agere, quam qui peregisset, supplicia evitasset, et pœnas quas priora crimina promerebantur.

Vere hæc a me dici is fatebitur, qui septimum et subsequentes versiculos ejusdem capitis legerit, quos quidem ex Vulgata hic describo, nam veterem editionem ex nostro scriptore ad magnam partem habes : *Præcoquas ficus desideravit anima mea. Periit sanctus de terra, et rectus in hominibus non est : omnes in sanguine insidiantur ; vir fratrem suum ad mortem venatur... ego autem ad Dominum aspiciam, exspectabo Deum Salvatorem meum : audiet me Deus meus. Ne læteris inimica mea super me, quia cecidi : consurgam, cum sedero in tenebris. Dominus lux mea est. Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei, donec causam meam judicet, et faciat judicium meum ; educet me in lucem, videbo justitiam ejus, et aspiciet inimica mea, et operietur confusione, quæ dicit ad me : Ubi est Dominus Deus tuus? Oculi mei videbunt in eam : nunc erit in conculcationem, ut lutum platearum.*

XXXIII. Item illic (*Mich.* VII, 8) : *Noli gaudere super me inimica mea, quia cecidi, sed resurgam, propter quod si sedero in tenebris, Dominus lucebit mihi. Iram Domini sustinebo, quia peccavi ei, donec justificet ipse causam meam.*

De hoc testimonio recole quæ modo diximus. Hoc habent commodi loci isti Micheæ, ut præter ea monita, quæ nuper expendimus, antiquam versionem nonnihil a Vulgata remotam exhibeant, quam tamen alibi difficile invenies. Porro si ad perficiendam sententiam versiculum primum hujusce capitis ex versione Septuaginta optas, en illum : *Heu mihi quia factus sum colligens stipulam in messe, et racemos in vindemia. Non sunt ex bonis ad comedendum primitiæ, heu anima!*

Mirum porro quod non afferatur alter Micheæ locus haud multum a superiore distans ; versiculus scilicet 19 ejusdem capitis, quem sanctus Hieronymus (2) ad hunc modum legit : *Ipse avertet, et miserebitur*

(1) In epist. olim XLVI ; in edit. Veron., 122, p. 1.

(2) In epist. ad Ocean., olim LXXXIII ; in edit. Veron., 69, n. 6.

Digitized by Google

nostri ; demerget iniquitates nostras, et projiciet in profundum maris omnia peccata nostra. Sed ideo fortasse ab eo allegando cavit scriptor hic noster, quod multo aptius Baptismo, quam pœnitentiæ verba ea convenire putaret. Et sane Baptismi gratiam verbis iis denotari docet idem ille Hieronymus quem adduxi : « Michæas de Baptismi gratia vaticinatur : *Ipse avertet*, etc. »

XXXIV. Item apud Sophoniam (II, 1) : *Convenite, et precamini, gens indisciplinata, prius quam efficiamini sicut flos prætereiens, prius quam veniat super vos ira Domini, priusquam veniat super vos dies furoris Domini. Quærite Dominum, omnes humiles terræ, judicium operamini, et quærite justitiam, et quærite mansuetudinem, et respondete ei, ut protegamini in die iræ Domini.* Quid porro aptius ad terrendos, avertendosque a schismate atque hæresi Novatianos, eosque reducendos ad Ecclesiam, quam reliquerant, verbis iis, quæ hic ex Sophonia adducuntur? quid pariter efficacius ad perurgendos ad pœnitentiam eos, qui criminibus suis Dei iram adversus se excitaverant? Procul dubio interpretationi Septuaginta adhæret noster auctor. Vulgatus autem interpres sic eadem in latinum transtulit : *Convenite, congregamini, gens non amabilis : Priusquam pariat jussio quasi pulverem transeuntem diem, antequam veniat super vos ira furoris Domini, antequam veniat super vos dies indignationis Domini. Quærite Dominum, omnes mansueti terræ, qui judicium ejus estis operati. Quærite justum, quærite mansuetum : si quo modo abscondamini in die furoris Domini.*

XXXV. Item apud Zachariam (I, 3) : *Convertimini ad me, et convertar ad vos.*

Adeo perspicuus est locus iste, ut explicatione minime indigeat. Vide quæ diximus ad locum 15, 16 et sequentes. Convenit etiam plane cum Vulgata.

XXXVI. Item apud Oseæ (XIV, 2) : *Convertere Israel ad Dominum Deum tuum, quoniam infirmatus es iniquitatibus tuis. Assumite vobiscum multos, et convertimini ad Dominum Deum vestrum : dicite ei adorantes : « Potens es dimittere peccata nostra, » ut non accipiatis iniquitatem, sed ut accipiatis bona.*

Recole quæ ad loca nuper citata, aliaque pridem explicata diximus, et manifesto videbis, quo spectent verba Oseæ, quæ nunc expendimus. Tantum hic adverto verba illa, *Assumite vobiscum multos*, si ad Novatianos directa vis, invitare eos, ut turmatim veluti, multisque collectis, ad Ecclesiam redeant. Si ad eos qui pœnitentiæ causa ad Ecclesiam confugiebant, repellebanturque a severioribus quibusdam et austerioribus, tum indicare, ut multorum, præsertim vero martyrum et confessorum suffragia colligerent, quorum quidem præsidio aut flecteretur ad lenitatem austeriorum firmitas, aut certe multitudine atque auctoritate suffragatorum vinceretur. Possunt etiam significare preces Ecclesiæ, quibus et canonicam reconciliationem pœnitentes acciperent, et flecteretur ad misericordiam Deus. Postremæ huic interpretationi favet sanctus Pacianus, cum hæc ait (*Epist.* I, p. 55) : « Scio, frater, hanc ipsam pœnitentiæ veniam non passim omnibus dari ; nec antequam aut interpretatio divinæ voluntatis, aut forsitan visitatio fuerit, relaxari : magno pondere magnoque libramine, post multos gemitus, effusionemque lacrymarum, post totius Ecclesiæ preces. »

Vocem illam *iniquitatem* (*ut non accipiatis iniquitatem*) sume pro pœna iniquitati infligenda ; jam diu enim monuere interpretes, voces has, *peccatum, iniquitas*, et affines alias ambiguas esse, et perinde significare peccatum iniquitatemque, ac pœnam peccato et iniquitati inferendam. Abest nonnihil a superiore interpretatione Vulgata ; hæc nempe est : *Convertere, Israel, ad Dominum Deum tuum ; quoniam corruisti in iniquitate tua. Tollite vobiscum verba, et convertimini ad Dominum, et dicite ei : Omnem aufer iniquitatem, accipe bonum, et reddemus vitulos labiorum nostrorum.*

XXXVII. Item in Ecclesiastico (XVII, 25) : *Convertere ad Dominum, et relinque peccata tua, et nimis odito execrationem, et cognosce justitias et judicia Dei, et sta in sorte propitiationis Altissimi, et vade in partem sæculi cum vivis, et dantibus confessionem. Non demoreris in errore impiorum. A mortuo quasi nihil perit confessio. Vivus et sanus confiteberis Deo, et gloriaberis in miserationibus illius, quoniam magna misericordia Dei et propitiatio illius convertentibus ad se.*

Ea quæ ad testimonium XXXIV annotavi, hic si recolantur, satis, ut puto, illustrabunt eum, quem hic afferimus, locum. Novatiani profecto indicari videntur monerique, ut tandem aliquando ab hæresi ad Ecclesiam revertantur, iis verbis : *Convertere ad Dominum, et relinque peccata tua... et sta in sorte propitiationis Altissimi, et vade in partem sæculi cum vivis, et dantibus confessionem.* Generatim peccatores excitantur ad veram sinceramque ac solidam pœnitentiam, eam denique quam præcipit Ecclesia : *Nimis odito execrationem et cognosce justitias et judicia Dei, et sta in sorte propitiationis Altissimi :* quid enim expressius ad notandam Ecclesiam, et pœnitentiam ab ea præscriptam? Monentur autem ne differant reverti ad Deum : mors enim imminet ; quamobrem, dum vita et sanitas adhuc superest, supplices ab eo veniam poscant, quam ille, utpote summum in modum misericors, largiter impertiet : *Vivus et sanus confiteberis Deo, et gloriaberis in miserationibus illius, quoniam magna misericordia Dei et propitiatio illius convertentibus ad se.* Vulgatus interpres sic in latinum ea verba transtulit : *Revertere ad Dominum, et avertere ab injustitia tua, et nimis odito execrationem, et cognosce justitias et judicia Dei, et sta in sorte propositionis, et orationis Altissimi Dei. In partes vade sæculi sancti, cum vivis et dantibus confessionem Deo. Non demoreris in errore impiorum, ante mortem confitere. A mortuo, quasi nihil, perit confessio. Confiteberis vivens, vivus et sanus confiteberis, et laudabis Deum, et gloriaberis in miserationibus illius. Quoniam magna misericordia Domini, et propitiatio illius convertentibus ad se.*

XXXVIII. Item illic (*Eccl.* XX, 4) : *Quam bonum est correctum manifestare pœnitentiam! Sic enim effugies voluntarium peccatum.*

Digitized by Google

Videtur ad eos directus hic locus, qui se suorum criminum pœnitere testabantur, ideoque *correctos* se appellare non recusabant; at pœnitentiæ ab Ecclesia præscriptæ subdi nolebant. Hos scriptor noster hortatur ut publicam atque ab Ecclesia statutam pœnitentiam agant; id enim convenientissimum est; secus si agant, voluntarium peccatum minime effugient.

At quodnam, inquies, voluntarium peccatum illud est, quod publicam pœnitentiam agere recusanti inevitabile dicitur? An inobedientia adversus Ecclesiam, quæ eamdem pœnitentiam præcipiebat? An scandalum, quod reliquis fidelibus præbebatur? Utramque explicationem facile admiserim; sed ne eos quidem reprehenderim, qui monent *voluntarium peccatum* ab iis effugi non posse, qui priorum criminum pœnitentiam ab Ecclesia præscriptam minime agunt; facile enim ad peccandum revertitur, qui aut nullam, aut levem priorum criminum pœnitentiam agit, contemnitque consuetudines et sanctiones Ecclesiæ. Convenit fere cum superiore Vulgata interpretatio, in eo tantum differens, quod *correptum* legit ubi noster scriptor habet *correctum*.

XXXIX. Item in Actibus Apostolorum (VIII, 19): *Ait autem ad illum Petrus: Pecunia tua tecum sit in perditione, quoniam gratiam Dei putas te per pecuniam posse consequi. Non est pars neque sors tibi in hac fide, quia cor tuum non est rectum apud Dominum. Itaque pœnitentiam age ab hac nequitia tua, et precare Dominum, si forte remittatur tibi cogitatio cordis tui. In obligatione enim iniquitatis et amaritudine fellis video te esse.*

Patere posse peccatis quibusque, ideoque gravissimis etiam pœnitentiæ locum facile evincitur ex iis Petri verbis, quæ hic allegantur; quandoquidem Petrus Simonem Magum Spiritus sancti dona emere studentem, ideoque immanis criminis reum, hortatur ad pœnitentiam. Apta sunt etiam eadem verba ad revocandos a schismate atque hæresi Novatianos, quorum aliquos fortasse ad eam sectam pecunia, aut certe emolumenta oblata deduxerant, atque in ea retinebant. Quamvis autem leve sit hanc inter et Vulgatam interpretationem discrimen, placet tamen eamdem Vulgatam pariter adducere: *Petrus autem dixit ad eum: Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri. Non est tibi pars, neque sors, in sermone isto. Cor enim tuum non est rectum coram Deo. Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua, et roga Deum, si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. In felle enim amaritudinis et obligatione iniquitatis video te esse.*

XL. Item in Epistola Pauli ben. (1) ad Corinthios secunda (VII, 10): *Quæ enim secundum Deum est tristitia, pœnitentiam in salutem operatur stabilem: sæculi autem tristitia mortem operatur.*

Is quem nunc examinamus, Apostoli locus ecclesiasticæ pœnitentiæ, quæ corporalibus etiam afflictationibus peragitur, utilitatem celebrat, eamque testatur fore et *stabilem* et salutarem (*in salutem*). Condemnat autem veluti noxium, atque adeo mortiferum illud pœnitentiæ genus, quod sæculo probatur: ac *sæculi* quidem nomine nobis blandientem, legique Dei, ideoque ecclesiasticæ disciplinæ adversantem carnem, aut, si vis, schismaticorum et mollium quorumdam blandimenta intelligit. Cyprianus sane pœnitentiam illam tantummodo approbat, quæ exteriores etiam afflictationes et manifestam tristitiam præferret. Hinc in libro *de Lapsis* (*p.* 384): « Agite, inquit, pœnitentiam plenam; dolentis ac lamentantis animi probate mœstitiam. Nec vos quorumdam moveat aut error improvidus, aut stupor vanus, qui, cum teneantur in tam gravi crimine, percussi sunt animi cæcitate, ut nec intelligant delicta, nec plangant. Indignantis Dei major hæc plaga est.

Ostendit quoque idem locus nulla esse irremissibilia peccata. Quomodo enim pœnitentia dici posset in *salutem stabilem*, si peccata aliqua irremissibilia essent? Hinc merito sanctus Pacianus adversus Novatianos disputans eodem utitur loco (*Epist.* I, *p.* 53). Commendat etiam lenitatem a Cypriano insinuatam, monenturque in eo Ecclesiarum præsides, ne pœnitentiam præcludant poscentibus suorum criminum veniam: pœnitentia enim est *ad salutem stabilem*. Cur ergo ab ea arcebuntur fideles scelera sua deflere cupientes? Vulgatam hic non affero; eamdem enim habet cum superiore interpretationem. Locum hunc se magni facere declarat Damascenus, cum eum affert (*in Parallelis*).

XLI. Item illic de hoc ipso (II *Cor.* II, 10): *Si cui autem aliquid donastis, et ego; nam et ego, quod donavi propter vos in facie Christi, ut non circumveniamur a Satana; nec enim versutias ejus ignoramus.*

Hic quoque monentur episcopi, ut veniam pœnitentibus donent; approbavit enim Paulus apostolus indulgentiam et facilitatem, si volumus ita loqui, quam cum pœnitentibus fideles adhibuerant. Itaque rigorem illum ac severitatem, quam in Ecclesiam inducere nonnulli studebant, veniam pœnitentibus denegantes, etiamsi illi sese Ecclesiæ judicio supponerent, improbat locus iste. Atque in hunc quidem sensum eo utitur sanctus Pacianus hæc scribens (2): « Quid episcopo negabitur, in quo Dei nomen operatur? Reddet quidem illi rationem, si quid perperam « fecerit, vel si corrupte et impie judicarit. Nec præ« judicatur Deo, quominus mali ædificatoris opera « rescindat: interea, si pia illa administratio est, ad« jutor Dei operum perseverat. Ecce Apostolus ad « laicos scribit: *Si cui quid donastis, et ego; nam « et ego quod donavi, si quid donari propter vos in per« sona Christi, ut non possideatur a Satana, non enim « versutias ejus ignoramus.* Si autem quod laici donant, « Apostolus donasse se dicit, quod episcopus fecerit, « qualiter respuetur.... Scio, frater, hanc ipsam pœ« nitentiæ veniam non passim omnibus dari, nec an« tequam aut interpretatio divinæ voluntatis, aut for« sitan visitatio fuerit, relaxari: magno pondere,

(1) *Benedicti*, nisi fallimur; sæpe enim Christum et Apostolos præposita hac appellatione veteres appellabant.

(2) In epist. I, p. 53, t. III. Bbliot. Patr. Paris.

Digitized by Google

« magnoque libramine : post multos gemitus effusio- « nemque lacrymarum, post totius Ecclesiæ preces : « ita veniam veræ pœnitentiæ non negari, ut judica- « turo Christo nemo præjudicet. »

Improbat quoque eorum errorem, qui peccata aliqua inexpiabilia censebant. Quis enim in expiabilia aliqua peccata censebit, quando Paulus sine ulla restrictione, aut criminum exceptione, affirmat se donare iis qui peccaverant, quidquid antea a fidelibus donatum illis fuerat? Pulchre idem ille Pacianus quem modo allegavi, recitatis his ipsis Apostoli verbis : *Si cui autem donastis*, etc., hæc subjungit (1) : « Vides Apostoli indulgentiam, proprias etiam sententias temperantem? Vides mitissimam lenitatem longe a vestro supercilio separatam, longe a Novatiani fronte dissimilem, communi vero vitæ, ac saluti omnium consulentem? An etiam in nos severus censor inveheris? Verba porro illa : *Ut non circumveniamur a Satana, nec enim versutias ejus ignoramus*, hunc, me quidem judice, habent sensum. Ideo vero indulgeo quidquid vos indulsistis, ne a Satana circumveniamur; circumvenit enim Satan fideles in crimina prolapsos, si nimiam austeritatem rigoremque nulla lenitate temperatum adversus eos adhibeamus; facile enim in desperationem ea ratione inducuntur; atque id quidem cavemus nos, qui dæmonis fraudes versutiasque probe noscimus. Vix differt ab allata interpretatione Vulgata, quam statim habeto. *Cui autem aliquid Donastis, et ego; nam et ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi, ut non circumveniamur a Satana; non enim ignoramus cogitationes ejus.*

XLII. Item illic (II *Cor.* XII, 20 *et* 21) : *Timeo autem ne forte cum venero ad vos, iterum humiliet me Deus apud vos, et lugeam multos ex his qui ante peccaverunt, et non egerunt pœnitentiam super quæ gesserunt fornicationem et impudicitiam.*

Exemplo apostoli Pauli, qui male de iis ominabatur, qui non egerant pœnitentiam super quæ gesserant fornicationem et impudicitiam, prædicens ex iis fore multos, de quorum perditione sibi lugendum esset, Cyprianus, seu quisquis is est hujusce opusculi auctor, male de iis ominatur qui, tametsi plurimorum criminum rei, tamen sine pœnitentia introduci volebant in Ecclesiam. Pœnitentiam itaque ab impudicis et criminosis exposcit, ut ecclesiasticam communionem et veniam assequerentur. Adversus Novatianos quoque merito locus iste urgetur, quatenus pœnitentiam non exquisisset a criminosis Paulus, si irremissibilia forent eorum scelera. An levia ea erant quæ *fornicationis* et *impudicitiæ* vocabulis hic notat apostolus Paulus? Non omittit testimonium hoc Pauli sanctus Pacianus adversus Novatianos disputans : sic enim eos refutat (*Epist.* I, *pag.* 52) : « Revolve quæ « Spiritus dicat ecclesiis. Ephesios desertæ dilectionis « accusat, stuprum Thyatirenis imputat, Sardos in « opere cessantes, Pergamenos docentes diversa re- « prehendit, Laodicenorum divitias inurit, et tamen « omnes ad pœnitentiam satisfactione invitat. Quid « Apostolus ad Corinthios, cum ita dicit : *Ne cum « venero, lugeam multos ex his, qui ante pecca- « verunt, et non egerunt pœnitentiam ex his quæ « ante gesserunt in fornicatione et immunditiis « suis?* » Præiverat Pacianum Cyprianus (*Epist.* LII, *pag.* 157), hæc scriptis tradens : « *Omne peccatum « quodcumque fecerit homo, extra corpus est : qui « autem mœchatur, in corpus suum peccat* (I *Cor.* « VI) : quibus tamen et ipsis pœnitentia conceditur, « et lamentandi et satisfaciendi spes relinquitur se- « cundum ipsum Apostolum dicentem : *Timeo, ne « forte veniens ad vos, lugeam multos ex iis, qui ante « peccaverunt et non egerunt pœnitentiam de immunditiis, « quas fecerunt, et fornicationibus, et libidinibus.* » Vide etiam, obsecro, quo modo loco hoc ad Sabinianum lapsum corrigendum utatur Hieronymus (*in Veron. edition., epist.* CXLVII, *n.* 1, *p.* 1078). Sed quis Bachiarium omittat, non modo locum hunc allegantem, sed ea ipsa versione utentem, qua utitur noster auctor? Libentissime autem Bachiarium excito, quod ex illius monitis manifesto noscet lector, alium etiam in finem, hunc quem pertractamus Pauli locum, afferri posse. Ecce porro ipsa Bachiarii verba (*in libro ad Januarium pag.* 54 *editio Francisci Florii*) : « Ne spernas, quæ- « so, fratrem defunctum; filius est Sunamitis sterilis, « id est, Ecclesiæ : ex repromissione natus est iste, « qui mortuus est. Quondam enim nativitatem ejus « secundo Abrahæ Dominus, in Isaac semine spo- « pondit atque pollicitus est, cujus caput in messe « calore percussum est, id est, principale mentis ejus « inter ipsam spei libidinis flammam concaluit. Cur- « rat ad Elisæum mater ejus; id est sollicite plangat « Ecclesia : resurget enim si fideliter hoc speravimus « a Christo. Et tu, beatissime, in defuncto fratre opus « imitare Elisæi : manus manibus, pedes pedibus, os « ori compone. Primum, ut compatiaris ei, qui mor- « tuus jacet : neque elatus integritatis tuæ triumpho, « superexcrescas eum, aut superextendas te ei, quem « repentina mors rapuit; sed imitare Apostolum, qui « dicit : *Timeo, ne humiliet me Dominus Deus meus « apud vos et lugeam multos ex eis, qui ante peccaverunt.* « Appone præterea oculos tuos oculis ipsius, ne in « perditionem sui ulterius evagentur : os illius, ne « confabuletur iniqua : manus illius, ne operentur « adversa; pedes illius, ne vagentur in turpibus. Et « sic cum pro custodia sui membris illius membra « tua fuerint copulata, non solum peccandi ulterius « spatium non habebit, verum etiam spem capiet « resurgendi, ut qui peccati frigore mortuus est, « consolationis tempore revocetur ad vitam. »

In Vulgata reperies verba hæc translata ad hunc modum : *Timeo enim, ne forte cum venero.... ne iterum cum venero, humiliet me Deus apud vos, et lugeam multos ex iis, qui ante peccaverunt, et non egerunt pœnitentiam super immunditia et fornicatione, et impudicitia, quam egerunt.*

XLIII. Item illic (II *Cor.* XIII, 2) : *Prædixi et prædico, ut præsens sedeo ei absenti, nunc his qui ante pec-*

(1) Epist. III, pag. 65, tom. III Bibliot. Patr. Paris.

Digitized by Google

caverunt, et cæteris omnibus, quia si venero iterum non parcam.

Pœnitentiæ subjiciendos criminosos hoc in loco docet Apostolus : minime quippe se impunita relinquere posse ait gravia crimina, in quæ nonnulli inciderant. Neque ergo præcludi is vult pœnitentibus veniæ locum (*Vide testim.* XXXXI), neque inulta sinit esse et sine pœnitentia gravia crimina. Id quoque non modo Cyprianus (*Vide quæ docuimus n.* 8, 9 *et sequentibus capitis* 1), verum etiam Pacianus (*Consule verba Paciani ad testimonium* XXXXI) summopere optabat. Potestatem etiam ecclesiasticorum præsidum in crimina quævis et criminosos indicant hæc verba, præsertim si non sejungantur a verbis n. XXXXI expensis, quatenus indicant plenum summumque judicium, quod adversus fideles in crimina lapsos se exercere posse testatur Apostolus. An vero si quædam peccata inexpiabilia essent, in judicio adversus criminosos lato sedere is potuisset, et sententiam ferre? hæc scilicet, utpote irremissibilia, judicio illius ac sententiæ minime subessent. Quis porro ignorat in potestate, quam *ordinariam* appellant, succedere Apostolis episcopos? Potestatem itaque hi habebunt in quævis crimina, ideoque nulla erunt irremissibilia, quidquid secus effutirent Novatiani. In Vulgata sic describitur loquens Paulus : *Prædixi et prædico, ut præsens et nunc absens, iis qui ante peccaverunt et cæteris omnibus, quoniam si venero iterum, non parcam.*

XLIV. Item ad Timotheum secunda (II *Timoth.* II, 16) : *Profanas autem novitates vocum devita : multum enim proficiunt ad impietatem : nam sermo eorum sicut cancer serpit, ex quibus est Hymenæus et Philetus, qui a veritate exciderunt, dicentes resurrectionem jam factam et quorumdam fidem subverterunt. Sed firmum fundamentum Dei stat habens signaculum hoc. Cognovit Deus qui sunt ejus, et discedat ab omni iniquitate omnis qui nominat nomen Domini. In magna autem domo non solum sunt vasa aurea et argentea, sed et lignea, et fictilia, et quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam. Si quis ergo emendaverit se ab istis, erit vas in honorem sanctificatum et utile Domino ad omne bonum opus paratum. Juvenilia autem desideria fuge. Sectare vero justitiam, fidem, charitatem, pacem cum his, qui invocant Dominum de corde puro. Stultas autem et sine disciplina quæstiones devita, sciens, quia generant lites. Servum autem Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse, ad omnes docibilem, patientem, cum modestia corripientem eos qui resistunt ; ne quando det illis Deus pœnitentiam, ad cognoscendam veritatem, et resipiscant de diaboli laqueis, a quo capti tenentur ad ipsius voluntatem.*

Adversus Novatianos hæc apostoli Pauli monita intorquet noster scriptor, atque hæc quidem fidelium auribus inculcat, ut ab hæreticorum et schismaticorum strophis et familiaritate abstineant, neve ab eorum versutia et malis dolis se decipi sinant : *Sed et sermo eorum quasi cancer serpit : hoc et macula unitatis, hæc ruga* (*Vide S. Pacianum, Epist.* III). Quamvis enim malos in hoc mundo, atque adeo in Ecclesia esse oporteat : *Quædam vasa in honorem quædam in contumeliam* (*Rursus vide S. Pacianum, Epist.* III) : cavendum est tamen summopere, ne ab eorum exemplis et blandis callidisque sermonibus in errorem deducamur. Pulchre Cyprianus (*Epist.*. LV, *pag.* 186) : « Nunc et admoneo et peto, « ut quod alias sponte, atque honorifice facis, etiam « petente me facias, ut, hac Epistola mea lecta, si « quod illic contagium venenati sermonis et pestiferæ « seminationis irrepserat, id omne de fratrum auri- « bus et pectoribus exuatur, et bonorum integra, ac « sincera dilectio ab omnibus hæreticæ detrectationis « sordibus repurgetur. Declinent autem de cætero « fortiter, et evitent dilectissimi fratres nostri verba « et colloquia eorum, quorum sermo ut cancer ser- « pit, sicut Apostolus dicit : *Corrumpunt ingenia bona* « *confabulationes pessimæ.* »

Ita porro cum iisdem schismaticis agere fideles præcipit, ut eos primum quidem exemplis, tum lenitate, ac moderatione mitefactos ad Ecclesiam deducant, effugientes prorsus contentiones, verborum asperitatem ac minas. *Servum autem Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse.* Vulgata interpretatio hic pene proponitur, an amanuensis licentia, an casu aliquo, alii viderint ; quia tamen in prioribus duobus versiculis Vulgata non nihil differt ab ea, quam exhibet hujusce opusculi auctor, duos hosce versiculos Vulgatæ hic describo : *Profana autem et vaniloquia devita : multum enim proficiunt ad impietatem, et sermo eorum ut cancer serpit.*

XLV. Item in Apocalypsi (II, 5) : *Memento unde cecideris, et age pœnitentiam : sin autem, veniam tibi cito, et candelabrum de loco suo movebo.*

Eodem fere spectat hic locus, atque ille qui ex Sophonia n. 34, allegatus est. Invitant itaque isti ad pœnitentiam ecclesiasticis legibus præscriptam ; ostendunt peccantibus superesse veniæ locum ; minantur denique schismaticis, et peccatoribus graves pœnas, nisi resipiscant et pœnitentiam agant. Atque invitari quidem ad pœnitentiam ecclesiasticis legibus præscriptam fideles lapsos ostendunt monita hæc Cypriani (1) : « Legi litteras vestras, fratres charis- « simi, quibus scripsistis salubre consilium vestrum « non deesse fratribus nostris, ut, temeraria festina- « tione deposita, religiosam patientiam Deo præbeant, « ut cum in unum per ejus misericordiam veneri- « mus, de omnibus speciebus secundum ecclesiasti- « cam disciplinam tractare possimus, maxime cum « scriptum sit : *Memento unde cecideris, et age pœ-* « *nitentiam.* Pœnitentiam autem ille agit, qui, divini « præcepti memor, mitis et patiens, et sacerdotibus « Dei obtemperans, obsequiis suis, et operibus justis « Dominum promeretur. » Et rursus alibi (*in libro de Lapsis, p.* 378) : « Non concedit pacem facilitas « ista, sed tollit ; nec communicationem tribuit, sed « impedit ad salutem. Persecutio est hæc alia, et « alia tentatio, per quam subtilis inimicus impugnan-

(1) Epist. XIII pag. 57, *Ad clerum de his qui ad pacem festinant.*

Digitized by Google

« dis adhuc lapsis occulta populatione grassatur, ut « lamentatio conquiescat, ut dolor sileat, ut delicti « memoria evanescat, ut comprimatur pectorum ge- « mitus, statuatur fletus oculorum, nec Dominum « graviter offensum longa et plena pœnitentia de- « precetur, cum scriptum sit : *Memento unde ceci- « deris, et age pœnitentiam* (*Apoc.* II). »

Quod vero verbis his Apocalypsis ostendatur, peccantibus superesse veniæ locum et verba ipsa per se declarant (quatenus illum ipsum episcopum quem corripiunt, invitant ad pœnitentiam), et exemplo suo evincit Cyprianus, cum ad illud, de quo agimus, dogma stabiliendum iis utitur : « Miror autem, in- « quit ille (*Epist.* LII, *pag.* 155), quosdam sic obsti- « natos esse, ut dandam non putent lapsis pœniten- B « tiam, aut pœnitentibus existiment veniam dene « gandam, cum scriptum sit : *Memento unde cecideris, « et age pœnitentiam, et fac priora opera.* Quod utique « ei dicitur, quem constat cecidisse et quem Dominus « hortatur per opera rursus exsurgere. »

Nefas autem sit omittere quæ auctor libri *ad Novatianum* litteris consignavit (*pag.* 13) : « Qui multos « ex fratribus nostris miserrimos falsis suis adversa- « tionibus perterritos, iterum fecit ethnicos, dicendo « quod pœnitentia lapsorum sit vana, nec possit eis « proficere ad salutem, clamante Scriptura et di- « cente : *Memento unde cecideris, et age pœnitentiam, « si quominus veniam tibi, nisi pœnitentiam egeris.* Et « quidem ad septem ecclesias scribens, singulis sua « quoque facinora et delicta ingerens : *Pœnitemini*, « dicebat. Quibus? Nisi illis scilicet quos pretio C « magno sui sanguinis redemerat. »

His adjungamus quæ Bachiarius hoc super argumento ad Januarium scripsit (1) : « Quid vero illud « quod dicit ad ecclesias suas in Apocalypsi, « quæ inter fidelium numerum septiformibus candc- « labris sub custodia angelica comparantur : *Me- « mento unde cecideris, et age pœnitentiam, et priora « opera fac; aliequin venio tibi cito, et amovebo cande « labrum tuum.* Et in priore parte libri innumerum « populum vidisse se dicit, qui in tribulatione lave- « runt stolas suas, et candidas eas fecerunt in san- « guine Agni, quod dicit : quia *Agnus Dei deducat ad « vitæ fontes*, quem tamen nos numerum pœnitentium « esse sentimus, quia nonnisi per tribulationem « planctumque salvati sunt. Et tu ergo lava stolam « tuam in fonte lacrymarum. »

Accedat his omnibus sanctus Pacianus hæc elocu- tus (1) : « Ecce promitto, pollicecr, si ad Patrem « vestrum vera satisfactione redeatis, nihil ulterius « errando, nihil pristinis adjiciendo peccatis, dicendo « etiam humile aliquid et flebile : *Peccavimus in « conspectu tuo, Pater, jam non sumus digni nomine « filiorum.* Continuo de vobis et pecus illud recedet « immundum, et siliquarum esca deformis..... Nec « utique non pœnitentibus comminaretur, nisi igno- « sceret pœnitentibus. Etiam ipse Deus dicit : *Me- « mento, ecce unde cecideris, et age pœnitentiam.....* « Neminem vestrum perire vult Dominus. Etiam mo- « dici et minimi requiruntur. »

Quod denique hisce verbis minetur Dominus schismaticis et peccatoribus pœnas, nisi resipiscant, et pœnitentiam agant, facile evincitur. Quid enim est adventus ille Domini, de quo hic dicitur, nisi visita- tio illa, quam alibi describit iis verbis : *Visitabo super viros defixos in fœcibus suis?* Amotio autem candelabri de loco suo quid aliud est, nisi amotio ab eo Ecclesiæ loco, quem quis obtinet?

(1) In edit. Francisci Florii, p. 117, n. 22.

(1) In Paræn. *ad Pœnit.*, p. 74.

INDEX

RERUM ET VERBORUM.

A

Aaron filii lextincti, 151, 201.
Abbir Germaniciana, 332.
Abel justus occisus a fratre, 80, 164, 236, 269. Initiavit martyria, 91, 230. Abelis cor inspexit Deus, 211.
Abortio properans in parricidium, 64.
Abraham Deo credidit, 105. Deo placuit, 232, 348. Abrahæ filii qui ex fide sunt, 105. Radicem fidei primus instituit, 230.
Abstentus, 31, 85, 84, 115. Abstenti et non communicantes, 209. Abstinere a communione, 67, 103, 115.
Acca meretrix, 226.
Accersitio, 30. Accersitio Dominica, 354.
Accinctos nos esse oportet, 203.
Acerbationes criminosæ, 56.
Acies inter manus, 67. Acies adhuc geritur, 25.
Achab opprimere conatur Heliam, 269.
Achias vestimentum suum discidit, 196.
Actum suum disponit unusquisque episcopus, 72.
Adam præcepti immemor, 230. Cibi lethalis impatiens, 233. Perdidit similitudinem divinam, 218. Acceptam divinitus gratiam patientia non servavit, 255. Ejectus e paradiso, 275.
Adelphius episcopus, 117. Adelphius a Thasvalte, 334.
Adrumetum, 330.
Adulatio perniciosa, 328.
Adulter Deum violat, 74. Adulterium dicitur dum videtur, 4. Adulteriis commaculati, 86. Mortale crimen est, 231. Oculis admittitur, 341. Adultera Christi, 105.
Adulteria spiritalia, 110. Adulter atque extraneus episcopus, 73. Adultera cathedra, 115. Adulterinæ doctrinæ, 53. Adulterum caput, 56. Adulteria colorum, 178.
Adunationis nostræ corpus unum, 99. Adunatio fraternitatis, 94.
Advocatus noster Christus, 204.
Ægcr impatiens per dolorem, 186. Ægri salubres cibos respuunt, 39, 41. Ægrum perire voluit qui censum pereuntis invadit, 219.
Ægyptia portenta, 226. Ægyptiorum regnum, *ibid.*
Æmilius, 185.
Æmulationes esse non debent inter Christianes, 12, 13. Æmulationis furor, 256.
Aer cuncta vegetans, 342.
Æneas advexit penates, 226.
Æqualitas divini muneris, 98. Æqualiter perfruimur donis Dei, 246.
Æquatis quantitatibus, 48.
Æsculapius fulminatur, 225.
Ætas incipit a senectute, 217. Ætate territi, 91.
Æterna succedunt caducis, 239.
Æthiops, Eunuchus, 352.
Æstus sunt in meridie, 150.

Digitized by Google

Agapæ et dilectio fraterna, 304.
Aggya, 336.
Agni lana per quem redempti sumus, 262. Agni comestio in pascha, 153. Agnus in figura Christi occiditur, 196. Agnos Christus vocat gregem suum, 259.
Agon quotidie celebratur, 23, 67. Agonis ictus, 165. Agon justitiæ Dei, 246. Agon cœlestis, 17, spiritalis, 66, sæcularis, 95, unus, 26.
Agrippinus bonæ memoriæ vir, 127, 130.
Ahtmnus ab Ausvaga, 335.
Alexander imperator, 146. Magnus, 223.
Alexius, 31.
Alienatio mentis transpunctæ, 192.
Alienigenæ cremantur, 223.
Alimenta Ecclesiæ, 101.
Altare unum, 53. Novum constitui non potest, *ibid.* Altare sancti, 129. Altari posito, 56. Altare aliud constituere, 200. Altare profanum foris collocatur, 113. Altaria profana, 152, diaboli, 85, 184. Altaria Dei nulla sunt vel occulta, 220.
Amaccora, 334.
Amalech figura diaboli, 267.
Amantius acolythus, 161, 162.
Amatoria non sunt cantanda, 176.
Ambitio episcopatus, 73. Ambitio reprimenda, 348.
Amicitiam zelus abscindit, 230.
Ammedera, 334.
Amplus episcopus, 77.
Ananias, Azarias, Mishael, 91, 96, 164, 191, 269.
Anaxilaus, 365.
Angeli nobis adunati sunt, 143. Angelos agnovit Hostanes, 226. Angeli baptizant, 262.
Angeli apostatæ inanem ornatum docuere, 177.
Anguis major, 30.
Animæ viventes et incolumes, 70. Anima Deo suo devota, 120. De Deo suo secura, 222. Anima se prosternat Deo, 191. Nulla perdenda est, 98. Animæ tinea, 257. Anima a morte recedente, 343. Anima rudis, 189, 194, 251. Anima stetit immobilis, 185. Anima lubrica et mobilis, 151. Coarctata et conclusa, 219. Animarum varii status in altera vita, 72. Animæ martyrum occisorum, 187. Gloriosæ, 37. Animæ servantur cruciatibus infinitis, 224.
Animalia prona, 231.
Anna sterilis mater Samuelis, 281. Tacite et modeste precabatur, 205. Sine intermissione rogabat, 215. Ecclesiæ typum portans, 205.
Annotatio, 52.
Anni vices, 342.
Anniversaria commemoratio martyrum, 47.
Anonymi liber de Rebaptismate, 313.
Antesignanus, 47.
Anthropiani, 130.
Antichristi adventus, 329. Antichristi venientis minæ, 253. Antichristus propinquat, 89, 90, 92, 96, 120. Antichristi metator, 30. Antichristus expressus in Antiocho, Antichristi spiritus, 270, 134.
Antistites Dei, 29, 188. Antistites immaculati et integri, 118.
Antiochus typus Antichristi, 270.
Antonianus, 66, 124. Primo Novatianum rejicit, deinde ejus litteris movetur, 66.
Antrum Jovis in Creta visitur, 225.
Apelles hæreticus, 144. Apelletis baptismus, 140. Apelletiani, 130.
Aphronitra, 156.
Apibus rex unus est, 122, 227.
Apollo Admeti pecus pavit, 225.
Apostatæ et desertores, 75.
Apostoli non statim Spiritum sanctum acceperunt, 355. Christum deseruerunt, 357. An recte de Christo senserint cum baptizati sunt, 359, 360. Credebant Jesum non moriturum, 359. Perseverabant in oratione unanimes, 206. Baptizati post resurrectionem Domini in Spiritu, 358. Detestati sunt hæreticorum sacrilegam pravitatem, 133, 138. Apostoli spiritu unitatis velociter currentes, 143. Apostolis concessa auctoritas ligandi et solvendi, 131. Christus solis Apostolis potestatem sibi a Patre datam permisit, 337. Hoc erant et cæteri Apostoli quod fuit Petrus, 195. Apostolis par potestas data, 195. Sed unitatis origo ab uno incipit, *ibid.* Vide Petrus. Apostoli, id est, episcopi, 113. Vide Episcopus.
Apostoli a Novatiano missi in civitates, 73.
Apparatus munerum, 244.
Apprehensus et traditus loqui debet, 166. Apprehensi ascendebant, 183.
Aqua ad mensuram, 30. Aqua collata ad usum civitatis, 141. Aquarum agmina refrænata, 343. Aqua baptismi non est communis cum schismaticis, 154. Aqua baptismi mundanda, 123. Aqua Ecclesiæ fidelis et salutaris, 132. Non potest operari sine spiritu, 330. Sola non potest purgare peccata, 139. Aqua vitalis, 152. Salutaris, 157, 197. Aqua salutaris lavacrum, 2. Aqua lavacri salutaris, 147. Aqua adultera et profana, 129, 136, 158. Adultera et fornicaria, 140. Mendax et perfida, 131, 132. Aliena, 132, 138. Aquæ significant populos, 108. Aqua in Scripturis baptismum significat, 106. Aqua una in Ecclesia, 127.
Aræ diaboli, 70, 186.
Arbitrium propriæ libertatis, 197. Arbitrium liberum, 319.
Arborem robustam procella non subvertit, 197. Arborem coma vestit, 330. Arbor sterili senectute deformis, 217.
Arca Noe, 142. Typus unius Ecclesiæ, 152, 195. Sacramentum Ecclesiæ, 148.
Aream purgare, 74.
Argentarii, 31.
Aristo martyr, 30.
Arma cœlestia, 96. Arma ordinationis et honoris, 18. Devotionis ac fidei, 185. Confessionis, 96. Arma contra Ecclesiam portat, 200.
Armentorum rector unus, 227.
Armillæ, 179.
Artis impudicæ magisterium, 101.
Artifices corrumpendæ veritatis, 197.
Arva sitientia temperare, 350.
Ascensus non est facilis ad magna, 180.
Asina loquitur adversus Balaam, 268.
Aspersio baptismatis, 156.
Assuescimus iis quæ videmus et audimus, 342.
Assuras, 336.
Assyriorum regnum, 226.
Astrorum micantium chori, 342.
Asturica, 117.
Asylum constitutum, 226.
Atræ vestes doloris insignia, 234.
Avaritiæ caligo, 241. Avaritia reprimenda, 348. Inhiat defunctis, 219.
Audientes, id est, catechumeni, 22. Audiens, 362. Audientium doctor, 33. Audientibus in exitu subveniendum, 8, 22. Vide *catechumeni*.
Augendus schismaticus, 51, 52. Augendus diaconus, 55. Augendus confessor, 62.
Auguria vetita, 325.
Ab *Avitinis*, 336.
Aurelius episcopus, 77, 117. Aurelius a Chullabi, 337. Ab Utica, 335. Aurelius confessor, 32, 46, 48. Aurelius lector ordinatur, 46.
Auribus inferenda non sunt vulnera, 177, 179. Aurium delinimenta, 342.
Auri comparatio cum Christianis, 348.
Ausafa, 337.
Auspicatus est pacem, 46.
Auspicia vincendi, 33.
Ausvaga, 335.

B

Babylonii ignes, 120.
Badi, 332.
Bagal, 332.
Bajulæ arundines, 1.
Balaam propheta, 268.
Balnea, 159. Promiscua balnea theatro fœdiora, 179.
Baptismus, circumcisio spiritalis, 99. Undæ genitalis effectus, 2. Lavacrum aquæ salutaris, 2. Mare rubrum sacramentum baptismi, 157. Diabolus in baptismo opprimitur, 157. Redit sæpe cum baptizatus peccat, *ibid.* Baptismus purgat in omnibus sordes antiquæ contagionis, 180. Omnes in lavacro exponunt veterem hominem, *ibid.* In baptismo præterita peccata dimittuntur, 32. Baptismus delet omnia peccata, 155. Nihil prodest sine operibus, 314. Non per manus impositionem quis nascitur, sed in baptismo, 140. Gratia in baptismo æqualis, 157. In actu postmodum minuitur vel augetur, *ibid.* Baptizatus gratiam perdit quam consecutus est, nisi innocentiam servet, 314. Per baptisma Spiritus sanctus accipitur, 106, 125, 131, 139, 147, 154. Interrogatio in baptismo, 125, 154. Aqua sanctificanda ut possit peccata abluere, 125. Baptizati renuntiaverunt sæculo, 12.
Baptismi necessitas, 122. Baptizati infantes in primo nativitatis exordio, 184. Fidus baptizandos infantes intra octavum diem non putabat, 98. Nitebatur circumcisionis lege, *ibid.* Infantis vestigium dicebat non esse mundum, et illud quemque osculari horrere, *ibid.* Refellitur, 98, 99. Multo

Digitized by Google

minus infantibus neganda baptismi gratia quam adultis, 99. Ipsis infantibus in gratia danda et pace facienda osculum datur, 98. In osculo infantis recentes Dei manus osculamur, *ibid.* Infantem a partu novum nemo debet horrere osculari, *ibid.* Aspersio aquæ instar salutaris lavacri obtinet, 156. Clinici aliis non posthabendi, 158. Parvi refert aspergi vel perfundi, *ibid.* Baptizati in ægritudine liberantur, si antea immundo spiritu movebantur, 157. Baptizati complent Ecclesiæ numerum, 148. Baptisma unum in Ecclesia, 125, 126. Unum baptisma in sancta Ecclesia, 125, 129, 133, 139, 149, 197, 330. Confitentur omnes unum esse baptisma, 334. Duo baptismata esse non possunt, 126. Baptisma non iteratur, 106. Solius Ecclesiæ est, 144. Baptismus Judæorum, 147. Baptisma Joannis, 145.

Baptisma triplex. 355. Baptisma in solo sancto Spiritu. Baptisma spiritus et aquæ. Baptisma spiritus et sanguinis, *ibid.* Hæc sæpe separata, *ibid.* Baptisma aquæ interdum ante Baptisma in Spiritu sancto, interdum post, 356, 357. Baptisma in Spiritu sancto expiavit Petri et aliorum Apostolorum delicta, 357. Baptisma spiritus majus est Baptismo aquæ, 358. Baptisma spiritus, 355, 364. Non est major vis Baptismi quam confessio aut passio, 136. Baptisma in quo Angeli baptizant, 262. Non privantur Baptismi sacramento qui baptizantur sanguinis Baptismo, 136. Baptisma post quod nemo peccat, 262. Baptismi forma in Ecclesia, 132. De iis qui in traditione sacramenti aliter quam oportet loquuntur, 360. Baptisma vetus et Baptisma novum, 279. Baptisma prædicatur quoties aqua sola nominatur, 106. Baptismus extraneus et hæreticus, 130. Baptisma adulterinum, 365. Baptisma mutilatum et decurtatum, *ibid.* Baptismi ecclesiastici majestas, 158. Baptisma duplex, 363. Baptisma in Spiritu sancto et igni, 365. Baptismus martyrii, 262.

De Baptismo controversia inter fratres, 353. Scripta et rescripta de hac quæstione, *ibid.* Cyprianus et alii Afri putabant Baptisma nec ab Ecclesia nec a Spiritu separari, 139, 140, 147, 355. Omnia inania et falsa apud hæreticos, 126. Pro profanis habenda, *ibid.* Nihil potestatis habere hæreticos, 144. Ubi Ecclesia non est non posse peccata dimitti, 123. Hæreticis aut nihil licere aut totum licere, 332. Quæ foris exercentur, nullum habere effectum salutis, 330. Baptizandos redeuntes ab hæresi ut peccatum originale et hæresis purgentur, 123, 332. Participem hæreticorum esse qui eorum Baptisma probat, 133, 138, 144, 148, 150. Qui adversarii Domini et antichristi sunt appellati non posse dare gratiam Christi, 126, 127, 128, 134, 138. Baptizatos quos Joannes baptizaverat, 137, 145. Quanto magis baptizandos, qui ab hæreticis baptizati, 145. Ne Baptisma quidem sanguinis in hæresi prodesse, 136. Non posse agere spiritalia qui amisit Spiritum sanctum, 125. Neminem dare posse quod non habet, *ibid.* Non posse vivificare qui ipse non vivat, 126. Sacrilegum et peccatorem pro baptizato precem facere non posse, 125. Adversarios Domini non posse dare gratiam Christi, 126. Aquam sanctificari non posse ab eo apud quem non est Spiritus sanctus, 125. Peccata alteri dimittere non posse, qui sua extra Ecclesiam deponere non potest, *ibid.* De Ecclesiæ fontibus rigare non posse qui in Ecclesia non est. 132. Aliter de malis in Ecclesia, aliter de hæreticis judicandum, 133. Hæreticos libentius redituros si baptizentur, 137. Nullam hæresim excipiendam, 142, 151. Redeuntes ab hæresi utroque sacramento nasci debere, 128, 136, 331. Exceptis his qui in Ecclesia baptizati: his manus tantum imponi in pœnitentiam, 127, 132, 142, 331, 333. De his qui de hæresi ad Ecclesiam sine Baptismo admissi sunt, 138, 149. Potens est Deus indulgentiam eis dare, *ibid.* Accusantur Afri quod rebaptizent, 334. Dicunt se non rebaptizare, sed baptizare, 126, 129, 334.

De Baptismo hæreticorum Stephani sententia, 138. A quacumque hæresi venientem baptizari vetuit, 138. Censet his qui apud hæreticos baptizantur adesse præsentiam et sanctimoniam Christi, 147. Satis esse invocare Trinitatem nominum, 145. Nihil innovandum esse, 138. Hæreticos non proprie baptizare ad se venientes, *ibid.* In Baptismo convenire, 144. Refellit hæc Cyprianus quia Marcion eamdem Trinitatem non tenet ac Catholici, 131. Quia non credunt in eumdem Patrem et Filium et Spiritum sanctum, 130, 133, 136. Tot Baptismata esse quot hæreses, 138, 334. Cyprianus et Firmilianus sic adversarios refellunt, quasi dicant baptizatos extra Ecclesiam sanctificari, 130, 131, 135, 145, 151. Hæresis parit et exponit ex Stephano, expositos Ecclesia suscipit, 147. Hæreticis nomen Jesu non sufficit ad salutem, 337. Invocatio nominis Jesu in errore non præstat salutem, 337. Secus si postea accedat recta fides et impositio manuum, *ibid.*, 338. Baptisma in nomine Christi, 130, 133, 134, 356, 357, 358, 360, 363. Baptisma in Christi nomine rejicit Cyprianus, nisi sit Christi in veritate, 134.

Contendit baptizandum in plena et adunata Trinitate, 134, 135. Quia blasphemato Patre non prodest Filius, *ibid.* Opponitur Cypriano Apostolorum traditio, 133, 138, 139, 144. Venerabilis omnium ecclesiarum auctoritas, 353. Prisca cunctorum sanctorum et fidelium observatio, *ibid.* Res olim composita et ordinata dicitur, *ibid.* Cyprianus et Firmilianus negant id traditum ab Apostolis, 127, 130, 132, 133, 138, 144. Aliam traditionem opponunt, 133, 141. Afri consuetudinem reliquerunt, 149. Hæreticorum Baptisma dudum in Africa rejectum, 124, 127, 130. Multa millia hæreticorum redeuntium libenter Baptismum suscepere, 130. Negat Firmilianus Baptisma hæreticorum in Cappadocia ratum unquam fuisse, 149. Baptizantur in Cappadocia qui ab episcopis depositis baptizati fuere, *ibid.* Concilium Iconiense rejicit Baptisma hæreticorum, 145. Quidam de ista re dubitabant, *ibid.* et 149. Numidiæ episcopi Baptismum in hæresi vel schismate datum rejiciebant, 124. Cyprianum ejusque concilium consulunt, *ibid.* Sententiæ Cypriani de Baptismo hæreticorum quidam adversantur in Africa, 125, 126. Dicunt unum esse Baptisma, 126. Dicunt se veterem consuetudinem sequi, 127. Putabant Afri revelationem sibi factam veritatis, 127, 133, 336. Consuetudinem non baptizandorum hæreticorum apud quosdam obrepsisse, 141.

Barba non vellenda, 191, 325. Barba corrupta in viris, 182.

Barbarorum manus, 100.

Baruch urbs Africæ, 333.

Basilides episcopus libellaticus, 117, 119. Confitetur se blasphemasse, *ibid.* Deponit episcopatum et agit pœnitentiam, *ibid.* Sabino in ejus locum ordinato Stephanum fallit ut restituatur, *ibid.* Cypriani et aliorum episcoporum ea de re sententia, *ibid.* Basilides hæreticus, 144.

Bassianus, 8, 31.

Bassus in pejerario, 30.

Bella crebrius continuant, 217. Bellicum clangere, 44.

Benedictus Martyr, 30.

Beneficia divina non mutilantur, 156.

Bestiis objecti, 199.

Bilta, 330.

Blasphemiarum peccata, 135. Episcopus ob blasphemiam depositus, 119. Blasphemia persequentium, 16. Hæreticorum, 131. Blasphemantis linguæ scelus, 135.

Bonos imitare, 261. Boni non possunt de Ecclesia discedere, 197. Ab initio occisi ab injustis, 263, 268. Plus laborant, 305. Boni et mali continentur intra unam domum, 222.

Bona tracta a marito ad sacrificandum, 27.

Botronatus, 177.

Breviarium præceptorum cœlestium, 298. Breviata non est in episcopo confessionis dignitas, 96.

Brutus filios interficit, 226.

Budinarius, 52.

Bulla, 336.

Bustacena, 336.

C

Caduca movere nos non debent, 351.

Cæcilius episcopus, 77, 102, 104, 117, 124. Cæcilius a Bilta, 330.

Cæsar, 226, 227.

Cæsariani, 165.

Cain cor inspexit Deus, 211. Cain injustus zelat Abel justum, 256. Impatiens fratrem peremit, 234, 253. Non ingreditur paradisum, 261.

Calamitates ætate Cypriani, 217, 218, 219. Inde ortæ quod Deus non colatur, 217. Ob delicta, 218, 318. Demetrianus dicebat male accidere, quia deos Christiani non colunt, 217. Calamitates vel ad disciplinam contumacium, vel ad pœnam malorum, 218. Ira Dei censura est, ut qui beneficiis non intelligitur, vel plagis intelligatur, 223. Calamitates prædictæ ne inopinatus metus quateret, 229. Peste et lue detecta vel aucta crimina, *ibid.*, 219. Plus exacerbatur Deus, cum homines plagis non emendantur, 218. Pestis cogit appetere martyrium, 345. Explorat justitiam singulorum, 233. Virtus perficitur in adversis, 232. Gratulandum in adversis, 253. Fugiunt morientium vulnera, et appetunt spolia mortuorum, 219. Discrimen bonorum et malorum in ferendis adversis, 222. Calamitas sine remedio est odisse felicem, 258.

Calciati pedes, 93.

Caldonius episcopus, 27, 28, 32, 51, 52, 53, 56, 57, 59, 77, 124.

Caligo æternæ noctis, 45. Noctis spissæ, 349. Avaritiæ, 241.

Calix dominicus, 104. Ejus figuræ, *ibid.* Non est aqua sola, 108. Calicem mixtum offerimus in cœna, 109. Diaconus infantium ori de sacramento calicis infundit, 189.

Digitized by Google

Calor fidei, 67. Calor gloriæ, 19.
Calphurnius, 30, 31.
Calumnia forensis, 243.
Cancer et damnationis ira, 332.
Candida, 30.
Candidata integritatis et pudoris, 175.
Capilli flammei, 178. Mendacio colorati, 183. Capillos inficere, 191. Capilli deficiunt antequam crescant, 217.
Capitolium, 85, 88, 183. Capitolium ascendere, 189.
Capitula dominica, 262. Capitula excerpta, 274.
Cappadocia, 146.
Capsaces olei, 243.
Capse, 336. Capsensis civitas, 76.
Captivitas omnes simul vastat, 231. Captivitas fratrum et sororum, 99.
Caput semitonsum, 159.
Carcer æternus et jugis flamma, 218. Carcerum claustra, 158. Carcerum laus, 163.
Carnifices admovere pectori suo, 257. Carnificinæ rabies, 220.
Carnis imbecillitas, 76. Carnis resurrectio, 131.
Carpi, 333.
Carthago. Carthaginem Roma præcedere debet, 64. Carthaginensis episcopi provinciæ Numidia et Mauritania cohærent, 59. Laus ecclesiæ Carthaginensis, 41. Plebis Carthaginensis quies et timor, 21. Vitia ante persecutionem, 182, 183. Presbyterorum copia per lapsum quorumdam desolata, 49. Cleri portio in persecutione lapsa, 9. Clerici nonnulli in persecutione recesserunt, 39. Quinque Presbyteri adversus Cyprianum conjurati, 51. Confessores et lapsos corruperunt, 52. Clerus a communione sua removet presbyterum, 38. Clerici omnes parati ad pugnam, 165. Recedere nolunt, *ibid*. Cleri et plebis charitas in redimendis captivis, 100. Gaudium ecclesiæ Carthaginensis ex Romanæ confessione, 94. Ex reditu confessorum Romanorum in Ecclesiam, 62.
Cassius episcopus, 124. Cassius a Macomadibus, 332.
Castitas tenorem gloriæ suæ servat, 72. Castitas laboriosa viduarum, 253.
Castores, 225.
Castra Dei, 93. Castra dominica, 77. Castra Christi, 61, 79, 88, 95, 97. Castra Christi repetere, 65. Castra cœlestia, 18, 44, 140, 141, 229, 262. Divina, 136. Domestica, 58. Castra imperatoris defendere, 132. Castra diaboli non timenda, 267.
Castra Galbæ, 331.
Castus, 183. Castus a Sicca, 333.
Cataphrygæ, 145.
Catechumeni, 136. Catechumenum peccare non debere. 327. Catechumenis infirmitate apprehensis subveniendum, 8, 22. De Catechumenis sine Baptismo mortuis, 136, 149.
Catenæ cupiditatis, 241. Catenæ arctantes manus, 347. Catenæ stridentes, 349.
Cathedra una super petram fundata, 53. Cathedra Petri, 148. Cathedra sacerdotalis, 68, 69, 130. Cathedræ et plebis extorris, 63. Cathedra adultera, 115.
Causa illic audienda ubi crimen admissum est, 86. Causa cognita est, 87.
Cautio facilior est ubi manifesta formido est, 193.
Cedias, 332.
Celerinus, 24, 32. Primus in persecutione passus, et cum ipso persecutionis auctore congressus, 47. Persecutoris testimonio illustris, *ibid*., 48. Flet die ac nocte in cilicio et cinere sororum peccatum, 29. Ejusdem epistola ad Lucianum, 28, 32.
Celerina martyr, 47.
Celsus, ccxlii.
Censura cœlestis, 182. Evangelica, 67. Sacerdotalis, 80.
Centenus fructus, 180.
Cerdon magister Marcionis, 138, 144. Romam venit sub Hygino, 138.
Certamen cœleste, 15. Spiritale, 33. Cœleste et spiritale, 261. Certamen militiæ cœlestis, 77. Certantes Deus spectat, 93.
Cervix alta et erecta, 188.
Charitatis dotes, 199. Charitatis unitas, 151. Charitas mutua, 96. Charitas fraternitatis vinculum est, 231. Charitatis christianæ vinculum, 56.
Chore, Dathan et Abiron, 113, 118, 131, 148, 154, 155, 200.
Christiani successerunt Judæis, 274. Christianorum novum nomen, 252. Non verbis philosophi, sed factis, 247. Non magna loquuntur, sed vivunt, *ibid*. Debent esse simplices et prudentes, 336. Contentiones esse non debent inter Christianos, 12. Christi discipulo zelare non licet, 258. Christiano non licet cogitare vitia, 441. Non licet odisse Christianis, 224. Odiis benevolentiam reddunt, *ibid*. Renuntiarunt mundo, 236. Carnali patri, 206. Erunt gloriosi cum Christo, 225. Christianus quis vere sit, 199. Christianus falsus, 190, 194, 241.
Christianus non est qui in Christi Ecclesia non est, 73. Oculi et aures Christianorum custodiendæ, 342. Nefas Christianis turpia gentilium convivia in collegio frequentare, 119. Filios cum ethnicis sepelire, *ibid*. Non debent experiri judicem gentilem, 318. Vitanda matrimonia cum infidelibus, 183. Debent imitari Christum, 175. Christianus nihil admirari præter Dominum debet, 342. Alia Christianorum et Stoicorum de peccatis sententia, 70. Christianorum multorum vitia ante persecutionem Decii, 182. Unanimitatem desiderat Cyprianus, 203. Comparat mores ætatis suæ cum ætate Apostolorum, 203. Largitatem operationis sua ætate infractam queritur, *ibid*. Comparantur Christi servi cum diaboli servis, 244. Christianus debet cœlestia tantum cogitare, 307. Christiano luctandum est cum diabolo, 231, Crastino cogitare prohibetur, 210.
Christianus non debet perire quasi nocens, 12. Non debet puniri nisi propter nomen Christi, 317. Dæmones vulgus in odium Christiani nominis cogunt, 227. Christianos mundus odit, 263, 268. Christi nominis odium prædictum, 315. In contemptum Dei impugnantur Christiani, 220. Solus displicet Dei cultor, *ibid*. Potestas adversum nos datur vel ad pœnam vel ad gloriam, 212. Ab initio mundi institutum ut justitia laboret, 164. Christianum esse crimen est, 220. Longa tormenta admoventur Christianis, *ibid*. Multiplicantur supplicia, *ibid*. Novæ pœnæ excogitantur, *ibid*. Torqueri deberent Christiani si negarent, 220. Interfici debet, non torqueri, qui confitetur se esse Christianum, *ibid*. Nemo Christianus apprehensus reluctatur, 221. Nemo se ulciscitur, quamvis copiosus sit populus, *ibid*. Christianus mori potest, vinci non potest, 95. Christiani provocant hostes veritatis, 56. Christianos patientes facit de secutura ultione securitas, 221. Numquam in Christianum nomen exsurgitur, ut non statim divinitus vindicta comitetur, *ibid*. Nuper secuta granditer Christianorum defensio, 222. Christianis imputantur omnia mala, 216. Plurimi Christiani tentationibus non vincuntur, sed probantur, 229. Quidam minus fortiter stant, *ibid*. Christianis communes cum ethnicis calamitates, 251. Quosdam ea res movet, *ibid*. Christianis plus quam cæteris in sæculo laboraudum, *ibid*. Cur Christianis et profanis interim laborum conditio communis, 223. Non per Christianos, sed pro Christianis accidunt hæc de Dei indignatione, 222. His vindicantur Christiani, etsi ipsi videntur ea pati, *ibid*. Christiani non franguntur nec murmurant, *ibid*. Per ipsa quæ cruciant probari se sciunt, *ibid*. Adversa æqualiter cum ethnicis non patiuntur, quia æqualiter non dolent, *ibid*. Adversa Christianos in dolore corroborant, 232. Christiani non nisi cum ad Deum venerint Dei promissa capient, 225. Discrimen inter Christianos et eos qui Deum nesciunt, 252. Christianis gaudendum cum ad Christum vocantur, 229, 230. Christiani mortui non sunt lugendi, 234, 168. Christianus cur emendetur, 320. Christiani semper orant pro bono statu reipublicæ, 223. Christiana veritas, 134. Christianismus fidei et spei res est, 251.
Christus a principio Filius Dei, 288. Vocatur Spiritus sanctus, 228. Primogenitus et sapientia Dei, 284. Dei sermo, 213, 285. Sermo et virtus et sapientia Dei, 201. Virtus Dei et ratio et sapientia, 228. Deus vocatur in Scripturis Veteris et Novi Testamenti, 286. Jesus Christus Dominus et Deus noster, 15, 61, 92, 94, 99, 104, 109, 113, 138, 140, 158, 204, 206, 228, 235, 248, 255, 267, 332, 333, 335, 349, 353. Angelus et Deus, 286. Non omnium, sed fidelium et credentium Deus, 285. Deus venturus, 287. Domini nostri Jesu Christi adoranda est venerabilis majestas, 332. Non potest sine spiritu Christus indui, 139. Templum Christi esse non potest, qui negat Deum Christum, 153. Christus adoratur in cœlis, 255. Pater Deus præcepit Filium suum adorari, *ibid*.
Christus homo et Deus, 288. In virginem delabitur, 228. Carnem Spiritus sanctus induitur, *ibid*. Deus cum homine miscetur, *ibid*. Filius Dei carnem hominis induit, 249. Factus homo pro nobis, *ibid*. Hominem induit, 228. Hominem quem induit ad Patrem victor imposuit, *ibid*. Pater et Dominus et Deus Christi, 135. Filius obaudivit ut faceret Patris voluntatem, 208. Christus hominis filius ut nos Dei filios faceret, 237. Majorem dixit Patrem, 135. Ab eo clarificari petiit, *ibid*. Accepit omnem potestatem a Patre, 295. A Patre accepit potestatem qua baptizamur et sanctificamur, 135. Omne judicium de Patre solus accepit, 187. Solus habet potestatem judicandi episcopos, 330. Patris voluntatem implevit, 135. Christi nativitas ex David, 250. Miracula, 228. Humilitas, 10. Patientia, 254. Christi omnes actus patientia signantur, 249. Orabat non pro se, sed pro delictis nostris, 213. Nobis dedit exemplum vivendi, 317. Christi conversatio, 339. Non dedignatus lavacro regenerationis corpus abluere, 249, Christi Baptisma, 137, 148, 155. Dicunt hæretici eum fuisse ad Baptismum compulsum

Digitized by Google

a Maria, 365. Flevit Lazarum, 169. Humiliavit se, ut populum jacentem erigeret, 257. Prophetæ prædixerunt mortem Christi, 228, Prædixit mortem suam, *ibid.* Dominus infirmitatem hominis quem portabat ostendit, 208. Christum pati oportuit, non ut sentiret mortem, sed ut vinceret, 228.

Christus passus est ut nos Dei filios faceret, 92. Christi passio, 294, 352. Christi sanguine vivificatur etiam qui fudit sanguinem Christi, 249. Peccata nostra portavit, 187. Passus est pro peccatis nostris, 265. Advocatus noster, 15. Christi sanguine redempti sumus, 265. Mediator inter nos et Patrem, 288. Sacerdos Dei summi, 103, 109. Sæpe pro nobis passus, 352. In Isaia scelus, in Abel occisus, *ibid.* Spiritum sponte dimisit, 228. Non erat remansurus apud inferos, 295. Apparuit discipulis simul vinctus, 228. Regressus ad superos, *ibid.* Christi unica non dividitur, 196. Christus ad reparandos nos missus, 221. Christi adventu detectus et prostratus inimicus, 194. Omnibus venit, 213. Doctis et indoctis, ætati omni et sexui præcepta salutis edidit, *ibid.* Rex in æternum, 296, 297. Illuminator et salvator generis humani, 287. Sospitandis hominibus salutare lumen Christi, 194.

Christus est lux et dies, 258. Sol verus et dies verus, 157, 215. Invictus est, 262. Via et veritas, 514. Plenitudo veritatis, 105, 141. Non dixit : Ego sum consuetudo, 533. Ecclesiam suam gubernat, 124. Se primus ostendit quod in aliis coronaret, 345. Christus est panis vitæ, 209. Domus et templum Dei, 279. Manus et brachium Dei, 285. Est regnum Dei, 208. Nondum vindicatus, 255. Duplex adventus, 228. Secundus adventus appropinquat, 110. Hinc magis illuminat Christus, *ibid.* Humilitatis magister, 91. Humilis venire debebat, 289. Judex venturus est, 296, 297. Veniet in potestate manifestus, 255. Christus in captivis fratribus redimendus, 100. Nonnullos affligi patitur, ut aliorum charitas tentetur, 100. Christus accipiat quod adversarius auferebat, 192. Christi nomine abutendum non est, 134, 139. Christus dictus ovis et agnus, 290. Petra, 106. Lapis, 291. Christi indumentum, 191, 192, 193, 196, 262. Christum induere, 147, 159, 196, 249. Christi nomen induere, 259. Cohæredes Christi, 205, 208. Christus est caput viri, 270. Disciplinæ magister, 14. Pacis doctor atque unitatis magister, 205. Christi jugum leve, 329. Christus vigilat et precatur, 213. Spectat prælientes, 93. Christo spectante, 216. Caro Christi et sanctum Domini, 196. Christi sanctum corpus, 341. Christi sanguinem quotidie bibere, 90. Christus solus audiendus, 108. Christo nihil præponendum, 208, 263, 265, 311. Christus negantem se negat, 188. Christus unus est, 55. Christi grex, 58. Christus gregem suum nominat oves, 259. Christus est resurrectio nostra, 208. Sortiti de veste Christi, quis Christum induret, 196. Incunctanter veniendum ad Christum, 236. Judæi magum existimarunt Christum, 228, 259.

Chullabi, 337.

Cibaliana, 336.

Cibus feralis, 70. Cibus diaboli, 192. Cibi idolorum mortiferi, 186. Cibus sceleratus, 189, 190.

Cicatrix sanitatis obductæ, 339. Cicatricem obducere, 43. Cicatricum gloria, 47.

Cilicium et cinis, 238.

Cinerem ferre, 189.

Circenses Conso consecrati, 340. Ob rapiendas Sabinas, *ibid.*

Circumcisioni octavus dies destinatus umbra fuit et imago, 98. Circumcisio carnalis evacuata, 277, 278. Feminis non proficit, 277. Circumcisio spiritalis promissa, *ibid.* Circumcisio carnalis, 98. Spiritalis, 99. Carnalis et spiritualis, 103.

Cirta, 331.

Cittinus, 124.

Civitates soli hiatu devoratæ, 146. Civitas meretrix, 177. Civium injuriæ gravius grassantur quam hostes, 219.

Clarus a Mascula, 337.

Classico nostræ vocis, 261.

Clementianus, 76.

Cleopas discipulus Christi, 360.

Clerus minor, 360. Clero proximi, 33. Cunctis religionis gradibus ad sacerdotii fastigium Cornelius ascendit, 68. Clerico ministerio deputatus, 114. Clerica ordinatio 46, 144. Clerici non nisi altari et sacrificiis deservire debent, 114. Vetitum de clericis tutorem vel curatorem testamento suo constituere, *ibid.* Clerum consulit Cyprianus in ordinationibus, 33, 46. Sine cleri consilio nihil agit, 11. Oportet episcopum per clericos scribere, 33. Clerus cum episcopo præsidet, 89. Clérici urbici, 53. Clerus Romanus cum episcopis deliberavit de causa lapsorum, 45. Lapsorum causam differt sede vacante, 29, 43. Gaium Diddensem a communione sua removet clerus Carthaginensis, 58. Clerici in honore sportulantium fratrum, 114. Clerici a divisione mensurna prohibiti donec judicentur, 39. Non tamen a ministerio privati, *ibid.* Quibusdam lectoribus honor presbyterii et eadem sportula, 48.

Clinomeni, 8.

Clinici, 156, 158.

Cloacinam Tatius invenit, 226.

Clypeus fidei, 36, 44.

Cœmeterium, 165.

Cœna Domini, 109.

Collationes, id est eleemosynæ, 13.

Cognitionis dies imminebat, 64.

Collecta, 31.

Collegii honor, 157. Collegii sacerdotalis concordia, 66, 68. Profana sepulchra in collegio, 119.

Colloquia vetita cum malis, 89. Colloquia incesta, 179.

Collyrium Christi, 241.

Colonica, 31.

Colorare lanas non docuit Deus, 177. Colorum lites, 341.

Columba simplex animal, 196.

Commeatum sibi precari, 234. Commeatum dare, 47. Commeatus a Deo datur, 70. Commeatu accepto, 18.

Commemoratio anniversaria martyrum, 47.

Commentarii, 166.

Commercia vetita cum malis, 89.

Communicatio Evangelica, 40. Communicatio contra Evangelium, *ibid.* Sacrilega, 69. Usurpata temere, 149. Laica, 128. Communicatio non communicantium, 192. Communicatio nulla extra Ecclesiam, 123, 129. Per manus impositionem episcopi et cleri jus communicationis accipitur, 19. Ordo perveniendi ad jus communionis, 19, 20, 21. Salutaria dilationis remedia, 41. Exitiosa properatæ communicationis remedia, 41, 43. Communicatio non est temere laxanda, 71. Communicatio laxatur incautis, 186. Dari non debet crudo tempore, 19. Vituperantur qui sanctum Domini canibus donant, 36. Temeraria festinatio pacis obtinendæ vituperatur, 22, 25, 36, 37, 39. Miraculis punitæ communiones indignæ, 189, 190. Communio sub unica specie, *ibid.* Communicationis fructus, 117. Vide Eucharistia et Lapsi.

Ad communionem histrio non admittendus, 101. Communionem non ruperunt qui pacem mœchis dabant, cum iis qui non dabant, 72. Ob varias consuetudines numquam ab Ecclesiæ pace atque unitate discessum est, 144. Cyprianus nemini legem imponit in baptismi controversia, 129, 157, 156, 158, 329. Plebs non immunis a contagio delicti cum sacerdote peccatore et legitime deposito communicans, 148.

Compago corporis ecclesiastici, 74.

Compares Christi, 352.

Compedes aurei, 179.

Concilia ante Cyprianum, 114, 127, 130. Concilium persecutione sopita, 67. Frequenter actum Carthagine, 85. Episcopi post Pascha Carthaginem convenire solent, 76, 77. Libellos de lapsis legit in concilio Cyprianus, 66. In concilio Carthaginensi examinatæ singulorum causæ, 70. Collatio consiliorum cum episcopis, presbyteris, diaconis confessoribus, stantibus laicis, 22, 23, 33, 43. Placuit nobis, Spiritu sancto suggerente, 79. Concilium idibus Maii, 84, 97. Concilium de pace lapsis danda, 77. Cyprianus cum collegis respondet Rogatiano, 112. Cum collegis et compresbyteris ecclesiæ Furnitanæ, 114. Concilium Carthaginense primum de Baptismo, 124, 126. Secundum, 128. Tertium, 329. Pro absentibus qui mandaverant sententia dicitur, 337. Hortatur Cyprianus ut singuli quid sentiant proferant, neminem judicantes, 329. Omnium ultimus sententiam dicit, 338. Convenerant episcopi plurimi cum presbyteris et diaconibus, præsente etiam plebis maxima parte, 329. Concilia quotannis in Cappadocia, 143. Concilium Iconiense, 145, 149. Concilium Romanum, 68.

Concisio, 89.

Concordia salutaris, 76. Concordia simul juncta vinci non potest, 95. Concordia commendata, 14. Concordia individua, 94. Concordiæ vinculum, 129. Concordiæ vinculo manente, 72. Concordia collegii sacerdotalis, 66, 68. Concordia divina episcoporum, 137. Concordia sacerdotii, 142. Concordiæ mutuæ glutinum, 116, 202.

Concupiscentiæ diabolo servire compellunt, 75.

Conditio loci, 9, 110, 112, 163. Conditio corporalis communis, 222.

Confessio nominis, 78. Confessio Christi, 344, 346. Confessio dominica, 262. Confessionis arma, 96. Confessionis dominicæ corona, 90. Confessio florida, 28, 29. Confessionis virtutes, 350. Confessionis dignitas, 362. Confessio immunem non facit ab insidiis diaboli, 201. Confessio exordium gloriæ, non meritum coronæ, *ibid.*

Confessores laudantur, 50. Confessorum cautio quanta

Digitized by Google

debet esse, 201. Caute visitandi, 9. Apud confessores presbyteri singuli cum singulis diaconis per vices offerunt, 9. Confessoribus impertiatur cura propensior, 10. Confessores plurimi a fratribus suscepti, *ibid.* Sexaginta quinque Romam veniunt, 29. Confessores Romani confessionis gloriam cum studio disciplinæ conjungunt, 34. Hoc est vere esse martyrem et confessorem, *ibid.* Quam utiles Cypriani litteræ confessoribus Romanis, 43. In hæresi confessio prodesse non potest, 361, 362, 363. Confessor Deo aspirante loquitur, 166. Dominus in confessoribus loquitur, *ibid.* Confessori Deus inspirat constantiam, 268. Confessores spectaculum Deo, fratribus exemplo, 181. Plebs pastores in confessione sequens, 159, 160. Feminæ et pueri inter confessores, 160, 161, 181. Lætitia Ecclesiæ in reditu confessorum, 181. Confitenti Deum venia datur, 224. Confessor illustris et verus, 11. Nulli magis congruit evangelicus vigor, quam confessoribus, 43. Confitentium dignitas incorrupta, 61. Nihil magis congruit quam confessori Evangelium legere, 46, 48. Sine tormentis in carcere morientium corporibus impertienda est cura propensior, 50. Dies in carcere morientium notandi, *ibid.* Confessus est quisquis professus intra diem non est, 182. Hic inter martyres honoratur, 275. Hæc est privata confessio, 182.

Confessorum officia, 11. Nonnullorum vitia, 10, 12, 52. Quorumdam mentes a quinque presbyteris corruptæ, 52. Fraudes, stupra et adulteria in quibusdam confessoribus, 201. Nonnulli Dei templa et post confessionem sanctificata turpi concubitu maculaunt, 12. Nonnulli gloriam nominis destruunt, *ibid.* Vituperantur extorres qui in patriam injussi redeunt, *ibid.* Confessores presbyteris et diaconis debent parere, 10. Adversarium metuere debent, *ibid.* A presbyteris et diaconis admoneri debent, 19, 20. Plurimos in carcere instruit divina censura, 20. Confessorum sanctitatem non minuit quorumdam fracta fides, 201. Stat pars major, *ibid.* Eorum laus amplior ex lapsu aliorum, *ibid.* Confessores a Novato et Novatiano seducti de Ecclesia recesserunt, 58. De carcere prodeuntes schismaticus et hæreticus error excepit, 65. Boni et gloriosi confessores non potuerunt diu extra Ecclesiam detineri, 62. Quidam in schismate manebant ob communionem confessorum, *ibid.* Romanorum confessorum reditus ex schismate, 60. Confitentur quæ extra Ecclesiam fecerant, 60, 61. Petunt ut omnia oblivione deleantur, *ibid.* Recipiuntur in suo quisque gradu, 61. Omnia Deo remittuntur, *ibid.*

Confirmationis sacramentum, 132. Quod deerat baptizatis a Petro et Joanne factum, *ibid.* Manu imposita invocatus et infusus Spiritus sanctus, *ibid.* Baptizati in Ecclesia præpositis Ecclesiæ offeruntur, ut signaculo Dominico consummentur, 132. Confirmatio a solis episcopis datur, 336. Plerique post baptisma sine impositione manus episcopi moriuntur, 333. Habentur tamen pro perfectis fidelibus, *ibid.* Confirmatio si necessaria esset ad salutem, omnibus episcopis salus adimeretur, 336. Ungi necesse est baptizatum, 125. Eucharistia est unde baptizati unguntur, 125. Oleum in altari sanctificatum, *ibid.*

Confiteri apud sacerdotes Dei, 190. Dolenter et simpliciter confitendum, 190. Animi pondus exponendum, *ibid.* Confiteantur singuli delictum, dum admitti confessio potest 191. Confessus est sese blasphemasse Basilides episcopus, 119. Multi conscientiam delicti sui non confitentes immundis spiritibus adimplentur, 189, 190. Conscientiæ dissimulatæ crimen, 189. Confessio secretarum cogitationum necessaria, 190. Qui cogitaverant de sacrificio aut libelli facinore, hoc ipsum apud sacerdotes confitebantur, *ibid.* Scientes scriptum esse, Deus non irridetur, *ibid.* Confessio non est apud inferos, 75.

Conflictatio in adversis probatio est veritatis, 252.

Conjunctiones illicitæ et periculosæ, 102.

Conjux spernitur in martyrio, 347.

Conscientia multum habet ponderis, 340.

Conscientiæ victricis vigor, 160. Conscientiæ nostræ judex Deus, 271. Conscientia coronatur in pace, 274, 219. Conscientiæ latebræ, 219, 258. Conscientiæ vulnera, 220, 258. Conscientia tolerabilis, 70, polluta, *ibid.*

Consensere jura peccatis, 5, 44.

Consessus noster, 49.

Conspirationes factiosæ, 53.

Consuetudo sine veritate vetustas erroris est, 141. Consuetudini anteponenda veritas, 149, 333, 337. Non dixit Christus, Ego sum consuetudo, 333. Non est de consuetudine præscribendum, sed ratione vincendum, 127, 133. Consuetudinem ratio et veritas semper excludit, 336. Non hominis consuetudinem sequi oportet, sed Dei veritatem, 108, 127. Consuetudines variæ ecclesiarum, 141. Consuetudo Romanorum, 149. Ob varias consuetudines nunquam ab Ecclesiæ pace atque unitate discessum est, 144.

Consulatus summus honor apud Romanos, 226. Consulum fasces, 25.

Consummata gloria martyris, 50.

Consus consilii deus, 340.

Contagium venenati sermonis, 89. Contagio turpis et infamis, 101. Contagia cibi feralis, 70.

Continentia virginalis, 68. Continentiæ propositum gloriosum, 72. Continentiæ robur, 236. Continentiæ palma, 260. Continentiæ bonum, 315.

Contumeliarum ludibria, 249.

Contumacia improborum frænanda, 59.

Convenæ temerarii, 197.

Conventicula, 167. Conventiculum perditæ factionis, 86, Conventicula hæreticorum, 198.

Convicia vitanda, 12. contemnenda, 83.

Convivium sobrium sonet psalmos, 7. Convivia lasciva vitanda, 179. Convivia turpia lutulenta in collegio, 119. Convivia cum malis vetita, 89.

Corban non respicis, 242.

Cor hominis devoti Deo, 268. Corda mundantur fide, 366.

Cornelia, 29.

Cornelius, episcopus Romanus, 55, 56, 58, 59, 64, 66, 77, 79, 94, 115, 117, 120, 152. Electus a Deo omnipotenti et Domino nostro Jesu Christo, 60, 61. A sexdecim episcopis ordinatus, 73. Cornelii ordinationi intercedunt factiosi, 53, 56, 59. Legati ab utraque parte in Africam, 53, 55. Non leguntur litteræ adversariorum Cornelii, 56. Legati Romam mittuntur, 55, 56. Interim omnia in suspenso remanent. Non scribitur ad Cornelium, sed ad Ecclesiam, 59. Cyprianus auctor est Adrumetinis ut Cornelio litteras non inscribant, sed Ecclesiæ romanæ, 59. Legati Novatiani rejiciuntur, 55. Scribunt in Africam ordinatores Cornelii, 55, 56. Redeunt legati Africani, *ibid.* Cyprianus in concilio scribit ad universos Africæ episcopos pro Cornelio, 59. Scribit etiam ad Cornelium, 56. Litteræ ad Cornelium ex universa Africa, 59. Episcopatus Cornelii ab omnibus in Africa agnoscitur, 59. Cornelii mores laudantur, electio defenditur, invicta in episcopatu constantia prædicatur, 68, 69. Cornelius cunctis religionis gradibus ad sacerdotii sublime fastigium ascendit, 68. Cum Cornelio, hoc est, cum Ecclesia catholica communicare, 66. Cornelii et collegarum ejus sententia de lapsis, 68, 117. Cum plurimis collegis deliberat de recipiendo Trophimo 69. Afficta Cornelio crimina, 69. Accusatur a nonnullis, quod cum thurificatis communicet, 66. Cornelium dicitant libelli labe maculatum et communicare cum episcopis qui sacrificaverunt, 69. Minis Felicissimi movetur, 80. Inter martyres deputandus, 69. Dux confessionis populum suasit fieri confessorem, 94. Ecclesia omnis Romana confessa est, *ibid.* Beatus martyr, 97, 117.

Cornelii papæ epistola ad Cyprianum, 60, 62, 167.

Cornelius centurio, 128.

Corona candida pro operibus, 246. Coronæ candidæ et purpureæ, 18. Corona agonistica, 262. Corona virtutum baptisma sanguinis, 262. Corona descendit de Dei dignatione, 184. Corona fidei, 199. Corona confessionis dominicæ, 90, 97. Passionis, 95. Justitiæ, 201. Purpurea pro passione, 246. Coronæ martyrum, 188. Corona disciplinæ dominicæ, 34. Coronarum cœlestium præmium, 95. Coronæ finem dederunt doloribus, 16. Coronari in morte non potest qui divisus est ab Ecclesia, 71. Coronam diaboli ferunt sacrificantes, 181.

Corpus unum adunationis nostræ, 99. Corpus gregis dominici, 58. Corpus Ecclesiæ catholicæ, 55. Corporis ecclesiastici compago, 74. Corpus Domini invadunt, 186. Corporis et sanguinis Christi protectio, 77. Corpora nostra membra sunt Christi, 74. Corporis nostri societas, 76. Corpus enervatum, 101. Corporum materia consimilis, 218. Conditio communis, 222.

Correptionem audiunt boni, 327.

Corruptores Evangelii, 198.

Crapulam cruditate ructare, 111.

Credere cogitur etiam persecutor, 348. Credentium pater vivus, 206. Credendi vis quanta, 317. Creditum suum recipere docuerat creditorem, 108.

Credula martyr, 30.

Crementius subdiaconus, 7, 8, 24.

Crescens a Cirta, 331.

Crimen mutare adulterinis coloribus, 177. Crines inficere 178.

Crimen voluntatis, 185. Criminis particeps est qui imperavit, 42.

Cristæ montium, 312.

Crocodili, 220.

Crucis signum, 294. Crucis signum in fronte, 201. Moysis supinæ manus in signo et sacramento crucis, 267.

Crudelitas ingeniosa, 220.

Cruore suo loti, 350.

Cuiculi, 336.

Culmi uberes, 350.

Digitized by Google

Cupiditas gloriæ cœlestis, 43.
Curator testamenti non potest esse clericus, 114.
Cynocephali, 220.

Cyprianus qui est Thascius, 121. Cæcilius Cyprianus, 122. In tenebris et vitiis jacuit, 2. Non videbatur ei possibilis conversio, *ibid.* Quomodo mutatus, *ibid.* Carthagine credidit et crevit, 49. Plebis suffragio et Dei judicio episcopus, 52. Quinque presbyteri contra illius episcopatum conjurant, 52. Plebs in eos indignatur, 54. Contumelias episcopatus sui dissimulat Cyprianus, 18. Nihil agit sine consilio cleri et consensu plebis, 11. Consulit clerum et plebem in ordinationibus, 46. In pace delectus episcopus populi universi suffragio, 82. In quiete serviens disciplinæ, in tempestate proscriptus, *ibid.* Clamore violento populi flagitatus, 23. Quomodo proscriptus, 122. Secessus ejus vituperatus a nonnullis, 7, 23. Defendit se, 23, 24. Quieti fratrum consulens secessit, 23. Publicum conspectum vitat respectu utilitatum Ecclesiæ, 10. Dominus jussit ut secederet, 19. Secedens pecuniæ summam reliquit apud clericos, 9. Solo corpore abfuit, 23, 36. Constituit vicarios pro se absente, 50. Cypriano nulla requies, 40. Non redit ne auctor sit rumpendæ pacis, 49. Ne persecutionem exacerbasse videatur, 53. Sperat se cito rediturum, 50. Commendat confessores in carcere constitutos, 50. Adesse vellet ut erga illos dilectionis obsequia compleret, *ibid.* Reditum Cypriani morantur quinque presbyteri, 53. Exsilium biennii quam molestum Cypriano, *ibid.* Optat ut omnes ecclesiæ inter se consentiant in judicio de lapsis, 24, 28, 39, 45. Indignatur in presbyteros qui lapsis pacem dederant, 19 et seqq. A communione sua arcet, si quis communicet cum lapsis, 59, 67. Dissimulandum non putat in re tanti momenti, 18. Ejus dolor ex lapsu suorum, 182. Prostratus sibi videtur in prostratis fratribus, *ibid.* Defert aliquid libellis martyrum, 22, 23. Aliquid remittit ad violentiam lapsorum mitigandam, 24. Quædam in Cyprianum durius injecta in epistola lapsorum, 41. Nemini ex lapsis communicavit, quamdiu persecutio sæviit, 68. Severior fuit in lapsos quamdiu vincere potuerunt, 23, 67. Laudatur ejus censura, 36, 40. Agit post Pascha de causa lapsorum cum collegis, 55. Vide *Lapsi*, necessitati temporum succumbit, 68. Non recedit ab his quæ in concilio statuta sunt, 68. Contendit episcopos lapsos deponi et pœnitentiæ submitti debere, 120. Non restituendos qui Stephanum fefellerant, ut restituerentur, 119.

Cypriani opera episcopatus Cornelii in tota Africa agnoscitur, et Novatianus damnatur, 59 et seqq. Gloriam confessorum suam computat, 34. Librum de Lapsis et de Unitate Ecclesiæ mittit ad confessores, 66. Dolor ejus ex schismate confessorum, 65. Gaudium de eorum reditu ex schismate, 61. Schismatici per provinciam pererrant nec audent ad Cyprianum accedere, 87. Cyprianus impavidus sua interesse non putat a quo perimatur, 89. Impavidus Cypriani animus, 80. Contendit causam illic audiendam ubi crimen admissum, 86. Non minorem esse auctoritatem episcoporum in Africa constitutorum, *ibid.* Cogitabat ad Thibaritanos venire ut eos hortaretur, 90. Deo et Christo servit, et sacrificia puro ore et in persecutione et in pace indesinenter offeri, 124. Orat in sacrificiis et in orationibus pro Lucio papa, 97. Candidum pectus Cypriani, 162. In Cyprianum convicia et calumniæ Pupiani, 121 et seqq. Illius agendi ratio cum schismaticis, 88, 89. Ecclesiam nemini claudit, remittit omnia, multa dissimulat, 88. Ait se delictis plusquam oportet dimittendis pene ipsum delinquere, *ibid.* Venientes ad Ecclesiam singulos suscipit, 122. Unus atque alius a Cypriano, plebe obnitente, recepti pejores exstitere, 87. Quotidie fratribus servit, 122.

Cypriani humilitas, 42. Hortatur affectione potius quam potestate, 174. Extremum et minimum se dicit, *ibid.* Ejus humilitatem norunt et diligunt fratres et gentiles, 121. Accusatur nimiæ remissionis in lapsorum causa, 66. Charitas Cypriani in pauperes, 49, 50. In captivis redimendis, 100. In sublevandis martyribus, 161, 162, 163. Mittit de sumptibus propriis ad sublevandos confessores, 13. Invitat Carthaginem pauperes quos sua Ecclesia alere non potest, 101. Quantitas Cypriani propria, 49. Revelatione cognoscit futuram persecutionem, 14, 77, 79. Prædicit crudeliorem quam antea persecutionem, 90. Deus revelat Cypriano pacem brevi futuram, 12, 15. Revelatio ostensa Cypriano, 124. Revelatione cognoscit appropinquare sibi et Cornelio diem agonis, 96. Fratres non esse unanimes in precando, 14. Dormitare in precibus, *ibid.* De victu parco et sobrio potu divinæ admonitiones, 15. Cypriano sæpe revelatum ut prædicet non esse lugendos mortuos. 234. Consulit Deum 124. Legem aliis non imponit in Baptismi controversia, 129, 137, 150, 158, 329. Prævaricator veritatis et proditor unitatis nonnullis videtur, 132. Vocatus pseudochristus, 151. Tacito nomine carpitur, 353. Hæreticorum stupore præditus dicitur, *ibid.* Accusatur quod errores omnium ecclesiarum corrigere voluerit, 353. Querelæ Cypriani de Stephano, 140. Imprimis quod sacerdotes veritatem et unitatem tenentes abstinendos putet, *ibid.* Pro honore Ecclesiæ et unitate pugnat, 132. Parum videtur Cypriano quod plebem voce erigat, nisi etiam divina lectione confirmet, 261. In libris ipse se designat, 161. Utilitas litterarum Cypriani, *ibid.* Magnis semper sensibus loquitur, *ibid.* Firmilianus missa a Cypriano scripta, quasi sua propria suscepit, 145. Non in transcursu legit, sed sæpe memoriæ mandavit, *ibid.* Cyprianus ob confessionem nominis relegatus, 158. Primus apud acta proconsulis confitetur, 161, 162. Prior inter martyres, quia prior confessus est, 161, 162. Cypriani secessus ante passionem, 166. Vult pati Carthagine, *ibid.*

D

Dæmon non potest terram movere, sed præsciens terræ motus, id facturum se simulat, 146. Dæmones fugantur a Christianis, 227. Dæmones poetæ norunt, 226. Dæmonia principalia, 146.
Damnatorum diversæ pœnæ, 349.
Daniel Deo devotus, 269. Noluit adorare Bel, 92, 96. Laudatur, 187, 191. Danieli prandium divinitus apparatur, 210, 240. Daniel consultus a Nabuchodonosore, 258. Minas regis vicit, 346.
Dativus a Badis, 332. Dativus in metallo constitutus, 158, 161.
Dativa, 31.
Davidem Saul persequitur, 257, 269. David saltavit ante arcam, 339, 340.
Debita Dominus appellat peccata, 211.
Decimæ concessæ Levitis, 114. De patrimonio nec decimas damus, 203.
Decimus presbyter, 27.
Decius tyrannus, 69. Bello et armis victus, *ibid.* Ejus odium in sacerdotes, *ibid.* Patientius audiebat levari adversum se æmulum principem, quam Romæ constitui Dei sacerdotem, *ibid.* Miratur constantiam Celerini, 47.
Defunctorum vultus per imaginem detinentur, 225.
Delicata jactatio, 252. Delicatæ mentis ignavia, 229. Delicta ubique flagrant, 5. Delictorum æstuantium vapor, 37. Delicta nostra reputemus, 188. Delicta fiunt religiosa, 4.
Delimare, 10.
Delinimenta aurium, 342.
Delinquendi nullus metus, 219
Demetrius episcopus, 77, 124. Demetrius a Leptiminus 334.
Demetrianus ventitabat ad Cyprianum, 216. Studio magis contradicendi quam discendi, *ibid.* Seminabat odia adversus Christianos, *ibid.* Dicebat imputari illis debere omnes calamitates mundi, *ibid.*
Denotata, 104.
Deposita Ecclesiæ oblata, 62, 63, 64.
Depopulatur matrimonium, 79.
Desaltantur fabulosæ libidines, 341.
Detractio vetita, 328.
Detriumphare, 343.
Deus nomen est illi, 227. Deum patrem cognoscunt gentiles, 335. Deo nomen nullum, 227. Dicta vulgi Deus videt, *ibid.* Deus est omnium Dominus, *ibid.* Videri non potest, *ibid.* Dei visio perpetua. 225. Eleemosynis pauperum fœneratur, 242. Videt corda et pectora singulorum, 190. Mundi rector et Dominus, 217. Nihil fieri potest nisi quod aut fecerit Deus, aut fieri permiserit, 217. Nihil fit ignaro Deo aut non permittente, 188. Falli non potest, 271, 320. Judicis majestate metuendus, 193. Irascitur, 218. Non deridetur, 190, 271. Derideri non potest, 271. Placandus longa satisfactione, 53, 186. Ira Dei jejuniis et fletibus placanda, 191. Deus indulgens et severus, 44. Præceptorum suorum exactor diligens, *ibid.* Domini indulgentia ut Deum patrem vocemus, 207. Dei patientia, 248. Deus cur patiens, 316. Indulgens semper et bonus, 192. Differt judicium ut homo convertatur, 248. Cordis auditor est, 205. Penetrat in abdita et occulta, 204. Habenti Deum nihil deerit si ipse Deo non desit, 210. Deus unus non numero, sed universitate, ccn. Omnipotens quia omnium dominatum tenet, *ibid.* Dei est omne quod possumus, 2. Spectat nos certantes, 93. Deus pacis et concordiæ magister Christus, 206. Deus precandus, 13. Solus colendus, 265, 264, 265. Credentium et intelligentium pater, 209. Deum patrem non habet qui Ecclesiam non habet matrem, 195. Deum vel sero cognoscite, 224. Credendum Deo, *ibid.* Homo de servo exigit servitutem, et Dominum Deum suum non agnoscit, 218. Deus non cognoscitur nec timetur, 219. Non colitur, 225. Non quæritur nec timetur, 220. Dei arcana perspici non possunt, 319. Deus loquitur in nobis, 92. Conscientiæ nostræ

Digitized by Google

judex est, 271. Deus in nostra dedicandus est mente, 227. Sacerdotes facit, 68, 121. Dei opera perfecta sunt, 98. Personam non accipit, 98. Dei et Christi dilectioni nihil præponendum, 311. Deus ignotus, 144.

Dii quos adorant gentiles adjurantur et torquentur a Christianis, 221. De corporibus ejiciuntur ejulantes, *ibid.*, et 227. Tremunt sub manu Christianorum, *ibid.* Quid sint interrogati, respondent audientibus gentilibus, *ibid.* Christiani Deos palam et in ipso foro destruunt, 220. Publice confundunt, dum se Christianos esse pronuntiant, *ibid.* Deos clausos ne pereant tutela custodit, 221. Turpe est eos colere quos ipse defendas, 221. Dii profani, 253. Deorum mater Idæa, 226. Dii vernaculi Romanorum, 226. Deos non esse quos colit vulgus, 225.

Dextralia, 177.

Diabolus invidia periit et perdidit, 233, 236. Hominem ad imaginem Dei factum impatienter tulit, 253. Nihil potest sine permissu Dei, 325. Diabolo potestas adversus nos datur, 212. In pace subdolus, in persecutione violentus, 256. Latentia tela frequentiora sunt, *ibid.* Videns idola derelicta invenit hæreses et schismata, 194. Hæreticos non impugnat, sed eos quos videt stare, 97. Fortiorem quemque magis aggreditur, 10. Non gestit evertere quos jam suos fecit, 95. Eos lascessit in quibus Christum cernit habitare, *ibid.* Hoc est semper opus diaboli, ut servos Dei mendacio laceret, 69. Totum detriumphaverat mundum, 343. Semper mendax et fallax, 54. Blanditur ut fallat, 180. Diaboli astutia et artes, 195. Nos circuit, 256. Obrepit frequenter et penetrat, 213. Diaboli altaria, 85, 184, Diaboli comparatio cum Christo, 244. Torquetur ab exorcistis, 137. Diabolo resistendum, 328. Quomodo vincendus, 262. Diabolum interficere, 161.

Diaconos Apostoli sibi constituerunt episcopatus sui et Ecclesiæ ministros, 113. Solemnibus adimpletis diaconus calicem offert præsentibus, 189. Diaconi cum presbyteris regere solent confessores, 19, 20. Singuli presbyteris ministrant apud confessores, 9. Apud diaconum exhomologesis, 22. Diaconus contumeliosus in episcopum suum, 112. Diaconorum ordinationes quomodo faciendæ, 118. Diaconus abstentus quia cum virginibus in eodem lecto deprehensus, 103.

Diana Taurica, 226.

Dies omnibus æqualiter nascitur, 157. Illuminat æqualiter, 246. Dies festi, 225.

Dies octavus, id est, post sabbatum primus, 98. Dies negandi Christianis præstitutus, 182. Dierum sæcularium cursus, 98.

Digitis loqui, 342.

Dioga Leptimagensis, 358.

Dionysiana, 335.

Dionysius schismaticus, 62.

Disciplina ecclesiastica, 46, 52, 64, 80, 102, Disciplinæ ecclesiasticæ vigor enervatus, 359. Disciplina deifica, 120, 260. Evangelica, 45, 55. Disciplina christiana longa pace corrumpitur, 182. Disciplinæ dominicæ corona, 54. Disciplina innocentiæ, 219. Disciplinæ severitas, 138. Disciplina religionis et veritatis, 109. Disciplina robusta legis dominicæ, 32. Disciplinæ magisterium, 48. Disciplinæ exploratio, 68. Disciplina Dei observanda, 324. Disciplinæ observatio, 102. Fundamentum religionis et fidei de observatione et disciplina, 173. Disciplina custos spei, 173. Nihil tam necessarium quam debita severitas divini vigoris, 42. Saluti ecclesiasticæ consuli non potest, nisi disciplinæ semper custodita ratio servetur, 42. Disciplinæ apud Romanos severitas, 42. Disciplina gladiatoria, 3.

Discipuli reliquerunt Christum, 82. Vocantur sal terræ, 209.

Discordantes damnati, 212. Discordes sunt adversarii Christi, 193. Discordia non potest pervenire ad regnum cœlorum, 199, 213. Discordia nec baptismo sanguinis potest ablui, 198, 212. Discordiæ seminatio, 74. Discordia recrudescens, 56. Discordiæ furor, 96, 129, 196, 198, 199. Discordiarum virus, 261. Discordiosus stylus, 56. Discordiosa oratio, 198.

Discriminalia, 177.

Dispositio divina, 54, 56, 136, 139, 155. Dispositio ecclesiastica, 58.

Dissensionis malum, 202. Dissensionis insania, 95.

Dissimulandi locus non est quando fraternitas decipitur a quibusdam, 18.

Dives sterilis, 242. Dives nemo est in sæculo, 241. Divites semper trepidi, 6. Eorum miseria, 6.

Divinitatis veritas repudiata, 144.

Divisiones mensurnæ, 48.

Divites per divitias suas pereunt, 184. Divitis peccatoris os et lingua magis torquebantur, 81. Divitiæ non tantum contemnendæ, sed et periculosæ, 210.

Doctrinæ adulterinæ, 53.

Doctor audientium, 33. Doctores presbyteri, *ibid.*

Dolor testis veritatis, 228. Dolorem fratris proprium computare, 99. Dolere oportet sapienter, 171.

Dolosus operarius, 151.

Domesticorum cura, 325.

Dominus major quam diabolus, 205, 367. Dominica pax, 137. Dominicum celebrare, 109, 242. Dominico legere, 46. Dimissi e Dominico Christiani, 341.

Domus ecclesiæ, 196.

Domicilium unitatis et veritatis, 61.

Donatus 1 et *seqq.* Donatus presbyter, 11. Donatus episcopus Carthaginiensis, 84. Donatus episcopus, 77, 124. Donatus a Cibaliana, 336. Donatus martyr, 30.

Donata, 31.

Donatulus, 76. Donatulus a Capsa, 338.

Dormitio, 103, 114.

Dubitatio legitima non debet reprehendi, 66.

Ducenarius procurator, 119.

Duo aut tres si convenerint in nomine Christi, quomodo intelligendum, 198.

E

Ecclesia in multitudinem latius extenditur, 195. Per orbem totum ramos porrigit, 195. Ramos in universam terram extendit, *ibid.* Una mater fecunditatis successibus copiosa, 193. Corpus totius Ecclesiæ, cujus per varias quasque provincias membra digesta sunt, 41. Ecclesia una per totum mundum, 73. Ecclesia catholica, 66. Ecclesia in episcopo et clero et stantibus omnibus, 38. Non est lapsorum numerus, *ibid.* Ii sunt Ecclesia qui in domo Dei permanent, 85. Ecclesia catholica quæ una est et vera, 124. Quinam in Ecclesia remanere non possint, 64. Qui plantatus non est in præceptis Dei Patris, solus potest de Ecclesia discedere, 64. Et cum hæreticis remanere, *ibid.* Plantati non sunt a Deo, qui ab Ecclesia discedunt, 83. Ecclesiæ catholicæ radix et matrix, 59. In Ecclesia frumentum et zizania, 14, 65. Ne Apostolis quidem hanc potestatem concessit Christus, ut paleas a tritico secernerent, 65, 74. Christus in Ecclesia præsidet et spectat, 244. Ecclesiam Christus instituit et fecit, 198. Ecclesia humana quæ a schismaticis instituitur, 73.

Ecclesiæ catholicæ corpus, 55. Ecclesia plebs sacerdoti adunata, 125. Gravit Christus ut unum simus quomodo Pater et Filius, 213. Alia confessio est unam esse Ecclesiam confiteri, 65. Una Ecclesia, 55, 62, 123, 152, 195, 202. Una et sola est, 112. In Christo unum corpus, cui numerus noster adunatus est, 108. Ecclesia corpus unum, 201. Unanimitatis hospitium, 196. Christus non multitudini, sed unanimitati plurimum tribuit, 198. Ecclesiæ unitas sacramentis cœlestibus cohæret, 196. De unitate Patris et Filii et Spiritus sancti plebs adunata, 211. Ecclesiæ unitas de divina firmitate veniens, 195. De divinæ dispositionis ordinatione veniens, 128. Dominus insinuans unitatem de divina dignatione venientem dicit. Ego et pater unum sumus, 155. Christi pariter atque Ecclesiæ unitas cohærens individuis nexibus, 65. Unus Deus et Ecclesia una, 202. Una est Dei domus, 103. Unus Christus et una Ecclesia, 132. Non alia domus est præter unam Ecclesiam, 196. Christi tunica cur scissa non est, 196? Dominici gregis animus et corpus unum, 58. Novatiani mentiuntur in interrogatione, cum Ecclesiam non habeant, 154. Si Ecclesia apud Novatianum fuit, apud Cornelium non fuit, 152. Ecclesiam spondet diabolus ut ab Ecclesia avellat, 54. Ecclesia non est apud hæreticos, quia una est et dividi non potest, 139. Dictitabant suis schismatici simul se in Ecclesiam reversuros, 87. Unitas firmiter tenenda et vindicanda, 195. Maxime episcopis, *ibid.* Una Ecclesia quæ vivit in æternum et vivificat, 124.

Ecclesia scindi aut dividi non potest, 62, 139, 155. A Christo non recedit, 123. Unitas separari omnino et dividi non potest, 131. Unitas Ecclesiæ scindi non potest, 74, 196. Unitas Ecclesiæ de cœlo et a Patre venit, 196. Sceleratus qui putat scindi posse unitatem Dei, 196. Ecclesiam nulla res separare poterit a Christo, 108. Ecclesia adulterari non potest, 193. Incorrupta est et pudica, *ibid.* Ecclesia incorrupta, 152. Aqua Ecclesiæ adulterari et corrumpi non potest, 132. Ecclesia numquam omnino recedit a Christi doctrina, 83. Ecclesia non scissa neque divisa, sed sacerdotum sibi invicem cohærentium glutino copulata, 121. Universæ Ecclesiæ cum Cypriano unitatis vinculo copulatæ, 123. Omnium Ecclesiarum consensus in damnando Novatiano, 115. In causa lapsorum differenda, 53. In eadem causa dijudicanda, 120. Venerabilis Ecclesiarum omnium auctoritas, 353. Sola Ecclesia possidet gratiam Christi et veritatem, 334. Omnis potestas et gratia in Ecclesia constituta est, 145. In Ecclesia gratia et veritatis omnis est, 126.

Ecclesia tenet et possidet omnem sponsi sui et Domi

Digitized by Google

potestatem, 132. Ecclesia prius sterilis, 280. Nuptiæ Christi et Ecclesiæ, 108. Plebs Gentium, Judæis cessantibus, ad nuptias Christi et Ecclesiæ confluxit, 108. Sola Ecclesia est sponsa Christi, sola filios Deo generare potest, 140. Ecclesia sponsa Christi, 195. Sola Ecclesia filios Christo parit, 147. Christus cum iis non est qui extra Ecclesiam colliguntur, 198. Nulla salus extra Ecclesiam, 195. Extra Ecclesiam sine communicatione et pace pereunt, 129. Damnati a semetipsis qui ab Ecclesia discedunt, 52, 64. Separatus ab Ecclesia damnatus est a semetipso, 132, 200. Ecclesiæ uniuś caput et radix, 130. Ecclesiæ resistens non est in Ecclesia, 195. Pax nulla extra Ecclesiam, 129. Gratulandum est cum lupi et canes de Ecclesia separantur, 197. Ne columbas et oves prædentur, *ibid.* Alienus et profanus qui non habitat in domo Dei, 153. Nec vita nec salus extra unitatem, 103, 196. Non facilius evadere extra Ecclesiam, quam extra arcam Noe, 195. Non est cum Christo qui se a cleri ejus et plebis societate secernit, 200. Quidquid a matrice discesserit, vivere non poterit, 201. Mortui sunt qui extra Ecclesiam sunt, 126. Extra Ecclesiam nihil potest solvi aut ligari, 131. Hæresis macula nec sanguine abluitur, 198. Nemo martyr extra Ecclesiam, *ibid.* Martyrium in hæresi non corona fidei, sed pœna perfidiæ, 199. Occidi talis potest, coronari non potest, 75, 136, 199, 201. Occisus extra Ecclesiam, propter nomen non coronatur, 71. Mors in confessione nominis extra Ecclesiam, non est fidei corona, sed pœna perfidiæ, 95. Nunquam admitti in Ecclesiam possunt qui in impudica obstinatione perseverant, 103. Christus super petram ædificavit Ecclesiam suam, 148, 332. Ædificata super Petrum, 83, 123, 127, 132, 250. Una a Christo Domino super Petrum origine unitatis et ratione fundata, 125, 127, 131. Una est et super unum, qui et claves ejus accepit, 132. Ecclesiæ fundamenta collocata super Petrum, 148. Ecclesia prima et una super Petrum fundata, 270. Super Petrum unum, 195. Ecclesia principalis, 86. Ecclesia mater, 57, 58. Nemini clauditur, 219. Ecclesia instar paradisi, 152. Ecclesiæ typus Anna, 205. Ad Ecclesiæ majestatem non pertinet quid apud se hæretici et schismatici moliantur, 83. Mater Ecclesia plangit ruinas plurimorum, 17. Ecclesiæ filii, 151. Ecclesiæ gloria præpositi gloria est, 11. Ecclesia candida et purpurea, 18. Ecclesiastici corporis compago, 74. Ecclesiæ gubernandæ libra, 115. Ecclesiæ septem, 281.

Ecstasis, 19. Ectasis mulieris a dæmone correptæ, 146.

Edicta feralia, 69, 93. Edictum sæcularis domini. 190.

Editio muneris, 241.

Egnatius martyr, 47.

Electus ad gloriæ præmium, 201.

Eleemosyna a Christo præcepta, 239. Eleemosynæ bonum, 302. Eleemosyna commendata, 214, 237. Nemini neganda, 303. Eleemosynis animæ a morte liberantur, 192. Eleemosyna purgat peccata, 237. Non fiat ad ostentationem, 317. Eleemosynis insistere, 192. Qui dat minimis Deo fœnerat, 214. Multorum precibus exorat qui pauperes juvat, 176. Christo præstatur quidquid pauperi præstatur, 245. Opibus et facultatibus Domino fœnerandum, 193. In eleemosynis et opere mediocri voluntas satis est, 304. Christus cibandus. 176. Pauper vidua Heliam filiis prætulit, 242. Peccat qui se et filios Christo anteponit, 243.

Elementa non sunt colenda, 263.

Eloquentia mundi non est regnum Dei, 324.

Emerita, 29 31.

Emeritensis plebs, 117.

Emit sortibus ut fulgeat, 5.

Enoch translatus, 235, 278.

Epictetus episcopus Assuritanus, 110.

Episcopos Deus facit, 59, 68, 82, 113, 114, 121. Episcopus judex ad tempus a Deo datus, 122. Ecclesia super episcopos constituta, 38. Hoc divina lege fundatum, *ibid.* Ecclesia cui de Domini indulgentia præsumus, 100. Deus et Christus ejus episcopum fecere Cornelium, 68, 69. Episcopis commissa sibi divinitus castra servare debent, 141. Christus sponsam suam episcopis commendavit, 335. Apostolos, id est præpositos elegit Dominus, 113. In Ecclesia præsident, 195. Sunt successores Apostolorum, 57, 148, 337. Ecclesiam gubernant eadem potestate ac Apostoli, 337. Unus in Ecclesia ad tempus sacerdos et judex vice Christi, 82.

Episcopus unus est, 122. Unus in Ecclesia, 82. Unus divina ordinatione delectus, 97. Unus in Ecclesia catholica, 61. Episcopus non est adulter et extraneus episcopus, 73. Episcopus in Ecclesia, et Ecclesia in episcopo, 123, 113. Alium episcopum constituere, aliam Ecclesiam constituere est, 58. Si quis cum episcopo non sit, in Ecclesia non est, 123. Episcopatus unus, 195. Cujus a singulis in solidum pars tenetur, *ibid.* Episcopatu Cornelii omnium episcoporum consensu firmato, foris est quisquis episcopus esse voluerit, 68. Episcopatus unus episcoporum multorum concordi numerositate diffusus, 73. Singulis pastoribus portio gregis adscripta, 86. Episcopalis unitas, 74. Corpus sacerdotum unitatis vinculo copulatum, 116. Multi sacerdotes unum gregem pascunt, *ibid.* Oves universas fovere debent, *ibid.* Decretum Cornelii cum omnibus omnino episcopis in toto mundo constitutis, 120. Vide 53 et 115. Si quis episcopus hæresim facere et gregem vastare tentaverit, cæteri subvenire et oves colligere debent, 116. Quantum scelus maledicere sacerdotibus, 81. Quantum reverentiæ debeatur sacerdotibus, ex Scripturis probatur, 113. Episcopi vindicantur a Deo, 113. Episcopos contemnens non est cum Christo, 200. Episcopo assurgendum, 325. Episcoporum auctoritas, 58. Schismata ex contemptu episcoporum, 122. Episcopus potest de diacono contumelioso statim vindicare, 112. Gratum id haberent collegæ omnes, *ibid.* Diaconus in episcopum contumeliosus audaciæ suæ pœnitentiam agere debet, 113. Episcopus, etsi legitime ordinatus, jam episcopus non est, si ab unitate recedat, 74. Si depositi ob idololatriam episcopi in furore permanserint separandus ab illis populus, 112. Episcopus adulter atque extraneus, 73. Episcopis concessa libertas in rebus non decisis, 72, 86, 129, 137, 158, 330. Rationem actus sui Domino solo reddent, *ibid.*

Episcoporum electiones quomodo faciendæ, 118. Electionis episcopalis forma, 68. Episcopi sine ordinationis lege constituti, 197. Episcopatum nemine dante, 197. Episcopi qui eligendi, 118. Episcopi sunt sacerdotes Dei et Christi, 110. Episcopus non sit litigiosus nec contentiosus, 141. Episcopi sani et integri, 112. Episcopi debent esse humiles, 121. Episcopi portio major est in gaudio communi, 11. Episcoporum conventus annui 143. Episcopatus vigor, 80, 112. Nihil episcopum terrere debet, 80. Adscribetur episcopis in die judicii si ovem sauciam non curaverint, 70. Oportet episcopum non tantum docere, sed et discere, 141. Ille melius docet qui quotidie crescit et proficit discendo meliora, *ibid.* Episcopum decet præsentibus fratribus immolari, 97. Episcopus providere debet paci et tranquillitati, 53. Episcopi pœnitentiæ submissi, 119, 120. Episcoporum plurimorum vitia ante persecutionem Decii, 183. Episcopi pessimæ conversationis, 360. Episcopi quidam sacrificaverunt idolis, 69. Episcoporum male viventium damnatio, 111. Episcopus episcopi, 122. Episcopus episcoporum nullus est, 329. Non minor auctoritas episcoporum in Africa, 86.

Epistola clerica, 8, authentica, 8.

Epulæ largiores vitandæ, 15. Epulis atque cœnis inhiare, 111.

Equuleus extendens, 4, 185. Equuleo corpus extensum, 347.

Erratici spiritus, 3.

Error pro veritate, 192. Errandum ideo non est quia aliquando erratum est, 136. Erranti simpliciter ignosci potest, 133. Errori adhærens prudens et sciens peccat, 133. Errantes sequi non oportet, 144. Erroris alieni particeps, 65. Error consuetudinis, 149. Offectura erroris, 332. Error schismaticus et hæreticus, 65.

Esau primatus suos perdidit, 137, 253, fratri suo Jacob inimicus, 246.

Ethnici et publicani, 152. Ethnicorum mores corrupti, 4. Christianos oderant antequam noscant, 227.

Etecusa, 29.

Evangelica lex, 109, 131. Evangelii corruptores, 198. Lex evangelica et dominica traditio servanda, 109. Per Evangelium martyres fiunt, 40. Martyres nihil possunt contra Evangelium, 188. Evangelium non potest in parte consistere et in parte nutare, 188. Evangelici sacramenti unitas, 65. Frustra Evangelium asserere volunt, qui se ab Ecclesia separant, 58.

Evaristus de episcopo jam nec laicus, 63. Evaristus schismaticus, 62, 63.

Eucharistia est sanctum Domini corpus, 20. Eucharistiæ institutio, 105. Eucharistiam facere, 330. Invocatione non contemptibili Eucharistiam facere, 146. Christus suum corpus et sanguinem obtulit, 105. Sacrificium Patri seipsum primus obtulit, 109. In sui commemorationem fieri præcepit, ut ipse Patri offerretur, 109. Eucharistiam indignis dare est sanctum Domini corpus profanare, 20. Domini corpus inquinatis manibus accipere, 188. Ore polluto sanguinem Domini bibere, *ibid.* Ad sanctum Domini sordidis manibus accedunt, 186. Exhalantibus scelus faucibus Domini corpus invadunt, 186. Vis infertur corpori et sanguini Domini, *ibid.* Plus in Dominum manibus et ore delinquunt quam eum eum negaverunt, *ibid.* Vide *Lapsi*. In corpore violato Eucharistia non permansit, 189. Tanta est potestas Domini, tanta majestas, 189. In Eucharistia corpus et sanguis Domini, ex. Cinis pro Eucharistia in manibus hominis qui negaverat, 189. Dominus discedit cum negatur, *ibid.* Eucharistia gestata in manu, 189, 251, 341.

Digitized by Google

Dextra quæ Domini corpus acceplt, ipsum complectatur, 93. Sanctum Domini in arca reconditur ad domesticas communiones, 189. Firmilianus indignatur quod non baptizati contingant corpus et sanguinem Domini, 149. Quam caute procedere debeant qui corpus Christi secum ferunt, 341. Eucharistia quotidie percipitur, 99. Eucharistiam quotidie accipimus, 209. Eucharistia apud hæreticos fieri non potest, 125.

In Eucharistia sanguis Christi, 108. Vini mentio ut Domini sanguis intelligatur, 106. Si vinum tantum quis offerat, sanguis Christi incipit esse sine nobis, 108. Si aqua sit sola, plebs incipit esse sine Christo, *ibid.* Sanguis Christi non offertur, si vinum desit calici, 107. Non potest videri sanguis Christi esse in calice, quando vinum desit calici, 104. Vino Christi sanguis ostenditur, 104. Vinum Christus sanguinem suum dixit, 107. Aqua sola non potest exprimere Christi sanguinem, 107. Sanguinem Christi non possemus bibere, nisi Christus calcatus prius fuisset, 106. Redolere per saporem vini sanguinem Christi, 109. Sanguinem propter Christum fundere non possumus, si sanguinem Christi erubescimus bibere, 109.

Eucharistiæ effectus, 107. Epotato sanguine Christi exponitur memoria veteris hominis, 107. Dandus Christi sanguis pœnitentibus, ut suum pro Christo fundant, 78. Fideles quotidie bibunt sanguinem Christi, ut pro Christo sanguinem fundant, 90. Idoneus non est ad martyrium quem non accepta Eucharistia erigit, 78. Eucharistia accipientibus tutela, 77. Ora post corpus et sanguinem Domini idolorum reliquias respuerunt, 181. Sanctificata ora cœlestibus cibis, 181. Eucharistia accipienda cum timore, 326. Oramus ne intercedente aliquo graviore delicto abstenti a Christi corpore separemur, 209. Eucharistia non prodest indignis, 190. Christus eorum panis qui corpus ejus contingunt, 209. Panis noster Christus, 209, 210. Unanimitatem christianam ipsa etiam dominica sacrificia declarant, 108, 153. Eucharistia nihil prodest sine operibus, 314. Eucharistia est unde baptizati unguntur, 125.

Eucharius episcopus, 101. Euchratius a Thenis, 333.

Eugenius ab Ammedera, 334.

Eutycianus episcopus, 124, 163.

Exaltationis contentio non potest esse apud Christianos, 258.

Examinandum est per multos quod per multos commissum est, 44.

Exarmatur fides populi, 86.

Excessus, 8.

Excitari de presbyterio, 64.

Exempla fiunt quæ facinora esse destiterunt, 4. Exemplum constituere in posterum, 39.

Exerrans a via veri itineris, 202.

Exitus gloriosæ mortis, 50.

Exomologesis, 19, 20, 21, 22, 23, 24, 30, 75, 103, 186, 190, 191, 328. Secundum disciplinæ ordinem ad exomologesin venitur, 19, 21. Daniel post innocentiæ gratiam facit exomologesin, 191.

Exorcistarum potestas, 157. Exorcistæ cujusdam laus, 146. Exoreismorum vis, 3, 221, 222. Exorcizare dæmonia, 340.

Expeditionis dies, 203.

Exploratio disciplinæ, 68. Exploratio Dei, 111.

Expungere necessitates fratrum, 51.

Expugnator domesticus, 184.

Extollentiam diligere, 201.

Extorris, 23, 24, 27, 28, 29, 52. Extorres et profugi, 70. Extorres bonis omnibus spoliati, 25. Extorris cathedræ et plebis, 63.

Exsultantia in sensu, 160.

F

Fabianus nobilissimæ vir memoriæ, 43. Fabianus papa, 84. Fabiani papæ excessus, 43. Fabianus episcopus Romanus, 152. Fabiani locus, id est, Petri cathedra, 68.

Fabula græcæ libidinis, 340. Fabulis studentibus, 1.

Facies incorrupta, 179.

Facilitate sua molestus, 32.

Facinoris veritas dolore corporis exprimitur, 220.

Factio hæreticæ pravitatis, 63. Factio discrepans, 57.

Factura Dei adulterari non debet, 178.

Facultas transcriptionis, 45.

Facundia venenata, 95.

Fallacia odiosa fidelibus, 271. Fallacia cæca et latebrosa, 195.

Falsarii, 219, 257.

Fames æterna, 101.

Fasces duodecim consulum, 25.

Fatiscentis anni induciæ, 1

Tria fata, 29.

Favorinus acolythus, 39.

Faustinus episcopus, 77. Faustinus Lugdunensis, 115.

Faustus episcopus, 117. Faustus a Timida regia, 336.

Faces ad inflammandam fidem, 36.

Febris dedicata, 226.

Felicianus acolythus, 84.

Felicissimus schismaticus, 51, 52, 79, 83, 87. Minatur secum in morte non communicaturos, qui obtemperaverint Cypriano, 51. Presbyterium ejus 57. Quinque presbyteri ei copulati, 52. Abstentus a Cypriano, 51. Satelles Novati, 63. Fustes et gladios et lapides minatur, 80. Dedum abstentus a plurimis episcopis, 79. Romam venit, sed ab Ecclesia pellitur; ejus scelera, 79, 80. Pars Felicissimi nec de sacrificatis, nec de hæreticis, 25. Episcopos potest colligere, 85. Plures sunt qui adfuerunt judicio schismaticorum, quam qui eos sequuntur, 87.

Felicissimus catholicus, 165.

Felix episcopus, 76, 77, 117, 124. Felix de Cæsaraugusta, 119. Felix in metallo constitutus, 138, 161, 163. Felix a Bagai, 332. Ab Uthina, 333. A Marazana, 335. A Bussacenis, 336. A Gurgitibus, 337. Ab Amaccora, 334. Felix presbyter, 27, 117. Felix schismaticus, 84.

Femina fortior viris torquentibus, 175. Feminarum christianarum laus, 164. Jussit Deus ut in Ecclesia cum feminis triumphemus, *ibid.* Jubet ut privatim pugnas feminæ caveamus, *ibid.*

Feris corpus objicitur, 350. Feræ religione superatæ, 343. Feræ parcunt, 211. Fera rabida nutritur in pœnam hominis, 341.

Fides sunt filii Abrahæ, 105. Fidelem debere esse innocentem, 317. Fidelis cur emendetur, 320. Fidelis non debet vivere gentiliter, 316.

Fides nostra debet esse simplex, 319. Fidei prima lineamenta, 274. Fidei majestas, 43. Fidei et veritatis unanimitas, 143. Fides una est, 151. Fidei unitas de Deo Patre et de Jesu Christi traditione veniens, 139. Secundum fidei merita tantum quisque accipit, quantum se credat accipere, 268. Deus sanguinem nostrum non desiderat, sed fidem quærit, 234. Fides multum prodest, 317. Fidei robur immobile, 80. Fides invicta, 76. Fidei vigor sincerus, 26. Fides Christi tenenda, 37. Non perveniri potest ad Deum Patrem nisi per Filium ejus Christum, 295, 314. Populus ex Ægypto non evasit nisi sanguine et signo agni, 223. Solus evadet in fine mundi quisquis in sanguine et signo Christi inventus fuerit, 123. Apud schismaticos fides sana esse non potest, 362. Fides apud hæreticos sana esse non potest, 360. Fidei et perfidiæ nulla potest esse societas, 89. Fidem recuperare, 27. Fides jacens et pene dormiens, 182. Fides scabra, 358. Fides caduca accipientis, 268. Fides certa futurorum, 273. Fide mundantur corda, 360.

Fidendum in Deo solo, 306. Fidentium robur, 72.

Fiducia in quæstione, 208.

Fidus episcopus, 97.

Figmenta terrena, 248.

Filiorum amor, 109. Filii bene tractandi a patribus, 324. Filios non decet esse degeneres, 247. Filius læsi patris injuriam vindicat, 135. Filii mali pœnitentis descriptio, 73. Filii Ecclesiæ, 54.

Filius Dei. Vide *Christus*.

Filii Dei nuncupamur, 207. Filii Dei facti per Christum, 225. Filii Dei qui sint, 248, 261. Filii Dei debent esse pacifici, 203.

Finis sæculi appropinquans, 200.

Firmilianus episcopus Cæsareæ Cappadociæ, 142. Cypriani scripta quasi propria suscipit, 143. Ejus studium et amor unitatis, 143, 150, 151. Contumeliose dicta in Stephanum, 148, 149, 150, 151. Cypriano rescripsit annis fere viginti et duobus post Alexandrum imperatorem, 146.

Firmus martyr, 30.

Fisco vindicata bona Christianorum, 166. Fiscus invadit, 243. Fiscus tenet possessiones extorrium, 27.

Flagra spiritalia, 221.

Flamma jugis, 218.

Flammei capilli, 178.

Flora meretrix, 226.

Florentius Pupianus, 121.

Floridiorum ministerium, 29.

Florus, 76.

Flumina quatuor, id est quatuor Evangelia, 132.

Fluxu sanguinis mundus intremuit, 332.

Fœnerari non licet, 318. Fœnera Deo patrimonium tuum, 176.

Fons signatus, 152. Fons Ecclesiæ signatus, 150. Fons vix modico sudore distillat, 217.

Forma fucata in feminis, 182.

Formidolositas, 346.

Fornicatio grave delictum, 323.

Digitized by Google

Fortunata martyr, 30.
Fortunatianus episcopus, 110.
Fortunatus episcopus, 55, 59, 76, 77, 117, 124. Fortunatus, 110, 261. Fortunatus a Tuchabori, 332. Fortunatus presbyter, 11. Fortunatus schismaticus, 83, 87. Fortunatus hypodiaconus, 39, 40.
Fortunio martyr, 30.
Fori vitia, 4.
Frangere virum in feminam, 4.
Fraternitas rupta, 52. Fraternitatis vinculum charitas, 251. Fratrem non circumveniendum, 326.
Fraus mortale crimen est, 251. Fraudibus involuti, 86. Fraudatores et mœchi, 74.
Frendentes minæ populi, 351.
Frondea tecta, 1.
Fructus martyr, 30.
Fruges boni operis, 55.
Frumentum esse possumus, 65.
Fuci adulterini, 178.
Fugiendum in persecutione, 184. Relinquenda patria et patrimonium, *ibid.* Fugæ Christianorum in persecutione, 140. Fuga in persecutione laudata, 78. Non minor eorum gloria qui in fuga pereunt, 91. Fugam horrere non debent qui a grege interim necessitate temporis corpore, non spiritu separantur, 91. De clericis qui in persecutione recesserunt, 39. Pœna illis imposita, *ibid.*
Funus tuum portare cœpisti, 194.
Furiatæ mentis odium, 258.
Furni, 336. Furnitana plebs, 114.
Furor insanabilis, 111.
Furta spiritalia, 110.
Fustibus cæsi, 159. Fustibus contundere, 185.
Futurus vexillarius Privati, 41.
Futurorum fides, 189. Futurorum metum nemo cogitat, 203.

G

Gaius Diddensis, 38.
Galatia, 145.
Galea salutis, 36. Galea salutaris, 93.
Gargilius episcopus, 124.
Gaudium pectoris lacrymis exprimentes, 60. Gaudium semper properat, 46. Gaudendum cum chari nostri exeunt, 230. Gaudendum est in mortibus Christianorum, 169. Gaudebundus, 160.
Gazaufala, 337.
Gehennæ perpetuæ descriptio, 349.
Gemelli, 337.
Geminus Victor, 114. Geminius episcopus, 117. Geminius a Furnis, 336.
Gemma bibere, 5.
Genas mendacio ruboris inficere, 177.
Genealogia equorum, 341.
Gentium vocatio prædicta, 227. Gentium conversio ad Christum, 106, 108. Gentilium infelicitas, 78, 222, 316. Gentiliter vivere, 67, 71, 78, 316. Gentilium conditio alia a Judæorum ratione, 134. Gentes magis in Christum credituræ, 281. Gentes magis pervenient ad regnum cœlorum quam Judæi, 282. Gentiles Deum patrem agnoscunt, 333. Gentiles sæpe contemnunt dolores, 170. Gentilium matrimonia vetita, 323.
Generis sublimitas, 48.
Germaniciana, 333.
Gestus turpes et molles, 101.
Getulicus, 31.
Girba, 331.
Gladius spiritalis, 103. Gladius spiritus, 36. Gladii subvertendæ veritatis, 130.
Gladiatorum infelicitas, 241.
Gleba sterilis, 218.
Glomeratim, 9.
Gloriandum in nullo, 303. Gloriandum in solo Deo, 306. Gloriarum sublime fastigium, 158. Gloriarum vestigia, 23. Gloriæ cœlestis cupiditas, 43. Gloriam vestram nostram computamus, 54. Gloria gemina, 160.
Glutinum concordiæ, 202. Glutinum concordiæ mutuæ, 116. Glutinum cohærentium sacerdotum, 124.
Gomor a singulis æqualiter colligebatur, 157.
Gor, 334.
Gordius presbyter, 11.
Gracilia fratrum corda, 53.
Græca certamina, 340. Græcæ libidinis fabula, 310. Græcorum regnum, 226.
Grana multa panem unum faciunt, 108. Grana pretiosa ex auribus dependentia, 177. Grana fortia contemnunt ventos, 232. Granorum multorum adunatio, 153.
Gratiarum actiones nec in persecutione cessaverunt, 181.
Gratia cœlestis et spiritalis, 266. Gratia dominica, id est baptismus, 136, 157, 158. Gratiæ maturantis compendium, 2. Gratiæ consummatio, 149. Gratia et veritas una, 126. Gratiæ spiritalis nativitas, 206. Gratia Dei gratuita, 327. Deus non accipit personam nec ætatem, sed omnibus ad gratiæ consecutionem se præbet patrem, 98. Cœlestis gratia sine acceptione personæ, 157. Gratia pro ætate major aut minor non tribuitur, 98. Spiritus sanctus non de mensura, sed de pietate atque indulgentia paterna æqualis omnibus præbetur, 99. Gratuitum de Deo munus et facile, 6. Conversio cordis possibilis non videbatur Cypriano, 2. Quomodo mutatus? *ibid.* Gratiæ spiritalis nativitate reparati filii Dei esse cœperunt, 206. Surdi auditum gratiæ spiritalis admiserunt, 194. Cæci oculos ad Deum aperuerunt, *ibid.* Nihil adversum nos potest diabolus nisi Deus ante permiserit, 212. Major Dominus ad protegendum quam diabolus ad impugnandum, 262, 267. Major est qui in nobis est, quam qui in hoc mundo, 16. Non plus potest plaga terrena quam tutela divina, *ibid.* Inexpugnabilem fidem plagæ superare non potuerunt, *ibid.* Non plus valent humana conamina quam divina tutela, 88. Nihil potest separare credentes et Christo firmiter adhærentes, 15. Numquam in probationibus auxilium credentibus defuit, *ibid.* Vinci non potest virtus ad prælium prompta, 273. Vide 197. Manet tamen propriæ libertatis arbitrium, *ibid.* Adhærens Christo vincit diabolum, quia Christus invictus est, 262. Schismatici Domino adjuvante per ejus misericordiam regredi possunt, 64. Difficile non est Deo inspirare confessori constantiam, 268. Gratiæ vis in martyribus, 17. Martyrium ex alto tribuitur, 352. Totum est Dominicæ promissionis et muneris, *ibid.* Divina dignatione contingit, 35, 233. Non periculum considerandum, sed Dei auxilium, 268. Christo victoria debetur et pugna, 344. Victoria datur a Deo, 79. Deus victores sua dignatione facit, 162, 185. Maculam pristinam assistente sibi Domino potiore virtute deleverunt, 28. De dono Dei virginitas, 111. Deus offert quæ nefas fuerat optare, 349. Tantum quisque tentatur, quantum potest sustinere, 326. Deus remunerat in nobis quidquid ipse præstitit, 160. Honorat quod ipse fecit, *ibid.* Non perit nisi quem constat esse periturum, 64. Nemo sibi aliquid assumat, 212. Nemo confessionis aut passionis gloriam suam ducat, *ibid.* Totum Deo dandum, *ibid.* Quis ei de sæculo metus est, cui Deus in sæculo tutor est? *ibid.* Christi est virtus qua repugnamus, 345. Nostrum nihil est, 305. Omnis nostra observatio ad Deum convertatur, 212. Spiritum et veritatem de Christi sanctificatione accepimus, 204. Quales nos fecit Deus in secunda nativitate, tales vult renatos perseverare, 211. Nemo suis viribus fortis est, 208. Deo quis obsistit quominus quod vult faciat? 208. Petimus ut nomen Dei sanctificetur in nobis, 207. Ut sanctificatio et vivificatio in nobis Dei protectione servetur, 207. Ut fiat in nobis voluntas Dei, 208. Ut Dei voluntas fiat in corpore et spiritu, 209. Ut in illis non credentibus fiat voluntas Dei, *ibid.* Ut facere possimus quod Deus vult, 208. In nobis per fidem nostram voluntas Dei facta est, ut essemus e cœlo, 209. Opus est Dei voluntate ut fiat in nobis voluntas Dei, 208. Sanctificatio nobis de Dei dignatione confertur, 207. Petimus ut in eo quod esse cœpimus perseveremus, 207. Plus est quod adeptus es posse servare, *ibid.* Fides et nativitas salutaris non accepta, sed custodita vivificat, *ibid.* Recedente a Salomone et Saule disciplina Dominica, recessit et gratia, *ibid.*
Gravitas sacerdotalis, 56.
Gremia sua, 309.
Gregis Domini corpus, 58. Gregem custodit vice pastoris Romanus clerus, 7. Grex unus pascitur ab universis episcopis, 116. Gregem Christi lacerare, 70.
Gubernator navis in tempestate dinoscitur, 232.
Gurgites, 337.

H

Habitacula penes patrem multa, 351.
Hadrumetina colonia, 59.
Hæreditas est in tuto quæ Deo custode servatur, 243.
Hæreses et schismata, 198. Hæreticæ pravitatis factio, 63. Hæresum et schismatum venenata pernicies, 199. Hæreticæ pravitatis obstinatio, 61. Hæreticæ noctis tenebræ, 150. Hæretica tentatio, 57. Hæreticæ pestes, 138. Hæreses unde ortæ, 82, 122, 197, 198. Hæreses ex contemptu sacerdotum oriuntur, 82, 115, 122. Quia ad veritatis originem non reditur, 194. Ex livore et invidia, 257. Venienti ab hæresi manus imponitur ut accipiat Spiritum sanctum et signetur, 131. Manus imponitur in pœnitentiam, 138, 139.

Digitized by Google

Ita factum sub Apostolis, 127. Hæresim amplexi presbyteri et diaconi redeuntes laici communicant, 120. Hæreses prædictæ, 200, 326. Permittit hæreses Deus, ut probatorum fides elucescat, 197. Hæresis non Deo, sed diabolo generat, 197. Parit et exponit, 147. Non est sponsa Christi, 140. Confessio in hæresi prodesse non potest, 361, 362, 363.

Hæretici a semetipsis damnati, 52, 64, 132, 153, 206. Hæreticos facit impatientia, 255. Hæreticorum ineptiæ, 83, 138, 145, 151, 155, 331. Corruptores Evangelii falsa interpretatione, 198. Hostes veritatis, 335. Hæreticorum est calumnias nectere adversus Ecclesiam, 353. Hæreticorum mos, 113. Hæreticorum præpositi falsi sunt Christiani, 350. Hæreticorum pravitatem detestati sunt Apostoli, 133. Non habent nec Patrem nec Filium nec Spiritum sanctum, 331. Eucharistiam facere posse hæreticos negatur, 330. Non habent potestatem solvendi aut ligandi, 333. Nullam habent potestatem, 145, 151. Nihil habent, 336. Spes nulla, fides falsa apud hæreticos, 330. Pejores ethnicis, 334. Fatentur adversarii Cypriani universos hæreticos non habere nec dare posse Spiritum sanctum, 139, 155. Stephanus confitetur Spiritum sanctum apud hæreticos non esse, 145. Nulla differentia inter pseudoprophetam et hæreticum, 145. Omnes hæretici et schismatici, nullo excepto, adversarii sunt Christi, 152. Omnes antichristi, *ibid.* Soboles antichristi, 333. Adversarii sunt et antichristi, 138. Hostes Christi, 331. Non sunt Christiani, 335. Hæretici phantasmata ignoti Dei sibi fingentes, 144. Hæreticorum in blasphemando Creatore consensus, 144.

Hæretici vitandi, 200, 325. Ave non dicendum, 337. In domum nostram privatam admitti non debent, 337. Æmuli sacerdotum, 198. Non colliguntur in nomine Christi, 198. Sacrificia celebrare se credunt, 198. Hæretico ordinare aut manum imponere non licet, 145. Se ultro præciunt, 197. Eorum sacerdotium non est a divina dispositione, 197. Episcopi nemine episcopatum dante, 19, *ibid.* Non prodest ad salutem hæretico baptisma sanguinis, 75, 136. Martyres hæretici esse non possunt, 199. Martyrium in hæreticis non corona fidei, sed pœna perfidiæ, *ibid.* Extra Ecclesiam occisus non coronatur, 201. Hæreticus non potest donari honore martyrii, 361, 363. Miracula etiamsi faciant hæretici, nihil eis proderit, 199. Ab hæreticis virtutes fiunt in nomine Jesu, 362. Prophetiæ donum nihil prosit hæreticis, 199. Non idcirco aliquid non faciendum, quia fit ab hæreticis, 150.

Heliam Achab conatur opprimere, 269. Helias pastus a vidua paupere, 242. Helias auriga Israel, 339, 340. In solitudine pascitur, 240. Christi typum gerens, 241.
Helisæus vivificat infantem viduæ, 98.
Helcana habuit uxores duas, 281.
Henoch incircumcisus, 277.
Herculaneus episcopus, 77, 51, 52, 124.
Hercules concrematur, 223.
Herena martyr, 30.
Herennius martyr, 30.
Herennianus hypodiaconus, 161, 162, 163.
Hermes Trismegistus, 226.
Hiatu soli civitates devoratæ, 146.
Hibernum, 25.
Hiems persecutionis, 25.
Hippocrates, 156.
Hippone Diarrhytorum, 337.
Hippone regium, 332.
Histrio artem suam docens, 101. Ad communionem admitti non debet, *ibid.* Histrionici gestus, 4.
Homicidium mortale crimen est, 251. Homicidii reus est qui fratrem suum odit, 258. Homicidium cum admittunt singuli crimen est, 3.
Homo Deo non potest esse major, 187. Hominem stare nec moveri, 331. Homo libertati suæ relictus, 83. Homo novus renatus, 206. Homo in muliebrem mollitiem dissolutus, 341. Homines a Deo tentantur ut probentur, 309. Homines insidiantur et sæviunt, 211.
Honoratus episcopus, 77, 99, 117, 124. Honoratus a Thucca, 337.
Honora patrem et matrem, 135. Honor geminatus, 96. Honor ecclesiasticus, 47. Honor cathedræ sacerdotalis, 130.
Horarum spatia, 342. Hora tertia, sexta, et nona, 214, 215.
Horrea Cœliæ, 336.
Horrea clauduntur in terris, 219.
Hortensianus episcopus, 77, 124. Hortensianus a Laribus, 332.
Hortus conclusus, 152. Horti Cypriani, 166.
Hostanis sententia de forma Dei, 226.
Hostia munda, 168. Hostiæ dominicæ veritas, 200. Hostia fit homo latrocinio sacerdotis, 340. Hostiarum pusta, 220.
Hostilius invenit Pavorem et Pallorem, 226.
Hostis altaris, 200. Hostis exsurgit, 219. Hostes veritatis, 36.
Humilitas in omnibus tenenda, 303. Humilitas commendatur, 10, 11, 12. Humilitatis ac patientiæ exemplum, 113. Humilitatis magister Christus, 91.
Hyginus nonus in Urbe episcopus, 138.

J

Jacens stantibus celsior, 47.
Jacob fugatur a fratre, 269.
Jactatio delicata, 252.
Jader in metallo constitutus, 158, 163, 335.
Jambus episcopus, 77, 117. Jambus a Germaniciana, 333.
Januarius episcopus, 99, 117, 124. Januarius a Lambese, 331. Januarius a Vice Cæsaris, 333. Januarius Muzulensis, 334.
Januarius mensis institutus est, 225.
Januaria, 31.
Janus excepit Saturnum fugatum, 223.
Janiculum unde dictum, 223.
Iconium, 145, 149.
Ictus agonis, 165.
Idæa mater deorum, 226.
Idololatria ludorum omnium mater, 340. Idololatris non facile ignoscit Deus, 263, 264.
Idola derelicta per adventum Christi, 194. Idola dii non sunt, 262. Idola quæ gentiles deos putant, 321. Idola adjurantur et flagellantur a Christianis, 221.
Jejunia commendata, 96. Jejuniis promereri Deum, 191. Jejunium Christi, 249.
Ignis æternus, 345, 346. Tormenta inferni nec requiem nec finem habebunt, 224. Servabuntur cum corporibus suis animæ cruciatibus infinitis, 224. Malos excedentes æterna flamma torquet, 233. Ad pœnam rapiuntur, *ibid.* Ad secundam mortem de hac morte transeunt, *ibid.* Paleæ igne inextinguibili comburuntur, 25. Supplicia æterna, 86, 89, 94. Carcer æternus, 218. Jugis flamma et pœna perpetua, *ibid.* Ignis absumet veritatis inimicos, 346. Ignes supplicorum, 349. Ignis antecedens in die judicii, 366. Ignis apparet super aquam in baptismate, 365.
Ignosci potest simpliciter erranti, 133. Qui perseverat prudens et sciens sine venia ignorantiæ peccat, *ibid.*
Illecebra sæcularis, 15.
Immolatio pereuntium, 189. Immolasti salutem tuam, 184.
Immortalitas cogitanda, 166. Immortalitate quomodo potiri possumus, 193. Immortalitas gloriosæ mortis, 50. Immortalitates martyrum, 35. Immortalitatem Deus pollicetur, 230, 235, 237.
Impetus consenescens, 41.
Inaudientia, 39.
Incestæ conjunctiones, 103. Incestæ turpitudinis sapientia, 4.
Indulgentia et privilegium societatis, 40. Indulgentiæ privilegium, 40. Indulgentia Ecclesiæ, 136. Indulgentia Domini, 26. Indulgentia divina, 43. Indulgentiæ divinæ gratia, 131. Indulgentia pœnitentibus non neganda, 73. Indulgentiæ medicina, 43. Indulgentia salutaris datur credenti, 224. Indulgentiam pœnitentibus Dominus pollicetur, 72, 73. Indulgentia de Deo petitur, 211. Indulgentia humana, 118.
Indumentum Christi, 191, 192, 193, 196.
Inertiæ veteris somnus, 203.
Infantes in primo ortu plorantes nihil aliud faciunt quam deprecantur, 99. Infantes nascentes incipiunt a lacrymis, 250. Infantes puellæ ad sacrificia deferebantur, 189. Apud idolum panis mero mixtus qui de immolatione supererat infantibus tradebatur, 189. Infantes parentum manibus impositi vel attracti ad simulacra, 184. Amiserunt quod in primo nativitatis exordio fuerant consecuti, *ibid.* Eorum querelæ in die judicii de parentibus parricidis, *ibid.* Parentes parricidæ qui infantes ad sacrificia trahunt; 184. Infantium baptisma, 98. Infantium martyrium, 92.
Infirmorum cura commendatur, 49. Infirmis in exitu subveniendum, 76, 77. Infirmi visitandi, 328.
Infulæ honorum, 6.
Inhumanitas culpanda in episcopis, 70.
Inimicus metuendus cum latenter obrepit, 193. Inimici diligendi, 319.
Initiare confessionis primordia, 159.
Injuriam patiuntur qui facere se credunt, 83. Injuriam beneficium vocant, 186. Injuria omnis contemnenda, 252. Injuriæ remittendæ, 314.
Innocens nemo est, 203. Innocentes in ordine sanctorum primum habent locum, xcii. Innocentiæ custos timor, 2.
Inosculatio, 103.

Digitized by Google

Institutionis ecclesiasticæ sanctitas, 56.
Intercepta pœnitentiæ lamentatio, 186.
Interrogatio in baptismo, 114, 125, 146.
Internecinum baptisma, 365.
Invidiæ impetus, 32. Invidia grassatur in terris, 236.
Invidus est sui inimicus, 258.
Invocatio nominis Jesu Christi, 338, 361.
Junius episcopus, 77.
Joannis baptisma, 145. Accepit Spiritum sanctum antequam Jesum baptizaret, 155. Baptisma spiritale futurum annuntiabat, 334. Sanctificatus in utero matris, 365.
Job, 187, 231, 233. Job ad summum fastigium laudis provectus, 253.
Joseph venundatus a fratribus, 230, 257, 269. Typus Christi, 281.
Jovinus schismaticus, 84.
Irenæus ab Ululis, 336.
Irenes Rutilorum, 52.
Isaac typus Christi, 281. Ad hostiæ dominicæ similitudinem præfiguratus, 250.
Jubaianus episcopus, 129, 329, 331.
Judas Dominum prodidit, 143, 202. Judam proditorem Christus sustinuit, 249.
Judæi a Deo recesserunt, 274, 276. Prophetas interfecerunt, 276. Christum, 206, 208. Habent zelum Dei, 148. Judæis primum erat apud Deum gratia, 227. Quod intelligere non potuerunt, delictorum meritum fuit, 228. Cæcitate multati ut vitam haberent ante oculos nec viderent, 228. Gratiam sibi datam perdiderunt, 227. Gratiam omnem amiserunt, 282. Deseruerunt lumen, 215. Scripturas intelligere non possunt nisi credant in Christum, 277. Veniam non possunt accipere, nisi baptizentur, 285. Hierusalem perditurus prædictum, 277. Lumen Domini amissuros, *ibid.* Judæos colligere voluit Christus, 249. Judæi Christum non cognituri, 276. Judæorum sacerdotes crucifixo Domino nihil de sacerdotali honore et auctoritate retinebant, 81. Falsi eorum sacerdotes, 113. Judæi duplicem Christi adventum non distinxerunt, 228. Jam non possunt Deum patrem vocare, 206. Judæi apud Christianos potaturi, 106. Gratiam consecuturi, 106. Non recipiunt nisi veteres Scripturas, 362. De iis qui Judæis deficientibus steterunt et certarunt, 120. Judæorum populus frequentius adversus Deum murmuravit, 232. Profanos deos postulant, 253. Judæorum antiquissima consuetudo, 149. Judaicus populus ad umbram nostri præfiguratus, 266. Judæorum baptismus, 147.
Judex sententiam vendit, 5. Judicandum non est temere, 313. Qui de aliis judicas, aliquando esto et tui judex, 219. Judex gentilis non adeundus, 318.
Judicium Dei justum, quia serum, 248. Judicii dies, 93. Judicium extremum, 187. In judiciis ecclesiasticis crimina probantur a gravibus viris, 51. Persecutio non sivit ut de sceleribus Novati sententia ferretur, 64. Urgentibus fratribus imminebat cognitionis dies, 64. Statutum ab omnibus ut causa illic audiatur, ubi crimen est admissum, 86. Illic causa agenda, ubi accusatores et testes haberi possunt, 86. Privatus a nonaginta Episcopis damnatur, iterum causam agere vult in concilio, sed non admittitur, 84. Jovinus et Maximus a novem Episcopis damnati, iterum damnantur in concilio Carthaginensi, 84.
Jugum vetus et jugum novum, 279.
Julia martyr, 30.
Julianus a Marcelliana, 336. A Telepte, *ibid.*
Junius episcopus, 124. Junius a Neapoli, 338.
Juno Argiva, 226.
Jupiter Creticus, 226. Jovis amores, 4. Jovis antrum in Creta visitur, 225.
Jurare non oportet, 308. Jurare non licet, 230.
Jura consensere peccatis, 5.
Justitia recedente recedit et corona, 201. Justitia opus est ut promereri quis possit Deum, 199. Justi vocantur ad refrigerium, 233. Quisquis Deo credidit et fide vivit justus invenitur, 103.

L

Laborantes, id est pauperes, 49, 101.
Lælius diaconus Emeritensis, 117.
Lætitia non potest ferre moras, 46.
Laica communio, 119, 128. Laici stantes, 36, 43, 67.
Lamusba, 337.
Lambese, 331.
Lana agni per quem redempti sumus, 262. Lanas colorare non docuit Deus, 177.
Laomedonti muros instituit Neptunus, 225.
Lapides coluntur, 220.
Lapsi in suspenso dum episcopus datur, 29, 43, 48. Lapsis medela quæritur in conciliis, 144. Lapsorum causa in concilio judicatur, 55. De lapsis deliberatio cum pluribus coepiscopis, 22, 23, 24, 27, 28, 36, 39. Cypriano convenit de lapsorum causa differenda cum episcopis universis suæ provinciæ et trans mare, 55. Multi episcopi rescribunt Cypriano de lapsorum causa ad concilium differenda, 27. Facilitas nimia lapsis solatium adimit æternæ spei, 186. Quomodo pacem petere debeant, 44. Pacem petant, sed hoc totum in sacramento, *ibid.* Lapsis in exitu pax concessa, 45. Quibus conditionibus? *ibid.* Deus scit quid de talibus faciat, *ibid.* Lapsi non desereudi, 8. Si agant pœnitentiam, periculose ægrotantibus subveniendum, *ibid.*, 69, 77. Non aufertur si evaserint, 69. Lapsis qui libellos a martyribus acceperunt, et prærogativa eorum apud Deum adjuvari possunt, urgente exitu, pax danda, 22, 23, 24. Lapsi a quinque presbyteris corrupti, 52. Quidam pacem non petunt, sed sibi vindicant, 40. In cœlo jam se illam habere dicunt, *ibid.* Dicunt Paulum omnibus pacem dedisse, *ibid.* Quorumdam convicia in episcopos, in confessores, in virgines, 85. Minatur Cyprianus, nisi quiescant, 40. Impetus in præpositos per multitudinem factus, 31 et 32. Præpositi minus fortes pacem dare coacti sunt, 32. Lapsi quidam nomine Ecclesiæ scribere audent ad Cyprianum, 38. De causa lapsorum diu multumque in concilio Carthaginensi deliberatum, 66. In causa de lapsis concilium Carthaginense temperamentum salubri moderatione librayit, 67. In causa lapsorum Scripturæ ex utraque parte libratæ, 67. Causæ et voluntates et necessitates singulorum examinatæ, *ibid.* Singula placitorum capita libello conscripta, *ibid.* Statutum in concilio ut lapsi agerent diu pœnitentiam plenam, 77. Concilium Cornelii idem statuit ac Africanum, 68. Cornelius necessitati succubuit in colligendis lapsis, 69. Sic fecerunt antecessores nostri, ait Cyprianus, 69. Lapsorum saluti non adulatione, sed sincera fide consulendum, 38. Supplicia subita nonnullorum qui Christum negaverant, 189. Qui pœnitentiam criminis tollunt, viam satisfactionis claudunt, 192. Persecutione ipsa pejus interficiunt, *ibid.* Aliud persecutionis genus nimia indulgentia, 186. Dominus cito non placatur his qui negaverunt, 192. Qui communicant cum lapsis non pœnitentibus, nocentium contactibus pollnuntur, 120. Ira Dei est non intelligere delicta ne sequatur pœnitentia, 85. Pœnitentiæ remedium intercipere, non curare est, sed occidere 43. Cumulat crimen qui irascitur sacerdoti vulnus curanti, 188. Sacerdotes vulnera sentiunt, quæ ii si lapsi non sentiunt, 188. Lacrymas fundunt pro lapsis, *ibid.* Modus sanandorum animæ vulnerum, 186. Æger impatiens gratias aget cum senserit sanitatem, *ibid.* Qui peccanti adulatur, peccata nutrit, 185. Qui redarguit promovet ad salutem, *ibid.* Non desistendum lapsorum animas curare, quamvis respuant medicinam, 41. Gaudebunt postea ad fidelem dilatos se esse medicinam, 41. Danda non sunt ægris quæ sanorum sunt, 37. In secretis cordis novellandus et consecrandus est animus, 37. Obest lapsis qui peccata dimittit contra Domini præceptum, 187. Non debent operiri morientium vulnera, 186. De iis qui lapsos armant ad periculum proprium, 41. De ipsa mora magis consulitur lapsis, 37. De tarditate remedia præstantur, *ibid.* Qui lapsis plausibiles esse cupiunt, magis obsunt, 18, 20. Adversus eos qui lapsos mendacio captiosæ vocis invitant, 53, 54. Quidam episcopi deificam disciplinam negligunt, et cum lapsis episcopis communicant, 120. Schismatici manibus lapsorum adhuc fumantibus communionem dederunt, 85. Injuriosi in episcopum presbyteri qui lapsis eo inconsulto pacem dederunt, 19, 20, 21. Curandum ut nec improbi facilitatem pronam laudent, nec vere pœnitentes crudelitatem accusent, 45. Vigor in improbos, lenitas in lapsos pœnitentes, 59. Justa moderatio in lapsorum causa tractanda, 66. Censura et medicina, *ibid.* Nec duri nec soluti esse debent episcopi in lapsis curandis, 71. Sic censura vigoris exhibenda peccatoribus ut medicina non denegetur, 113. Omnibus pœnitentibus pœnitentiæ fructus concedendus, 75. Lapsorum pœnitentia non respuenda, ne cum uxore et liberis in hæresim vel schisma rapiantur, 70. Lapsis pœnitentibus pacem esse dandam probatur ex Scripturis, 73, 75. In lapsos pœnitentes Dei misericordia, XI, XII. Deus omnibus pœnitentibus blanditur, 75. Lapsis mitibus et humilibus gratulatur Cyprianus, 38. Revelat el Deus quid tales servi de ejus benignitate mereantur, *ibid.* De lapsis confessores et martyres fiunt, 71. Lapsi gloriosa confessione restituti, 95. Victi primo, deinde victores in secundo prælio, 185. Lapsi in persecutione Deciana victores in sequenti, XI. Non mortui sunt, sed semianimes qui persecutione sauciati sunt, 71. Lapsis pœnitentibus dandam esse pacem Cornelius et Lucius censuere, 117. Venia petitur lapsis mulieribus quia confessores susceperant, 29. Lapsus qui extorres hospitio excipit, offert multas animas viventes quæ pro una saucia deprecentur, 70. Lapsi abluerunt omne delictum, qui iterato tenti extorres

Digitized by Google

facti sunt, 28. Pax illis reddenda, *ibid.* Variæ conditiones et causæ sacrificantium, 70. De muliere quæ dona numeravit ne sacrificaret, 29. Qui cruciatibus cessere pœnitentiam agunt, 76. Consulitur Cyprianus an iis sufficiat pœnitentia triennii ineuntis, *ibid.* Rogatur ut ea de re in concilio deliberet, *ibid.* Respondet sufficere; se tamen deliberaturum in concilio, *ibid.* Excusationem habent qui tormentis cesserunt, 185. Deprecabantur lapsi quidam et postea victores vulneribus et laceratione, 185. Lapsi promittunt Cypriano se fortiter puguaturos, 78. Spes consequendæ pacis armat ad prælium lapsos, 71. Instante persecutione pax datur iis qui a primo lapsus die pœnitentiam egerunt, 77. Causæ singulorum examinatæ, 79. Jacent sub diabolo quasi prostrati qui nondum pacem obtinuerunt, 28.

Laquearia auro resplendentia, 342.

Lares, 332.

Latium unde dictum, 225.

Latro cum Christo crucifixus, martyr, CXVII, CXXVIII. Latrones mancipi obtemperant, 122.

Latus protectum, 6.

Laudes propriæ odiosæ, 2.

LAURENTIUS martyr, 47. Laurentius papa, CXCVII.

Lavacri divini sanctificatio, 148. Lavacri vitalis sanctificatio, 173. Lavacri vitalis gratia, 189. Lavacrum salutare, 144. Lavacrum regenerationis, 139, 140, 249. Lavacra cum feminis, 191. Lavacrum carnale et sæculare, 156.

LAZARUM flevit Christus, 169.

Lectio divina, 260.

Lectoris munus ob ætatem his qui majores gradus merentur, 46, 48. Lectoribus nonnullis eadem ac presbyteris divisio mensuræ, 48. Presbyterii honor designatus, 48. Lectores Evangelium legunt, 46. Lector ordinatus a Cypriano et collegis qui aderant, 46, 47.

Legio, 117.

Leptimagnum, 337.

Leptiminus, 334.

LEUCOTHEA, 225.

Lex evangelica, 109. Legis jugum grave, 329. Inter ipsas leges docetur quidquid legibus interdicitur, 341.

LIA typus synagogæ, 281.

LIBELLATICI, 42, 67, 69. Libelli malum munus, 271. Libellorum nefariorum professio, 42. Libellatici visi sunt sibi evadere laqueos diaboli, *ibid.* Contestati sunt ad aras accessisse, licet non accesserint, *ibid.* Nefandis libellis conscientia polluta, 24. Libellaticorum conscientia polluta, 190. Libellaticus fecisse se dixit quidquid alius faciendo commisit, 190. Libellatici longe distant a sacrificatis, 70. Qui libellum accepit, errore magis quam crimine deceptus, *ibid.* Ejus manus pura, nec os pollutum, *ibid.* Flet ubi audit pollutum esse conscientiam, *ibid.* Vide, 119. Libellatici ad magistratum veniunt, vel alium mittunt, 70. Libellaticus necessitate peccavit, 74. Errore deceptus est, *ibid.* Quidam acta fecerunt, licet abessent cum fierent, *ibid.* Eorum consensu crimen a se non admissum publice legitur, 43. Videri voluerunt edictis paruisse, *ibid.* Libellaticis opponitur Eleazari exemplum, 271. Libellaticis agenda pœnitentia, 190.

Libelli a martyribus dati, 22, 23, 24. Gregatim dabantur nomine Pauli, 31. Item Aurelii, 31. Scripti erant manu Luciani, *ibid.* Libellorum millia sine examine quotidie dabantur, 24. Libellus martyrum sic factus: Communicet ille cum suis, 21. Vituperatur, *ibid.* Confessores libellos suos episcopi judicio submittunt, 20, 21, 26, 30. Martyres pacem dare non ausi, sed ad episcopum lapsos remiserunt, 41. Martyres petierunt pacem dari lapsis, quando ante mater Ecclesia pacem de Deo sumpsisset, 19, 20. Lapsi quidam libello a martyribus accepto committunt se Cypriani judicio, 38. Pauli martyris ad Lucianum verba: *Si quis pacem petierit, da in nomine meo*, 30. Vituperantur a Cypriano, 32. Quidam in martyrum beneficiis nundinas aucupantur, 20. Facilitas martyrum benigna interpretatione excusatur, 41. Conditiones apponendæ petitionibus martyrum, 187. Martyres cauti esse debent in dandis libellis, 20. Nominatim designare debent eos quibus petunt pacem, *ibid.* Eligere debent eos quorum pœnitentiam satisfactioni proximam conspiciunt, 21. Debent singulas circumstantias ponderare, 20. Presbyteri petitiones martyrum episcopo servare debent, *ibid.* Lapsi prærogativa martyrum apud Deum adjuvari possunt, 22, 23, 24. Merita martyrum pro vero pœnitente, 193. Mappalicus martyr matri suæ soli pacem dari mandavit, 31.

LIBERALIS episcopus, 59, 77, 124.

Liberatori debet obsequium liberatus, 174.

Libertatis propriæ arbitrium, 197.

LIBOSUS episcopus, 117. Libosus a Vaga, 333.

Libra Ecclesiæ gubernandæ, 115. Libram Domini con-

Liberum spiritalium volumina, 274.

templantes, 66. Librato apud nos diu consilio, 97. Librato de omnium collatione consilio, 67.

Licitum est quod publicum est, 5. Non faciendum quidquid licet, 326. Ligata in terris etiam in cœlo ligata, 77.

Lilia non desunt Ecclesiæ, 18.

Limare consilium, 22.

Lineamenta prima fidei, 274. Lineamenta nativa, 178. Lineamenta patris in sobole, 260. Lineamenta oculorum depingere, 191.

Lingua diaboli venenata, 34. Lingua confessa nomen Dei, 270. Lingua Christum confessa debet esse pura, 12.

Lites in coloribus, 341.

Litteræ vicariæ, 97, 103. Litteræ communicatoriæ, 41, 57, 59, 117. Litteræ plenissimæ, 115. Litteræ sobriæ, 28. Litteræ conspirantes, 43. Episcopum scribere oportet per clericos, 33, 165. Scribit ad alias Ecclesias episcopus romanus post ordinationem, 57. Cur litteras episcoporum, qui ordinaverant Cornelium, episcopi Afri desideraverint, 56, 57. Afri episcopi ad presbyteros et diaconos Romanos, non ad Cornelium aliquandiu scripserunt, 57. Cur hoc consilium ceperint, *ibid.* Cornelius legere solet clero et plebi epistolas Cypriani, 89. Rogat Cyprianus Cornelium, ut litteras suas fratribus legi jubeat, 57. Cyprianus jubet, ut epistola sua fratribus legatur, 15. Cyprianus mandat ut litteræ cleri Romani et confessorum fratribus et peregrinis legantur, 45. Ut omnibus fiat describendi potestas, *ibid.* Petit Cyprianus ut litteræ suæ omnibus legantur, 39. Cyprianus misit ad Cornelium nomina episcoporum integrorum et sanorum, ut sciret quibus scribere, et a quibus litteras accipere oporteret, 84. Litteras cleri Romani scripsit Novatianus, et quod scripserat sua voce recitavit. Subscripsit Moyses presbyter, 67. Litteræ in concilio lectæ, 329, 331. Jubet Cyprianus ut quicumque ad se scribunt, nomina libello subjiciant, 38. Litteræ per totum mundum missæ, 67.

Litteras imprimere docuit Saturnus, 225.

LITTERUS in metallo, constitutus, 150.

Livoris malum, 256.

Loci conditio, 9, 110, 112, 163.

LONGINUS, 55, 62.

Lorica justitiæ, 36.

LOTH uxor, 362.

LUCIANUS episcopus, 77, 124. Lucianus a Rucuma, 333. Lucianus presbyter, 126. Factus antistes Dei in carcere, 29. Lucianus post admonitionem Cypriani absurdiorem epistolam scribit, 31. Invidiam conflat Cypriano, *ibid.* Luciani epistola ad Celerinum, 30, 32. Omnibus lapsis pacem concedit, 26, 30. Lucianus acolythus, 161, 162, 163.

LUCILIANUS episcopus, 117.

LUCIUS papa de exsilio reversus, 96. Lucius episcopus, 117, 124. Lucius a Thebeste, 334. Lucius confessor simul ac sacerdos, 96. Lucius in metallo constitutus, 158, 162. Lucius a Castra Galbæ, 331. A Membresa, 336. Ab Ausafa, 337.

Luctus insignia in charorum exitu, 191. Lugendi non sunt Christiani mortui, 168, 234.

Ludorum omnium mater idololatria, 340. Ludi scenici Cereri et Libero dicati, 340. Ad avocationem populi sunt acquisiti, 340. Cruor de jugulo calidus idolo propinatur in ludis, 340. In faciem idoli jactatur, *ibid.* Gladiatorii ludi damnantur, 3.

Luminati luce gratiæ, 204.

Luna tenuatur exoletis cornibus, 217.

Lupanarium insignia, 177. Lupanaria non timentes, 253. *Luperciana*, 335.

Lupi oves a pastore secernunt, 34.

LUTEUS a Gemellis, 337.

Lux candida veræ religionis, 224.

M

MACHABÆI septem figura septem ecclesiarum, 269, 270. Machabæi martyres, 92, 346. Mater septimum filium hortatur, 271. Non credit profuturam fratrum precem ad negantis salutem, 271. Grande martyrium Deo præbet virtute oculorum, *ibid.*

MACHÆUS, 55, 62.

MACHARIUS, 29. Macharius confessor, 60, 61, 64, 65.

Maconades, 332.

Mactari, 334.

Magisteria divina, 298. Magisterium disciplinæ, 48. Magisterium obscenitatis, 341. Artis imp.dicæ, 101.

Magnalia divinæ protectionis, 96.

MAGNUS, 151.

Majestas Evangelii, 40. Majestas Ecclesiæ, 83. Majestate censuræ percussus, 115. Majestas Domini protegentis, 69. Majestas fidei, 43. Majestate angelica subnixus, 256.

Digitized by Google

Majores natu non temere accusandi, 325.
Mali bonis obesse non debent, 78. Malis vicem non reddendam, 314. Mali cum ab Ecclesia separantur gratulandum, 197. Malos offendit quisquis non imitatur, 5. Mali vitandi, 326.
Maledicere divina lex prohibet, 230. Maledicendum non est, 308. Maledicta vitanda, 12.
Mammonæ amator, 240.
Mancinus religionem tenuit, 226.
Mandata vitalia, cœlestia, 31.
Manna figura gratiæ sacramentorum, 157.
Manthanbus episcopus, 77.
Manus sordidæ, 186. Manus sacrificio pollutæ, 45. Manus captiva sacrilegio et crimini, 111. Repeti non potest, *ibid.* Manus impositio baptizatis in hæresi ad accipiendum Spiritum sanctum, 128, 131. Manus impositio ut invocetur et infundatur Spiritus sanctus, 132. Manus imposita pœnitentibus, 127. Manus impositio episcopi et cleri, 19, 20, 21, 22, 23, 24. Manibus accipere corpus Domini, 188.
Mappalicus martyr, 17, 30.
Maruzana, 333.
Marcellus episcopus, 117. Marcellus a Zama, 336.
Marcelliana, 336.
Marcianus episcopus Arelatensis conjungit se Novatiano, 115. Separat se ab omnibus episcopis, *ibid.* Multi ex fratribus sine pace excedunt, 116. Faustinus Lugdunensis episcopus semel et iterum scribit ea de re ad Cyprianum, 115. Cyprianus hortatur Stephanum ut scribat ad provinciam et ad plebem Arelatensem, 116.
Marcion Ponticus, 138. Marcionis baptismus, 130. Marcion Cerdonis discipulus, 144. Marcionis hæresis, 336. Marcion eamdem Trinitatem non tenet ac Catholici, 131, 133, Idem non sentit de Incarnatione, *ibid.* Marcion et alii hæretici sero post Apostolos, 144.
Marcus episcopus, 124. Marcus a Mactari, 334.
Mares evirantur, 4.
Margaritæ porcis non donandæ, 36. Margarita pretiosa, id est, vita æterna, 239.
Maria siccata, 343.
Maria, 31.
Maris, 31.
Marmorum crustæ, 217.
Marrutius episcopus, 77, 124.
Mars Thracius, 226.
Martialis episcopus, 117, 119.
Martialis martyr, 30.
Martyr judicis sui judex, 35. Martyrum laudes, 35, 43. Martyres Christum Dei Filium, etsi recedente sed tamen libero spiritu, confitentur, 35. Fustes initiant consessionem, 159. Gloriosi hominibus ligno redemptis, *ibid.* Vincula ornamenta sunt Christianis, 139. Tormenta martyribus infligi solita, 69. Tormenta inflicta Celerino, 47. Martyres in metallis, 159. Vinctis pedibus, *ibid.* Sine lecto et culcitris, *ibid.* Cum pane exiguo, *ibid.* Semitonso capite, *ibid.* Vestis algentibus deest, *ibid.* Sacrificia offerre non possunt, *ibid.* Martyres concremati, 49. Martyrum constantiæ descriptio, 331. Martyrum constantia in tormentis, 16. De martyrum constantia ethnicorum dicta, 347. Martyres nutantem multorum fidem martyrii sui veritate solidarunt, 26. Martyria sua exempla fecerunt, *ibid.* Martyrium non est in tua potestate, 233. Nihil felicius divina dignatione hominibus contingit quam martyrium, 35. Non potest accipi corona, nisi fuerit hora sumendi, 184. Spiritus sanctus loquitur in martyribus, 92. Christus operatur in martyrio, 345. Plus patitur ipse Christus quam qui pro eo patitur, 344. Christus pugnat et vincit in martyribus, 17. Luctatur, coronat et coronatur, *ibid.* Martyres sub oculis Domini dimicant, *ibid.* De armis ad martyrium sustinendum necessariis, 93. Non martyres Evangelium faciunt, sed per Evangelium martyres fiunt, 32. Martyres ideo fundunt sanguinem ne perdant Ecclesiæ pacem et salutem, 41. Martyres non reddunt usque quadrantem, 347. Qui viceruntvitæ desideria expertes doloris universi, 347. Martyr sanguine suo baptizatur, 78. Martyres floribus coronat Christus, 249. Corpora martyrum, 8.
Martyres judicabunt nationes, 164. Martyrum vindicatio, 187. Martyrum fructus centenus, 180. Multum valent merita martyrum, si nihil petant contra judicem et contra legem Domini, 187. Deus in acceptum refert quidquid pro pœnitente, operante et rogante martyres petierint, 193. Martyrum oratio impetrat quod petit, 160. Multum poterunt merita martyrum et opera justorum in die judicii, 187. Pax in nomine martyrum post eorum accersitionem, 29, 30. Martyres impetrant de Domini bonitate quod postulant, 26. Martyribus nihil denegatur, 350. Celerinus petit, ut qui priores coronati fuerint sororibus suis veniam dent, peccatum remittant, indulgeant, 29. Martyres rogat auctor libri de Laude Mart. ut sui meminerint cum fuerint coronati, 332. Martyrio cedit virginitas, 351. Martyrium non prodest extra Ecclesiam, 75, 136, 198, 212, 361, 363. Martyrii exhortatio, 261. Martyrium facere, 78. Martyrem non facit pœna, sed causa, 198, 199. Pueri inter martyres, 160, 164. Virginum martyrum gemina gloria, 160. Martyres innumeri, 236, 269, 272. Confessores in carcere morientes pro martyribus habendi, 50. Eorum commemorationes inter memorias martyrum celebrantur, 50. Martyrium mente conceptum coronatur, 234. Inter martyres deputandus Cornelius qui tamdiu sedit exspectans carnifices, 69. Martyribus coronam non detrahit pax superveniens ante diem certaminis, 17. Fides invicta inter martyres coronatur, 273. Regnabit cum Christo qui ad sacrilega edicta non consenserit, *ibid.*
Martyrum merces, 93, 94, 158. Quælibet peccata martyrio expiantur, 344. Quidam fide nobiles, ad martyrium veniunt, 350. Quidam ut peccata redimant, *ibid.* Martyrium pro merito fidei, 158. Martyres ad divina domicilia properant, 160. Relicto mundo cœlum petunt, 35. Inter Angelos stant, *ibid.* Cœleste regnum sine ulla cunctatione tenent, 33. Martyribus patent cœli, 91. In paradiso Apostoli et martyres, 236. Virgines et justi, *ibid.* Martyres statim vident Deum, 273. Martyres Deum et Christum ejus conspiciunt, 123. Ad complexum et osculum Domini venerunt, 25, 165. Ad Dominum venerunt, 17. Deus martyrio totum promisit, 349. Confessione vocis minus patent regna, 350. Martyrii poculum, 78.
Mascula, 337, 101.
Mathathias, 265.
Matrimonia cum gentilibus vetita, 183, 323. Uxor a viro recedens debet innupta permanere, 326. Matrimonii expugnator alieni, 74. Matrimoniorum depopulator, 79.
Matrix Ecclesiæ catholicæ, 59.
Mauritania, 128. Cohæret provinciæ episcopi Carthaginensis, 59.
Mauri reges suos colunt, 225.
Maximus episcopus, 99, 124. Maximus confessor, 24, 32, 33, 34, 45, 55, 58, 60, 61, 64. Maximus presbyter a Novatiano legatus, 62, 83. Maximus schismaticus, 84. Maximus acolythus, 161, 162, 163.
Medorum regnum, 226.
Melchisedech typum Christi portavit, 105. Cur Melchisedech Abraham benedixit? 103. Melchisedech sacerdos, 278.
Melicertes, 225.
Membresa, 336.
Memoriæ martyrum, 50.
Mendacia scelerata, 144. Mendacium vetitum, 327.
Mercenarii notantur, 7. Mercenario merces reddenda, 325.
Meretrices erubescunt videri, 341. Meretrix Apocalypsis, 177.
Merita operum, 327 et seqq. Dominum fidei ac timoris obsequio sæpe promeriti, 191. Deum patientia promereri, 231. Obsequiis et operibus justis Dominum promereri, 23. Vera pœnitentia et humilitate tota promereri Dominum, 26. Christum obsequiis promereri, 100. Cornelius Centurio meruit audiri, 214.
Merrha, 261.
Messes de cœlo descendentes, 343.
Metalla exhausta, 217. Metallum Siguense, 163.
Metator vester, 163.
Mettius hypodiaconus, 57, 58.
Midila, 335.
Miles Dei, 24, 273. Miles Christi, 16, 18, 19, 34, 47, 62, 63, 79, 90, 94, 95, 97, 160, 166. Militis sacramentum, 365. Militem suum Christus spectat, 91. Militis boni officium, 132. Miles repetet certamen suum, 193. Miles probatur in acie, 232. Triumphans vulneribus suis gaudet, 346. Militiæ divinæ sacramenta, 140. Militia coronatur in persecutione, 274.
Mileum, 332.
Mimorum turpitudo, 4.
Miracula, 189 et seqq. Miracula facere, 199. Miracula a Christianis edi solita, 3. Falsa miracula, 146. Miracula quandoque fiunt ab extraneis, 338, 362.
Misericordia non exhibetur infirmis, 219. Misericordiæ commendatio, 237. Misericordia falsa, 45, 186.
Misgirpa, 330.
Modianus episcopus, 99, 124.
Mœchi pejor est causa quam libellatici, 74. Mœchis pœnitentia conceditur, 72, 74.
Monilia, 179, 180. Monilia non instituit Deus, 177. Monilia elaborata, 191.
Montanus, 28. Montanus hæreticus, 145. Montanistæ eosdem Patrem et Filium ac Catholici nosse videntur, 140.

Digitized by Google

Cataphrygæ dicunt missum a Christo spiritum per Montanum et Priscam locutum, 143. Nec Patrem habent, nec Filium, nec Spiritum sanctum, *ibid.*

Mori potest Christianus, non potest vinci, 93, 320.

Mors contemnenda est Christiano, 320, 346. Mors pretiosa quæ emit immortalitatem, 16. Mortis gloriosæ exitus, 50. Mortis æternæ laquei, 221. Perversum est Deo accersenti non statim parere, 234. Ejus est mortem timere qui ad Christum ire nolit, 229. Mori timeat qui non Christi cruce et passione censetur, 233. Episcopus mori timens divinitus increpatur, 234. Prævaricatores qui mortuos lugent ut perditos, 253. Atræ vestes non accipiendæ in charorum morte, 234. Gaudendum potius quam dolendum cum chari de sæculo exeunt, 230. De hoc mundo recedentibus immortalitas atque æternitas promissa, 230. Ad lætitiam salutis æternæ proficisci, *ibid.* Ad refrigerium justi vocantur, 233. Expuncta morte ad immortalitatem venire, 230. De iis qui statim mercedem accipiunt et coronantur, 72. Nihil aliud in mundo nisi pugna adversus diabolum, 230. Perpetua cum vitiis congressio in hac vita, 230. Repugnat ut petamus in sæculo diu vivere, qui petimus regnum Dei velociter advenire, 210. Mors non metuitur, sed optatur, 26. Mors contemnenda cui Christus occisus est, 346. Moriendi conditio una, 218. Mortem moriendo subigere, 36. Mors omnibus communis, 170, 171. Morientibus in infirmitate subveniendum, 77. Mors subacta trophæo crucis, 225. Mors lethali poculo propinata, 184. Mors secunda, 235. Mortalitas facit ut martyrium appetatur, 233. Mortalitas servis Dei salutaris excessus, 233.

Morula, 13.

Motus terræ plurimi, 146.

Moysi antiquissimum baptisma, 134. Moyses oravit pro peccatis populi, 187. Moysis lex cessavit, 278. Moyses impetrare non potuit quod petiit, 187. Contemnitur ab ingratis, 250. Superat Amalech, 267.

Moyses presbyter et confessor, 24, 32, 33, 34, 45. Presbyter et martyr, 67.

Mulcedo, 7.

Mulieres christianæ quæ cultus mundanos amant, 191. Mulier baptizans, 146. Mulieres in ecclesia taceant, 318. Mulier ornari non debet sæculariter, 317. Muliebrem vestem induere non licet viris, 101.

Multiformes orbis ruinæ, 190.

Multitudinis consensus, 339. Multitudo numerosa delinquentium, 190.

Mundus est templum Dei, 227. Mundus una domus in qua boni et mali, 222. Mundus non est amabilis Christiano, 352.

Hæc sententia mundo data est, ut omnia orta occidant, 217. Hæc Dei lex est, *ibid.* Minuitur quidquid in occidua devergit, 217. Sex millia jam pene completa ex quo hominem diabolus impugnat, 262. Primi septem dies annorum septem millia continentes, 269. Mundus corruit non jam senectute, sed fine, 236. Mundus senuit, 216. Mundus nutat, 236. Deus ad vastationem mundi Angelos mittet, 223. Occasus mundi appropinquant, 90, 110, 199, 217, 223, 229, 323, 345, 347. In mundi occasu hæreses magis pullulantes, 200. Deus corda luce veritatis tunc magis illustrat, 110. Prædictæ calamitates in fine mundi, 217. Mundi unus est rector, 227.

Munimentum saturitatis dominicæ, 78.

Munnulus episcopus, 77. Munnulus, a Girba, 331.

Munus editum Deo spectante, 244. Muneris dignitas, 347. Munerarii, 244.

Murmurandum non est in adversis, 232.

Murus fidei penetratus vulneribus orbitatis, 168.

Musica canora, 256.

Mussitare, 222. Mussitandum non est inter adversa, 232, 309.

Muzulensis episcopus, 334.

N

Nabla, 339.

Nabuchodonosor punitus, 91, 238.

Nampulus episcopus, 99, 124.

Naricus acolythus, 49.

Natalis ab Oëa, 337.

Nativitas secunda, 2, 139. Nativitas spiritalis, 246. Nativitas gratiæ spiritalis, 206. Nativitas spiritalis sine Spiritu esse non potest, 145. Nativitas cœlestis, 248, 259. Nativitas divina, 260. Nativitas terrena exposita, 223.

Navis gubernator in tempestate dinoscitur, 232. Navis liberanda de locis periculosis, 102. Navis ecclesiasticæ salutis, 42. Navium dominium et usus, 75.

Naufragus fidei, 63. Naufragia Ecclesiæ, 82. Naufragia nefanda, 29.

Neapolis, 337.

Necessitas temporum, 168. Necessitas persecutionis, 140.

Nemesianus episcopus, 99, 124. Nemesianus a Thubunis, 350. Nemesianus in metallo constitutus, 158, 161.

Neptunus instituit muros Laomedonti, 225.

Nervo pedes ligati, 47. Nervus et ferrum, 47.

Nicephorus acolythus, 57, 58, 61, 63.

Nicomedes episcopus, 77, 117, 124.

Nicostratus confessor, 32, 34, 45, 58. Nicostratus schismaticus, 62.

Nidor altarium, 226.

Ninus, 76.

Noe solus inventus est justus, 187. Obtulit Deo, 162. Figura dominicæ passionis, 104. Noe arca typus fuit unius Ecclesiæ, 152, 195.

Nomen Jesu Christi est super omne nomen, 357. Nominis confessio, 78. Nominis Christi odium prædicum, 313. Nomen ecclesiasticum, 44.

Nova urbs Africæ, 336.

Novatianus scripserat cleri Romani litteras de lapsis, 67. Factus episcopus, 55. Schismaticus et hæreticus, 61, 62, 63, 65. Missi a Novatiano in Africam legati, 55. Cornelium accusant, *ibid.* Rejecti ostiatim et oppidatim discurrunt, *ibid.* Novatiani mores et schisma, 73. Comparatur simis, 150. Ejus duces et protectores, 62. Quæritur quam hæresim Novatianus introduxerit, 66. Novatianus depingitur, 85. Pseudoepiscopos creare conatur, ubi legitimi sunt episcopi, 73, 74. Apostolos suos mittit in civitates, 73. Primatum sibi assumit, 154. Novatianus nemini succedens, 152. Utuntur his verbis : *Qui me neguerit.*, etc. Novatiani novi hæretici, 74. Novatianenses rebaptizant quos a Catholicis sollicitat, 129. Novatianus rebaptizat, ut apud se esse Ecclesiam dicat et nos hæreticos faciat, 130. Novatiani dicunt se cum idololatris non communicare, 74. Adulteri apud illos, 74, 75. Hortantur ad pœnitentiam et pacem negant, 75. Agnoscunt Trinitatem ut Catholici, 154.

Novatus a Thamugade, 330.

Novatus presbyter, 11. Carthagine primum schismatis incendium seminat, 65. Romam navigans similia moliturus est, 64. Ejus scelera in pupillos, in viduas, in Ecclesiam, in patrem et uxorem prægnantem, 63, 64. Imminentem depositionem et excommunicationem voluntaria discessione præcessit, 64. De Ecclesia divinitus pelli meruit, *ibid.* A seipso damnatus, *ibid.* Damnat sacrificantium manus, *ibid.*

Novellandus animus, 37. Novellus in annis, 46.

Novitius, 171.

Nuditatis audacia, 179.

Numeria, 29, 30.

Numerus nihil valet ad extenuationem delicti, 36.

Numidia provinciæ episcopi Carthaginensis coheret, 59. Numidiæ episcopi, 99, 128.

Numidicus presbyter, 48, 51, 52.

Nummaria quantitas, 100.

Nundinas illicitæ negotiationis, 20.

Nuptiæ Christi et Ecclesiæ, 108. Nuptiarum festa improba vitanda, 179.

O

Obba, 335.

Oblatio sanctificari non potest ubi Spiritus sanctus non est, 112. Oblatio pro mortuis, 115. Offerre et Eucharistiam tradere, 19. Offerre oblationes eorum, 38. Offerendi facultas non datur, 159. Offerre pro illis, 21. Offerebant pretia in usus indigentium, 203. Offertur nomen eorum, 19.

Obstetricum manus sæpe falluntur, 102.

Obstinatio pravitatis hæreticæ, 61.

Occidere nec nocentem licet, 95.

Octavum, 337.

Oculorum lineamenta depingere, 191. Oculos nigrore fucare, 177. Oculi adulterati, 182. Rutili atque depicti, 102, 178. Oculi conspiciendo Deo digni, 179.

Odisse nobis non licet, 224.

Oëa, 337.

OEtei ignes, 225.

Offectura erroris, 332.

Offocari, 69.

Oleam detruncat turbo, 218.

Oleum in altari sanctificatum, 125.

Opera bona a Christo præcepta, 241. Præmium operantibus, 245. Supplicium sterilibus, *ibid.* Merita bonorum operum, 160, 162, 174, 175. Deum operibus promereri, 242. Vita æterna bonis operibus præstatur, 244. Opera justitiæ remunerantur, 256. Misericordiæ meritis peccata purgantur, 258. Justis operibus peccata purgantur, 192. Deus in die judicii præmium pro operibus et eleemosynis redditurus, 214. Preces solæ parum valent sine bonis operibus, 238. Bona opera sunt sacrificia, 214. Sacrificium ex

Digitized by Google

omni opere mundo, 162. Misericordes egere non possunt, A 21.

Operantes, 240. Operationis obsequium, 50. Opera bona: bona et necessaria operatio, 100. Operatio salutaris, 260. Operandum in abscondito, 317. Operationis largitas, 203. Operatio fiat largiter, 193. Operandum factis, non verbis, 327. Operari etiam pauperes debent, 242. Quo plures sunt liberi eo amplius operandum, 243. Vituperantur qui metu inopiæ non operantur, 241. Steriles homines in ignem mittentur, 240. Pati non debemus Dei templa esse captiva, 99. Omnes libenter ac largiter subsidia nummaria redimendis captivis contulerunt, 100. Sestertia centum millia nummorum ex cleri et plebis collatione collecta, 100. Nomina singulorum subdit Cyprianus, ut pro illis oretur, *ibid.* Præterea nonnulli episcopi suo et plebis nomine contulerunt. Horum nomina adduntur, *ibid.*

Ophitæ, 130.

Optatus, 76. Optatus hypodiaconus, 33, 39.

Oratio pacifica et simplex, 206. Orationis conditiones, 13, 14, 15, 198, 206. Cur Deus non exaudit, 14. Impetrant quod postulant qui in oratione vigilant, 214. Vituperantur qui corde dormiunt, *ibid.* Qui se ipsi non audiunt, *ibid.* B Christus orandi formam dedit, 204. Oratio quam Christus Deus docuit, 212. Facilius impetramus, si petamus Christi oratione, 204. Amica et familiaris oratio Deum de suo rogare, 204. Pater noster, id est, eorum qui credunt, 206. Quando patrem Deum dicimus, quasi filii Dei agere debemus, 207. Aliter orare, quam Christus docuit, non solum ignorantia, sed et culpa, 204. In oratione dominica cœlestis doctrina compendio comprehenditur, 206. Deprecatio alicujus nomine in ecclesia, 115. Cito ascendunt orationes quas merita operum ad Deum imponunt, 214. Oratio inefficax sine operibus, 214. Privatæ preces, 25. Preces cum pluribus in sacrificiis, *ibid.* Oratio nobis publica et communis est, 206. Orandum pro omnibus, 15. Oramus pro omnium salute, 209. Orandum pro lapsis et pro stantibus, 44. Preces pro hæreticis, 88. Christiani orant semper pro frugibus terræ, 223. Pro pace et salute civium, *ibid.* Orandum ne quis abstentus procul remaneat a salute, 210. Horis nocturnis nulla sint precum damna, 213. Computemus noctem pro die, 215. Christianis orandi spatia et incrementa creverunt, 213. Mane orandum, *ibid.* Recedente die, *ibid.* Item nocte, *ibid.* Per totum diem orandum, *ibid.* Mane orandum ut resurrectio Domini celebretur, 215. Die re- C cedente petimus ut super nos lux denuo veniat, 215. Adoratores Dei olim tertiam, sextam et nonam in orationibus celebrandis observabant, 214, 215. Continua prece opus est, 208. Orare diebus ac noctibus, 223. Cogitemus nos sub conspectu Dei stare, 204. Adversarius preces nostras a Deo avocat, 213. Placendum divinis oculis habitu corporis et modo vocis, 204. Noluit Christus ut quis pro se tantum precetur, 205. In sacrificiis non ventilandæ preces, 205. Petitio modeste Deo commendanda, 205. Precatio cum disciplina quietem continens et pudorem, 204, debet non vocis sonus, sed animus et sensus orare, 213.

Orbis æreus in aerem jactatus, 212.

Ordinatio clerica, 46, 114, 139. Ordinatio vicaria, 148. Ordinationum clericarum ratio, 46. Ordinatio succedanea, 153. In ordinationibus clerus consulitur, 45, item plebs, *ibid.* Clericos ordinat Cyprianus cum collegis, 46, 47. Examinabat Cyprianus omnia quæ esse debent in iis quæ ad clerum parantur 33. Ætates et conditiones et merita singulorum discernuntur, ut digni ad ecclesiasticos gradus promoveantur, 51. Exspectanda non sunt humana testimonia, cum præcedunt divina suffragia, 46, Sabinus in locum Basilidis substitutus de universæ fraternitatis suffragio, et de episcoporum qui aderant aut scripserant judicio, 119, vid. 68. Quænam ordinatio justa et legitima 118. Ordinatos ab hæreticis recipi ut laicos decernitur, 330. Nulla ecclesiastica ordinatio, ubi non est Ecclesiæ unitas, 68. Ordinatio hæreticorum rejicitur, 128.

Ornatus impudicus, 176. Pudicitia etiam in cultu et ornatu posita, 174. Expugnata mendacio facies, 178. Manus Deo inferunt, qui quod ille formavit transfigurant, 178. Tunc tantum in carne gloriandum quando cruciatur, 178. Pretiosus cultus quarum pudor vilis, 176. Non inferenda auribus vulnera, 178, 179. Non defiet amissum indumentum Christi, quæ pretiosa veste indutur, 191. Malum præsagium futurorum flammei capilli, 178.

Ostensiones, 124. Ostensiones crebræ et assiduæ, 77.

Oves Christus appellat gregem suum, 259. Oves coccineas aut purpureas non fecit Deus, 177.

Ozias lepræ varietate maculatus, 200.

P

Paconius, 102.
Paganorum infelicitas, 222.
Palabundi et errantes, 60.
Palabundæ oves, 57.
Paleas a tritico separare, 74.
Pallor, 226,
Palmitum lapsus erratici, 1.
Palpationes perniciosæ, 39. Palpare blandimentis adulantibus, 183.
Panis vitæ Christus est, 209. Panem unum faciunt grana multa, 108. Panis mero mixtus, 189. Panem edere cum sudore et labore, 250. Panis cœlestis, 249.
Papa Cyprianus, 7, 26, 27.
Paradisus Dei testibus floret, 346. Paradisi potus salubres et salutares, 132. Paradisus patria Christianorum, 236. Paradiso mors restituit Christianos et regno, 236. Ad immortalitatem morte transgredimur, 235, ad Christi sedem, ad regnorum cœlestium claritatem venimus, 235. Vide *Martyres et mors.*
Paralyticus Evangelii, 156.
Parentibus obsequendum, 324.
Parricidalia arma, 85. Parricidalia verba, 80.
Parvula portata ad idola, 189.
Paschæ solemnia, 76. Paschæ dies, 144. Passeribus alimenta divina præstantur, 241. Passionis dominicæ exempla, 346. Passionis dominicæ instar, 270. Passio Christi, 294. Passionis corona, 95. Passionis corona non assignanda est hæreticis, 136.
Pastoris sive Hermetis liber. CCXXIV.
Pastores per quos Dominicæ oves negliguntur et pereunt, 176. Pastores veteres et novi, 279.
Pater cognoscendus est ante Filium, 134. Pater et Filius et Spiritus sanctus unum sunt, 195. Pater nihil judicat, 316. Patrem non habet Deum qui Ecclesiam non habet matrem, 191.
Patribus honor debitus, 135. Patrum affectus erga filios, 169.
Patientia necessaria lapsis, 44. Patientia tenenda in injuriis, 327. De patientia in adversis, 252. Christianis patientia cum Deo communis, 247. Patientia Dei res est, 248. Patientia Dei describitur, *ibid.* Patientiæ corona, 260. Patientia efficit ut perseveremus, 252. Patientia religiosa, 222. Patientiæ bonum, 137. Late patet patientiæ virtus, 255. Patientia incestæ turpitudinis, 4.
Patriarchæ figuram Christi portabant, 250.
Patricium laudis est, 48.
Patrimonium grande tentatio est, 176. Patrimonio augendo singuli studebant, 182. Patrimonium præponere Deo, 192. Patrimonii vinculum, 183. Patrimonium tuum Deo fœnora, 176. Patrimonii amor damnatur, 240. Patrimonium plus amare quam Christum, 243.
Patripassiani, 130.
Patrocinantes pœnæ. 344.
Paula sarcinatrix, 52.
Paulus in tertium cœlum raptus, 273. Pauli apostoli locus explicatus, 133. Pauli apostoli humilitas, 10.
Paulus ab Obba. 355. Paulus martyr, 50, 32. 40. Paulus habuit pullos edaces, 226.
Pauperes pascendi, 214. Pauperum cura commendatur, 9, 10, 13, 49, 50, Pauperibus stantibus major cura et dilectio præstanda, 50. Qui ab Ecclesia aluntur frugalioribus cibis contenti sint, 101. Corban in ecclesia, 242.
Pavor, 226.
Pax data a martyribus, 26, 27, 28, 30. Pax persecutione pejor, 188. Pax captiosa, 55. Pax vera falsæ pacis mendacio fallitur, 85, 86. Pax irrita et falsa, 186. Pacem si postulant, arma deponant, 88. Pacem subdole petere, 78. Pax necessaria est fortibus, 77. Pax temere non danda, 21, 22, 36, 37. Falsa pax dantibus periculosa, nihil accipientibus profutura, 186. Pacem Ecclesiæ ne perdant, martyres sanguinem fundunt, 41, Pax non deliciis, sed armis datur, 78. Pacis et concordiæ vinculum, 129. Pacis dominicæ vinculum, 237. Pax dominica, 137. Pax et acies habent flores suos, 18. Salvo pacis vinculo varietas sententiarum, 129. Stephani antecessores cum Afris pacem servarunt, 144. Pax habet coronas suas, 260. Pax Ecclesiæ reddita, 181. In credulis et perfidis impossibilis videbatur, *ibid.* Pacificos esse oportet Dei filios, 205.
Peccatum incredulitatis, 250. Peccatis jura consensere, 5. Peccato suo unusquisque tenetur, 73. Peccatorum remissio, 150. Peccata omnia passione purgare, 72. Peccata omnia remittuntur in baptismo, 52, 135, 325. Peccatorum remissio non datur nisi in Ecclesia, 125, 127. Peccata mortis, 148. Peccata mortalia, 325. Peccatorum gravium enumeratio, 250. Peccatum schismate majus esse non potest

Digitized by Google

129. Peccatum originale, 99. Sordes contagionis antiquæ, 180, antiqua serpentis venena, 237. Vulnera quæ Adam portavit, 237. Peccatum omnes habemus, 319. Quotidie delinquimus, 207. Opus est nobis quotidiana sanctificatione, 207. Quotidie peccamus, 221. Quotidie deesse non potest quod peccetur, 245. Nemo sine peccato esse potest, 258. Superbus aut stultus qui se inculpatum dicit, 238. Sine aliquo conscientiæ vulnere esse non possumus, 258. Nemo sibi quasi innocens placeat, 211. Non desunt sanatis quædam postmodum vulnera, 238. Aquam ignoranter et simpliciter in sacrificio offerenti potest de indulgentia Domini venia concedi. Secus post admonitionem, 109. Christus instruit in futurum, de præterito ignoscit quod simpliciter erratum est, 110. Peccata remittendi potestas Apostolis concessa, et ecclesiis quas constituerunt, 148. Non quasi a nobis remissionem consequantur, 144. Non posse in Ecclesia remitti ei qui in Deum deliquerit, 314. Solus Christus potest dimittere peccata in ipsum commissa, 187. Nulla venia delinquere post cognitum Deum, 173. Vide *Pœnitentia*. De peccatis alia Christianorum et laicorum sententia, 70. Peccatores obstinati, 192. Peccatus publice objurgandus, 325.

Pectoris exerti et seminudi inverecunda jactantia in philosophis, 217. Pectori suo admovere carnifices, 237. Pectoris clausi latebræ, 190. Pectoris obstinata feritas, 345.

Pecuniæ mancipati, 183. Pecunia non appetenda, 322. Pecuniæ captivus et servus, 241.

Pedes feliciter vincti, 139. Pedes calceati, 93. Pedes Apostolorum cur lavit Christus, 249.

Pejerare, 183.

Pejerarium, 30.

Penates victi, 226.

Pentecostes, 357. Pentecostes dies, 366.

Peregrinorum cura commendatur, 49.

Perfidiæ et fidei nulla potest esse societas, 89. Perfidia discordans non tenet unitatem, 197. Perfidiæ pœna, 199.

Perfusi in baptismate, 156.

Periclitantium dolor, 99. Nemo diu tutus est periculo proximus, 103.

Persarum regnum, 226.

Persecutio Christiani nominis ob calamitates publicas, 146. Persecutiones prædictæ, 90, 263, 268. Persecutionis causa disciplinæ in pace corruptio. 182. Persecutio venit ob peccata, 13. Tormenta venerunt, dum quidam ob confessionem superbiunt, 13. Persecutio a domesticis inimicis non minus coronat quam ab externis, 80. Unus ex Machabæis peccatis suis adscribit, quod persecutionem patiatur, 270. Deo dedit quod postmodum vindicaretur, *ibid*. Persecutiones fiunt ut probemur, 228, 263, 267. Persecutio orta ut jacentem fidem Deus erigeret, 182. Exploratio potius fuit quam persecutio, *ibid*. Persecutio exorta ut appareat quæ sit Ecclesia, 97. Persecutio est examinatio pectoris nostri, 15. Persecutionis metu nemo terreatur, 92. Persecutionum merces, 272. Persecutionum fructus, 91. Quid de eo boni sentias, quem persecutio ipsa non reformavit? 188. Nisi præcesserit pugna non potest esse victoria, 232. Spes major in bello, 267. Nulla excusatio homini pro Christo non pati, 265. Ultro nemo se offerat persecutioni, 166. Persecutor credere cogitur, 348. Quidam ad vindictam suam nimis properant, 255. Consideremt quia necdum vindicatus est ipse qui vindicat, 255. Persecutio non per totum mundum, sed localis, 146. Fratrum ruinæ per totum pene orbem, 34, 36. Adhuc cadunt, 43, ruinæ per totum orbem, 44. Maximus numerus ad prima verba inimici prostratus, 183. Ultro cucurrerunt ad forum, ibid. Rogaverunt ne differrentur, *ibid*. Hortamentis mutuis in exitium impulsi, *ibid*. Amor patrimonii multos sacrificare adegit, 184. Explorandæ fidei præfiniebantur dies, 182, dies negantibus præstitutus, 182. In persecutione Decii tormenta post exilia venerunt, 46. Causam Novatiagere non sivit persecutio, 64. Persecutio sub Valeriano, 165.

Perseus episcopus, 84.

Perseverantia fidei, 6. Perseverandum in fide, 263, 266. Vide Gratia.

Personam Deus non accipit, 98.

Persuasio noxia et venenata, 192.

Pestes hæreticorum, 130. Pestes et lues fidei, 197. Pestis descriptio, 232, 233, 345.

Petra veritatis christianæ, 148.

Petrus rationi legitimæ, quam Paulus vindicabat. facile consensit, 127. Non dixit se primatum tenere et obtemperari a novellis et posterioribus sibi potius oportere, ibid. Petro primum Dominus dedit potestatem ligandi et solvendi, 131. Super Petrum Ecclesia fundata origine unitatis, 125, 127, 131, 132. Ecclesia super Petrum ædificanda, 123. Petrus Ecclesiæ nomine loquitur, 123. Petrum Dominus primum elegit, et super eum Ecclesiam ædificavit, 127. Christus ex Petro unitatis originem instituit, 131. Unitatis origo ab uno incipiens, 195. Soli Petro Christus dixit : *Quæcumque ligaveris*, etc., 148. Petrus unus pro omnibus loquitur, et Ecclesiæ voce respondet, 83. Petro Christus oves suas commendat, 176. Petri confessio de Christo, 339. Petrus Christum negavit, 357, 360. Petrus suscitat Tabitham, 239. Petrus et Paulus apostoli, 144. Petrus et Paulus se cognoverunt in Urbe, 306. Petri apostoli locus explicatus, 134. Petri prædicatio, 363. Petri cathedra, 86, 148. Petri successio, 148.

Petrus ab Hippone Diarrhytorum, 357.

Pharaonis exemplum, 157. Pharaonis durissima servitus, 266.

Pharisæi et publicani discrimen, 205.

Philippus diaconus, 132.

Philosophiam prædicare, 73. Philosophiæ durioris præsumptio, 71. Philosophi patientia falsa, 247.

Phinees placuit Deo, 152.

Piscis, 220, 226.

Pignus vitæ, 69.

Placendum Deo, non hominibus, 319. Placitorum capita, 67.

Plaga perspicua facile curatur, 258.

Plangens misericordiam provocat, 73. Plangentium gemitus admittendus, 75. Plangentium lacrymæ, 77.

Plasma divinum, 101.

Plastica Dei adulterari non debet, 178.

Plato agnovit unum Deum, 226. Platonici, etsi de Patre et Filio aliquid senserint.

Plebs sacerdotibus in periculo juncta, 95. Plebis fidelis incorrupta majestas, 88. Sanctissima et amplissima plebs romana, 89. Plebis præsentia in synodis, 19, 22, 23, 24, 27, 28, 36, 39, 43, 55. Concilium præsente plebis maxima parte, 329. Plebem Cyprianus non numerat inter eos qui judicarunt in concilio, 87. Sine plebis consensu nihil agit Cyprianus, 11. Plebem consulit Cyprianus in ordinationibus clericorum, 45. Stantium plebi pro fide et timore suo honor est habendus, 23. Omnis actus populo insinuatus, 60. Plebs obstat ne protervi recipiantur, 87. Plebe præsente eliguntur sacerdotes, 118. Ipsa præsente vel deteguntur malorum crimina, vel bonorum merita prædicantur, *ibid*. Plebs immunis non est a contagio delicti, quæ injusto et illicito episcopatui consentit, 118. Separare se debet. a præposito peccatore quem episcopi deposuerunt, *ibid*.

Pluviæ indiscretæ justis et injustis, 248.

Pœna inde cœpit unde cœpit et crimen, 189.

Poculum martyris, 78.

Pœnitentia de pectoribus excussa est, 186. Pœnitentiæ via, 67. Pœnitentiæ simulatio, 71. Pœnitentia necessaria lapsis, 85. Pœnitentia crimine minor non sit, 192. Pœnitentia lapsorum fovenda, 59. Diu trahenda, 67. Quomodo probetur, 37. Veri pœnitentis notæ, 23, 37, 38, 191, 192. Pœnitentiæ fructus, 224. Pœnitentia corroborat ad repetendum certamen, 193. Verus pœnitens factus ad prælium fortior per dolorem, 193. Vera pœnitentia non solam veniam meretur, sed et coronam, 193. Pœnitentia nulla sera est, 224. Pœnitentibus Dominus indulgentiam pollicetur, 72. 73, 75. Tollitur pœnitentia si pœnitentiæ fructus intercipitur, 75. In Ecclesia gladio spiritali contumaces necantur, dum de Ecclesia ejiciuntur, 103. Intercedente aliquo graviore delicto abstinentur fideles, et a Christi corpore separantur, 209. Pœnitentia libellaticorum non respuenda, 70. Pœnitentia redeuntium ad Ecclesiam, 365. Pœnitentibus manus imposita, 127. In concilio non consensione solum, sed etiam comminatione decreta pœnitentia, 85. Adversus eos qui sine pœnitentia pacem concedunt, 85, 86.

Pœnitentiæ tempus mœchis conceditur et pax datur, 72. In delictis idololatria minoribus agitur pœnitentia justo tempore, 18, 21. Pœnitentia plena, 77, 97, 103, 191, 192. Pœnitentiæ subjecti libellatici, 190. Item qui vel de sacrificii vel de libelli facinore cogitaverunt, 189. De muliere quæ manus ejus ad sacrificandum tenentibus non consensit, 27. Pœnitentia plena virginibus corruptis, 103. Levior pœnitentia iis quæ deprehensæ cum masculis, sed integræ repertæ sunt, 103. Graviore censura ejiciantur, si cum eisdem sub eodem tecto habitaverint, *ibid*. In concilio Carthaginiensi placuit lapsis in exitu subveniri, 71. Libellaticos interim admitti, *ibid*. Merito trahitur longius pœnitentia, dum adest quies, 77. Secus instante persecutione, *ibid*. Lapsis inter cruciatus cito venia concedi potest, 185. His pœnitentia per triennium inchoatum sufficere potest, 76. Lapsis postea confitentibus pax datur, 28. Objurgatur Therapius episcopus ob pacem ante tempus concessam, 98. Pax tamen data non aufertur, *ibid*. Deus scit quid faciat de iis qui ante impletam pœnitentiam moriuntur, 45. Sine pœnitentia recipiuntur confessores schismatici, 61. Pœnitentiæ se submittunt episcopi, 119. Carthe-

Digitized by Google

ginense concilium decrevit lapsos episcopos ad agendam pœnitentiam posse admitti, sed a sacerdotali honore prohiberi, 120. Idem decrevit Cornelius cum omnibus omnino episcopis, 120. Deposito ob idololatriam episcopo communio laica instar gratiæ, 119. Deponendus vel abstinendus diaconus si perseveret in contumelia adversus episcopum, 113. Trophimus episcopus cum plebe redieus, laicus communicat, 69. Pœnitentia mœchis negata sub Cypriani antecessoribus, 72. Pœnitentiam non agentes prohibiti a spe communicationis et pacis, si in periculo cœperint deprecari, 73. Minatur Cyprianus quisquis se Felicissimo adjunxerit, eum in Ecclesia non communicaturum, 51. Ad Ecclesiam postea redire et communicare non posse, 55. Anxie ponderat Cyprianus qui recipi et admitti in Ecclesiam debeant, 85. Reluctatur plebs quoties inemendabiles ad Ecclesiam remeant, *ibid.*

Pœnitentiæ sacramenti necessitas, 122. Reus sacerdos, si bonus miles, dum fugit, sine pace et communicatione decedat, 78. Pœnitentiæ sacramentum morientibus administrandum, 8. In infirmitatis periculo apud presbyterum quemcumque præsentem exomologesis facienda, vel apud diaconum, si presbyter repertus non fuerit, vel urgere exitus cœperit, 22. Multi in ecclesia Arelatensi excesserunt sine pace, 116. Nullus pœnitentiæ locus post mortem, 224. Hic vita aut amittitur aut tenetur, *ibid.* Soluta in terris solvuntur in cœlis, 77, vide 148. Satisfactio et remissio facta per sacerdotes apud Dominum grata est, 191. Sacerdotes quidquid faciunt pro vero pœnitente, id Deus in acceptum refert, 193. Pœnitentes recipiunt Spiritum Patris cum pacem accipiunt, 78.

Polianus, 158, 163. Polianus a Mileo, 332.—Polycarpus episcopus, 77, 117, 124. Polycarpus episcopus Hadrumetinus, 59. Polycarpus ab Adrumeto, 330.—Pompeius episcopus, 55, 56, 59. Pompeius Sabratensis, 337. — Pomponius episcopus, 77, 102, 117, 124. Pomponius a Dionysiana, 335. —Pontifex honorandus, 81.—Pontius Pilatus Syriam procurabat, 228.

Populus Christi non potest scindi, 196. Populus christianus adunatus pani dominico comparatur, 133. Populus adunatur Christo cum in calice vino aqua miscetur, 108. Populus totus unum sumus, 206. Populi frementis impetus, 76. Populus perditionis ac mortis, 244. Populus peccator non potest esse filius Dei, 207. Populi duo prædicti, major et minor, 280.

Portenta coluntur, 220.—Porticus vitea, 1.—Possidere se credent qui possidentur, 185. — Potestas gratiæ cœlestis, 149. — Præcepta divina non sunt impossibilia, 97. — Prædictiones mulieris a dæmone correptæ, 146.—Prælium gloriosi certaminis, 67. Præliantes Deus spectat, 93. — Præpositos superbo tumore contemnere, 183. Præpositi sine ordinationis lege constituti, 197. — Prærogativa communicationis, 40.—Præstigiæ fallaces in excusatione, 43. Præstigiæ dæmonum, 221. — Præsumptio philosophiæ durioris, 71. Præsumptio damnata, 133.—Prævaricatores veritatis, 132.—Precatio cum disciplina, 204. Precum tuba, 44. Precem facere in sacrificiis, 25.

Presbyteri sedent cum episcopo in clero, 48, 49. Presbyteri vocantur sacerdotes a Cypriano, 49, 53. Præpositi vocantur, 13, 20, 21, 29. Presbyteri et diaconi commendatas sibi oves fovere debent, 21. Confessores regere et docere debent, 19, 20, 21. Presbyteris assurgendum, 325. Presbyterii honor designatur nonnullis lectoribus, 48; eadem divisio mensurna ac presbyteris, *ibid.* Numidicus presbyter adscribitur numero presbyterorum Carthaginensium 49. Presbyteri, sede vacante nonnulla, ad electionem episcopi servant, 29, 43. Quinque presbyteri reditum Cypriani morantur, 53. Quidam presbyteri totum sibi vindicant, 18, 20. Presbyteri temerarii causam acturi apud episcopum et clerum, apud confessores et plebem, 19. Presbyteri temerarii interim prohibeantur offerre, 19. Presbyteri et diaconi qui ab Ecclesia discedunt, redeuntes laici communicant, 129. Ordinati foris, laici communicant, cum redeunt, 128. Presbyteri et diaconi integritati et continentiæ præesse debent, 103. Presbyterium contrahere, 60.

Pressuræ fiunt ut probemur, 263, 267. Pressuræ gentilium, 161, 164.— Primatum assumere, 154.— Primatum tenere, 127.—Primatus suos amisit Esau, 25.—Primitivus presbyter, 55.—Primus episcopus, 117, 124. Primus a Misgirpa, 339. Primus schismaticus, 62.—Prisca socia Montani, 145.—Priscus episcopus, 72.— Privatianus, 76, 77. Privatianus a Sufetula, 332.—Privatus Lambesitanus, 41, 48. Privatus a Sufibus, 332. — Procella non subvertit robustam arborem, 197. — Proculus episcopus, 99, 124. Proculus pejerans, 226.—Proditores unitatis, 132.—Prophetæ alius sicut Moyses promissus, 280. Prophetæ figuram Christi portabant, 250. Christus adventum suum per prophetas prælocutus, *ibid.* — Propositum continentiæ, 72.— Proscriptionis formula, 122. Proscriptionis onus, *ibid.* — Prostituere gentilibus membra Christi, 183. Prostitutæ vocis audacia, 5. —Protectio corporis et sanguinis Christi, 77. — Protectum latus, 6. — Provincia latius fusa, 59. — Psalmi in conviviis Christianorum, 7. —Publica est nobis et communis oratio, 206. — Publicani et pharisæi discrimen, 205.—Pudentianus a Cuiculi, 236. — Pudicitiæ tenorem gloriæ suæ servat, 72. — Pudor vinculi maritalis, 100. — Puerorum virtus major ætate, 160. Pueri martyrio coronati. 164. Puerorum perdendorum magister, 101. — Pulli edaces, 226.—Pulpitum, id est tribunal Ecclesiæ, 46, 48.—Pupilli protegendi, 328.

Purgatorium. His qui statim coronantur alii opponuntur, qui ad veniam stant et solvunt novissimum quadrantem, 72. Hi pro peccatis longo dolore cruciati emundantur et purgantur diu igne, *ibid.* Pendent in diem judicii, *ibid.* In die judicii pluribus proderunt merita martyrum et opera justorum, 187. Apostatæ et desertores, nec si occisi pro nomine fuerint, admitti tunc poterunt ad Ecclesiæ pacem, 73. Sacrificium pro dormitione alicujus, 114.

Purpuram non induant Christianæ, 177. Purpura Agni per quem redempti sumus, 262. Purpura in imagines currit, 348.—Pusillus a Lamasba, 337.—Puteus aquæ vivæ, 152.—Putramina, 87. Putraminibus amputatis, 186.

Q

De quantitate propria sumptus suggerit Cyprianus, 49. —Quæstionum probantium tela, 347. Quæstio durissima, 16, 17. Quæstionum tormenta, 220. — Quietus a Baruch, 333.—Quintianus, 31. —Quintus episcopus, 77, 117, 124, 126, 128, 129. Quintusab Aggya, 336. Quintus presbyter, 66.—Quirinus, 161, 162, 274.

R

Rabies oris armata est, 189. — Rachel typus Ecclesiæ, 281.—Radix Ecclesiæ catholicæ, 59. —Rahab, in qua præformabatur Ecclesia, 196. Rahab typum portabat Ecclesiæ, 153. — Ramus fractus germinare non potest, 195.— Rapacitas majorem famem facit quam siccitas, 219. Rapinæ cruentæ, 220. — Rebaptismus Novatiani, 130. Rebaptizare dignum non est, 167.—Rectum te Deus fecit, 221.— Redampliatur majestas nominis, 344.— Redditus tuos divide cum Deo, 241.—Redemptoris imperio parendum, 173. Redimenda fratrum membra, 99. Redimi quod potest non timetur, 5.—Redintegratio fraterna, 65.—Refrænata aquarum flagmina, 343.—Refrigerium flammæ dederunt, 164. Refrigeria paravit Deus, 44.— Regeneratio cœlestis, 148, 149, 225, 260. Regeneratio lavacri salutaris, 147. Regeneratio secundæ nativitatis, 147. Regenerationis lavacrum, 139, 140, 249. Regeneratio divina, 136.

Regnum Dei nemo potest habere, nisi sit baptizatus, 314. Regnum Dei nobis repræsentari cupimus, 207. Regnum Dei esse cœpit in proximo, 229. Regnum Dei non est in sapientia mundi, 324. Regna sorte variantur, 226. — Regulus auspicia servavit, 226. —Religio vera et divina calcatur, 339. Religio vera non cognoscitur, 217. — Remissa peccatorum, 99, 131, 133, 134, 135, 150, 237, 249, 262. Remissio peccatorum in baptismo, 135. Non datur nisi in Ecclesia, 125, 127, 154. Remissio facta per sacerdotes, 191. Remittendorum peccatorum potestas, 148. — Repostus schismaticus, 52, 84. — Resurrectionem Christi quidam discipuli credere nolebant, 360. Resurrectionem Domini mane celebramus, 109. Resurrectio nostra Christus est, 208. Resurrectio mortuorum, 315. Resurrectio carnis, 131. Resurrectionis spes, 168. — Revelationes, 14, 15, 19, 20, 38, 47, 77, 79, 96, 234. — Rivus a fonte præcisus arescit, 195. Rivi plurimi de fonte uno, *ibid.* — Rogatianus diaconus, 142, 144, 147. — Rogatianus episcopus contumeliis a diacono vexatur, 112. Conqueritur apud Cypriaoum, *ibid.* Rogatianus episcopus, 77, 117, 124. Rogatianus a Nova, 336. —Rogatianus presbyter, 11, 49, 51, 52. Rogatianus presbyter gloriosus senex, 163, 165. — Rogatus episcopus, 77. — Rogi dissidentes, 227. Rogi pecorum, 220, 226.

Roma præcedere debet Carthaginem, 64. Romana Ecclesia est Ecclesia principalis, 86. Excubat pro omnibus, 8. Romanæ sedis auctoritas, 144. Ex Romana Ecclesia origo unitatis, 86, 125, 131. Cleri Romani litteræ per totum mundum missæ, 67. Stephanus successionem Petri tenet, 148. Per successionem cathedram Petri habet, *ibid.* Basilides, depositus, ad Stephanum papam confugit ut restituatur, 119. Negat Cyprianus Sabinum illi substitutum deponi posse, *ibid.* Romani maximum crimen ducunt a laudibus Apostoli degenerare, 42. Ad Romanos perfidia non habet accessum, 86. Romana Ecclesia stat fortis in fide, 7. Quidam lapsi, *ibid.* Romæ martyria priusquam Carthagine per tormenta consummata sunt, 33. Apud Romanos disciplinæ severitas, 42. Romani non observant quædam vetera instituta, 144. Clerus Romanus florentissimus cum episcopo

Digitized by Google

præsidens, 89. Cyprianum papam et fratrem salutat Clerus Rom., 40, 42, 44. Litteræ cleri Romani in Siciliam, 45; mittuntur Cypriano, *ibid.* Clerus Romanus deliberat cum episcopis, 45. Major necessitas clero Romano differendæ lapsorum causæ, quia episcopum non habent, 43. Placet clero Romano consilium Cypriani de lapsis in concilio tractandi, *ibid.* Evangelii plenus vigor in litteris cleri Romani, 32. Laborantem Cyprianum adjuverunt, *ibid.* Romana Ecclesia laudata, 94. Romanorum fides laudata, 86. — Romanos geminos non capit unum regnum, 227. Romanorum dii vernaculi, 226. Romani regni initia, *ibid.* — Romulus circenses primus consecravit, 340. Romulus parricida, 226. Romulus deus factus, *ibid.* — Rosæ non desunt Ecclesiæ, 18. — Rubigo pectoris, 257. — Ructare crapulam, 111. — Ructu suo vivere, 102. — *Rucumá*. 333. — Ruffinus diaconus et confessor, 34, 45. — Ruina una sufficiat lapsis, 54. Ruinæ fratrum, 45. Ruinæ multiformes orbis, 190. — *Rusiccade*, 336. — Rusticus presbyter, 146. Rusticus agrum colat, 75. — Rutili, 52.

S

Sabinus episcopus, 117, 119. — Sabina, 31. — Sabinorum raptus, 226, 340. — *Sabrata*, 337.

Sacerdotes Dei et Christi, 72. Sacerdos vice fungitur, 109. Agere pro Dei sacerdote, 111. Sacerdotes Deus facit, 68, 121. Quantus honos sacerdotibus debeatur, 81, 122. Sacerdotes vindicantur a Deo, 113. Debent esse integri et immaculati, 128. Debent esse humiles, 121. Adversus sacerdotes qui stipes et oblationes et lucra desiderant, 111. Portio sacerdotum minime succumbentium, 120. Sacerdos in consacerdotis sui laudibus tamquam in propriis gratulatur, 94. Sacerdotibus sacrilegus irascitur, 188. Sacerdos sacrilegus, 118. Sententia multorum sacerdotum consilio ponderata, 77. Sacerdos occidi potest, vinci non potest, 88. Sacerdotii sublime fastigium, 68. Qui sacrilega sacrificia idolis fecerunt, sacerdotium Dei sibi vindicare non possunt, 111. Sacerdotii vigor in presbyteris et diaconibus admonendis, 24. Sacerdotii concordia, 137, 142. Sacerdotia illicita, 148, 152. Sacerdotalis gravitas, 56. Sacerdotalis loci religio, 140. Sacerdotalis auctoritas, 88, 113. Sacerdotium unum, 33. Sacerdotium vetus et novum, 280.

Sacramentum, 44. Sacramentum unitatis, 132, 133, 195, 196. Sacramentum et devotio militis Dei, 16. Sacramentum militis, 363. Sacramentum divinæ militiæ, 140. Sacramentum fidei, 43, 319. In sacramento fideles, in vitæ actu graves, 339. Sacramenti mei memor, 185. Sacramentum salutis, 139. Sacramentum veritatis, 135. Sacramentum solitæ prædicationis, 146. Sacramenta cœlestia, 139, 141. Sacramenta occulta, 161. Sacramentum Ecclesiæ Christi, 148. Sacramentum unanimitatis, 80. Sacramentum Trinitatis, 213. Sacramenti Evangelici unitas, 63. Sacramentum divinæ traditionis, 142. Sacramentum Christi, 183, 274. Sacramentum calicis, 189. Sacramentum Ecclesiæ catholicæ, 72. Sacramenta dominicæ orationis, 206. Sacramentum vitæ, 213. Sacramentum Paschæ, 196.

Sacrificii nostri Christus auctor et doctor, 104. Cur Christus vespere obtulerit, 109. Sacrificia divina cum Dei sacerdote celebramus, 205. Sacrificia indesinenter offeruntur et in pace et in persecutione, 124. Sacrificia Dei quotidie celebramus, 78. Sacerdos dicit : *Sursum corda :* respondet plebs : *Habemus ad Dominum*, 213. Dominicæ hostiæ veritas, 200. Christus hoc idem obtulit quod Melchisedech, 105. Seipsum primus obtulit, et hoc fieri in sui commemorationem præcepit, 109. Sacrificio celebrato partem ausus est accipere, 189. Oblatio et sacrificium nostrum respondere debet passioni, 107. Passio est Domini sacrificium quod offerimus, 109. Melchisedech panem et vinum offerens sacrificii Dominici sacramentum præfiguravit, 105. Typus Dominici sacrificii apud Salomonem, *ibid.* Præcessit imago sacrificii Christi in pane et vino constituta, *ibid.* Figuram perficiens Dominus panem et calicem mixtum vino obtulit, *ibid.*

In sacrificio facere oportet quod Christus fecit et quod faciendum esse mandavit, 108. Non tamen dominicum debet celebrari post cœnam, 109. Aquæ et vini commixtio non potest ab invicem separari, 108. Aqua sola offerri non potest, quomodo nec vinum solum, *ibid.* Si aqua sola offeratur, grande præceptum Domini violatur, 107. Sanguine uvæ vinum calicis dominici sanguinis ostenditur, 105. Aqua vino mixta significat populi cum Christo conjunctionem, 108. Sacrificium non sine sacramento solitæ prædicationis offerre, 146. Sacrificium horis vespertinis in Africa, 109. Populus ad hoc sacrificium non vocabatur, *ibid.* Sacrificia singulorum presbyterorum cum singulis diaconis apud confessores, 9. Dominicum post cœnam non celebratur, 109, etsi Christus vespere obtulit, *ibid.* Resurrectionem Domini mane celebramus, *ibid.*

In sacrificiis et precibus vicem boni operis repræsentare his a quibus bene fit, 160. Lapsorum conscientia sacrificio et manu sacerdotis purgatur, 186. Offerri non debet nomen lapsorum, 19. Sacrificium pro dormitione, 114. Sacrificia pro martyribus, 47. Ob eorum commemorationem, 80. Quædam divites in dominicum sine sacrificio veniunt, 248; partem de sacrificio, quod pauper obtulit sumunt, *ibid.* Sacrificium Deo majus est pax nostra et fraterna concordia, 211. Sacrificium vetus et novum, 280. Sacrificia divina impedita, 159. Oblatio sanctificari non potest, ubi Spiritus sanctus non est, 112. Falsaet sacrilega foris sacrificia, 128. Sacrificia sacrilega, 111, 115, 152. Sacrificandi licentiam vindicare, 200. Sacrificia malorum non sunt acceptabilia, 328. Sacrificia falsa, 200. Sacrificia falsa ac sacrilega, 128. Sacrificia illicita, 45.

Sacrificia funesta, 93, 190. Sacrificati differunt a libellaticis, 70. Sacrificatis communicare, 69. Sacrificio maculatus, 34, 87. Sacrificiis illicitis maculati, 77. Sacrificia edicto proposito celebrare populus jubetur, 82. Sacrificia in hudis, 340. Cibi illiciti de sacrificiis, 271. Sacra sacrilega, 248 Sacrilegis contactibus manus et ora maculata, 24.

Sæculum non est amabile Christiano, 352. Sæculi finis appropinquans, 200. — Sagina largiore distentus, 191. Saginati et pasti, 35. Saginati in sæculo, 101. — Salario non redimendus histrio, 101. — Salomon perdidit gratiam Domini, 201. — Salus non est nisi in Ecclesia, 105, 153. Salus nostra in baptismate constituta, 360. — Salutator matutinus, 5. — Salvianus a Gazaufala, 337. *Samaria*, 132. Samaritanorum civitas, 134. — Samuel fuit typus Christi, 281. — Sancti de nostra salute solliciti, 236. Rogat Cornelium Cyprianus, ut pro se invicem orent; et uter prior divina dignatione præcesserit, pro fratribus apud Dominum precetur, 96. Orat virgines Cyprianus ut pro se precentur, cum coronari cœperint, 181. Sanctorum felicitatis descriptio, 349. Sanctorum cœtus, 44.

Sanctificatio lavacri vitalis, 173. Sanctificare hominem non potest aqua sola, 139. Sanctificati sumus in Baptismo, 207, sanctificari salutari Baptismo, 155. — Sanctimonium, 29. Sanctum Domini, id est Eucharistia, 186, 189, 196, Sanctum ducere in lupanar, 341. Sanctum tenere intra conscientiam, 216.

Sanguine Christi redempti sumus, 173. Sanguis uvæ, 105. Sanguis Christi non est aqua, 104. Sanguinis et corporis Christi protectio, 77. Sanguinem Christi quotidie bibere, 90. Sanguinis baptismus, 136. Sanguini nostro patet cœlum, 346. Sanguinem nostrum Deus non desiderat, 234. Sanguis manabat pro fletibus, 185. — Sani non indigent medico, 71. — Sanitatis obductæ cicatrix, 359. — Sapientia mundi non est regnum Dei, 324. Sapientia vera quæ, 247. — Sara sterilis mater Isaac, 281. — Sarcina de incendio exuenda, 103. — Sarcinatrix, 53.

Satisfactio. Lapsis redditur pax ob iteratam confessionem, 28. Ob martyram prærogativam et auxilium, 22, 25. Venia petitur ob susceptos confessores, 29. Lapsi possunt Deo precibus et operibus suis satisfacere, 18. Per episcopos et sacerdotes Domino satisfacere debent lapsi, 53. Justis operationibus Deo satisfit, 230. Satisfactionibus peccata redimuntur, 85. Deus non voce sola, sed jejuniis et lacrymis placandus, 15. Pro peccatis satisfaciendum, 13. Per Christum Deo patri satisfaciendum, 15. Satisfactio longa et continua, 53. Majus delictum peccasse nec satisfacere, 191. Satisfactionis viam claudere, 192. Tres pueri, etsi bene sibi conscii, Domino satisfacere non destiterant, 191.

Satius episcopus, 77, 117. — Sattius a Sicilibbe, 334. — Saturninus, 29, 31, 32. Saturninus episcopus, 77, 117, 124. Saturninus a Thucca, 335. Saturninus ab Avitinis, 336, Saturninus a Victoriana, 336. — Saturnus fugatus a Jove, 225. Saturnus docuit litteras imprimere. *ibid.* — Saturus, 31. Saturus lector, 35, 39, 45. Saturus scolythus, 79. — Saul persequitur Davidem, 257, 269. Saul rex affixit populum, 113. — In scandalo grande crimen, 12, etiamsi stuprum conscientiæ desit, *ibid.* — Sceleris particeps est qui imperavit, 42. Scelera semper festinant, 84.

Schismata ex contemptu sacerdotum, 115. Schismata unde oriuntur, 122. Ille est vere schismaticus qui se a communione ecclesiasticæ unitatis separat, 130. Schismate majus delictum esse non potest, 129. Sine spe sunt qui schisma faciunt, 153. Quantum peccatum schisma, *ibid.* Pejus crimen schismaticorum quam lapsorum, 201. Non potest ei cum aliquo convenire, cui cum Ecclesia non convenit, 198. Pacatum habere Deum non potest, qui cum fratre pacem non habet, *ibid.* Schismatici dominico non adunati non sunt. Christi peculo non sunt commixti, 133. Fides apud schismaticos sana esse non potest, 360. Adunari animæ non possunt, quæ se ab unitate Dei diviserint, 143. Nihil prodest proximos sibi esse corporibus si mente dissideant, *ibid.* Discordans cum fratribus, nec martyrio salvatur, 212. Schismatici ecclesias humanas instituunt, 75. Numerum suum mendacio inflant, 84, 85.

A seipsis damnati, 64. Non pos ab hæreticis, sed illi a nobis recesserunt, 198. Pereunt qui a schismatis ducibus seducuntur, 129. Pari crimine tenetur qui ducem schismatis sequitur, 201. Duces schismatis rei sunt, et qui eos sectantur, 155. Perdita factio consentientes perditura, 63. Fideles movere non debent schismata, quia prædicta sunt, 82. Movere non debet confessor ad schisma deficiens, 201. Confessori schisma amplectenti magis ex hoc ipso crescunt merita pœnarum, 201. Schismaticorum execrabilis vita, 86, 87. Schismatici non habent Spiritum sanctum, 155. Precem alteram illicitis vocibus faciunt, 200. De pectoribus schismaticorum excessit Spiritus sanctus, 121. Schisma adulterum est, impium et sacrilegum, 54. Contra Deum fit, quidquid improbi ad destruendam ordinationem Dei conantur, 200. Quidam schismatici non possunt sine scandalo recipi, 87. Schismaticus et hæreticus error, 63. Schismatis incendium, 63. Schismatici nihil habent potestatis, 151. Schismaticorum Baptismus, 124, 126, 128. Schisma factum in Urbe, 59. Schismatici fervent inter initia, 74. Schismaticus non potest ad Ecclesiæ præmia pervenire, 201. Schismaticus et hæreticus, 61, 62, 64. Schismata et hæreses surgunt, 141. — Scopulosa saxa navem constringunt, 231. — Scorpii et serpentes, 157. — Scripturarum sancta et admirabilia verba, 334. Scripturarum traditores, 167. Scripturas sacras in advocationem criminum convertere, 339. — Scurrilitas vetita, 317. — Scutum fidei, 93. — Secta nostra, 298. Secta fidei nostræ, 247. Secta fraternitatis, 48. — Secundianus a Thambeis, 337. — Secundinus episcopus, 77, 117. Secundinus a Cedias, 332. — Secundinus a Carpis, 333. — Secundus esse non potest post primum, 68. — Securitas firma et perpetua, 250. Securitas indiligentiam parit, 2. — Sedatus episcopus, 102, 117, 124. Sedatus a Tuburbo, 332. — Segregatus dure et crudeliter ab Ecclesia, 71. — Seminatio discordiæ, 74. Seminatio pestifera, 89. — Semitonsum caput, 159, 161. — Semiustulatis visceribus, 185. — Sententiam non dicat, sed accipiat, 117. Sententiam accipiat quam prior dixit, 31, 32. — Separes, 132. — Septenarius numerus, 269, 281. — Serenianus præses in nostra provincia, 146. — Serenitas unde, 342. — Sergius in carcere constitutus, 165. — Sericum ne induant Christianæ, 177. — Sermo caro factus est, 131. — Serpentis nomen unde, 193. Serpens calcatus est obtritus, 47. Serpentes coluntur, 220. Serpentinis crinibus pullulantes, 141. — Servus non potest esse major domino suo, 65. Servi pervicaces, 254. Servos obedire debere dominis, 242, 324. Servorum miseria, 218. Servitute nihil fœdius, 343. — Sestertia centum millia, 100. — Severianus, 29. — Severitas divini vigoris, 42. Severitas loco præceptorum, 340. Severitas evangelicæ disciplinæ, 45. Severitatis nervi, *ibid.* — Sexagenarius fructus virginum, 180. — Sexus arte mutatur, 101. — Sicarii in media civitate, 219. — *Sicca*, 333. — *Sicilia*, 45. — *Sicilibba*, 334. — Sidonius confessor, 60, 61, 64, 65. — Signaculum dominicum, 152. Spiritu sancto signari, 151. Castris spiritalibus cœlestis militia signat, 6. — Signifer seditionis, 85. — Signum Dei, 95. Signum crucis, 201, 223, 294. Signo Christi omnes signantur, 277. Moyses vincere non potuit, nisi postquam in signo perseveravit, 267. — *Siquense* metallum, 165. — Simeon justus, 229. — Simiæ imitantur humana, 150. — Similitudo divina manifestatur in actibus nostris, 248. — Simon magus, 365. — Simulacra non sunt adoranda, 70. Simulacrorum origo, 223. Simulacra inepta, 221. — Simultas non debet esse in Christiano, 252. — Sinus vulnerum tumentes, 186. — Sitis æterna, 101. Sitis æternæ siccitas, 152. — Socratis dæmon, 226. — Sol super omnes æquali luce diffunditur, 157. Sol in occasu suo radios minus claro splendore jaculatur, 217. — Soliassus schismaticus, 52. — Solus non est cui Christus in luga comes est, 91. — Sophia dominica, 95. — Sophia, 31. — Sophronius schismaticus, 52. — Soranus, 136. — Sordes intrinsecus detrahendæ, 237.

Spectacula vetita, 339. Spectacula Christianis vetita etiamsi non essent idolis dicata, 342. Spectacula etiamsi non haberent crimen, habent vanitatem, *ibid.* Non potest qui spectat integer esse vel pudicus, 4. Discit et facere dum consuescit videre, 341. Dæmonia præsident spectaculis, 340. Diabolus artifex spectaculorum, *ibid.* Diabolo munera comparantur, 344. In spectaculis prostitutarum transitur obscœnitas, 341. Nulli hominum generi parcitur in spectaculis, *ibid.* Quidam spectacula defendunt ex Scripturæ auctoritate, 339. Refelluntur, *ibid.* Spectacula Christianis quænam congruant, 342, 343. Christianmunerarii vix diaboli servis adæquantur, 344. — Spes non concordat cum dolore, 168. Spes nostra debet esse patiens, 318. — Spesina, 31. — Spiritus ex quo renascimur ab initio ferebatur super aquas, 330. Spiritus sanctus frequenter apparuit in igne, 327. Cur in columbæ specie venit Spiritus sanctus, 196. Spiritus sanctus non datur extra Ecclesiam, 125, 139, 360. Spiritus sine aqua operari non potest, 330. Spiritus sanctus accipitur per Baptisma, 106. Spiritus accipi non potest nisi prius fuerit qui accipiat, 140. Spiritus sanctus infusus super baptizatos, 132. Spiritus sanctus incumbit super eos qui credunt, 365. Spiritus sanctus descendit super discipulos Christi, 366. Spiritus sanctus non contristandus, 306. Spiritus sanctus implevit Joannem Baptistam, 365. Spiritus sanctus omnibus præbetur, 98.

Spiritus antichristi, 134. Spiritus erratici, 5. Immundi, 190.—Sponsa Christi hortus conclusus, 152. Sponsa Christi non est hæresis, 140.—Sportulæ, 48. Sportulantes fratres, 114.—Sputamina insultantium, 249.—Stantes, 44. Stantes inconcussa fide, 10. Stantes laici, 36, 38, 41, 45, 67. Stantium plebs, 23. Stantium firmitas, 10, 15, 17. Stantium laus, 182. Stantium multitudo, 181. Laude proximi et pene conjuncti confessoribus, *ibid.* Preces stantium pro lapsis ipsorum humilitate debent adjuvari, 41. — Statio secura, 116. In statione legati Novatiani clamitant, 55. — Statius, 29.— Stephani protomartyris laus, 252.— Stephanus papa, 115, 119, 128, 138, 143, 144145, 146, 147, 150, 151.—Stephanus episcopus, 55, 56, 59.—Steriles homines, 240, 242.—Stibium diaboli, 241.— Stipendia Ecclesiæ, 51. —Stipes et oblationes, 111. —Stoicorum sententia, 70. — Stratos solo adhærere, 192.— Stupor hæreticorum, 333.— Stupra lenonum et lupanarium, 100.— Stylus discordiosus, 56.—Subitatus, 95. — Subsiciva soboles, 260. — Subsidia nummaria pro redimendis captivis, 100.—Substantia salutis, 201.—Succedanei histriones, 101. — Successionum vices, 37.—Successus episcopus, 77, 117, 124, 165. Successus ab Abbir Germaniciana, 332.—*Sufes*, 332.—*Sufetula*, 332. Suffragia divina, 46. — Suillæ carnis contagium, 270. — Summulæ pro redimendis captivis, 100. — Sumptus Ecclesiæ, 101.—Superba jactatio non de Christi magisterio nascitur, 81. Superbia damnata in confessoribus, 212. In Christianis, *ibid.*—Superius, 76. — Supersedere, id est perseverare, 57.—Superstitiones contra Deum, 340. Superstitio senebrosa, 224. — Supplicia plura quam membra, 5. Supplicia cesserant martyribus, 16. Supplicia æterna, 44. — Susanna pudica, 53. Susanna et libidinem evasit et mortem, v.—Suspensi a functionibus presbyteri, 19.— Suspirandi fomenta, 176.—Susurrones maledicti, 328.—Symbolum Trinitatis, 146.— Synagoga hæreticorum, 147, 148. — Synodi singulis annis celebratæ, 143.

T

Tabitha suscitata, 259.—Tarditas tormentorum, 158. — Tatius invenit Cloacinam, 226.—Tecta pro claustris, 330.— Tela quæ nesciunt vinci, 36. Tela latentia, 256. Tela probantium quæstionum, 347.—*Telepte*, 336.Temeraria judicia vetita, 315.—Temeritatis magister, 111.—Templum vetus et templum novum, 279. Dominus insedit mentem templi vice, 6. Templum Dei factus est qui sanctificatus est, 133. Templa Dei membra nostra, 175. Eorum templorum cultores et antistites sumus, *ibid.* Templa Dei turpi concubitu maculata, 12. Templa profana, 248. — Temporum necessitas, 68. — Tenax episcopus, 117. Tenax ab Horreis Cæliæ, 336.—Tenebræ in passione Christi, 294. Tenebræ lucidiores sole ipso, 165. Tenebræ sterilitatis, 241.—Tenor salutis, 112. Tenor evangelici vigoris, 43. Tenor fidei, 141, 158. Tenor vivendi, 173. Tenor disciplinæ, 35. — Tentamur ut probemur, 326. Tentatio hæretica, 57.—Terrestribus non inhærendum, 184.—Tertullus episcopus, 77, 102, 124. Tertullus presbyter non deest circa curam corporum confessorum, 50. Tertullus, 10. Tertullus, 50.—Testamentum Novum, 278, 280.—Testis de se nemo esse potest, 121. Testis falsus non erit impunitus, 150. — *Thabraca*, 333.—*Thambei*, 337. — *Tharassa*, 336.—*Thasvalte*, 334.— Theatrorum turpitudo, 3. — Thebanorum germanitas, 227. —*Thebeste*, 334.—*Theni*, 333.—Theogenes ab Hippone regio, 332.—Therapius episcopus, 97. Therapius a Bulla, 336. —Thesaurus ubi reponendus, 184. Thesauri cibi commendandi, 176.—*Thibari*, 334. Thibaris plebs, 90.—*Thuburi*, 330. — *Thucca*, 333, 337. — Thuribula jussu Domini conflata, 154. — Thurificati, 66. — Tiberinus, 226. —Tibiam inflare, 342.—*Timisa*, 335.—*Tinida regia*, 336. — Timor est fundamentum spei et fidei, 311. Timor innocentiæ custos, 2. Timore cogitur qui timetur, 6.—Tinctio hæreticorum sordida et profana, 126. Tinctio profana, 158. — Tinea animæ, 257.—Tobias, 231. Tobias per corporis sui cladem crevit adlaudem, 251. Tobiæ mandata ad filium, 243. Tobiæ patientia laudatur, 253. Tobias confessionem suam Deo servat, 269.—Togæ non habent pacem, 219.— Torcularis calcatio et pressura, 186.

Tormentorum descriptio, 13, 16. Tormenta superare, 46. Tormenta quibusdam defuerunt, 50. Tormentorum vi subacti, 76. Tormentorum tarditas, 158. Tormenta venerunt, 185. Tormenta paucorum exempla sunt omnium, 189. Tormenta longa, 220. Tormenta verborum, 221. Tormenta

Digitized by Google

quæ finem non habebunt, 224. Tormenta martyrii, 251. Tormenta contemnere nec horrere, 346.

Torti torquentibus fortiores, 16.—Torvus aspectus, 238. —Tractantes episcopi, 91. Tractante episcopo, 70. Tractatu habito, 66, 69.

Traditio, 138, 141, 142. Traditio apostolica, 133, 134, 141, 153. Traditum est unam esse fidem, unam Ecclesiam, 142. Traditio dominica, 104, 109, 110. Traditio divina, 56, 58, 119. Damnari debet quidquid judicatur contra solemnissimam observationem omnium sanctorum, 353. Stephanus papa decernit nihil innovandum, nisi quod traditum est, 138. Observationis antiquissimæ quanta auctoritas? 354. Traditio humana, 109, 139, 144. Divinæ dispositioni non auteponenda, 139. Traditio nova sacrilegæ institutionis, 53.

Traditores Scripturarum, 167.—Tranquillitas et securitas in quo positæ? 6. — Transcriptionis facultas, 45. — Transpunctæ mentis alienatio, 192. — Transversariis, 159. Tremor in labiis, 258.— *Tria fata*, 29. — Tribus duodecim Israel scinduntur, 153, 196.

Trinitas. Trinitatis sacramentum in novissimis temporibus manifestatum, 215. Tres unum sunt, 366. Trinitatis insinuatio, 131. Unus Deus, Pater, Filius, et Spiritus sanctus, 133. Tres unum sunt, *ibid*. Sine Patre aut contra Patrem prodesse Filius solus non potest, 134. Nec potest esse spes salutis nisi duobus simul cognitis, *ibid*. Qui non tenent Deum Patrem, nec Filium nec Spiritum sanctum tenere possunt, 143. Non potest a Christo Spiritus separari, 139. Trinitatem Novatiani agnoscunt ut Catholici, 154. Non est major mittente qui missus est, 139.

Triticum non rapit ventus, 197. — Triumphi martyrum, 35.—Trophæum crucis, 225. — Trophimus, 66, 69. — Tuba precum, 44. Tuba militaris, 262. — Tubæ clangores, 342. —*Tuburbu*, 332. — *Tuchabori*, 332. — Tumor damnatur in Christianis, 12. Tumor superbus, 113. Tumentes vulnerum sinus, 186.—Tumultum nemo moveat fratribus, 166.—Tunica Jesu Christi non dividitur, 196 —Turasius presbyter, 168.— Turpes turpis infamat, 4. — Tutela divina, 88. Tutela datur fidentibus, 253. Tutela non competit clericis, 114.—Tutus nemo est periculo proximus, 102.—Tympana, 339. — Tyrannus infestus sacerdotibus, 69. Tyrannicus terror, 330.

V

Vaga, urbs Africæ, 333.—Valentiniani, 130. —Valentinus hæreticus, 144. Valentini baptismus, 140.—Valerianus imperator, 165.—Vapor æstuantium delictorum, 37.—Vasa aurea vel argentea, 65, 74, 159. — Vastitas armentorum, 186.—Venantius episcopus, 117. Venantius a Timisa, 335. —Venditio liberorum, 171.—Venefici, 209.—Venenum pro remedio, 53. Venena subvertendæ veritatis, 130. Venena fellis, 261. Venenati sermonis contagium, 89. —Venter solutus in fluxum, 232.—Ventilare preces nostras non debemus, 205. — Venus calva, 226. — Venustus martyr, 30. — Verianus episcopus, 77.

Veritatis imago, 130. Veritatis origo, 194. Quænam sit origo veritatis et caput, *ibid*. Veritatis caput et origo, 198. Veritatis sacramentum, 135. Veritas cogit ad bonum, 216. Veritas evangelica, 53, 153. Veritas Spiritus sancti, 117. Veritatis plenitudo, 105. Veritas christiana, 134. Veritas ecclesiastica, 130. Veritatis ecclesiasticæ lumen, 150. Veritatem factis destruere, 233. Veritatis hostes, 36. Veritatis inimicos ignis absumet, 346. Veritas facinoris dolore corporis exprimitur, 220.—Vernaculi dii Romanorum, 226. — Verulus a Rusiccade, 336.—Vestigia cognationis, 47. Vestigia gloriarum, 25.—Vestis algentibus deest, 159. Vestis pretiosæ cultus, 191. Vestium insignia, 176. Vestis debet esse congrua, 262. Vestem muliebrem induere non licet viris, 101. — Vetustate temporis frustratur quod de sæculo cupitur, 348.—Vicaria ordinatio, 148. Vicarius et successor, 117. Vicarii Cypriani absentis duo episcopi et duo presbyteri, 51. Vicariæ litteræ, 97, 163.—Vicem malis non reddendam, 314. — Victima debet præsentibus fratribus immolari, 97. — Vincit semel qui statim patitur, 25. Vinci non potest Christianus, 95. Victi nolunt succumbere, 155. —Victor episcopus, 52, 77, 99, 102, 117, 124. Victor quondam presbyter, 97. Victor ex lectore diaconus, 13. Victor in metallo constitutus, 158, 161. Victor a Gor, 334. Victor ab Assuras, 336. Victor ab Octavo, 337.

Victores in secundo prælio, 185. — Victoria conjux Felicis presbyteri, 27.—Victoriana, 335.—Victoricus episcopus, 77, 117. — Victorinus martyr, 30. Victorinus a Thabraca, 335. — *Vicus Cæsaris*, 333.

Viduarum cura commendatur, 49. Viduæ antequam nuptæ, 179. Vidua quæ pavit Heliam, 242. Viduæ probatæ honorandæ, 325. Viduæ protegendæ, 328. Vidua Evangelii, 242.—Vigilat in pluma, 5. — Vigor episcopatus, 80, 112. Vigor evangelicus, 66, 120. Vigor fidei sincerus, 26. Vigor fidei, 69, 203. Vigor conscientiæ victricis, 160.

Vincentius episcopus, 117. Vincentius a Thibari, 334.

Vinculum christianæ veritatis, 56. Vinculum unitatis, 123, 143. Vinculum fidei, 137. Vinculum fortissimæ caritatis, 160. Vinculum pacis et concordiæ, 129. Vinculi matrialis pudor, 100. Vincula Christianorum sunt ornamenta, 159.

Vindicta Christianorum, 255, 272. Vindicta pro persecutione, 221.—Vinea Domini domus Sabaoth, 108.—Vineam grando debilitat, 218.—Vir gravis non facile flecti debet, 70. Viri caput est Christus, 270. Vir infra virum jacens, 342. Viris vetitum induere vestem muliebrem, 101. — Virga ferrea, 65, 74.

Virgines se Christo dicaverunt, 174. Tam carne quam mente se Deo voverunt, *ibid*. Virgines quæ se ex fide dicaverunt Christo castæ perseverent, 102. Si perseverare non possunt vel non volunt, melius est ut nubant, *ibid*. Virgines quæ statum suum firmiter semel tenere decreverunt, *ibid*. Christo dicatæ et ipsius sanctitati destinatæ, 105. Nativitatis iteratæ major sanctitas in virginibus, 180. Virgines angelis Dei æquales, *ibid*. Resurrectionis gloriam jam tenent, *ibid*. Flos ecclesiastici germinis, 174. Illustrior portio gregis Christi, *ibid*. Dei imago, *ibid*. Per eas floret Ecclesiæ fecunditas, *ibid*. Excedunt cum gloria sua, 253. Præmium virginum, 174, 180. Virginitatis laus, 72, 160, 174. Virginitatis bonum, 315. Virginum dominus et caput Christus, 180. Dominus non jubet, sed hortatur ad virginitatem, 180. Virgines corruptæ non mariti sed Christi adulteræ, 103, 172. Virginibus corruptis pœnitentia plena imponitur, 103. Magna supplicia pro amissa virginitate, 179. Frequenter Ecclesia virgines suas plangit, *ibid*. Plurimæ virgines corruptæ per illicitas et periculosas conjunctiones, 102. Virgines cum masculis habitare non debent, *ibid*. Corruptæ virgines ex ornatu, 177. Nimis corruptæ a cœtu virginum arcendæ, 178. Ne perdant alias quæ perierunt, *ibid*. Auro et margaritis ornatæ ornamenta cordis perdiderunt, 177. Soli Domino ornari debent, 174. Virgo non est quæ sic vivit ut possit amari, 176. Pudica non est quæ suspiria adolescentium post se trahit, *ibid*. Virgo non solum esse sed et intelligi debet et credi, 174. Virgo dum oblectat alios ipsa polluitur, 179. Adversus virgines divites, quæ bonis suis uti se debere contendunt, 175. Mœror de periculo virginum captivarum, 100. Sæpe obstetrices falluntur in probandis virginibus, 102. Jubet Cyprianus inspiciantur virgines diligenter, 103. Virginalis continentia, 68. Virginitas immaculata, 331.

Virtus presbyter, 52. — Virtutes omnes solent fieri in nomine Christi, 338, 362. Virtutem verbis præferre, 235. — Virus inclusum, 186. Virus malorum blandientium, 5. Virus discordiarum, 261. — Viscerum infirmitas cessit, 185. Viscera hiantia, *ibid*. Viscera fessa laboribus, 139. — Visio oblata Celerino, ne lectoris munus recuset, 47. Visiones, 79, 234. Somnia et visiones ineptæ quibusdam videntur, 124. Nocturnæ visiones, 19, 20. — Vitæ æternitas, 26. Vita hic aut amittitur aut tenetur, 224. — Vitiorum furentium varietas, 220. Vitiorum enumeratio, 230. Vitiorum assertores blandi, 339. — Vivendi tenor, 173. Vivimus per Christum, 160. — Ululæ, 336. — Unanimitas et concordia, 58, 59. Unanimitas fidei et veritatis, 143. Unanimitas christiana, 153. Unanimitas deprecantium, 198. Unanimitatis sacramentum, 80. Unanimitatis exempla, 95. Unanimitas sub Apostolis olim fuit, 203. — Undæ circumspumantes, 344. — Ungi debet baptizatus, 125. — Ungula effodiens, 4, 185. Ungulæ pulsantes ac laniantes, 16. Ungula resultans recurrat in vulnus, 344.

Unitatis origo, 195. Unitatis vinculum, 116, 143. Unitatis sacramentum, 132, 142, 153, 196. Unitatis divinæ ratio, 130. Unus et idem Dominus, qui habitat in nobis conjungit ubique suos vinculo unitatis, 143. Unitas a Domino tradita, 57. Unitas evangelici sacramenti, 65. Unitas institutionis catholicæ, 58, 59. Unitas Ecclesiæ catholicæ, 56, 61, 66, 68, 72, 73, 74, 75, 127, 128. Unitatis origo in Petro, 131. Unitas sacerdotalis exorta ab ecclesia Romana, 86. Unitas separari et dividi non potest, 151. Unitas scindi non potest, 202. Unitatem scindens graviter peccat, 215. Unitatis et pacis inimicus, 89. Unitatis divinæ inimicus, 153. Unitatis tenacitas ac firmitas, 252. Unus actus et una consensio secundum Domini præcepta, 28. — Volucres Deus pascit, 241. — Voluntas Dei fiat in nobis, 208. Voluntatem Dei facere debemus, 234. — Votum Dei reddendum, 315. Membra Deo dicata, 100. Membra in æternum continentiæ honore pudica virtute devota, *ibid*. Pudori corpora dicata, 179. — Vox purificationem confessionis illustris, 26. Vocis prostitutæ audacia venalis, 5. — Uranius, 31. — Urbanus confessor, 60, 61, 64, 65. — Urbici clerici, 53. — Usura vituperatur, 183. Usura vetita, 318. — *Uthina*, 333. — *Utica*, 166, 335. — Utilius quædam tacentur in præceptis, 340. — Uva melius vestitur erumpentibus pampinis, 343. Uvæ sanguis, 105. — Uxor a viro non discedat, 326. — Vulgus stultum et credulum, 226. — Vulnera conscientiæ, 238. Vulnerum

Digitized by Google

gloria, 46. Vulnerum gloria victoriam fecit, 47. Vulnerum clara signa, *ibid.* — Vultus minax, 258.

X

Xysti episcopi Romani martyrium, 165.

Z

Zacharias occisus in templo, 88, 269. — *Zama*, 336. — Zelare non modicum crimen est, 255. Zelus divinæ fidei, 132. Zeli insania, 95. Zeli dolor, 103. Zelus amicitiam abscindit, 250. Zeli pernicies late patet, 257. Zeli vulnera abstrusa sunt et occulta, 258. — Zelotypi disciplinæ Christi, 30. — Zetus episcopus, 62. — Zizania in Ecclesia, 68. — Zosimusa Tharassa, 336.

SYLLABUS RERUM QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

Conspectus totius editionis.

Siglorum explicatio.

Præfatio, in qua, post enumeratas S. Cypriani operum editiones, de S. Martyris doctrina pluribus disseritur, auctore D. Prud. Maran., O. S. B. 10

I. — Cypriani sententia de unitate et infallibilitate Ecclesiæ. 15

II. — Refelluntur qui episcopos apud Cyprianum jure divino a presbyteris distingui negant. 21

III.—Primatus Ecclesiæ romanæ a S. Cypriano semper agnitus. 23

IV. — De dissensione S. Cypriani cum S. Stephano. Nullum Baptisma probatum Stephano, nisi quod ex præscripta a Christo forma datum esset. 27

V. — S. Cyprianus sententiam adversariorum minus intellexit. De Baptismo in Christi nomine. Stephani sententia orta ab Apostolis. 31

VI. — Quibus potissimum rationibus sese S. Cyprianus defenderit. Nec sacramenta a malis in Ecclesia administrata, nec traditionem rejecit. 35

VII. — Confirmationem non confundit S. Cyprianus cum impositione manuum in hæreticos redeuntes. Confirmationem inter sacramenta enumerat. 39

VIII. — Pœnitentiæ sacramentum ex S. Cypriani testimoniis defenditur, quam necessarium judicaverit, quam sancte administrari voluerit ostenditur. Nonnulla illius dicta explicantur. 42

IX. — Utrum in Africa ante S. Cyprianum gravissimis criminibus negata fuerit communio post pœnitentiam. 47

X. — Utrum nova sub S. Cypriano inducta sit disciplina, ac pristina severitas in solos apostatas et desertores retenta. 51

XI. — Utrum S. Cyprianus lapsis in decursu pœnitentiæ morientibus pacem, negaverit, his tantum exceptis qui libellos a martyribus acceperant. 55

XII. — Utrum concilium Carthaginense pœnitentiam sacrificatis per totum vitæ tempus imposuerit. 59

XIII. — De Christi in Eucharistia præsentia. 61

XIV. — De communione sub utraque specie. 65

XV. — S. Cypriani sententia de Sacrificio, de Purgatorio et invocatione Sanctorum. 71

XVI. — De Christi divinitate, ejusque gratia. 73

Vita S. Cypriani, cura D. Prudentii Maran. adornata. 67

I.—De S. Cypriano nondum Christiano. Distinguendus est a Cypriano Antiocheno. 75

II. — De S. Cypriani conversione. Catechumenus bona sua distribuit, seque voto continentiæ. Incertum quo anno et tempore baptizatus. 77

III. — De studiis et scriptis S. Cypriani a Baptismo usque ad Ordinationem. 81

IV. — Cyprianus presbyterium et sacerdotium statim accipit. Quo anno ordinatus episcopus. Res gestæ et scriptæ in primordiis episcopatus. 82

V. — De persecutione Decii ejusque initiis, ac de magno lapsorum et confessorum numero. 86

VI. In quo positum eorum delictum qui *libellatici* appellati sunt. 89

VII. — Cyprianus secedit in persecutione justissimis de causis. 93

VIII. — De litteris cleri romani Carthaginem missis, postquam Cyprianum secessisse nuntiatum est. 95

IX. — De prima Cypriani Romanorum litteris responsione. De tredecim litteris ante secundam responsionem scriptis et simul cum illa Romam perlatis, ex quibus multas desiderari ostenditur. 96

X. — Ordo epistolarum Cypriani ante decimam quintam ad Romanos scriptam; ac primo de quinta et nona. Referenda ad aliud tempus trigesima septima. 99

XI. — Quinque S. Cypriani litteræ de lapsis. Facinus presbyterorum qui communionem lapsis dederant, non dissimulavit. — Non suspensionem, sed excommunicationem illis minatur. 101

XII. — De epistola quinta decima S. Cypriani et pluribus aliis paulo post novo tumultu exorto scriptis. 106

XIII. — De epistola Celerini ad Lucianum et responso Luciani. 108

XIV. — Scribit S. Cyprianus ad clerum de ordinatione Saturi et Optati. Variæ lapsorum ad S. Cyprianum litteræ. Clerus removet a communione sua Gaium Diddensem. Quo tempore litteræ XXV et XXIX scriptæ. De cleri romani et confessorum litteris. 110

XV. — Persecutio recrudescit: pax futura S. Cypriano revelatur. Res interim ab eo gestæ et scriptæ anno 250 exeunte recensentur. 113

XVI. — Vicarios pro se mittit Cyprianus. Minæ Felicissimi. 115

XVII. — Schisma Felicissimi, anno 251 ineunte. Novatus unus ex quinque schismaticis presbyteris. De Epistola XL Cypriani. 117

XVIII. — Redit Cyprianus, persecutione sopita, et cum collegit deliberat de causa lapsorum; sed ante concilium scribit librum *de Lapsis*. 119

XIX. — Prudentia S. Cypriani in comprimendo schismate Novatiani, et confirmando episcopatu S. Cornelii. 123

XX. — Quo tempore erupit schisma Novatiani. 125

XXI. — Quo tempore ordinatus Novatianus. 128

XXII. — Ordo rerum a S. Cypriano gestarum in causa Cornelii. 131

XXIII. — Novi conatus Novatiani. Reditus confessorum romanorum in Ecclesiam hortatu Cypriani: id ante concilium romanum anni 251 contigisse ostenditur. 133

XXIV. — De gestis et scriptis S. Cypriani anno 252, ante persecutionem. 136

XXV. — Persecutio revelatur Cypriano. Hortatur Thibaritanos ad certamen. Lapsis pœnitentibus pacem restituit in concilio, quod ab alio idibus mali habito distingui debet. 141

XXVI. — S. Cornelio gratulatur confessionis laudem S. Cyprianus. Confessores Carthaginenses exhortatur per Epist. LXXXI, quæ in hac persecutione scriptam fuisse ostenditur anno 252. 142

XXVII. — Mira charitas S. Cypriani in pestis calamitate. Religionem defendit adversus Demetrianum. Totius ecclesiæ Carthaginensis prolixa in redimendis captivis liberalitas. 146

XXVIII. — De libris et epistolis post persecutionem scriptis sub Valeriano atque in primordiis Stephani papæ, anno 253 et 254. 149

XXIX. — Dissensiones de baptismo exortæ anno 253 exeunte: ac S. Stephanus ante cum Orientalibus quam cum Afris certavit. 152

XXX. — Ordo et series rerum in Africa gestarum anno 255 et 256, usque ad concilium tertium Carthaginense. 155

XXXI. — De concilio tertio Carthaginensi. Mittit Cyprianus Rogatianum diaconum ad Firmilianum. De epistola Firmiliani ad Cyprianum. 160

XXXII. — Nonnullæ observationes adduntur in hanc de Baptismo controversiam. 164

XXXIII. — De Epistola LXIII Cypriani adversus eos qui aquam solam in matutino sacrificio adhibebant. 166

XXXIV. — Confessio et martyrium Cypriani. 167

XXXV. — De libris Cypriano adscriptis, ac primum de tribus epistolis a Baluzio vulgatis. Recensentur libri de Spectaculis, de Laude martyrii, de Rebaptismate, de Pudicitia, ad Novatianum, etc. 171

XXXVI. — De singularitate clericorum, epistola Celsi ad Vigilium, et nonnullis aliis. 174

XXXVII. — De S. Cypriani Antiocheni Pœnitentia, et aliis duobus libellis ad eum pertinentibus. 178

Notitia codicum manuscriptorum qui ad hanc editionem adornandam adhibiti fuere. 181

Ordo epistolarum S. Cypriani quem Pamelius et Baluzius secuti sunt, comparatur cum ordine editionis Oxoniensis et novæ Parisiensis. 185

Tractatus. 187

Opuscula vulgo adscripta S. Cypriano, ex editionibus Oxoniana et Baluziana. *Ibid.*

Ordo epistolarum alphabeticus. *Ibid.*

Ordo epistolarum et tractatuum S. Cypriani, accommodatus ad ea quæ in Vita sancti Martyris disseruit D. Maran. 189

Digitized by Google

DIVI THASCII CÆCILII CYPRIANI EPISCOPI CARTHAGINENSIS ET MARTYRIS OPERUM PARS PRIMA. — EPISTOLÆ. 191

EPISTOLA PRIMA. *Ad Donatum.* — Cum donato Cyprianus sermonem habet de rebus divinis; ac gratiam Dei per Baptismum collatam commendans, quantum sit mutatus ab illo significat, et ad oculum demonstratis mundi erroribus, ad contemptum ejus, ad assiduam denique lectionem et orationem adhortatur. *Ibid.*

EPIST. II. *Cleri romani ad clerum carthaginensem de secessu divi Cypriani.* — Clerus romanus post secessum Cypriani pro suo zelo fidei, clerum carthaginensem officii sui admonet, ac instruit quid circa lapsos, interea dum abest illorum episcopus, fieri oporteat. 225

EPIST. III. *Ad presbyteros et diaconos Romæ consistentes.* — Epistola familiaris. 230

EPIST. IV. *Ad presbyteros et diaconos.* — Hortatur clerum suum divus Cyprianus, jam in secessu constitutus, ut vice sua rite fungantur, neve quid aut constitutis in carcere aut cæteris pauperibus desit: deinde ut plebem in quiete contineant, ne, si glomeratim ad martyres in carcere visitandos concurrant, tandem id illis interdicatur. 232

EPIST. V. *Ad presbyteros et diaconos.* — Confessores sui officii vult admoneri clero, ut humilitati det operam, ac presbyteris ac diaconis morem gerant; obiter etiam secessus sui causam reddit. Est autem etiam hæc e numero Epistolarum XIII, de quibus infra Epistola XV. 233

EPIST. VI. *Ad Rogatianum presbyterum et cæteros confessores.* — Rogatianum et cæteros confessores exhortatur ad disciplinam observandam, ne qui Christum voce confessi fuerant operibus abnegare videantur: obiter increpans quosdam eorum, qui exorres facti ob fidem, in patriam tamen injussi reverti non verebantur, atque hoc est quod Cyprianus infra dicit, Epistola XV, extorribus quando oportuit objurgationem non defuisse: nam in secessu scriptam hanc Epistolam patet. 235

EPIST. VII. *Ad clerum, de precando Deo.* — Ejusdem fere est argumenti cum duabus præcedentibus, præterquam quod hic ad preces exhortetur assiduas. 240

EPIST. VIII. *Ad martyres et confessores.* — Martyres Africæ Cyprianus miris modis a constantia commendanda invitat ad perseverantiam, exemplo Mappalici, eorum collegæ. 245

EPIST. IX. *Ad clerum, de quibusdam presbyteris qui temere pacem lapsis dederunt, necdum sedata persecutione, et citra conscientiam episcoporum.* 250

EPIST. X. *Ad martyres et confessores qui lapsis petierunt pacem dari.* — Martyres et confessores consilio suo quantum potest ad dominica præcepta S. Cyprianus revocat. 255

EPIST. XI. *Ad plebem.* — Plebi ipsi, quantum potest animum componit S. Cyprianus, et ut in ecclesiastica disciplina serventur instruit. 256

EPIST. XII. *Ad clerum, de lapsis et catechumenis, ne vacui exeant.* — Cum quidam de lapsis audaci flagitatione prorumperent ut pacem sibi a martyribus et confessoribus promissam extorquere niterentur; de hoc bis ad clerum litteras facit S. Cyprianus, ut illorum violentiam mitiget, et exomologesi facta cum pace ad Dominum remittantur. 259

EPIST. XIII. *Ad Clerum, de his qui ad pacem festinant.* Ad pacem per pœnitentiam veniendum, illa autem agitur servando mandata. Infirmitate pressi, si martyrum suffragiis subleventur, ad pacem admitti possunt: cæteris usque ad pacem Ecclesiæ factam detinendi. 260

EPIST. XIV. *Ad presbyteros et diaconos Romæ consistentes.* — Secessus sui et eorum quæ in illo gessit, rationem reddit, missis Romam in sui purgationem, quas ad suos scripserat Epistolarum exemplis, immo iisdem quibus illic, verbis utitur. Cf. Ep. XXII, *ad Cler. Rom.* 261

EPIST. XV. *Ad Moysen et Maximum et cæteros confessores.* — Suavi hac in epistola Cyprianus martyrum animos sua fide et confessione robustos suis allocutionibus recreat; felicitates eorum condiguis laudibus prosequens ad multo ardentiorem cœlestis gloriæ cupiditatem accendit. 265

EPIST. XVI. *Confessorum ad Cyprianum.* — Libellus martyrum nomine a Luciano scriptus. 268

EPIST. XVII. *Ad presbyteros et diaconos, de præcedenti et duabus sequentibus epistolis.* — Nulla ratio habenda libellorum martyrum, ante pacem Ecclesiæ redditam. 269

EPIST. XVIII. *Caldonii ad Cyprianum.* — Cum lapsorum quidam, nova urgente persecutione, Christum confessi essent atque adeo antequam in exilium proficiscerentur, pacem peterent, consulit Cyprianum Caldonius an pax illis danda foret. 272

EPIST. XIX. — *Respondet Caldonio.* — Nihil peculiare agit hac epistola Cyprianus, quam quod Caldonii sententiæ accedit, iis nempe lapsis pacem negandam non esse, qui vera pœnitentia et Christi nominis confessione illam meruerint, atque adeo sibi reddiderint. 372

EPIST. XX. *Celerini ad Lucianum.* — Celerinus pro sororibus suis Romæ lapsis, pacem a confessoribus Carthaginensibus petit. 274

EPIST. XXI. *Lucianus respondet Celerino.* — Lucianus Celerini petitioni annuit. 279

EPIST. XXII. *Ad clerum Romæ consistentem, de multis confessoribus, et de Luciani inverecundia et Celerini confessoris modestia.* — His litteris Cyprianus clerum Romanum certiorem reddit de seditiosa lapsorum postulatione, ut ad pacem restituerentur et de inverecundia Luciani. Quæ quo melius intelligantur, litteras tum suas, tum Celerini et Luciani transmittendas curat Cyprianus. 282

EPIST. XXIII. — Hæc epistola abest, non relapsa, sed numero. 286

EPIST. XXIV. *Ad clerum, de litteris Romam missis et de Saturo lectore et Optato hypodiacono factis.* — Clerus hac epistola certior fit Ordinationis Saturi et Optati, et de iis quæ Romam scripsit Cyprianus. 287

EPIST. XXV. *Ad Moysen et Maximum et cæteros confessores.* — Epistola hæc est gratulatoria ad confessores Romanos. 288

EPIST. XXVI. *Moyses, Maximus, Nicostratus, et alii confessores respondent præcedenti epistolæ.* — Solatia quæ ex Cypriani litteris perceperant Romani confessores, grati agnoscunt. — Martyrium non pœna sed felicitas. — Voces evangelicæ faces ad inflammandam fidem. — In lapsorum causa Cypriani sententiæ acceditur. 290

EPIST. XXVII. *Cyprianus lapsis.* — Argumentum hujus epistolæ infra habes Epistola XXIX. « Litteras, inquit, ad me fecerunt, pacem non dandam sibi postulantes, sed quasi jam datam sibi vindicantes, quod dicant Paulum omnibus pacem dedisse, sicut in litteris eorum quarum exemplum ad vos transmisi, legetis, simul quid et ego eis breviter rescripserim. » Desideratur autem lapsorum epistola ad quos rescribit. 300

EPIST. XXVIII. *Ad presbyteros et diaconos.* — Argumentum hujus epistolæ satis convenit cum præcedenti, ac puto eam esse de qua in sequenti epistola loquitur; laudat enim clerum suum, quod Gaium Diddensem presbyterum et diaconum ejus, qui lapsis temere communicabant, communione movissent, et ut de aliis quibusdam idipsum fiat hortatur. 302

EPIST. XXIX. *Ad presbyteros et diaconos Romæ consistentes.* — Clerus Romanus certior redditur de temeritate lapsorum qui pacem deposcebant. 304

EPIST. XXX. *Presbyteri et diaconi Romæ consistentes ad Cyprianum.* — Ecclesia Romana sententiam suam de lapsis cum Carthaginensis decretis consentientem proponit. — Lapsis adhibita indulgentia ad Evangelii normam exigitur. — Pacem confessoribus concessam gratis tantum et favoribus inniti inde constat quod lapsi ad episcopos remittantur. — Seditiosa pacis postulatio Felicissimi factioni imputanda. 305

EPIST. XXXI. *Cleri romani ad Cyprianum.* — Quod paucis epistola præcedenti, nunc latius et solide tractat clerus Romanus, respondens alteri quoque epistolæ Cypriani, e qua verba aliquot citat, quæ exstare non putatur, obiter etiam gratias agit Cypriano pro missis litteris ad martyres et confessores Romanos. Scripta est autem, uti et præcedentes cleri Romani, vacante Sede, post mortem Fabiani. 309

EPIST. XXXII. *Ad clerum Carthaginensem de missis Romam et acceptis inde litteris.* — Monetur clerus Carthaginensis ut litteras cleri Romani et Cypriani responsa communicanda curet. 318

EPIST. XXXIII. *Ad clerum et plebem, de Aurelio lectore ordinato.* — Clero et plebi renuntiat Cyprianus Aurelium confessorem a se lectorem ordinatum, obiter virtutis illius et animi constantiam commendans, quibus etiam, ulteriorem gradum in Ecclesia merebatur. 319

EPIST. XXXIV. *Ad clerum et plebem, de Celerino lectore ordinato.* — Argumentum pene ejusdem est cum præcedenti, præter quam quod multis commendat Celerini in confessione fidei constantiam. Utramque autem in secessu scriptam ipsæ contextus circumstantiæ satis indicant. 332

EPIST. XXXV. *Ad eosdem, de Numidico ordinato et presbytero.* — Nuntiat clero et plebi Numidicum a se ordinatum presbyterum, paucis dignitatem illius commendans. 336

EPIST. XXXVI. *Ad clerum, de cura pauperum et peregrinorum.* — Monet ne glomeratim martyres visitent, ne viduas, infirmos, pauperesve aut peregrinos negligant. 528

EPIST. XXXVII. *Ad clerum, ut confessoribus in carcere constitutis, omnis humanitas præbeatur.* — Hortatur clerum suum ut omnis humanitas et cura adhibeatur circa confessores, tum vivos, tum in carcere defunctos; ut dies mortis eorum diligenter annotentur, ad celebrandam quotannis eorum memoriam; denique ut pauperum etiam non obliviscantur. 349

Digitized by Google

Epist. XXXVIII. *Ad Caldonium, Herculanum et cæteros, de abstinendo Felicissimo.* — Felicissimus, una cum seditionis suæ sociis, a communione omnium arcendus. 331

Epist. XXXIX. *Caldonii, Herculani et cæterorum epistola ad Cyprianum, de abstento Felicissimo cum suis.* — Quod jusserat illis epistola præcedens, perficiunt Caldonius, Herculanus ac cæteri. 333

Epist. XL. *Ad plebem, de quinque presbyteris schismaticis factionis Felicissimi.* — Quemadmodum epistola ante hanc secunda clero, sic nunc plebi nuntiat Cyprianus vitandum Felicissimum, cum suæ factionis quinque presbyteris, qui tum lapsis sine discrimine pacem dabant, tum seditionem et schisma adversum se concitarent. 334

Epist. XLI. *Ad Cornelium, quod ordinationem Novatiani non receperit.* — Nuntii a Novatiano missi, qui illius ordinationem Ecclesiæ Carthaginensi significaverant, a Cypriano rejiciuntur. (Vid. tom. III, col. 699.) 341

Epist. XLII. *Ad Cornelium, de ordinatione ejus a se comprobata et de Felicissimo.* —Excusat se Cyprianus quod indubitatam fidem non habuerit ordinationi Cornelii, priusquam ad se pervenirent litteræ collegarum Caldonii et Fortunati, quibus illa legitima fuisse comprobatur : idque, ob contrariam Novatianæ partis factionem, obiter repetens, quod illi statim in ipsis primordiis non adhæserit, sed potius Cornelio, usque ut adeo criminationes contra hanc suscipere detrectarit. (Vid. tom. III, col. 703.) *Ibid.*

Epist. XLIII. *Ad eumdem, quod ad confessores a Novatiano seductos litteras fecerit.* — Argumentum epistolæ titulus satis indicat; constat autem ex nuntio unam missam hanc epistolam et sequentem cum præsenti. (Vid. tom. III, col. 708.) *Ibid.*

Epist. XLIV. *Ad confessores Romanos, ut ad unitatem redeant.* — Confessores Romanos factione Novatiani et Novati seductos hortatur, ut ad unitatem redeant. 342

Epist. XLV. *Ad Cornelium, de Polycarpo Hadrumetino.* — Hac se purgat epistola quid factum sit, ut interea dum Hadrumeti fuerit, non ad Cornelium, sed ad clerum Romanum litteræ inde a Polycarpi clero fuerint factæ, cum tamen antea ipse Polycarpus ad Cornelium potius scripserit. Constat autem ex ipso contextu paulo, post præcedentes hanc esse conscriptam. (Vid. tom. III, col. 709.) 343

Epist. XLVI. *Cornelii ad Cyprianum, de confessoribus ad unitatem reversis.* — Cornelius Cyprianum certiorem facit de solemni, quem describit, confessorum ad Ecclesiam reditu. (Vid. tom. III, col. 716.) *Ibid.*

Epist. XLVII. *Cypriani ad Cornelium responsum congratulatorium de illorum reditu ex schismate.* (Vid. tom. III, col. 730.) *Ibid.*

Epist. XLVIII. *Cornelii ad Cyprianum de factione Novatiani cum suis.* — Cornelius Cypriano rationem reddit factionis Novatianæ. (Vid. tom. III, col. 712.) 344

Epist. XLIX. *Cypriani responsum ad Cornelium, de Novati sceleribus.* — Laudat Cornelium quod opportune illum admonuerit, utpote cum postridie quam venisset ad se nocens factio, litteras illius acceperit. Deinde multis describit Novati scelera, et schisma prius in Africa ab illo concitatum. (Vid. tom. III, col. 725.) *Ibid.*

Epist. L. *Maximi et cæterorum confessorum ad Cyprianum, de suo reditu ex schismate.* — Cyprianum certiorem reddunt se ad Ecclesiam rediisse. *Ibid.*

Epist. LI. *Cypriani ad confessores, de reditu ex schismate congratulatoria.* — Gratulatur Cyprianus confessoribus Romanis de eorum reditu in Ecclesiam et litteris eorum respondet. *Ibid.*

Epist. LII. *Ad Antonianum, de Cornelio et Novatiano.*— Cum Antonianus, acceptis litteris a Novatiano, in partes illius animo propendere cœpisset, confirmat illum Cyprianus in priori sententia, ut nempe cum Cornelio, hoc est cum Ecclesia catholica communicare pergat. Quod ut persuadeat, totius tragœdiæ inter Cornelium et Novatianum historiam texit, et Cornelium virum optimum et legitime electum, Novatianum vero multis sceleribus obnoxium illegitimam electionem usurpasse docet : obiter etiam sub initium epistolæ se excusans de mutata quod ad lapsorum rationem attinet sententia, et sub finem in quo Novatiana hæresis consistat explicans. 347

Epist. LIII. *Ad Fortunatum et alios collegas, de iis qui per tormenta superantur.* — Consultus Cyprianus a collegis num admittendi essent ad communionem lapsi quidem per tormenta superati, respondet, quia triennio jam pœnitentiam egissent, sibi quidem videri admittendos esse, sed cum post Paschæ solemnia concilium episcoporum apud se futurum esset, se cum illis rem tractaturum. 348

Epist. LIV. *Ad Cornelium, de pace lapsis danda.*—Cum prius statuissent Africani episcopi in concilio quodam, ut lapsi non, nisi diu pœnitentia acta, admitterentur ad pacem, nisi forte periculum infirmitatis urgeret; jam instante nova persecutione statuerunt, omnibus qui pœnitentiam egissent pacem dandam, ut fortiores essent ad passionis prælium. Id episcoporum statutum, totius synodi nomine, nuntiat Cornelio papæ Cyprianus, atque adeo non tam ipsius Cypriani quam synodi Africanæ est hæc epistola. (Vid. tom. III, col. 831.) 330

Epist. LV. *Ad Cornelium, de Fortunato et Felicissimo sive contra hæreticos.* — In primis monet Cornelium Cyprianus hac epistola, ut Felicissimi et Fortunati contra se calumnias non audiat, nec minis eorum terreatur, sed forti sit animo, sicuti Dei sacerdotem contra hæreticos decet, utpote qui pro more hæreticis usitato, hæresin suam et schismata incœperint ex contemptu unius in Ecclesia episcopi; obiter etiam indicans unde oriri soleant hæreses et schismata, ut merito a Morelio inscribatur *contra hæreticos.* (Vid. tom. III, col. 795.) 303

Epist. LVI. *Ad Thibaritanos, de Exhortatione martyrii.* — Excusat primum se Cyprianus Thibaritanis quod illos non visisset, et de persecutione imminente admonet; tum stimulos subdit ad martyrium alacriter subeundum. — Hinc proponuntur exempla plorum a mundi initio qui martyrium passi. In primis quæ omnia exempla superat Domini nostri passio. — Quid, quod stadii et theatri agones fortiter et alacriter tolerati incitamento sint ad martyrii passiones? — Demum consideretur futura merces, quæ jam superque ad omnia sustinenda animat et accendit. 351

Epist. LVII. *Ad Cornelium in exilio, de ejus confessione.* — Laudat Cyprianus in Cornelio et plebe ejus confessionem nominis Christi ad exilium usque, hortaturque ad constantiam et mutuas pro invicem orationes, tum ob instantem certaminis diem in hac vita, tum post obitum. Meminit autem hujus epistolæ Damasus in Vita Cornelii, utpote propter quam calumnia facta, occasionem necis sumpserit tyrannus. (Vid. tom. III, col. 829.) 338

Epist. LVIII. *Ad Lucium papam romanum, reversum de exilio.* Gratulatur Lucio Cyprianus cum collegis de reditu ab exilio, docens dilatam martyrii gloriam non minuere. Deinde, indicans divinitus contigisse Cornelii martyrium et Lucii exilium, ad confundendos Novatianos, prædicit illi instans martyrium; ita Deo ordinante, ut non foris, sed apud suos consummaretur ejus martyrium. (Vid. t. III, col. 971.) 338

Epist. LIX. *Ad Fidum, de infantibus baptizandis.*— Corrigendos eos qui putabant ante octavum diem nativitatis non esse parvulum baptizandum dicit Cyprianus, mox natum rite baptizari posse, cum suis quibusdam coepiscopis, censens. (Vid. tom. III, col. 1011.) 339

Epist. LX. *Ad episcopos Numidas, de redemptione fratrum ex captivitate barbarorum.* — Deplorata sub illitium captivitate fratrum Cyprianus sibi per episcopos Numidas nuntiata, mittere se dicit sestertiorum centum millia, adscriptis nominibus singulorum tum fratrum et sororum, tum collegarum, qui aliquid contribuerant. Veri simile est autem factam hanc captivitatem ab illis Barbaris, contra quos Decius in bellum profectus, interfectus est. Primi autem recens ediderunt hanc epistolam Manutius et Morellius. *Ibid.*

Epist. LXI. *Ad Euchratium, de histrione.* — Histrionem, si in turpi artificio persistat, communicare prohibet in ecclesia. Neque vero excusari debere quod ipse histrionicam non exerceat, quamdiu illam alios docet; aut ob rei familiaris inopiam, cum ecclesiæ sumptibus illi alimenta præstari possint; atque adeo, si ecclesiæ Euchratii bona non sufficiant, Carthaginem monet ut veniat. 360

Epist. LXII. *Ad Pomponium, de Virginibus.*—Cyprianus cum collegis aliquot Pomponio collegæ respondet : virgines quæ statum continenter et firmiter tenere decreverant, repertas tamen postea in eodem lecto cum masculis, si virgines adhuc repertæ fuerint, communione recepta, admittendas ad Ecclesiam; sin secus, cum non mariti, sed Christi sint adulteræ, ad plenam pœnitentiam cogendas : quæ vero obstinatæ perseverant de Ecclesia ejiciendas, obiter interjiciens disciplinæ genus, quo contineri possint in officio virgines; et quædam de excommunicandi potestate in Ecclesia. 364

Epist. LXIII. *Ad Cæcilium, de sacramento Dominici calicis.* — Epistola hæc et duæ sequentes nihil aliud quam responsa continent ad Epistolam præcedentem, utpote quæ gratiarum actionem continent : tum pro consolatione litteraria, tum pro subsidio una misso. Ex eo autem quod tres diversæ epistolæ rescriptæ sunt ad unicam Cypriani, colligere est, in diversis metalli fodinis constitutos fuisse episcopos, qui eas scribunt. Quod confirmat epistola LXXX, ubi certi metalli fit mentio. 372

Epist. LXIV. *Ad Epictetum et plebem Assuritanorum de Fortunatiano quondam eorum Episcopo.* — Monet Epictetum et plebem Assuritanorum ut Fortunatianum, quondam episcopum, sed lapsum, episcopatum redire non permittant; tum aliis de causis, tum quod statutum esset ne epi-

Digitized by Google

scopi lapsi ad priorem gradum admitterentur. 389

Epist. LXV. *Ad Rogatianum, de diacono qui contra Episcopum contendit.* — Rogatianum episcopum monet Cyprianus, ut diaconi superbiam qui illum contumeliis exacerbaverat coerceat, et audaciæ suæ pœnitentiam agere cogat, ea occasione denuo repetens quæcumque de sacerdotali sive episcopali potestate supra dicta sunt Epistola LV. Quo autem tempore scripta sit, non satis constat, nisi quod in eadem synodo scriptam cum sequenti, initium utriusque epistolæ simile persuadeat. 393

Epist. LXVI. *Ad clerum et plebem Furnis consistentem, de Victore, qui Faustinum presbyterum tutorem nominavit.* — Cum, contra concilii episcoporum statutum, Geminius Victor testamento tutorem sive curatorem suum nominasset Geminium Faustinum, presbyterum, prohibet pro illo offerri aut sacrificium pro dormitione illius celebrari; obiter, exemplo leviticæ tribus, deducens clericos molestiis sæcularibus immiscere se non debere. 399

Epist. LXVII. *Ad Stephanum, de Marciano Arelatensi, qui Novatiano consensit.* — Cum Marcianus, Arelatensis episcopus, Novatiani sectam secutus multos seduxisset, et se communione cæterorum episcoporum per schisma separasset, monet Stephanum, summum pontificem, ut pro sua auctoritate, absente illo, alium in locum ejus substituat, et tum lapsis tum per illum seductis, acta pœnitentia, pax detur, et ad Ecclesiam reditus concedatur. (Vid. tom. III, col. 989.) 401

Epist. LXVIII. *Ad clerum et plebes in Hispania consistentes, de Basilide et Martiale.* — Cum Basilides et Martialis, episcopi, lapsi essent et libellis idololatriæ contaminati, laudat Cyprianus cum coepiscopis clerum et plebem Hispaniarum, quod in locum eorum Sabinum et Felicem legitima electione substituissent; præsertim cum juxta Cornelii statutum, episcopi lapsi ad pœnitentiam quidem agendam admitti possent, sed a sacerdotali honore prohiberentur, obiter etiam quædam attingens de veteri electionis episcoporum ritu. Sub Stephano autem scriptam esse, contextus indicat. (Vid. tom. III, col. 1019.) 402

Epist. LXIX. *Ad Florentium Pupianum, de obtrectatoribus.* — Purgat se apud Florentium Pupianum Cyprianus de variis ab illo objectis criminibus; et animi ejus levitatem arguit, quod tam temere obtrectatoribus crediderit. Ex eo autem quod dicit se jam tum sex annis episcopatu functum, satis constat sub Stephano scriptam. *Ibid.*

Epist. LXX. *Ad Januarium et cæteros episcopos Numidas, de baptizandis hæreticis.* — Contendit Cyprianus Baptismum non esse quo hæretici utuntur, nec quemquam apud eos qui Christo adversantur per gratiam Christi posse proficere. (Vid. tom. III, col. 1035.) 410

Epist. LXXI. *Ad Quintum, de hæreticis baptizandis.* — Respondetur Quinto, in Mauritania episcopo, consulenti de hæreticis baptizandis. *Ibid.*

Epist. LXXII. *Ad Stephanum papam, de Concilio.*—Cyprianus cum collegis in concilio quodam, nuntiat Stephano romano pontifici, a sese statutum esse, tum ut ab hæreticis ad Ecclesiam revertentes baptizentur, tum ut alia conditione non recipiantur episcopi aut presbyteri, ab iisdem venientes, quam ut communicarent laici. (Vid. tom. III, col. 1044.) 413

Epist. LXXIII. *Ad Jubaianum, de hæreticis baptizandis.* — Interrogatus a Jubaiano de Baptismo hæreticorum, Cyprianus rescribit ei se censere hæreticos ad Ecclesiam venientes, Ecclesiæ Baptismo sanctificari oportere. (Vid. tom. III, col. 1109.) 414

Epist. LXXIV. *Ad Pompeium contra epistolam Stephani, de hæreticis baptizandis.* — Super hanc quæstionem Cyprianus aperte indicat Stephanum, quem Romanæ Ecclesiæ episcopum tunc fuisse didicimus, non solum sibi non consensisse, verum etiam contra scripsisse atque præcepisse. (Vid. tom. III, col. 1127.) *Ibid.*

Epist. LXXV. *Firmiliani, episcopi Cæsareæ Cappadociæ, ad Cyprianum contra epistolam Stephani.* — Eamdem quam Cyprianus (et acerbius) de Stephano sententiam habet, et hanc consensionem sibi congratulatur, Deo gratias agens. Postea Stephani verba examinans, de baptismate hæreticorum, hunc repugnare Paulo apostolo eidemque se consensere manifestat. (Vid. tom. III, col. 1153.) 415

Epist. LXXVI. *Ad Magnum, de baptizandis Novatianis et de iis qui in lecto gratiam consequuntur.* — Prior Epistolæ pars ejusdem est argumenti cum præcedentibus præterquam quod hic inculcat de Novatianis quod in genere prius de omnibus hæreticis dixerat; obiter etiam insinuans successionem legitimam in Cathedra Petri, notam esse qua cognosci possit Ecclesia. Secunda parte (quam hactenus perperam pro alia Epistola editam titulus satis indicat) æque verum Baptismum esse docet, qui per aspersionem in lecto fit, atque qui per immersionem fit in ecclesia. (Vid. tom. III, col. 1137.) 416

Epist. LXXVII. *Ad Nemesianum et cæteros martyres in metallo constitutos.* — Miris præconiis effert martyres ad metallum damnatos, singulis tormentis singula solatia pulchra antithesi opponens. In exilio autem scriptam colligere est, ex illis verbis : Nisi me ob confessionem nominis relegatum præfiniti termini arcerent. 416

Epist. LXXVIII. — *Nemesiani, Dativi, Felicis et Victoris responsum ad Cyprianum.* — Epistola hæc et duæ sequentes nihil aliud quam responsa continent ad epistolam præcedentem, utpote quæ gratiarum actionem continent, tum pro consolatione litteraria, tum pro subsidio una misso. Ex eo autem quod tres diversæ epistolæ rescriptæ sunt ad unicam Cypriani, colligere est in diversis metalli fodinis constitutos fuisse episcopos qui eas scribunt. Quod confirmat Epistola LXXX, ubi certi metalli fit mentio. 422

Epist. LXXIX. *Ad eumdem Lucii et cæterorum martyrum responsum.* — Argumenti esse ejusdem cum præcedenti, verba ipsa epistolæ demonstrant, atque adeo non Lucii Romani pontificis, sed Lucii martyris et episcopi Africani epistola est, multo minus autem Cypriani ad Lucium papam. 424

Epist. LXXX. *Felicis, Jaderis, Poliani, et cæterorum martyrum responsum ad Cyprianum.* — Martyres supra dicti subsidium a Cypriano transmissum grati agnoscunt. 425

Epist. LXXXI. *Cypriani ad Sergium et Rogatianum et cæteros confessores in carcere constitutos.* — Rogatianum et collegas confessores, in carcere constitutos consolatur, et exemplo Rogatiani senioris et Felicissimi martyrum animos illis addit. In exilio scriptam epistola ipsa indicat. 426

Epist. LXXXII. *Ad Successum, de nuntiis Romam reversis persecutionem nuntiantibus.* — Nuntiat Successo episcopo Cyprianus, persecutione acriori jam decreta per Valerianum imperatorem (haud dubie cum Gallieno), passum Romæ Xistum pontificem VIII idus Augusti, idque ut collegis cæteris significet petit, quo suum quisque gregem ad martyrium animet. Cum autem paulo post mense septembri passus sit Cyprianus, non dubium quin sub finem vitæ scripta sit hæc epistola. 431

Ad plebem Carthaginis. 435

Ad Turasium presbyterum. 436

Epist. LXXXIII. *Ad Clerum et Plebem, de suo secessu paulo ante passionem.* — Cum jam, sub finem vitæ, ad hortos suos reverso Cypriano nuntiaretur missos esse qui se Uticam ad supplicium pertraherent, secessit. Ne vero metu mortis id fecisse crederetur, hac epistola causam reddit, ut nempe non alibi quam Carthagine, in conspectu suorum, martyrium subiret. 437

Epistola Cornelii papæ ad Cyprianum. 438

PARS II. — OPUSCULA. 441

Liber de habitu Virginum. — Pontius in Vita D. Cypriani paucis hujus libri argumentum complectitur : « Quis, inquit, virgines ad congruentem pudicitiæ disciplinam et habitum sanctimonia dignum, velut frænis quibusdam lectionis Dominicæ coerceret? » Primum, ut paulo fusius argumentum explicem, disciplinæ encomium celebrat, et ejus utilitatem Scripturis comprobat, deinde gloriam, decus et merita virginitatis, et earum quæ virginitatem suam Christo voverant et dicaverant prosecutus, continentiam non in sola carnis integritate, sed et in cultus et ornatus honore docet consistere : neque vero divitias superfluam cultus curam excusare apud eas quæ jam sæculo renuntiaverant; quin potius, cum moderandum justo fine cultum præscribat nuptis feminis Apostoli, multo id magis observare virginem oportere etsi itaque locupletes sint, cogitare debere utendum quidem divitiis, sed ad bonas artes, ad illa quæ præcepit Deus, expendendas nempe in pauperes. Post hæc, ornamentorum ac vestium insignia prostitutis potius feminis convenire quam virginibus, docet ex Apoc.; ex Isaiæ quoque III cap., quam Deum offendant tam varia, tam sumptuosa muliebria ornamenta deducit. Atque adeo, a superfluo ornatu ad fucorum diversa genera transitum faciens, non virginibus dumtaxat, sed et nuptis illa prorsus interdicit, utpote quæ impune laturæ non sint, quod facturam Dei reformare, transfigurare et adulterare nitantur. Porro etiam illa virginibus interdicit quæ negligentia in usum venerant, tum nuptiis ne intersint, tum ut promiscuas balneas non adeant. Brevi denique epilogo, quid boni contineat continentiæ virtus, quove malo careat, tribus, quod aiunt, verbis prosecutus, librum hoc epiphonemate concludit : « Durate fortiter, spiritaliter pergite, pervenite feliciter; tantum mementote tunc nostri cum incipiet in vobis virginitas honorari. » *Ibid.*

Liber de Lapsis. — Pollicitus erat frequenter Cyprianus, ubi primum pax Ecclesiæ reddita foret, se certius quid scripturum de ratione lapsorum : hoc igitur libro promissis satisfacit. Et in primis, ob oculos posita cum gaudio

Digitized by Google

tam insperata Ecclesiæ pace, et confessorum cæterorumque stantium in fide constantia et deinde cum dolore summo lapsorum ruinis, ac persecutionis præteritæ causis explicatis, disciplinæ nempe neglectu et peccatis fidelium; graviter increpat lapsos quod, ad prima statim verba minantis inimici idolis sacrificaverint, et non potius, juxta Christi consilium, secesserint : item quod jam sacrificiis maculati, contra Evangelii legem, ante expiata delicta, ante exomologesin crimiuis factam vim inferrent corpori et sanguini Domini, et communicationem ac pacem a quibusdam presbyteris sine episcopi sententia extorquerent. Deterritos proinde vindicta divina lapsorum aliquot qui indigne communicarant (obiter interjecta mentione libellaticorum, quod a crimine non excusarentur), et animatos eorum exemplo qui, quamvis nullo sacrificii aut libelli facinore constricti, quoniam tamen de hoc vel cogitaverunt, hoc ipsum apud sacerdotes Dei dolenter et simpliciter confitentes, exomologesin faciebant; ad confessionem delicti, ad pœnitentiam publicam, ad satisfactionem plenam multis hortatur. Postremo vitari monet Novatianos, confutans Scripturis aliquot illorum hæresin. 467

Liber de Unitate Ecclesiæ. — Occasione schismatis Novatiani, ut suos Carthaginenses detorreret, alioqui non multum ab illo abhorrentes, propter Novatum et alios quosdam suæ Ecclesiæ presbyteros totius tragœdiæ auctores, librum hunc conscripsit Cyprianus. Atque in primis, postquam, adversus illorum insidias communitos, ad constantiam hortatus est, hereseon causam esse docet quod caput Ecclesiæ non quæritur, primatus Petri contemnitur, et Cathedra ac Ecclesia una et Episcopatus unus deseritur. Deinde tum Scripturis tum figuris Veteris et Novi Testamenti unitatem Ecclesiæ comprobat. Porro Novatiani ambitionem in invadendo Episcopatu Romano, velut aliud agens, paucis prosecutus, late deducit neque pro eorum paucitate contra Ecclesiam quidquam facere illud Matth. XVIII : « Ubicumque fuerunt duo vel tres collecti in nomine meo, etc.; neque martyrium illis posse prodesse extra Ecclesiam. Post hæc docet non mirari eos oportere quod vigerent hæreses, jam olim a Christo prædictæ (obiter interjectis schismaticorum suppliciis); neque quod confessores quidam Romani schismati consentirent, quippe cum ante obitum nemo beatus sit, et in ipso Apostolorum cœtu Judas proditor extiterit; vitanda item schismaticorum et hæreticorum consortia. Ad pacem denique et unanimitatem per Scripturas hortatur. 493

Liber de Oratione Dominica. — Tres complectitur partes tractatus S. Cypriani de Oratione Dominica, in quo librum Tertulliani de Oratione imitatur. In priore ostendit Orationem Dominicam esse omnium excellentissimam, summe spiritualem et ad impetrandum efficacissimam. In altera vero parte Dominicæ Orationis complectitur explicationem, septemque ejus partes præcipuas, Tertulliani vestigiis inhærens, decurrit. Demum in tertia parte Orationis conditiones expendit, docetque orationem esse debere, 1° perseverantem et assiduam, exemplo Christi Domini; 2° vigilantem ac toto corde effusam, exemplo sacerdotis qui « ante orationem, præfatione præmissa, parat fratrum mentes dicendo : *Sursum corda*, et respondet plebs : *Habemus ad Dominum*; » 3° bonis operibus et eleemosynis consociatam, Tobiæ instar et Cornelii; 4° omnibus diei horis ac præsertim tribus ab Ecclesia orationi destinatis, tertia nimirum, sexta et nona, mane nec non et vespere esse orandum. 521

Liber ad Demetrianum. — Demetriano, Africæ proconsuli, contendenti Christianis imputari debere bella, famem et pestem quibus tum orbis divexabatur, quod ab ipsis dii non colerentur, pulchre respondet (ubi deduxit mundi senio omnia deteriora fieri) ipsos potius ethnicos tantarum cladium causam esse, quod Deum non colerent et Christianos præterea injustis persecutionibus agitarent. Deinde, ubi illi exprobravit tormentorum inusitata genera quibus Christianos præ aliis reis torquebat, non ad confessionem, sed ad negationem, deorum impotentiam arguit : tum quod ipsi se defendere nequeant, atque adeo Demetrianus qui illos vindicabat, ab ipsis potius coli quam ipse eos colere deberet; tum quod a Christianis de obsessis corporibus ejecti, quid sint ipsi confiteantur. Neque vero ruinas regum, jacturas opum et similia mala quæ persecutiones Christianorum divinitus in vindictam comitabantur, ideo vindictas non censeri, quod illis etiam communes essent, quandoquidem gaudium iis potius sint omnia illa, quam pœna. Proinde, dum tempus est, ad mentem redeat hortatur, vel saltem metu judicii et semper ardentis gehennæ ignis. Imitatur autem ipse partim Tertulliani Apologeticum et librum ad Scapulam, partim Minutii Felicis Octavium. 545

Liber de idolorum Vanitate. — Tria potissima hujus libri capita titulus ipse complectitur. Primum hinc comprobat quod reges fuerint et homines potius quam dii, quorum in honorem instituta sunt templa, expressa simulacra, immolatæ hostiæ et festi dies celebrati; atque adeo neque exteris neque Romanis quidquam potuisse prodesse illorum cultum, neque illis, sed sorti potius imputandam Romani imperii potentiam, utpote quæ et vicissitudine quadam contigerit, et suam ipsius originem erubescat : neque vero auspiciis augurliisve quidquam tribuendum ex vano illorum eventu constare; quin potius dæmonum esse has præstigias, vel ipsis poetis, Socrate, Platone, Trismegisto et Hostane testibus, qui et unum Deum et dæmonas agnoverint. Alterum caput, quod unus sit Deus, tum per monarchiæ præ cæteris dignitatem majorem, tum per ipsas vulgi ethnici voces, O Deus, et similes, paucis manifestum facit. Postremum de Christo, ex Prophetis Judæorum et Evangelica historia, latius prosequitur. 565

Liber de Mortalitate. — Paucis argumentum explicat D. Pontius in Vita Cypriani : « A quo, inquit, Christiani mollioris affectus circa amissionem suorum aut, quod majus est, fidei parvioris, consolarentur spe futurorum. » In primis enim, ubi prædictas docuit ejuscemodi afflictiones a Christo, non timendam docet mortalitatem seu pestem, eo quod ad immortalitatem ducat, atque adeo fidem illi deesse qui non ad meliora festinat. Neque mirum quod Christiano cum gentilibus sint mala hujus vitæ communia cum plus cæteris illis in sæculo sit laborandum : atque proinde exemplo sanctorum Job et Tobiæ, patientia opus esse, neque murmurandum. Nisi enim præcesserit pugna, non posse victoriam contingere, etc. 583

Liber de Opere et Eleemosyna. 601

Liber de Bono Patientiæ. — Scripti hujus occasionem ita paucis exponit ipse Cyprianus sub finem Epist. ad Jubaianum : « Servatur a nobis patienter et leniter charitas animi, collegii honor, dilectionis vinculum, concordia sacerdotii. Propter hoc etiam nunc libellum de Bono patientiæ, quantum valuit uostra mediocritas, permittente Domino et inspirante, conscripsimus, quem ad te, pro mutua dilectione, transmisimus. » Postquam itaque initio, patientiam veram a falsa philosophorum distinxit, a patientia Dei, Christi ac justorum omnium, patientiam christianam commendat. Deinde non utilem modo, sed et necessariam illam esse, tum Scripturis, tum rationibus probat, exemplis item Job et Tobiæ; et ut ex opposito sibi vitio magis patientiæ bonum elucescat, impatientiæ quantum malum sit prosequitur. Postremo vindictæ cupiditatem vituperat, docetque Deo, juxta Scripturas, permittendam potius, quam nobis arrogandam ultionem. Si quo alio autem in libro, hoc certe, Tertullianum imitatur, librum nempe ejus de Patientia. 621

Liber de Zelo et Livore. — Paucis libri hujus argumentum reddit in hæc verba D. Pontius in vita Cypriani : «Quis, inquit, livorem de venenata invidiæ malignitate venientem, dulcedini remedii salutaris inhiberet? » Principio igitur, postquam eo gravius crimen esse zelum seu livorem, quo occultius est malum, et originem ejus diabolo adscribendam docuit : propositis etiam obiter invidiæ exemplis e Veteri Testamento, radicem malorum omnium invidiam esse, per singula vitiorum genera deducit; atque adeo recte et a Christo et ab Apostolis, non uno in loco, interdictum fraternum odium. Postremo ubi Dei exemplo ad dilectionem inimicorum eos adhortatus est, præmiorum coronis propositis ab hoc malo deterret. 637

Epistola ad Fortunatum de Exhortatione Martyrii. 651

Præfatio. *Ibid.*

Caput primum. — Quod idola dii non sint, et quod nec elementa vice deorum colenda sint. 655

Cap. II. — Quod Deus solus colendus sit. 657

Cap. III. — Quæ comminatio Dei sit adversus eos qui idolis sacrificant. *Ibid.*

Cap. IV. — Non facile ignoscere Deum idololatris. 658

Cap. V. — Quod sic idololatriæ indignetur Deus, ut præceperit etiam eos interfici qui sacrificare et servire idolis suaserint. *Ibid.*

Cap. VI. — Quod redempti et vivificati Christi sanguine, nihil Christo præponere debeamus. 660

Cap. VII. — Ereptos de faucibus diaboli, et de laqueis sæculi liberatos, non debere denuo ad sæculum reverti, ne perdant quod evaserint. *Ibid.*

Cap. VIII. — Insistendum esse et perseverandum in fide et virtute, et cœlestis ac spiritalis gratiæ consummatione, ut ad palmam et coronam possit perveniri. 661

Cap. IX. — Ad hoc pressuras et persecutiones fieri, ut probemur. 663

Cap. X. — Timendas non esse injurias et pœnas persecutionum, quia major est Dominus ad protegendum, quam diabolus ad impugnandum. *Ibid.*

Cap. XI. — Ante prædictum esse quod nos mundus odio habiturus esset, et quod persecutiones adversum nos exci-

Digitized by Google

taret, et quod nihil novum Christianis accidat, quando ab initio mundi boni laboraverint, et oppressi atque occisi sint justi ab injustis. 665
Cap. XII. — Quæ spes et merces maneat justos et martyres post conflictationes hujus temporis et passiones. 673
Cap. XIII. — Plus nos accipere in passionis mercede, quam quod hic sustinemus in ipsa passione. 674
Testimoniorum libri tres adversus Judæos. 675
Liber primus. Caput primum. — Judæos in offensam Dei graviter deliquisse, quod Dominum dereliquerint idola secuti sint. 679
Cap. II. — Item, quod prophetis non crediderint et eos interfecerint. 680
Cap. III. — Ante prædictum quod Dominum neque cogniturі, neque intellecturi, neque recepturi essent. 681
Cap. IV. — Quod Scripturas sanctas intellecturi Judæi non essent, intelligi autem haberent in novissimis temporibus postea quam Christus venisset. 682
Cap. V. — Nihil posse Judæos intelligere de Scripturis, nisi prius perdiderint Christum. 685
Cap. VI. — Quod Hierusalem perditurі essent, et terram quam acceperant relicturi. *Ibid.*
Cap. VII. Item quod essent amissuri lumen Domini. *Ibid.*
Cap. VIII. Quod circumcisio prima carnalis evacuata sit, et secunda spiritalis repromissa sit. 684
Cap. IX. Quod lex prior, quæ per Moysen data est, cessatura esset. *Ibid.*
Cap. X. Quod lex nova dari haberet. *Ibid.*
Cap. XI. Quod dispositio alia et testamentum novum dari haberet. 685
Cap. XII. Quod baptisma vetus cessaret et novum inciperet. *Ibid.*
Cap. XIII. Quod jugum vetus evacuaretur, et jugum novum daretur. 686
Cap. XIV. Quod pastores veteres cessaturi essent, et novi inciperent. *Ibid.*
Cap. XV. Quod domus et templum Dei Christus futurus esset, et cessaret templum vetus, et novum inciperet. *Ibid.*
Cap. XVI. Quod sacrificium vetus evacuaretur et novum celebraretur. 687
Cap. XVII. Quod sacerdotium vetus cessaret, et novus sacerdos veniret, qui in æternum futurus esset. *Ibid.*
Cap. XVIII. Quod propheta alius sicut Moyses promissus sit, scilicet qui testamentum novum daret, et qui magis audiri deberet. 688
Cap. XIX. Quod duo populi prædicti sint, major et minor. id est vetus Judæorum, et novus qui esset ex nobis futurus. *Ibid.*
Cap. XX. Quod Ecclesia, quæ prius sterilis fuerat, plures filios habitura esset ex gentibus, quam quot synagoga ante habuisset. *Ibid.*
Cap. XXI. Quod Gentes magis in Christum credituræ essent. 689
Cap. XXII. Quod panem et calicem Christi et omnem gratiam ejus amissuri essent Judæi, nos vero accepturi, et quod Christianorum novum nomen benediceretur in terris. 693
Cap. XXIII. Quod ad regnum cœlorum magis Gentes quam Judæi perveniant. 694
Cap. XXIV. Quod solo hoc Judæi accipere veniam possint delictorum suorum, si sanguinem Christi occisi baptismo ejus abluerint, et in Ecclesiam transeuntes, præceptis ejus obtemperarint. *Ibid.*
Liber secundus.
Caput primum. Christum primogenitum esse, et ipsum esse sapientiam Dei, per quem omnia facta sunt. 695
Cap. II. Quod sapientia Dei Christus est, et de sacramento incarnationis ejus et passionis et calicis et altaris, et Apostolorum qui missi prædicaverunt. 697
Cap. III. Quod Christus idem sit et Servus Dei. 698
Cap. IV. Quod idem Christus idem sit manus et brachium Dei. *Ibid.*
Cap. V. Quod idem Angelus et Deus. 699
Cap. VI. Quod Deus Christus. 700
Cap. VII. Quod Christus Deus venturus esset illuminator et salvator generis humani. 702
Cap. VIII. Quod cum a principio Filius Dei fuisset, generari denuo haberet secundum carnem. 703
Cap. IX. Quod hoc futurum esset signum nativitatis ejus ut de virgine nasceretur homo et Deus, hominis et Dei filius. 704
Cap. X. Quod homo et Deus Christus ex utroque genere concretus, ut mediator esse inter nos et Patrem osset. *Ibid.*
Cap. XI. Quod de semine David secundum carnem nasci haberet. 705
Cap. XII. Quod in Bethlehem nasceretur. 706
Cap. XIII. Quod humilis in primo adventu suo veniret. 707
Cap. XIV. Quod ipse sit justus quem Judæi occisuri essent. 708
Cap. XV. Quod ipse dictus sit ovis et agnus, qui occidi haberet. Et de sacramento passionis. *Ibid.*
Cap. XVI. Quod idem et lapis dictus sit. 710
Cap. XVII. Quod deinde idem lapis mons fieret et impleret totam terram. 712
Cap. XVIII. Quod in novissimis temporibus idem mons manifestaretur, super quem Gentes venirent, et in quem justi ascenderent. *Ibid.*
Cap. XIX. Quod ipse sit sponsus, Ecclesiam habens sponsam, de qua filii spiritaliter nascerentur. 713
Cap. XX. Quod cruci illum fixuri essent Judæi. 714
Cap. XXI. Quod in passione crucis et signo virtus omnis sit et potestas. 715
Cap. XXII. Quod in hoc signo crucis salus sit, omnibus qui in frontibus notentur. 716
Cap. XXIII. Quod medio die in passione ejus tenebræ futuræ essent. *Ibid.*
Cap. XXIV. Quod a morte non vinceretur, nec apud inferos remansurus esset. *Ibid.*
Cap. XXV. Quod ab inferis tertio die resurgeret. 717
Cap. XXVI. Quod cum resurrexisset, acciperet a Patre omnem potestatem, et potestas ejus æterna sit. *Ibid.*
Cap. XXVII. Quod perveniri non possit ad Deum Patrem nisi per Filium ejus, Jesum Christum. 718
Cap. XXVIII. Quod ipse judex venturus sit. 719
Cap. XXIX. Quod ipse sit rex in æternum regnaturus. 720
Cap. XXX. Quod ipse sit et judex ex rex. 722
Liber tertius. 725
Caput primum. De bono operis et misericordiæ. *Ibid.*
Cap. II. In opere et eleemosynis, etiamsi per mediocritatem minus fiat, ipsam voluntatem satis esse. 732
Cap. III. Agapem et dilectionem fraternam religiose et firmiter exercendam. 733
Cap. IV. In nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit. 734
Cap. V. Humilitatem et quietem in omnibus tenendam. 736
Cap. VI. Bonos quosque et justos plus laborare, sed tolerare debere, quia probantur. *Ibid.*
Cap. VII. Non contristandum Spiritum sanctum quem accepimus. 736
Cap. VIII. Iracundiam vincendam esse, ne cogat delinquere. 737
Cap. IX. Invicem se fratres sustinere debere. *Ibid.*
Cap. X. In Deum solum fidendum, et in ipso gloriandum. *Ibid.*
Cap. XI. Eum qui fidem consecutus est, exposito priore homine, cœlestia tantum et spiritalia cogitare debere nec attendere ad sæculum, cui jam renuntiavit. 738
Cap. XII. Non juraudum 741
Cap. XIII. Non maledicendum. *Ibid.*
Cap. XIV. Numquam mussitandum, sed circa omnia quæ accidunt benedicendum Deum. 742
Cap. XV. Ad hoc tentari homines a Deo ut probentur. *Ibid.*
Cap. XVI. De bono martyrii. 745
Cap. XVII. Minora esse quæ in sæculo patimur quam sit præmium quod promissum est. 745
Cap. XVIII. Dilectioni Dei ac Christi nihil præponendum. 746
Cap. XIX. Voluntati, non nostræ, sed Dei, obtemperandum. *Ibid.*
Cap. XX. Fundamentum et firmamentum spei et fidei esse timorem 747
Cap. XXI. Non temere de altero judicandum. 750
Cap. XXII. Accepta injuria, remittendum et ignoscendum. *Ibid.*
Cap. XXIII. Vicem malis non reddendam. *Ibid.*
Cap. XXIV. Non posse ad Patrem perveniri nisi per Christum. *Ibid.*
Cap. XXV. Ad regnum Dei, nisi baptizatus et renatus quis fuerit, pervenire non posse. *Ibid.*
Cap. XXVI. Parum esse baptizari et Eucharistiam accipere, nisi quis factis et opere proficiat. 751
Cap. XXVII. Baptizatum quoque gratiam perdere quam consecutus sit, nisi innocentiam servet. *Ibid.*
Cap. XXVIII. Non posse in Ecclesia remitti ei qui in Deum deliquerit. *Ibid.*
Cap. XXIX. De odio nominis ante prædictum. 752
Cap. XXX. Quod quis Deo voverit, cito reddendum. *Ibid.*
Cap. XXXI. Eum qui non crediderit jam judicatum esse. 755

Digitized by Google

Cap. XXXII. De bono virginitatis et continentiæ. 753
Cap. XXXIII. Nihil Patrem judicare, sed Filium, et Patrem ab eo non honorificari a quo non honorificetur Filius. 754
Cap. XXXIV. Fidelem gentiliter vivere non oportere. 753
Cap. XXXV. Deum ad hoc patientem esse, ut nos pœniteat peccati nostri et reformemur. *Ibid.*
Cap. XXXVI. Mulierem ornari sæculariter non debere. *Ibid.*
Cap. XXXVII. Fidelem non oportere ob alia delicta nisi ob nomen solum puniri. 756
Cap. XXXVIII. Servum Dei innocentem esse debere, ne incidat in pœnam sæcularem. *Ibid.*
Cap. XXXIX. Datum nobis esse exemplum vivendi in Christo. *Ibid.*
Cap. XL. Non jactanter nec tumultuose operandum. 757
Cap. XLI. Inepte et scurriliter non loquendum. *Ibid.*
Cap. XLII. Fidem in totum prodesse, et tantum nos posse quantum credimus. *Ibid.*
Cap. XLIII. Posse eum statim consequi qui vere crediderit. 758
Cap. XLIV. Fideles inter se disceptantes non debere gentilem judicem experiri. *Ibid.*
Cap. XLV. Spem futurorum esse, et ideo fidem circa ea quæ promissa sunt patientem esse debere. *Ibid.*
Cap. XLVI. Mulierem in ecclesia tacere debere. *Ibid.*
Cap. XLVII. Delicto et merito nostro fieri ut laboremus, nec Dei opem in omnibus sentiamus. 759
Cap. XLVIII. Non fœnerandum. *Ibid.*
Cap. XLIX. Inimicos quoque diligendos. *Ibid.*
Cap. L. Sacramentum fidei non esse profanandum. 760
Cap. LI. Quod nemo in opere suo extolli debeat. *Ibid.*
Cap. LII. Credendi vel non credendi libertatem in arbitrio positam. *Ibid.*
Cap. LIII. Dei arcana perspici non posse, et idcirco fidem nostram simplicem esse debere. *Ibid.*
Cap. LIV. Neminem sine sorde et sine peccato esse. 761
Cap. LV. Non hominibus, sed Deo, placendum. *Ibid.*
Cap. LVI. Deum nihil latere ex his quæ geruntur. *Ibid.*
Cap. LVII. Fidelem emendari et reservari. 762
Cap. LVIII. Neminem contristari morte debere, cum sit in vivendo labor et periculum, in moriendo pax et resurgendi securitas. *Ibid.*
Cap. LIX. De idolis quæ gentiles deos putant. 765
Cap. LX. Ciborum nimiam concupiscentiam non appetendam. 766
Cap. LXI. Possidendi concupiscentiam et pecuniam non appetendam. *Ibid.*
Cap. LXII. Matrimonium cum gentilibus non jungendum. 767
Cap. LXIII. Grave delictum esse fornicationis. 768
Cap. LXIV. Quæ sint carnalia quæ mortem pariant, et quæ spiritalia quæ ad vitam ducant. *Ibid.*
Cap. LXV. Omnia delicta in Baptismo deponi. 769
Cap. LXVI. Disciplinam Dei in ecclesiasticis præceptis observandam. *Ibid.*
Cap. LXVII. Prædictum quod disciplinam sanam aspernaturi essent. *Ibid.*
Cap. LXVIII. Recedendum ab eo qui inordinate et contra disciplinam vivat. 770
Cap. LXIX. Non in sapientia mundi nec in eloquentia esse regnum Dei, sed in fide crucis et virtute conversationis. *Ibid.*
Cap. LXX. Parentibus obsequendum. *Ibid.*
Cap. LXXI. Patres quoque asperos circa filios esse non oportet 771
Cap. LXXII. Servos, cum crediderint, plus dominis carnalibus servire debere. *Ibid.*
Cap. LXXIII. Item dominos mitiores esse debere. *Ibid.*
Cap. LXXIV. Viduas probatas quasque honorandas. *Ibid.*
Cap. LXXV. Suorum, et maxime fidelium, curam plus unumquemque habere debere. *Ibid.*
Cap. LXXVI. Majorem natu non temere accusandum. *Ibid.*
Cap. LXXVII. Peccantem publice objurgandum. 772
Cap. LXXVIII. Cum hæreticis non loquendum. *Ibid.*
Cap. LXXIX. Innocentiam fidenter petere et impetrare. *Ibid.*
Cap. LXXX. Nihil licere diabolo in hominem, nisi Deus permiserit. *Ibid.*
Cap. LXXXI. Mercedem mercenario cito reddendam. *Ibid.*
Cap. LXXXII. Non augurandum. *Ibid.*
Cap. LXXXIII. Cirrum in capite non habendum. 773
Cap. LXXXIV. Non vellendum. *Ibid.*
Cap. LXXXV. Surgendum cum episcopus aut presbyter veniat. *Ibid.*
Cap. LXXXVI. Schisma non faciendum, etiamsi in una fide et in eadem traditione permaneat qui recedit. 773
Cap. LXXXVII. Fideles simplices cum prudentia esse debere. *Ibid.*
Cap. LXXXVIII. Fratrem non circumveniendum. *Ibid.*
Cap. LXXXIX. Subito venire finem mundi. 774
Cap. XC. Uxorem a viro non recedere, aut si recesserit, innuptam manere. *Ibid.*
Cap. XCI. Tantum unumquemque tentari quantum potest sustinere. *Ibid.*
Cap. XCII. Non quicquid licet esse faciendum. *Ibid.*
Cap. XCIII. Prædictum quod hæreses futuræ essent. *Ibid.*
Cap. XCIV. Cum timore et honore Eucharistiam accipiendam. *Ibid.*
Cap. XCV. Bonis convivendum, malos autem vitandos. 775
Cap. XCVI. Factis, non verbis, operandum. *Ibid.*
Cap. XCVII. Ad fidem et ad consecutionem properandum esse. *Ibid.*
Cap. XCVIII. Catecuminum peccare jam non debere. 776
Cap. XCIX. Judicium secundum tempora futurum, æquitatis ante Legem, vel Legis post Moysen. *Ibid.*
Cap. C. Gratiam Dei gratuitam esse debere. *Ibid.*
Cap. CI. Spiritum sanctum in igne frequenter apparuisse. *Ibid.*
Cap. CII. Correptionem bonos quoque libenter audire debere. *Ibid.*
Cap. CIII. A multiloquentia temperandum. 777
Cap. CIV. Non mentiendum *Ibid.*
Cap. CV. Frequenter emendandos qui delinquunt in domestico ministerio. *Ibid.*
Cap. CVI. Injuria accepta patientiam tenendam, et ultionem Deo relinquendam. *Ibid.*
Cap. CVII. Non detrahendum. *Ibid.*
Cap. CVIII. Non esse proximo insidiandum. *Ibid.*
Cap. CIX. Infirmos visitandos. *Ibid.*
Cap. CX. Susurrones maledictos esse. *Ibid.*
Cap. CXI. Sacrificia malorum acceptabilia non esse. 778
Cap. CXII. Gravius judicari de his qui in sæculo plus habuerint potestatis. *Ibid.*
Cap. CXIII. Viduas et pupillos protegi oportere. *Ibid.*
Cap. CXIV. Dum in carne est, quis exomologesin facere debere. *Ibid.*
Cap. CXV. Adulationem perniciosam esse. *Ibid.*
Cap. CXVI. Plus ab eo diligi Deum cui in Baptismo plura peccata dimittuntur. *Ibid.*
Cap. CXVII. Fortem congressionem esse adversus diabolum, et ideo fortiter nos stare debere, ut possimus vincere. 779
Cap. CXVIII. De antichristo, quod in homine veniat. *Ibid.*
Cap. CXIX. Grave fuisse jugum Legis quod a nobis abjectum est, et leve esse jugum Domini quod a nobis susceptum est. 780
CXX. Orationibus insistendum. *Ibid.*

Liber de Spectaculis. — Agit primum auctor adversus illos qui spectacula gentilium publica Scripturarum auctoritate vindicare nitebantur, et quamquam nusquam disertis Scripturæ verbis prohibita sint, damnata tamen idololatriæ interdicto hinc probat, quod nullum non spectaculi genus idolis consecratum sit. Deinde, per singula ludorum genera, quæ sint in spectando pericula, paulo latius quam Epistola secunda ad Donatum prosequitur, et præsertim eorum quibus « obscœnitatis, inquit, magisterium traditur simulacris libidinis. » Postremo spectacula christiano homine digna, quibus merito oblectare se debeat, paucis recenset. Imitatus haud dubie librum Tertulliani de Spectaculis, quem alicubi et græce et latine se scripsisse ille indicat, tam refertum iis omnibus quæ ad hoc institutum faciunt, ut commentarii loco esse possit dum de spectaculorum diversitate agendum est. 779

Liber de Laude martyr. — Laudem martyrii sublimi dicendi genere prosequitur, tria potissimum toto libro late pertractans : quid nempe sit, quantum sit, et cui rei prosit. Pulchris interim similitudinibus et argumento a quotidianis funeribus sumpto, ad mortem pro Christo lubenter obeundam hortatur. Jam inter virtutes martyrii enumerat, quod universi doloris expertes martyres Domini propitiatio coronet, ita ut in eos non competat illud Christi, usque quadrantem ultimum reddere. Præmii vero loco proponit, tum a gehennæ metu securitatem, tum vitæ æternæ consecutionem, paucis poetico quodam more utraque describens, deinde quod quibusdam sit coronæ loco martyrium, aliis qui sanguine suo lavantur peccatorum redemptio. Postremo, ubi Scripturis aliquot ad confessionem nominis Christi, eos animavit, ut sui memores sint rogat, cum in eis Dominus martyrium cœperit honorare, utpote quibus petentibus non

negare credatur Dominus. 787
Ad genuina S. Cypriani opera appendices.
Prolegomena de scriptis sancti Cypriani operibus dubiis, deperditis, atque eidem suppositis, auct. D. Lumper. 803
Articulus primus. — Divi Cypriani opera dubia. *Ibid.*
Articulus II. — Divo Cypriano supposita opera. 811
Articulus III. — De quibusdam S. Cypriani operibus deperditis. 817
Appendix prima. — Opuscula dubia. 819
Liber de Disciplina et Bono pudicitiæ. Epistola ignoti auctoris. *Ibid.*
Monitum de paulo infra rejecta exhortatione ad pœnitentiam. 821
Appendix secunda. — Opuscula supposita. 827
Liber de Aleatoribus. Tractatus perperam Cypriano adscriptus. *Ibid.*
De Singularitate Clericorum. Tractatus Cypriano perperam adscriptus, necnon Augustino et Origeni juxta quosdam. 833
De duodecim Abusionibus sæculi. Tractatus perperam Cypriano et Augustino adscriptus. 869
Liber de duplici Martyrio. 881
Oratio Cypriani Antiocheni pro martyribus. 905
Oratio Cypriani Antiocheni quam sub die passionis suæ dixit. *Ibid.*
De montibus Sina et Sion. Tractatus ignoti auctoris adversus Judæos. 909
Tractatus adversus Judæos, qui insecuti sunt Dominum nostrum Jesum Christum, incerto auctore. 919
Cœna, Cypriano falso inscripta. 923
De revelatione capitis Beati Joannis Baptistæ. 931
De Pascha computus. 937
Appendix tertia. 973
Dissertatio de Cypriani libris ad Demetrianum, et de Idolorum Vanitate. *Ibid.*
Caput primum. — De libro ad Demetrianum. *Ibid.*
Articulus primus. — Analysis hujus libri. *Ibid.*
Art. II. — Ostenditur Cyprianum Carthaginis episcopum et martyrem esse verum hujus libri parentem; quis ille, et utrum primus in Africa martyr fuerit. 976
Art. III. — De hujus libri titulo, et utrum contra solum Demetrianum scriptus sit. 978
Art. IV. — Quis fuerit Demetrianus, ad quem hic liber directus fuit, an proconsul aut inferioris ordinis judex. 979
Art. V. — Quibus rationibus Cyprianus ad hunc librum scribendum et divulgandum compulsus sit. 981
Caput II. — De hujus libri argumento, ætate, codicibus manuscriptis, editionibus et quorumdam notis. 983
Articulus primus. — De hujus lucubrationis argumento, et utrum Cyprianus suscepto vindicis Christianæ religionis officio non plene, sicut contendit Lactantius, satisfecerit. 984
Art. II. — De libri hujus ætate. 986
Art. III. — De libri hujus codicibus manuscriptis. 987
Art. IV. — De libri hujus editionibus. 988
Art. V. — De variis in hunc librum annotationibus. 989
Caput III. — Novæ in hunc librum observationes. 991
Articulus primus. — De sacræ Scripturæ auctoritate, et quibusdam illius locis. *Ibid.*
Art. II. — Quomodo Cyprianus Deum existere demonstret ex recta humani corporis statura, ex solis et aliarum rerum creatione, atque ex republica dæmonum, a Christianis ex obsessis corporibus ejectorum, confessione. 992
Art. III. — Credendum Christo, qui sanguinis pretio hominem sacro baptismate regenerat, de duplici mortis illius signo; de pœnitentia, ac quo sensu nemini, hanc vitam agenti, sera esse dicatur. 995
Art. IV. — Utrum Cyprianus ignes purgatorios negaverit, quam diserte asserat æternas fore pœnas damnatorum, quorum brevis oculorum fructus perpetua visione pensabitur, ac quam variis et horrendis cruciatibus Christiani ab his excarnificati fuerint. 996
Art. V. — Quanta iniquitate ethnici condemnaverint Christianos, nec defensos, nec auditos; quam mirabilis fuerit eorum, quorum numerus semper augebatur, patientia, et quos Deus ultus est ruinis Regum, jacturis opum, dispendio militum, ac diminutione castrorum. 998
Caput IV. — Expenduntur Cypriani argumenta, quibus Demetrianum aliosque gentiles refellit, qui Christianos publicarum belli, famis, et pestis calamitatum, causam esse criminabantur. 1000
Articulus primus. — Primum Cypriani argumentum ex mundi senio desumptum examinatur. *Ibid.*
Art. II. — Quam luculenter Cyprianus demonstret publicas calamitates non ideo accidisse, quia Christiani verum Deum venerabantur, sed quia ethnici falsos colebant deos, et aliorum gravissimorum criminum rei erant, ubi de servorum pœnis. 1001
Art. III. — Quando Cyprianus probaverit neutiquam Christianos, sed Gentiles bellorum fuisse causam. 1004
Art. IV. — Qua ratione Cyprianus ostendat non Christianos, sed Gentiles sterilitatis et famis esse causam. 1005
Art. V. — Tantum abesse ut ethnici Deum, eorum criminibus offensum, curaverint pestis tempore placare, quin potius illum gravioribus flagitiis irritaverint. 1006
Art. VI. — Quanta misericordiæ opera Christiani exhibuerint quibuslibet peste infectis morientibus ac mortuis. 1008
Art. VII. — Cur Christiani, plane innocentes, iisdem publicis calamitatibus, ac scelerati Gentiles affligebantur. 1009
Caput V. — De Cypriani libro de Idolorum Vanitate. 1011
Articulus primus. — Analysis hujus libri. *Ibid.*
Art. II. — De hujus libri auctore, titulo, integritate, argumento; et cur aliquando epistolæ nomine inscribatur. 1013
Art. III. — Quo tempore, et quam festinanter hic liber a Cypriano scriptus fuerit. 1016
Art. IV. — De hujus libri manuscriptis et editis codicibus ac variorum in illum notis. 1017
Caput VI. — Novæ in hunc librum observationes. 1019
Articulus primus. — De iis quæ Cyprianus ex Tertulliano et Minucio Felice excerpsit, ac quomodo duobus aliis in libris ea sacræ Scripturæ testimoniis probaverit, quæ in isto de Judæis, Christianis, et Christo Domino breviter enarrat. *Ibid.*
Art. II. — Quam luculenter Cyprianus asserat orthodoxum de suprema Christi divinitate, et sanctissimæ Trinitatis mysterio documentum. 1020
Art. III. — De Christo homine, ac quo sensu dici potuerit : *Spiritus sanctus carne induitur*. 1022
Art. IV. — De idololatriæ origine, et ridiculis quibusdam Romanorum diis, in dubio aut noto hujus libri fragmento notatis, ac de crudeli consulum romanorum initio. 1024
Sancti Cypriani carmen ad Felicem de resurrectione mortuorum. 1025
Observatio prævia D. Edm. Martene. *Ibid.*
Carmen. 1027
Appendix quarta. 1033
Oxoniensis edituonis selectæ in Cyprianum notæ. *Ibid.*
Epistolæ. *Ibid.*
Ad Donatum liber de Gratia Dei. 1086
De Idolorum Vanitate liber. 1091
Testimoniorum ad Quirinum adversus Judæos præfatio in duos libros priores. 1094
Testimoniorum liber primus. 1095
Testimoniorum liber secundus. 1098
Testimoniorum liber tertius. 1105
De Habitu Virginum. 1110
De Unitate Ecclesiæ liber. 1113
De Lapsis. 1116
De Oratione Dominica. 1123
De Mortalitate. 1126
De Exhortatione martyrii. 1128
Jos. Mart. Routhii selectæ in quosdam Cypriani libros notæ. 1149
Appendicis primæ continuatio. Exhortatio ad pœnitentiam cum dissertatione Joh. Trombellii. 1153
Index rerum. 1189

FINIS TOMI QUARTI.

Digitized by Google